RESOLUTIONES ORTHODOXO-MORALES, SCHOLASTICAE, HISTORICAE, DE...

Tomás Hurtado




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
38 N
10
ROMA

RESOLVTIONES ORTHODOXO-MORALES, SCHOLASTICÆ, HISTORICÆ,

De vero, unico, proprio & Catholico Martyrio Fidei, Sanguine Sanctorum violenter effuso, rubricato;

Adversus quorundam καινολογίαν de proprio Martyrio Charitatis & Misericordiæ,

Deductæ, ex omnigena Conciliorum, Patrum doctrina, & vero Ecclesiæ sensu.

Quibus junguntur

DIGRESSIONES,

De germana intelligentia quorundam difficilium Canonum Illiberitani Concilii;

De variis tormentorum Instrumentis, & de Martyrio per pestem;

De Chori Ecclesiastici antiquitate, necessitate, utilitate & fructibus;

De Coronis, & Tonsuris Gentilitatis, Synagogæ, & Christianismi;

De Religione Nazaræorum;

De Restrictione Mentali, tam in verbis, quam in factis, noviter adinventâ.

AVCTORE
P. THOMA HVRTADO TOLETANO, C. R. M.
Sacræ Theologiæ, in Collegiis Complut. Salmant. & R[illegible] Professore, & in Hispalensi Vniversitate Primario Moderatore, ejusdem Archie[illegible]odali Examinatore, supremique Inquisitionis Senatus Ce[illegible]






COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud CORNELIVM AB EGMOND & Socios.
M DC LV.

EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI,
DOMINO,
D. ANTONIO DE LA CERDA,
DVCI
MEDINÆ CÆLI
ET DE ALCALA;
MARCHIONI
DE COGOLLVDO ET ALCALA
ET CIVITATIS TARIFÆ;
COMITI
CIVITATIS S. MARIÆ
ET MAGNI ILLIVS PORTVS,
ET COMITI DE LOS MOLARES;
DOMINO
OPPIDORVM LOBONIS, DEZÆ, ENCISSI &c.
DYNASTÆ POTENTISSIMO,
ADELANTATVI MAYORI
HVJVS BÆTICÆ PROVINCIÆ;
COMENDATARIO DE LA MORALEJA
IN EQVESTRI ORDINE DE ALCANTARA,
DITIONIS BÆTICÆ PRO OCEANI LITTORE
VIGILANTISSIMO PARITER ET FORTISSIMO
ARCHITHALASSO.

THOMAS HVRTADO C. M.
PERENNITATIS CORONAM DESTINAT.

CELSISSIME PRINCEPS,


ÆSissem fateor, in designando numine, cui ferventiorem hoc sæculo, quam par esset, litterarum palæstram nuncuparem, nî causa ipsa, ante delectum meum, te præficeret agonotheten, cum nulla nec integriorem judicem, nec illustriorem Mecœnatum expostulet. Non hic qualecumque bellum adoritur, pro aris & focis dimicatur, contra illorum ausum, qui Martyribus in agone stantibus, sanguine rubentibus & morte triumphantibus, palmam præripere gestiunt, quam confundunt: quorum gloria ut servaretur indemnis, non alium posset Patronum compellare, sanguinis prærogativa, virtutis merito, animi ardore, litterarum præstantia. Huc indubie collimare videntur clamores illi, quos Ioannes Apocal. VI cap. excepit, sanctorum subtus altare vociferantium: *Usquequo Domine (Sanctus & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* qui utpote vindicem omnipotentiam divinam ad judicium impellunt, quia sanguis effusus in Fidei testimonium, & mors quasi ad amplexus invitata, propter Dei Verbum, aliunde à

de à novatoribus denigratur , & Martyres vocari volunt,quorum nec ſtillâ ſanguinis rubuit veſtimentum. Ad terram uſque ſparſus primi fratris innoxius ſanguis ad cœlum ejulatus extulit; altiſſimum Dei brachium , diſtricto ferro , in fratricidam provocans. Nec minori nunc æſtu martyrum querelas accepimus adverſus falſos fratres , qui ſpecie Religionis illorum immortalem gloriam obſcurare contendunt,ut nec immerito de eis proferre poſſimus , quod elegantiſſimum Eccleſiæ Oraculum cecinit ſeſe in odium veræReligionis armare.Accingitur ergo Deus ad interfectorum vindictam , juſtitia , potentia & veritate ; & iiſdem ſtemmatibus inſignitam (prout fert captus humanæ tenuitatis) Martyres tuam adeunt Celſitudinem ut juſtitiâ illorum jus aſſeras,potentiâ protegas,veritate confirmes. In hanc cauſam, nec ſine juſto zelo accenſus arripui calamum:educ Tu invictiſſimum enſem,imo ambidexter,neſcio an melius enſe quam calamo , glorioſiſſime defenſionem ſanguinis pares : ita conveniunt in Principe uno , quæ hucuſque inter ſe inimicâ videbantur manu decertare , calamo evincere , ut ſic denuo in lucem repro-

 ducas,

ducas, quod sæculis plaudentibus Catholicæ Antiquitatis veneranda canities pronuntiavit. Martyrum honos illis duntaxat hodie defertur, qui mortem pro Chtisto *obstinatione animi*, ut loquitur Tertullianus, constantissime subiere. Olim verò etiam eis aptatus est, qui à confessione nominis Christi, nulla tormentorum atrocitate aut humanæ potentiæ terrore revocari potuerunt, quos eleganter Tertullianus *designatos Martyres vocat;* quasi illa confessione constanti sigillati, aut stigmatizati ad Tyrannidem irridendam: eaque fuit nominis æquivocatio, ut non defuerit Auctor, nec vulgari litteratura tinctus, qui nomina *Confessor & Martyr*, Synonymiam crediderit redolere: immeritò tamen; cum, si S. Cypriano fidendum sit, nomina distinguantur, quæ utpote diversa munera signent. Sic enim loquitur: *Posteaquam verò & tormenta venerunt, sive jam tortis fratribus nostris, sive adhuc, ut torquerentur, inclusis, ad corroborandos & confortandos eos noster sermo penetravit:* quod, ut ejus Scholiastes exponit, ita usurpare licet, sive jam tortis fratribus, id est mea quidem sententiâ, *Martyribus;* sive adhuc, ut torquerentur, inclusis,

clusis, id est, *Confessoribus*. Isto enim aliquoties utroque nomine Cyprianus sine discrimine utatur, cum Aurelium, Celerinum & Numidicum tormenta passos, Confessores appellat. Hoc ita esse certissime constat, quia omnis Martyr Confessor est: qui enim patitur, ardentius confitetur. Non tamen è converso Confessores vocaret Martyres, quia hujusce nominis usurpatio illos amplectitur, qui vitæ integritate, non pulvere athletico, Christum evulgârunt. Quorum labores disertissime Cyprianus delineavit, inquiens: *erat ante* (id est, Ecclesia) *in operibus fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea; in cælestibus castris & pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi ob gloriam coronentur.* Vnde qui novissime scamma virtutis & pacem charitatis, sine judicio luminis aut coloris, nulla intercapedine desidere blandiuntur, tela congerunt in sanctorum Patrum validissima agmina; quorum quanto Tu (Celsissime Princeps) devotiorem clientelam profiteris, debes & pro ipsis ad uberiorem victoriam præparari. Vt sic, non tantum animi tui facinora, ad externorum hostium superbiam prosternendam oculos intendisse, suspicemur,

 verum

verum etiam ad infringendam frænandamque civilium adverſariorum audacitatem, eò periculoſiorem, quò pietatis præſidio certamen inſtituere gloriantur, putantes, ſe maximum obſequium Deo impendere, ſi cæleſtem militantis Eccleſiæ Hierarchiam, quæ impermiſtos ſervat Laureolarum colores, extra ordinem ima ſummis interturbare perſuaſerint. Ab hoc ergo nævo Sponſæ pulchritudinem ſpongia tuæ Authoritatis exterge; quod facies, ſpero. Vale Strenuiſſime Dux, & fata ferant, ut orbis plauſus vovet; quod præcor, præcaborque ſemper. E Muſæo noſtro,

EXCELLENTISSIME

PRINCEPS,

Poſt manuum oſcula

Se ſe tuo obſequio æternum devincit

THOMAS HVRTADO

C. R. M.

CEN-

CENSVRA
Collegii & Cæsareæ Vniversitatis S. Th. Aquinatis Hispalensis, Ordinis Patrum Prædicatorum.



X Commissione Domini Doctoris D. Ioannis Baptistæ Ortiz de Espinosa Provisoris ac Vicarii Generalis Hispalensis &c. Has Orthodoxas Morales, Scholasticas, Historicas Resolutiones à R. P. M. Thoma Hurtado Clericorum Minorum à Nobis examinandas accepimus, ac summo studio iterum atque iterum recognovimus, atque in eis nihil dissentaneum offendimus, utique verò plurima, ex quibus Christiana Religio emolumentum referat & splendorem. Felici profectò auspicio antelucani præcursoris (libri scilicet nuper talis tituli velamine obumbrati) jam splendor affulget. Sol, inquam, præcedentis Luciferi jubare syderatus, nec non cunctis sapientiæ Professoribus à longo tempore concupitus. Ecce enim salubri Phœbeæ lucis fulgore exoritur, cujus radiorum virtute spissæ tenebrarum nova caligo funditus dissipatur. Quis itaque tanti luminis illustratus suum jam digito non designabit Authorem? Qui adeo doctè consonæ Patrum lyræ fidibus digitos adaptavit, ut nulla unquam fidelium aures numerorum dissonantia perperam obstruxerit: potissimum in hoc Controversiarum Tomo, ubi, non minore eruditione quam suavitate, canoro elucubrationum pectine Orthodoxæ melodiæ fila veluti citharædus mirificus pulsat, non solum antiquæ consonantiæ dulcore animos mulcens, verum etiam, absurdum Novatorum celeusma exosus, chordas accommodat. Hic in mentem venit quod Plutarchus ille celebris de duobus citharœdis accurate animadvertit, quorum unus vocabatur Phrenides, alter vero Ephorus: ille omnino erat novo modulandi genio ductus, propriâ phantasiâ summopere fretus, imo exactæ antiquorum normæ se conformare renuebat. Lyricum quodam die certamen, novis Musicæ armis legitimis suæ ideæ partubus, cum Ephoro iniit, cui novam Chelyn, seu barbiton duplici chorda usitatis superaddita pulsandum tradidit. Verum Ephorus inspectâ adversarii astutiâ, fixas citharizandi leges adulterino sonitu confundere nitentis, iracundiâ excitus fides superadditas dirupit, exclamans: Noli depravare Musicam: Prisci Cantores non noverunt nisi septem chordas, quibus aliquid addere, erit Artis corruptela. *Haud secus noster peritissimus Citharædus incedit, absonas novorum Musicorum fides tritæ veritatis regulæ, dulcisono Patrum instrumento, usitatis Pontificum decretis, solidæ Ecclesiæ consuetudini denuo adjectas extemplò præcidit; quasi in Proverbiorum verba prorumperet:* Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt tibi Patres tui. *O utinam vetus hæc doctrina arrideret Neotericis, quibus procul dubio non novum apparebit quod Propheta Regius cantandi arte instructissimus nobis concinit Psal. 32:* In Psalterio decem chordarum psallite illi. *& statim subdit:* Cantate ei Canticum novum. *Vbi liquet Psalterium esse vetus Instrumentum: & quamvis hortetur Propheta nova Cantica, non tamen novo, sed antiquo & usitato instrumento coaptanda. Vnde patet, minime impediri quin novi discursus ingeniorum textrina ordiantur. Ast hujusmodi nova inveterato Psalterio cohæreant, hoc est, sacris Canonibus, Canonicis libris, Ecclesiasticis sanctionibus, & communi Ecclesiæ Doctorum, & Patrum intelligentiæ (ut inquit D. Augustinus) minime discrepantia à suavi præceptorum concentu; nec detestentur, aut rejiciant Harmoniam hujusmodi quantumvis diuturnitatis vicissitudine repetitam. Siquidem anilis vetustatis canities potiores venerationis titulos sibi adsciscere videtur. Quam bene (bone Deus) hic noster Author novam citharizandi harmoniam antiquæ artis regulis accommodat, non modo, ut singulæ hujus operis cordulæ veteris disciplinæ instrumento coaptentur, sed etiam ut alios ad præfixam citharizandi normam, solidam discurrendi methodum, regium incedendi tramitem intendat allicere. Ea propter censemus, ut hoc opus in lucem prodeat, quo & ut Sol splendidus eruditionis suæ radiis Orbem circumdet, tenebras fuget, terras fœcundet; ita pariter & ut argutus Citharædus mira veritatis consonantia cunctorum aures mulceat, sensus foveat, animos jugiter delectet. Ita subscripsimus in hoc Collegio Majori, ac Cæsarea Vniversitate D. Thomæ Aquinatis Hispalensi, die 11 Martii, Anni 1652.*

Cap. 22.

Psal. 32.

Fr. DIDACVS DE BASTOS Magr. & Rector.

Fr. ILLEPHONSVS ÇARÇISA Magr. & Regens.

Fr. THOMAS FRANCO.

Fr. PETRVS CHACON Magr. & Cathedralicus SS. Scripturæ.

C E N S V R A

eruditissimi Viri, sapientissimi Doctoris

D. MARTINI VAZQVEZ, DE SIRUELA,

Almæ Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis Senatoris Sacri, &c.



EX decreto D. Doctoris Domini Ioannis Ortiz de Espinossa, Provisoris & Vicarii Generalis hujus Archiepiscopatus Hispalensis, eximium hoc de Martyrio Syntagma, cum suis Appendicibus à me perlectum, ac sedula opera bis, ter evolutum, dignissimum censeo, non modo luce Typographica; sed omnium præterea recte Sapientium plausu & commendatione. Equidem de *Concilio luminis*, ut Tertulliani verbum usurpem, morosius perscrutari, vel etiam tantisper hæsitare, vetat rei indignitas. Quid enim? fulgentissimum opus, & quod è lucis patria felicitate sæculi ad nos delapsum prope est ut dicam, de luce videnda in consultationem vocabitur? Absit. Ipsum se suis facibus in apricum proferens, non tam lucem ambit, quam in sinu gestat; & quidem gemino splendore conspicuam: tum ab Scriptoris ingenio, facundia, eruditione; quæ cum iteratis lucubrationibus Orbi litteratorum dudum inclaruerint, non est quod in iis prædicandis frustra tempus conteram: tum ab adoranda Martyrum purpura, qua undique rubescit *usque ad pulcherrimam* (quod ait Cassiodorus) *ebrietatem*. Enimvero cum inter egregias purpuræ dotes lumen censeatur, quamobrem & *lumen purpureum* elegantissimus Poëtarum extulit; quid tandem luculentius, quidve nitidius hoc Opere existimari possit, cui splendida Martyrum purpura, quanta quanta est, Auctarium claritatis accedit. Scimus olim in Aula Byzantina quisquis in spem Imperii educebatur Πορφυρογεννητῶν. Appellari solitum; quasi in purpura editum, unde augurium captabant ad Regiæ dignitatis fastigium. Quo felici omine præclaro huic Syntagmati regnum Theologicum quodammodo portendi video: quippe in purpura natum & eductum, adeoque vere Porphyrogenitum: hoc est principali fastigio destinatum; quale nimirum ominabatur Claudianus Honorio suo à Purpureis Natalibus & educatione

Tertul. de Pal.

Cassio. l. 1. ep. 2.
Virg. 1. Æneid.

—— Patrio felix adolescis in ostro
Membraque vestitu numquam temerata profano
In sacros cecidere sinus. ——

Putet aliquis ad hunc librum respexisse Poëtam, adeo concinnè, & quasi sponte sua singula verborum in illum cadunt. Etenim, ex præscripto Philosophiæ, Objectum & Mentis facultas mutuis amplexibus notitiam pariunt. Sic tamen ut in eo conjugio potiores partes ad objectum spectent, viriliaque munera obire certum sit: quandoquidem per species ab se transmissas Mens velut ratione gravidata concipit omnium rerum Formas; unde in multijugam Notitiarum segetem erumpit. Ad hæc, cum totus hic Liber nihil sit aliud quam absolutissima quædam & γνησία Martyrii tractatio sublimisque notitia; consequens est ut præstantissimum objectum, Martyrium & Martyres, id est, cœli Proceres, Aulæ Divinæ Πορφυρογεννήτας felicissimo augurio nacta, eorum legitima soboles rite sit censenda, & universum illum Purpuratorum cœtum parentem agnoscat, nec aliquid terrenum spiret in eorum sinum excepta. Ergo recte Claudianus:

—— Patrio felix adolescis in ostro.

Ita res habet. Inter vernantem Martyrum Purpuram ac sanguinis fluentes rivos hic fœtus, cui soli contigit à Patre rubere, satus, irrigatus, adolevit longum in ævum perennaturus. Idcirco tanquam germana Martyrum Proles, vindex Paterni sanguinis, nothis quibusdam ac insititiis fœtibus bello indicto, per cædes, per strages armorum & alte impressa vulnera, hæreditatem & gradum non suum adire prohibet.

De velis Phœnicei coloris id monumentis litterarum consignatum memini, quod vel oculis testibus quisque doceri poterit, iis scilicet locis, quibus intenta sunt consimilem colorem aspergere, per transmissionem lucis, adeo, ut quidquid illis subjectum est aut vicinum, subitario quodam rubore inficiatur. Qua de re Ovidius eleganter cecinit:

Ovid. l. 10 Metam.

Inque puellari mixtum candore ruborem
Traxerat, haud aliter, quam cum super atria velum
Candida purpureum, similem dat & inficit umbram.

Eadem apud Lucretium invenies, & quidem latius circumducta, è quibus hæc pauca retulisse sit operæ pretium:

Lucret. l. 4.

—— Et omnem
Scenai speciem patrum, matrumque Deorumque
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore.

Sed qualis iste Rubor? sane in ipsis velis unde manat nativus, stabilis, immotus, & qui per nullas lucis vicissitudines infringatur vel evanescat. Ast in rebus suppositis, ad quas devehitur umbræ ministerio, fluitans, umbraticus, & ad minimam lucis inclinationem, fugitivus. Simile quidpiam de Purpura Martyrum cogitemus licet: ea nimirum instar veli expansa haud modicam Regiæ cælestis partem obumbrat: unde ad quosdam alios beatorum globos, qui merito & coronis proximi sunt Martyribus, quasi ad umbram eorum sedeant, color ille transmissus, Rubore quodammodo inficiuntur, ipsisque adeo Martyribus perquam similes evadunt. Cæterum tali temperamento hæc fiunt, ut in ipsis Martyribus nativus sit ille Rubor, constans, perpetuus firmiorque quam ut à lucis

à lucis trajectione pendeat. In iis vero, qui propter adfinem Martyrum Purpuram Ruborem contrahunt, aliam atque aliam faciem ostentat. Nam sub ea luce dum manent, aliqua quidem Martyrii aspergine perfunduntur; sed quæ imaginem tantum & umbram efficiat: quapropter, luce reciprocante, nutat ille color, & alieni muricis impressio deprehenditur. Nunc vero inter utrumque hunc Ruborem ne adfinitas fucum faciat & dolo malo vel inscitia permisceatur, hic Liber dispuncturus prodit, operose ostendens, ecquid sit discriminis inter γνησίους Martyres, qui vere illustrantur resplendentque *arcto lumine Purpuræ*, ac illos, qui ad umbram Martyrum confidentes per Ruborem ab iis contractum speciosam Martyrii Purpuram potius repræsentant, quam habent. Sed nondum Claudianum exolvo, apud quem sequitur:

Claud. de 4. Consul. Honorii.

Membraque vestitu numquam temerata profano
In sacros cecidere sinus ———

Appositissime ad rem nostram. Nullum segmentum profani coloris assutum huic libro, quod puniceam Martyrum vestem attaminet, vel ardentem muricem diluat. Quidquid dedecet fortissimos bellceares procul esse jubet. Nec solum id impense cavet, ne inter eorum florentes opes

Infelix lolium & steriles dominentur avenæ.

Sed subinde fœlices quasdam herbas, floresque pulcherrimos in hanc areolam transduci abnuit: ne videlicet, ordine rerum post habito, candor Liliorum inter Rosas succrescat: cum nihil æque cælum venustet ac modulata siderum distinctio: dum quodque locum ac stationem suam tuetur, nec alterius fines invadit. Nam & stellis non unus claritatis modus, & manentes in ordine suo manipulatim interstinctæ invicti sunt roboris, nec non Deo militare dicuntur. Adque huc etiam pertinere, arbitror, prudentissimam Theodorici Regis cautionem, qua, quidquid profanum, vel de labe suspectum sit, arcet à Purpura, ut etiam infectoribus præscribat castitatem in hæc verba: *In illis autem rubicundis fontibus cum albentes comas serici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem; quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda.* Quod si pro *albentes comas serici*, *calamum* rescribere placeat, & ad puritatem, quam solius corporis Theodoricus exigit, Mentis etiam atque doctrinæ castitatem adjicias, habebis utique in iis verbis, tum operis hujus, tum doctissimi Authoris perquam elegantem effigiem suis coloribus expressam. Is quidem rerum, quas hic edisserit, secreta refugere immunda probe gnarus, dum *in illis rubicundis* Martyrum *fontibus* calamum *intingebat*, tantam adhibuit Mentis ac doctrinæ *castimoniam*, ut (quod mireris) ex sanguinea nigredine (talis enim Purpuræ succus Cassiodoro) nihil non alba linea signaverit. Quid? quod Claudianus non modo scripti Natales Regios, quod hactenus prosequuti sumus, sed scribentis etiam Natale solum nobis præsagisse videtur, cum è vestigio subjicit:

Apud Cassio l. 1. ep. 2.

——— *Hispania Patrem*
Auriferis eduxit aquis ———

Nam hujus textus accuratus Artifex natales repetit è Toletana Vrbe, quam Tagus fluvius aureis imbribus locupletat; quo nomine prioribus sæculis haud modice Beatam, adfatim Beatiorem imposterum reddit hæc Purpura. Hoc meum de præsente Opere judicium, in quo explicando, etsi plusculis egerim, plura me pressisse quam expressisse, fateor, spaciis inclusus iniquis. Datum Hispali, pridie nonas Martii, 1652.

D. MARTIN VAZQVEZ SIRUELA.

Cometesse la Censura de estos dos cuerpos al Collegio de Santo Thomas de Aciudad de Sevilla al Señor D. Siruela Prebendado de la Santa Iglesia de Sevilla. en esta ciudad a 8 de Feb. de 1652.

El Dr. Don Iuan Baptista Hortiz de Espinossa Provisor & Vicario General de Sevilla y su Arcobispado, por el Illustrissimo y Reverendissimo Señor Don Frai Domingo Pimentel Arcobispo de Sevilla, misser. del Consejo de su Magestad, &c. cometo al Señor D. Don Martin Vazquez Siruela Canonigo de la santa Iglesia Metropolitana desta Ciudad de Sevilla. Vea los dos cuerpos deste Libro intitulado *Resolutiones Orthodoxo-Morales, Scholasticæ, Historicæ*, compuesto por el Padre Thomas Hurtado de los Clerigos Menores desta dicha Ciudad y de su Censura fecho en Sevilla en ocho de Febrero de mil y seis cientos y cinquenta y dos años.

El D. IUAN BAPTISTA HORTIZ DE ESPINOSSA.

BAR. FRAN. de BVST.

Con-

Concedesse la Licencia que se pide por lo que toca al ordin. Sevilla y Marco 9. de 1652.

El Dr. Don Juan Baptista Hortiz de Espinossa Provisor y Vicario General de Sevilla y su Arcobispado, por el Illustrissimo y Reverendissimo Señor Don Fray Domingo Pimentel Arcobispo de Sevilla missor. del Consejo de su Mageſtad &c. Doy Licencia por lo que toca a la jurisdicion ordinaria para que se puedan imprimir e impriman los dos cuerpos del Libro intitulado, *Resolutiones Orthodoxo-Morales, Scholastica, Historica.* sin por ello incurir en pena alguna que para ello doy esta Licencia en bastante forma. Fecho en Sevilla en nueve dias del mes de Marco de mil y seis cientos y cinquenta y dos años.

El Don IVAN BAPTISTA HORTIZ
de ESPINOSSA.

Por mandado del Provisor
BARN. FRAN. de BVST.
Nott. M.

LICENTIA
Reverendissimi admodum P. Provincialis Hispaniæ Provinciæ.

BAsilius Varen, Præpositus Provincialis Clericorum Regularium Minorum hujus Provinciæ Hispaniæ, &c. Cum liber, cujus inscriptio est: *Resolutiones Orthodoxa-Morales, Scholastica, Historica, &c.* Authore P. Thoma Hurtado, ejusdem nostræ Religionis, Sacræ Theologiæ Professore; ab aliquibus nostræ Religionis Theologis, quibus id commisimus, approbatus fuerit: ex commissione Admodum R. P. N. Raphaelis Aversa, Generalis totius nostræ Religionis, facultatem concedimus, ut typis mandetur: dummodo à cæteris, quibus hoc munus incumbit similiter approbetur. In cujus fidem has litteras dedimus nostro nomine subscriptas, & à nostro Secretario, nostrique Officii sigillo munitas. Madriti, in nostris ædibus Spiritus sancti, die decima tertia Mensis Decembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo.

BASILIUS VAREN, Provincialis
Clericorum Regularium Minorum.

De mandato P. Nostri Provincialis,

Antonius Vazquez, Secretarius Provincialis
Clericorum Regularium Minorum.

VERI-

VERITATIS STVDIOSO LEGENTI.



Ibi, inquam, aliis enim, quos vel dogmatica obstringit protervia, vel cujuslibet novæ doctrinæ ventus rapit leviter, & circumfert, minime NITELA nostra usui, quæ *antiqui sacratissimi vindex Martyrii.*

Prodiit anno 1649 novus de novo Martyrii genere; *de proprio scilicet caritatis, & misericordiæ* liber, qui contra venerandam Patrum canitiem hujuscemodi in re adeo gravi novitatem Catholicæ Ecclesiæ inducere ausus, cordatorum animos inopinato dogmate perculit. Qua de causa ad Sacram eminentissimorum Cardinalium Congregationem Indicis delatus, sedulo dispunctus, utpote improbabilia, & novitatum semina continens jure expunctus est, lectione ejus fidelibus interdicta.

Nec adjuvantis defectu, vel imperitia Pater infelicis fœtus abortum sibi accidisse unquam causari licebit; quandoquidem ut sub Astro secundo liber ederetur, lucisque æterna frueretur usura, sic sua sacra Religio parturientem illum obstetricata est, ut ab aliquot doctis viris (tunc incautis) ad probationes clandestinas extorserit, intendens niveo authoritatis adventitiæ caducro improbabilitatis fœditatem libro ipsi congenitam honestare.

Frustra conati, haud potuere gravissimorum PP. qui Thomisticum Hispalense Collegium (toto terrarum orbe percelebre) constituunt subscriptionem expiscari, aut me in Autoris noviloquii (saltim pro numero adprobantium augendo) trahere.

Quin veritus; ne perniciosa, quæ in tali libro continetur doctrina, clanculum & paulatim serpens, novæ specie subtilitatis, aliquod deciperet, & in eos virus peregrinæ doctrinæ evomeret; calamum arripere decrevi, ut imminenti morbo principiis obstarem, atque facilius Hydræ è palude Lerna rediviva pullulascens capita resecarem: secundo peculiare cum Theophilo Raynaudo certamen initurus, quo cum Ἀνταγωνιςῇ jam dudum in palæstræ literariæ pulverem descendi; quum illius librum, cui titulus: *Error vulgaris communio pro mortuis* (non sub dexteriori Lucina editum) *volumine 2 meorum Tractatuum moral. tract. ultimo variarum resolutionum, impugnavi.*

Tibi igitur, prudens Lector, hunc mearum lucubrationum quintum Tomum, qua potui, elaboravi cura, curis cum in hoc Regno publicis, tum privatis Consultationum, quæ & à nostris & ab aliis exteriorum Regnorum frequentissime mihi mittuntur supra vires occupatus, quarum resolutiones non exiguum vitæ spatium subripiunt, & animum ab scriptionis intentione distringunt, alioque sæpicule avertunt.

Permisi calamo quater digredi, (ut in operis foribus pro antepigmentis inscripsi) verum ita ut ex stadio, intra cujus metas cursus contineri debuit, non egrederetur. Vnde potius ex triplici digressione contextum circum amiciri, quam interrumpi spero tibi fore videndum: quum germana intelligentia quorumdam Canonum Illiberitani Concilii difficilium; nec non variorum notitia instrumentorum, (quibus inconcussa Martyrum constantia à Tyrannis vexata est) principali tractationi non parum venustatis adferat, & Ecclesiasticæ Historiæ non parum lucis.

Ago *de Chori antiquitate, deque utilitate & fructibus.* Nam à nonnullis Vulpeculis astu vaferrimo vinea Domini infestatur, & si non videam botros Christi bono odore fragrantes, (quos Vinea Domini ab Hymnodiæ, & Psalmodiæ operam navantibus operose pastinata mirabili proventu refert,) demoliri quia vel ad hoc ingredi Chorum horrent certe ut minori à Catholicis veneratione habeantur, quam tot retroactis sæculis æstimati sunt à primordiis nascentis Ecclesiæ aperte curant.

Huic autem *Digressioni* non inepte *Appendicem de Tonsuris, & Coronis Gentilitatis, Iudaismi, & Christianismi* adjunxi; eo quod antiquitus intonsuratis, quamquam nobilissimis, Chori aditus omnino prohibebatur. In qua Tractatiuncula Prosperi Stellarii petulantiam cohibere curavi, qui, ut novitates suas impudenter ingereret, indecore satis de priscis Ecclesiæ Patribus loquutus est. Tandem 43 de restrictione mentali tam in verbis, quam in factis in ultimum locum remisi, utpote quæ ad veram veri cognitionem Martyrii pernecessaria sit.

Quam

Quam utilia omnia hæc, quam difficilia, ut quæ vix, & ſparſim ab authoribus tacta, quæque ſine magno labore, attentoque antiquitatis indagine colligi non potuere, *tui*, & aliorum, qui res dijudicari norunt, eſto criſis.

Si vero iſta, eadem benevolentia, ſtudioſe Lector, à *Te* ſuſcipi cognovero, quá meos Præcurſores Philoſophum & Theologum & alia duo volumina Tractatuum moralium ſuſcepiſti, ut primum potuero hunc tomum ſextum, in quo *de Privilegiis Fidelium*, *& obligationibus Miniſtrorum* utriuſque fori, in utroque foro tempore peſtis ſufficienter tracto, & alia duo volumina *in Summam Eminentiſſimi Cajetani* ſubſequentur. Nec non alia, (ſi vita comes) quorum titulus *Paralipomena ab Eminentiſſimo Cajetano*, &c.

In his omnibus perpetuum S. Thomæ Adſeclam, pro ut ab ejus Dominicana Schola florentiſſima explicatur; non pro ut ab aliis ſcruta vendentibus tergiverſatur, me oſtendere animus fuit, eritque.

Tu, ingenue Lector, boni hunc meum laborem conſule, illo interim fruere, ac de rep. literaria benemerendi tuiſque ſtudiis juvandi voluntati fave.



SAPIEN-

SAPIENTISSIMO MAGISTRO,

Eruditissimo scriptori, Patri Religiosissimo,

THOMÆ HVRTADO

Ex Clericorum Regul. Minor. familia,

F. ANTONIVS A IESV MARIA

Excalceatus Carmelita,

Salutem, & fœlicem in cursu litterario consummationem.



Ostquam à Te recessi (sapientissime Pater) *non minus Tecum, quam, quum apud Te fui.* [1] *Legi enim librum tuum*, quem (liceat mihi, Toletanum scriptorem de Martyrio scribentem adloquens, verba Toletano Archiepiscopo, etiam de Martyrio scribenti, olim conscripta usurpare) [2] *juxta congenitum litterarum studium non discutiendo, sed admirando percurri.* [3] *Rem fateor nullis colcratam fucis, nullis nebularum depictam mendaciis; quia non sum simulandi artifex:* Sæpissime inter legendum exclamavi: [4] *O liber multifariam pollens! O eloquium non exilis, sed subtilis ingenii, quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per rapinomata depressa tenuatur:* verum [5] *masculæ dictionis brachiis æquale* semper excurrens universum armorum adparatum *ad certamen adduxit.* Quare non vereor ab iis, qui aliorum studiis æquos Arbitros, etsi non benignos, præbere se sciunt, adulatoris stigmate designari, si totum librum prædicavero: [6] *Materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstrictum, disputatione reseratum, & quanquam propter humana*, seu scholastica *syllogismorum puncta, tribulosum, vernantis tamen eloquii flore mellitum.* Flore quidem non purpurissantis Cariophylli, sed Tymi proficui, qui ad gustum, & refectionem natus, non est contentus oculos allicere, suavissimum efflare odorem. Ideo [7] *dum favos loqueris, & per domos cereas doctrinæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis saporem epuli divitis infudisti.* & quam divitis? Quam *noviter vetera* ab Antiquitatis origine per aurea incilia exquisitæ eruditionis derivata; quæ primordiali nitentia puritate, ex ipso tamen discursu (Aquæ instar salebrosa per declivia præcipitis) limpidiore subtilitate rarescunt. Profecto [8] *Res ardua vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & naturæ suæ omnia.* & (quod magis docti mirabuntur) in opere adeo vario ut *stromatæi* ab Alexandrino Clemente non immerito possis cognomentum mutuari, [9] *Magna est rerum consonantia, & alterum pendet ex altero; quidquid adsumseris, vel finis superiorum est, vel initium sequentium.*

Dum *de antiquo Martyrio, deque variis tormentorum instrumentis* sedulus primitivarum Historiarum indagator tractas, [10] *inlustrasti purpuras ejus.* Dum *Illiberitani Concilii difficilium Canonum germanam intelligentiam* eviscerας, abstrusam huc usque talium [11] *utilitatem legum futuris seculis consecrasti.*

Ecquid de necessaria valde Tractatione dicam, qua *Chori Antiquitatem* è situ elapsarum tot ætatum vindicas, *utilitates* perpendis, *fructus* excolis? Ecquid de Adpendice, (vere totius operis coronide) ubi *de Tonsuris, & Coronis* à Gentilitio ad Christianismum satis concinne discurris? [12] *Deus bone in quantos usus se dives lingua dispergit?* [13] *Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Eschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius.* & [14] *si de sanctis Patribus aliquid dicere audeamus: Tu* (Reverendissime Pater) *ab unoquoque quattuor fluminum Paradisi, quæ post sanctos Evangelistas totum Orbem irrigant, aliquid simile reportasti: Quia cum Hieronymo velox, cum Augustino profusus, cum Ambrosio profundus, cum Gregorio clarus incedis.* Ea propter, [15] *quum tuas opes in usus Pauperum prodigis Tibi certe maxime, sed aliis quoque consultum facis. Proinde nihil est tam infœcundum actionum omnium tuarum, quod Tibi uni, & non multis Tecum uberem fructum ferat.* Immo adeo multiplices fructus, ut, si ipsissimum (minus Latine loquor) non semper adservarent saporem, à pluribus, iisque feracissimis, & non ab una tantum arbore crederemus proventos. Nec in *Te* hoc mirandum; sed in hoc *Tu* mirandus. Quandoquidem [16] *addis ad tempus, quod otio tuo detrahis. Nihil somno, nihil epulis, nihil otio tribuis. Ipse Te naturalium, necessariarumque rerum usurpatione defraudas, totus commodis publicis vacas.* [17] *Posterorum negotium agis.*

Hocce laudabili zelo comestus maximopere tuis scriptis curas, *Novitatem, malam fruticem bonos fructus nunquam facientem*, sed austeros acerbosque, stirpitus è campo litterario eradicare, ne latentibus sub terra fibris serpat, & postmodum repullulantes surculi in densos foliorum papilliones expansi lucem almæ veritatis obumbrent.

Alte mecastor à Paulino calice propinatum quod ebibisti, servas; dum sic [18] *Depositum custodis.* [19] Nam si *depositum est, quod custodiendum alicui datur*: nemo huic cœlesti Ecclesiasticæ doctrinæ thesauro inconniventius invigilat, quam qui sic strenue adversum illum diripere gestientes

[1] Plinius nepos lib. 9. epist. 31.

[2] Alvarus Gottus epist. S. Eulogio, qui librum Documentum Martyrii intitulatum scripserat. volum. 9. Biblioth. p. in nost. 914.

[3] S. Ennodi lib. 1. epist. 3. volum. 6. Biblioth. part. 1.

[4] Sydon. Apollin. epist. Claud. Mamerto volum. 4. Biblior. pag. in nost. 834.

[5] S. Ennod. lib. 1. epist. 4.

[6] Sydon. Apollin. ubi sup.

[7] S. Ennod. lib. 1. epist. 9.

[8] Plinius in prolog. Natural. Histor.

[9] S. Hieronymus epist. ad Paulin. de instit. monast. incipit: Bonus homo. volum. 1.

[10] Indidem.

[11] Indidem.

[12] S. Ennodius lib. 1. epist. 1.

[13] Sydonnius Apol. ubi sup.

[14] Petrus Pictavensis epist. ad Pet. Cluniacens. extat ante hujus opera volum. 12. Biblioth. par. 2. pag. in nost. 12.

[15] Sydonius ubi supra.

[16] Mamert. in Panegyrico Iulio Cæsari pro suo consulatus gratiarum actione dicto. pag. in nost. 160.

[17] Seneca epist. 8.

[18] 1 ad Timoth. cap. ultimo.

[19] L. 1. ff. depositi, vel contra.

stientes

* Καινοφωνίας legit Chrysostomus, ut notat Theophilactus ad locum Apostoli. Benedictus autem Arias Mont. & Erasmus per ε. non per αι. hoc est inanitates, aut vacuitates.

stientes *prophanis vocum novitatibus**, (ut legit Chrysostomus; seu *inanitatibus*, ut alii,) decertat: quique venerabilibus Patrum vestigiis, ita perpetuo studet insistere, ut nullum, quam eorundem *Adseclæ* cognomentum sibi existimet gloriosius.

Vnde vel isto uno nomine *Tibi* sacratiorum Musarum cultores innumera deberent gratiarum officia rependere. Rependent tamen, (quicquid venenoso genuino mordeat invidia; quicquid

[20] *—— Nec patiens magnas exsurgere laudes,*

Te inter ceteros sapientiæ Antistites insectetur) ô utinam dum [21] *Mira altitudine sublimis ingenii, lectissimisque moribus, & incomparabili, cum disputas, aut scribis, facundia omnes hujus seculi sapientes in admirationem tui facile convertis*, ut Mirandulanus ille alter Comes; *gravissimo opere, tanta eruditione, atque vehementia Astrologos totius divinationis vanitate confutata persequutus est, ut subtilium disciplinarum Professores à scribendo deterruisse videatur*: sic *Tu* isto doctissimo tuarum lucubrationum *quinto volumine*, cui neque vehementia deest, neque eruditio; Zizania *Tritico* Patrisfamilias interseminantes.

[20] Silius lib. 17.

[21] Paulus Iovius in elogiis Doctor. virorum pag. in nost. 76.

* [Ὡς εἰ ἰδ αἔυδυ ἀριςερ χαμμάϚ μῦσα.]

* Quas litterulas Musa docuere sinistra.

procul ab Ecclesiæ agro elimines; ut novis cottidiæ grana Divini seminis incrementis turgentia, fidelium cordibus sata in mites segetes crescant, & maturentur.

[22] Igitur, *ut faciam compendium orationi meæ, licet damno voluntatis*; ne laudatiuncula hæc, (minime rei veritati suppar) copia fiat laudum suspecta: Immensas Deo Opt. Maximo gratias habeo; quia post marium tot æquora, post tot terrarum tractus, tot utrobique exantlatos labores, & vitæ extrema discrimina; miserabili transacto naufragio, quo phasellus, qua vehebar, ad scopulos (*Scorpii* nomenclatura Nautis infames) minutatim collisa me una cum triginta & uno sociis in voragines pelagi æstuantis projecit; [23] *quum admiratione virtutum tuarum ab ultimo* Indiarum recessu, qua*

[24] *Oceani finem juxta solemque cadentem*

excipit, & deficientibus terris sociale miscetur elementum, ad contuendum Te, venerandumque properassem, ut bona, quæ auribus ceperam, etiam usu usurparem: denique jam voti compos perbenigne à *Te* in amicitiam (licet multum dissimilis) susceptus, *Te* inveni, *Te* expertus sum [25] *Virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, nihil Tibi vindicantem, eoque adsequentem omnia, semper infra aliorum æstimationem Te metientem, vultu, vitaque tranquillum*: quem [26] *vita facit amabilem, doctrina laudabilem.* Quapropter non incongrue *Tibi* Reginæ Australis elogium transcribam; (seu verius Salomonis elogium) [27] *Major est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivi.*

[22] Mamertinus ubi supra.

[23] L. Pacatus panegyrico Theodosio Iuniori dicto pag. in nost. 95.

* ille Galliarum.

[24] Ausonius epist. 4. Theoni.

[25] C. Velejus Paterculus lib. 2. Hist. Rom. loquens de Sejano Actio Cæsaris Tiberi administro.

[26] Scriptor vitæ S. Fulgentii in prologo, volum. 6. Biblioth. pag. in nost. 4.

[27] 3 Regum 10.

Macte ergo tantis virtutibus (Religiosissime Pater) & Carpentaniam nostram condecorare, universumque Orbem scriptis tuis inlustrari, non desinas. Ac inter tot quos castissima mentis fœcunditate Salmanticæ, Compluti, & tandem in hoc Bæticæ opulentissimo emporio Minervæ filios peperisti, fovisti, & foves: me (quanquam Madridiatem in celeberrima Regali Mexicana Academia à teneriorum Musarum crepundiis adoptatum feliciter, educatumque) adnumerari patere.

Et parce, si, *quum* tuarum virtutum præconia æquius, [28] *quam multa Publii carmina, non Excalceatis, sed Cothurnatis dicenda sint.* Excalceatus ego, qui vix inter petrones, & rupices loqui deberem, inter armonicos cygnæos concentus vocalium caistri olorum, qui *Tibi* accinunt, raucedinis anser asperrimæ obstrepuerim. Vale. Ex cellula nostra in hoc Hispalensi sancti Tutellaris Collegio Carmelit. Excalceat. Primitivæ observantiæ. 10 Kalend. Octobris anno CIƆ IƆC LI.


[28] Seneca epist. 8.

R.^dæ admodum P. T. addictissimus

F. ANTONIUS à IESU MARIA.

TRACTATVS PRIMVS DE VIRTVTE FORTITVDINIS,

cujus Actus Primarius est, proprium & rigorosum Martyrium.



Ariè usurpatur Fortitudo, tam in verbo Dei scripto, quàm apud sacros & profanos Auctores, ut videre est in Balthasare Chavasio l. 3 de perfecta prudentia cap. 5. in Paschali, libro de virtutibus & vitiis c. 34, ubi de Fortitudine egregie, edisserit in omnibus fere acceptionibus, in quibus apud Patres & veteres Philosophos invenitur, qui varie Fortitudinem definiunt & describunt, jam ab effectibus, quos inducit, jam à fine, quem respicit. Vnde sanctus Hieronymus lib. 3 in cap. 6. Epist. ad Ephes. confudit virtutem animi & Fortitudinem, dicens: *Hæc apud nos est consuetudo Scripturarum, ut indifferenter ἰσχὺν ϗ ἀρετὴν virtutem nominet, maxime, quia fortitudo corporis virtus animi existimatur; quamquam & apud Philosophos inter quatuor virtutes Fortitudo sit posita: quam utique animi non corporis esse, manifestum est.* Hæc sanctus Doctor. Vnde nomen fortitudo, etsi primum sit impositum ad significandum corporis ἰσχὺν ϗ ἀρετὴν, vires & efficaciam ad sustinendum & aggrediendum: tamen propriissime translatum est ad significandum animi virtutem, non quidem generaliter dictam (etsi omnis Virtus late & improprie Fortitudo dici queat) sed specialem, imò specialissimam, quâ homo bene disponitur ad ardua & difficilia pericula, maximè mortis, intrepide aggredienda. Vnde Cicero l. 3. Tusc. postquam aliquas Fortitudinis definitiones protulisset ab Sphero Philosopho antiquo, qui bene definiendi donum habebat, sic ipse Cicero definit ex Chrysippo, *fortitudo est scientia perferendarum rerum vel affectio animi in patiendo summæ legi parens sine timore.* Cui definitioni assentiunt Seneca lib. 2 de beneficiis cap. 34. & epist. 89 ad Lucil. August. q. 31. l. 83. 11. & l. 1 de libero arbitrio c. 13. & Ambr. l. 3 de Virg. apprime adnotat. *quod fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum.* Verum, ut dixi, etsi omnia ista officia & effectus fortitudinis adumbrent, & ejus quidditatem aliquatenus indicent: tamen non enodant essentiam ejus, quatenus est medium inter duo extrema, quod est ratio generica omnis Moralis Virtutis, quod præstitit Arist. 3 Ethic. c. 6. & ex ipso eleganter Divus Thomas 22. q. 123 ad præfatum locum Ethicorum, Sect. 4. Est igitur fortitudo (de qua præsens instituitur disputatio,) *mediocritas circa metum & audaciam:* quam definitionem in sequentibus enodabo.

Quare, quando multi ex Patribus, ut Ambr. lib. 1 de officiis cap. 36. S. Prosper. lib. 1 de vita contemplativa cap. 2. Lactantius lib. 1 Institut. cap. 9. Greg. in Psal. 2 Pœnitentiæ dicunt, ad fortitudinem pertinere omnes animi motus, voluptates omnes, & carnis desideria spiritui subdere & subjugare: hi Sancti Doctores sumunt fortitudinem laxè pro ἀνδρεία & constantia in renitendo passionibus, & pro animi firmitate in honesto bono. Et sic fortitudo hic non tam est virtus specialis, quam quidam modus generalis omni virtuti: qui enim amat honestatem temperantiæ, ita ex vi hujus virtutis illi adhæret, ut illi immobiliter copuletur; hæc enim firmitas & immobilitas omni virtuti est socia inseparabilis, teste Arist. 2 Ethic. cap. 4. ita interpretatur Divus Thomas 22. q. 123. art. 2. ad 2.

RESOLVTIO I.

Quid sit Fortitudo Ethica, una ex quatuor Cardinalibus virtutibus.



T quidem quidquid sit Fortitudo Ethica & Moralis virtus specifica, & quodcumque sit ejus objectum & materia, & quoscumque eliciat actus certissimum debet esse, quod sit virtus Cardinalis, & contrarium dicere, est contra sanctos Patres & communem Catholicæ Ecclesiæ usum & praxim, qua imbuuntur fideles doctrina Christiana. Cujus in virtute morum quatuor virtutes Cardinales, cardines sunt & fundamina, ut eleganter expressit Sanctus Gregorius lib. 2 moralium cap. 36. *in quatuor angulis* (ait) *domus ista consistit: quia nimirum solidæ mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor ergo angulis domus ista subsistit: quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. unde & quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia, dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.* hæc ibi & similia habet Prosper. lib. de vita beata cap. 18. Vnde Seneca epist. 114 ad Lucil. dixit satis bene: Fortitudo est *munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile,* quod

quod qui circumdedit, sibi securus in hac vitæ obsidione perdurat. Senecæ consentit August. Serm. 13 ad fratres in eremo.

Hujus veritatis rationem, designat sanctus Doctor tam hic art. 11, quam 12, q. 61, art. 3, & 4, quia virtus Cardinalis seu principalis illa est, quæ attingit suum objectum, circa quod dicit actum, cui imprimit similitudinem spiritualem, de illo modo, qui est generalis omni virtuti morali: qui modus generalis fit specificus ex modo quo attingitur. Quatuor autem sunt hujus farinæ modi quos assignat expresse Arist. 2 Ethicorum c. 4. Primò, quod sit operans sciens circa hic & nunc, quem modum attingit prudentia subjecta in intellectu practico, quem dirigit. 2. quod sit eligens secundum rectam rationem, non rapiatur à passionibus concupiscibilibus; & sic datur Temperantia, quæ inest appetitui sensitivo concupiscibili. 3. quod propter debitum finem operetur quod pertinet ad justitiam, quæ attendit operationes ad alterũ & inhæret voluntati. 4. ut firmiter & immobiliter se habeat; & hoc pertinet ad Fortitudinem, cujus subjectum est irascibilis appetitus. Et sic, juxta Arist. sententiam & principia, quatuor sunt dumtaxat Cardinales Virtutes: quarum una est Fortitudo. Quare omnis alia virtus, sicut habet à prudentia, quod sit sciens, ita habet à Fortitudine, quod firmiter & immobiliter se habeat: omnis enim virtus moralis à fortitudine participat firmitatem operationis, sicut à prudentia rationem scientiæ practicæ. Virtutes enim Cardinales cæteras alias coadjuvant saltem in mediatione virtutis, quam ab illis participant.

Ea autem, quæ Martinus de Magistris q. 2. de virtutibus objicit, sanctus Doctor pulchre, solide & valde subtiliter enucleat. ut meus Eminentissimus Dominus Cajetanus 22. q. 123. art. 11, ubi varia dubia tangit hujus Auctoris, quæ discutere omitto, tum quia brevitati studeo, tum quia alia me vocant non vulgaria.

RESOLVTIO II.

Quod objectum Ethicæ Fortitudinis.

DVplex objectum, proximum & remotum: istud est periculum, maxime si sit mortis; illud vero sunt timores & audaciæ. Fortitudo enim medium est inter utrosque: cohibet enim timores terribilium & moderatur audacias, non enim pericula voluntatem retrahunt à rationis via, nisi in quantum timentur.

Verum enimvero fortis, timidus, & audax, circa idem objectum materialiter & formaliter ex parte rei versantur, idem enim terribile & ejusdem quantitatis & qualitatis æquale scilicet periculum mortis bellicæ omnibus istis proponitur, circa quod fortis virtuose operatur; secus verò audax & timidus: ille superabundans, aggrediens quando & ubi non oportet, iste vero deficiens, non aggrediens, sed retrahens se quando & ubi non oportet; quod totum provenit ex diversa cognitione, ratione cujus diversimode idem objectum formaliter, idem extra cognitionem, proponitur, ut egregie Arist. 2 Ethicorum c. 6 adnotavit. & ibi Divus Thomas lectio 4. quia periculum mortis in bello timenti proponitur, ut insuperabile & prope existens, ita ut evadere ipsum, si aggrediatur, nequeat, & ita refugit; at idem periculum audaci proponitur, ut longe existens & subjicibile sua potentia, à qua superabile judicatur. Et sic sanctus Doctor quæstione 123. art. 3. dicit, quod objectum timoris & audaciæ non opponuntur ex parte rei objectæ, cum utriusq; objectum sit malum: at objectum timoris & spei opponuntur, quia illius objectum est malum & periculum, at objectum istius est bonum arduum, & sic spes immediate non avertit à fortitudinis honestate, sed mediante audacià quam causat, quæ immediate facit hominem præcipitem in aggrediendo periculum, ubi & quando non oportet.

2. Notandum est discrimen, quod versatur inter justitiam ex una parte, & temperantiam & fortitudinem ex alia; quod adnotavit sanctus Doctor art. 1 hujus quæstionis, & enucleavit Dominus meus Eminens Cajetanus §. *ad horum evidentiam*, quod cum, ut ait Arist. amicabilia, quæ sunt in ordine ad alterum, proveniant ex amicabilibus quæ sunt in ordine ad se. Voluntas non indiget aliqua propria virtute ad prosequendum rationis bonum, quæ est in ordine ad se: ratio est perspicua, quia ad illud bonum sequendum voluntas est determinata quoad specificationem, cum inclinetur naturaliter in bonum suppositi sui; cum enim sit illius appetitus, implicat quod velit ex se malum suppositi, aliàs esset & non esset illius appetitus & inclinatio in bonum proprium, quod est bonum rationis. quod secus contingit, si comparetur voluntas ad bonum alterius, ad quod cum non sit inclinata, indiget aliqua virtute sibi inhærente & superaddita, ut recte eligat & bene se habeat in operando circa bonum alterius. Quare fortitudo & temperantia primario & per se non inhærent voluntati, sed appetitui sensitivo, cujus moderantur impetus effrenatos & passiones, ut dicitur 3 Ethicorum capite de temperantia. & ratio est clara, quia voluntas, quantum est ex se, & ex parte sua, est recte electiva in his quæ sunt fortitudinis & temperantiæ; & nisi obstarent appetitui sensitivi motus, timor scilicet & audacia, quibus impeditur voluntas ista recta ratione regulata absque aliqua fortitudinis virtute superaddita, recte eligeret in materia fortitudinis.

Ex qua doctrina colligitur, quod fortitudo, quæ est virtus Moralis & Cardinalis, si comparetur ad voluntatem & bonum rationis, solum habet abducere impedimenta passionum, quibus obcæcatur ratio, ne proponat voluntati suum honestum ratione regulatum quod ex se semper in medio sistit, & sic ad eligendum hoc medium ratio non indiget juvamine virtutis propriæ superadditæ. si tamen comparetur ad appetitum sensitivum, cum bonum sensibile sensibus propositum ex se non consistat in medio, nec sit rationi conforme, ut moderentur & temperentur actus sensitivi, necessaria est virtus illi inhærens eliciens actum fortitudinis & temperantiæ. Vnde fortitudo triplicem respectum aut officium habet: primum ad voluntatem, ad quam comparatur, tollens impedimenta timoris & audaciæ. Vt ipsa, ablatis impedimentis naturali propensione in bonum rationis, recte eligat aggredi pericula, quando, quomodo & ubi oportet, quæ electio est etiam in appetitu sensitivo participata à voluntate. 2. Est ad appetitum sensitivum cui inest, quem reddit firmum ac potentem ad prompte & faciliter moderanda extrema timoris & audaciæ, instantibus periculis mortis in bello. Tertium ad actum externum cui imprimit sui similitudinem, quæ est fortitudinis rectitudo, quod officium primario exercet voluntas; quæ primario est recte electiva in periculis mortis bellicæ: secundario tamen exercet ipsa fortitudo, quæ est in appetitu irascibili quatenus moderatur passiones, & audaciæ, quæ sunt impedimento rectæ electionis voluntatis, cujus fortitudo est causa removens impedimenta in materia fortitudinis, quale est periculum bellicum mortis: nam tollere impedimenta

menta in materia cujuscumque virtutis, hoc non ad fortitudinem specificam & formalem, sed ad illam virtutem, in cujus materia oriuntur illa impedimenta, pertinet. lege Cajet. q. 142, art. 2, §. *ad servandum.*

RESOLVTIO III.

Quis proprius & primarius actus Ethicæ fortitudinis.

CVm actus nostri tota quidditas in ordine ad objectum depromatur, primarii actus ratio ex primario objecto depromenda est. quare videndum, quod sit primarium virtutis objectum & materia primaria, & quidem cum præcedenti resolutione constitutum relinquamus, objectum primarium fortitudinis esse moderantiam & cohibentiam timoris, audaciæ & tristitiæ, ut optime explicat Lessius lib. 3 de just. c. 1. art. 7. cumque harum passionum objectum sit malum terribile quod primario respiciunt, videndum est quod malum terribile istud sit: an sit scilicet solum mors, quod est terribilium terribilissimum, vel illud quod est de se mortis inductivum; an vero alia etiam terribilia primario cadant sub virtutis fortitudinis objectum.

Affirmant Balthasar Chavasius lib. 3 de perfecta prudentia cap. 5. §. 3. vsf. *quænam censendæ.* ubi ait, ad materiam primariam fortitudinis pertinere mortem & quæcumque morti valde affinia, ut sunt mutilationes, infamiæ, orbitates, deportationes, invidiæ multorum; irrisiones, contemptus, odia, calumniæ, infestationes dæmonum, concupiscentiæ motus, quos comparat morti Apost. ad Rom. 7. *quis me liberabit à corpore mortis hujus?* in his omnibus sustinendis vel intrepide expectandis versatur primario fortitudo, si subsit causa honesta, qualis est gloria Christi, bonum publicum in bello justo, bonum spirituale proximi, aliàs sine meo juvamine spiritualiter perituri, & tandem exponere te pro amico ad mortem, quia amicus est. Sequitur Ioannes Busæus in Viridario virtutum verbo *fortitudo* cap. 2. & 3. id quod non obscure innuit sanctus Ambrosius lib. 1 de officiis 35. & 36. *fortitudo* (inquit) *velut excelsior cæteris, dividitur in res bellicas & domesticas.* atque ita non solum respicit belli periculum mortis. Vnde Cicero lib. 3 de Officiis ait, fortitudinis *proprium est nihil extimescere, omnia humana despicere, omnia quæ homini accidere possunt intoleranda putare.*

Atqui mihi certissimum est (si rigore Scholastico sit loquendum, ut par est loqui in his materiis) quod primarius actus fortitudinis, à quo quis simpliciter nominatur vir fortis, solum versatur circa mortis periculum ejus timorem cohibendo & audaciam refrenando, circa alia vero terribilia, quantumvis terribilia appareant, solum secundario versatur, & ab actu circa illa solum secundum quod & cum addito denominetur quis fortis. Ita expresse & articulariter Divus Thomas q. 123. art. 4. ubi, ut assolet Cajetanus. sequitur Lessius ubi supra n. 9. Isabelus lib. 3 Ethicorum cap. 1. vers. *quantum ad tertium.* sicut enim ignis simpliciter calidus est, cætera autem calida dicuntur in ordine ad ignem, qui primariam habet caloris dignitatem, à qua cætera participant; ita pericula mortis vel tormentorum, quæ ad mortem ducunt, sunt prima in genere terribilium. & sic actus fortitudinis respiciens medium intèr audaciam & timorem est ejus primarius actus; cæteri autem in ordine ad illos: quia *propter quod unumquodque tale & illud magis.* & sic Christus Dominus Matt. 10, vsf. 14. excitans in suis discipulis fortitudinem ad primarium illius actum, dicit: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Apostolus tamen laudans fortitudinem Hebræorum cap. 20, ℣. 32. proponit certamen passionum in opprobriis & tribulationibus, in bonorum rapina; circa quod non est fortitudo simpliciter, nec ab ea eos fortes appellat sicut cap. 11, ℣. 34. dum fortes in bello appellat illos, qui *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii occisi sunt.* quem locum interpretatur sanctus Thomas 22. q. 123. de Martyribus, qui pro Christo sanguinem suum fuderunt.

Hujus solidæ doctrinæ fundamentum tradidit S. D. q. citata, art. 4. quia ad virtutem fortitudinis pertinet, ut hominis voluntatem sic firmet, & tueatur, ne retrahatur à bono rationis propter timorem mali corporalis: bonum enim honestum firmiter teneri debet contra quodcumque malum, quia nullum bonum corporale æquivalet bono rationis & honesto. Atque ita necesse est, quod animi fortitudo dicat firmare voluntatem in bono contra maxima mala & terribilissimum: qui enim firmus & fortis est circa majora, consequens est, quod sit fortis & firmus contra minora. Sed non è contra: pertinet enim ad rationem virtutis quod respiciat maximum, quale est inter omnia corporalia mala, mori, quia tollit omnia corporalia bona, ut dicit August. lib. de moribus Eccles. cap. 22. Atque ita primarius actus fortitudinis circa pericula mortis solum versatur, & circa aliorum malorum pericula secundario, ex quo ruit fundamentum contrarium: non enim Patres ita presse locuti sunt de fortitudine, nec rigore Philosophico ejus naturam exquisiere. quare omnia illa minora terribilia ad fortitudinem quidem pertinent, sed secundario & consequenter.

RESOLVTIO IV.

Vtrum mors in bello sit primarium objectum Fortitudinis Ethicæ.

ARist. lib. 3 Ethicorum c. 9. & apud D. Thom. lect. 14. litera L. sic fatur juxta versionem Arginepili. *Is igitur homo fortis proprie dicitur* (aut *principaliter* juxta antiquam) *qui circa honestam mortem interritus est. dixerat autem prius, circa quam ergo mortem vir fortis erit? circa eam quæ est pulcherrima. talis autem ea est quæ fit in bello: in maximo namque fit & pulcherrimo certe periculo. eodem accidunt & ipsi honores, qui tum à civitatibus tum à Regibus sunt instituti.* Quibus verbis & docet & probat Philosophus, quod fortitudo propria, primaria & principalis versatur *circa mortem pulcherrimam, quæ est in bello:* tum quia in bello maximum est periculum, tum quia morientibus in illo honores publici deferuntur, instituti pro fortibus à Monarchis & Civitatibus; qui enim non timent mortem, sed bellum aggrediuntur impavidi, contemnunt fortiter & pulcherrime maximum terribilium, quod est mors, pro optimo bono, quod est bonum commune & Patriæ. Vnde illi, qui bellum singulare & duellum aggrediuntur, fortes dicendi non sunt.

Philosophi sententiam D. Thom. 22. q. 123. art. 5. mira claritate Theologlossat, reddens ejus rationem à priori, quæ sic formatur: quia fortitudo cum sit virtus de cujus ratione est quod semper tendat in bonum, homo sic debet non refugere mortis pericula, quod sit propter aliquod bonum, quod ex tali non fuga mortis inferatur ex natura operationis. Atqui pericula mortis, quæ sunt in bello, directe imminent homini propter aliquod bonum, quia defendit bonum commune per justum bellum. atque ita solùm mors in bello est primarium objectum fortitudinis

Ethicæ. Addit tamen S. Doctor id, quod est valde notandum, & notavit etiam ad librum tertium Ethicorum lect. 14, quod duplex est bellum: unum generale, dum belligeratur in castris; alterum particulare, ut dum judex aut particularis persona non recedit à justo judicio, aut à tuenda veritate, aut virtute aliqua, timore gladii imminentis, aut periculi alterius mortis. quæ particularis pugna communi nomine bellum dici potest, aut, si vis, duellum honestum. & *secundum hoc concedendum est*, (inquit) *quod fortitudo proprie est circa pericula mortis, quæ est in bello.* Sententiam Divi Thom. secuti sunt Lessius ubi supra n. 10. Cajet. in exposit. art. 5 Vbi. Sylvius Iabelus lib. 3. Ethicorum cap. 1. qua de re nulli dubium debet esse, quod primarius actus fortitudinis est circa mortis in bello pericula.

Ex dictis sequitur (verba sunt doctissimi Chrysostomi Iabelli ubi supra) *corollariè, ut dicit Arist. quod si quis constanter sustinet mortem, ex qua nullum optimum bonum sequitur, non dicitur proprie fortis, sed impavidus; ut infirmus, qui scit se moriturum & constanter mortem expectat, & mercator, in mari constitutus, desperans se posse vivere, & nautæ, qui tamen sperant posse vitare mortem propter experientiam navigandi, omnes isti si mortem non timent, dicuntur impavidi, non tamen fortes fortitudinis virtute, quoniam illa requirit, quod homo non solum non timeat mortem, sed quod aggrediatur maxima pericula, ex quorum sustinentia sequatur aliquod optimum & laudabile bonum, & in exemplum apud posteros; sed in sustinenda morte in mari aut ægritudine nullum horum sequitur. Neque enim voluntarie se exponunt gratia virtutis in tali casu ad mortem, sed quia vitare non possunt. Ergo circa talia non dicitur homo fortis, sed impavidus. Potest autem tam virtuosus quam vitiosus esse impavidus, solum autem bonus potest esse fortis, fortitudine proprie dicta, quæ est virtus.* Hæc ibi.

RESOLVTIO V.

Vtrum de ratione Fortitudinis Ethicæ sit, quod fortis contrapugnet viribus externis pugnanti.

AFfirmat Martinus de Magistris q. 3. de virtutibus asserens, quod ille, qui in bello particulari impugnatur usque ad mortem, ut deserat virtutem, si non contrapugnet viribus externis contrapugnantem, etiamsi mortem sustineat, non erit vere fortis, sed mortem sufficienter sustinebit ex motivo aliarum virtutum moralium, à quibus (sine contrapugnatione) sufficienter instruitur ad pericula mortis subeunda, sicut Arist. l. 5 Ethicorum cap. 5. dicit, justitiæ commutativæ materiam & objectum esse repassum aut contra passum: qui enim in contractu aliquid accipit retribuendo pecuniam vel rem aliam, tantundem patitur abdicando à se dominium illius, quod retribuit, sicut amittit ille, à quo rem ex contractu accepit.

Probatur 1. ex Arist. asserente ubi supra resolutione anteriori, quod periculum mortis in bello, est materia & objectum primarium fortitudinis. atqui de ratione belli est, quod quis contrapugnet impugnanti. Deinde etiamsi sit bellum particulare, hoc est verum: nam duellum est duorum bellum aut pugna ad invicem, in qua necessario inibitur contrapugnatio.

2. Quia in solis periculis mortis, in quibus est impugnatio & contrapugnatio, reperitur timor & audacia. ergo in illis solum reperitur fortitudo. consequentia probatur, quia fortitudo est medium ponens inter timorem & audaciam, & implicat, quod ponatur medium ubi non sunt extrema. antecedens est manifestum, quia timor respicit impugnantem nobis objiciendo mortem: audacia respicit eundem impugnantem, quatenus nos contra illum aggredimur conantes abjicere periculum mortis. Vnde non videtur posse actum fortitudinis proprie sustinere, nisi sustinendo quis aggrediatur, & aggrediendo sustineat, quod fit contrapugnando per vires exteriores, medium enim necessario participat de utroque extremo: actus enim fortitudinis est circa medium inter audaciam & timorem, sicut liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem.

Tertio, quia sustinere mortem absque propugnatione potest quis per virtutes alias secundum actum suum heroicum; & ita ad hoc non est necessaria virtus fortitudinis propriæ: virtus enim heroïca habet versare circa objectum suum circa illud operando, non obstante mortis periculo; sicut liberalis expendit quando & ubi & quomodo oportet, non obstante mortis periculo. ut mulier honesta, varie tentata ab adultero etiam per mortem illi objectam, per actum heroicum castitatis vincet hujusmodi periculum, sicut per castitatem ordinariam vincit alias tentationes. Ergo sine contrapugnatione non est vera fortitudo Ethica, quæ sit distincta virtus à reliquis.

Contrariam sententiam amplector cum Domino meo Cardinali Cajetano ad art. 5. q. citatæ, ubi egregie adversus Martinum insurgit, & recapitulando totum Commentarium satis eruditum, sic loquitur, (adduco enim ejus verba, in quibus totum quod hic dici potuit profunde continetur) *ex his habet, quod in fortitudinis exercitio semper oportet intervenire duo, scilicet id, de quo est pugna, puta, fides, justitia, regnum, &c. & hoc ex parte materiæ circa quam, & pugnam ipsam inter impugnantem & impugnatum, & hoc ex parte formæ seu habitus fortitudinis: quod enim exigatur id de quo est pugna patet, quia aliter fortitudo non haberet propriam materiam, scilicet, pericula mortis: optima namque optima sunt propter bonum, de quo est pugna. Quod vero exigatur pugna aliqua, quia aliter fortis non persisteret in bono proprii exercitatione.*

Ex primo documento habes, quod, quia fortitudo est virtus rectificativa hominis in se ipso, ad rectam dispositionem hominis in se non semper requiritur contrapugnatio exteriorum virium contra mortem, sed quandoque recta ratio exigit quod pugnetur actibus exterioribus & interioribus, puta, locutione absque contrapugnatione per vires corporeas, ut patet cum est directe pugna de fide, juxta doctrinam Domini: Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos. & hoc quoad contrapugnationem virium exteriorum: estote fortes in bello & pugnate cum antiquo serpente. & hoc quoad pugnam interiorem, prædicationem & confessionem fidei & morum. Non ergo exigit fortitudo, quod sit actu vel proposito contrapugnativa secundum exteriores vires, sed quod agat viriliter, quando oportet & quæ oportet, &c.

Ac per hoc concludendo, fortitudo est circa maxima & optima pericula mortis, ut Arist. dixit, abstrahendo à contrapugnatione exteriorum virium, & à non contrapugnatione earumdem: quoniam quandoque recta ratio dictat, in talibus periculis esse contrapugnandum secundum exteriores vires, ut cum de potentia aut de dominio temporali cum fidelibus aut infidelibus pugna est; quandoque autem non, ut cum de fide aut moribus pugna est. & ratio est, quia victoria, ad quam pugna tendit, melius acquiritur in talibus sanctis moribus, prædicatione & confessione fidei & exemplari vitæ, & sustinendo etiam mortem, quam contrapugnando militibus, &c. nec oportet hæc probare quo-

quoniam experientia testatur, sic sanctos vicisse tyrannos & mundum totum inimicum eisdem, & conantem exterminare illos. est ergo contrapugnatio aliqua de ratione fortitudinis, secundum quam semper viriliter agunt, sed non secundum exteriores vires, licet quandoque hic sit fortitudinis actus. Hactenus Cardinalis, quibus totam materiam contra Martinum concludit & comprehendit.

Verum enimvero ut hoc lucidius evadat, & radices hujus fundamenti & doctrinæ solidæ & profundæ clarius intueantur, advertere oportet, quod sicut liberalitas, quæ versatur circa pecunias & res pecunia mensurabiles, duos habet actus: primus est emissio pecuniæ quando & ubi oportet, & sic Arist. 4 Ethicorum cap. 1 dicit, quod *ad liberalem pertinet emissivum esse*, & sic liberalitas largitas nominatur: secundus retentio & custodia ejusdem pecuniæ quando & ubi oportet. iste autem actus est secundarius, & prior primarius, cum ad istum illud ordinetur, sicut custodia pecuniæ ad rectam ipsius emissionem & largitionem. ita fortitudo duos habet actus, prior est sustinere mortem & tristia, & aggredi pericula; at sustinere longe nobilior est actus fortitudinis quam aggredi, & sic est primarius, & aggredi secundarius: unde Arist. 3 Ethicorum c. 9 dixit, quod in sustinendo tristia fortis quis dicitur. audiamus illum juxta Argyropylum: *quamquam circa fiducias metusve fortitudo versetur, tamen non simili modo circa utrumque, sed magis circa res formidabiles cernitur, qui namque non turbatur in hisce, atque se habet circa has ut oportet, magis est fortis quam is qui circa eas in quibus confiditur se habet ut oportet.*

Hujus verissimæ doctrinæ rationem à priori tradit S. Thom. ibi lect. 18. litt. a. & 22. q. 123. art. 6. *cum fortitudo sit circa audacias & timores, non æqualiter est circa utrumque, sed magis locus hujus virtutis est in hoc, quod aliquis bene se habeat circa terribilia: ille enim qui in terribilibus non perturbatur, sed circa ea se habet sicut oportet, magis commendatur quod sit fortis, quam ille qui bene se habet circa audacias aut fiducias. & hoc ideo, quia timor imminet homini ab aliquo fortiore contra ipsum insurgente: Audacia autem consurgit ex hoc, quod aliquis æstimet eum, quem invadit, suam non excedere potestatem: difficilius autem est stare contra fortiorem, quam insurgere in æqualem & minorem: & ideo principalior actus fortitudinis est sustinere, id est, immobiliter sistere in periculis, quam aggredi,*

Si ergo sustinere est principalior & primarius actus fortitudinis, ut est indubitatum apud Am. qua fronte Martinus dicit, quod de ratione fortitudinis est contrapugnatio per vires exteriores, quæ fit per aggressionem, cum hæc sit secundarius actus, à quo non denominatur quis fortis, sicut à primo. verum est quod ratio fortitudinis extenditur ad contrapugnationem quando oportet & ubi oportet; sed in sustinere salvatur, sicut fides extenditur ad confessionem externam quando & ubi oportet. Sed confessio externa non est de ratione fidei.

Ad 1. Respondetur, quod de ratione belli quod fit pro dominio aut potentia temporali, aut quod fit pro religione contra infideles, est contrapugnatio, & non de ratione belli particularis pro defensione virtutis & fidei: in hoc enim sat est contrapugnatio per actus internos, & per confessionem & protestationem externam illius veritatis, pro qua pugnatur; hæc enim protestatio contrapugnatio est adversus tyrannum illum veritatem impugnantem: temerarium enim est dicere quod ad veram fortitudinem requiratur contrapugnatio per vires corporis: & quid diceremus de Christo, qui *ductus est tanquam agnus* ad passionem? quid de martyribus qui *more ridentium* sine murmure & querimonia patiebantur, numquid hoc non erat vera fortitudo? apage, quis Catholicus dicet hæc?

Ad 2. Respondetur, quod virtus fortitudinis participat de utroque extremo, per diversos actus, per quos imprimit diversam sui particularem similitudinem actibus externis. sed primaria similitudo est in sustinendo quam in aggrediendo.

Ad 3. Respondetur, quod ex motivo fortitudinis non potest quis per actus, etiam heroïcos, aliarum virtutum sustinere mortem, & motivum hujus virtutis diversum est à reliquis. legatur Cajetanus ubi supra, *§. ad tertium negatur.*

RESOLVTIO VI.

Vtrum sit actus proprius elicitus à fortitudine Ethica in servire peste & epidemia infectis?

Affirmat Pater Theophilus Raynaudus, libello de martyrio per pestem p. 3. per totam, & in Metamorphosi latronis cap. 12. an. 11. pag. 551, ubi non solum, *hunc actum* (ait) *esse elicitum à vera & rigorosa fortitudine, sed etiam si mors sequatur ex contagio, verum efficere martyrem eum qui talem actum exercuit*, & subdit n. 12. faciens mentionem de libello de martyrio per pestem, *stat scriptio illa, stabitque cum bono Deo; nam nec Luna nec quantumvis canum adlatrationibus emovetur.* Sed Pater Theophilus *Lunam detrahit in suum ipsius malum*: & quidem res adversa illi prorsus evenit, & scriptio illa de Martyrio per pestem non *stat jam cum bono Deo*, quamvis auro charitatis novitatem vestierit, sed *ubi venit ad cotem & confertur cum indice plumbeo*, non verum aurum sed aurichalcum est. inventa *à canibus Ecclesiæ* qui oblatratu suo Lunam movent, & dimovetur, ne interposita novitate Eclypsim soli veritatis inducat. quare, ut infra resolutione penultima dicam latius, est & intercepta à suprema totius Ecclesiæ congregatione, sancti Officii Romani Eminentissimorum Cardinalium, anno 1647, die 18 Decembris, præside Eminentissimo Cardinali Spada; ubi etiam prohibetur altera ejusdem auctoris opicella, cujus titulus est: *error popularis de communione pro mortuis*, quam jam ego late impugnavi, antequam interciperetur ab inquisitoribus, & impugnationem apposui *in tom. 2. Variarum resolutionum moralium.* sed magna cautela, antequam decretum publicaretur. Patres Societatis, & diligentia qua solent suos defendere, decreti hujus secretam notitiam habentes, voluerunt doctorum omnium, hujus civitatis Hispalensis & Vniversitatis, subscriptiones adsumere pro libellis Raynaudi: ego tamen, & multi Patres sancti Dominici non subscripsimus, quos imitati sunt alii non pauci: nam qui subscripsere id fecerunt moti vel amicorum suasu, vel quia materiam de qua erat consultatio non intellexere; quare Raynaudus proscriptus est etiam Hispaniæ civitatibus, in quibus de ordine Nuntii Apostolici (quod valde miror) Domini Episcopi Decretum Sacræ congregationis publicarunt, quo etiam proscribitur & prohibetur tractatus de bello divino, hoc est de peste (quam bellum divinum nominant multi,) compositum à patre Philiberto Marchin Religionis Paulinæ, vero quidem docto & erudito: qui in præfato tractatu eandem ac Theophilus Raynaudus sequutus est opinionem, quam ex parte sequitur Balthasar Chavesio *lib. 3. de perfecta prudentia cap. 5. §. 3. vers. quænam censendæ sunt. pag. mihi 649.* dicens

cens actum fortitudinis Ethicæ esse, *exponere te morti propter amicum egregium, eo quod amicus est qui te juvat & obsequitur secundum rectam rationem, honeste agit, & se probat virtute præditum.*

Probatur hæc sententia primo, quia teste Arist. 3 Ethicorum lect. 14. apud S. D. fortitudo versatur circa terribilia maxima: mors autem terribilium omnium est maximum, cum sit ultimum vitæ post quod homini mortuo nihil aut bonum aut malum est. ergo cum inserviens peste infectis pestem non timeat, & illius periculum maximum aggrediatur ex motivo virtutis, ut firmus & immobilis sit in sustinendis & repellendis mortis periculis; in quibus valde difficile est firmitatem habere, procul dubio actus iste à fortitudine elicietur, & illum operans vere & proprie erit vir fortis.

2. Quia nihil videtur deficere istis, qui infirmis contagio infectis inserviunt, quo minus exerceant actum veræ fortitudinis Ethicæ; imo, etsi moriantur ex contagio, *in omni rigore Theologico* (verba sunt Raynaudi) *martyres censeantur.* ergo servitus ista fortitudo est propria sicut & martyrium. antecedens probatur, quia ad fortitudinem Ethicam per se sumptam nil amplius exigitur, nisi id quod in anteriori argumento diximus. unde Tullius de inventione lib. 2. Rhetor. difiniens fortitudinem, dixit: *fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio.* quam difinitionem adducit & approbat Ag. q. 31. lib. 83. qq. & lib. 1 de liber. arbitr. cap. 13. S. Ambros. lib. 3 de Virgin. & dicunt quod fortitudo proprie habeat mortis contemptum: est enim contemptrix timendorum, & terribilia despicit, procurat & frangit: teste Seneca epist. 38. ad Lucilium, & Cicero in 2 Tusculanar. *viri* (inquit) *propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt mortis dolorisque contemptio.* quod si fiat ex virtutis motivo, nihil aliud desideratur ad veram & propriam fortitudinem, & omnia alia extra ipsius rationem formalem sunt. Vnde Chrysostomus Iabellus, post tractatum de fortitudine, sic eam definit ex Ac. *fortitudo est virtus medio modo se habens, prout recta ratio ducat, inter timores & audacias, propter bonum & honestum, quod quanto magis commune tanto divinius est.* Quæ definitio apprime quadrat actui quo quis propter bonum commune civitatis se dicat hospitalitati, ad inserviendum peste infectis, spretis periculis mortis & contagii.

Ast sententia ista novitatis suæ pondere gravata ruit: quare asserendum est omnino, quod servire peste infectis aut Epidemia sive alio morbo contagioso, etsi possit iste actus charitatis & amicitiæ dici, si fiat propter Deum aut amicum, juxta illud Christi: *majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* non tamen est proprius actus elicitus à fortitudine Ethica, nisi ad id destinetur à tyranno aut præpotente in odium alicujus veritatis; sicut destinabantur olim martyres ad fœtidum carcerem & bestiarum custodias; quod assertum, propter illationem quæ ex illo deducitur de vero & proprio martyrio per pestem, ita mihi certum est, quod judicem oppositum non carere temeritate, & esse prorsus improbabile; utpote contra Am. D. Thom. & omnes fere antiquos Theologos, & contra usum, sensum & praxin Ecclesiæ.

Et quidem Am. esse contrarium huic opinioni, manifestum est juxta dicta resolutionis. q. 1, ubi dicit quod solum mors in bello, sive communi sive particulari, est primarium objectum fortitudinis. Vbi enim non est pugna aut bellum, in quo contemnatur mors, & constituatur medium inter timores & fiducias, nequit esse objectum formale fortitudinis Ethicæ. & egregie D. Thom. art. 5. q. 123. ut præfata resolutione adnotabam, explicans hanc Arist. doctrinam sic fatur: *pertinet ad fortitudinem firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non solum quæ imminent in bello communi, sed etiam quæ imminent in particulari impugnatione, quæ communi, nomine bellum dici potest, & secundum hoc concedendum est quod fortitudo proprie sit circa pericula mortis quæ est in bello.* hæc ibi. Ergo extra impugnationem ab impugnatore factam nequit esse proprie fortitudo, sed ad summum similitudinaria & impropria, & Dominus Cajetanus ibi §. quoad secundum; egregie dixit, quod *in fortitudinis exercitio semper oportet intervenire duo, scilicet id de quo est pugna, quod se tenet ex parte materiæ circa quam, & pugnam ipsam inter impugnantem & impugnatum quod se tenet ex parte formæ & habitus fortitudinis.* quare implicat quod subsistat fortitudinis formalis honestas nisi adsit pugna, quæ essentialiter requirit id propter quod est pugna, & extrema pugnæ, quæ sunt impugnans & impugnatum.

Ex qua doctrina colligit S. D. in fine art. 5. citati, *circa pericula cujuscumque alterius mortis fortis bene se habet, præsertim quia etiam cujuscumque mortis homo potest periculum subire propter virtutem, puta cum aliquis non refugit amico infirmanti obsequi propter timorem mortiferæ infectionis, vel cum non refugit itinerari, ad aliquod pium negotium prosequendum, propter timorem naufragii vel latronum.* hæc ibi. quo nihil illustrius. Sentit ergo S. Th. quod inservire amico peste infecto ex amore virtutis, non est proprie actus elicitus à fortitudine Ethica, etsi circa periculum talis mortis fortis bene se habeat, sitque recte dispositus ad illam subeundam. quia tamen defuit formale fortitudinis, ista circa mortem non timendam ex contagio non eliciet actum primarium.

Quam Angelicam doctrinam sic Angelicè interpretatur Dominus Cajetanus, ibidem §. in eodem art. cujus verba transcribo; quamsi adverterent contrarii & ejus rationem evidentem, non ita effutirent. Sic enim ait Cardinalis: *Nota quod quando Arist. 3 Eth. posuerit fortem principaliter respicere pericula maxima & optima, qualia sunt bellica, & secundario bene quoque se habere circa quæcumque alia mortis pericula, quia impavidus existet. Autor hunc secundarium actum extendit, & traxit ipsum ad majorem, ob proximitatem ad principalem, ostendens in eo quandoque inveniri rationem boni ex intentione operantis, dum scilicet aliquis propter virtutem subit periculum pestiferæ infectionis, ac per hoc periculum mortis per ægritudinem, vel navigare, & sic periculum mortis in tempestatibus, vel itinerari, in locis ubi non sine latronum metu itur. Impavidum siquidem esse in hujusmodi periculis quacumque occasione inveniat se in his homo, spectat siquidem secundario ad fortem. Vt dicitur 3. Ethicorum, sed impavidum esse in eisdem propter aggressum operis virtutis multo propinquius spectat ad fortem: quoniam hujusmodi pericula mortis sunt etiam bona, quia propter bonum virtutis, deficiunt tamen à principali materia fortitudinis, quia mala hujusmodi* (adverte Sermonem Theophile) *non directe & per se tendunt ad bonum virtutis, quia non ideo imminent ut virtutem destruant; sed tantumdem imminerent, si quacumque ex causa illic homo inveniretur. Fortitudo enim circa maxima & directe optima est, circa pericula quæ scilicet directe tendunt contra optima, hoc est virtutes.* Hæc illic quibus clare & dilucide probatur veritas in Ecclesia semper recepta, quod fortitudo & martyrium proprie dictum solum sit, quo quis fortiter patitur mortem propter veritatem directe oppugnatam. Fortitudo enim sola ea pericula mortis primò & per se respicit, quæ primum & per se tendunt contra optima,

ma, circa quæ per fortitudinem homo firmiter stat in bono rationis illius virtutis quæ oppugnatur.

Ex verbis Eminentissimi Cardinalis clarum deduco & solidum fundamentum resolutionis nostræ, quia objectum formale specificativum alicujus virtutis Ethicæ, sive Theologicæ tale debet esse ex natura rei, non enim pendet ab operantis intentione motivove à se libere posito, quia objectum formale virtutis est honestas objectiva amata propter se. honestas autem virtutis fortitudinis in eo sita est, quod maxima & optima pericula mortis quis non timeat, sed aggrediatur quando & ubi oportet: maxima autem & optima pericula habent suam honestatem ex illo respectu cujus sunt pericula ex natura rei, scilicet mortis sustinendæ propter bonum & virtutes contra quas ex natura rei tendunt pericula. Quare ne bonum rationis deseratur in illis periculis obstantibus & repugnantibus immobilis & firmus persistit animus per fortitudinem. atque liberè se dicat hospitalitati epidemiâ infectorum, etsi aggrediatur mortis periculum, cohibeatque mortis timorem ex motivo charitatis in Deum, vel amicitiæ in proximum: est enim hujusmodi periculum bonum virtutis. Cæterum cum hoc periculum non immineat ut bonum virtutis evertat, aut pacem communem impediat ex se, imminente etiam hoc periculo quacunque ratione & motivo homo inter infectos existeret, atque ita ex se non destruit bonum rationis, nec ex se impedit voluntatem humanam ne sequatur rationis rectitudinem, & circa illam immobilis & firma perseveret, in quo consistit formalis ratio honestatis fortitudinis. quod enim quis libere & voluntarie contemnat periculum (quod omnibus ibi existentibus imminet) non ex hoc habet primariam fortitudinis honestatem, sed similitudinariam & quasi secundariam, etsi habeat primariam honestatem charitatis aut amicitiæ Ethicæ, sive naturalis sive infusæ, etsi hoc periculum ex natura rei & directe non tendit contra optima.

Ex dictis facile corruunt muri contrarii, ad primum respondetur, illo solum probari quod ille actus sit secundarius fortitudinis, ut dicunt D. Thom. & Cajetanus: ad illum enim recte disponitur homo per habitum istum ut egregie S. D. art. 3 ad 2. *Fortitudo etiam, secundum quod est specialis virtus habens determinatam materiam, coadjuvat ad resistendum impugnationibus omnium vitiorum: qui enim potest firmiter stare in his quæ sunt difficillima ad sustinendum, consequens est quod sit idoneus ad resistendum aliis quæ sunt minus difficilia.* Hæc ibi. cæterum totum hoc est secundarium in fortitudine Ethica.

Ad 2. Respondetur, illas antiquorum definitiones intelligi de contemptu & susceptione laborum & periculorum, quæ ex se directe tendunt contra optima, id est, virtutes bonumque rationis, quale non est periculum quod quis suscipit dum ingreditur hospitale infectorum epidemia, ad illis inserviendum, administrans sacramenta, cibos, sternens lectulos, medicinam applicans, & similia: sed de his latius tract. infra ubi iterum contra Raynaudum & Marchinum.

RESOLVTIO VII.

Discrimen inter fortitudinem, patientiam, magnanimitatem, & perseverantiam.

His omnibus valde annihilatur fortitudo Ethica & apud Sanctos & Philosophos sæpius confunduntur. quare illas discernere operæ pretium duxi, ut magis delucida evadat nostra fortitudo.

Et quidem si sermo sit qua ratione distinguatur fortitudo à patientia S. D. 22. q. 136. art. 4. pulchram tradit doctrinam hujusmodi virtutes copulando ex parte materiæ, & distinguendo ex parte motivi ejus & circumstantiarum: dicit enim quod patientia est pars potentialis & quasi manus & instrumentum conjunctum fortitudinis, quasi virtus secundaria primariæ; patientia enim dirigit ad æquanimiter sustinenda mala quæ ab aliis inferuntur, inter quæ difficillimum est mors, ejusque periculum circa quod est fortitudo, ut diximus, quæ in hac materia obtinet primum locum, cui adjungitur patientia quæ materiam minus principalem attingit, videlicet mala ab aliis illata infra mortem & ejus periculum, & sic id quod est materia primaria respectu patientiæ est, secundaria respectu fortitudinis: existimo tamen quod patientia cum sit virtus quasi instrumentum & manus fortitudinis, quod illa operatur in illius virtute, sicut calor virtute ignis, & sic semper patientia in operando est conjuncta fortitudini & fortitudo patientiæ. Vnde Ecclesia in Hymno de communi plurimorum Martyrum canit ad vesperas: *Cæduntur gladiis more videntium, non murmur resonat non querimonia, sed corde impavido mens bene sobria conservat patientiam.*

Est enim aliud discrimen quod fortitudo non solum consistit in hoc, quod aliquis in bono honesto persistat contra timorem mali futuri, sed etiam ne deficiat propter præsentem tristitiam & dolorem, quamvis principalius timores respiciat, cujus objectum fugimus, quam fugam prohibet fortitudo: at patientia principalius est circa tristitias mali præsentis moderandas: non enim dicitur quis patiens quia non fugit, sed quia laudabiliter se habet in sustinentia ejus quod præsentialiter nocet, ne scilicet immoderatè tristetur. Vnde concludit D. Thom. in solut. ad 2. quod patientia est in concupiscibili & fortitudo in irascibili; quia tristitia quam primo illa moderatur est passio concupiscibilis, & timor mortis, quem cohibet fortitudo, est in irascibili. Quamvis autem hæ virtutes in diversis subjectis sint, tamen ratione materiarum quas primario respiciunt connectuntur & una ordinatur ad aliam; sic ut materia unius, scilicet minus malum, ordinetur ad materiam alterius, scilicet majus. Legatur Cajetanus hic art. 4. 5. ad 35. Loquendo tamen de discrimine fortitudinis & magnanimitatis, facilis non est resolutio: Nam D. Thom. 22. q. 128. art. 5. constituit magnanimitatem partem fortitudinis, sicut supra posuit patientiam, & reddit rationem ex Macrobio & Andronico *lib. in Somnium Scipionis* fol. 2. quia etsi utraque versetur circa arduum, tamen fortitudo facit fortiter se habere in periculis mortis, & magnanimitas confirmat animum in bonis sperandis vel adipiscendis, pro quibus magnanimus magnis periculis promptissime se exponit. Et sic Arist. dixit quod magnanimus non est μικροκίνδυνος, id est, pro parvis periclitans, sed μεγαλοκίνδυνος, id est, pro magnis periculis periclitans.

Sed modo exurgit non parva difficultas, quia si magnanimitas est μεγαλοκινδύνως pro magnis periculis periclitans, & in his firmat animum in bono, cum magnum periculum sit periculum mortis, in illo etiam faciet firmiter se habere, quod facit etiam fortitudo, & sic hæ duæ virtutes non distinguuntur ex parte objecti. Respondetur, quod magnanimus omnes alias virtutes & præsupponit & continet, quia cum magnanimitas respiciat magnos honores, quibus est dignus magnanimus, debet habere horum fundamentum, quod est ornare omnibus virtutibus, quarum objecta quatenus magna quibus correspon-

dent magni honores respiciuntur à magnanimitate: est enim magnanimus universaliter virtuosus & optimus, ut dignissime honoretur.

Ex quo constat quomodo magnanimitas distinguatur à fortitudine, eo quod magnanimus magnanimè se habet in opere cujuslibet virtutis: non enim dignus est magno honore qui non magnè & excelenter operatur actum virtutis: nam quælibet virtus operatur quod est sibi proprium circa propriam materiam. fortis enim fortiter agit, sed magnanimus intendit magnanimiter operari in fortiter agendo; & cum omnis moralis virtus speciem sortiatur à fine quem intendit, ideo magnanimitas & fortitudo specie differunt, licet operentur circa idem. nam ut dixi fortitudo fortiter agit contra terribilia, magnanimitas tamen magnanimiter & excellenter se habet circa illa. Quare optimè notavit D. Cajet. q. 129. art. 1, *objecta omnium virtutum attingit magnanimitas, quatenus magna & magno honore digna, & sic virtus ista est ornatus aliarum omnium quas respicit, & continet in magno & ultimo statu perfectionis. Vnde multi sanctorum Martyrum non solum fortitudine se muniebant adversus tyrannos, sed magnanimitate condientes tormenta, quamvis magna, excellenter se habentes circa terribilia.*

Sed si magnanimitas ex suo motivo omnes virtutes continet, potius videtur totum quoddam respectu illarum, quam pars alicujus, ut fortitudinis. Respondetur, quod si loquamur ex parte rationes formalis, quæ magnanimitatis est esse magnum, magnanimitas non est pars fortitudinis; si tamen sit sermo ex parte materiæ arduæ, magnanimitas est pars fortitudinis, quia firmat animum in eo circa quod facilius est firmitatem servare, scilicet in adipiscendis honoribus.

Perseverantiam à fortitudine distingui, esseque illius partem, & quod adjungatur, ut virtus secundaria principali & primariæ, docet etiam S. Th. q. 137. art. 1. & 2. diverso modo agit in his articulis S. Th. de perseverantia virtute morali, ac egit S. August. de dono perseverantiæ contra Pelagianos multis lib. qui habentur tom. 7. ejus operis, maxime contra Pelagii reliquias lib. de dono perseverantiæ. in sensu tamen August. usurpavit perseverantiam Concilium Tridentinum sess. 10. 6. vocans eam *magnum donum.* imitatur Concilium Arausi. 2. de perseverantia igitur in hoc sensu non est inpræsentiarum difficultas: cum enim consistat in auxiliis, quibus quis prævenitur, & adjuvatur ut è vita decedat in gratia, sitque vocatus *secundum propositum*, à quo oriantur auxilia ex se efficacia, prout dimanarat à divino decreto, à quo incipit & perficitur nostra salus, absque ordine ad scientiam mediam, quam nunquam defendere potui, consequens est quod agere de perseverantia in hoc sensu non ad Philosophum moralem, qualem nunc ago, sed ad Theologum, quem postea agam, attineat.

Igitur perseverantia virtus moralis (quam modo distinguimus, & esse fortitudinis partem, illique adjungi ut virtutem secundariam principali, asserimus,) in eo consistit, quod reddat hominem firmum ut persistat in aliquo bono usque ad consummationem illius, quæ est specialis honestas sumpta ex temporis diuturnitate: nam multum insistere alicui bono specialem habet difficultatem, ad quod ponitur specialis virtus perseverantiæ, sicut ad moderandos timores & audacias ponitur fortitudo; neque enim omnes virtutes sine perseverantiæ virtute attingunt honestatem, quæ reperitur in sustinenda diuturnitate in operibus cujuscumque virtutis, sive fortitudinis, magnanimitatis, aut cujuscumque alterius; & ex hac morali doctrina Aug. cæterique Patres contra Pelagium & Massilienses: ejus Reliquias asserebant, quod dona gratiæ per Christum, quæ dabantur ad opus bonum, sine speciali dono & quidem magno perseverantiæ, non faciebant quod homo finiret vitam in gratia, quia hoc est speciale auxilium & gratia Christi: ita est specialis virtus moralis, distincta à reliquis omnibus simul sumptis, virtus perseverantiæ, quam etiam gentiles agnovere, ut Cicero lib. 2 de inventio. folio mihi 2. ubi perseverantiam ponit partem fortitudinis.

Verum notandum 1. ex Cajetano art. 1. §. *ad evidentiam:* quod sicut magnanimitas respicit magnum, non quidem ut est conditio operis, sic enim transcendit omnem virtutem; sed ut est ratio honestatis specialis objecta & intenta, à qua specificatur virtus istæc: ita perseverantia respicit operis diuturnitatem, non quatenus est operis virtutis conditio, sic enim diuturnitas pertinet ad virtutem, ad quam pertinet diuturnitas; sed quatenus est specialis honestas, distincta ab omnibus aliis, quam attingit virtus ista, quæ respicit diuturnitatem non solum in aliis virtutibus, sed etiam in se ipsa & in suis actibus, quia ista & non alia virtus per se primo respicit diuturnitatem. Quare omnis virtus à perseverantia pendet quantum ad diuturnitatem, perseverantia verò in suis actibus diuturnitatem sine alia virtute causat.

2. Notandum discrimen inter perseverantiam, virtutem moralem & *magnum* illud *donum perseverantiæ usque in finem*, de quo Patres contra reliquias Pelagiamsmi: quod istud non intelligitur nisi in fine: ante finem enim & complementum non est, imo ipsa perseverantia est complementum & consummatio, quare ante consummationem non intelligitur. Sed omnia gratiæ auxilia ante consummationem & finem data non complent rationem perseverantiæ, sed si dentur vocatis *secundum propositum*, qui sunt soli prædestinati, ordinantur ad perseverantiam & complementum gratiæ per Christum: quare August. *libro de dono pers. cap. 6. quomodo enim potest amitti perseverantiæ donum, per quod fit quod non amittatur etiam quod possit amitti.* quare ex dono isto mirabili & non ex alio habet homo ut *indeclinabiliter* perseveret. si enim detur perseverantia usque in finem, perseveratum est usque in finem; si autem non est perseveratum usque in finem, non est data perseverantia. Cæterum perseverantia quæ est virtus moralis non sic, quia quandò quis ex honestate hujus virtutis elicuit actum perseverandi, etiam si in executione non duret actus, usque in finem hujus diuturnitatis quem ratio præscripsit, adhuc est verus actus hujus virtutis, habens propriam & specificam rationem perseverantiæ moralis., quamvis, si non durat totam illam temporis diuturnitatem, dicitur respectu temporis perseverantia incepta, at dicitur completa respectu honestatis quam respicit, quia tantum perseverantia ex sui ratione respicit finem & terminum in executione, actus qui non stat usque in finem non dicitur consummata perseverantia sed incepta.

Ex dictis colligitur qua ratione virtus perseverantiæ adjungatur, sicut secundaria virtus, fortitudini sicut principali; cum enim fortitudo sit principalis virtus quæ firmitatem servat, in his in quibus difficillimum est persistere, firmiter & immobiliter, omnis virtus cujus laus consistit in sustinendo firmiter aliquid difficile fortitudini adjungitur, talis est perseverantia, quæ sustinet difficultatem ex operis diuturnitate, quod non est ita difficile sicut sustinere pericula mortis, & ita ratione materiæ minus arduæ & difficilis adjungitur perseverantia fortitudini. Quare, ut supra innui

innui, istæ virtutes adsociatæ fortitudini participant ab ea hoc quod est sustinere firmiter arduum & difficile. Et si aliæ etiam virtutes habeant sustinendi actum, pari ratione à fortitudine emendicant. Sicut si respiciunt magnum, à magnanimitate hunc respectum accipiunt, quamvis in illis sit generalis circumstantia, sicut ingratitudo & inobedientia in peccatis. Has virtutes partes esse fortitudinis conceptis verbis dixere Patres Clemens Alexandr. lib. 7 Stromat. Ag. q. 32. lib. 83. q. 4.. Qui videntur desumpsisse ex Seneca epist. 87. ad Lucil. *cum aliquis* (ait) *tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur*, &c. D. Thom. 22. quæstione 128. art. Vnico.

RESOLVTIO VIII.

Vtrum detur fortitudo super naturalis & per se infusa.

HVcusque de fortitudinis quidditate quæ in ordine ad objectum specificum desumitur egimus modo; de aliis attributis agendum, quæ non parum deservient ad ea quæ de Martyrio proprio tractanda sunt, & sunt scitu valde digna.

Igitur circa materiam hujus resolutionis, quæ, me quidem judice, valde perplexa est. I. Sententia non solum negat, dari hujusmodi fortitudinem infusam, sed affirmat & satis consequenter, non esse possibilem etiam de potentia Dei absoluta fortitudinem per se & ex natura sua infusam & supernaturalem, quæ exigat à solo Deo infundi. Ita Scotus in 3. dist. 36. q. 2. §. de ista. q. lit. O. ubi noviter Philosophus disp. 118. art. 3. Pitigianus art. 12. & ejus discipuli omnes quorum plures refert & sequitur. P. Felix tract. de virt. c. 3. difficultate 8. Vazquez tamen 12. disp. 86. cap. 2. etsi communem sententiam amplexitur, cæterum more suo ejus fundamine conatur enervare.

Scoti vero & sequentium sententia non caret solidis fundamentis, supponendo, charitatem & gratiam habitualem non distingui & inhæreri voluntati & non immediate substantiæ animæ, ut docent D. Th. & ejus discipuli. quo posito hanc Scoti opinionem (quæ absque dubio est probabilis, nullaque censura digna, ut sentiunt Magister Lorca. 12 sect. de virtute disp. 18. Azor. tomo 1. lib. 3. cap. 28. quæst. 2. Curiel 12. q. 63. art. 3. §. 4. Suarez lib. 6. de essentia gratiæ cap. 9. Franciscus de Amico disputatione 29. n. 185. Malderus Episcopus Antverp. 12. q. 55. dubit. 3. §. D. Thom. opinio.) Probatur 1. ex Trident. sess. 6. cap. 7, ubi agens de impii justificatione ejusque causis sic loquitur: *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur per fidem, spem, & charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, nec unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus verum membrum efficit.* Non ergo agnovit Concilium aliam virtutem Moralem per se infusam præter tres Theologicas, quibus dumtaxat perfecte unitur homo secundum esse supernaturale ad operandum tamquam palmes unitus viti, si autem aliæ virtutes essent infusæ per se ordinis naturalis & divini, sine istis non perfecte uniretur homo Christo capiti suo in esse supernaturali, nec esset illius membrum vivum: has enim tres virtutes dumtaxat veram & Christianam justitiam appellat Concil. quam *seu primam stolam pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam jubentur renati conservare.* atqui si essent necessariæ aliæ virtutes morales supernaturales & per se infusæ, illas sibi & nobis perdidisset Adam, & in justificatione diceret Concilium nobis dari, & non solum, ut dixit, *fidem, spem & charitatem.* hoc fundamentum magni mihi ponderis est quod nullus Scotista posuit, & ad minus manifeste probat, Scoti & Discipulorum opinionem non esse contra Sanctos Patres aliquodve Concilium generale.

Concilium enim Viennen. sub Clemente V. celebratum anno 1311, manifestè loquitur de virtutibus Theologicis quibus quis unitur Christo ut membrum capiti; dicit enim Pontifex, *nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum pariter applicatur omnibus Baptizatis &c.* atque efficacia mortis Christi eo tendit ut Christo uniamur per virtutes; quæ unio per tres dumtaxat Theologales perfecte fit, ut ait Trident. ergo ex Concil. Viennensi non colligitur infundi virtutes Morales aut Cardinales, sed solum Theologales. quare in præfato Concilio solum determinatur ut probabilior opinio quæ in cap. Majores de baptismo relata fuit, & indecisa relicta ab Innocentio III, quæ non fuit de virtutibus moralibus: hæ enim ad justificationem impii per Baptismum non sunt simpliciter necessariæ, sicut sunt fides, spes, & charitas, quas aliqui Theologi tempore Innocentii III. dicebant parvulis non infundi, quia isti nullum actum elicere valebant sicut adulti, quare solum asserebant, quod dabatur parvulis peccatorum remissio sine infusione virtutum Theologicarum. Contra quos determinat Clemens V, dicens esse probabiliorem opinionem asserentem in Baptismo conferri tam parvulis quam adultis informantem gratiam & virtutes, id est, charitatem, fidem & spem: & sic ex nullo verbo Concilii Vien. colligi posse, infundi virtutes morales & esse ordinis divini. quod etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relati cap. majoris citati *fidem aut charitatem aliasque virtutes parvulis utpote non consentientibus non infundi &c.* Hoc non facit ad rem, quia ibi non deciditur controversia inter Theologos, sed indecisa manet, sicut deciditur à Clemente V, in cujus decisione non dicitur *infundi fidem aut charitatem aliasque virtutes, sed conferri gratiam informantem & virtutes*, quas intelligit Trident. esse Theologicas, quas infundit Deus simul cum remissione peccatorum.

Sancti etiam Patres quorum verba tradunt Patres Carmeli. 12. tract. 12. disp. 3. dubio 1. n. 4. facilem habent & germanam intelligentiam, vel quod loquantur de actibus harum virtutum qui quando fiunt ut oportet, sunt supernaturales & infusi, utpote dimanantes ex gratia Christi, vel si loquuntur de habitibus, intelliguntur de virtutibus quatenus vel elevantur per imperium charitatis, vel conjunguntur cum principiis supernaturalibus auxiliorum gratiæ.

Secundum hujus sententiæ fundamentum est, quia vel virtutes acquisitæ sine infusis sunt veræ & propriæ virtutes, quibus si ordinentur ad finem supernaturalem, ex charitate illum possumus promereri, & sic ad quid requiruntur aliæ infusæ? Patres enim contra Pelagium non meminerunt duplex virtutum moralium genus, unum acquisitarum & ordinis naturalis quoad substantiam, alterum infusarum & ordinis divini, ita ut duplex sit fortitudo, duplex temperantia, & duplex justitia, &c. Et utraque vera & propria virtus. Augustinus enim qui diserte reputat de virtutibus etiam habitualibus (admittit enim ibi definitionem virtutis Ciceronis lib. 2. de invention. quod sit *habitus naturæ modo atque ratione consentaneus*) contra Julianum lib. 4. cap. 3, non admittit duo genera virtutum in fidelibus, sicut non admittit virtutem veram in infidelibus, sed unam dumtaxat continentiam,

nentiam, unam fortitudinem: Julianus enim veras virtutes in infidelibus concedebat, etsi steriles & non conducentes ad regnum cœlorum; quas veras virtutes steriles August. irridet, dicens, veras non esse si steriles &c. *Quare*(inquit)*non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes*. Et concludit contra hæreticum, *sine fide quæ per dilectionem operatur non esse veras & proprias virtutes*. Quare vel Sanctus Doctor non admisit, nisi virtutes morales infusas, vel admisit acquisitas, quæ quantum ad exercitium semper habeantur ex dono Dei: *nam Deo serviunt in hominibus quo donantur hominibus*. Et dicere quod August. exclusit veras virtutes acquisitas, & solum admisit infusas, incredibile est.

Dicere autem, quod virtutes acquisitæ veræ virtutes sunt, & si imperentur à charitate conducunt ad gloriam, illamque promerentur de condigno, tamen non sunt proportionatæ gratiæ habituali, quia non sunt ejusdem ordinis, & sic debent dari aliæ virtutes infusæ mediis, quibus tamquam instrumentis proportionatis utatur, & cum per gratiam habitualem homo constituitur in esse supernaturali, etiam habeat virtutes huic esse proportionatas. ita Patres Carmel. ubi supra, n. 8. sed contra est, quia gratia elevat naturam, etsi ista sit illi improportionata, solumque habeat potentiam obedientialem: ergo charitas imperavit etiam virtutibus acquisitis, etiam ordinis naturalis habentibus potentiam obedientialem, ut ordinentur ad finem supernaturalem; neque aliqua proportio requiritur. esse autem supernaturale sufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis, quibus in mente operatur circa Deum, objectum supernaturale per essentiam imperando actibus virtutum acquisitarum, ordinando ipsos ad finem beatitudinis. dicere autem, quod charitas non imperat, verbi gratia, fortitudini acquisitæ, ne si media infusa, ut insinuat D. Thom. q. 1. de virtut. art. 10 ad 4. non videtur satis congruum, quia finis ad quem ordinatur actus fortitudinis acquisitæ, est finis charitatis. Ergo ab ista potest immediatè fieri ista ordinatio, & non à fortitudine infusa.

III. Fundamentum sit, quia objectum virtutis moralis est bonum honestum in his quæ sunt ad finem regulatum per rationem & prudentiam. atqui nullum judicium, nulla prudentia, potest facere honestatem supernaturalem fortitudinis in objecto hujus virtutis quæ intrinsice insit, sed solum honestatem ordinis naturalis, quæ est firmiter operari in periculis mortis in ordine ad finem supernaturalem per cognitionem fidei beatitudinis & bonitatis Dei. Ergo sufficit fortitudo acquisita & ordinis naturalis, & supernaturalis non requiritur, sed nedum possibilis videtur. antecedens probatur, quia honestas supernaturalis, quæ est objectum fortitudinis, non fit à cognitione etiam prudentiæ, quæ supponit honestatem objecti, dictat tamen, quando circa illud est operandum *ubi & quando & quomodo oportet*. atqui honestas supernaturalis non est enti naturali & honestati ejusdem ordinis, nisi per relationem ad finem supernaturalem à charitate promanantem, quod totum est quid extrinsecus adveniens & non immutans intrinsecam honestatem naturalem; atque ita circa illam non potest esse, nisi virtus fortitudinis ejusdem ordinis, non supernaturalis, quæ exigit in objecto honestatem intrinsicè supernaturalem.

Potest dici ex Patribus Carmeli, n. 21, quod honestas fortitudinis infusæ & supernaturalis habet duplicem ordinem, unum de linea charitatis, à qua ejus actus, vel actualiter formaliter, vel virtualiter imperatur à charitate, & iste ordo extrinsecus quidem est, & non facit honestatem intrinsice; supernaturalem alterum radicalem & fundamentalem, qui consistit in eo, quod sit talis mensuræ & proportionis cui debetur, ut quia ipsi debitum & connaturale actualis ordo in finem ultimum supernaturalem, & illa radicalis ordinatio est honestas & proximus finis virtutis infusæ, quæ regulatur diversa regula & prudentia scilicet infusa.

Verum enimvero; hæc solutio quæ communis est inter Thomistas & satis plausibilis, si prematur, non caret maxima difficultate, quia entitas objecti fortitudinis aut temperantiæ à parte rei est ordinis naturalis, cum sit circa passiones appetitus sensitivi moderandas & reprimendas. atqui ita in illa non potest esse radicalis relatio, cui debeatur & sit connaturale actualiter ordinari in finem supernaturalem, sed est tantum potentia obedientialis purè passiva, cui omnino extrinsice advenit referri ad finem supernaturalem, sicut est in actibus virtutis acquisitæ, ut ordinetur à charitate in eundem finem: quare sicut in actibus acquisitis non distinguitur duplex ille ordo, formalis & radicalis, sed formalis fundatus in potentia obedientiali ipsius respectu charitatis, ita in objecto fortitudinis ille ordo radicalis, cum non sit actualitas supernaturalis, solum est potentia obedientialis passiva, (sicut est in visu ad recipiendum lumen gloriæ, & in anima ad recipiendum gratiam) ut per fidem, quatenus practica est, & si vis, prudentiam ordinetur ad finem supernaturalem, & ponatur in medio in ordine ad illum; quæ ordinatio ad fidei dictamen nullatenus est connaturalis tali objecto fortitudinis, nec ordinatio in finem supernaturalem est illi debita, sicut nec regulari in ordine ad illum, sed totum est quid extrinsecum, sicut est imperium charitatis, respectu actus acquisiti: ita enim se habet regulatio rationis, respectu materiæ fortitudinis, sicut se habet charitatis imperium, respectu virtutis acquisitæ. sicut enim ista est naturalis, ita & materia ejus circa quam versatur, in qua honestas naturalis est intrinseca, utpote fundata in sua naturali actualitate. at honestas supernaturalis intrinseca esse nequit, cum respectu illius, solum sit potentia obedientialis pura absque aliqua intrinseca actualitate, respectu ordinis divini.

IV. Fundamentum sit, quia licet sit discrimen inter honestatem increatam Dei, quæ est objectum charitatis, & ejus honestatis per essentiam constitutio non pendeat à prudentia; & honestatem virtutis Moralis, quæ constituitur per prudentiam, quatenus materia virtutis, non attingitur ut honesta, nisi regulis prudentiæ subjaceat, illisque adæquetur, & ob hoc dicitur, quod objectum virtutis Moralis consistit in medio: nisi enim prudentia dictet in objecto esse mensuram sub qua attingi debet, attingentia ejus non erit actus virtutis: quamvis enim hoc discrimen sit manifestum, nec ab Scoti Discipulis negatum, cæterum nihil conducit hoc dictamen prudentiæ mensuram præscribentis materiæ virtutis Moralis, etiamsi sit in ordine ad finem supernaturalem ultimum, ut in materia ipsa relucеat honestas intrinseca supernaturalis, etenim prudentia & fides, prout practica mensurans, materiam fortitudinis solum determinat circumstantias in quibus operandum est circa illam, *quando*, scilicet, *ubi & quomodo oportet* operari; & in hoc consistit medium rationis inter extrema opposita virtuti, quod constituit prudentia, ut circa illud versetur actus fortitudinis. Omnes autem istæ circumstantiæ ordinis naturalis sunt, quamvis multoties ordinentur in finem supernaturalem ab extrinseco judicio rationis, tamen honestas desumpta ex circumstantiis. Præfatis etsi reguletur à ratione, tamen

men est à parte rei: non enim honestas amatur secundum esse cognitum, sed secundum quod est in re; in re tamen non est honestas supernaturalis intrinseca materiæ virtutis moralis, atque ita non potest esse infusa per se & supernaturalis, sicut sunt virtutes Theologicæ, quæ versantur circa honestatem increatam Dei quæ est illi intrinseca.

Hæc dixi in gratiam Illustrissimi & Sapientissimi Scotistæ D. D. mei D. Francisci Guerræ Episcopi Gaditani, quamvis etiam D. Thom. sententiam sim secutus in meo præcursore Theologo tract. de donis supernaturalibus controversia 5. existimo tamen Scoti & Discipulorum ejus esse probabilissimam, quam non sequor, ut consequenter loquar ad ea quæ semel scripsi & typis mandavi.

Assero igitur: præter virtutes acquisitas Morales quæ aliquando infunduntur per accidens, ut Adamo, Christo Domino, & pueris in limbo, & etiam illis, qui decedunt cum solo Baptismo & sunt in cœlo, dantur virtutes Morales per se infusæ & supernaturales. ita tenent Vasquez, Suarez, Amicus, Curiel, Patres Carmeli, Malderus, ubi supra, omnes Thomistæ 12. q. 63. art. 3. ubi Cajet. Medina, Alvarez, Magister Sanctus Thomas, Martinez, Illustrissimus Episcopus Segoviensis D. Fr. Franciscus Arauso, & alii hujus Scholæ, Ripalda de ente supernaturali disp. 45. art. 8. Tannerus 12. disp. 6. & est hodie communis extra Scoti Scholam, quam ex professo probat D. Thom. 12. q. 63. art. 3. & 4. & in 3. dist. 33. art. 2. q. 3. & de virtut. q. 1. art. 10.

Hujus sententiæ plures sunt qui urgent fundamenta, primo ponitur à S. D. art. 3. citato, quia ubi datur specialis ratio formalis supernaturalis objecti quod attingitur, ibi datur habitus & actus supernaturalis & infusus, quia circa supernaturale specificativum non potest haberi habitus, nisi ex infusione: sed circa materiam fortitudinis & temperantiæ, etiam si sit ordinis naturalis, in illaque nulla resplendeat honestas intrinsice supernaturalis (ut manifeste probant secundum & tertium fundamentum factum pro opinione subtilis Doctoris contra Patres Carmeli, nostræ sententiæ defensores,) tamen quatenus terminet actum virtutis Moralis naturalis, habet diversam rationem formalem ab ea quam habet ut terminat actum virtutis infusæ. Ergo dandus est habitus infusus, qui habitualiter tendat in aliam materiam sub ratione formali supernaturali, à quo habitu connaturaliter promanet actus ille. Minorem ostendo, quia objectum fortitudinis, temperantiæ, & reliquarum virtutum Moralium consistit in medio rationis, hoc est, medium à ratione practica & prudentia impositum circa materiam passionum, quæ moderantur & mensurantur à ratione. Bonum autem cujuslibet mensurati & regulati consistit in hoc, quod conformetur suæ regulæ, sicut bonum in artificiatis est, quod sequatur regulam artis, & malum quod ab ea dissentiat & discordet. atque ita bonum virtutis Moralis consistit in adæquatione & conformitate ad regulam rationis, quamvis virtus Moralis habeat pro materia & objectum formale *quod*, passiones regulatas, tamen objectum formale *sub quo* passiones illæ habent honestatem objectivam, est rationis regula mediatrix extremorum. atqui diversa mensura est, & in ordine ad diversum finem regula rationis humanæ acquisitæ in ordine ad finem naturalem, & regula divina, quæ à fide supernaturali originatur in ordine ad felicitatem æternam. Ergo ab istis mensuris eadem materia diverso modo mensurabitur, & sic erit diversa honestas objectiva terminans diversas virtutes Morales acquisitas & infusas & supernaturales, si materia virtutis reguletur secundum regulam divinam: non enim materia virtutum habet honestatem naturalem, nedum supernaturalem; nisi in ordine ad regulam rationis à qua originatur honestas in illa materia. Itaque honestas objectiva virtutum moralium, quæ specificat actum & habitum virtutis, conflatur ex materia naturali & regula rationis, illa tamquam objectum *quod* attingitur, & ista tanquam ratio formalis *sub qua* attingitur; atque ita si ratio ista mensuræ rationis fuerit supernaturalis, honestas supernaturalis erit, quia materia conformatur regulæ & fini supernaturali. quare honestas ista supernaturalis conflatur ex passionibus naturalibus, secundum quod habent potentiam obedientialem, ut regulentur à regula supernaturali & divina, & ex regula ipsa secundum quod extrinsice illas mensuratur: nisi enim esset ratio ista formalis supernaturalis, impossibile esset, quod circa materiam naturalem versaretur actus supernaturalis aut habitus infusus. non tamen est necessarium, quod ista ratio formalis *sub qua* insit objecto formali *quod* attingitur & quid terminat; sat est quod illi adsit extrinsicè & inseparabiliter, sicut in fide objectum formale terminativum attingitur propter motivum supernaturale extrinsecum, scilicet divinam veracitatem.

Ex quo constat male dixisse Ripaldam ubi supra n. 8, actus virtutis Moralis infusæ & supernaturalis versari circa bonitatem naturalem tamquam motivum formale, quia ut virtus Moralis infusa intendat elicere actum supernaturalem, necessarium non est, quod attendat regulam supernaturalem: hoc enim rustici non faciunt, imo nec docti & spirituales homines. In hoc, inquam, fallitur iste, & ex suo cerebro, ut assolet, loquitur absque solido fundamento: implicat enim quod motivum & ratio formalis *sub qua* sit naturalis, & quod habitus aut actus circa illam supernaturalis sit in substantia, neque requiritur, ut fallitur Ripalda, quod ratio formalis *sub qua* & honestas supernaturalis quæ desumitur in ordine ad regulam supernaturalem, proponatur aut cognoscatur in actu signato ut supernaturalis, sat est, quod in actu exercito tendat appetitus & voluntas in bonum regulatum à regula ordinis divini.

Colligitur 2, quod honestas supernaturalis, quam attingit virtus infusa Moralis, non consistit in illa radicali & fundamentali habitudine, ut volunt Patres Carmeli; sed potius in hoc, quod per fidem & prudentiam infusam ponatur medium secundum regulas legis divinæ in ordine ad finem supernaturalem, ut constituatur quis civis cœlestis Hierusalem, sicut modus & medium quod constituit, temperantia infusa est, quod quis sic abstineat à cibo & potu, ut castiget corpus suum & in servitutem redigat. quem modum & medium non habet temperantia & abstinentia acquisita, sed ut non noceat corpori, aut non impediat rationis usum. sic etiam est de medio quod constituit fortitudo infusa non timere maxima pericula mortis in bello particulari inducto à Tyranno, ut testificetur quis fidem Christi veram esse, & ut ipsum Christum imitetur, moriendo propter veritatem supernaturalem. quod medium non constituit fortitudo acquisita, sed ut quis defendat Patriam aut bonum commune. quare tam honestas acquisita mensurata prudentia naturali, quam honestas supernaturalis mensurata prudentia infusa, consistit in materia ipsa constituta in mediocritate, vel per prudentiam acquisitam, si fuerit naturalis, vel per infusam, si fuerit supernaturalis; unde neutra honestas est intrinseca materiæ secundum se, sed prout regulatur à ratione, & sic concludit regulam ipsam ex connotato à qua accipit

accipit sicut honestatem ita supernaturalitatem. atque ita est manifestum, quod si est regula reddens objectum honestum supernaturalis honestas hujus objecti, erit supernaturalis, quia bonum cujuscumque mensurati, ut mensurati, consistit in hoc quod conformetur suæ regulæ, quæ si supernaturalis est, implicat quod mensuratum, ut sic non pertineat ad eundem ordinem supernaturalem.

II. Fundamentum posuit S. Th. art. 4. citato his verbis: *alio modo distinguuntur habitus secundum ea ad quæ ordinantur: non enim est eadem specie sanitas hominis & equi, propter diversas naturas ad quas ordinantur: & eodem modo dicit Philosophus 3 Polit. cap. 3, quod diversæ sunt virtutes civium, secundum quod bene se habent ad diversas politias, & per hunc etiam modo differunt species Moralis virtutis infusæ, per quam homines bene se habent in ordine ad hoc quod sint cives Sanctorum & Domestici Dei, & aliæ virtutes acquisitæ, secundum quas homo bene se habet in ordine ad res humanas.* Quod fundamentum summam habet profunditatem, quam posuerunt Patres, qui dubio procul locuti sunt non de virtutibus Moralibus in ordine ad res humanas, sicut Philosophi gentiles, sed in ordine ad res divinas, sicut locuti sunt Sancti: August. tract. 8. in primam Ioannis, numerans virtutum Moralium chorum dicit: *Dominus Iesus Christus incipiens habitare in interiori homine nostro per fidem, utitur his virtutibus quasi ministris suis.* Et quidem quod Sancti Patres non loquantur Philosophice, sed Theologice, hoc est, in ordinem ad cœleste regnum Dei. de virtutibus Moralibus constabit legenti S. Greg. Magnum hom. 5 in Ezechielem, Ambr. lib. 6 Hexaëm. c. 7, & in Psal. 118 serm. 21, August. lib. 4 contra Julianum cap. 3, Hieron. in Procemio ad Lamentationem Hieremiæ, Prosperum lib. 3 de vita contemplativa cap. 16, Bernar. serm. 1. S. Victoris, Clementem Alexandrinum lib. 4 Stromat. Tertul. in lib. ad Martyres, Nazianz. in Apologetico 1. Basilium oratione de virtutibus & vitiis.

Respondent Doctores oppositæ sententiæ, quod Patres loquuntur de actibus virtutum Moralium, non de habitibus: isti enim sunt ex natura sua acquisiti, quamvis aliquando infundantur per accidens, actus autem si fiant *prout oportet* ad consecutionem regni cœlestis, sunt per se infusi, quia per se dimanant à gratia sine qua est de fide quod nullus actus virtutis Moralis fit *prout oportet.* cæterum hoc effugium non videtur posse subsistere, quia Patres cum in suis tractatibus non explicant se agere de actibus, sed loquuntur de virtutibus Moralibus in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, sicut locuti sunt Philosophi gentiles in ordine ad conservationem finis humani; atqui ita loquuntur de virtute abstrahente ab actu & habitu, & prout utrumque comprehendunt. Ergo & Patres 2, circa eandem materiam difficilem, circa quam est actus, isto transacto permanet habitus, vel circa objectum ipsius habitus potest infundi habitualis inclinatio, nec assignari potest aliqua repugnantiæ ratio, & si potest esse, nullum est absurdum quod sit. sicut quamvis ex sententia Scoti sit fides divina, charitas, & spes acquisita, sunt tamen nihilominus infusæ, quod autem sint etiam Morales infusæ, constat ex Patribus; at Catechismo Pii V, part. 2. cap. 2. §. *si gratiæ* (inquit) *additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratia divinitus infunduntur.*

III. Fundamentum sumitur ex art. 3. ejusdem q. 63, ex proportione quadam, valde in eo videri necessaria, inter virtutes acquisitas ad prima principia Moralia ex quibus originantur, & virtutes Morales infusas ad principia supernaturalia. sicut enim ex primis principiis Moralibus, quæ sunt virtutum Moralium semina & inceptiones, ut dicit S. Prosper libro contra Cassianum collat. 14, in hoc ipsi collatori consentiens (sicut & consentiunt cæteri Patres) sequuntur virtutes ipsæ Morales acquisitæ tamquam effectus proportionati suæ causæ, quæ sicut pertinet ad ordinem rationis naturalis, ita & ipsi naturales sunt. loco autem horum principiorum naturalium, (quæ dantur à Deo ut autore naturæ, ab ipsoque simul cum anima concreantur) dantur à Deo in ordine supernaturali principia quædam supernaturalia & infusa, tam in voluntate, quam in intellectu in quo est fides, & in voluntate spes & charitas; & sic ex istis principiis infusis sequi debent virtutes Morales infusæ, tam in intellectu, quam in appetitu & voluntate. cur enim ad bonum congenitum rationi naturali debent sequi virtutes Morales in ratione & appetitu, & non ad bonum congenitum per fidem supernaturalem? alias enim ut egregie D. meus Cajetanus ibi § *sed ut.* contemplatur, si ita non esset, perfectio supernaturalis in suo ordine & ab intrinseco incompleta maneret, si solum essent virtutes supernaturales circa finem, & non circa media; circa quæ si non sunt virtutes supernaturales, charitas non haberet virtutes sibi proportionatas ad consequendum finem. Vnde actus virtutis Moralis acquisitæ non est proportionatus charitatis effectus, quamvis ab illa possit imperari, & sic esse meritorius vitæ æternæ cui proportionatur per imperium, tamen entitas ipsa naturalis actu virtualiter est improportionata: ordo autem supernaturalis, cum sit perfectissimus, exigit, quod sicut ipse est supernaturalis etiam actus circa media quibus consequitur, non solum ex imperio sed intrinsice supernaturales sint. Confirmatur valide hoc fundamentum, quia fides etiam ut practica non dat medium, nisi remotè in ordine ad finem supernaturalem. quare necessaria est prudentia infusa, sicut S. Synderesis non ponit medium rationis in materia virtutum Moralium, nisi media prudentia acquisita, quæ dictat de mediis, ut virtus Moralis versetur circa materiam suam.

Quartum fundamentum jacitur 1. 2. q. 110. art. 3. & ego latissime discussi in meo præcursore Theolog. ubi supra, quia non videtur, quod esse supernaturale, quod quis acquirit per gratiam habitualem, quæ est participatio divinæ naturæ, connaturaliter & proportionatè operetur nisi virtutibus ejusdem ordinis, sicut quia anima rationalis ut talis est supra materiam corporalem, potentiæ ejus etiam nullo corporeo organo continentur. ergo non solum dantur virtutes infusæ circa ultimum finem, sed etiam circa media illi proportionata. hanc rationem valde efficacem existimo, quam late discutiunt Patres Carmeli, ubi supra, & ἐνέργεια in hoc solum consistit.

Ad fundamenta Scoti jam patet facilis solutio, ad 1. respondetur, quod Trid. solum agit de infusione trium virtutum Theologalium, quæ sunt dispositiones necessariæ ad justificationem, quales non sunt virtutes Morales infusæ. quare de illarum infusione non tractavit, ejus discussionem relinquens Theologis.

Ad 2. Respondetur, quod Augustinus non existimavit, esse veram virtutem quæ non est in ordine ad finem supernaturalem cognitum per fidem quæ per dilectionem operatur, & omnes alias sicut steriles ita & vitia quatenus carent ordinatione ad finem debitum. Sed quidquid sit de hoc, concedimus virtutes esse Morales acquisitas, sed in ordine ad finem humanum & temporalem honestatem de qua disputabant Philosophi: at nos Christiani aliam honestatem superna-

pernaturalem agnoſcimus in medio virtutum ad quod damus virtutem ſupernaturalem.

Ad III Reſpondetur optime, ibi impugnari Patres Carmel. ſed nos alio modo explicamus ſupernaturalem honeſtatem circa quam verſantur virtutes Morales infuſæ, ut ſupra art. dixi.

Ad IV Reſpondetur, quod licet in materia virtutum Moralium & ejus circumſtantiis, quatenus concernunt ordinem naturæ, non ſit aliqua honeſtas ſupernaturalis intrinſeca, tamen, ut tam materia ipſa quam circumſtantiæ, regulantur prudentia infuſa & fide ſupernaturali, relucet ſupernaturalitas ſufficiens, ut ſit motivum virtutis infuſæ, ſicut ſpes naturalis ordinis infuſæ animæ Chriſti, & infuſæ ſupernaturales ejuſdem objecti; quamvis verſentur circa idem objectum *quod* naturale, tamen, quia ſub diverſo modo & in ordine ad diverſum lumen, ſpecie differunt.

RESOLVTIO IX.

In quo ſubjecto inſit fortitudo ſupernaturalis & infuſa.

CVm duplex ſit motivum virtutum Moralium, unum quod eſt bonum alienum in ordine ad quod voluntas non eſt ſufficienter completa; ad quod proſequendum, neceſſario eſt complenda per aliquam virtutem; hanc voluntati ineſſe certum eſt, ut juſtitia & ejus partes: alterum eſt bonum proprii ſuppoſiti, quod conſiſtit in mediocritate paſſionum quæ moderantur rationis & prudentiæ dictamine tam in ordine ad finem naturalem, quod facit prudentia acquiſita, quam in ordine ad ſupernaturalem, quod facit infuſa; cumque fortitudo ſit virtus contra paſſiones appetitus ſenſitivi, eſt difficultas, an iſta primario recipiatur in appetitu ſenſitivo, an vero in voluntate, ſicut ſubjectatur juſtitia.

I. Sententia tenet in appetitu ſenſitivo virtutem naturalem, nec ſupernaturalem ſubjectari, ſed omnem omnino virtutem etiam circa moderantiam paſſionum ſoli ineſſe voluntati. Ita Scotus in 3. diſt. 33. q. unica. Quem ſequuntur ejus in Doctrina alumni. Vaſquez 1.2. diſp. 87. cap. 2. Probatur primò, quia, ut ait Ariſt. 3 Ethicorum cap. 2, quem ubique ſequitur S. D. virtus propria eſt habitus electivus, atque ita debet eſſe primario in ſubjecto, quod primario eſt electivum quale eſt ſola voluntas: II. Quia actus virtutis eſt actus liber cum ſit capax bonitatis Moralis; atque ita ſolum debet ineſſe potentiæ, quæ eſt principium libere operandi, quale non eſt appetitus ſenſitivus, ſed ſola voluntas & ratio; ſiquidem liberum arbitrium eſt *facultas voluntatis & rationis.* III. Quia objectum virtutis eſt bonum honeſtũ, quod nequit ſenſitiva potentia attingere; cujus objectum adæquatum eſt bonum ſenſibile, honeſto bono ſæpe contrarium & ſemper inferioris ſphæræ, à qua imperium rationis non poteſt appetitum extrahere, cui ſenſus nequit proponere, niſi bonum ſenſibile & delectabile. IV. Si fortitudo infuſa eſſet in appetitu ſenſitivo, ejus actus eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia, ſicut eſt ipſe habitus; & actus appetitus ſenſitivi non poteſt eſſe talis, cum actus hujus potentiæ non eſt aliud, quam paſſio & actus virtutis eſt paſſio regulata ratione; atqui paſſio nequit eſſe ſupernaturalis in ſubſtantia, tum quia daretur ira ſupernaturalis, & audacia & timor mortis, &c. Quod nullus dixit, tum quia objectum appetitus non habet objectum ſupernaturale in ſubſtantia, ſed ſolum quoad modum regulationis per prudentiam infuſam. V. Quia licet appetitus ſenſitivus eliceat actum fortitudinis ſupernaturalis, movetur tamen à voluntate eligente & imperante; quæ motio cum fiat à natura voluntatis, in iſta debet eſſe virtus ſupernaturalis ipſam elevans ad tale imperium & motionem; tum maxime, quia reſpectu boni ſupernaturalis virtutis fortitudinis non eſt completa voluntas, atque ita compleri debet virtute ex alto.

II. Nihilominus ſententia probabilior & ſequenda eſt, quæ dicit fortitudinem primario ſubjectari in appetitu ſenſitivo, in voluntate tamen non ineſſe virtutem iſtam (& idem judicium eſt de aliis quæ verſantur circa paſſiones.) Ita expreſſe D. Th. pluribus in locis, q. unica de virtut. art. 10 ad 11. ibi, *iraſcibilis & concupiſcibilis accipiunt nomen rationis vel rationalis, in quantum participant aliqualiter rationem, in quantum obediunt ei, & ſecundum eundem modum accipiunt nomen mentis; ut verum ſit, quod Auguſt. dicit, quod virtus eſt bona qualitas mentis.* & in 3. diſt. 33. q. 2. art. 4. q. 2 ad 3 dicit, *quod virtus Moralis acquiſita eſt in appetitu ſenſitivo prout movetur à ratione; ſed infuſa, ſubjectatur in eodem ſecundum quod movetur à charitate.* Idem docet 1.2. q. 85. art. 3. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ teſte Salas ibi, diſp. 6. q. 5. Monteſin. diſp. 36. art. 14.

Hujus ſententiæ unicum eſt validum fundamentum. quia in illa potentia eſt virtus habitus ubi eſt primarius illius actus: eſt enim habitus *diſpoſitio perfecti ad optimum*, & ita ubi eſt optimus & primarius actus, ibi inhærere debebit habitus: atque in appetitu ſenſitivo eſt primarius actus fortitudinis, & aliarum virtutum Moralium quæ moderantur paſſiones ſupernaturalium & infuſarum. Ergo in illo primario ſunt. non enim ſufficit, quod ſit virtus Moralis aut Theologa in voluntate, ut appetitus ſenſitivus ſit bene diſpoſitus ad ſuum primarium actum, qui eſt paſſio moderata ſecundum regulas prudentiæ infuſæ. Cujus ratio eſt, quia, ut ait D.Th. 1.2. q. 56. art. 4. actus qui progreditur à potentia ab alia mota & directa, non bene fit, niſi tam movens quam mota ſit bene diſpoſita. ſi enim artifex non ſit bene diſpoſitus, ſimiliter & inſtrumentum ab illo motum opus artis non bene fiet: & ita, ſi voluntas non ſit bene diſpoſita per charitatem aut aliud principium ſupernaturale, ſimiliter & appetitus ſenſitivus opus fortitudinis non recte, & prout oportet elicietur. Tum 2, quia actus fortitudinis non poteſt habere rectitudinem intrinſecam formalem ſupernaturalem immediate cauſatam à prudentia infuſa quæ eſt in illo, nec ab alia virtute quæ inſit voluntati: utraque enim inhæret diverſæ potentiæ, & ita eſt manifeſtum, quod tamquam cauſa principalis non poteſt immediatè cauſare effectum in appetitu ſenſitivo, quia hic actus eſt paſſio timoris aut audaciæ regulata à prudentia infuſa aut acquiſita, quæ ſolum eſt in ſenſitiva parte, & ſic in Deo aut Angelis fortitudinem & temperantiam propriam non ponimus, quia hujuſmodi virtutum actus conſummati ſunt in corpore quo caret divinitas & Angelus.

Ex dictis facile ruunt fundamina oppoſita. Ad 1. reſpondet egregiè D.Th.q. unica de virtut. art. 4. *ad ſecundum dicendum, quod actus virtutis non poteſt eſſe iraſcibilis aut concupiſcibilis tantum ſine ratione. id autem, quod eſt in actu virtutis, ſcilicet electio ſicut & in qualibet operatione, principalior eſt agentis actio, quam paſſio patientis; ratio enim imperat iraſcibili & concupiſcibili. Non ergo pro tanto dicitur eſſe virtus in iraſcibili; quaſi per eam totus actus virtutis, vel principalior pars explicatur, ſed in quantum per virtutis habitum ultimum complementum bonitatis actus virtutis confertur in hoc, ſcilicet, quod concupiſcibilis & iraſcibilis abſque difficultate ſequantur*

ordinem rationis. ita Sanctus, qui in 3 citato loco ad 2 dicit, quod in sensitivo appetitu est *electio per participationem eo ipso, quod libere imperatur à voluntate & ratione, sicut & participat etiam & libertatem*. quare in illo est propria virtus. & sic patet solutio ad 2, quod quamvis in voluntate sit libertas primo & per se, tamen in appetitu sensitivo hominis est libertas participata, sicut & in æstimativa ejusdem est discursus & syllogizatio circa singularia, & sic dicitur à multis *secundus intellectus*.

Ad III, quod honestas, quæ est objectum fortitudinis supernaturalis, non attingitur, immò nec attingi potest ab appetitu sensitivo, quatenus in actu signato cognoscitur per rationem: ut sic enim est proprium objectum appetitus rationalis, cujus objectum est bonum cognitum à ratione. quare honestas ista attingitur ab appetitu sensitivo in actu exercito, quatenus supernaturalis, id est, quatenus in actu signato est bonum sensibile regulatum prudentia infusa, circa quod tendit actu supernaturali, qui sicut habitus ipse inhæret appetitui sensitivo secundum potentiam obedientialem, sicut charitas inhæret voluntati, estque illi tota & adæquata ratio agendi. nec inconvenit, quod aliquid corporeum & materiale sit supernaturale, sicut est virtus inhærens Sacramentis.

Ad IV, Omissis pluribus quæ sine necessitate, & parum consequenter ad principia Thomistica inculcant R. R. Carmeli: si enim actus virtutum Moralium infusarum sunt naturales in substantia, quæ causatur à virtute naturali appetitus, & solum sunt supernaturales quoad modum Moralitatis propter quam sunt, virtutes infusæ istæ non essent simpliciter necessariæ, sed ad substantiam actus fortitudinis, quæ naturalis est, concurreret virtus acquisita, & ad Moralitatem supernaturalem aliquod auxilium supernaturale, à quo dimanaret modus ille supernaturalis: si enim habitus est per se infusus in Schola D. Th. simpliciter necessarius ad actum, implicat, quod actus non sit simpliciter & quoad substantiam & entitatem Physicam supernaturalis: alias autem actus fidei infusę immò & charitatis posset esse supernaturalis quoad modum, & naturalis quoad substantiam. quod si non potest, ideo est, quia motivum, quod respiciunt, est supernaturale in substantia, quamvis objectum *quod* possit ratione investigare naturali; motivum actum, sicut objectum formale honestum, fortitudinis infusæ etiam est supernaturale, & ita substantia & essentia actus, sicut & habitus, supernaturalis est, & non solum Moralitas. quare in hac solutione Scotizarunt insignes Thomistæ Carmeli.

Respondetur ergo ad argumentum, concedendo quod actus appetitus sensitivi eliciti à virtute infusa supernaturali, est supernaturalis in substantia: non enim major est implicatio in actu, quam in habitu. quare passio sensitiva regulata à prudentia infusa, quamvis sit circa materiam naturalem, tamen, quia est ex motivo supernaturali, & secundum proportionem ad bonum æternæ gloriæ est supernaturalis in substantia, unde timor sanctus, zelus sanctus, & aggressio periculi mortis propter Deum, dubio procul etiam in sua essentia nihil naturale involvunt, sed totum est supernaturale; ira autem & audacia, quia ex sua primęva origine ducunt defectum rationis, absolute non est dicenda supernaturalis, nisi aliquid addatur quod excludat vitiositatem.

Ad V. Respondetur 1, quod in voluntate sunt habitus quidam mediis quibus voluntas imperat appetitui actus virtutum Moralium infusarum, mediis quibus habitibus superioribus constituitur voluntas in statu proximo perfecto ad imperandum omnibus suis potentiis, sicut in voluntate datur habitus piæ affectionis, quo medio imperat intellectui ad credendum fide divina, ex quo habitu voluntatis, & habitus fidei fit unus habitus voluntarius, & una virtus; habitus tamen piæ affectionis, seclusus ab habitu fidei, non est simpliciter virtus fidei, sed quasi illius inchoatio. ita habitus isti supernaturales non sunt propriè virtutes Morales, sed illarum inchoationes, ex quibus & virtutibus appetitus supernaturalibus, quæ sunt harum inchoationum *complementum*, fit una virtus Moralis voluntaria, sicut ex imperio voluntatis & actu fortitudinis appetitus fit unus actus in genere moris, sicut ex actu interno & externo.

Respondetur II verbis D. Thom. in 3 sententia, ubi supra ad III. quod *virtutes infusæ sunt nobiliores potentiis naturalibus, eis tamen omnibus nobilior est charitas, quæ est in voluntate, qua mediante ratio inferioribus viribus præcipit, & ideo non est inconveniens, quod à charitate motus aliarum virtutum etiam imperentur*. hoc S. D. qui nullam aliam virtutem infusam præter charitatem agnoscit, ut voluntas proportionata sit ad imperium aliarum virtutum infusarum. quod clarius hoc imperium elucet in actu fortitudinis infusæ quem 2.2. q. 124. art. 3, dicit esse imperativè actum charitatis, ut explicabo Resolut.....

RESOLVTIO X.

Vtrum patientia & fortitudo supernaturalis possit esse informis.

Certum debet esse juxta Arist. & S. Th. principia Ethica, quod sicut sine prudentia nullus habitus acquisitus, est virtus propriè dicta, ita nullus habitus infusus, rationem virtutis strictæ & propriæ assequitur sine gratia habituali & charitate ab illa dimanante & ab ista imperata. quare etsi Philosophi gentiles habitus Politicos virtutes nominarint, tamen, secundum Theologum, hanc denominationem sortiri non possunt, ut notabat D. Th. de verit. q. 14. art. 6 ad 5. ubi concludit, quod fides et spes infusæ manent in peccatore ad eliciendos proprios actus supernaturales, manent tamen informes & sine exercitio virtuoso etsi sit exercitium supernaturale. idem ergo inquirimus inpræsentiarum, an sicut fides & spes infusæ manent informes in peccatore, ita possit manere fortitudo supernaturalis informis, sicut manet fides in peccatore.

Dubium quidem ingeniolo meo valde difficile; non enim video rationem, cur cum peccator possit elicere actum fortitudinis & temperantiæ, supernaturalis & infusæ, sicut elicit actum fidei & spei supernaturalis; cur sicut ad istos manent habitus fidei & spei informes & imperfectio in esse virtutis, & in voluntate sine charitate manet habitus ad eliciendum pium credulitatis effectum, & in illo habitum ad eliciendum judicium credulitatis præcedens fidem; cur non maneat in peccatore habitus fortitudinis supernaturalis; vel si iste elicitur ab auxilio supernaturali, cur actus fidei & spei in peccatore requirat habitum, & non sufficiat auxilium. Etenim tam supernaturalis est actus fortitudinis, quam actus fidei. Deinde, quia quamvis communior securiorque opinio sit, quod inter virtutes Morales in esse perfecto sit mutua connexio, non tamen secundum esse imperfectum: nam in hoc statu imperfecto potest esse temperantia sine fortitudine. Ergo quamvis fortitudo in esse virtutis perfectæ infusæ requirat gratiam & charitatem, quæ est illius forma, non tamen in esse virtutis imperfectæ etiam infusæ, & sic D.Th. 1.2. q.63. art.2

art. 2 ad 2. dicit, quod virtus divinitus infusa, maxime si in sua perfectione consideretur, non compatitur secum aliquod peccatum mortale. & tandem, quia, ut egregie D. Cajet. 2. 2. q. 23, art. 7, ubi D. Th. dicit, non posse esse veram virtutem sine charitate; explicat Cardinalis, quod D. S. loquatur tamquam Theologus qui contemplatur virtutes in ordine ad finem supernaturalem, in ordine ad quem non est aliqua vera virtus sine charitate quæ respicit, ut primarium objectum, finem ultimum: non tamen loquitur ut Philosophus; hic enim solum respicit finem ultimum naturalem humano modo acquisibilem, in ordine ad quem sunt virtutes perfectæ in genere, quamvis non simpliciter, quia hoc solum præstat finis ultimus supernaturalis. Ex quo ergo sic discurro. Theologus, qui considerat entis supernaturalitatem, & actus virtutum infusarum honestatem, dupliciter eam considerat, vel quatenus præcise est ordinis altioris & divini; & ad hoc non indiget charitate, quia sine ista possunt esse actus hujus ordinis altioris & divini, & ad hoc non indiget charitate, quia sine ista possunt esse actus hujus ordinis, ac per consequens possunt esse & habitus, qui non sint virtutes simpliciter sicut nec actus, vel quatenus isti actus sunt meritorii & vera obsequia facta Deo, & ut sic semper est necessaria charitas. Vltimo, quia, etsi honestas fortitudinis & patientiæ infusæ ordinetur ad finem ultimum, qui est objectum charitatis, sicut & honestas fidei & spei, tamen illa honestas proxime propter se amabilis, & est motivum specialis virtutis distinctæ à charitate. Ergo etiam, si ista non existat, illa potest in homine peccatore conservari.

P. Franciscus Suarez lib. 2 de gratia, cap. 3, art. 10 asserit circa præsens dubium, quod virtutes omnes Morales infusæ simul infunduntur & simul pereunt cum gratia habituali, cui sunt connaturales, & quasi proprietates ab illa dimanantes, quibus homo fit indignus, sicut fit indignus gratia habituali per peccatum mortale, & illis meretur de toto rigore Iustitiæ privari: cum enim peccator, dum peccat imprudenter facit, amittet prudentiam infusam, sine qua implicat, quod sint virtutes Morales infusæ, sicut acquisitæ subsistere nequeunt sine prudentia acquisita; tum præcipue, quia per peccatum mortale homo avertitur à fine ultimo supernaturali. virtutes autem Morales infusæ, cum sint circa media conducentia ad illum finem, si subjectum non est bene dispositum per amorem finis ultimi supernaturalis, non est etiam bene dispositum ad virtutes Morales infusas, quia electio mediorum promanat ex amore & intentione saltem virtuali finis. quare secundum exigentiam connaturalem virtutes istæ à charitate in suo conservari dependent.

Cæterum, addit præfatus P. art. 11, de potentia absoluta & miraculo interveniente, hujusmodi virtutes infusas Morales posse conservari sine charitate, sicut conservantur fides & spes; tum quia solum dependent à charitate in genere causæ efficientis non vitalis; quem concursum supplere potest Deus, tum etiam, quia actus harum virtutum eliciuntur ab homine peccatore medio auxilio. Cur ergo non potest Deus infundere ad similes actus & habitus earundem virtutum, quibus eleventur potentiæ connaturales, sicut elevatur auxilium, tum & maxime, quia homo aversus à fine ultimo supernaturali, potest elicere actum fortitudinis & patientiæ infusæ, qui versatur circa propriam honestatem harum virtutum supernaturalem. Ergo etiam potest habitus fortitudinis manere in eodem informis & sine charitate, cum circa idem objectum honestum versetur habitus & actus virtutis.

Dicta sunt hæc maximâ cum probabilitate. vereor tamen esse contra S. D. Eminentissimum Cajetanum & Scholam Thomisticam. quare dicendum: implicat in terminis, quod aliqua virtus Moralis supernaturalis, per modum habitus infusa, simul cum gratia habituali perseveret in homine peccatore, si non conservatur gratia & charitas. & eodem modo, quod istæ de potentia absoluta possunt conservari, possint etiam virtutes Morales. ita mihi videtur expresse docuisse S.Th. 1. 2. q. 65. art. 2, & 2. 2. q. 23. art. 7. cujus fundamentum sic fabricatur: quia supernaturalis & infusa virtus, dum infundatur nobis à Deo, habet perfectam & veram rationem virtutis, cum Dei opera perfecta sint; sed virtus Moralis implicat, quod sit sine prudentia, etsi sit Moralis infusa sine prudentia infusa, de cujus ratione est, quod non sit informis sine charitate supernaturali. Ergo de primo ad ultimum fortitudo & patientia supernaturalis non potest etiam de potentia absoluta esse informis sine charitate. minorem, quoad utramque partem, simul docuit S.Th. 1. 2. q. cit. 4 ad 1. his elegantibus verbis: *Ad 1 dicendum, quod virtutes Morales dependent à prudentia; prudentia autem infusa, nec rationem prudentiæ habere potest absque charitate, utpote deficiente debita habitudine ad primum principium, quod est ultimus finis. fides autem & spes, secundum proprias rationes, nec à prudentia, nec à charitate dependent*, (ut manifeste probat in corpore articuli) *& ideo sine charitate esse possunt, licet non sint virtutes sine charitate.* hæc ibi. Cui consonat Dominus Cajetanus, ibi. § in eodem art. sic loquens: *in hoc est differentia inter fidem infusam & prudentiam infusam, quod, licet neutra, in quantum virtus, possit esse sine charitate; fides autem, in quantum fides, esse potest sine illa, quia potest habere sine illa opus suum: salvatur enim sine illa intellectus motus à voluntate ad credendum Deo, secundum regulam divinæ revelationis, licet non perfecte. prudentia autem infusa, nec in quantum prudentia, potest esse sine charitate, quia, in quantum prudentia, dependet magis ab ultimo, quam à finibus proximis, sicut scientia à primis principiis: & propterea, sicut non potest esse sine Moralibus infusis, à fortiori non potest esse sine charitate.* Ita Cajet. & utrumque Thomam sequitur consonus Thomistarum chorus.

Ratione etiam probatur eadem minor, & quidem quoad primam partem, quod virtus Moralis non possit esse sine prudentia, constans est omnium tam Philosophorum, quam Theologorum sententia 1. 2. q. 57. art. 5, & 6 Ethicorum cap. 5, cum enim ad rectam virtutis operationem duo requirantur, & quod recte quis eligat media proportionata ad finem intentum, & rectitudo intentionis; ad hoc datur virtus in appetitu, ad illud vero requiritur rectitudo rationis, quam sola prudentia præstat ista; ergo & necessaria ad virtutem, & sine illa ista sustinere nequit.

Quod ad secundam partem, manifesta est minor nostri discursus, quod scilicet prudentia infusa non possit esse sine charitate, quia de ratione prudentiæ est, quod homo rectè se habeat circa ultimum finem, sicut in intellectu pure speculativo implicat, quod sit discursus scientificus, nisi intellectus bene se habeat circa primum principium immonstrabile, quod est, contradictoria non posse simul esse vera. atqui respectu ultimi finis supernaturalis disponitur quis bene per charitatem. Ergo sine charitate implicat, quod sit prudentia infusa, si sit habitualis sine charitate habituali; & si sit actualis, sine charitate actuali virtualiter aut formaliter. Alia plura circa probationem ejusdem partis vide in D. Cajet. 1. 2. q. 58. art. 4, ubi

ubi S. D. in corpore art. manifestam hujus veritatis tradit rationem, his verbis: *Sine prudentia esse non potest Moralis virtus, quia Moralis virtus est habitus electivus, id est, faciens bonam electionem. ad hoc autem quod electio sit bona, duo requiruntur; primò, ut sit debita intentio finis, & hoc fit per virtutem Moralem, quæ vim appetitivam inclinat ad bonum conveniens rationi, quod est finis debitus. secundo, ut homo rectè accipiat ea quæ sunt ad finem, & hoc non potest esse, nisi per rationem rectè consiliantem, judicantem & præcipientem, quod pertinet ad prudentiam.* hæc ibi. Quare existimo, non minus implicare, dari virtutes Morales infusas, tam quoad habitum, quam quoad actum sine prudentia infusa, sive quoad actum, sive quoad habitum, quam quod detur voluntas expedita sine intellectu aut actus amoris sine actuali cognitione. & eadem est implicatio quod detur prudentia infusa sine charitate.

Cæterum, cum in homine peccatore actus virtutis infusæ boni ex objecto & omnibus circumstantiis adeo præcedit actus prudentiæ infusæ, & ad istam præcedit actus dilectionis Dei, quæ (phrasi Augustiniana contra Pelagium) charitas dicitur, quatenus est amor Dei supernaturalis ultimi finis, quamvis non sit charitas perfecta, quæ attingit Deum propter se ipsum & suam bonitatem supernaturalem. quare est quædam charitas imperfecta, qua peccator incipit *Deum diligere tamquam omnis Iustitiæ & gratiæ fontem*, ut ait Tridentina Synodus, sess. 6. cap. 6. Hic intelligitur clare modus loquendi August. & discipulorum Prosperi & Hilarii, contra inimicos gratiæ Christi. qui modus passim invenietur lib. 1 de gratia Christi. lib. 2 contra epistolas Pelagian. lib. 3 contra Iulian. & toto libro de prædestinatione Sanct. & de dono perseverantiæ, dum dicit, nullum actum virtutis esse prout oportet, nisi dimanet à charitate & dilectione Dei, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* hoc autem intelligi nequit de charitate virtute Theologica contradistincta à fide & spe, sed de dilectione quæ est amor imperfectus finis ultimi supernaturalis, & reperitur etiam in homine peccatore. cujus August. Doctrinæ ratio fundamentalis est, quam jecit Sanctus Thom. quia non potest esse actus *prout oportet*, nisi sit regulatus prudentia infusa. ista autem non potest subsistere sine amore saltem imperfecto ultimi finis supernaturalis. & hoc est, quod dicebat S. D. contra Iulianum, quod virtutes Morales infusæ *non distinguuntur officiis sed finibus.*

Ex dictis corruunt fundamenta opposita. Ad I. respondetur, quod fides & spes, in suis objectis, non pendent à prudentia infusa, sicut neque habitus piæ affectionis credendi, sicut dependent virtutes Morales infusæ. quare istæ non manent in peccatore, secus vero habitus fidei & spei infusi.

Ad II. respondetur; nec in statu imperfecto possunt virtutes Morales esse sine prudentia, & intentione saltem virtuali ultimi finis, & fides & spes cum non pendeant essentialiter à prudentia, possunt inesse imperfecto virtutis esse sine charitate. Ad III. respondetur, quod quomodocunque consideret Theologus virtutes Morales infusas, semper debet illas considerare dependenter à prudentia infusa, de cujus ratione est habitudo ad ultimum finem supernaturalem, quæ habitudo implicat, quod sit, nisi homo sit dispositus in ordine ad illum media charitate. quæ, si est impetu facta, non erit actus meritorius actus fortitudinis; verbi gratia, secus vero, si sit perfecta. Ad IV. respondetur, verum esse, quod honestas fortitudinis supernaturalis amatur propter se, estque diversa ab honestate ultimi finis, tamen illa non potest amari propter se, nisi ista saltem virtualiter ametur quem respicit habitudine essentiali prudentia infusa.

Ad ea quæ dicit P. Suarez, respondetur, esse parum consequenter dicta ad ea quæ primo possunt; jam enim ex D. Th. manifestum discrimen posuimus inter fidem & spem ex una parte, & virtutes Morales infusas ex alia. Ad II. respondetur: actus virtutis Moralis in homine peccatore elicitur medio auxilio, sicut & actus infusæ prudentiæ à simili auxilio; non potest tamen elici à virtute Morali habituali, quia ista *dispositio perfecti ad optimum:* peccator autem aversus ab ultimo fine sine gratia & charitate perfecta, non potest habere habitum qui sit *dispositio perfecti ad optimum.* Ad III. respondetur, quod licet dependentia fortitudinis à gratia sit in genere causæ efficientis, tamen dependentia à prudentia infusa est in genere causæ formalis extrinsecæ quam Deus supplere nequit. non ergo potest esse fortitudo & patientia infusa informis & sine charitate.

RESOLVTIO XI.

Vtrum fortis fortitudine supernaturali magis sit magnanimus, quam fortis.

SVpra Resolut. 7. distinxi fortitudinem & magnanimitatem, & cum D. Th. docui hanc esse fortitudinis partem, ut egregie enucleat Sanctus Doctor. Modo tamen inquiro, an qui fortis est fortitudine supernaturali, ita ut propter regnum cœlorum & finem ultimum supernaturalem aggrediatur mortis pericula, & mortem ipsam non timet, sit potius magnanimus quam fortis. Quam resolutionem ideo excitavi, ut plura Patrum & Doctorum dicta intelligantur. ut enim ait Arist. 5 Ethicorum cap. 2. D. Th. ibi lect. 2 & 12. q. 18. art. 6. in corp. *qui furatur, ut committat adulterium, magis adulter est quam fur.* etenim ex fine sumitur bonitas aut malitia actus interioris, ut ibidem docet Sanctus Doctor, & legendus est Pater Franciscus Suarez 1.2. de actibus humanis disp. 6. sect. 3. qui (ut ego etiam docui in nostro collegio Complutensi anno 1624, in materia de bonitate & malitia tract. 3. dub. 4. antequam typis daretur opus Suaresium in 1.2. D. Th.) notat, quod tripliciter potest quis elicere actum circa objectum honestum in ordine ad ulteriorem finem; primo, volendo objectum, quod alias est honestum, non tamen propter ejus honestatem objectivam, quam nec per se attingit, quia de illa non negotiatur prudentia infusa propter se, sed propter aliud. sicut si quis abstinet ab splendido cibo, & det eleemosynam. in ordine ad cujus honestatem prudentia imperat & consiliat, & iste magis est misericors quam temperatus. secundo, volendo quidem honestatem in se & per se, sed non propter se, quia est volita propter aliud ad quod ipsa honestas specifica conducit. Et hic modus volendi clarè reperitur in omnibus actibus meritoriis, qui sunt media ad obtinendam beatitudinem tamquam præmium & bravium, ex cujus amore elicit quis actum meritorium, qui attingit honestatem objectivam in ordine ad quam negotiatur prudentia infusa consilians & præcipiens, &c. Et tamen ista honestas specifica, etsi in se per se amatur, non tamen propter se, sed propter aliud, quia, ut utilis ad consecutionem beatitudinis. tertio, volendo objectum honestum, propter ejus bonitatem intrinsecam ordinat tamen actum suum in ulteriorem finem, sicut qui eligit amare Deum ob merendum vitam æternam, ex vi hujus electionis efficacis elicit amorem Dei propter ejus bonitatem, quia exercet actum qualem eligit, &

sicut

sicut est propter honestatem objecti, & est actus elicitus ob meritum vitæ æternæ.

Hi duo modi, me quidem judice, (ut etiam loco citato docui) parum aut nihil differunt (quidquid dicat P. Suarez;) qui enim vult eligere efficaciter actum justitiæ ob meritum vitæ æternæ, actum ipsum & honestatem objecti ordinat ad ulteriorem finem ex cujus amore eligitur tale medium, quod est honestas misericordiæ. & sic ista gratia sui non amatur, sed gratia alterius; quod contingit in secundo modo volendi honestatem in se & per se, sed non propter se & gratia sui. Cujus ratio est clara, quia in electione actus justitiæ, in ordine ad ulteriorem finem, non solum negotiatur prudentia circa electionem actus, sed circa objectum & honestatem objectivam, constituens in illa medium secundum regulam divinam, & in ordine ad objectum supernaturale & ultimum finem, cujus gratia eligit. Ergo tam actus, quam objectum ordinantur ad aliud, & sic, sicut actus non elicitur gratia sui, sed gratia alterius, ita nec objectum amatur gratia sui, sed gratia alterius. quod secus contigit in actu charitatis, qui eligi potest ob finem merendi beatitudinem, quamvis objectum, qui est ultimus finis, ad alium ordinetur. Et sic docuit S. Th. quod actus charitatis, cum ipse sit primum imperium, ab alio imperari non potest.

Existimo ergo, quod ad hoc, quod aliquis actus sit virtuosus, & dicatur velle objectum propter ipsum, non est necesse, quod gratia sui ametur, sed sat est, quod ametur honestas objectiva in se & per se primo, quamvis non ametur gratia sui, sed gratia alterius ad quem habet intrinsecam habitudinem utilitatis; imo ipsa honestas est ipsa utilitas, quamvis formalitas honestatis non sit formalitas utilitatis: nam ista sumitur in ordine ad aliud, illa vero in ordine ad se. Quæ doctrina mihi manifesta est, si loquamur de omnibus virtutibus Moralibus, tam acquisitis, quam infusis, in ordine ad ultimum finem supernaturalem, qui est objectum charitatis, quæ est virtus omnibus imperans per se & ex objecto suo. Idem dicendum est in quacumque virtute Morali aliis imperante: non enim solum imperat actus ordinando ipsos ad ulteriorem finem, sed etiam honestatem objectivam actus imperati extrinsecè ordinat ad finem, qui est objectum ipsius virtutis imperantis. ut Religio, quæ ordinat parsimoniam ciborum in cultum Dei, non solum imperat temperantiæ, ut eliceat actum, sed etiam ipsam honestatem parsimoniæ ordinat in eundem cultum. & sic prudentia infusa de utroque conciliat, tum constituendo medium rationis in cibo & potu, tum in eliciendo actu in ordine ad cultum Dei.

Hac doctrina posita ex occasione & cursim, quæ deserviet ad ea quæ infra de Martyrio dicturi sumus, an sit actus charitatis: Præsens dubium est, an fortis fortitudine supernaturali, sit magis vir fortis, quam magnanimus. Supra enim de objecto formalis fortitudinis disserui, & resolut. 7. aliquid tetigi de objecto formali & materia magnanimitatis, quam hic enucleare magis oportet, ut clarius pateat dubii præsentis resolut. 5. Th. 2.2. q. 127. art. 4. dicit, quod materiæ magnanimitatis sunt honores, circa quos ponit medium; sed quia honor est cujusvis virtutis præmium, ergo ex consequenti ratione suæ materiæ respicit omnes virtutes. & art. 5. constituit discrimen inter fortitudinem & magnanimitatem, quia, etsi utraque præstet firmitatem animo in arduo & difficili, difficilius tamen est, firmiter se habere in periculis mortis, in quibus confirmat animum fortitudo, quam in maximis bonis sperandis, vel adipiscendis, ad quæ confirmat animum magnanimitas.

Quam doctrinam profunde explicat admirabile Cajetani ingenium art. 1. §. ad hujus difficultatem vers. *Sciendum est ergo,* (inquit) *quod sicut fortitudo aliter se habet ad materiam quam modificat, puta timorem mortis, & aliter ad proprium actum, quia proprius actus est fortitudinis proprius finis, materia autem moderata ut propter finem, moderate siquidem timet & audet fortis, ut fortiter aggrediatur & sustineat, & non è converso; ita proportionaliter contingit in magnanimitate: actus siquidem proprius ejus est, operari magna, sicut fortis proprius actus est fortiter agere.* & infra: *unde magnus honor non est objectum, sed materia magnanimitatis; objectum autem est magnum in cujuscumque virtutis opere; ex utroque namque magnanimitas dicitur, ex objecto siquidem, quia formale objectum ejus est magnum in cujuscumque virtutis opere, ex materia vero, quia magnus honor inter omnia exteriora bona bonum maximum est. unde solus magnanimus est, cui magna operari* proportionatum est. nec præsumptionis argui potest, quod magnis virtutis operibus se dignificat, hoc tamquam dignum ad talia se exhibet, & quod magnis honoribus dignum se æstimet, speret, velit, faciat.

Et art. 4. §. ad hujus difficultatis evidentiam, amplius enucleat præfatam doctrinam, his verbis: *Homo valde fortis & magnanimus dupliciter tendit in magnum fortitudinis actum; primum, per modum naturæ in quantum fortis; ex ratione namque suæ magnæ fortitudinis exit in magnum fortitudinis actum, sicut magnus calor in magnam calefactionem: Secundo, per directam intentionem ipsius magnitudinis, in quantum magnanimus: ex ratione namque magnanimitatis tendit in magnitudinem actus fortitudinis, ut propriam rationem formalem intentam. itaque magnitudo actus fortitudinis à fortitudine fit & respicitur, ut conditio comitans actum ex magnitudine fortitudinis; à magnanimitate vero fit & respicitur ut formale objectum ipsius, & propterea distinguuntur specie fortitudo & magnanimitas, utpote habentes diversas rationes formales objectivas: fortitudinis namque objectum est forte, magnanimitatis vero magnum, quamvis concordant in hoc, quod id quod est unius objecti conditio, illudmet est alterius formalis ratio objectiva.* hæc Cardinalis.

Amplius notanda verba D. Th. art. 5 ad 1. dicentis: Philos. dicit 5 Ethicorum cap. 1 & 3. *Carere malo accipitur in ratione boni. unde & non superari ab aliquo gravi malo, puta, à periculis mortis, accipitur quidem nostro modo pro eo quod est attingere magnum bonum. quorum primum pertinet ad fortitudinem, sed secundum ad magnanimitatem. & secundum hoc fortitudo & magnanimitas pro eodem accipi possunt, ut accipiunt Seneca lib. de quatuor virtutibus, cap. de magnanimitate, & Tullius lib. 1 de Officiis; quia tamen alia ratio difficultatis est in utroque prædictorum, ideo propriè loquendo magnanimitas à Philos. lib. 2 Ethicorum cap. 7. ponitur alia virtus à fortitudine.*

Et quidem juxta hanc S. D. doctrinam, unam & eandem virtutem judicantis esse fortitudinem & magnanimitatem. quo etiam sensu plures ex veteribus sunt locuti, ut Nazianzenus *in carminibus.* Magnanimus est, *qui cuncta facile sustinet.* & Carolus Paschalius *de virtute & vitiis c. 45. est contemptio earum rerum quæ formidantur,* & sic etiam Martyres, qui fortitudine supernaturali vicerunt Tyrannos & tormenta, magnanimos jure optimo nuncuparunt. nec in hoc sensu procedit difficultas, sed de magnanimitate & fortitudine, quatenus sunt diversæ virtutes infusæ, an fortis fortitudine supernaturali sit magis magnanimus quam fortis?

Ego quidem existimo, quosdam sanctissimos Martyres fortissimos in bello stetisse contra Tyrannos, con-

temnentes eorum tormenta, imo illis irridentes & expetentes varia genera cruciatuum; & hos non solum exitisse fortissimos, sed magnanimos, ita quod magnitudinem tormentorum contempsere, sub ratione magnitudinis magnitudinem illorum appetentes, & sic magis magnanimi fuere. Talis fuit invictus Martyr Hispanus Laurentius, qui irridens Tyranno superpositus in craticula, dicebat: *assatum est jam versa & manduca*, &c. Et S. Ignatius Martyr in epist. ad Romanos, ut testificantur Hieron. de scriptoribus Ecclesiast. Eusebius lib. 3 Histor. cap. 30, dum dicebat: *Ignis, crux, bestiarum conflictationes, ossium distractiones, concissiones membrorum, totius corporis tanquam molitæ farinæ, attritiones, omnia denique suppliciorum genera à Diabolo excogitata in me coacerventur, & Iesum Christum dumtaxat adipiscar.* hæc ibi. Similem magnitudinem videre licet in Dionys. Episc. Alex. de quo Euseb. lib. 6 Histor. cap. 30. in Macedonio & Theodulo, apud Suidam. S. Christiana, apud Vincentium in speculo Histor. lib. 2. cap. 82. in Sancta Agatha, apud Surium in ejus vita tom. 1, ubi etiam de S. Agnete. Quis neget, hos & similes, de quibus latissime Historiæ & Tabulæ Ecclesiasticæ, etsi fortissimos fuisse, magis magnanimos esse: aspicientes tum magnitudinem præmii sibi promissi, tum magnitudinem veritatis quam protestabantur. Vnde S. Isidorus Pelusiota lib. 3, epist. 186, constituens inter magnanimitatem & superbiam discrimen, dicit: *Aliud est magnanimitas, aliud superbia, siquidem illa omnia quæ accidunt infra fortitudinem posita esse ducit, hæc autem omnes homines vilitate sua inferiores esse censet: illa res mundo sublimiores ante oculos sibi proponit, hæc terrenas somniat: illa divinam & præclaram gloriam expetit, hæc intereunte cupiditate flagrat.* hæc ibi. de Martyrum magnanimitate, Tertullianus in Apolog. cap. ultimo, Chrysost. Hom. 4. in cap. 1. epist. 1 ad Corinthios.

Existimo, etiam illos qui tempore epidemiæ & contagii, amore proximi propter Deum succensi, contemnunt mortem & illius gravissima pericula, non solum esse fortes fortitudine supernaturali, sed etiam magnanimos, si firmitatem causet circa magnitudinem periculi, uti constat ex dictis. Nam vero moderantur timorem mortis, & illius pericula aggrediuntur, quatenus moventur ex magnitudine boni sperati sibi ad se ingerendum contagio. Sunt ergo fortissimi & magnanimi: contemnunt enim ea quæ formidantur & terribilia sunt. quare dubio procul habent actum secundarium fortitudinis juxta ea quæ in superioribus diximus. Hinc est, quod Dionysius Episcopus Alexandrinus (apud Eusebium lib. 6 Hist. cap. 16 & 17.) loquens (in Epistola ad Hieraum) de his qui mortui sunt inservientes epidemia correptis, dicit: *ex Patribus, qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem appetiverunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, quidam è populo; virtutis ergo multum laudati, adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robustam fidem suscipiebatur nihil à martyrii splendore abesse videretur.* Et in Martyrio Romano die 28 Februarii (dicitur) *velut Martyres hos religiosa piorum fides venerari consuevit.* non quia verè Martyres sint, ut falsò existimavit Raynaudus, sed quia Martyrum fortitudinem ostentarunt; contemnentes horribilia mortis pericula tam proxima ex contagione futura. Vnde Dionysius & Martyrologium addidere particulas diminuentes Martyrii rigorem & veritatem: nam ille dicit: *nihil à martyrii splendore abesse videretur.* istud vero dicit: *quasi martyres venerari.* Sed quidquid sit de hoc, de quo latius infra .... Resol. .... de istis dici, ut de magnanimis potest elogium quod narrat Paschalius cap. 45 citato: *Si, virum magnanimum, dum ad magna intrepidus pergit, in ipso itinere vita deficit, non tamen inultus & inglorius secedit, & jacens utique manet magnus, verecundus, tremendus; ita moritur, ut perpetuo vivat in hominum memoria, & in ore gratæ ac diuturnæ posteritatis. sicut Deo laus, sic magnanimo laus tribuitur.*

Hujus quasi martyrii splendorem, & insignis fortitudinis magnanimitatis laudes in ævum futurum perpetuas, consecuti sunt incredibili pietate & robusta fide, in hac Hispalensi civitate, multi religiosi viri omnium ferè communitatum regularium, in epidemia, quæ serpsit hoc anno 1649.

Sed qua ratione isti simul sint fortes & magnanimi, explicandum restat, quod facili negotio fit: non enim magnanimitas imperat actum fortitudinis, aut ista actum magnanimitatis, sed simul & semel elicitur, & actus fortitudinis à suo habitu circa suum objectum, & actus magnanimitatis circa suum, ut supra explicuimus ex Cajet. & D. Th. etsi enim magnanimitas habeat pro materia sua materias omnium virtutum sub ratione magnitudinis, tamen cum ista non sit ratio virtutis respectu rationum formalium aliarum, non potest magnanimitas imperare actus aliarum virtutum. sed de his alias plura dixi & dicam.

RESOLVTIO XII.

Vtrum fugere pericula mortis sit actus fortitudinis Ethica.

FVgam & transmigrationem de uno loco in alium in persecutione aliquando esse licitam, etiamsi sit Prælatus & Pastor, omnino certum est apud Patres & omnes Scriptores canonicos, de quo D. Th. 2. 2. q. 185. art. 5; ubi Cajet. latiss. Comment. & Expositores Sacræ Scripturæ ad illud Matth. 10. vs. 24. *si persequuntur vos in hac civitate, fugite ad aliam.* ubi Maldonatus vs. 23, Cornelius vs. suo 40, Tostatus p. 3. in Matth. pag. 434 impressionis meæ. Athanasius *in epistola ad Orthodoxos de fuga sua*, & in epistola *ad Marcum summum Pontificem.* Nazianzenus oratio 1 *adversus Iulianum*, ubi Elias Cretensis: sed omnium subtilissime, elegantissime & copiosissime August. epist. 180 ad Honoratum. Licet non determinet, an fuga ista sit consilium, an præceptum Christi. Nullus tamen dubitat, quod sit honesta, & quod aliquando sit præcepta, quando ex fuga sequitur majus Ecclesiæ & communitati bonum; aliquando est consiliata, quando ex fuga non sequitur scandalum, & mihi prodest, ut facilius in alia occasione pugnem, vel ut aliis magis prosim. quare libellus Tertulliani *de fuga*, ubi docet nunquam ulli Christiano fugere licere, damnatus est ab Ecclesia, teste Divo Hieronymo *de Script. Ecclesiast. in Tertulliano.* sed quando licitum sit Pastoribus fugere aut persecutionem aut pestem, ad tractatum Moralem de obligationibus ministrorum, ad residendum tempore contagii, remitto. Quem Deo dante quam citissime prælo dabo.

Sed quomodo licita sit fuga & transmigratio à loco peste infecto ad alium salutiferum, placuit adjicere ad verbum sententiam Doctissimi Abulensis ad c. 14 Genesis, ubi sic sapientissime loquitur: *Mandat Deus bonis, ut exeant de medio malorum, ne puniantur cum eis. sic dicitur Apocalyp. cap. 18. exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. Ex quo infertur, (quod bonum valde est) quando in aliquo loco est pestis, aut venit à causa pure naturali, non propter speciale peccatum in terra illa, tunc bonum esse fugere à naturali periculo, sicut si quis fugiat serpentem,* aut

aut ignem, aut aliquod corruptivum. & hoc conscito, tanta fatuitas est manere in loco ubi est pestis, sicut in medios se projicere gladios, aut ignes, aut hostilia arma; imo sanctius est fugere, quam permanere in maxima peste, quia videtur esse tentare Deum, nisi per aliquas pias causas permaneant; sicut sacerdotes ad conferenda Sacramenta morientibus, & Ecclesias regendum, quia non expedit Ecclesias solas manere; imo si tanta pestis esset, ut nullus de Ecclesiæ ministris manere vellet, forte eligendus esset, & determinanda quæstio, ut ait August. ad Ian. Epist. 118, &c. Et infra:

Si tamen aliquis timeret, se mori si permaneret; & hoc præsumeret, ut puta, quia esset talis dispositionis & complexionis quæ in peste magis periculosa est, & de qua magis mori consueverunt, & velit manere propter administrationem facultatis, si non sit multum necessarium, hoc non videtur mihi bene facere: tutius enim esset fugere ad animæ salutem.

Si tamen talis pestis infligatur à Deo propter aliqua peccata vel alias, & posito, quod hoc constet per revelationem, vel quomodolibet cuilibet civitate, securum est recedere magis quam manere. Si autem constaret alicui de civitate specialiter vel multis, quod Deus volebat eos singulariter peste percutere, isti autem fugere poterant sine peccato mortali, quia non tenemur semper voluntatem nostram Deo conformare in volito, sed in modo volendi; si tamen essent viri perfecti, sanctius esset mortem patienter secundum Dei voluntatem expectare, quia conformatio voluntatis ad Deum in volito non est præcepti sed supererogationis.

Quando tamen est aliquis, cui non constat, quod Deus specialiter eum percutere vult, melius est non expectare, nisi propter causas superius assignatas. Quia Deus mandat bonis de medio malorum exire, ne cum eis pariter puniantur. & sic multi, contra quos non est specialiter ira Dei, peste moriuntur, quia non fugiunt, qui si fugerent non morerentur. Hactenus vir ille sapientia plenus.

Quam doctrinam, utpote sanam & securam, secuti sunt in hac peste crudelissima Hispalensi multi viri pii & docti, qui mortem fugerunt, quia de civitate aufugerunt, sic Deo prædeterminante eorum voluntates, ut fugam caperent, & salvarentur à contagio. Sic enim fecit vir ille doctissimus Joannes Franciscus ex nobilibus de S. Nazario, qui communiter dicitur Ioannes de Ripa, qui dum publice utrumque jus interpretaret in Vniversitate *Bononiensi*, cum in civitate ingrueret crudele contagium, transmigravit perterritus contagione, ad Massanum oppidum saluberrimum, in quo tractatum illum de peste egregium composuit. Fere idem mihi contigit, siquidem fugiens Hispalensem Epidemiam hujus anni 1649, appuli ad oppidum Salteras, ubi decrevi hunc tractatum componere.

Supponendo ergo, quod fuga in persecutione sit licita, dubium est, an sit imperata à virtute fortitudinis Ethicæ acquisitæ, si sit in ordine ad finem humanum; & infusa, si sit in ordine ad divinum, regulata prudentia supernaturali? & quidem non solum est fortis, qui fugit à facie leonis, insurgente persecutione, imo fortissimus: nam fugere in tali occasione, non timoris est, sed prudentiæ vere infusæ & supernaturalis, quæ dirigit appetitum *ubi*, & *quando* est timendum, & fugiendum ab horribili invadente injuste; ponit enim medium inter timorem & fiduciam, quod respicit fortitudo: fugerunt enim viri valde fortes; fugit Ioseph cum Iesu & Maria Matth. cap. 2. ℣. 13, *ut cedat tempori, non Herodi*, ut ait Chrysologus serm. 150; fugit ipse Christus Matth. 12, ℣. 15; fugit Paulus Actorum 9, ℣. 25, & cap. 25. ℣. 17. *& per murum demissus est in sporta*, & sic effugit fortiter manus Tyranni; fugerunt & Apostoli, Ioan. 26, ℣. 56; fugere & viri Apostolici, Athanasius, Thomas Cantuariensis, qui tamen fortissimi fuerunt adhuc in ipsa fuga, quia non fugiunt ut fugiant, sed ut post bellum redintregent, & ut vivant ad majorem Euangelii propagationem & ad veritatis fidei propugnaculum, qualiter fugerunt Apostoli & Athanasius.

Sed audi egregie hoc edisserentem Nazianzenum Gregorium orat. 3, *Steliteutica* 1, dum loquitur de S. Marco Episcopo: *Marcus, cum populum adversus se incitatum, nec moderati quicquam, vel cogitantem, vel comminantem videret, primum capessendæ fugæ consilium init, non tam ignavia fractus, quam præcepto illo permotus, quo de civitate in civitatem fugere, & persecutoribus cædere jubemur. neque enim Christianos, quantumvis fortes, ac singulari tolerantia præditos, sui tantum rationem habere oportet, sed persecutoribus consulere, ut in quantum in ipsis est ad hostile periculum ex se ipsis aliquid conferant. ut postquam multos sua causa duci atque abstrahi, multos etiam ob persequentium crudelitatem in animæ periculo versari intellexit, tum vero alios ob cautionem suam periclitantes negligere minimè sustinuit, ex fuga rediit, seque ultro plebis arbitrio tradit, adversusque temporis difficultatem velut aciem instruit.* Hæc ibi, & fere similia habet orat. 10. loquens de S. Cæsario.

Idem elegantissime, ut assolet, præstat S. Bernardus epist. 124 ad Hildibertum Iuronensum, agens de Innocentio vero Papa fugienti Antipapam Leonem. *Fugit ille nimirum à facie Leonis, sicut dicit Propheta, Leo rugit, quis non timebit? fugit secundum præceptum Domini, dicentis, si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite ad aliam; & in hoc verè verum se Apostolicum probans, quod Apostolica sese forma insignierit. Nec enim Paulus erubuit in sporta demitti per murum, & sic fugere manus quærentium animam suam.* legantur Cyprianus lib. 4. epist. 6. alias 56. & lib. de lapsis aliquantulum post principium ℣. 42. August. epist. 118, & Athanasius oratione de fuga sua. Paschasius satis egregie in cap. 10 Matthæi ad illa verba: *si persecuti vos fuerint.* quod quidem adeo verum est, quod Cyprianus epistola citata non dubitet, plenè vocare Martyres, qui in fuga occiduntur à fera, vel à latronibus, vel suffocantur in mari; ut notat ibi Pamelius ℣. 17. Quare dubitandum non est, quod fuga exterior in persecutione sit actus fortitudinis.

Sed numquid idem dicendum de fuga in epidemia & contagio, quod sit actus fortitudinis Ethicæ? non ita patescit hoc sicut primum, quia potius videtur oriri ex timore mortis, & ex animi ignavia & segnitie, quam ex fortitudine: non enim fugit à peste, ut iterum veniat ad confligendum si opus fuerit, sicut facit qui fugit in persecutione Tyranni: at existimo, quod si quis fugiat à peste & contagio, sancto zelo, & ubi, & quando fugere debet juxta ea quæ diximus ex Abulensi, quod fuga ista sit actus fortitudinis, cum sit ex actu qui versatur circa medium rationis inter timores & fiducias in periculis mortis, qui est proprius actus fortitudinis.

Ex dictis colligitur, quod si Prælatus fugiat de populo suo, aut communitate, in qua injuste persequitur, vere fuga ista est actus fortitudinis: sic enim fugit Sanctus ille Marcus de quo Nazianzenus; non enim fugit ut fugiat, sed ut pacem inducat, & tollat ad tempus se ipsum, quem tamquam Petram Scandali agnoscunt, & sic fugit secundum Deum, & illi assistit Christus in fuga, nisi probabiliter timeatur ex fuga aut seditio, aut populi perturbatio, sive in spiritualibus, sive in civilibus. hoc est quod D. Th. dicit 2. 2. q. 135. art. 5, ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, nec propter aliquod commodum temporale,

porale, nec etiam propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus Pastor animam suam teneatur ponere pro ovibus suis. si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum, corporaliter gregem deserere, ut August. dicit epist. 180 (remote à principio) ad Honoratum &c. Videant ergo Episcopi, quomodo relinquant suam diœcesin, dum ab ovibus suis persecutionem patiuntur. sed de his latius in tractatu morali de obligatione tempore pestis.

RESOLVTIO XIII.

Quotuplex sit fortitudo Ethica.

D. Thom. 1.2. q. 61. art. 5. ex Macrobio lib. 1 *super somnium Scipionis cap.* 8. virtutes Morales distinguit & secat in quatuor membra: 1. virtutum exemplarium, quæ scilicet sunt in divina mente, ita ut divina mens dicatur prudentia: & temperantia dicitur conversio divinæ intentionis ad se ipsum, sicut in nobis dicitur temperantia per hoc, quod concupiscibilis conformatur rationi: fortitudo Dei & ejus immutabilitas & firmitudo: justitia vero est observatio legis æternæ in suis operibus. quia tamen virtutes Morales Cardinales ex sui ratione versantur circa medium rationis in passionibus, excepta prudentia & justitia, aliæ duæ propriè non sunt in Deo, ut ait Arist. 10 Ethic. cap. 8.

II. Est virtutum Moralium Politicarum, secundum quas homo recte se habet in rebus humanis gerendis secundum Politicam in qua degit juxta ipsius leges & statuta: etenim, juxta diversitatem regiminis, diversimode constituit prudentia medium rationis.

III. Est virtutum Moralium quæ mediant inter Politicas & exemplares, & sunt quædam quæ dicuntur transeuntium, incipientium, aut proficientium, & in divinam similitudinem tendentium, quæ dicuntur virtutes purgatoriæ, quia videlicet prudentia omnia media disponit in ordine ad divina, ut fortitudo purgatoria dicitur, secundum quam homo non terretur propter excessum à corpore & secessum ad superna.

IV. Est earum virtutum assequentium divinam similitudinem & perfectorum, juxta illud Christi Matth. 5. ỽs. 10. *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* & virtutes istæ vocantur purgati animi, sicut fortitudo in hoc statu est quæ ignorat passiones, hoc est, excessum timoris & audaciæ. & hæc fortitudo, ait D. Thom. solum reperitur in beatis, quoad habitum intellige, & in hac vita quoad actum etiam in aliquibus hominibus perfectissimis.

Et quidem relinquendo virtutis exemplares, quæ sunt in Deo, de quibus S. Th. 1. p. q. 24, & in 1. contra Gent. c. 95 & 96. alia tria genera fortitudinis notat Cajet. in Comm. art. 5. citati, quod non distinguuntur secundum essentiam, sed secundum statum & actus perfectionem, quod verum tenet, si loquamur, vel de virtutibus acquisitis, vel de infusis: nam comparando acquisitam ad infusam, secundum essentiam distinguuntur. adverto tamen, quod virtus Moralis acquisita, etsi distinguatur in incipientium, proficientium, & perfectorum, tamen non potest dividi etiam ratione status in purgatorias & perfecti animi, quia hujusmodi status considerantur à D. Th. secundum quod prudentia omnia dirigit in ordine ad divina, quod non habet prudentia aut virtus acquisita, sed infusa. rursus prudentia supernaturalis, & virtus Moralis infusa, non potest dividi in Politicam secundum quam bene se habet homo in rebus humanis Politiæ qua gubernatur. Arist. tamen 3 Ethic. cap. 8. varias assignat species fortitudinis falsæ, quæ re ipsa vel sunt vitia, vel non sunt virtutes, quarum aliqua enumerat D. Th. 2. 2. q. 123. art. 2 ad 2, videatur ibi S. D. & lect. 8. sup. locum Arist.

RESOLVTIO XIV.

Vtrum tolerare mortem secundum se sit laudabile, & actus fortitudinis Ethicæ.

HAnc resolutionem constituo, ut explicem divisionem fortitudinis in Politicam, Monasticam & gratuitam. in cujus divisionis membris enodandis, admirabilem Cajet. tradit doctrinam, permaximè utilem ad enucleandum dictum S. D. 2. 2. q. 124. art. 3. in corpore ubi dicit, *quod tolerare mortem non est laudabile secundum se, sed solum secundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, puta, ad fidem & ad dilectionem Dei.*

Quæ verba summam inferunt difficultatem evertere omnia quæ hactenus diximus de objecto & materia fortitudinis Ethicæ, quam diximus esse *mortis pericula optima*, circa quæ sunt timores & fiduciæ, circa quas moderatas à prudentia versatur fortitudo. qua ergo ratione verum tenere quit, quod *tolerare mortem non est laudabile secundum se*, cum mortem fortiter tolerare sit actus fortitudinis, & sic secundum se laudabile.

Sed verissimum quidem est, & omni acceptione dignum S. D. proloquium, *quod tolerare mortem non est laudabile secundum se*, sive mortem sibi quis propria asciscat manu, sive tolerat ab aliena inferri; nisi propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum. his enim motivis seclusis, si quis ad vitanda mala pœnæ in hac vita, sive ex alio fine, vel quia commisit peccatum, vel ne mulier virgo ab alio corrumpatur, vel quia timet se consensurum in peccatum, vel ut ad feliciorem vitam transeat, ut cum communi Ecclesiæ sensu interpretantur quintum decalogi præceptum, *non occides*. August. lib. 1 de civit. cap. 20, S. Thom. 2. 2. q. 46. art. 5. ubi id probat efficacissimis rationibus. quare se ipsum occidere nunquam licet, & sic tolerare mortem à se ipso illatam, secundum se non solum non est laudabile, verum semper est intrinsice malum: tolerare autem mortem ab alio illatam, secundum se quidem non est laudabile; est tamen laudabile, si quis permittat ab alio occidi ob bonum virtutis, & ut vitet peccatum.

Quare mortis tolerantia, nisi bono superioris ordinis vestiatur, quale est bonum virtutis, non est secundum se, immo implicat, quod ut sic sit materia fortitudinis. Itaque mortis pericula optima, mortisque perpessio & toleratio ab alio immissæ, ut sint materia fortitudinis à bono quod est bonum rationis vestiri & ornari debent. quare, ut honesta sint & optima, debent ordinari ad aliquem actum virtutis fidei & charitatis, vel alterius supernaturalis boni defensionem. Itaque actus fortitudinis Ethicæ virtutis respicit materiam honestam, quæ est mortis toleratio & ipsius optima pericula. Cujus materiæ honestas desumitur in ordine ad aliquem actum virtutis, qui est finis fortitudinis; ita quod ad fortitudinis virtuosum exercitium & requiritur honestas materiæ in ordine ad aliquem actum virtutis, & bonitas actus fortitudinis sustinendi vel aggrediendi, timendi, vel audendi, *sicut & ubi*, *& quando oportet*. Taliter autem

hæc

hæc duo sunt requisita, quod, ut egregie adnotat Cajetanus, hæc conditionalis est vera: *Si fortis toleraret mortem non bonam, secundum finem materiæ circa quam, non esset laudabilis, nec esset vere fortis, sed apparenter dumtaxat, sicut 2 Machab. cap. 14. Razias quidam se ipsum interfecit, eligens mori nobiliter, quam subditus fieri peccatoribus: iste enim, quia non subiit mortem honestam ex parte materiæ circa quam, solum fuit in sua æstimatione fortis: nam re ipsa mollis fuit, juxta doctrinam Arist. 3 Ethic. cap. 18*, August. lib. 1 de Civit. c. 23, quam sequitur D. Thom. art. 5. citato ad ultimum: *Verum est, quod ista duo sunt connexa taliter, quod bonitas formalis actus fortitudinis implicat in adjecto, quod sit sine bonitate honesta materiæ circa quam à qua illa desumitur; quamvis e contra possit contingere, quod sit materia bonificata in ordine ad finem, & nihilominus quod actus fortitudinis non sit formaliter bonus, quia non exercetur quando & ubi oportet.* Quam doctrinam venerandam suscipere debemus pro his, quæ sunt infra dicenda de martyrio vero Ecclesiæ: non enim est martyrium laudabile, nisi materia, quæ est mors & mortis pericula, bonificata sit in ordine ad finem, qui est actus fidei & charitatis. à fidei enim testificatione & defensione, vera, propria, & rigorosa ratio martyrii desumitur; nec aliam agnovit Ecclesia à suo ortu, nec agnoscet usque ad mundi finem quidquid novitas tentarit.

Ex doctrina ista colligitur intelligentia illius triplicis fortitudinis, cujus meminit Dominus Cajet. 2. 1. q. 124. art. 3. §. ad cujus evidentiam; Monasticæ, Politicæ & gratuitæ. Fortitudo Monastica absolute respicit bonum, ut bonum fortis est; Politica à justitia legali imperatur, & ad commune bonum ordinatur; gratuita vero est eadem ut à charitate imperatur, vel est infusa. inter quas hoc versatur discrimen, quod, ut ait D. Th. eadem q. art. 2 ad 1, bonum bonificans & finis honestans materiam fortitudinis Politicæ & gratuitæ est bonum determinatum, illius est justitia legalis, quæ respicit bonum commune, propter quod conservandum & defendendum sustinet quis mortis pericula, quæ à justitia legali honestantur; hujus autem honestans est justitia Dei, quæ est per fidem Jesu Christi, aut finis, quem respicit fortitudo Monastica, non est determinatus, quia potest esse bonum cujuscumque virtutis, puta castitatis, veracitatis, *&c.* Et sic, aliter se habet fortitudo Monastica ad tolerandum mortem propter castitatem & similia, aliter gratuita & Politica. Nam castitas fortitudinis, respectu Monasticæ, concurrit ad bonificandam materiam, scilicet pericula mortis omnino formaliter ut proprius materiæ finis, non tamen ut determinatus, quia ad idem potest concurrere actus alterius virtutis: at vero respectu fortitudinis Politicæ, etsi concurrat formaliter respectu materiæ illius virtutis, scilicet fortitudinis, tamen simul est materia justitiæ legalis quæ respicit omnes virtutes in ordine ad bonum commune. atque ita castitas, non ut absolute, sed ut ordinata per justitiam legalem ad commune bonum, est finis bonificans materiam fortitudinis Politicæ, & idem pari modo dicendum de castitate respectu materiæ fortitudinis infusæ.

Ex quo constat, quod respectu fortitudinis Politicæ & infusæ est idem finis bonificans materiam & ipsius actus: nam finis harum est actus justitiæ legalis & actus fidei, & sic respectu harum fortitudinum, semper finis est perfectior ipsa fortitudine; at respectu fortitudinis Monasticæ, cum finis bonificans materiam non sit determinatus, sed actus cujuscumque virtutis, iste potest esse imperfectior ipsa fortitudine, & tunc fortis non agit fortiter propter actum virtutis imperfectioris, ut propter finem principalem sui actus, sed ut finem secundarium qui bonificat materiam fortitudinis. Verum est, quod ordinarie homo Christianus, cum sit civis Sanctorum & domesticus Dei, non elicit actum fortitudinis Monasticæ, quem respiciat justitiam fidei, quæ est per Jesum Christum.

An vero hujusmodi fortitudines distinguantur specie, existimo valde probabile quod sit, quia specificativa bonificantia materiam specie distinguuntur. sed quidquid de hoc dicatur, nec juvat, nec officit intento nostro.

RESOLUTIO XV.

Quid sit donum fortitudinis.

Fortitudinem donum esse Sancti Spiritus, constat ex Isaiæ cap. 11, esseque supernaturale in substantia, distinctumque à virtute infusa, ut probat D. Th. 1. 2. q. 68. art. 1. ex S. Greg. lib. 1 Moralium cap. 28: virtus enim infusa, etiam Theologica, respicit hominem quem perficit ad bene operandum. at donum ex sui ratione, respicit causam à qua est: per donum enim fit homo perfecte mobilis ab Spiritu Sancto, & per virtutes mobiles à ratione: quanto enim movens est perfectius, debet mobile perfectiori modo perfici, & sic virtutes & dona diversa principia sunt. & sic Arist. lib. 1 Ethicorum ad Eudemium cap. 18. dixit, quod iis, qui moventur ab instincto divino, quem dixit esse bonam fortunam, non expedit consiliari secundum rationem humanam, quia moventur à meliori principio quam sit ratio humana, quare dona sunt perfectiones quædam, quibus homo disponitur ad hoc, quod sequatur instinctū S. Spiritus, qui est motor specialis ad omnia virtutum opera *prout oportet* elicita, sicut virtutes infusæ sunt perfectiores, quibus homo disponitur ad sequendum dictamen rationis & prudentiæ infusæ. quare, sicut istæ sunt habitus, ita & dona sunt habitus, quibus homo fit habilis ad obediendum S. Spiritui, qui cum solus sit ductor noster in terram rectam & in hæreditatem beatorum incorruptibilem & incontaminatam, fit quod ad illam consequendam sit necessarium donum S. Spiritus, quo bene disponamur ad salutem animæ, quæ est semen gloriæ & hæreditatis nostræ. Quare, sicut virtutes Morales infusæ, ita sunt inter se connexæ & cum charitate, quod una sine alia aut sine ista non sint; ita pari modo de septem donis Spiritus Sancti est dicendum, quæ non manent in peccatore, sicut nec virtutes infusæ, manent tamen in patria. quæ omnia & plura alia nos docet S. D. q. citata. unum tamen advertendum est ex art. 4, quod, sicut virtutes sunt in ratione, in voluntate, & in appetitu sensitivo, ut constat ex dictis, ita & dona: nam ad apprehendendum veritatem, perficitur ratio speculativa per donum intellectus, practica vero per donum consilii. ad recte autem judicandum, speculativa per sapientiam, practica vero per scientiam, virtus autem appetitiva, in his quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem, &, in his quæ sunt ad se ipsum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum; contra concupiscentiam vero inordinatam delectabilium per timorem, juxta illud Ps. 118, *confige timori tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* unde fit, quod donum sit perfectius qualibet virtute infusa Morali, quia perficiunt in ordine ad motionem Spiritus Sancti, virtutes vero ad imperium & motionem prudentiæ infusæ.

Ex quo constat, quod donum fortitudinis, quo maxime decorantur Martyres, & præcipue illi qui sequentes divinum instinctum aggrediebantur tormenta, vel ad illa sollicitabant Tyrannum & tortorem; est igitur donum fortitudinis, prout distingui-

tur

tur à virtute infusa fortitudinis: *habitus quidam supernaturalis, quo altius movetur homo ab Spiritu Sancto ad hoc quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quæcumque pericula eminentia. quod quidem excedit naturam humanam, cum quandoque non subsit potestati hominis, ut consequatur finem cujuscumque operis, vel evadat mala sui pericula cum quandoque opprimatur ab eis in morte; sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, quæ est finis omnium bonorum operum, & evasio omnium principiorum. Et hujus rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus Sanctus contrarium timorem excludens.* hucusque sunt verba S. D. 2. 2. q. 139. art. 1. in corp. & in solut. ad 1 dicit, *quod fortitudinis virtus perficit animum ad sustinendum quæcumque pericula, sed non sufficit dare fiduciam evadendi quæcumque pericula, sicut dat donum fortitudinis.* Et in solut. ad 3 dicit, *quod donum fortitudinis dirigitur à dono consilii. sicut enim virtutes infusæ, quæ sunt in parte sensitiva, diriguntur à prudentia quæ est in intellectu practico, ita dona quæ sunt in eodem appetitu, diriguntur à donis quæ sunt in ratione.*

Ex quo etiam colligitur, quod donum fortitudinis, & virtus fortitudinis, *habent diversos actus: nam donum elicit fiduciam evadendi quæcumque pericula: at virtus est exercitium circa medium rationis in sustinendo, vel aggrediendo pericula.* Ita D. Th. nisi velis dicere, quod fiducia ista non est distinctus actus ab actu virtutis, sed modus illius, quatenus actus fortitudinis, habet specialem firmitatem secundum quod causatur à dono, prout mens per donum movetur ab Spiritu Sancto, quæ est diversæ rationis ab illa quam habet, prout movetur à ratione: nam quanto agens est fortius, eo firmius movet passum, & ejus actio firmior & immobilior est.

Notat D. Th. art. 2. q. 139, juxta August. lib. 1 de serm. Domini in monte cap. 19, quod fortitudo, quæ in ordine quantum donum Spiritus Sancti, correspondet, & habet quandam convenientiam & proportionem cum quarta beatitudine ex octo, quæ posuit Euangelista Matthæus, quæ est de esurientibus & sitientibus justitiam. sicut enim fortitudo in arduis consistit, ita est valde arduum, quod quis non solum faciat opera virtuosa, quæ communiter dicuntur opera justitiæ, sed quod faciat ea cum insatiabili desiderio, quod potest significari per famem & sitim justitiæ. Fructus autem Spiritus Sancti, qui est patientia & longanimitas, correspondent dono fortitudinis, ut dicit & explanat *in solutione ad tertium.*

RESOLVTIO XVI.

Vtrum sit aliquod speciale præceptum de actu fortitudinis.

D. Thom. 2.2. q. 140. art. 1 affirmat, quod in lege nova est præceptum de fortitudine exercenda impositum à Christo Matth. 10. vſ. 28, *nolite timere eos qui occidunt corpus*, id est, nolite metu mortis, quam minitabunt persecutores & Tyranni, negare meam fidem, aut cessare à prædicatione Euangelii vobis mandata à me. quare his verbis præceptum de fortitudine contineri, non timendi, concors est Patrum & Expositorum sententia. Videantur Cornelius à Lapide, ibi, & alii. & fuit sententia August. lib. 4 contra Faustum cap. 2. ex quo optimam rationem desumpsit S. Th. quia populo Iudaico promissa sunt temporalia bona & possessio terræ promissionis, quæ erat figura vitæ æternæ; unde illi populo data sunt præcepta qualiter pugnare deberent pro terrena possessione acquirenda. Deuter. cap. 20. vſ. 15, *non formideris eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis in adversarios dimicabit.* In novo autem Testamento promissa sunt spiritualia & æterna. & sic homines instruendi erant fortitudine, ne timerent pericula mortis pro defensione veritatis Euangelicæ, sed potius mortem subirent, quam illam negarent. sed notat D. Th. ad 2. & cum eo Sylvius, quod præcepta fortitudinis potius dantur negativè per non timorem, quam per affirmationem, quæ est aggressio; quia ea quæ sunt agenda in periculis, non possunt ad aliquod commune bonum reduci, sicut ea quæ sunt vitanda. Sed non videtur satisfacere solutio, quia, sicut datur præceptum de non timendo, poterat dari de aggrediendo & audendo. Sed est adæquata solutio, quia in ipsa audacia & aggressione inhibetur præceptum de non timendo: eo enim ipso quod Christus dixit, *nolite timere*, etiam præcepit aggressionem, *quando & ubi oportet.* quare universalius explicatur præceptum de fortitudine per negationem, quam per affirmationem, quamvis præceptum ipsum affirmativum sit.

Verum enimvero, etsi doctrina ista verissima sit & Catholica, & constet ex traditione Scripturæ Sacræ, ut ait Sanctus Doctor *in argumento sed contra*, tamen difficultas non vulgaris premit, an sit præceptum in novo Testamento de actu fortitudinis elicito ex motivo specifico suo propter ipsum: Christus enim solum præcipit, ne propter timorem mortis abnegemus fidem; possumus enim hunc timorem contemnere, & pericula aggredi non propter honestatem fortitudinis prout est distincta a reliquis; potest enim quis aggredi pericula, & mortem non timere à Tyranno minitatam, vel propter veritatem fidei, vel propter honestatem alicujus virtutis, quam Tyrannus vult quod ego non sequar. non ergo necessarium est præceptum de actu fortitudinis virtutis specialis, sicut si quis sit in peccato mortali, etiamsi habeat præceptum de actu contritionis, illi satisfacit, si cum attritione & Sacramento justificetur, & convertatur ad Deum per gratiam habitualem tamquam ad amicum, quia finis præcepti contritionis est, quod homo fiat amicus Dei, quem consequitur cum attritione & Sacramento. Ergo cum finis præcepti fortitudinis est, nequis deficiat à veritate fidei, vel à consequendo spiritualia quæ vult diabolus à nobis evertere, ex quocumque fine honesto illi resistamus, & non cedamus Tyranno, satis fit præcepto fortitudinis. Itaque fortitudo non est ratione sui præcepta, sed ratione finis ad quem ordinatur; semper tamen dicimur fortes, si victores evadimus à pugna, fortitudine quæ est circumstantia generalis, respectu omnium virtutum: non tamen fortitudine specifica, sicut semper quod peccamus sumus ingrati ingratitudine, quæ est circumstantia generalis omni peccato, non tamen ingratitudine specifica.

Sed quamvis ita sit, ut dicitur in difficultate proposita, satis congruenter ad doctrinam S. D. existimo dari præceptum de actu fortitudinis specifice exercendo, *quando & ubi oportet*, & judicatur à prudentia infusa necessarius ad confessionem fidei, & ad non cedendum Tyranno propter timorem mortis. tunc enim hoc & nunc est necessarium medium ut homo inhæreat Deo, qui est finis legis divinæ.

Qua autem ratione sint præcepta de partibus fortitudinis, de quibus egimus resolut. 7, tractat D.Th. art. 2. & dicit, dari talia præcepta in divina lege, quæ perfecte instruit hominem de his quæ sunt necessaria ad recte vivendum; ad quod indiget homo non solum virtutibus principalibus & primariis, sed etiam minus principalibus & secundariis. & ita de illis dantur præcepta, quæ egregie explicat in solutione argumentorum.

RE-

RESPONSIO

MAGISTRI

MICHAELIS BAII,

ad Quæstiones quæ sunt de Christi Ecclesia.

DOminus de Wignacourt, mihi hactenus & de nomine & de facie ignotus, sed tuæ generositati, ut intelligo, affinitate conjunctus, generosissime atque eruditissime S. Aldegonde, multas mihi quæstiones obtulit, quas ajebat tractandas atque solvendas ad me per te transmitti. facile fuisset, ætatem quotidianam, prælectionem & negotiorum turbam, quibus quotidie in Universitate Lovaniensi, in Ecclesia S. Petri & in collegio nostro Pontificali interpellor & distrahor excusare; sed in re tam pia, tamque Patriæ utili, si forte dignaretur Deus in te operari quod magnopere exopto, quodque quotidianis precibus instanter ab eo postulo, nolui dilationem quærere; confidens, quod is qui tibi hunc quærendi affectum indidit, etiam mihi suggeret, meque docebit, quid & quomodo respondere debeam, ut tibi in bonum cooperetur mea responsio. utrumque enim Dei est, & veritatem syncere, hoc est, non contendendi, sed sciendi studio atque intentione, quærere & illam invenire, inventamque sic proponere, ut honorificè suscepta, debitam suo Auctori gratiarum referat actionem. Ne autem mora & responsionis prolixitas tibi forte molesta sit, si distulero eam mittere, donec universas quæstiones dissolvero, decrevi primum, iis tantum respondere, quæ de Ecclesia proponuntur, & responsionem hanc mittere, ut cognito quomodo tuæ eruditioni satisfecerit, alacrius reliquarum tractationem aggrediar & prosequar, idque non carptim & seorsim de singulis quæstionibus disserendo, sed uno quodam tenore sermonis: quia quæstiones ita inter se convenienti ordine contextæ sunt & coadunatæ, ut ipsa earum dispositio id omnino postulare videatur. quod si forte non per omnia tuæ intentioni satisfecero, non propterea debes de assequenda veritate desperare. Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Sed quod hodie nobis clauditur, potest cras petentibus, & ad aures divinæ misericordiæ pulsantibus, aperiri, aut per eloquia Sanctarum Scripturarum, aut per sermocinationes fratrum, aut per internam divinæ inspirationis gratiam; ubi sine sonis verborum, sine elementis literarum, veritas ipsa, tanto dulcius, quanto secretius, loquitur.

Quæris igitur,

AN Ecclesia, ejusque constitutiones seu traditiones, nullum habeant κριτήριον aliud, hoc est, ut interpretor, judicium seu ex quo judicentur, nisi consuetudinem eorum qui se profitentur Romanam sectari Religionem, quam vocant Catholicam?

An hoc κριτήριον, si quod est aliud, constet pagina Sacræ Scripturæ sola?

An Patrum explanationibus & commentariis?

An Conciliorum decretis?

An Romanorum Pontificum placitis?

An Scholasticorum pronunciatis?

An passim sequatur, ut ait Satyricus, corvos testaque lutoque?

An Ecclesia tribuat authoritatem verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatem atque axioma conferat?

Ad primam & secundam quæstionem clarissime respondet August. cap. 2. lib. de unitate Ecclesiæ, his verbis: *Inter nos & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia. quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Jesu Christi? Puto quod in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optime novit corpus suum: novit enim Dominus qui sunt oves.* & cap. 3 ejusdem libri: *Non audiamus hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus: sunt libri Dominici quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* & infra: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis, Sanctam Ecclesiam demonstrari.* Id quod in reliqua parte libri diligenter exequitur. Primum quidem varias futuri Regni Dei figuras insinuans, sed tamen nolens iis quæ ab ingeniosis hominibus huc atque illuc converti possunt suam disputationem committere: statim transit ad Scripturas veteris Testamenti, quæ majori evidentia pronuntiant futurum Christi Regnum, non uno aliquo angulo constituendum, sed toto orbe terrarum diffendendum, quam pronuntient mundi Salvatorem aliquando venturum. Deinde transit ad Scripturas novi Testamenti, quibus evidenter ostendit, id toto orbe terrarum Christi resurrectione impletum, quod variis figuris & manifestis prophetiis, de Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundenda, fuerat ante prædictum. longum esset, ipsas utriusque Testamenti Scripturas Sacras prosequi, &, quantum mihi apparet, superfluum, quia in jam dicto D. Augustini libello, de unitate Ecclesiæ, tam convenienti ordine disponuntur, tanta eruditione atque perspicuitate disseruntur, ut per me, aut alium quempiam aliquid velle adjicere, potius sit eas obscurare, quam illustrare. Itaque ut compendio utar, ego eruditionem tuam ad jam dictum libellum remitto. ex quo etiam non tantum perspicies judicium de Christi Ecclesia ex Scripturis esse petendum, sed etiam, quod ex sola Scriptura peti debeat. quamquam sicut eruditissima prudentia tua non dedignaretur meæ tenuitatis obsequio velle uti, ut in Scripturis Sanctis verum de Christi Ecclesio Iudicium cernat, sic etiam mirari non debet, si veri fideles, ut ex Scripturis Sanctis de eadem Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare conentur, qui præ cæteris à Deo vera sapientia ditati fuisse creduntur; cujusmodi fuit D. Augustinus, de quo scribit Prosper in carmine contra ingratos, *quod cum nulla sibi tribuit bona sit Deus illi omnia, & in Sancto regnat sapientia templo.* Fuerunt & alii, toto orbe notissimi, quorum studio & authoritate

ritate ad hanc rem juvari possumus. Ad eundem usum referenda existimo Conciliorum decreta, placita Romanorum Pontificum, & pronuntiata Scholasticorum. quibus tamen Scholasticis, ut verum fatear, subinde plus tribuerem, si magis Scripturis Sanctis incumbentes, ex Philosophorum gentilium tenebris non tam multa emblemata suis disputationibus intexerent. Quæstio autem qua quæritur, an Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatem & dignitatem tribuat? Similis est quæstioni qua quæreretur, an Christus in Euangelio authoritatem Ioanni Baptistæ tribuerit, dicens: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista*, an vero Ioannes Christo, cum ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* hic enim venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. & Discipuli Ioannis: *Qui erat trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti*, (inquiunt) *hic baptizat*. Nam, in quantum per testimonium Ioannis, qui fuit vitæ admirabilis, inducti sunt homines, ut in Christum crederent; negare non possumus, quin Ioannes apud homines qui propter infirmitatem verum lumen, quale in se est, videre non poterant, sed tanquam in nocte constituti lucerna egebant, ut fontem luminis cernerent, aliquam Christo authoritatem tribuerit, licet Christus hoc testimonio non indiguerit, sicut apud Ioannem prosequitur, cum ait: *Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio*: Et infra: *ego habeo testimonium majus Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Sed quia Ioannes lucerna tantum fuit, luce lucens aliena, quæ vero lumine destituta, statim ad tenebras suas recidisset: ideo longe convenientius dicitur, quod Christus, qui est lux vera quæ tenebrescere non potest, & lumen & authoritatem & dignitatem Deo tribuerit, quam contra.

Simili modo etiam, quia testimonio Patrum & totius Ecclesiæ inducimur, ut, licet veritatem in se cernere non possimus, attamen Scripturas canonicas pro Sacris & divinis habeamus, rectissime dicitur, quod Patres & Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis, non quidem lumen & veritatem, sed apud fideles & multos infideles, qui ejus testimonio commoventur, authoritatem tribuat. Sed quia Scriptura Sacra, quæ nec falli potest nec fallere, ipsam veritatem in se continet, Ecclesia vero non nisi veritate in Scripturis Sanctis descripta illuminantur, & sibi derelicta facile posset in suas tenebras relabi, ideo convenientius dicitur, quod Scriptura Sacra Ecclesiæ Christi auctoritatem & dignitatem tribuat, quam contra.

De constitutionibus Ecclesiæ hoc solum dico, quod ubi regnum agnoscitur, ibi non possunt constitutiones negari; cum omne Regnum pro suo regimine constitutiones habeat. Porro Ecclesiam Christi regnum esse, agnoscit non tantum Daniel in prophetia sua, dicens, quod *suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*; sed etiam Ioannes Baptista & Christus ipse, cum ajunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Facile possent hæc longe fusius & copiosius ex Scripturis Sacris disseri, sed puto id acumini ingenii tui minus congruere, quod Deus in his quæstionibus illustrare dignetur, in quibus aut caligare, aut saltem adhuc hærere videtur. Bene vale, generosissime atque eruditissime Domine. Lovanii 22 Octobris, 1577.

RESPONSIO ALDEGONDI
ad præfatam Epistolam.

Literæ tuæ, eruditionisne an benevolentiæ atque humanitatis pleniores Reverende D. Doctor, ita mihi fuere gratæ, ut quod omnium est gratissimum; fuit enim jucundum, a tali ac tanto viro, quem sciebam negotiorum ac laborum ingenti propemodum mole obrui, eam tamen mihi præstari operam, quæ posset & ad Dei gloriam promovendam, & ad fidem corroborandam esse vehementer utilis. Sed multo etiam fuit jucundius, in gravissima quæstione, quam ego omnium nostrarum controversiarum tantum non cardinem ac fundamentum præcipuum esse semper sum arbitratus, prope ad amussim nos consentire. Itaque ago, mi Domine, gratias tibi pro hoc beneficio, meumque studium atque operam, si qua in re commodare aut prodesse potero, tibi, tuisque polliceor; & humanitate ista tua fretus, pergo in prioribus quæstionibus reliquos, si qui restant, scrupulos enodare, & simul responsionem ad posteriores deposcere. Quantum igitur ex tua, imo potius Augustini, sententia possum conjicere, omnino ita sentis, unicum Ecclesiasticarum traditionum κριτήριον, unicum lapidem lydium atque judicem esse verba Domini nostri Iesu Christi tradita Sacræ Scripturæ disertis paginis; nec audiendum esse, hoc dicit Augustinus, hoc dicunt Donatistæ, sed hæc dicit Dominus, & in libris Dominicis, quibus utrique credimus, utrique assentimur, quærendam esse Ecclesiam causamque omnem nostram, & controversiam discutiendam. Denique judicium de Christi Ecclesia, ejusque Doctrina, & Sacramentis (hoc enim ex priori necessario efficitur) ex sola Scriptura peti debere. In hoc certe ego tibi per omnia planissime assentior, ac vere ita statuo, si hoc ipsum impetremus, facile reliquas omnes controversias ac nullo negotio iri compositum. Vt enim post Paulum ait Athanasius, *sufficiunt Sanctæ ac divinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis.* Quamobrem, etsi libens confiteor, quod ais veros fideles, ut ex Scripturis Sacris de Christi Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare, qui præ cæteris vera sapientia à Deo ditati fuisse creduntur: inter quos ego Augustinum non gravate reposuerim, tamen illud cum Chrysostomo liceat contendere, *multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquantur, falso illum prætendere.* ut enim Christus non à se ipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita, si quid præter Euangelium sub titulo Spiritus Sancti obtruditur, non credamus; quia sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita spiritus Euangelii. deinde & hoc addo, quod Augustinus ejusque similes, vera à Deo sapientia præ cæteris ditati fuisse credantur, id non aliunde fuisse adeptos, nisi quod Scripturis, quæ solæ hanc sapientiam uberrimo latice profundunt, & solæ hominem reddunt ad salutem eruditum, per fidem in Christo Iesu, consentanea & senserint & scripserint. Quo enim quisque propius ab hoc fonte suos irrigat doctrinarum tubos, eo puriori certe lympha Lectorem quisque reficit, quo vero remotius, eo inquinatiore: ita, ut qui se longissimo intervallo ab eadem continent, ii jam non inter pios & synceros Ecclesiæ Doctores, sed inter hæreticos &

Scripturarum depravatores connumerentur. Cujus cum eadem penitus sit in Conciliis, Pontificum decretis, & Scholasticorum placitis statuenda ratio, non est, quod verear cum Augustino pronunciare: *Nec ego Nicænam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tamquam præjudicaturus, objicere, nec ego ejus authoritate, nec tu illius detineris; Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed quæ utrisque sint communes, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.* In summa, hoc inter nos conveniat, doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ, cui soli innixa est Ecclesia, judicium omne ad Scripturam Sacram esse revocandum, omniaque omnium vel Patrum dogmata, vel Conciliorum decreta, vel Pontificum placita, vel Scholasticorum axiomata, non aliter esse accipienda, nisi quatenus huic Scripturæ sunt consentanea.

Quod ad alteram quæstionem attinet: An Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ auctoritatem tribuat? ita mihi per omnia satisfecisti, ut non potuerim istum tuum candorem non vehementer exosculari. Næ tu perquam erudite ac pie responsionem tuam comparatione Ioannis Baptistæ cum Christi doctrina confirmasti, ita ut in hoc capite nulla restet inter nos controversia.

Postremum, tantum Epistolæ tuæ caput, de constitutionibus Ecclesiæ, vellem paulo dilucidius explicasses. Ais enim, ubi regnum agnoscitur, non posse negari constitutiones: quod certe libenter damus: sed simul addimus, ab ipso Rege in quovis quidem regno constitutiones debere proficisci, sed maxime certe in Christi Ecclesia, in qua Christus ita Regem agit, ut simul sit & corporis caput, & sponsæ maritus, & ovium Pastor; ita ut unius ejus vocem audiant oves, imperium accipiat sponsa, Spiritu vegetentur ac moveantur membra, constitutionibus denique obtemperet populus: Ipse enim unus est, de quo dictum est: *Hunc audite*; ac proinde semper atque indefessa sæculorum continuatione resonavit ac resonat in auribus Ecclesiæ ista Regis unius lex ac mandatum: *Quod præcipio tibi, hoc observabis ut facias: non addes quicquam, nec detrahes.* & illa: *Non addas ad verbum Domini, nec minuas ex eo, ne te forte arguat, inveniarisque mendax.* Item: *Audiendo audite vocem meam, & ero vobis Deus, & eritis mihi populus, & ambulabitis in omni via quam mandavero vobis.* Item: *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci suæ? melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum ariolandi, non auscultare: & quasi Idololatriæ iniquitas, non acquiescere.* Et item: *In constitutionibus Patrum vestrorum ne ambuletis, & judicia eorum seu decreta ne observetis, & pollutionibus eorum ne conspurcemini: ego enim sum Iehova Deus vester: in constitutionibus meis ambulate, & decreta mea seu judicia observate, & facite ea.* Aliæque Scripturæ, quibus inducti Patres, infinitis locis affirmarunt, quicquid non esset manifesto Dei verbo fundatum, habendum esse pro sacrilegio: nec enim in ullo ferendum est regno, Rege vivo ac regnante, ac jussa sua ex sacrarum tabularum præscripto dictante, à quoquam alio legem constitutionemque sanciri. In quo, si te habebo, quod certe tuæ mentis ac judicii perspicuitate & eruditionis ubertate fretus, confido, ad stipulatorem nihil plane restat amplius in priori de Ecclesia quæstione, quod habebat scrupulum; ac proinde rogo, ut ad posteriores de Sacramento interrogationes, tuam primo quoque tempore audiam sententiam. Vale. Datum Bruxellæ, quinta Novembris, anno 1577.

RESPONSIO
MAGISTRI MICHAELIS BAII,
ad Epistolam
PHILIPPI MARNIXII SANCTI ALDEGONDI.

DVm per otium relego Epistolam tuam datam quinta Novembris anno 1577, eruditissime Domine, non occurrerunt, de quibus visum est aliquid breviter dicere; id quod spero eruditionem tuam non gravate laturam, quia id ipsum nominatim expetiit de constitutionibus Ecclesiasticis. Dicis itaque, tibi licere illud cum Chrysostomo contendere: *multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquantur, falsò illud prætendere.* id quod verissime dicis, quia id docet Scriptura Sacra, cum ait: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Et rursus: *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri adjudicent.* Sed si quis hinc conetur persuadere, Veterum testimonia & decreta Conciliorum, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à Viris doctissimis atque sanctissimis ad Scripturas Sacras discussa, tamquam à Spiritu Sancto profecta, hactenus sine contradictione recepta sunt, posse leviter rejici, puto, quod non facile excusabitur à contemptu eorum, quos venerari convenit. Nam Conciliis generalibus, quæ communi Patrum consensu conclusa, à cunctis fidelibus recepta sunt, etiam hoc accedit, quod non immerito existimentur, & præsumantur continere sensum Ecclesiæ de qua dicit Apostolus, *quod sit columna & firmamentum veritatis.* & generali sententia mandat Dominus, ut *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; quod vero Maximino scribit Augustinus lib. 3, cap. 14. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium*; causamque subdit, dicens: *Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris:* non eò spectat, ut credatur Nicæni Concilii auctoritas posse contemni: nam paulo superius eodem capite dicit, *Homousion in Concilio Nicæno adversus Hæreticos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum*; & libro secundo contra epistolam Parmeniani, dicit: *quod de his, qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt nulla quæstio, quin & habeant Baptismum & dare possint; hoc enim*, inquit, *in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum est.* Et contra Donatistes lib. 6, cap. 2, dicit: *universæ Ecclesiæ sententiam plenarii Concilii auctoritate roboratam, atque firmatam.* Et lib. 7, cap. 53, *id sit cura securæ vocis asserere*, inquit, *quod universitatis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Non ergo vult Augustinus, ut credatur Nicæni aliorumque Conciliorum auctoritas posse contemni, sed quia Catholici Concilium Ariminense reprobabant, & Maximinus Concilium Nicænum non recipiebat, licet ipsum recipere debuisset, si Catholicus fuisset, ideo dicit Augustinus, *quod nec ipse Nicænum, nec Maximinus debebat Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium*; quia uterque inutiliter protulisset. Nam quemadmodum Christus, cum Sadducæis de resurrectione disputans, non Prophetarum testimoniis, quæ tamen certa & longe apertiora erant, sed tantum usus est testimoniis quinque librorum Moysis, quos Sadducæi recipiebant.

bant. Sic etiam Augustinus contra Maximinum his tantum testimoniis utendum censebat, quæ Maximinus recipiebat. Quamobrem, si Maximinus licentia hæretica Scripturam aliquam verè Canonicam rejecisset, sicut rejiciebat Concilium Nicænum, non ea adversus illum utendum esse censuisset Augustinus; sed tantum usus est iis, quarum authoritati consentiebat. Licet igitur D. Augustinus judicaret Concilium Nicænum idoneum, ut apud fideles firmatum esse ostenderet, quod in illo conclusum erat, attamen, quia Maximinus illud non recipiebat, ideo ait, *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium.*

Constitutiones Ecclesiasticas in Christi Regno libenter agnoscis, sed addis, ab ipso Rege in quovis regno constitutiones debere proficisci, id quod etiam de Christi Regno verissime dicis, sed debes advertere, non eas tantum constitutiones à Christiano Rege proficisci, quas per semetipsum immediate constituit, sed etiam quas per illos statuit, quos peregre proficiscens constituit super familiam suam: sicut ostendit Christus, rogans Pharisæos, utrum *Baptismus Ioannis esset è cælo, an ex hominibus?* & præsupponens esse è cælo, id est à Deo, licet esset Baptismus Ioannis ab ipso Ioanne institutus. Similiter Apostolus 1 Cor. cap. 14 vocans ea, quæ ipse ex data sibi potestate præcipiebat, *Domini mandata. Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis*, inquit, *cognoscat quæ scribo vobis, quod Domini sunt mandata.* Nam quemadmodum ad Rom. cap. 13 constitutio seu mandatum Principis, Dei ordinatio nuncupatur, dicente Apostolo: *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* sic etiam mandatum Præpositi Ecclesiastici, cui Apostolus nos obedire & subjacere præcepit, Christi ordinatio est. Et quemadmodum his qui ex Spiritu Sancto loquuntur dicit Dominus: *vos non estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* sic etiam iis, qui ex potestate sibi à Christo data aliquid recte præcipiunt, juxta D. Bernardum, vere dicitur: *vos non estis qui præcipitis, sed Christus, qui potestatem dedit qua præcipitis.* Vnde illud Moysis: *non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et illud Domini ad Samuelem: *non enim te spreverunt, sed me. Si quis loquitur*, (inquit Petrus 1 Epistolæ cap. 4.) *tamquam sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus.* Igitur si quis præcipit tamquam ex potestate quam à Deo accepit, sicut est de præceptis quæ per Dominum dederat Apostolus. Namque, qui *hæc spernit*, inquit, *non hominem spernit, sed Deum*, qui etiam dedit Spiritum Sanctum in nobis. quod autem Præfecti Ecclesiastici præcipiendi potestatem habeant, ostendit verbum *obedire*, toties in Scripturis, eis qui illis subsunt attributum; quia nemo dicitur obedire Præconi, sed ex legitima potestate præcipienti. Quemadmodum autem de Principibus non ex potestate sibi data, neque ex proximi dilectione sibi à Deo inspirata, sed ex præsumptionis audacia & ex amore sui, qui ex mundo est, juxta concupiscentias suas aliqua constituentibus, ait Dominus per Prophetam: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Et Christus in Euangelio: *Regnum meum non est de hoc mundo*: nam qui ex hoc mundo regnant, hi non regnant ex Deo, & contra; sic etiam de Præpositis Ecclesiæ, quæ sua sunt docentibus, aut juxta concupiscentias suas, non ex accepta potestate, sed ex sua præsumptione aliqua constituentibus, rectissime dicitur: *frustra me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum:* hæc enim hominum propriè sunt, quæ Dei non sunt. Porro, quemadmodum Filius Patri obediens præcipienti, ut vel literas discat, vel rem familiarem curet, non aliud facit quam præcipit Deus, dicens per Apostolum: *Filii obedite parentibus:* nec verbo Dei quicquam addit, sed illud tantum facit, quod præcipit Deus; sic etiam imminente annua passionis Christi memoria, ex constitutione Ecclesiastica jejunans, audit vocem Domini, dicentis: *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis.* Nec ad verbum Dei quicquam addit, sed illud tantum facit, quod mandavit Deus. Sicut & ipse Præpositus, dans tritici mensuram, & supererogans mandatum quod à latronibus saucio, & in stabulo jacenti judicasset esse necessarium, non addit aliquid ad verbum Dei, sed id tantum facit, quod verbum Dei illi præcipit. Nam, si aliquid præcipere, quod non est in verbo Dei expressum, semper esset aliquid verbo Dei addere; tunc nec Princeps subdito, nec Pater Filio aliquid præcipere posset. sed id tantum annunciare, quod præcipit Deus; ac per hoc nec Principi subditus obediret, neque Filius Patri, sed Deo tantum, quia, ut diximus, nemo dicitur obedire Præconi, sed tantum præcipienti: etsi aliquid præcipere, quod non est expressum in Scripturis Sanctis, est addere ad verbum Dei: igitur docere aut scribere aliquid, quod non est expressum in Scripturis Sanctis, est addere ad verbum Dei. & sic de rebus Sacris inter nos conferentes, sive scripto, sive verbo, multa ad verbum Dei adderemus contra expressum Dei mandatum per te adductum. *Non addas ad verbum Dei, neque minuas ex eo*; illudque nobis observandum esset, quod in Collegiis Theologicis tempore prandii & cœnæ observatur, ut, uno Sacram Scripturam legente, cæteri taceant. Si forte per hæc non sit tuæ eruditioni in his, quæ ex epistola tua attigi, factum satis, licebit accepto responso adhuc de eisdem latius conferre. Bene vale, 28 Novembris, anno 1577.

EPISTOLA
F. FRANCISCI HORANTII

Minoritæ, universæ regiæ expeditionis Flandricæ Sedis Apostolicæ gratia Præfecti.

De Ecclesia Christi

AD

MICHAELEM BAII,

Lovaniensem Cancellarium, virum doctrina ac pietate maximum.

AN Ecclesia, ejusque constitutiones seu traditiones, nullum habeant κριτήριον aliud, nisi consuetudinem eorum, qui se profitentur Romanam sectari Religionem, quam vocant Catholicam?

An hoc κριτήριον, si quod est aliud, constet pagina Sacræ Scripturæ sola?

An Patrum explanationibus & commentariis?

An Conciliorum decretis?

An Romanorum Pontificum placitis?

An Scholasticorum pronunciatis?

An passim sequatur, ut ait Satyricus, corvos testaque lutoque?

An Ecclesia tribuat authoritatem verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatem atque axioma conferat?

M. Michaëli Baii, hæ quæstiones, per Marnixium Aldegondum propositæ fuere.

MA-

MAGISTRO NOSTRO
MICHAELI BAII,
Sacræ Theologiæ Professori Regio, meritissimo Lovaniensi Cancellario, viro longe Clarissimo eruditissimoque,

F. FRANCISCUS HORANTIUS
S. D. P.

DIu est, quod me certiorem feceras, sacrati ludi apud Lovanienses Coryphæe maxime, transmisisse ad te Philippum S. Aldegondum, scrupulos aliquot gravissimarum Quæstionum, per eruditionem tuam (quæ merito maxima omnibus habetur, & longe lateque collucet) è suo animo expungendos. Commemini pariter, addere te quando ista mihi narrabas, lætatum Aldegondum lætitiis omnibus, quantum intelligere potuisti ex literis nuper ab eo ad tuam reverentiam de latis, quod, in gravissima quæstione de Christi Ecclesia, ad amussim prope vos duo consentiretis. Nec obliviscor, immò probe etiam nunc recordor, incredibilem subortam animo meo admirationem mox atque ex te ista audivi. Constans siquidem apud nos fama jam diu vagata est, Aldegondum jam dudum Christi Ecclesiæ ultimum valedixisse, renuntiasseque Patrum Ecclesiasticorum disciplinis; ut qui satis sit edoctus à nostrorum hostium Antesignano Ioanne Calvino, instar onagri, liberrimi perniciosissimique animalis, insequentium clamores parum curare, Spiritus vincula aspernari, libertatis nefandæ studiosum esse, Antiquitatem totam *Naso suspendere*, cunctam demum vociferantem Ecclesiam ridere: ac passim criminari, è filo ipsam pendere totam. Indomita nimirum ingenia, nulla disciplina, & multo minus indulgentia ac dulcedine curari possunt. Incredibili ergo tunc me tua prudentia admiratione plenum reliquit. Nec erat inventu facile, qui sic convenire posset viro adprime Theologo summoque Catholico, cum eo homine, qui à tam multis annis incidisset in perturbatorem veteris disciplinæ Ioannem Calvinum, & quidem super quæstione omnium prima, & quæ tantum non cardo & fundamentum præcipuum est, quam nequiter satis ab ipso Aldegondi Magistro sciebam in Institutione sua agitatam, & nequissime profligatam: (quemadmodum libro integro nostrorum locorum Catholicorum, non omnino obstinatis animis ac duris satis ostensum, mihi persuadeo) nempe de primo ac uno judice, qui sit vel ut *Lydius lapis* Ecclesiasticorum dogmatum, atque adeo ipsius fidei nostræ Orthodoxæ regula prima & una. Verum, quoniam nimis ingrata, & importuna illa hora mihi visa est, ad serio agendum de eo negocio tam gravi, & erat mihi summo mane urbe recedendum, non adjeci animum, eruditionem tuam super ea re sollicitius pulsare. Immò, cum post sæpe te convenerim, & de more nostro de rebus gravibus, quæ (proh dolor) nobis nolentibus, & maxime recusantibus, hisce calamitosis temporibus obveniunt, multis verbis ultro citroque habitis, totus nobis non semel consumeretur dies, numquam tamen, aut in memoriam mihi venit prudentiam tuam denuo eo in negocio consulere, aut ipse omnino unquam rei hujus meministi: tam nos undique coarctant ac premunt curæ longe acerbiores ac molestiores, quæ, nec me, nec te, istarum lituum cum Aldegondo recordari sinant. At cum nihil minus quam de vestro litigio ego cogitarem, rogavit me casu doctus quidam Pater mei Sodalitii Franciscani, legissemne Cancellarii Lovaniensis Responsiones ad quæstiones ei per Philippum Aldegondum olim propositas, nunc recens excusas Lovanii, de Christi Ecclesia, & de tremendo altaris Sacramento? Non, inquam, legi; nihil vero posset mihi accidere jucundius, quam jam antea à me tantopere concupitum opus, integrum devorare. Brevi hoc meum tantum desiderium bonus ille Pater explevit, atque codice conspecto, novis igniculis amoris totus ardeo; ut qui mihi certo promitterem, brevi abs te tractandum impostorem illum, & plusquam simulatum discipulum, ut dignus erat. dicam, & quidem liberius, quam tibi par esse fortasse videbitur, quid ego desiderem in responsione tua ad quæstionem de Christi Ecclesia. Nam in quæstione altera, de tremendo altaris Sacramento terminanda, ita profecto me totum explevisti, ut mihi sim plane visus non aliud, quam Ambrosii, aut Cypriani, aut cujusquam veterum Patrum voces ex isto tuo ore dimanantes audire: quippe qui tam graviter, dextere, feliciter & apte, fidei tuæ hostem coerceas.

Prius tamen nequeo dissimulare, ex coacervatione tot quæstionum, redditum mihi ipso initio suspectum Aldegondum, cum intuerer eum hominem, quem multos fecisse progressus in hac scientia plurimi jactitarent (ut solent cæteri hæretici hujus nostri seculi) primis semper hærere rudimentis hujus divinæ artis, continuo addiscere & (ut Divus ille dixit) *ad veritatis cognitionem numquam pervenire*, in eadem semper salebra versari, & eodem in luto perpetuo volutari. O quam est solemne istis inclamare alte, poscentes reserari sibi ostium, & cum maximes cunctis fores pateant, nolle tamen recta introire. Fingunt sibi novos quotidie arbitros, quorum se parituros sententiæ ac judicio sancte promittunt; ac sæpius, legitimo superati judicio, causam ipsam eandem, non modo denuo exagitant, verum judicantem Ecclesiam, cum suo judicio, in eandem arenam semel atque iterum protrahunt. An non ludus merus est, & jocus atque ludicra scena, quæcumque ab istis nobiscum entitur concertatio, si non potius simulata, & ad omnem artem astumque composita tragœdia? Contemnunt Ecclesiæ censuram, & tuum judicatum probabunt? & quid vides, & quid sentis? vero judice non audito, quos posthac judices sumus habituri? cupis scire? nihil isti aliud simulatione sua moliuntur, dum tecum private agunt super eis causis, quas omnium Magistra parens Ecclesia, ad debitos fines deductas, servat suo in archivo reconditas; quam etsi tibi in ipso conflictu (ut fit sæpe) verbum unum excidat, quod suæ insaniæ ac delirio quoquo pacto adstipulari existiment, id ipsum tunc amplificare, ornare, extollere, exosculari, & tantum non adorare possint, ingentes pro beneficio suscepto gratias agere, suum suorumque studium atque operam, si qua in re commendare aut prodesse poterunt, tibi tuisque (quos alioqui impense oderunt) polliceri: & in summa, quod te habeant suarum partium imitatorem inter lata sua pocula lictores exultare, triumphare & gaudere videas. Si vero intellexerint, te sagacius odorari, & diligentius explorare quid ipsi animi habeant, ipsosque degustatos habere, certe statim alienant se, & inimicantur aperte, teque cum aliis sibilant. Observo secundo, dum Aldegondum, sua quæsita tibi proponentem, contemplor, quam despicate, quam contempte, pretiosissima quæque ac divinissima isti de more suo tractent, Sacris sua prophana immiscentes: ut, etsi nolis, videas tamen, quo lacte isti

isti sint enutriti, qui tam repente Theologi in hominum perniciem prodeunt. Quærit itaque Aldegondus unico tractu de primo judicio Ecclesiæ & Ecclesiasticarum traditionum, an ipsum sola Sacræ Scripturæ pagina non stet? an Patrum explanationibus & commentariis? an Conciliorum decretis? an Pontificum Romanorum placitis? an Scholasticorum pronuntiatis? Et quorum, qua, & cujus authoritate confirmatorum, seu approbatorum? an *passim sequatur*, ut ait Satyricus, *corvos testaque lotoque*? Heu quam istis facilis est transitus à Prophetis ad comicos, ab Euangelio ad Satyras, ab Apostolis ad Poëtas. En quorum commentariis se muniant, quoties ad Sacras literas & arcanas (in quibus tantum quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discutiendam contendunt) se accingunt. Visus profectò est mihi dicere Aldegondus, quando causa ista non tam Patrum explanationibus & commentariis, nec Conciliorum decretis, nec Pontificum Romanorum placitis, nec Scholasticorum pronuntiatis transigenda est, quam ipsismet Scripturæ Sanctæ vocibus, utique jam nos vicimus; quippe apud quos tam vigent & florent Satyrici, Comici, Oratoresque: verum de his satis.

Accedo jam ad responsionem tuam, doctissime Michaël, super eo Aldegondi de Dei Ecclesia quæsito, & (ut libere quod sentio edam) cœpi ipso primo gradu hærere ob istam nimiam tui animi lenitatem, (quam non ego, qui ejus animi candorem satis novi, sed forsitan quicquam alius, vitioso lenitudinis nomine appellet) & desiderare vehementem illum priscorum Theologorum zelum, quo divinis flammis æstuantes minime sinebant, impietatem Religionis prætextu dissimulari, & osculo pacis, ut olim hominis Filium, ita nunc ipsius sponsam ab istis proditoribus traduci, sinistram de ea famam spargi, ludibrio exponi, ac deridendam omnibus per vicos & theatra (ut isti faciunt) duci. Ad hæc, dum semel atque iterum attentiori animo perlego, & observo primo, quæ abs te in eam rem proferuntur, ita omnia mea Deus benè vertat! tam sum incensus, cùm tui, tùm Ecclesiæ desiderio, ut flagitium haud vulgare in vestrum utrumque admittere me existimarem, ni prudentiam tuam hisce nostris literis admonitam reddidissem eorum omnium quæ inde expuncta, vel certè dictis tuis addita vehementer desiderassem, quod ita expedisse existimationi tuæ, atque ideo fidelium, qui tua legent, commodo ego plane judicassem, mihi ipsi persuadeo, non id te gravate laturum, nec aliud suspicaturum, nisi animo candido & tui observantissimo ad te hæc mittere. Quis enim tam sit demens, qui gratis velit tam Sanctis senibus, mihi præsertim summo in honore semper habitis, vel minimum detrahere? Nec sum, qui soleam senum facta reprehendere, suique semper omnia magis quam Zoilus. Cæterum, etsi te humanitatis tuæ & synceritatis minime accusem, qui putaveris Philippo isti jam deplorato responsionem tuam in bono cooperaturam, non tamen æquo fero animo, quod pro jure tuo ementitum discipulum, cum abs te discere se velle fingeret, digno verbere non cecidisti, quod sic media in luce se talpam simulet, & inter vehementes solis ardores frigere se adhuc componat, communique nostrum omnium pro genitrici Ecclesiæ, super tristissimo jam olim negotio, apud te, non tam judicem suum, quam ipsius Filium diem dicere, inque jus illam vocare ingratus pariter & stultus ipse audeat. Quis, cedo, homo prudens, degenerantem vicini Filium à gravitate paterna, si possit, non reducendum curet, & tradendum progenitoribus suis, qui propriis cum legibus imbuant, flagello emendent, cogantque paternis stare præceptis?

Quid à me petis Philippe, (ò si tu ita cum Aldegondo egisses!) quod à matre tua per multas annorum centurias non habeas de hac re ad Sacras Scripturas discussum decisumque? Cessa, ingrate pulle, in tuam matrem recalcitrare, quæ dicere potest cum Simone illo Machabæo glorioso: *Nec alienam mihi terram hactenus sumpsi, nec alienam detineo, tantum hæreditatem Patrum, quæ injuste ab inimicis, exempto vagina ferro satis hostiliter invaditur, pro mea virili vendico.* Redi ad te fili, & quid sis considera, & noli agni nuptam nefarie oppugnatam & proditam ab istis spuriis, suaque dote spoliatam, novo per te scelere quod aliena occupet, gravari & onerari. Num ignorat Ecclesia, multum honoris & cultus cumprimis deferendum verbo divino arcanis literis contento? Num ignorat eadem, Scripturas Sanctas à solo Deo precario habere omnem illam suam majestatem & firmitudinem præ cunctis Scripturis, nec ad se, sed ad primam ipsam veritatem, qui Deus est, referendam esse cunctam earum divinarum Scripturarum authoritatem? Num ignorat Ecclesia, insigne illud sibi proprium, quod errare non possit, intra divinos libros non in obscuro, sed omnibus pervio loco collocatum, ut per locum connexorum utramque in alterius probationem sumere debeamus? Num ignorat eadem, contineri ibidem, aut in principiis, aut in conclusionibus expresse, vel per consecutionem, in genere sive in numero, explicate aut involute, omnia fidei nostræ dogmata, & Christiani cultus observationes? Num ignorat Ecclesia, si quid sit suos natos doctura, consulendas sibi prius Scripturas, velut Dei ipsissimum oraculum, ac sibi semper perscrutandas, ut inde Spiritu Scripturarum plena ad nos prodiens, secum clavem deferat earundem Scripturarum Sanctarum, qua profundam illam abyssum nobis adaperiat, utque inde colligat, quo pacto nos versari conveniat in Dei domo, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & basis veritatis? videlicet locum cum loco concordat, verbum cum verbo confert; & in summa, multa deligit, multa colligit, multa elicit nobis in Scripturis non multum pervia, sibi vero certissima notissimaque. Estne hoc *corvos lutoque testaque sequi.* Iam vera (ò mihi charissime) quis tam demens, qui judicium primum de Scripturis per ipsasmet Scripturas quoquo pacto constare posse sentiat? quis tam cæcus, qui Scripturam Iudicem mortuum non consideret, qui litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valeat? Dic, Philippe, cujus est, si non Ecclesiæ, divinos libros ab aliis, qui tales non sunt, tam illustri nota secernere? Cujus, si non Ecclesiæ, germanam Scripturarum intelligentiam habebimus? Num Arrii? Num Eutychis? Num Manichæi, Lutheri, aut Calvini? Noverint igitur scioli isti, qui te, mi Aldegonde, sic decipiunt, qui te sua lingua mala fascinant, divinis literis levissime tincti (qui cum in sacrarum musarum ædem vix à limine inspexerint, nihil tamen non audent,) falsaque eruditionis opinione sic intumescunt, utrumque depositum Ecclesiæ commissum, ut utrumque etiam fide perpetua conservet, reddatque simul quas accepit Scripturam Scripturæque intelligentiam. Recte proinde magnus Augustinus Iudæos, ante quorum *oculos velamen est positum*, (teste Apostolo) dum Moses legitur, Scriniarios, Ecclesiæ Christi verbo satis eleganti, appellavit. Imo noveris, non eos habere veras Dei Scripturas, qui verum earum intellectum (qui proculdubio Ecclesiæ est) non habent: quantumlibet Scripturas jactent, & de Scripturis inani triumpho gau-

gaudeant. *Non* (inquit D. Hieronymus) *Dei Evangelium in Scripturis, sed in sensu est; non in superficie, sed in medulla; non in verborum foliis, sed in radice rationis.* Quale ergo donum & quantum, si cum Dei verbo ipsam etiam germanissimam ejus verbi intelligentiam non accepit à sponso Ecclesia? putas, tantum Scripturis illis bene consultum Christi Ecclesiæ, quam expetivit Sathan ut cribraret, nisi cum eis Spiritum intelligentię Scripturarum earundem accepisset? cedo, non indubitatus, certus, & in hoc ipsum munus à Deo destinatus vivens nostrarum controversiarum in Religione nostra Iudex, à cujus sententia & judicio non sit jam nobis ad firmius & certius tribunal provocandum, ullusne tibi videbitur nostrorum dissidiorum futurus finis? ulla fidelium consensio? ulla fidei unitas? ulla pax? ulla fides? ulla charitas? immò ullum Ecclesiæ aut nomen, aut officium? Profectò, si talem Deus nobis reliquisset Ecclesiam, multo Andabatis illis, qui (ut fertur) oculis clausis digladiabantur. Deteriores essemus. Durius siquidem multo est, & minus ferendum, si nescias quo spectatore, quo judice decertes, quam si excæcatis etiam oculis non modo clausis tendas in adversarium. Ne dubita, Aldegonde, Ecclesiæ Iudicium, cùm per Scripturas, tùm per Apostolicas traditiones (constat namque Christiana Religio Dei verbo partim scripto quidem illo, partim annosis traditionibus jam à primis Ecclesiæ fasciis asservatis) *Lydius & Heraclius lapis est*, cujus attritu cœleste aurum eloquiorum Dei nobis proditur; divina est regula, qua lineæ universæ hujus nostræ revelatæ Philosophiæ diriguntur; norma est, altissimæ rationis, vitam nostram in cœlum juxta Scripturas dirigens, & diligentissime perpendens momenta officiorum omnium nostrum; perpendiculum demum est, quo rectitudo seu obliquitas fidei nostræ & operis juxta Dei verbum perpenditur & examinatur. Cave ergo, generose S. Aldegonde, tantæ matris disciplinam fastidias: cave ipsius legem dimittas, ne me cogas tui amantem habere te (juxta euangelicum mandatum) *ethnicum & publicanum*, Christianissimis alioqui generosissimisque ortum parentibus, & qui sanguine proprio ejus Ecclesiæ leges obfirmarunt; quorum tu imitari potius fidem debuisses, quam quod istorum, qui nihil ad te & quibus jam tam nihil sit frontis, sectari insaniam atque furorem maluisses. nihil hic Christi verbo derogatur, cujus hoc jus est, ut ab ipso instructa Ecclesia, nostris omnibus certaminibus præsideat.

Hoc, ut de universali fidelium cœtu dictum sit, vellem nihilominus tibi persuadeas, nihil etiam in Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa, esse prius aut antiquius legitimorum ac Oecumenicorum Conciliorum authoritate jam ab ipsis Apostolorum temporibus pro dissidiis, quæ de religione horis singulis suboriuntur, in Ecclesia componendis. Scis tu, opinor, quas ego legitimas & Oecumenicas Synodos appellem, nempe quando authoritate Romani Pontificis (qui procul dubio fidei & potestatis Petri hæres est) Ecclesiæ Pastores ac Primores in unum locum coëunt de fidei causis, & Religionis nostrę Sacramentis, per Scripturas, & Apostolicas traditiones, annosissimasque ipsius Ecclesiæ consuetudines jam cum ipsa nascentes & adolentes, acturi & judicaturi. Quorum certe Patrum judicium, post quam fuerit illius Sedis, ad quam nunquam perfidia ulla accessum habuit hactenus, Romanæ videlicet, suffragio firmatum, quisquis detrectat; is sane nullum judicem vivum est inventurus, à cujus tribunali non sibi semper integrum esse existimet discedere; immò, si ejusmodi Pastorum ac Patrum conventus in errorem labi possent, nulla utique via nobis esset reliqua, ut in fidei controversiis Catholicum dogma exploraremus: redirentque prorsus omnia illa inconvenientia, quæ, cum de universali Ecclesia ego tecum agerem, tetigi. Amabo, quis putas nostrarum quæstionum finis reperiretur, abutentibus hæreticis de more Scripturis Sanctis, si semel liceret Conciliorum generalium fidem, non modo pro libitu rejicere, sed quoquo pacto ulterius de ipsorum judicio dubitare? Oritur Antiochiæ non modica seditio propter Iudæos volentes gentes ad Deum conversas circumcidi; Paulus & Barnabas rem ad Apostolos Hierosolymis referunt, qui post Petri omnium illorum maximi, & Iacobi ejus urbis Antistitis, suffragia communi decreto per literas statuunt, gentes conversas non ligari Mosis lege. Quo certe in Concilio, licet magna de Prophetarum & legis sententiis super eo negotio conquisitio præcesserit, divino tamen flamini primas dant Apostoli, inquientes: Ita esse cumprimis Spiritui Sancto visum, sibique deinde id Theologos illos divinos consilio summo fecisse, nemo negabit; ut videlicet ostenderent, jam ab illis annis Spiritum Jesu primarium Synedrum Ecclesiasticorum Patrum omnium seculorum conventibus à Deo pronuntiatum & declaratum, cujus perennes illustrationes cuncta, quæ sunt ad salutem omnium nostrum, pro quibus, sicut pro illis primus Christus mortuus est, patefaciant atque illustrent. Vtque noverit, quisquis adversum talium Conciliorum decreta pugnax fuerit & contentiosus, non tam hominibus, cum quibus non sit ille conferendus, se opponere, quam Spiritui Sancto, qui habitator est in hac cœlesti & divina domo, rector, moderator, & tanquam Architectus tanti operis tantique muneris, palam contradicere. Rectè proinde Gregorius vere Magnus de illis quatuor illustribus Conciliis locutus, dicebat: *Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector. Quia*, inquit, *dum universali sunt instituta consensu, se & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere, quos ligant.* Dicere vult Sanctus hic & doctus pariter Pontifex: qui enim sibi per omnia consonant, hos non à proprio Spiritu, qui semper dissidia quærit, sed à Deo, qui veritatem amat, duci necesse est: atque ita in se ipsum contumeliosus est, & non in illos Patres, quisquis eam unitatem Spiritus proscindere conatur. Ergo desine, desine fili dicere hoc vestrum dogma, cum in Scripturis Sanctis expresse non legam, quantumlibet Concilia inclament, ipsum tamen nunquam sum admissurus. Audi non me, cui tamen propter annos & senium credere debuisses, sed Nazianzenum illum Gregorium ter Theologum maximum, quem authorem ejus Symboli, quod in Ecclesia canitur, multi faciunt. Is namque mirabilis Pater, cum sibi à Macedonio hæretico objiceretur, Spiritum Sanctum Deum non esse, quod non sic appellarent eum Scripturæ, tali sermone blasphemum illud os fortissime compescuit cohibuitque. *Rerum aliæ* (Macedoni) *cum non sint, esse tamen dicuntur; ut, cum Scriptura dicit Deum dormire, evigilari, irasci: aliæ cum sint, non dicuntur; ut quod Deum Patrum ingenitum vocamus, non quod sic legamus in Scripturis, sed quod sic juxta seniorum Ecclesiæ interpretationem ex ipsis colligamus: Aliæ, neque sunt, neque dicuntur; ut Deum esse malum, aut mali authorem; aliæ tandem & sunt, & dicuntur; ut Deum esse, Angelum esse, hominem esse. Spiritum* (concludit) *Sanctum Deum esse in Scripturis Sanctis expresse non lego, non dicitur, sed est.* Hæc divus ille. Audis, non omnia quæ credimus, disertis paginis Biblia Sacra nobis plane edisserere, quum sæpe etiam opus sit, talibus Scri-

pturis divinum admovere lumen, quo Synodi gaudent ad obstructissima quæque perlustranda? manens siquidem nobiscum in æternum hic amplissimus veritatis Spiritus, quem mundus non potest accipere, sicut & eum, cujus est ille, non cognovit, reconditas exquisitasque sententias mirifice pollicens, in medium proferre nunquam cessat. Sexcenta Græcorum & Latinorum Procerum Ecclesiæ tibi darem in eam rem præclara testimonia, ni vererer Epistolæ prætergredi fines, teque, mi Aldegonde, gravare. Tantum hoc scias, ad Concilii generalis Patres & Pastores potissimum respexisse Dominum, cum diceret: *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* & cum rursum diceret: *ubicumque duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in eorum medio ego sum.* Dixit, *duo* vel *tres*, ut aperte indicet, in Conciliis non tam habendam esse rationem multitudinis Patrum eò confluentium, quam spiritus cælestis, qui sic in eo spiritu legitime collectos, labi non sinat.

Vide item, ne sinistrum quid & demissum de Romana Ecclesia aut sentias, aut loquaris. Ea enim, etsi Apostolica à Sanctis omnibus, Græcis & Latinis, pleno ore acclametur, non tamen ab ipsis tantum Apostolis, sed à Christo etiam suum primatum obtinuit, eminentiamque potestatis super Ecclesias universas, & cunctum Christiani populi gregem est assecuta; sicut Beato Petro dictum est: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quamobrem non minus credas super Romana sede, ut in cardine vere Apostolico & plusquam humano fundamento, totum hoc cæleste ædificium verti, quod supra Divum Petrum à Domino (post ipsum Christum *lapidem vere angularem à solo Deo innixum*) fundatam esse Ecclesiam, per Euangelium edoctus, credere debuisti. Intuere quæso, quantus hic sit Romanæ Sedis principatus, cui non privati homines tantum, verum tota etiam ipsa Ecclesia assurgit. Sic Synodus Nicæna trecentorum & octodecim Patrum dogmata sua omnia hujus Sedis, cui tunc Sylvester præerat, authoritate firmari, supplex eundem Beatissimum Antistitem orat. Sic eadem non posse Concilia Oecumenica, Romano & universalissimo Patre inconsulto, cogi, non tam sanxit, quam à Deo eam legem Christianis omnibus stabilitam explicuit. Adde, quod famosæ Synodi, Ephesina, Constantinopolitana & Chalcedonensis (quibus singularem Ecclesia ac præcipuum honorem impartitur) illi Sedi, velut principi, tantum detulerunt honoris, ut altero post Christum gradu, Petri successorem ad Christiani orbis clavum ibidem sedentem suspiciant, exosculentur & adorent. Sic Synodus septima, ante octingentos plus annos celebrata, annosam esse & satis pervulgatam in Christi Ecclesia Romani Pontificis super cunctas orbis nationes præeminentiam à Christo ipso descendentem disertis verbis eisque satis elegantibus est prosecuta. Sic Florentinum Concilium definire audet, Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem, in universo terrarum orbe principatum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, universæ Ecclesiæ Christi caput, omnium Christianorum Patrem ac præceptorem. Fatetur etiam, illi Sedi in Beato Petro à Domino nostro Iesu Christo potestatem pascendi plenam tradi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, quemadmodum (ut sancta Synodus ait) in actis universalium Conciliorum, & sacris Canonibus continetur. Quid? non (opinor) ignoras, Aldegonde, quibus verbis hanc Sedem Athanasius ille magnus, & universi Ægyptiorum, Thebaicorum & Lybiorum Episcopi, in sancta Alexandriæ Synodo gratia Dei convocati, supplices salutaverint: *Pater* (inquiunt) *beatissime, ad Sedem istam vestram, quasi ad matrem nostram, recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur; quoniam non potest mater oblivisci infantem suum: nihil vobis inconsultis agere præsumimus. Canonibus quippe jubentibus, absque Romano Pontifice, nos de majoribus nostræ Fidei causis nihil debere decernere. Ob id enim, vos vestrosque prædecessores, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum eos Deus habere curam præcepit, ut nobis succurratis, nos doceatis, tuentesque, ut quibus à Deo judicium omne est commissum, liberare non negetis.* Hæc ibi, & his multo præclariora, in hanc rem quam tractamus habentur. Scripserunt & iidem ad Marcum Pontificem Romanum literas simili & pari observantia plenas, quibus perhonorificam Sylvestri & Felicis Prædecessorum Pontificum mentionem faciunt, & Sedem illam *Caput & Matrem omnium Ecclesiarum, atque Magistram orbis totius prædicant.* O quam sunt præclara, quamque admiranda, quæ scripsit vetustissimus post Apostolos Theologorum Irenæus Polycarpi, D. Ioannis alumni discipulus, lib. 3 adversus hæreses de Principatu, Magisterio & Majestate Romanæ Ecclesiæ: *In ea* (nimirum dicit) *Apostolos universam hanc nostram Religionem fundasse, hic caput atque arcem totius pietatis constituisse, hanc unam omnium Ecclesiarum magistram esse voluisse, hinc fontem per orbem universum profluentis sanctitatis ac Religionis erupisse, hic erudiri omnes oportere Apostolos decrevisse, hinc manare veram Apostolorum* (quasi alterum Euangelium) *traditionem, hic traditionem non scriptam illos reliquisse, quæ sit alterum quoddam amplissimum uberrimumque Euangelium.* Vides, unde, Irenæo divino teste, nobis hæc nostra manarit præcellentia? Vides apud eum virum Apostolis æqualem, certam esse scientiam, quod Ecclesia Romana lumen sit orbis terrarum, quod hic sit magnus Religionis principatus, hujus unius Ecclesiæ sapientia, ab Apostolis fusâ, hæreticos omnes coarguendos, unde fons Apostolicæ sapientiæ perpetuâ per ætates omnes successione scaturiret? Post Græcum unum accipe Latinum testem Tertullianum in eo libro quem etiam adversus hæreticos author pervetustus edidit. Namque antiquus is scriptor similia scribit & asserit, quæ Irenæus prodidisset, aut ex fontibus certe ejus, quod mihi verosimilius habetur, delibavit. *Si autem*, ait, *Italiæ adjeceris habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est statuta. Felix*, addit, *Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam est relegatus.* Et lib. adversus Marcionem: *Quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Hæc ille. Revertar ad Græcos, inter quos primus mihi occurrit os illud vere aureum, Pauli præcipuus imitator, Ioannes Chrysostomus, qui non longe post Constantinum floruit, tempore videlicet Theodosii. Illustris hic Doctor similem cum reliquis Theologis sententiam tulit de hoc principatu, Petro à Christo tradito, cum interpretaretur Euangelium Ioannis: *Tradidit*, inquit, *in manus Petri omnium credentium Principatum. Nam etsi Iacobus Hierosolymorum sedem accepit; at Petrus totius orbis terrarum. Eia age*, ait, *accipe pecudes, egredere in orbem terrarum, sequere me deducentem te ad prædicationem, totumque terrarum orbem in tuas manus tradentem.* Hæc aureus Theologus, qui cum dira passus periclitaretur, ad Innocentium Papam,

pam, velut ad unicum miserorum & afflictorum parentem, & ad injuriæ legitimum vindicem, sua appellatione confugit. Nec te pigeat Cyprianum, longe antiquissimum Theologum Latinum, de capite & unitate Christianæ Religionis candide disserentem, audire in Epistolis de Hæreticis ex Africa Romam navigantibus. *Audent*, inquit, *navigare ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, unde totius Fidei nostræ ordo & veritas pendet.* Quid clarius? quid expeditius? Cernisne caput ordinis, unitatis, Religionis Christianæ? Audias quoque Cypriani vocem de Sede Sancti Petri & hodierna gigantum audacia: *Deus*, ait, *unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum, Domini voce fundata; aliud altare constitui, & sacerdotium, novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium, non potest. quisquis alibi colligerit, spargit: adulterium est, impium est, sacrilegium est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divino violetur. Inde schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur.* Cernisne, Philippe, veluti prophetantem, ac spiritu quodam divino prænuntiantem, divinum hunc ore prophetico hodiernam hæresim atque ejus præcipuam causam, qua septentrionalis superbia summum sacerdotem erat contemptura, aliud altare sacerdotiumque institutura, idque humano furore, cæcitate ac dementia, cælestibus ordinibus violatis, institutisque divinis repudiatis? Hoc etiam Cypriani testimonium protulit etiam Anselmus, Theologus apprimè bonus ac sanctus etiamque antiquus. *Nolo oblivisci, quid idem Cyprianus de Petri primatu, & una Ecclesiæ Cathedra in Epistolis dicat. Loquitur Dominus*, inquit, *ad Petrum, ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super unum ædificat Ecclesiam, & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, sua authoritate disposuit.* His certe divini Theologi dictis plane cognoscitur, antiquam fuisse indubitatamque fidem, Sanctum Petrum caput esse Religionis. Nec vera esse, quæ nostri temporis audacia conata est persuadere, fuisse omnes Apostolos æquales, neminem plus cæteris habuisse, quidquid uni datum esset, hoc unicuique datum esse. En, mi Aldegonde, Sanctorum Theologorum testimonium, à quibus, usque ad sanguinis effusionem, defensa est Religio; Deum decrevisse caput esse Petrum, ad cujus thronum omnia Ecclesiæ Dei referrentur, & à quo Religio dependeret? tametsi Sancti Apostoli potestatem parem à Christo Iesu accepissent. Quare, conticescat, rogo, erubescatque insanorum hominum temeritas. Theodoricus Græcus, (libet enim catenam hanc vere auream, & Græcorum simul & Latinorum nexibus nectere) qui celebri illi Chalcedonensi Patrum conventui interfuit, ad Leonem hujus nominis primum Romanum Antistitem scribens, sic habet post multa: *Petrus ac Paulus Sedem vestram admirandam clarissimamque reddiderunt. Hoc bonorum vestrorum supremum est culmen, quoniam Deus etiam nunc Sedem ipsorum claritate conspicuam reddidit, vestra sanctitate super ea collocata, unde sanctæ ac puræ Religionis radios diffundit. Si enim Paulus, veritatis præco, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum accessit, ut ab eo solutionem referret super his dubitationibus quæ Antiochiæ inciderant, an vivendum esset secundum legem, multo magis nos abjectæ sortis & exigui homines ad Apostolicum vestrum thronum recurrimus, ut à vobis medicinam ad sananda Ecclesiarum ulcera discamus. Vestrum enim est, in cunctis præesse ac dominari, propterea quod Sedi vestræ omnium charismatum excellentia data est.* Hactenus divus hic. Vides, ut omnes mirifice congruant super Romanæ Sedis majestate, utque in caussis Fidei ab ea Sede sit cùm auxilium, tùm responsum expetendum, ut Romanæ Fidei tota nostra Religio nitatur. Scilicet Augustinus ab his, quæ de divino hoc primatum & magisterio diximus, longè vehementissimeque dissentit? minime gentium, imo maxime illi tota hæc placet oratio de divi Petri ac successorum præfectura. Et, ut pluribus locis Scripturarum ejusdem divini libens supersedeam, unus tamen ille longe est omnium clarissimus patentissimusque in hanc rem, ubi inter cætera, quæ illum in Ecclesiæ gremio justissime detinere diceret, illa tamen ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad sui temporis Episcopum, qui Romæ tunc præerat, sacerdotum successio præcipua sibi videbatur & habebatur. Quid hic commemorem utrumque Cyrillum, Alexandrinum scilicet & Hierosolymorum Patriarcham? quorum ille prior in libro Thesaurorum: *Christus*, inquit, *accepit à Patre esse Dux, & super omne quodcumque est, ut ei cuncta genua curventur, plenissimam potestatem: quam sic Petro & ejus successoribus commisit plenissime.* Hæc ille: posterior vero, Christi personam sustinens, *Petrum ita alloquitur: tu cum fine, & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, plane & perfecte sacramento & authoritate cum eis ero, sicut sum tecum.* Non te celabo aureum, Maxime, in Epistola ad Orientales de hac re verbum. *Omnes*, ille ait, *fines orbis, qui Dominum Iesum syncerè receperunt, & ubique terrarum fidem veram Catholici confitentes, in Ecclesiam Romanorum Pontificum, tanquam in solem, respiciunt.* Mediolanensem Ambrosium, Constantini Magni ac Nicæni Concilii tempori vicinum, præterire neque debeo, neque volo: *Hanc*, inquit, *solam Ecclesiæ navem Dominus ascendit, in qua Petrus Magister est constitutus, quæ navis in altum seculi istius natat, ita, ut pereunte mundo, omnes quos suscipit servet illæsos; sicut enim Noë arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat incolumes servavit, ita & Petri Ecclesia, conflagrante seculo, omnes quos amplectitur repræsentabit illæsos. In urbe*, inquit, *Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, passi sunt gloriosi Apostoli, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & ubi gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morarentur.* Sic Divus ille. Hem, quid ago? quid tam longe progredior? sic vivem, tanta tui docendi, mi Philippe, animo huic meo, commodo tuo obsequentissimo, cupiditas incessit, ut nec temporis, nec Epistolæ rationem habuisse ullam jure aliis videar. Verum non assis facio, quid illi de me sentiant, modo munus ego meum apud te, qui me præceptore uti dignatus es, officiosè & amicè, etsi cum nonnullo tuo tædio, expleam. Quamobrem libenter proficiscor ad reliqua. Rogo, tribunal illud fidei nostræ una adeamus, ac te ipsum illi Sedi sistens verba Athanasii Græci, & Hieronymi Latini sic usurpabis. *Vestram Sanctam Romanam interpello Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi & solvendi speciali est privilegio super alios concessa. Hæc enim firmamentum à Domino fixum & immobile percepit: quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam, Dominus Iesus Christus vestram hanc Apostolicam constituit sedem. Hæc enim ipsa sacer est vertex, in qua omnes vertuntur, sustentantur & revelantur: & sicut in Christo Christiani, ita in petra, id est Petro, Christo renovantur Ecclesiæ. Tu es (sicut divinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ,*

columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris reportare debent, tibi sunt confirmatæ. Tibi claves regni cœlorum commisit, atque ligare & solvere potestati tuæ, quæ in terra & quæ in cœlo sunt, promulgavit. Tu profanarum hæresum, & imperitorum atque omnium infestantium depositor, tu Princeps & Doctor caputque omnium Orthodoxorum doctrinæ, & immaculatæ fidei ex istis; te particularis decet reverentia pro rebus fidei tuæ & nostræ, causisque cunctis inquirendis atque determinandis, quas felicite decet justeque abs te ipso Præsulum vertice Apostolico examinari, cujus sollicitudo semper fuit & est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Placentne tibi Athanasii verba Philippe? Næ tu isto Græco sanctior, melior nec doctior es. dicito, oro, cum Hieronymo viro integro, & qui omnia serio & dicit & agit, nullius fortunam admiratus nec adulatus unquam, ut cujusquam libidini inserviret, & adniteretur humanum emereri favorem. *Quoniam* (inquit divus hic) *vetus oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & de super textam, minutatim per frusta decerpit, & Christi vineam exterminant vulpes inter lacus contritos, qui aquam non habent, ut difficile ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde mihi meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi: nec enim tanta vastitas elementi liquentis, & interjacens longitudo terrarum me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicun que fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur authoritas. Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: Hic obruta sulcis frumenta, in lolium accenamque degenerant. Nunc in Occidente sol justitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat posuit Thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos vasa aurea & argentea: Hi testæ, seu vasa fictilia, quæ virgam ferream & æternum operiuntur incendium. Quantumque tui me terret magnitudo, tantum invitat humanitas. A Sacerdote, victimam salutis, à Pastore, præsidium ovis efflagito. Facessat invidia Romani culminis, recedat ambitio cum successore Piscatoris discipulo Christi loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra domum hanc agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. & quia pro facinoribus meis ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriæ cognomento Barbariæ fines disterminat, non possum Sanctum Domini, tot interjacentibus spatiis, à sanctimonia tua semper expetere: Ideo Collegas tuos Ægyptios sequor, & sub eorum parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletum respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristus est.* Ita eximius ille Theologus Sedem Apostolicam alloquitur. Agnoscisne, Philippe, hominis pene divini phrasim? eloquentiæ admirabile corpus? rarum dicendi modum? considerasne Christiani pectoris candorem? fidem integram & sanam? videsne, quam ille suspiciat, quam admiretur collatam huic Sedi cœlitus potestatem? observasne, quam punctim & cæsim ille Throni hujus vere Apostolici hostes petat? ut nos omnes Romano præceptori dedat? ut Romanam fidem tenere perinde ac Catholicum esse æstimet? Antichristi signa sequi, qui non sequatur doctrinam & fidem successoris Petri? Quid, si te, mi Aldegonde, clarissimorum Imperatorum illustria & dicta & facta de hac re delectant, ut, qui generosis satisque claris illustribus sis editus majoribus? profecto ni vererer tua abuti humanitate, qui me tam diu loquentem sic patienter sustineas & feras, sexcenta proferrem exempla, quæ domi meæ collecta habeo ex antiquissimarum Historiarum monumentis deprompta; quæ te docerent, non à Theologis tantum, verum etiam ab ipsa Imperatorum & Regum celsitudine adorari solitam & consuli prædictam Petri Cathedram. In tantum, ut summi hujus orbis Monarchæ, non modo suis edictis publicis de Petri ac successorum majestate & Principatu multa prædicarent & statuerent; quin etiam tanta observantia Romanum Pontificem coram prosequerentur, ut & pedes exoscularentur cum magna humilitate terræ prostrati, & vice stratorum usque in aliquantum locum juxta summi Patris sellam properarent, & cum gloria ad palatium ducerent: à quibus ille quæ peteret, impetraret omnia. Constantinus Magnus Imperatorum Orthodoxorum primus, quantum huic Sedi cultus detulerit, nemo ignorat. deficeret me tempus narrantem de Valentiniano Augusto, Carolo Magno, Pepino, Galla Placidia Augusta, Andronico, Iustiniano, Eoò Leone, Pulcheria, cæterisque nobilissimis Imperatoribus, Principibus ac Regibus, apud quos Romanus Pontifex tantum non Deus in terra habebatur, & colebatur illius fidei & potestatis hæres, quibus præ cæteris Apostolis Petrum pollere ex ipsis divinis libris, omni oriente atque occidente huic veritati attestante, didicerunt. Quid diceres, si ego hic eorum Imperatorum attexerem catalogum, qui ob scelera sua, hæreses atque flagitia ab ejus sedis moderatoribus, tanquam à fidei nostræ unicis magistris ac judicibus, & proborum morum censoribus diro anathematis fulmine sunt percussi? sed nolo eam ingredi silvam. Nec volui ipsosmet Pontifices Romanos suæ potestatis assertores huc introducere, viros longe antiquissimos, & ex eis gloriosissimos Christi Martyres non paucos, quod talibus testibus parum apud te me profecturum sperarem. Tantum dico, Romanus Pontifex est, ex cujus ore legem Domini accipere universi jubemur, quia primarius & universalis Dominici gregis Sacerdos est & Magister. Scilicet qui Romanorum Pontificum responsa sequitur, *corvos testaque lutoque insequitur*.

De Patrum etiam explanationibus & commentariis, summatim dicam id ipsum, quod ex ipsis eorum commentariis edoctus sum. esto hoc unum & præcipuum. Nullus Sanctorum Ecclesiasticorum Patrum, Græcorum seu Latinorum, eam sibi à nobis adhiberi fidem unquam poposcit, quam præstare teneamur, vel canonico Scriptori, vel Synodo universali & legitimæ, vel Romanæ Sedi, in eis rebus quæ ad religionem nostram pertinent, probe namque humiles isti Ecclesiæ & Scripturarum Discipuli, & veræ disciplinæ alumni, norunt se homines esse, & errare posse ac labi: multaque suis commentariis interserunt, hominum aliorum opinionibus innixi, præsertim in describendis Historiis. Immò, in omnibus quæ ad fidei, morum, Christianæ Religionis necessitatem spectant, pro generali regula in singulis Sanctorum Patrum libris, observandum; quod ejusmodi Patres, qui ad mortem usque permanserint in Ecclesiasticæ fidei unitate, in qua Petri Cathedra per Christum regnat, non aliter se intelligi volunt, quam hactenus Catholica Ecclesia id ipsum, de quo per eos agitur, intellexit. Tot hæresibus nimirum nondum exortis securius multa dixerunt, quæ postmodum hæreticis in alienum sensum detorquentibus, civili interpretatione indigent. Hinc illa cujusdam ipsorum vox: *errare potero, hæreticus tamen nunquam ero.* Verum hoc tibi certum persuadeas velim, quod, etsi ut homines

homines nonnulli ex illis priscis Patribus, in rebus etiam quæ ad fidei nostræ substantiam pertinent, aliquando lapsi sint, in re tamen religionis nostræ concorditer nunquam errarunt. Id enim Christi pollicitationi, & perpetuæ Spiritus præsentiæ, apertissime repugnabat. Lege diligenter D. Augustinum, hujus divinæ scientiæ peritissimum, libro adversus Iulianum primo, capite secundo, & libro II adversus eundem, & disces, eum, qui antiquos Patres imitatur, non, ut ait Satyricus, *Corvos testaque lutoque insequi*. Cum enim Iulianum vellet Augustinus Sanctorum testimoniis in fidei dogmate, de quo controversia erat, revincere, *Omnium* (Aurelius ait) *de hac re sententias commemorabo, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores coguntur erubescere & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit.* Inferius paulo: *Alia sunt*, inquit, *in quibus inter se, etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.* Et libro altero in eundem Iulianum, ita D. Augustinus invehitur: *Hoc probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens, ut falsum sit: tales quippe ac tanti viri secundum Catholicam fidem hoc esse confirmant, ut vestra fragilis & argutula novitas, sola authoritate conteratur illorum. præterquam quod ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur. sed nunc authoritate primitus eorum vestra est contumacia comprimenda, ut, dum tales homines Dei in fide errare non potuisse creditis, ausus præcipites refrenetis.* Et mox: *Ego te*, inquit, *ante istos judices constituo, quos non amicos meos & inimicos tuos in hac nostra disceptatione constitui cognitores, nec quorum sententia de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi, sed Sanctos & in Sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis*, (quamquam & in his docti nonnulli ex his fuere) *verum omnes Sacris literis eruditos nominatim, sicut oportebat, expressi; ut in eis timeas non ipsos, sed eum, qui sibi eos utilia vasa formavit, qui tunc de ista causa judicaverunt, cum ab odio, amicitia, & inimicitia, ira vacui erant. Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt.* Statim: *Usque adeo*, ait, *permiscuit imis summa longus dies, ut videant Pelagius, Cælestius, Julianus, & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Cyprianus? sed qualiscumque homo sis, tamen, quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, (si tamen, non in te spes est & omnis emortua sanitatis) & quodammodo audio vocem tuam, qua respondes, absit, ut audeam cæcos istos viros vel cogitare vel dicere.* Et tandem in libri fine, *qui Sanctos rejicit, eum universam Christi Ecclesiam rejicere*, testatur Augustinus. Igitur, ne te, Aldegonde, multis onerem, ad summam dictum existimato, in expositione sacrarum literarum, communem omnium Sanctorum veterum intelligentiam certissimum argumentum Theologo præstare ad fidei dogmata comprobanda stabiliendaque. Scias demum, vel eorum unum contemnere pro tua libidine ortum esse signum, quod inverecundum animi ingenium possideas.

Circa demum Scholasticorum placita habeo unum quod te doctum cupio: Scholastica Theologia ascriptitia & ad discordiam nata ingenia non probat, pertinacia & omnia scalpentia: sed quæ in literis arcanis, & Apostolorum traditionibus, ac Patrum conciliis, & antiquorum commentariis abdita speculantur, & quæ ex principiis fidei à Deo reculatis, conclusiones suas in ipsis principiis implicatas, eruere & explicare (hoc profecto munus est Scholasticæ Theologiæ) per argumentationem naturæ consentaneam, contendunt: talia sane ingenia efficere debent, ne propter paucorum vitia, omnium corona traducatur. Habet item hæc differendi in scholis facultas alterum propositum scopum adversus hæreses fidei nostræ defendendæ. Ad ipsos namque Scholasticos Theologos (Augustino teste) attinet facere, quemadmodum fides Catholica piis opituletur, & contra impios defendatur. Hinc illæ lacrymæ, illudque intestinum odium hæreticorum adversum tam præclaram, tamque Ecclesiæ necessariam professionem. spectat demum ad Scholasticorum functionem, Christi & Ecclesiæ doctrinam, quantum id possit fieri, ex humanis disciplinis aut illustrare, aut etiam confirmare. Quare vera hæc & consummata Theologica scientia cœlestium rerum cognitione, & humanarum prudentia ac usu constat. Danda proinde est Scholasticæ Theologiæ opera, sine qua, nec hostium fraudes & artes detegere, nec ullam omnino perfectam in Ecclesia doctrinam consequi tu possis. En, Aldegonde generose, ostende tibi sellas nostras Curules & tribunales. En, quibus sit permissum de fidei nostræ Sacramentis incorrupte judicare. contemplare, quæso, paululum nostrorum judiciorum speciosam formam. Occurrent tibi primo loco Scripturæ Sanctæ, quibus, velut divino verbo, nos certo fidimus. habemus dein Apostolorum traditiones, quas, ceu amplissimum *alterum Euangelium*, (ut dixit Irenæus) nos veneramur: habemus dein Romanorum Pontificum responsa, nobis velut divina habita. habemus dein Patrum nostrorum decreta in Conciliis edita. habemus demum veritatis Spiritum, quem nobis Iesu sanguis peperit, qui judices illos nostros errare & labi non sinat. Quos, cum sequimur, non corvos, sed columbam cujus oculi divini, sequimur. Cave tibi, qui, ut video, corvos imitaris, ne in te paræmia jactetur, *mali corvi, malum ovum.*

Non equidem dubito, Michaël eruditissime, si simili ratione respondere voluisses, primo Philippi tui de Christi Ecclesia quæsito, te multo præclariora in eam rem, pro tua eximia eruditione, adducturum, quibus compesceretur ille, ne in eas iret blasphemias, in quas in altera ad te post tuam responsionem epistola te audiente legenteque prorupit. Liberiores sane animi, postquam lege nulla semel intellexerint se coërceri, in dies horasque indulgentia multo fiunt deteriores. Quamobrem, ut tibi ultro assentior, in eo quod, Augustinum imitatus, initio responsionis tuæ asseris, judicium de Christi Ecclesia deque ejus constitutionibus & traditionibus (de his siquidem omnibus tibi ab Aldegondo quæstio proponebatur) ex Scripturis Sanctis esse petendum: ita profecto tibi reluctari cogor, in eo quod dictum amplificans subjungis, non tantum præfatum judicium ex Scripturis nobis petendum, sed etiam quod ex sola Scriptura peti debeat. Ut enim prius illud non Augustinus solus, sed fides ipsa Patrum nos doceat, omnia videlicet Ecclesiastica ad Scripturarum amussim esse exigenda, hoc tamen posterius nec suspicatus certè est Divus ille. Quare desiderarem utique exclusionis notam illam ex sola Scriptura, omnino inde expunctam, aut certe (ut decebat) explicatam. Quasi vero minus sit credendum Ecclesiæ in his quæ nos docet, aut facere nos jubet, quod ea in arcanis literis minus nobis videantur excussa: & quasi multa non sint, quæ sine expressa Scriptura à Christo ad Ecclesiam per viros Dei plenos spiritu transmissa fideli ipsa memoria retineat; & quasi tandem sola vocum Scripturæ Sanctæ efficacia sit nobis semper omnis aut corrigendus error, aut firmanda veritas. Dicam ad summam, quid sibi vult, *hoc ex sola Scriptura peti debet?*

nam

nam quam sæpe Scripturæ locus obscurus est, quem minime possis ex aliis ejusdem divini canonis manifestioribus locutionibus illustrare? an non tunc ad eorum testimonia & studia recurremus, qui nostri temporis contentiones præcesserunt, quique lumine cœlesti in eam rem sunt à Deo ditati, cujusmodi inprimis est Ecclesia, & Ecclesiæ conventus legitimi, Romanique Pontifices, Ecclesiastici Patres? Nonne ex his simul cum Scriptura, & non ex sola Scriptura judicium de divinis tunc petemus? Adde, quod multa sunt ad doctrinam Christianam maxime facientia, quæ nec etiam obscure in numero in ipso canone divinorum Bibliorum leguntur, quæ tamen Sancti Apostoli bonis de causis viva tantum voce prodiderunt. Exempla ponerem, ni tecum agerem, ut non sit mihi metuendum, ne videar quid novum & recens excogitatum dicere. Horumne etiam judicium ex sola Scriptura petemus? nisi velit tua prudentia dicere, universorum etiam quæ traditione sola servantur in Ecclesia (quæ plurima sane sunt) judicium ex sola adhuc Scriptura petendum, non eatenus quod expresse Dei verbo scripto ea constent, sed quatenus eadem Scriptura expressas Ecclesiæ Dei notas (sicut Augustinus eo in loco contra Donatistas egregie convincit) profert; quæ cum cognoscantur Ecclesiæ nostræ Romanæ propriæ, facile colligamus, inde vere eam esse *columnam & veritatis fundamentum*, ac perinde noverimus errare, & labi non posse, quidquid doceat aut jubeat. Vel certe eo apposuisti prædictam exclusivam, quo insinuares Ecclesiam veritate in Scripturis Sanctis scripta semper illuminari, etiam circa ea, quæ in numero divinis literis mandata non sunt. Quorum certe utrumque tam est verum, & Christianæ parænesi conforme, quam quod maxime. At, quod tua pace dixerim, nec id erat quod quærebat Aldegondus, nec satis in re tam gravi, tamque cum hostibus fidei nostræ controversa, fidelibus simplicioribus per te responsione illa consultum judico. Hanc ego legem semper vidi servari, non modo apud Ecclesiasticos viros, verum apud prophanos, in ferendis sententiis super aliquorum dissidiis, ut scilicet judicantis verba tam sint clara & perspicua, ut nullus deinde futuris jurgiis relictus locus videatur, nec sit altero judice opus, qui prioris mentem interpretetur. Acute proinde, etsi nimis subdole & fraudulenter, Philippus tuus rem jucundam & sibi per gratam habens, quod in gravissima quæstione, & quæ omnium cum hæreticis controversiarum tantum non cardo ac fundamentum est præcipuum, tu cum illo prope ad amussim consentires, sententiam tuam in satis iniquum judicium trahit, quam visus ei fueris nudam & solam Scripturam judicem constituisse omnium nostrarum cum hæreticis litium: ait enim in literis ad te datis 5 Novembris 1577; quantum igitur ex tua, immò potius Augustini sententia, possum conjicere, omnino ita sentis; unicum Ecclesiasticarum traditionum κριτήριον, unicum lapidem *Lydium* atque judicem esse verba Domini nostri Jesu Christi tradita Sacræ Scripturæ disertis paginis; nec audiendum esse, hoc dicit Augustinus, hoc dicunt Donatistæ, sed hoc dicit Dominus: & in libris Dominicis, quibus utriq; credimus, utrique assentimur, quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discutiendam. Hic jam ille, quasi Ecclesiæ funere exultans, & tripudians, tanquam si verbo illo ex sola Sacræ Scripturæ pagina, Apostolicas traditiones, Conciliorum decreta, Romanorum Pontificum placita, Patrum explanationes & commentarios ab illo unico ac primo Ecclesiasticarum traditionum judicio tu exclusisses: Vlterius audet progredi & inferre: *Ergo judicium de Christi Ecclesia ejusque doctrina & Sacramentis (hoc enim ex priori necessario efficitur) ex sola Scriptura peti debere. In hoc*, addit, *certe ego tibi per omnia plenissime assentior, ac vere ita statuo, si hoc ipsum impetremus, facile reliquas omnes controversias ac nullo negotio iri compositum.* Hæc ille. & ut clarius videas adhuc, quantum sibi vox illa *ex sola Sacra Scriptura* arriserit, quamque eam suis sensibus infixam servet. deinde, quasi tuæ sententiæ rationem reddens: *ut enim*, inquit, *post Paulum ait Athanasius: sufficiunt Sancta ac divinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis.* Vides, non diu potuisse istum simulatum tuum discipulum dissimulasse, quæ olim ex Calvini sui ore toties accepisset. *Sacramentum & ejus usus* (dixerat ille) *nisi certo Dei verbi expressi fundamento nitatur, de filo pendet*. Præmiserat vero eodem in loco, inquiens: *ubi demum in carne manifestata est Dei sapientia, quidquid humana mente de Patre cælesti comprehendi potest, & cogitari debet, pleno ore nobis edisseruit.* Quæ duo, quasi tu signo exclusivo firmaveris, ea tibi Aldegondus adscribit. Heu, quantum fenestram (mi Domine) ad nequitiam furiis istis illo tuo bene dicto verbo *ex sola Scriptura peti debet*, etsi nolens, *patefeceris*.

Illud etiam, quod subjungis, non debere mirari Aldegondum, si exemplo suo, qui te de ea re dignatus fuerit consulere, veri fideles, ut ex Scripturis Sanctis de eadem Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare conentur, qui præ cæteris à Deo vera sapientia ditati fuisse creduntur; hoc, inquam, licet vere dixeris, nimis tamen blande & molliter est abs te dictum. nollem profecto eo in negotio tam ipsius admirationem taxasses, quam quod inculcasses necessitatem summam accersendi sibi expertos Doctores verbi Dei, quoties esset ei de divinis per Scripturas Sanctas judicandum, terruissesque hominem pro tua dignitate & gravitate, ne imprudens ac demens immenso Scripturarum Sanctarum plago (in quo multo acutiores & ingenio valentiores Aldegondo miserandum naufragium pertulerunt, miserrimeque periclitati sunt) sine bonis ac firmis remis, & quibus tumens mare facile cedat, & non sui cerebri levitate tantum fretus se committat, unde miser, scopulosis illisus collibus, enavigare & nesciat & nequeat. O quam fuissem lætus, si admonitionem istam tuam vere paternam, immò reprehensionem tanto Magistro dignam, præclaro illo Scripturæ loco ornasses, ubi legimus, quotquot intra arcam, hæc est Dei Ecclesia, inclusi non fuissent, periisse regnante diluvio. Vis dicam? tu istos curas molliter. Ægyptium erat mare, & tamen gentiles suos (ut ita loquar) devoravit; eis vero qui unius ducis unanimes fidem imitarentur, etsi exteris & ignotis ultro divino jussu cessit. Ceciderunt illi in suis equis ac curribus, transiverunt hi pedites revelatis sibi terræ fundamentis, patefactisque aquarum fontibus, idque non alia ratione, (juxta divinum canonem) quam quod Dei verbo per suum famulum divulgato illi constanter reluctarentur non semel pereundem sibi propositi, hi corde tunc perfecto crediderunt. verum revertamur ad Aldegondum, &, si placet, contemplemur, quantum apud eum tu profeceris dulcedine tua ista nimiaque indulgentia. *Etsi lubens*, inquit, *confiteor, quod ais, veros fideles, ut de Scripturis Sacris, de Christi Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare, qui præ cæteris vera sapientia a Deo ditati fuisse creduntur; inter quos ego & Augustinum non gravate reposuerim: tamen illud cum Chrysostomo liceat contendere, multos quidem Spiritum Sanctum jactare: sed qui propria loquantur falso*

falso illum prætendere. Vt enim Christus non à se ipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita si quid præter Euangelium sub titulo Spiritus Sancti obtruditur, non credamus. Quia, sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita Spiritus Euangelii. Hæc ille. Ipsissimus cuneus iste est, quo Calvinus in Institutione sua ad findendam Ecclesiam utitur, à quo, non animum tantum & sententias, verum & verba ipsissima mutuo Aldegondus accepit. quo sane loco non satis mirari queo, quam nihil mentis istis hominibus sit. Si apertos profectò oculos haberent, plane intuerentur se suo perimere ense, cadereque trucidatos proprio gladio. Vtri (ab eis quæro, respondeant) magis videntur Spiritum Sanctum jactare, magis propria loqui, falsoque Domini Spiritum prætendere? Vtri (rogabo istos) securius mare hoc Scripturarum navigabunt, illine qui spretis pro libidine Patribus, spretis Apostolicis traditionibus, spreta demum omni Ecclesiastica disciplina, quotidie ad Scripturas provocant adversarios suos, jactantque ea se libertate potiri, ut in ipsis enarrandis, in nullius debeant cogi *jurare verba Magistri*, etiamsi eis tota objiciatur Ecclesia & tanta Patrum nubes, quorum animus errore vagetur, nec habeant quod certo sequantur? An qui mutum illum Scripturarum judicem germana Ecclesiæ & Sanctorum intelligentia, vivificare & animare nunquam non contendunt, quique eos sectantur Magistros, quorum probitas quemquam fallere non sinat, quorumque plurima scientia divinitus concessa ac vigiliis multis aucta, ipsos decipi non patiatur? Certe quidem (Michaël longe doctissime) locus hic, in quem te ille projecit invitum, si abs te pro tua magna eruditione fuisset occupatus & expeditus, non, opinor, tam inverecundum animi ingenium possideret Philippus iste, ut te virum sanctum, pium & doctum eligeret, apud quem virus nequissimæ acerbitatis suæ, quod in Ecclesiam ejusque universales ac legitimas Synodos, inque Romanorum Pontificum sanctissima certissimaque decreta jam diu suo stomacho concoxisset, evomeret foràsque projiceret, sed te contra nulla in re ipsius dementiæ conniventem, imo potius ad vivum omnia resecantem, non modo revereretur, sed etiam pertimesceret. dixi semel, nec me dixisse (sat scio) unquam pudebit pigebitque, deteriores istos fieri licentia & indulgentia. Rectè proinde ea lege Ezechiel à Deo missus speculator constituitur, ut, si prævisum imminens malum, non annunciaverit, ejus qui perit reus efficiatur. Contemplemur & expendamus sequentia, videbis quam ille synceritati tuæ insidietur semper.

Postquam enim juvari nos dixisti, in responsione tua, hominum clarissimorum studio & scientia, ut ex Scripturis Sanctis de Dei Ecclesia verum judicium accipiamus, subjungis, ad eundem usum referenda Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificum placita. Ita me Deus amet! cogor invitus hanc tuam pene appellaverim desidiam in differendo hoc loco Ecclesiastico magisterio, (quod te sat scio alioqui magnopere delectat) iterum notare. Novit namque tua reverentia, longe ad præstantiores usus referenda Conciliorũ decreta, & Romanorum Pontificum placita, quam cujusvis hominis judicia quantumvis licet excellat. Illa siquidem esse non vera nequeunt: cum sæpe contingat doctos alioqui viros hallucinari graviter, & à judicio vero longe aberrare. Non ergo debuit tua eruditio sic hic æquo pede hæc omnia metiri, ne viderere quasi apertam dedisse hosti ansam, ad tam facile hæc quam illa perdendum, ut qui sibi persuadeat, nihil his inesse divinius quam illis: quod re ipsa accidit. Non enim horret dicere, tuis auditis, eam sibi statuendam rationem penitus de Conciliis & Pontificum decretis, atque de aliorum Ecclesiæ Doctorum judiciis, nec hos divinos judices minus quam illos veretur non inter pios & synceros Ecclesiæ Doctores connumerare, sed inter Hæreticos & Scripturarum depravatores, si quid, præter Euangelium in Scriptura expressum, sub titulo Spiritus Sancti obtrudere illi pergant. Domine mi, quia nimis virgæ tuæ pepercisti, odisti profectò virum tuum. Vides quo insaniæ devenerit iste, quod initio, cum posses & deberes, similes in Spiritum Dei contumelias ultum non iveris, nec vi sapientiæ tuæ corripueris. Ergo Aldegondum inter pios & synceros Ecclesiæ Doctores habebimus, quod sic prope ab Scripturarum fonte suos irriget doctrinarum tubos, ut, nisi expresso Dei verbo, velut purissima lympha refici velit, universos veræ Ecclesiæ Pastores, legitimo modo in unum Concilium coactos, si dicant nobis quæ sunt, modo non in Scripturis legantur, inter Hæreticos & Scripturarum depravatores connumerabimus? Heu quam est solemne, iniquis insignitos notis velle optimos quosque eisdem denigratos reddere. Vtique non id obscure præ se ille ferebat, cum de Ecclesiæ Dei judicio se velle denuo tuum contendere diceret. Nec multum dissimulare animum potuit, quin tandem ipsum tibi palam exprimeret, quantumvis qui istius sunt artis, nunquam non præparent dissimulatim insidias tandem, ut quod cœpit expleat, & inchoatum nequam sermonem nequiore coronide ornet & terminet, concludens, inquit: *In summa, hoc inter nos conveniat, doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ, cui soli innixa est Ecclesia, judicium omne ad Scripturarum esse revocandum, omniaque omnium Patrum dogmata, vel Conciliorum decreta, vel Pontificum placita, vel Scholasticorum axiomata, non aliter esse accipienda, nisi quatenus huic Scripturæ sunt consentanea.* Hæc Aldegondus. Profectò, si dixisset, judicium omnium dogmatum, quæ in Catholica nunc habentur Ecclesia, ad Scripturam fuisse per ipsam & Concilia atque Romanos Pontifices revocata, plane nos isti adstipularemur. At antiquissima quæque nunc denuo per Aldegondum ad Scripturam revocari quis ferat? Estne hoc aliud, nisi litem omnem de Religione Christiana perpetuam & infinitam reddere? nunquam non de Religione litigare? esse fora Ecclesiastica semper litigiosa, & nunquam terminandis litibus plena? Si antiquæ furiæ, ac monstra prisca, quæ olim Ecclesiam prætextu Scripturarum vexarunt, nunc triverunt, aut ex inferis ad nos remearent, haberent profectò, juxta Aldegondi præscriptum, imo vero juxta Sathanicum per Hæreticos inventum, quo se tueri possent adversum Ecclesiastica decreta, quibus sua illorum insania jam diu damnata est: verum de hoc paulo inferius redibit sermo.

Quid ad ista deliria tua Reverentia responderit? Vidi in Epistola, vigesima octava mensis Novembris, anno 1577, ad eundem missa, verba tua sunt hæc: *Dicis itaque, tibi licere illud cum Chrysostomo contendere: Multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquantur, falso illum prætendere:* id quod verissime dicis, quia id docet Scriptura Sancta, cum ait: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Et rursus: *Prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri dijudicent.* Duplici sane Scripturæ loco hominem cruciasses, si aut ille saperet, aut tu in eum te hæc dicere palam testarere. Cæterum pergo: *Sed, si quis, inquis, æque conetur persuadere, veterum testimonia & Conciliorum decreta, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à viris doctissimis ad Scri-*

pturas

ptuas Sanctas discussa, tamquam ab Spiritu Sancto profecta, hactenus sine contradictione recepta sunt, posse leviter rejici, puto non facile excusabitur a contemptu eorum, quos venerari convenit. Addis: *nam Conciliis generalibus, quæ communi Patrum consensu conclusa, a cunctis fidelibus recepta sunt, etiam hoc accedit, quod non immeritò existimentur & præsumantur continere sensum Ecclesiæ, de qua dicit Apostolus, quod sit columna & firmamentum veritatis. & generali sententia mandat Dominus, ut, qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hæc tu.

Non desunt, qui de responsis primarii ac universalis omnium nostrorum Pastoris, Sacerdotis ac Magistri, Romani videlicet Pontificis, quem Aldegondus non minus iniquè tractaverat quam generalia Concilia, vellent ex te aliquid audire, quæ tu silentio texisti. Verum ego non sine magno consilio id à te factum, & animo satis candido sic interpretor. Nosti certe, tam averso istos esse animo in eam Sedem, (quæ omnium Ecclesiarum caput est & Magistra, & cujus Responsa circa fidem nostram divina sunt jam ab Apostolicis annis habita) ut certo tibi persuaderes, Aldegondum cum suis scripta tua omnia execraturum devoturumque, si, quemadmodum sentis, ejus eum Cathedræ disciplinæ subjiciendum necessario decerneres, cui sane non omnino displicere, ut, si posses, prodesse cupiebas. Sed revertor ad tua.

Dicam liberè, quæ nollem apposuisses, & cujus gratia id abs te omissum desiderem. Novit tua prudentia, quid Calvinus, cujus umbra est iste Aldegondus, de Conciliis generalibus senserit, & in Institutione sua omnia magis quam Christiana suos imitatores docuerit. Is namque Author ita eo in loco habet: *Quid ergo, inquies, nullane erit in definiendo Conciliorum authoritas? Immò vero, neque enim hic omnia Concilia damnanda, aut omnium acta rescindenda, & quod dicitur, una litura esse inducenda puto. At cogis tamen, inquies, omnia in ordinem, ut cuilibet in medio positum sit recipere, vel repudiare quod statuerint Concilia: Minime vero: Imo priscas illas Synodos, ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem & similes, quæ confutandis erroribus habita sunt, libenter amplectimur, reveremurque ut Sacrosanctas quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent aliud, quam puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam S. Patres speciali providentia ad frangendum Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodant. In posterioribus quoque nonnullis,* addit, *videmus elucere veræ pietatis studium, notas adhæc ingenii, doctrina, prudentiæ non obscuras. Sed quemadmodum solent res in deterius ferè prolabi, ex recentioribus Conciliis videre est, quantum subinde Ecclesia à puritate illius aurei seculi degeneravit. Dum enim numerantur, non appenduntur sententiæ, minorem partem à majori vinci necesse est. Quamobrem,* adjungit, *quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo Concilio, quales homines interfuerint; deinde idem ipsum de quo agitur ad Scripturæ amussim examinari: idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii.* Ne tamen examen quod dixit impediat, statim apponit: *utinam eum modum omnes servarent, quem præscribit Augustinus.* Profert illud idem exemplum de Maximino hæretico, cujus & Aldegondus sua in Epistola meminit. Nihil enim iste novit, nisi quod fuerit ab illo edoctus. Vides, hæc omnia communia habere nobiscum Calvinum. Videlicet maximam esse Conciliorum in definiendo fidei dogmate authoritatem; non esse cuilibet in medio positum recipere vel repudiare quod statuerint Concilia: amplecti se ingenue, & minime gravate priscas illas quatuor Synodos, & revereri ut Sacrosanctas; elucere sibi in posterioribus quoque nonnullis veræ pietatis studium: at, quia nondum ille cum Dei Ecclesia credit, quidquid fuerit decretum fidei nostræ ab omnibus sacris & legitimis Episcoporum Conciliis, tam priscis illis quam recentioribus his, ad divinam id esse voluntatem referendum, utpote in quibus certe Dei Spiritus præsideat, & contra Synodorum, quas nunc commendaverat, decreta de actis in ipsis adhuc inquirendum sentit, & denuo per viros doctos ad Scripturæ amussim illud totum revocandum, examinandum, & discutiendum; nec sibi persuadet, includi Ecclesiam veritatis *firmamentum ac columnam* in universali Patrum Concilio, summi omnium ac universalissimi Patris & Pastoris opera collecto, & consensione obfirmato: quia itaque in his omnibus ab ipsorum Patrum regula Calvinus longe recedit, non magni Patres æstimant, si prædicet decreta Conciliorum, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à viris doctis & sanctis pariter ad Scripturas Sacras discussa, tanquam ab Spiritu Sancto profecta, & hactenus sine contradictione recepta, non modo non posse ea à nobis leviter rejici, sed prorsus nefas esse, nec quoquo pacto excusari contemptorem à contemptu eorum, quos venerari convenit: & quidem merito jam diminutos Ecclesia suorum studiorum æstimatores & judices parvi facit. Nam vel recentissima Concilia legitima (de eis enim tantum sermo est) eodem Spiritu nunc ducuntur, quo antiquissima illa ducebantur, vel diverso. Si eodem, profecto aut utraque sunt fidei nostræ ex Scripturis dicendæ regula certa, ut, si divino Spiritu regantur, aut, si humano, neutra. quod sane veri fideles alienum ducunt à majestate Spiritus Dei, qui per Patres nos ibidem docet & suggerit, quæ Christus Dominus locutus est. Cui etiam perversæ hæresi & illud accederet, quod per eam incredibilis & æterna confusio Dei Ecclesiæ obtruderetur. Si vero prisci Patres in suis conventibus divini numinis assensione gaudebant, qua nostri destituantur, sane quidem nequissima foret conditio nostra, qui eo ductore careamus inter tot errorum aggeres, quibus seculis istis cingitur Ecclesia, licet Dei gratia non similibus tumulis obruatur, quo illi à Deo ditati creduntur. At firmiorem habemus Euangelicum sermonem, firmiusque nobis à Deo promissum donum. *Dabo* (ait fidei nostræ consummator & Author) *vobis promissum Spiritum veritatis, qui sit vobiscum in æternum mansurus.* Ac si Dominus his verbis sponsam suam recessurus consolaretur: ut enim mendacii Spiritus nunquam vos non agitabit, perturbabit, molestabit, & nequiter insectabitur, ita sane semper vobis aderit, semper vos tuebitur veritatis Spiritus, qui sua inter vos perpetuo exerceat Magisteria, nec sinat Ecclesiam meam illius nequam Spiritus arte diludi. Observemus (si placet) hoc loco & tempore hæreticorum ingenia. Qui Ephesinæ Synodo inter fuere hæretici, nulla alia ratione contendebant acta in Nicæno Concilio esse rescindenda, quam quod causa minime fuisset satis perspecta, nec ad Scripturæ amussim pro veritate examinata, quodque multitudine sola vicissent Catholici: ad eundem modum, nostra hac tempestate iidem ea ipsa nota Patrum nostrorum conventus infamant, & priscas illas Synodos laudant, quas veteres furiæ velut illegitimas & nothas vanissime repudiarunt. Quid est, si non hoc, *Lesbia* sive *plumbea regula,* divinissima quæque metiri? fidemque nostram, quam constantem esse maxime convenit, non pluris æstimare,

quam

quam cereum quandam nasum, quem, ubicumque sit opus, facile flectas, torqueas ac curves? quæ lex, ut id tantum probes, quod tuæ libidini non intellexeris palam adversari, id damnes, quod instituto tuo noceat maxime? Nullus itaque Scholasticorum Patrum, tam humiliter & demisse de generalibus Ecclesiæ Conciliis sensit unquam, vel suspicaretur examine suo ac discussione vel minimum certe illius maximæ divinæ authoritatis, qua à Deo solo in causis fidei sine errore sententiandis ditata sunt, eis iri conciliatum, & multo minus ulla temporis diuturnitate: & licet quatuor illæ Synodi quædam habuerunt propria, quæ commendatiores eas orbi reddiderunt, in tantum, ut Divus quidem summus Ecclesiæ Christi Sacerdos, dicere non dubitarit, *venerari se eas quatuor, & exosculari velut quatuor Christi Evangelia:* Tamen in universum cuncti Patres, jam ab eo tempore quo celebrari & cogi in Ecclesia ejusmodi conventus cœptum est, plane noverunt, ac constantissime crediderunt, non à quoquam hominum Synodos examinandas, sed per eas quoscumque tandem & sine spe provocandi ad judicem superiorem judicandos, habueruntque & reputarunt maledictos, & suo anathemate jam olim percusserunt eos omnes, quotquot non addiscendi animo, sed novo inquirendi studio, & denuo judicandi de decretis Concilii generalis ac legitimi, molirentur ea ipsa definita semel per Synodum ad Scripturas Sacras, velut ad suam regulam, perpendiculum & normam, examine novo & rigoroso exigere. Idque facile sibi persuaserunt primarii illi viri, ut tam sanctè & piè de Oecumenicis Conciliis sentirent, quod certissime crederent talibus conventibus divina Christi pollicitatione Dei Spiritum dulcissimo firmissimoque vinculo alligatum; cui qui reluctetur plusquam *Ethnicus* esset sibi habendus Domini mandato & *Publicanus*. Quamobrem (ut ad te veniam) verbum illud tuum, *præsertim Antiquorum:* & illud, *ad Scripturas Sanctas discussa:* & illud, *leviter rejici:* & illud, *puto quod non facile excusabitur:* (hoc inquam) totum puto inde expungendum, ut, quod de generalibus Conciliis vere & piè pronuntias quod sensum Ecclesiæ contineant, hoc abs te de omnibus generalibus ac legitimis dictum omnes videant; quodque cum illa communi Patrum consensu fuerint conclusa, necessum sit, à cunctis ea fidelibus recipi, haberique tamquam ab Spiritu Sancto profecta, nec indigere, quod per multas annorum centurias à doctis sanctisque viris denuo ad Scripturas Sacras discutiantur.

Cupio scribendi finem facere; faciam vero, cum leviter tetigero quonam pacto responsionem tuam ad alteram quæstionem (an scilicet Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatem tribuat) ego nunc interpreter, & longe forte alio ab eo quo ipsam interpretatus est. Qui ad te scribit, ita sibi per omnia hac in parte abs te satisfactum, ut non potuerit istum tuum candorem non vehementer exosculari. Dico & ego. Næ tu perquam eruditè ac piè, responsionem tuam comparatione Ioannis Baptistæ cum Christi doctrina confirmasti, docuistique convenientius dici, quod Scriptura Sacra tribuat Ecclesiæ authoritatem, quam contrà. Ita ut in eo capite, inter te & eos qui candidè abs te dicta, etiam candidè interpretantur, nulla restet controversia: inter te vero & Calvinianos maxima. Quare, vel Aldegondus hac parte Calvinianus esse desivit, vel tui animi candore iniquè hoc loco abusus est, sententiam tuam aliorsum accipiens, atque ipse dixeris. Quasi hoc demum asseras, eruditionis veræ Theologicæ esse (ut sentiunt isti) nihil ultra, quam sacris libris proditum est, & quod inde necessariâ consecutione colligitur definire: cætera omnia (ut ajunt) esse problemata in illud rejicienda tempus, quum sublato speculo videbimus Deum de facie. Similitudinem itaque istam tuam (mi Domine) ego sic accipio: sicut, inquis, Ioannes lucerna erat alienâ (nempe Christi, qui natura lux est, in eo tenebræ ullæ non sunt) luce lucens, divina tamen illa flamma micans, dicente eodem divo: *qui me misit baptizare, ille mihi dixit: supra quem videris Spiritum descendentem, ipse est. & ego vidi, & testimonium perhibui: Quia hic est Filius Dei:* dilecto similiter attestante divinitati hujus cælestis testimonii illis brevioribus verbis: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine*, ut qui Ioanni non crederet, non crederet ei, qui illum misit testificari de Christo: pari modo utut Scriptura Sacra, quæ nec falli potest, nec fallere, ipsam veritatem in se contineat, qua certe veritate Ecclesia illuminetur, penes tamen Ecclesiam sentis continuo asservari digitum Ioannis, quo certò Christus & Christi omnia in Scripturis contenta divinitus, etsi humano ministerio, fidelibus demonstrentur. Quæ sane Ecclesia instar Ioannis dicere nobis potest, qui me elegit Filio suo Sponsam, ille mihi hæc & hæc dixit, locutus mihi olim per Prophetas, novissimè per Filium, & Filii sui Legatos, Apostolos, Sanctos. In summa, ex tuo exemplo non modo mihi elicio quod sibi Aldegondus collegit, nimirum, convenientius dici, quod verbum Dei authoritatem Ecclesiæ tribuat, quam contra. Verum conjicio, voluisse te ea comparatione indicasse, utramque authoritatem esse divinam & de cælo, cui nemini mortalium quoquo pacto reluctari liceat. Quis, cedo, negare audeat testimonium Ioannis de cælo fuisse, licet per hominem hominibus redditum, sicut de ejus Baptismo ipsissima veritas testata est, de cælo venisse, nec hominum fuisse inventum. Quare illud, quod addis, posse facile Ecclesiam in suas relabi tenebras sibi derelictam, ita accipio, sicut & illud, quod de D. Ioanne præmiseras: lucem esse, quæ vero lumine destituta, statim ad tenebras suas recidisset. Non enim id ideo dicis, quod sentias, aut Ecclesiam, stante Dei verbo, posse in suas tenebras relabi, sibique cælesti destitutam luce derelinqui, cum *ejus lucerna sit agnus*, qui, cum fuerit occisus, vivet in æternum: aut D. Ioannem (quem Spiritus Sanctus, ne peccaret aut erraret in ipsis maternis visceribus inclusum, sua gratia obfirmavit) potuisse juxta Dei legem, vero lumine destitui, ut in tenebras, quibus cæteri homines sunt obnoxii, ille recideret. Sed eo id dicis, quo indices in utroque fontem ipsum aut lucis aut veritatis.

Nolo tamen negare, immò fatebor ingenue tuum illud verbum: *Ecclesia vero non nisi veritate in Scripturis Sanctis descripta illuminatur, &, sibi derelicta, facile possit in suas tenebras relabi*, tam me offendit quam illud, *ex sola Scriptura peti debet præfatum Ecclesiæ judicium*, utrumque certe idem mihi sonat. Atque hæc forsitan pluribus à me dicta sunt, quam exigebat ratio aut epistolæ, aut veritatis: minus tamen multis, Domine mi, quam postulabat prave detorta, & inveterata istorum hominum opinio. tantum attigi illa & quidem raptim, & negotiorum turba vehementer complicatus, quorum te admonitum existimationi tuæ expedire pro nostra necessitudine judicavi. nec vereor dicas, hæc nobis inchoata & rudia excidisse: solum digneris, oro, rudem me & integrum discipulum accipere, quem prima illa scientiæ nostræ rudimenta, de quibus tecum Aldegondus binis literis

egit, & tuam plurimam eruditionem recens percontari non dubitavit, planiori distinctiorique sermone quem nemo simulatus discipulus à tuæ mentis candore detorquat tu doceas: pluris certe æstimabo, in tuam me dedisse disciplinam, quam si se mihi instituendos plurimi permittant. Tam est magna omnium Catholicorum opinio de te, magnaque vitæ & scientiæ tuæ apud cunctos commendatio: atque, si id quod efflagito abs te obtinuero, gratiorem me fore in te, quam isti perversi sint certum habeto, meque, quod hic tu operæ insumpseris non *in cœnam*, ut dicitur, *diem*, sed satis occultam, precibus nimirum pro incolumitate tua coram Deo fundendis, soluturum atque annumeraturum: sin frustra te rogavero, unum tamen mihi nunquam negabis, hoc, inquam, meo desiderio, non ita privato commodo studuisse me, quia & tui nominis rationem simul habuerim, cui apud fideles omnes consultum tantopere cupiam. Vale celeberrimi Musæi moderator præclare, meque, ut solitus es, amabis. Trajecti ad Mosam, 8 Januarii 1580.



Lector

LECTOR OPTIME, TIBI.

SEquenti Resolutione acturus & probaturus, quod extra veram Ecclesiam Catholicam (quæ sola Romana est) non sint veri Martyres, operæ pretium erat disquirere, quæ sit vera Ecclesia, & apud quos resideat ejus Pastor & Rector. quod licet accurate tractaverim, dum Romæ anno 1623 commentarem art. 10, q. 1. 2. 2. D. Th. tamen tractatus hos nondum revidi, & sic non judicavi præsenti tomo interseri, sed speciali volumini reservare. Vt tamen Lector meus, dum perlegat extra Ecclesiam Romanam non esse veros Martyres, si desideret probationes quibus manifeste ostendatur, illam esse solam veram Ecclesiam Catholicam, illi offero insignem de hac quæstione tractationem, elaboratam à reverendissimo pariterque doctissimo F. Francisco Horantio Hispano: qui carpens modeste & reverenter Magistrum Michaëlem Baii, Lovaniensem Doctorem, qui minus nervose & aliquantulum frigide respondit interrogatui de hac controversia à Philippo Marnixio Aldegondi; Hispanus noster acrimonia, qua solebat in hæreticos, assumpto calamo velociter scripsit, satisfaciens Marnixio ita sufficienter, ita efficaciter, ut in una epistola ad Michaëlem Baii omnia comprehenderit, quibus hunc articulum mirifice enucleat, extricat, declarat, ut solus mente captus veritati propositæ non arrideat, assentiatur, consentiat. Sed quanta sapientia, & doctrina, & zelo fidei contra hæreticos hujus temporis fuerit condecoratus Horantius noster, constat clare ex libro de locis Catholicis, quem contra Ioannem Calvinum edidit; & ex libro de justificatione, quos typis mandavit Parisiis anno 1566, ubi tam magnum ostentat magisterium, tanta soliditate munitum, ut de ipso visus sit loqui Plinius lib. 1, epist. 8 ad Pomp. Saturn. in persona Eufratris magistri sui. Quantum mihi cernere datur, multa (*in Horantio*) eminent, & elucent, ut mediocriter quoque doctos, advertant & afficiant. Disputat subtiliter, graviter, ornate, frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem & latitudinem effingit; sermo est copiosus & varius, dulcis imprimis, & qui repugnantes ducat & impellat. *Quæ Horantio convenire plane advertet, qui hanc epistolam perlegerit, quam jam jam in senili ætate, post multa alia in publicum bonum exarata, scripsit, maxime mellite & suaviloquentia plenam. quare & tam insignis doctrina, ne de hominum memoria excidat, iterum prælo dare decrevi. Neque enim propriæ laudi servio, sed aliorum utilitatibus: nam honestatis fructus, majore animo in conscientia, quam in propria fama est jure optimo positus. sequi enim gloria, non appeti debet; nec enim si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit actio, factum omnino pulchrum est. Et ita, quamvis mihi gloria non sit debita de opere Horantii, debetur tamen laus de ipso, quod jam à memoria exscissam, tamque de pretiosissimo Thesauro publicato, in quo Veritas Catholica ita necessaria recondita, denuo proponitur veneranda, & edocta à tanto viro. quem satis apte descripsit Ennius in persona Gemini Servilii,*

Ingenium, cui nulla malum sententia suadet,
Ut faceret facinus, lenis tamen haud malus idem:
Doctu', fidelis, suavis homo, facundu', suoque
Contentus, atque beatus, scitus, secunda loquens, in
Tempore commodus, & verborum vir paucorum;
Multa tenens antiqua, sepulta, & sæpe vetustas
Quæ facit, & mores, veteresque novosque tenentem
Multorum veterum leges. Divûmque hominumque
Prudentem, qui multa loquive tacereve possit.

Liceat homini Hispano, de ejusdem nationis homine eruditissimo, & fidei propugnatore acerrimo talia effari, glorieturque Seraphica Familia tales & tantos viros genuisse.

TRACTATVS SECVNDVS
de usurpatione vocum
MARTYRII, MARTYRVM.

PRæcedens tractatus præambulus fuit ad tractatum de martyrio, sicut iste etiam præit ad tractatum de martyrio per pestem, in quo varia docuit Raynaudus cum quo jam incipit pugna, ut cum Pomario Hercule aut Hermodoro. quare à verborum notione incipiendum.

RESOLVTIO XVII.

Vtrum Martyr ex sua primaria & Ecclesiæ notione idem sit quod testis, & martyrium idem quod testimonium.

MArtyris vox, *satis sonora & dulcis*, ut ait S. August. concio. 20. in Psalm. 118. Græca est, quam usurpant Latini Christiani, eo quod dulcius & suavius resonat in auribus nostris ad denotandos viros, qui *fortes facti in bello*, pugnavere usque ad sanguinis effusionem contra Tyrannos pro fidei defensione & veritate. Quare nullus Patrum Ecclesiæ, sive Latinæ, sive Græcæ, verum Martyrem non putavit, qui pro fidei tutamine in pugna contra persecutorem non certarit. & sic in toto vocis rigore & proprietate idem est Martyr proprie, quam testis in certamine pro fidei veritate defendenda, & quidquid extrahitur ab hac significatione, deviat à proprietate nominis, & præcisa notione illius, & ad improprietatem divertit. Audi magnum Origenem tom. 5. in Ioannem ad illa verba cap. 1, *hic venit in testimonium: Quisquis*, ait, *testificatur de veritate, tum verbis, tum factis quomodocumque faciens illi, is jure testis dicendus est; sed jam fraternitatis more, qui admiratione prosecuti sunt (nempe affectum eorum qui usque ad mortem pro veritate & fortitudine certarunt) eos proprie solos nominarunt Martyres seu testes, qui sui ipsorum sanguinis effusione divini cultus mysterio testimonium reddidere.* hactenus ille. Quare vulgatus interpres Apocalypsi. 2. vsl. 13. pro Martyre transtulit *testem: Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud eos.* (in bove æneo igne candente inclusus anno 93 Christi) Sentit ergo Origenes, quod Ecclesiæ more, qui sui ipsorum sanguine testimonium reddidere, soli sunt Martyres proprie.

Origenem omnes Patres Ecclesiæ amplexantur, & egregie enucleavit D. Cajet. 2. 2. q. 124. art. 2. §. ad *hujus difficultatis evidentiam*, ubi sic ait: *Martyr, cum idem sit quod testis, martyrium nihil aliud est, quam testimonium. Sed quoniam in Ecclesia Christiana Martyres seu testes per antonomasiam appellantur illi soli, qui pro Christo seu divina lege mortui sunt, ideo martyrium in propositum non significat quodcumque testimonium, sed testimonium Christi; unde Martyres Christi dicuntur, & ipse dixit eritis mihi testes Actor. 1. vsl. 8. nec quodcumque testimonium, quia testimonium Christi verbo prædicationis, aut prædicationis aut cujuscumque operis sufficit ad martyrium, ut patet ex hoc, quod non ex quocumque modo testimonii Martyres dicimus, sed exigitur testimonium tale factum, scilicet, per tolerantiam mortis: omnes enim & solos tales Martyres dicere solet Ecclesia, juxta illud: iste est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.*

Igitur dubitare nullatenus licet, quod Martyr ex primaria Ecclesiæ acceptione, non quemcumque testem, nec martyrium quodcumque testimonium etiam Christi, sed testem sanguine purpuratum, & testimonium sanguine subscriptum, significat. quamvis enim nomen Martyr & martyrium, à quacumque testificatione facta, sit desumptum ejus significatum, ut dicit Clemens Alex. lib. 4 Stromat. tamen *fraternitatis more*, & Ecclesiæ usurpatione, eos proprie solos nominat Martyres seu testes, qui sui ipsorum sanguinis effusione divini cultus mysterio testimonium reddidere. ut enim ait S. Thom. 1. p. q. 13, art. 8, aliud est id à quo imponitur nomen ad significandum, aliud id ad quod significandum nomen imponitur; sicut lapis dicitur à lædendo pedem, & tamen proprie non significat pedis læsionem, (alias omne id quod lædit pedem proprie diceretur lapis) sed significat naturam lapidis. & nomen Deus impositum est à providendo, & tamen impositum est ad significandum naturam divinam. Sic, quamvis nomen Martyr impositum sit à testificando; ut *à quo*, tamen est impositum *fraternitatis more*, & acceptione Ecclesiæ, ut solum significet testem, qui sanguine suo contra persecutorem fidem defendendo testimonium suum proprio sanguine confirmat. & hic solus est vere Martyr ex Ecclesiæ primaria notione.

Quare toto cœlo errat Theophilus Raynaudus in anteloquio ad lib. de Martyrio per pestem pag. 2, dicens: *Juxta vocis hujus antiquum usum, Martyres non is tantum dicerentur, qui mortem pro Christo appetiissent, sed etiam, qui aspera pro eo perpessi cruciatus & incommoda etiam citra mortem, quo operosiori modo testificati essent, veram esse doctrinam Christi.* fallitur quidem iste Auctor, quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 124. art. 4, & nos infra manifeste probabimus, *mors est de ratione martyrii juxta Ecclesiæ usum & traditionem. quare martyrium proprie non dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ divitiarum, nisi forte ex eis sequitur mors.* Hæc D. Th. Ad 111. quare quando Chrysostomus, oratione de Sancto Eustochio Antiocheno, qui relegatus à patria naturali morte defecit, ipsum appellat Martyrem, *quia non ipse martyrio sed martyrium ipsi defuit*, de martyrio improprio loquitur.

Difficilius loquitur S. Cyprianus epistola 16 *ad Moysem & Maximum Presbyteros & cæteros Confessores Romanos*, quos, quamvis in tormentis non fuissent vita functi, tamen ipsos dicit *vere Euangelii testes, & vere Martyres Christi.* Respondetur, quod videtur non legisse totam epistolam Raynaudus: loquitur enim S. Cyprianus de his Romanis Confessoribus, qui in carcere detenti & vincti erant, ubi varios sustinebant pro Christo cruciatus famis, sitis, nuditatis, carceris, squaloris, erantque in certamine positi, & ad mortem pro Christo destinati. quare pro tunc erant Euangelii testes, vere erant Martyres, sed non ea perfectione, quam ratio martyrii exigit, quia non-

dum

dum perpessi erant mortem pro Christo. Legantur Beatus Rhenanus & Pamelius in Adnotation. ad Tertul. *lib. ad Martyres in Adnotation. ad titulum lib.* Aliud est enim martyrium imperfectum, quod potest esse verum martyrium, dum actu patitur persecutio, & est ad mortem destinatio, qualem habebant isti Sancti quos eleganti stylo Tertullianus lib. ad Martyres cap. 1, *destinatos Martyres* nuncupat, quos proprie illo tempore confessores dici resolut. sequenti dicam. Vnde martyrium etiam imperfectum apud Cyprianum essentialiter connotat mortem sustinendam. Semper invenietur, quod illi Sancti, qui in carceribus detinentur, Martyres dicit Cyprianus martyrio quidem non tota ratione completo. Et quidquid sit de Cypriani phrasi, quam forsan non capiunt multi, *hodie tamen Martyrum nomen dumtaxat illis attribuitur, qui mortem pro Christo perpessi sunt*, ait Pamelius ad epistolam 9, art. 2. Quod clare docet Cajus Papa in paræsi *ad Christianos in chromatii æde collectos*; ubi solum ponit duas salutis vias tempore persecutionis, aut *martyrii, subeunda alacriter morte*, aut *confessionis secedendo propter Christum in solitudinem fugiendo.* quare, dum S. Paulinus epistola 2 ad Victritium *vivum Martyrem* appellat, & Natali 1 & 3 Sancti Felicis, istum dicit *Martyrem sine sanguine*, per hæc additamenta non imperfectum, sed improprium martyrium declaravit.

RESOLVTIO XVIII.

Quid ex Ecclesia primaria notione Confessor & confessio?

Difficile sane est certo pervestigare quid, *more fraternitatis*, & Ecclesiæ primitivæ apud Tertullianum & Cyprianum, nomen *confessor* & ab eo derivata *confessio* denotent.

Sed ego, ut ad alia transitum faciam, quæ propius ad rem accedant, existimo, quod, etsi nomen *confessio* aliquando apud Græcos idem sit quod *martyrium*, & *martyrium* aliquando sumatur pro tota Ecclesia in qua sunt Martyrum reliquiæ, aliquando proscripta aut parte illa in qua posita sunt Sanctorum Martyrum corpora, ut Durantus lib. 1 de Ritib. cap. art. 11. Onufrius lib. de *interpretatione vocum Eccles.* verbo *confessio*, Ambr. quæst. 85. Boleng. lib. de templis cap. 1. 3. ex Concilio Grangen. edit. 2. canon. 20. Concilio Chalced. in quo passim de martyrio Sanctæ Eufomiæ, leg. ult. de sepulchris violatis C. Theodosiano. Verum est, ut notat Baronius in Adnotat. ad diem 6 Iulii, lit. c, quod Latini numquam totam Basilicam intellexerunt *martyrium* aut *confessionem*, sed solum illum locum sub altari majore positum, quo reliquiæ Sanctorum Martyrum seu integra eorum corpora conderentur, idque ex antiquo usu Ecclesiæ & Apostolica traditione, juxta illud Apocalyps. cap. 6. *vidi subtus altare animas interfectorum propter veritatem Dei, &c.* quod probat Cardinalis ex lib. *de Romanis Pontificibus in Hilario & in Sixto.*

Sed quamvis vocis *confessio* apud priscos sit ita varia usurpatio, apud illos tamen, præcipue apud Tertullianum & Cyprianum & reliquos primitivæ Ecclesiæ, nomen *confessor* non fuisse applicatum Martyribus perfectis, qui Christi nomine vita functi sunt, sed illis dumtaxat, qui vel erant Martyres *designati* in carcere occlusi & detenti, vel aliquam ærumnam, cruciatumve cum aliquali sanguinis effusione, exilium aut quid simile fuerunt perpessi. quare erravit toto cœlo Raynaudus, contrarium dicens pag. 5. Vt manifeste constabit legenti Tertul. lib. ad Martyres, & Cyprianum epist. 9, & epist. 16.

Sed quia testes majore exceptione digni contra antiquitatis venerandæ monumenta sunt Cardinalis Baronius & doctissimus Pamelius, placuit eorum verba adducere, quibus lubentissime assentior. Igitur Eminentissimus, plus literis quam purpura, in notis ad diem 2 Ian. litera H, sic loquitur: *Cum Sanctus Hieronymus hunc confessorem appellet, ne quid lateat, sciendum est, diversa admodum significatione à præsentis temporis usu à majoribus usurpatam; illi enim neminem eo nomine appellabant, nisi eum qui Christi fidem, interpellatus coram fidei hostibus, confessus esset. Si vero aliquod genus tormentorum expertus esset, nec tamen martyrio occubuisset, tunc & Martyr vocatus idem, qui aliquando dictus reperitur confessor, quod scilicet nondum martyrium consummasset. Licet, si vim harum vocum expendas, eadem sint, nihilominus, tam apud Tertullianum quam etiam apud Cyprianum & alios plerosque antiquorum, eo sensu, quando dicimus eas voces accipi consuevisse, prospectum satis exploratumque habetur. Consule, si hæc exactius scire cupis, Cyprianum epist. 7. 9. 10. 15. 30. 37. 51 & 81 edition. Pamelii, qui eadem adnotavit in Scholiis epist. 9. vir quidem, etsi facie mihi incognitus, eruditione tamen satis perspectus, juxta ejusdem Cypriani sententiam; qui non interpellatus se martyrio ingerebat, hic dicebatur professor: siquando autem quis timore correptus, ne fidem proderet, sua suosque relinquens, exilio spontaneo à patria vitam ageret, hic appellabatur extorris, cujus non erat despicienda conditio: nam & numero Martyrum recensendus erat, si ea de causa mortem appetiisset. hæc omnia more majorum atque vetusto loquendi genere. Obtinuit postmodum usus, ut omnes, qui sancta & laudabili vita vixissent, sanctoque demum ac probato fine in Domino quievissent, confessores appellarentur.*

Sed audi patienter Pamelium epist. 9, Cyprianus art. 2. ad quem locum se refert in Adnotation. ad lib. Tertul. ad Martyr. art. 1. dissentiens à Beato Rhenano. Igitur doctissimus vir sic loquitur: *Martyrum nomen hodie dumtaxat illis attribuitur, qui mortem pro Christo perpessi sunt: olim vero, & potissimum ætate Cypriani, etiam illis, qui à confessione nominis Christi nulla tormentorum atrocitate abduci poterant, quos eleganter Tertullianus loco citato designatos Martyres nuncupat; alibi etiam simpliciter Martyres dicit. Confessorum nomen etiam hodie alio est in usu quam olim: quippe quod attribuamus etiam illis, qui nihil pro nomine Christi perpessi, sed sola vitæ Sanctitate Christum confessi sunt. Porro quibus sit illud attributum, non perinde constat. Rhenanus synonymum esse existimat cum Martyre confessoris nomen. Ego vero, se quid in re incerta divinare licet, & distincta fuisse nomina existimo. Facit huc cum alibi ad confessores, alibi ad Martyres scribat Cyprianus, hic & Martyribus & confessoribus epistolam inscribat, & pluribus in locis de distinctis loquatur quemadmodum in epistola sequenti honorem Martyrum, confessorum pudorem, & apertius epistola ad Antonianum Presbyterum*, inquit, *Mose tum adhuc confessore nunc autem & Martyre. & epist. 7. dum confessionis vocem à passione distinguit. & 81. ubi confessionem distinguit à passionis testimonio. In Synodo quoque Carthagin. quæ est tom. 2, quidam confessorum, quidam Martyrum titulo honorantur. Atqui ipse Cyprianus, quid inter se differant, non obscure subindicat verbis modo citatis ex epist. 15. dum scripsisse se dicit sive jam tortis fratribus, id est, mea quidem sententia martyribus, sive adhuc ut torquerentur inclusis, id est, confessoribus. ad utrosque enim eo ordine hanc Epistolam inscribit. Confirmatur, quod dico infra epist. 30 & 37, ut suo loco adnotavimus. quanquam tamen interdum utrumque nomen confundat, exempli gratia, dum Aurelium Collerinum & Numidicum, quamvis tormenta passos confessores nuncupat. hæc ibi. intellige tamen hæc ultima verba ne superiora*

 evertant,

evertant, quod vocat Confessores Martyres, quia utriusque nominis rationem habebant, non quia synonyma essent.

Hæc de nominis primitivo usu apud Patres, si tamen de frequenti & propria usurpatione prout à Martyre secernitur in Ecclesia & Ecclesiastico Officio, & sui significati canonizatione loquamur, nihil aliud, ut notat Gavantus in Rub. Miss. p. 4. tit. 16, art. 5 significatur, quam ii qui sancte vixerunt, & sunt Dei laudatores vitæ sanctitate, ut dicit Durandus in Rationali lib. 7, cap. 46, art. 1. Vnde Bernardus Serm. de Sancto Benedicto dicit, distinguens Martyres & Confessores, quod *Martyres fortitudinem seminarunt, Confessores vero seminarunt justitiam, quam in omni vita sua secuti sunt. sic enim illi confirmati in brevi explicaverunt tempora multa, isti longa & multimoda traxere martyria.* Brevius Petrus Blesensis epistola ad Ioannem Vurgoniensem Episcopum, *vita Confessorem, causa Martyrem facit.*

Ex dictis colligitur primum, quotuplex sit martyrii gradus, & relinquendo martyrium improprium, de quo tract. sequenti, martyrium proprium juxta Ecclesiæ usurpationem tam prisci temporis quam novioris in 5. gradus dividitur. I. est supremus & omnino martyrium completum, quando re ipsa mors sequitur in testimonium veritatis: tunc enim vita amissa propter Christum, nihil amplius est homini per quod Fidei veritatem testificetur. de hoc enim martyrii gradu dicit Alexand. Clemens l. 4 Stromat. *Consummationem vocamus martyrium, non quod finem vitæ homo acceperit, sed quod perfectum opus ostenderit charitatis.* Et August. in Psal. 67 ad illa verba, *Principes Iuda duces eorum: Martyres in Ecclesia locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.* Et sic S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 5. data opera dixit: *ad perfectam rationem martyrii requiritur mors*, de his infra.

II. Gradus est, quando Martyri inflicta sunt lethalia vulnera, quæ, nisi miraculum interveniat vi naturali prohiberi non possunt ab inferenda morte, quia intrinsecus est applicata causa proxima mortis, scilicet talis scissio continui, sine qua vivens naturaliter conservari non potest, ut scissio cordis, aut cerebri arteriæve majoris, & similium.

III. Est, quando causa proxima illativa naturaliter mortis, si diu applicata perseveret, nisi supernaturaliter impediatur, ut si homo injiciatur in fornacem ignis ardentis, sicut missi sunt pueri tres in Babylonia, & S. Ioannes Euangelista in ferventis dolium olei. quamvis enim nihil senserint ex supernaturali suspensione concursus necessarii, ut causæ illi efficerent mortem, tamen sine tali suspensione illam causarent, cum naturaliter sint impedibiles. Vterque gradus martyrii propriam, etsi non perfectam notionem martyrii imbibunt, cum in utroque secundum ordinem ad causam proximam mors subeatur. quod si miraculose impeditur, hoc auget rationem testimonii, cum eo miraculo confirmet Deus causam martyrii esse honestam. multis tamen ab hinc annis, ecclesiastica nomenclatura nullus Martyr canonicè dicitur, nisi qui mortem in defensionem fidei fortiter subiit.

IV. Est, quando homo coram Tyranno vel ejus imperio libere confitetur Christum, & plagis, cruciatibus, ærumnis, carceribus non inferentibus vi sua mortem, hos ut vidimus Cyprianus dicit Martyres, quia cruciatu & carcere confitentur Christum. Sed melius & proprius Tertullianus lib. ad Martyres dixit *Martyres designatos*, quia in carceribus detenti, designati erant ad sanguinis effusionem pro Christo, & Martyres futuri, sicut magistratus dicuntur designati, quando eliguntur; ut Sallustius dicit de Catilina qui petebat consulatem, sperans quod, si designatus foret, id est, electus. melius meo judicio contra Pamelium Martyres designari dicuntur, destinati ad martyrium, quomodo usus fuit Columella lib. 3, *ipsum autem agrum quem seminario designaveris*, &c. Quare ut notat Pamelius art. 4, quos alloquitur Tertull. nondum martyrium fecerant, ut loquitur Cyprianus, sed expectabant (ut est apud eundem) *quotidie profectionis suæ salutarem diem, & jam jam qui de seculo profecturi ad Martyrum munera & domicilia divina properabant.* quare martyrii hic gradus propriam martyrii notionem non habet.

V. Iuxta phrasim Cypriani est eorum, qui timore correpti, ne fidem perderent sua suosque relinquentes, exilio spontaneo à patria exulabant, qui proprie dicebantur *extorres*; qui, si ea de causa in exilio errantes, in solitudinibus & in speluncis terræ, vel in tempestatibus maris, aut à feris impetiti & dilaniati, Martyres etiam dicuntur à Cypriano, ut vidimus supra ex Baronio, & explicavit S. Doctor epist. 56 ad Tibaritanos de exhortatione ad Martyr. *Vbicumque illis diebus persecutionis*, inquit, *unusquisque fratrum fuerit a grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius errorem, ne decedens & latens deserti loci solitudine terreatur. Solus non est, cui Christus in fuga comes est; solus non est, qui templum Dei servans ubicumque fuerit sine Deo non est. Etsi fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas ac procella subm erserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, & persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit; nec minor est martyrii gloria non publice & inter multos periisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire sufficit ad testimonium martyrii, si sit testis ille, qui probat Martyres & coronat.* Hæc B. Cyprianus.

Difficilis sane sententia, sed non quæ juvat aliquatenus Raynaudum in vero suo martyrio Ecclesiæ tamen ignoto, quæ non agnoscit aliquem martyrii gradum, nec Patres antiqui aliquod verum martyrium agnovere, nisi interveniat persecutio aut Tyrannus, quem fugiendo multi ex primitivis Christianis agnoscentes, fragilitatem suam in solitudinibus errabant, ut ait Paulus ad Hebræos cap. 10 ne fidem negarent, & ipsam venerantes & amplectentes, multas calamitates sustinebant. Quod si casu obirent, cum hujus obitus causa esset fidei confessio & amor Christi, ipsum testificantur morte ipsa, quæ saltem remotè occasionata fuit à Tyranno persequente in odium Christi & Euangelii. quod, ne desererent, aufugiebant. Vbi autem non est pereundi causa propter Christum perire, non apparet gradus aliquis vel vestigium veri martyrii.

Quare existimo, apud venerandæ antiquitates Patres hos quinque gradus veri martyrii repertos. Nihil enim requirebant ad veram rationem martyrii, quam quod esset verum testimonium Tyranni persequente per tormenta & carceres, quæ etiam occasionem præberent ad fugam timore persecutionis. itaque actum fortitudinis exercitum, non timendo pericula, & sustinendo tormenta, verum martyrium dicebant; & cum fuga in persecutione sit actus fortitudinis, ista etiam martyrium erat; verum apud Cyprianum, si illius occasione mors contigerit. quare sicut D. Thom. 2. 2. q. 174. art. 3. varios distinguit gradus prophetiæ propriæ, quæ sumitur secundum visionem imaginariam, secundum quam

unus

unus gradus est alio perfectior; ita in martyrio proprio, juxta antiquam nominis notionem, ex Patrum usurpatione sunt varii gradus, tamen, ut dixi, multis abhinc retro seculis non agnoscit Ecclesia alios veros Martyres, nisi qui morte consummantur in persecutione Tyranni contra fidem. fateor tamen, quod aliquando Ecclesia veneratur ut Martyres illos, qui sunt in secundo & tertio gradu, ut constat in illis, de quibus Resolutio XVII.

RESOLVTIO XIX.

Vtrum Sanctis Innocentibus vera & propria martyrii notio conveniat.

PRiusquam ad adultorum martyrium perveniam, placuit de Innocentium pro Christo occisorum martyrio edisserere. Sunt enim varia Patrum testimonia ipsos plena voce Martyres appellantes: imo Ecclesia ipsa, in Hymno ad laudes, *flores Martyrum* nuncupat. Sic etiam eos appellat August. serm. 10. de Sanctis: ibi *jure dicuntur Martyrum flores*; & quidem hos, & quoscumque alios innocentes, propter Christum à Tyranno occisos, esse vere Martyres videntur sentire Patres quotquot de ipsis scripsere: August. epistola 28 ad Hieronymum, & lib. 3 de lib. arb. cap. 23. Auctor apud Cyprianum de operibus Christi. Card. serm. de stella. S. Leo serm. 2 & primo de Epiphania. Eucherius Homil. 1 de Epiph. Orig. in Homil. 3 in diver. Nyssenus orat. de Christi nativitate. Chrysologus sermone 152, & 153. Ambr. lib. 2 in Lucam. Nazianzenus oratione 38. Bernard. serm. de Innocent. Laurentius Iustini simili sermone.

Propter hæc Raynaudus p. 2. cap. 2 *de passo infante*, sic dicit: *certum debet esse, mortem parvulis ante rationis usum in odium fidei illatam, esse formaliter ac præcise martyrium, potirique prærogativis illis, quas postea vero martyrio assignavimus. Hæc sententia firmissime evincitur sensu Ecclesiæ de infantibus ab Herode in Christi odium cæsis: eos enim Ecclesia veritatis columna jam olim ut Martyres veneratur, eosque titulo martyrii veri ac simpliciter dicti, jam ab Apostolorum ætate celebrat, Patresque passim nomen & decus veri martyrii in illis agnoscunt.* ita ille. mirum profecto! quantum in hoc veneratur Ecclesiæ sensum, cum in re graviori inducens novitatem, flocci pendat totius Ecclesiæ traditionem & sensum.

At ego Raynaudo non assentior, etsi amplectar Ecclesiæ sensum, quo quasi à sui exordio vere sanctos istos Innocentes Martyres celebrat, non quidem Martyres voluntate, sed opere; quia Christum *non loquendo sed moriendo confessi sunt*. Vnde Bernardus ubi supra, & Durandus lib. 7 Ration. caput 41. art. 10. (& res est hodie indubitata, quia illis non est datus rationis usus, ut voluntate subirent mortem pro Christo, ut quidam autumarant) dicunt, quod solum fuere Martyres *facto*. Vnde, sicut qui sunt voluntate & desiderio Martyres, proprie tales non sunt. itaque sunt Martyres *facto* & non voluntate, perfectam rationem martyrii non assequuntur. Vnde D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. querela 2. ad 12 dicit, *quod Innocentes fecerunt Martyres actu tantum, & non voluntate; quod videtur sentire Bernardus, & secundum hoc Innocentes, sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo, ita etiam laureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse, ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia & carnis integritate.* Ita ibi.

Cujus veritatis efficax subministravit fundamentum, quia ad verum & proprium perfectumque martyrium debetur laureola, quæ, ut ait art. 5. q. 1. est quoddam privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ correspondens, & ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminent, tres laureolæ sumuntur; *virginitatis*, contra carnem; *martyrii*, contra mundum; & *doctoris*, contra Diabolum. atqui Innocentes pro Christo occisi nullam propriam pugnam habuerunt. Ergo nec privilegiatum præmium victoriæ (quia ubi non est pugna, nec victoria) scilicet martyrii laureolam, sed aliquod gaudium quod in odium Christi sunt occisi, & sic non sunt perfecte Martyres, sicut, quia non habuerunt pugnam contra carnem, nec de illa victoriam, non habent laureolam virginitatis, sed solum gaudium de carnis integritate, & tamen non sunt proprie virgines: hoc argumentum contra Raynaudum evidens est.

Quare, quando D. Thom. 2.2. q. 124. art. 1. ad 1 dicit, *quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti: nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismatis; Vnde, sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita in occisis propter Christum meritum martyrii operatur ad palmam martyrii consequendam. Vnde August. dicit in quodam sermone de Epiphan. quasi eos alloquens: ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam parvulis Baptismum prodesse non æstimat Christi.* Quibus verbis non contrariatur doctrinæ positæ, imo confirmat: non enim vult sanctus Doctor, quod Innocentes sint perfecti Martyres, sed quod gloriam martyrio debitam ex vi passionis pro Christo sunt consecuti, sicut parvuli baptizati consequuntur gloriam merito Christi Domini. Quare, sicut istis prodest Baptismus Christi illiusque meritum, ita istis effusio sanguinis vicem gerit martyrii, & operatur ad palmam martyrii consequendam non tamen laureolam, ubi notanda verba, quod *effusio sanguinis in istis vicem gerit martyrii*, non quia perfectum martyrium sit.

Et ita hos Innocentes non esse perfecte Martyres sensere fere omnes antiqui Scholastici in 4. distinctione 5. qui rigidè scholastico more rem examinarunt: Patres enim effusionem sanguinis factam in odium Christi, vicem martyrii habere recte judicarunt, & sic eos dixere plenis buccis Martyres, & Ecclesia tamquam Martyres celebrat, non quia perfecti Martyres, sed quia sanguinem in odium Christi effuderunt, & sic illius testes fuerunt, suum testimonium opere & actu cruore sanguinis subscribentes. Igitur non esse perfecte Martyres sentiunt Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. pag. 663. art. *at vero*. Paludanus q. 8. art. 4. in fine dicens, *quod ad laureolam martyrii tria requiruntur, pœna, causa, & voluntas: & ex defectu istius non est in Innocentibus completa ratio laureolæ.* Abulensis ad cap. 13 Matth. q. 20 ad 12. Viguerius in Instit. cap. 6. §. 1. art. 1. D. Antonius 3. p. tit. 32. cap. 8. §. 6. art. *tertium genus martyrii*. & me quidem judice idem sensit Lessius lib. 3 de Iustitia cap. 1. dub. 2. art. 12. dum dicit infantum horum martyrium *fuisse solum materiale, non formale; quia sunt passi mortem absque intentione formali aut virtuali testificandi.* cum enim numquam habuerint voluntatem liberam, aut rationis usum, nullam prorsus intentionem testificandi habere

bere potuere, & sic, nec perfectum martyrium, sed solum materiale & imperfectum. nullo enim modo fuit illis voluntarium sicut fuit voluntarium originale peccatum, quia omnes continebamur in primo Parente, quo voluntarie peccante, omnes voluntarie delinquimus. At Innocentes non continebantur in Christo ut in cap. quantum ad voluntatem moriendi pro ipso, & sic illis mors nullo modo fuit voluntaria, sed quantum ad occisionem sustinendam pro Christo pure passive, & materialiter se habebant.

Nisi dicas cum Altisiodo lib. 3. summ. tract. 10. q. 2. folio mihi 198. art. *solutio*. Quod Christus erat in Innocentibus per fidem & alias virtutes quas habebant, & in quolibet quærebatur & credebatur interfici, & sic ex privilegio digni sunt vera Martyrum laureola. Sed non satis facit, quia, si ex privilegio sunt Martyres, ergo non ex natura rei. II. quia habitus virtutum non faciunt voluntarium aliquo modo. III. quia laureola propria datur pro victoria in pugna, qualem non habuerunt isti sancti. Et sic solum habuerunt materiale & imperfectum martyrium, propter quod, sicut & quia in illis quærebatur Christus & credebatur interfici, illis Ecclesia ut Martyres veneratur & celebrat.

Ex quibus patet responsio ad fundamenta Raynaudi. ad 1 ex Patres respondetur, quod infantes & *Martyres* & *flores Martyrum* recte dicuntur propter materiale martyrium, quod in odium Christi sunt perpessi, quod sat est ut Martyres verè dicantur, & eodem sensu Ecclesia eos ut tales veneratur ab exordio suo.

Verum enimvero, quamvis Innocentes Martyres dumtaxat martyrium imperfectum & materiale subierint, ut ex dictis satis liquet, tamen verum sanguinis Baptismum acceperunt, quia, ut ait D. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 4. & 3. p. q. 66. art. 12. ex August. libro de Eccles. dogmatibus cap. 74. & Damasceno lib. 4 de fide cap. 10. Baptismum sanguinis gratiam contulit ex opere operato infantibus pro Christo occisis, qui præfato vero Baptismo conformiores facti sunt Christo, quam per Baptismum aquæ: isti enim conformantur sacramentali significatione, Baptismo autem sanguinis conformabantur realiter. Et sic iste efficacior & fructuosior est, quamvis non sit Sacramentum, sicut Baptismus aquæ; tamen, sicut ut iste verum sit Sacramentum in parvulis non requiretur voluntas propria ipsorum, sed Ecclesia supplet pro illis, ita in Innocentibus verus fuit Baptismus sanguinis, quamvis non haberent voluntatem moriendi, quam voluntatem meritum Christi supplebat, ut ex August. dicebat S. Thomas 2.2. q. 124. art. 1. ad 1. tamen non fuit perfectum martyrium, sed solum materiale, quam martyrium secundum formale suum est actus virtutis, ut dicam tract. 4, quem non habuerunt infantes; & sicut non fuerunt in bello, ita non habuerunt victoriam aliquam contra mundum, diabolum aut carnem. quando autem D. Thom. 3. p. loco citato ad 2 dixit, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis & non, &c. loquitur de Baptismo sanguinis adultorum, qui est actus imperatus à charitate.

RESOLVTIO XX.

Vtrum aliis Innocentibus pro Christo occisis similis ratio martyrii adaptari possit.

Reverendissimus Pater Michaël Ayguani (qui idem ac Incognitus qui scripsit in Psalmos) in 4. dist. 3. q. unica pag. mihi 558. *Vltimus casus est,* inquit, *si parvuli infide'ium, antequam veniant ad Baptismum, interficiuntur ab infide'ibus in odium Christi, numquid tales sine Baptismo aquæ in sanguine suo dicuntur baptizari. Dicit Bacho, quod Guido & Hugo de consecratione dist. 4. cap. catechumenum. credunt etiam, quod non judicarent eos salvos sine Baptismo aquæ, sine revelatione Spiritus Sancti. nec trahendum est in exemplum, ut dicit, Sacramentum innocentium, quia illud inter divina miracula & Dei ordinationes computatur. S. Thom. tamen & Petrus dicunt, quod Baptismus aquæ secundum legem communem non potest supplere in parvulis per Baptismum sanguinis, ipse tamen potest credi, quod si pro Christo occiderentur, quod sine Baptismo aquæ salvarentur.* Hæc ille, qui ad neutram partem se determinat. Idem quod Bachonius, sentit Alensis 4. q. 8. membr. 9. art. 5. Inclinat Bonavent. in 4. dist. 4. p. 2. art. 1. q. 2. Armachanus lib. 8 de qq. Armen. cap. 37. Et Adrianus in 4. q. ultim. de Baptismo §. ad rationes (quamvis isti duo in ea sint temeraria immo & erronea sententia, quod infantes Bethlemitici non fuerunt salvati, nisi prius alio remedio circumcisionis fuerint à peccato originali mundati. at in hoc temerarie loquuntur, & contra traditionem & Ecclesiæ sensum, quæ omnes quotquot fuerint Innocentes ab Herode occisi venerantur ut Martyres, & Patres de illis loquentes nullum excipiunt) Gabriel Vasquez 3. p. disp. 153. art. 81. sentit parvulos, qui in lege veteri occisi fuissent, in odium fidei Christi venturi non sanctificari Baptismo sanguinis, quia, sicut in lege veteri non fuit virtus communicata aquæ, ut *corpus tangat & conabluat*, ita nec mors pro Christo instar Sacramenti in parvulis vim obtinuit justificandi; adultis vero ratione charitatis, ut nunc etiam ad salutem profuit, sicut Machabæis & multis ex Prophetis.

Sententia tamen Bachonis & Alexandri probatur, quod Innocentes Bethlemitici fuerint Martyres, fuit speciale privilegium ex quo, ut ait Altisiodorensis ubi supra in Resolut. 19. fuerunt digni vera Martyrum laureola, at privilegium supra naturale ad alios, quam ad eos quibus est factum extendi nullatenus debet; cum enim sit lex Christi, quod, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, non salvetur, si quis ex hac excipitur (privilegio) regula & privilegium hoc extendi non debet. sicut, quia Beata Virgo à regula communi peccati venialis privilegio excipitur, ad nullum alium hoc privilegium extendi debet: dependet enim ex gratuita voluntate concedentis, quam sine revelatione agnoscere non possumus in hac vita.

II. Quia S. Leo Papa serm. 2 de Epiphania dicit, quod Christus fecit miraculum in occisione Innocentium, dando illis gloriam & gratiam: non enim apparet in quo sit hoc miraculum, nisi quia mors illa virtutem habuit justificandi parvulos ex voluntate Christi. atqui respectu aliorum parvulorum nobis non constat de hoc miraculo quo eximantur. Vnde D. Thom. 3. p. q. 66. art. 12 ad 2. dixit, quod *Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, in quo est votum Baptismi aquæ.* Quod parvulis nequit competere, nisi ex privilegio singulari solis Innocentibus facto.

Pater Vasquez ubi supra art. 57, quem sequitur Raynaudus p. 2. cap. 2. art. 1, sentiunt cum Richardo, Argentina, Scoto, & Sa, quos citat, quod etiam parvuli in visceribus maternis inclusi, si simul occidantur cum matribus, sunt veri Martyres, etiamsi mater quia voluntarie posuit obicem, aut quia erat ethnica putabatur tamen Christiana, & etiam sicarius ignoret matrem esse gravidam, quia plaga, quæ par-

parvulo in utero materno incluso infertur, in odium Christi infertur: & sic parvulum Martyrem constituit. In quo differt Baptismus aquæ à Baptismo sanguinis, quia illo prægnans abluitur & expiatur inexpiato & intacto parvulo. Tandem, tandem art. 9. receptui canens Raynaudus, canit Palinodiam, dicens, quod martyrium parvulorum non est formaliter actus virtutis, est tamen formaliter ac propriè verum martyrium, quamvis non sit formaliter honestum, & sic martyrium parvulorum esse extensivè minus pretiosum quam martyrium adultorum, quod & martyrii & formalis honestatis decore splendet.

Sed iste autor aut parum Theologice loquitur, aut ignorat terminos, aut confundit martyrium verum & proprium cum vero Baptismo sanguinis. quamvis enim illud includat istum, at iste non includit illud. martyrium enim proprium & perfectum actus virtutis fortitudinis est imperatus à charitate, ut tradit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1, & nos infra tract. 5. manifeste probabimus. pertinet enim ad rationem martyrii, ut aliquis firmiter stet in veritate & justitia contra persequentium impetus. unde manifestum est, quod martyrium est actus virtutis: at Baptismus sanguinis, proprie non est aliud, quam mors illata à Tyranno in odium Christi, quæ ex Christi Domini merito habeat efficaciam ad delendum originale tam à culpa quam à pœna, abundantius quam Baptismus aquæ, ut ajebat Damascenus, & ex ipso D. Th. qui data opera non dixit, quod infantes Bethlemetici habuerunt martyrium, sed quod habuerunt gloriam martyrii, quia effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismatis. unde terminos ignorat martyrium verum & proprium; dicens, mortem ipsam illatam & receptam in parvulis in odium Christi: isti enim non sunt mortem perpessi voluntarie fortiter, sed sunt passi mere passive mortem ab alio illatam.

Sed his omissis, mihi etiam omnino displicet, quod Raynaudus dicit, secutus Ægidium Chonin. q. 66. de Sacram. art. 2. dubit. 1. art. 123, qui pro se adducit Enrriquez à summa lib. 2 de Baptismo cap. 38. §. 2. quia dum ignoratur omnino mater gravida, & prolis in utero existentis nulla est memoria aut suspicio in Tyranno, nullatenus in odium fidei potest puer occultus è vita abduci in odium fidei, & sic in illa non occiditur Christus, nec sanguine suo tingitur pro Christo, etsi mater Martyr sit. tum 2, quia mater ignorata gravida, si inedia aut verberibus tundatur, quæ non sufficiant ad mortem matris, bene tamen ad abortum animatum, nullus dicet quod iste sit Martyr: quamvis enim in odium fidei verberata sit mater, tamen hoc odium non transiit ad puerum cujus nulla fuit prorsus cognitio, sed fuit omnino ignoratus; quomodo non fuit persona quam Tyrannus in odium fidei voluit vulnerare, sed occidere. si ex vulnere propter subjecti debilitatem secuta est mors ista, vere fuit Martyr, etsi secuta fuerit mors præter intentionem Tyranni; in nostro tamen casu quomodo potest quis in odium fidei occidi, qui prorsus an sit ignoratur?

Deinde id quod dicit Vasquez de Innocentibus ante legem Christi in vetere, si qui sunt occisi in odium Christi fidei, quod non sint Martyres, nec effusio sanguinis illos expiaret ab originali, si non essent circumcisi, nec illis augeret gratiam, si forent, mihi nullatenus arridet: cum enim dicat August. lib. 6 contra Iulian. cap. 3, Sacramentum circumcisionis in figura præcessisse Baptismati, nullus vel mediocriter in Sacris literis eruditus ignoret, quod sicut aquæ Baptismatis data est virtus abluendi animam, eadem virtus communicata est sanguinis effusioni & morti pro Christo toleratæ, ita sicut circumcisioni concessum est privilegium quod conferret gratiam non virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio: itaque circumcisus faciebat fidei professionem, ita etiam sanguinis effusioni & morti toleratæ pro Christo concessum est simile privilegium, quod deleat originale & conferat gratiam: tali enim morte non minus profitetur fides Christi, quam circumcisione; immo fructuosius & uberius, quia magis conformabatur Christo venturo ad mortem sanguinis effusio usque ad mortem, quam effusio sanguinis ex vulnere in præputio inflicto. quare sicut Machabæi & multi ex Prophetis in lege veteri fuerunt veri Martyres Christi, non solum propter charitatis actum, sed propter privilegium martyrii, ita parvuli in illa lege propter sanguinis effusionem in odium fidei.

His rejectis, existimo cum communi & omnino certa sententia omnes quoscumque infantes ante rationis usum ante & post adventum Christi, etiamsi sint in maternis uteris incogniti, si occidantur in odium fidei sive simul cum matre, sive ista superstite manente, eamdem habere martyrii notionem ac infantes Bethlemiticos ab Herode in odium Christi occisos. ita Raynaudus, Chonine, Enrriquez, Vasquez, ubi supra, Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 29. sect. 2 & 3. Bartholomæus ab Angelo de Sacramento Baptismi, dial. 2. §. 12. Fillutius tract. 2. cap. 1. q. 5. art. 10. Reginaldus l. 27. art. 18. Bonacina de Baptismo disp. 2. q. 1. punct. 1. art. 7. Castro Palao tom. 4. tract. 19. punct. 14. §. 1. Sotus in 4. dist. 3. q. unica art. 11. contra finem vers. secunda præposit. Sylvius 3. p. q. 66. art. 11. q. 2. Sylvester verbo Baptismus 1. art. 2. major in 4. dist. 4. q. 3. ubi Paludanus q. 2. art. 3. Gabriel q. 2. art. 3. dub. 2. Dominus Cajetanus 2. 2. q. 124. art. 1. §. *in eodem*. Toletus lib. 2 Summæ, cap. 22. art. 7. Granadus 3. p. concion. 4. tract. 3, disp. 3. sect. 2. art. 13. qui omnes loquuntur de pueris existentibus in utero matris. Sic etiam tenuit omnis chorus Antiquorum, exceptis paucis, quos citavimus in contrarium, & insinuant satis clare Patres Ecclesiæ, dum de Innocentibus Bethlemiticis sermones instituunt, ut videre est in S. Leone 1. serm. 1. de Epiphan. Cypriano, de stella & magis circa finem. August. lib. 3 de fide ad catechum. c. 5, & epistola 28 ad Hieron. & eleganter & expresse Bernardus serm. 66 in Cant. post medium versus finem.

Hujus veritatis duplex est fundamentum, quia mors perpessa in odium fidei Christi & Euangelii vim habet Martyrem justificandi ex speciali Dei privilegio, & singulari prærogativa, juxta illud Marci 8. vs. 35, *qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, salvam faciat eam*. vel, ut S. Lucas ait cap. 12. vs. 15, *vivificabit eam*. ex quibus locis colligunt hoc speciale privilegium sanguinis effusionis propter fidem Christianam S. Cyprianus lib. de laudibus martyrii in fine. Clemens Apostol. Const. lib. 5. cap. 5. & August. lib. 3 de Civit. cap. 8. S. Th. 3. p. q. 66. art. 1. ad 1. Damascenus lib. 4 de fide cap. 8. cæterique Patres dum loquuntur de Baptismo sanguinis, cui speciali concessione dicunt quod habet vicem Baptismi aquæ, & sicut iste prodest cuicunque parvulo nato, & illo renascitur filius gratiæ, ita ille prodest nato in utero existenti, si plaga ad illum usque perveniat in odium fidei; quod privilegium, cum non sit factum personis occisis primo & per se, sed tantum causæ scilicet quod accidantur propter fidem Christi, cum hæc fides una semper fuerit omni tempore *à sanguine Abel justi usque ad sanguinem* cujusque occisi

occisi propter fidem. eadem causa est, & sic idem privilegium, quod remittat originale & gratiam, conferat.

II. Fundamentum sumitur insolubile ex Ecclesiæ usu & traditione, secundum quam plures infantes, (ultra Bethlemiticos) ante rationis usum propter fidem Christi occisos, Martyrum publico cultu veneratur & colit. Plures refert erudite Raynaudus art. 7. S. Quiritius puer triennis Martyribus adnumeratur die 16 Iunii, de quo cum Iulitta matre latissimi scriptores, ut videre apud Baron. ibi litera b. S. Simeon die 24 Martii, cum menses dumtaxat undetriginta natus esset, à Iudæis tridenti sævissime trucidati, qui multis postea miraculis coruscavit. de quo Surius tom. 2, die 24 Martii passus. fuit teste Baronio anno 1475. & in nostra Hispania celebre fuit martyrium in Trimuli S. Christophori, vulgo *Innocente de la guardia* oppidos Toletanæ diœcesis, qui passus est à Iudæis perfidis, tempo● Ferdinandi & Elizabethæ anno 1, & tamquam Martyr veneratur publico cultu & veneratione. De quo latissime Rodericus ab Yepes in speciali lib. de isto Martyre p. 2 dicens, publice dici Missam in honorem illius. de altero facit mentionem Vsualdus die 19 Aprilis Triberi, ubi ejus passio celebratur anno 1267, & anno 1185. alter, ut refert Vincentius in Speculo Hist. lib. 30, cap. 25. dicens, quod Iudæi consueverant quotannis Innocentem jugulare in die cœnæ in sacrificium contemptu Religionis Christianæ. Plura alia refert prædictus Yepes p. 2. cap. 3 & 4, & multos alios refert liber dictus fortalitium fidei lib. 3. Igitur temerarium omnino est, negare, quod alii infantes à Bethlemiticis, si pro Christo occidantur, non gaudeant eodem prorsus privilegio ac illi gavisi sunt: ita quod si non essent Baptismo aquæ tincti, suo sanguine baptizati, dubio procul salvarentur.

Ex dictis fundamenta Bachonis facile ruunt. Ad I. respondetur distinguendo de privilegio. Illud si primario concedatur, personis illis solis & non aliis applicandum est, nec ad alias extendendum; secus tamen, si concedatur causæ: ubicumque enim ista fuerit, sequitur privilegium quale est concessum effusioni sanguinis propter Christum. privilegium vero virginis concessum est personæ. Ad II. respondetur, quod miraculum ibi non accipitur proprie, sed improprie accidens est quod *admirabile*. respondetur II, quod miraculum fuit, in quantum Christus concessit effusioni sanguinis propter ipsum etiam in novo Testamento justificaret non solum illos Bethlemiticos pueros, sed etiam quoscumque.

TRACTATVS TERTIVS.

De martyrio improprie dicto.

IN communi duplex est martyrii genus, proprii & improprii. de isto in præsenti cursim dicam de quo longo discursu Theoph. p. 1. per totam. ut ex dictis liquet martyrium improprium, quod quis patitur, dum extra fidei causam, ac citra mortem. adde vere etiam intra mortem si non sit causa fidei, acerbum aliquod patitur extrinsecus irrogatum, vel ab ipsismet accitum. de quo late Origenes tractatu 5 in Ioannem. Auctor lib. de duplici martyrio inter opera Cypriani. elegantissime Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromat. ubi pagina mihi 502. ubi Herbetus: *Extremum martyrii* (improprii) *est, ut anima à corpore abducatur, & Deo uniatur, & in eo exerceatur tota vita Dei athletæ, ut animam abducat à corpore, &c.* Et infra agens de martyrio proprio, subdit: *sed nullum majus est martyrium, quam quo judex cogens negare Christum, probet suis tormentis quis sit, quis non sit Deo amicus.* Hæc ibi. ubi hoc ultimum dumtaxat proprium martyrium dicit, cætera autem impropria. Quam doctrinam Herbeti, viri eruditissimi, prius tradiderat Clemens, quamvis verbis aliquantulum obscurioribus.

RESOLVTIO XXI.

De variis martyriis impropriis.

VNa Resolutione dissolvam totam illam molem, quam congessit Raynaudus, quamvis non breviter digessit. Τί ἂν πολλὴ εὐχή, ὅταν ἐπιῤῥεῖ. quid igitur tantum argumentorum? cum affluat & refluat non admodum ad rem de martyrio vero.

§. 1. *Omnis perpessio laboris & incommodi, ex motivo supernaturali & divino, martyrium latum.*

ITa Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromat. cap. 4: *Quicumque Servatoris mandata exequuntur, in unaquaque actione sunt Martyres.* Idem S. Methodius apud Epiphanium, hæresi 64. S. Ephron. Syrus in Sanctorum Martyrum laudatione: *Illi palam Martyres fuerunt, & tamen in secreto saltem Martyrem perfectum te præbe; illi in aperto certamen consummarunt, perfice tu tamen certamen in occulto.* S. Joannes Chrysostomus, in oratione S. Barlaim: *non est persecutionis tempus, at martyrii est tempus.* Et eleganter S. Ambrosius in Psalm. 118. octonario 20. August. serm. 250 de tempore: *Nemo dicat, fratres charissimi, quod in istis temporibus Martyres non sunt, quotidie Martyres sunt. Quicumque ergo pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum justitia judicaverit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.* Eucherius hom. de S. Ignatio: *Vicerunt illi tormenta, nos vitia, ut inter hujusmodi conflictionis vitia, persecutores virtutis probent nos esse Martyres.* Cæsarius Arelatensis homil. 45: *Non putemus effusionem sanguinis tantum esse martyrium, semper ergo martyrium est: adolescentiam libido carnis persequitur, vult occidere & effundere sanguinem animæ, &c.* S. Gregorius Magnus homil. 35 in Euangelia: *Duo quippe sunt martyrii genera, aliud in mente simul & actione. itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur: mori quippe à persecutore, martyrium in aperto opere est; ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* similia habent Richardus. Victorinus cap. suo 20 in Cantica, S. Ideota in libello contemp. cap. 10. Laurentius Justinianus. Bernardus de modo vivendi 40 serm. in quibus hoc habetur: sine ferro & flammis Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conservemus. & piissimus Thomas de Kempis in spirituali cantico de patientia servanda: *totiens*, inquit, *Martyr Dei efficeris, quotiens pro Deo pœnam patieris.*

Hæc frusta decerpsi ex Raynaudo, quæ ad intentum sufficerent. nam plura alia de martyrio improprio apud Ioannem Buseum in Viridario, verbo *martyrium* cap. 4, & in Panario, verbo *impatientia.* Illud tamen ferre non possum patienter, quod Raynaudus pag. 32 dicit, martyrium hoc imperfectum, quod dicitur

dicitur martyrium cordis, esse martyrio corporis anteponendum, tamquam præcellentius. id quod docuit, inquit, Guilielmus Parisiens. lib. 1 de leg. c. 28 sub finem. hoc nullus ferre debet: nam martyrium corporis est actus perfectissimus imperatus à charitate; & *majorem charitatem nemo habet &c.* & quidem martyrium improprium divagatur per omnes virtutes, quarum plures imperfectiores sunt fortitudine, & omnes inferiores charitate: *major autem horum est charitas*, & sine ista antecedenter, vel subsequenter martyrium corporis non est. non ergo martyrium cordis ipsum antecedit.

§. 2. *De martyrio improprio patientiæ in morbo proprio, aut aliorum ad nos attinentium.*

SVstinentiam & morbi proprii tolerantiam martyrii improprii occasionem dare, vel esse ipsum martyrium, satis clare docent Patres, Chrysostomus homil. 25 ad populum Antioch. & homil. 1 in 2 ad Corinth. ob perpessam ingentem molem cruciatuum & infirmitatum non facit Martyrem aliis Martyribus supparem, sed plus quam Martyrem facit, & cum varias martyrii species in uno Iobo adunatas & conduplicatas recenset inde eum supra omnes Martyres, Martyrem prædicat; cui in Psal. 127. Lazarum leprosum, cujus vulnera canes lingebant, adjungit, & concludit: *& tu ergo dilecte, cum te sæpe vel morbus, vel febris, vel dolores invadunt &c. fer ergo forti & generoso animo quæ accidunt. hoc enim est tibi martyrium.* Et orat. 8. contra Iudæos: *si repuleris incantamenta ac magicas artes, etiamsi morbo moriaris, Martyr perfectus fueris, eo quod aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate præoptaris mortem cum pietate.* Hæc ibi, & alia plura, quæ legenda sunt maxima cautela nam *perfectum martyrium* hoc appellat sicut S. Ioannis Baptistæ, & Martyres appellat Noë, Abraham, Isaac, & Iacob, quod de martyrio proprio & perfecto intelligi nullatenus potest. suspicor (faxit Deus non sit temerarium judicium) quod hæc omnia adducit Raynaudus, ut probet suum novum proprium martyrium per pestem. hujusmodi enim frusta ex ipso carpo, ut omnibus patescat intentum August. serm. 39 de divers. cap. 8. *multi ducunt martyrium in lecto prorsus multi, &c.*

§. 3. *De martyrio vitæ religiosæ & de aliis piis, impropriis tamen.*

IN longum imus, si Raynaudi sequamur vestigia, & nolo comprehendi vulgari parœmia *septem convivium novem convitium.* quod satis apte Raynaudo convenit: Turba enim martyriorum quam introducit diffusis Patrum authoritatibus confusionem parit ac molestiam. Igitur martyrium latissime & improprissime sumptum, omnem quamcumque actionem qua testes sumus & Martyres etiam, ut ait Origenes 5. in Ioannem tomo: *quisquis testificatur de veritate, tum verbis, tum factis, quomodocumque faciens illis, is jure testis & Martyr dicendus.* Et Clemens Alex. lib. 4 Strom. *quicumque autem Servatoris mandata exequuntur, sunt Martyres.* Pressius tamen, etsi improprie sumitur martyrium, quando quis exequitur Christi consilia aut præcepta, in cujus executione est aliquis labor, molestia, amissio alicujus boni temporalis, mortificatio carnis, carentia alicujus delectationis. ex his enim omnibus invenies apud Sanctos Patres homines vocari Martyres. unde quæcumque tolerantia causa pietatis martyrium dicitur.

Hinc est, quod, cum in vita religiosa tot incommoditates & incommoda, tot mortificationes, & omnis delectationis carentia, tot labores & juges vigiliæ pietatis causa tolerentur, jure optimo martyrium & juge martyrium nuncupatur & quotidianum, sicut & quotidiana crux. Ita Hieronymus epist. 27 ad Eustoch. & in Psal. 115. *Monachi, qui die & nocte psallunt, Domino debent eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi Martyres sunt.* Beatus Athanas. in vita S. Antonii cap. 23. *quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium.* S. Bernardus serm. 1 in octava Paschæ: *Est enim & martyrii genus & quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione.* Laurentius Iustinianus de contemptu mundi cap. 16, *solitariam ducunt vitam Cœnobiorum, custodiunt regulas, martyriique spiritualis fatigantur agone.*

Nec minori agone torquentur paupertate religiosa, à qua denominantur Martyres S. Dorotheo doctrina 7. art. 9, & Beatus Franciscus in collat. 8. Chrysost. homil. 18. in 1 ad Corinthios. Bernardus serm. 1. omn. Sanct. in fine: *eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus, quia veri martyrii genus paupertas voluntaria est.* Obedientia item suum tenet martyrium: facit enim Martyres vivos, ut ait Cassianus collatio 18. cap. 17. imitatus Chrysost. suum Magistrum orat. 1 de Abraham. Nazianzenus orat. 20. art. 13. à voto etiam castitatis Martyres dicunt Patres: Chrysost. orat. de S. Tecla. Hieronymus epist. 8 ad Demetriadem: *habet pudicitia servata martyrium suum.* Ambr. lib. 1 de Virg. August. serm. 150 de Temp. Petrus Blesensis serm. 38: *tria sunt*, inquit, *genera martyrii, in sanguinis effusione, in carnis inanitione, in proximi compassione.* Tractat deinde Raynaudus cap. 6. de Martyribus seculi, quales sunt conjugati, avari, captatores honorum, ut sunt aulici. sed Martyres seculi seculo relinquamus: nec enim omnia vel aptantur instituto, vel congruum est in medium adducere.

RESOLVTIO XXII.

De quibusdam adultis Martyribus, quorum martyrium etsi Sanctum, an sit verum in controversia est.

DE martyrio Innocentium & infanticidio ob Christi fidem in superioribus egimus, nunc de quibusdam adultis tractandum.

§. 1. *De S. Machabæis & Prophetis, ubi de S. Ioanne Baptista.*

ALanus Copus dialogo 6, cap. 13. de S. Machabæis, qui tempore legis scriptæ passi sunt, ut narrat Sacra Historia Machabæorum lib. 2, cap. 7. & de S. Eleazaro cap. 6. qui fuit Machabæorum Magister, & ob id eum appellant Patrem eorum Nazianzenus orat. 22. & Ambrosius lib. de Iacob, cap. 11, quem Martyrem appellant, & etiam Cyprianus lib. de singularitate Clericorum. S. Ephron. Syrus parænesi 25. tom. 2. Sallianus tom. 6. ad annum mundi 3887, ante Christum 166. ubi Torniellus Theophilus Alexandrinus epist. 3. Chrysostomus homil. de septem Machabæis, dicens: S. Eleazarum *martyrium passum cum septem suis discipulis.* & sic Nazianzenus vocat Eleazarum *primitias Martyrum* veteris Testamenti, sicut Stephanus est novi primitia.

De septem fratribus Machabæis, qui una cum matre octi-Martyre passi sunt sub eodem Antiocho Epiphanæ martyrium, plena sunt Sanctorum Patrum insignia

insignia testimonia illos Martyres appellando. & Martyres simpliciter veneratur Ecclesia die 1 Augusti, ubi Baronius litera b, erudite & sapienter, ut semper assolet, id comprobat ex Nazianzeno, Chrysostomo, Gaudentio, Augustino serm. 110. Vbi dicit, Antiochiæ ubi passi sunt, esse constructum à Christianis celebre & insigne templum, Leone Papa Maximo, Nysseno, S. Bernardo, Mario Victorino. Quibus addo Cyprianum lib. 4, epistola 3. & lib. de exhortatione ad martyr. cap. 9. Ambros. lib. 1 de officiis, cap. 41. & lib. 11, epistola 7. August. serm. 109, cap. 6, ubi dicit: *Machabæi Martyres Christi, & ideo convenientissime dies eorum & solemnitas à Christianis celebratur.* Prudentium in Hymno 10 de S. Romano. Victorinum Afrum in carmine de septem Machabæis. Antonium item Afrum epistola ad Archudium Martyrem. Prosperum lib. de prædictionibus p. 2, cap. 40. Alcimum Avitum lib. de castitatis laude.

Et ratio est, quia tam S. Eleazarus, quam septem ejus discipuli S. Machabæi pro defensione vere fidei, quæ tunc erat in populo Hebræo, & eadem est cum fide Catholica, mortui sunt ex cap. 6 & 7 lib. 2 Machabæorum. non ergo tuto potest in dubium verti, quod sint veri Martyres. Vt enim probat latè August. tom. 7. passim contra Pelagium eadem est gratia novi & veteris Testamenti, cum pro omnibus utriusque Testamenti mortuus sit Christus, & omnium fuerit Salvator.

Idem, quod de Machabæis eorum magistro & matre, dicendum de Propheta Isaia, qui sub Manasse propter fidem veram sectus est in duas partes. & de Hieremia, qui propter eandem caussam in Ægypto lapidibus obrutus est, & de aliis, de quibus S. Epiphanius lib. de vita Prophetarum.

Sed contra hanc resolutionem duo videntur obstare non facilia. 1, quia S. Bernardus epistola 98 ad Ignotum, dicit: quod per quendam fratrem Hiscilmum interrogatus fuit de quo antea fuerat interrogatus à Fulione Sparnacense Abbate, cur Ecclesia solis Machabæis tribus Martyrum prærogativam, non tamen aliis justis, qui mortui sunt pro veritate, ut Zacharias & Isaias, imo & S. Ioannes Baptista? & respondet: *quod soli Machabæi habuerunt formam martyrii novi Testamenti, & sic quoniam similes illos fecit Martyribus Christianis non dissimilis veritatis confessio, merito ergo eos prosequitur similis veneratio. itaque plus contulit Machabæis in hac parte martyrii genus quam virtus; cæteri autem, etsi passi sunt pro justitia & pietate, non tam eas confitendo quam proponendo, proponebant veritatem audientibus eam, veritas pariebat eis odium, & odium mortem; licet injusti & impii* (Occidentes) *non tamen in illis pietatem persequebantur quam à se repellebant, nec tam in illorum justitiam ferebantur, quam propriam tuebantur justitiam. Aliud est enim aliena invadere, aliud defendere sua; non est id ipsum nolle scri veritatem, & persequi; invidere credentibus & increpantibus indignari; obturare os confitentium, & arguentium stimulos non ferre patienter. Denique misit Herodes, & tenuit Ioannem. Quamobrem? quia Christum prædicabit? quia vir bonus erat & justus? imo propter hoc magis reverebatur illum, & audito eo multa faciebat; sed quoniam arguebat Herodem Ioannes propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, ideo vinctus, ideo decollatus est; passus quidem & ipse pro veritate, sed quam zelare videretur, non negare cogeretur. profecto, si tali ratione & ordine passi fuissent Machabæi, nec quidem fieret de eis mentio. Dixerat autem prius S. Doctor: universis tam veteris quam N. Testamenti Martyribus, æque convenit justitia occubuisse, sed interest, quia isti passi sunt, quia illam tenebant; illi quia non tenentes reprehendebant; isti, quod eam non desererent, illi quod deserentes perituros esse assererent; &, ut breviter totum in quo differant præferamus, hos cultus, illos zelus justitiæ Martyres fecit.* Quare concludit, quod Ioannes Baptista (sicut & alii Prophetæ) *Martyr quidem est, sed non ea forma martyrii, qua Machabæi & cæteri Martyres N. Testamenti*, qui passi sunt propter justitiam, quam ab ipsis auferre tormentis intendebant Tyranni taliter, quod veram desererent fidem. Sed ideo S. Ioannes Martyr est, *quia pro reprehensione injustitiæ mortuus est, & sic celebratur ritu Martyris, quia mortem lætus excepit. Porro, ait, qui tam lætus potuit mori, potuit & lætam sibi memoriam promereri.* Idem quod repetit epistola 313, atqui martyrium proprie non est, nisi quando mors infertur à Tyranno, ut veritas deseratur Catholica, & in odium fidei. Hæc enim est forma martyrii veri, sine qua nullus ut verus Martyr coli debet, quamvis memoria illius veneretur ut sancti qui lætus mortem excepit, quia zelo sancto vitia reprehendebat. Et sic nullus Prophetarum, etiam S. Ioannes formam martyrii Christi habuit ac passionis, nec verum ac proprium martyrium, sed improprium.

Respondetur plane ita sensisse D. Mellifluum post longam meditationem semel & iterum, sed an vere, alii dijudicent. Ego quidem hoc video, quod Ecclesia pleno ore Martyrem appellat, & officium aliorum Martyrum illi adscribit, at deficere in hoc non credo, nisi dicas, quod & Bernardus Martyrem nuncupat Baptistam, *sed non ea forma Martyrii*, quam cæteri, sed alia, sicut de hoc iterum infra dum de caussa martyrii edisseram. Videndus D. Thom. 2.2. q. 124. art. 5. sed adnotare oportet, quod S. Abelem Martyrem & primum Martyrem dicant Cyprianus epistola 56, & libro de oratione Domini, & lib. de patien ii. Prosp. lib. de prædict. p. 1, cap. 6. August. vel Auctor Mirab. S. Script. lib. 1, c. 13. Lyrarius in 4 Genesis, ubi Fernandez sect. 8, art. 7. Tostatus ad cap. 49 Genesis, ubi dicit, quod Ecclesia ipsum vocat *Protomartyrem.* Saleanus ad annum mundi 130, art. 31 dicens esse *martyrii Principem*, & est communis loquendi modus apud Patres, tamen quamvis Martyr, tamen non ex eadem forma martyrii, ac Martyres Euangelii, sed sicut Ioannes Baptistæ, ut Bernardus.

Secundum quod, tam Prophetarum, quam Machabæorum obstat vero & rigoroso martyrio; est, quia ante Christi mortem & adventum non potuit esse vera & propria forma martyrii; quia de ratione veri martyrii est, quod causet gratiam primam aut ejus augmentum non ex opere operantis, sed ex opere operato, ut infra tractat. cum communi & certa sententia manifeste probabo. atqui ante Christi mortem nihil erat in veteri lege, quod ex opere operato gratiam causaret: id enim, quod causat ex opere operato, continet in se, id quod causat ex virtute illi communicata à Christo passo ex vi suæ institutionis. At, ut certa & indubitata sententia est omne Sacramentum aut quodcumque aliud institutum, in veteri lege erat vacuum, inane, & elementa figurativa eorum, quæ futura erant in N. Testamento: *omnia enim*, ut ait Paulus, *in figura illis contingebant* sicut circumcisio, etiamsi esset verum Sacramentum, tamen erat figura Baptismi, & non causabat gratiam, sed erat signum fidei. Ergo etiam martyrium, quod illis temporibus inferebatur, gratiam non continebat, & sic eam non causabat ex opere operato, quia, ut ait D. Thom. 3. p. q. 62, art. 6, *modus iste operandi gratiam competit, cui competit ex passione*

passione Christi, quæ est causa justificationis, à qua causa non existente virtus derivari nequit secundum usum exteriorum rerum. ex quo manifeste colligit, quod Sacramenta veteris legis non continebant nec causabant gratiam ex opere operato. & idem pari modo est necessario dicendum de martyrio legis veteris.

Respondetur ita plane esse, ut argumentum evincit, quod martyrium adultorum veteris legis non causabat gratiam ex opere operato. Nego tamen, non esse verum martyrium. fuit utique, cum fuerit mors perpessa in defensionem fidei, & illata in odium ipsius quæ est forma veri martyrii, quamvis hæc mortis perpessio, & sanguinis effusio in N. Testamento habeat speciale privilegium, ut gratiam causet ex opere operato, cum à Patribus æquiparetur Baptismo aquæ; martyrium autem vetus ad summum æquiparatur circumcisioni; quæ, etsi esset verum & proprium Sacramentum, (ut cum S. Thom. 3. p. q. 60. tenet communis Thomist. certa sententia, quam sequitur Vasquez disp. 128, cap. 5.) non tamen causabat gratiam, nec eam continebat, ut definit Trident. sess. 7, can. 6. sed erat signum fidei justificantis; ita martyrium illius temporis verum & proprium erat martyrium, non tamen causabat gratiam ex opere operato, sed erat signum fidei & charitatis ex natura rei quam habebat Martyr. Bene tamen est, quod sicut circumcisio, etsi esset verum Sacramentum, erat tamen imperfectum, ita martyrium etiam erat imperfectum, cum deficeret illi hoc privilegium Christi, quod causet gratiam ex opere operato. & sic S. Machabæi veri fuerunt Martyres vero martyrio Christiano, quia eandem habuerunt famam martyrii ac Martyres post Euangelium. & sic (ut ait Bernardus) *magis illis contulit martyrii genus, quam virtus; quoniam quod eis negabat tempus,* (veteris legis) *contulit martyrii genus. Nec moveat sane, quod, quemadmodum Martyres nominatim, & ipsi pro Christi nomine mortui sunt, quia non interest, sive sub lege pro legalibus observantiis, sive sub gratia pro mandatis Euangelicis quis patiatur: uterque enim pro veritate ac per hoc pro Christo, qui dixit: Ego sum veritas, pati cognoscitur.*

§. 2. *De S. Ioanne Euangelista & similibus.*

CErtum est, S. Ioannem Euangelistam non occubuisse martyrio, sed *senio confectus quievit*, tamen Martyr celebratur ab Ecclesia die 6 Maji, propter cruciatum, quem passus fuit Romæ, quo missus est in dolio ferventis olei, à quo divina protegente gratia illæsus exivit. Similiter S. Tecla Martyr & Virgo celebratur in Breviario Romano die 23 Septembris propter cruciatus, quos passa est, & tamen *in pace quievit*, in solitudinem secedens. Baronius enim ibi in Adnotationibus plura congerit de B. Tecla, eam appellans *gloriosissimam Martyrem*, & inter fœminas *Protomartyrem*, utque Martyrem coli tam *in Occidente*, quam *in Oriente*. De quo ejus martyrio multi S. Patres scripsere, eam plenis buccis Martyrem nuncupantes, sicut Ecclesia in commendatione animæ. Eusebius similiter Bercelenensis Martyr ponitur in tabulis Ecclesiasticis die 1 Augusti, & Martyr dicitur in ejus Epitaphio sepulchro apposito, etsi ab Ambrosio serm. 69. Confessor dicatur, & à Greg. Turon. lib. de gloria Confessoris cap. 3.

Cæterum his non obstantibus, non desunt graves, pii, & docti viri, qui negant B. Ioannem Euangelistam Martyrem proprie. Ita videtur sentire D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. q. 2. & in solut. ad 7. *Quod si passio inflicta à Tyranno, non continuetur usque ad mortem, non dicitur aliquis Martyr, ut patet de Sylvestro, de quo non solemnizat Ecclesia sicut Martyr, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.* Idem docet 2.2. q. 124. art. 4 ad 4, ubi Cajetan. §. *ad tertium.* expresse dicit, quod B. Ioannes *non fuit proprie Martyr.* Sequitur D. Thom. Abulensis ad cap. 13 Matthæi q. 20. ℣. *sed dicendum.* Sylvius in Addition. q. 96. art. 6. ℣. *quartum.* Valentia 2.2. disp. 8. q. 2. punct. 1. versiculo *ut autem.*

Sed utramque sententiam in concordiam redigere quis potest, & quidem primam sententiam non potest aliquis repellere, cum Ecclesia eos quos refert, & alios plures Martyres absolute proferat, tum in orationibus Breviarii, tum in Martyrologio. & quidem quod B. Ioannes fuerit Martyr, præter citatum Martyrologium & Breviarium, tenent Tertullianus lib. de præscript. adversus hæres. ubi insinuat satis Pamelius art. 215. D. Hieron. ad cap. 20 Matth. & lib. 1 contra Iovinianum. Euseb. lib. 3 de demonstrat. Euangelii cap. 7. Tostatus ad cap. 20 Matth. q. 79. D. Thomas ibi explicans illa verba, *calicem quidem meum bibetis*; ubi Hilarius canone 20 ibi. Cornelius à Lapide ℣. 23. sed latius in proœmio in epistolam B. Ioann. citans Polycratem apud Eusebium lib. 5 Histor. cap. 23. Suarez tom. 2. in 3 part. disp. 55. sect. ult. ℣. *ex his fere.* Idem docet Beda tom. 5. supr. cap. 20 Matthæi ad eadem verba. Legantur Paschasius Corborensis lib. 9 in Matth. cap. 20. Et Philippus Abbas epistola 14 ad Rodulphum, ubi probat, B. Ioannem Euangelistam vere fuisse Martyrem, & calicem Domini bibisse.

Cujus rationem reddit sic explicans illud Matth. cap. 20, ℣. 23. *calicem quidem meum bibetis, id est, martyrium pro me, ut explicant omnes, & videre est apud Maldonatum.* (qui erudité ut assolet id confirmat) *Respondet Hieronymus hoc impletum esse, quando Ioannes in ferventis olei dolium missus est: nam, licet tunc mortuus non fuerit, tamen, quia voluntarie morti se obtulit in testimonium fidei, & causa illa de se sufficiens erat ad mortem inferendam, nisi miraculose esset impedita, id satis est, ut dicatur bibisse calicem Christi: propter quod sæpe ab Ecclesia Martyr appellatur. addit Euthymius in* Matth. cap. suo 43, *calicem bibere, non solum qui violenter moriturus est propter Christum, sed etiam qui exilia, flagella aliaque similia propter eum patitur, & sic certans usque ad mortem perseverat. quæ omnia cum magna perfectione & dignitate in Ioanne reperiri manifestum est.* Hæc ibi.

Id ipsum patet Patrum sententiis. Cyprianus enim Epistola 58 ad Lucium: *neque in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt. Daniel exstit in suis laudibus consummatus, quia, qui Leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam.* & epistola 68 *ad Clerum & plebes in Hispania.* Idem repetit Tertullianus in Scorpiac. adversus Gnosticos cap. 8. loquens de eisdem pueris, dicit: *O martyrium & sine passione perfectum? satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiri viderentur.* Similia habet August. serm. 106 de divers. cap. 4, ubi comparat S. Ioan. Euangel. martyrium tribus istis pueris, dicens: Negabimus eos Martyres, quia flamma eos urere non potuit? id confirmat S. Ioannes Chrysost. orat. de S. Eustach. ex illo Genes. cap. 17, ℣. 20, ubi postquam Abraham non occidit Isaac, dixit Angelus ei, *quia non pepercisti filio tuo dilecto propter me. atqui vivum recepis & incolumem*

 reduxit,

reduxit, quomodo igitur non pepercit? quia non ex factorum exitu, sed ex animi sententia de hujusmodi sacrificiis soleam judicare. non mactavit manus, at voluntas mactavit, &c. Satis ad rem Abraham non pepercit filio suo, quia jam ex animi sententia ipsum occidit, & gladius erat ad id præparatus. Quare secundum præsentem Iustitiam non pepercit, at secundum Dei dispositionem non est occisus Isaac. Ergo pari modo nec Tyrannus, nec ignis pepercerunt B. Ioanni, sed ex sententia Tyranni & ejus efficacia moriturus erat, & sic secundum præsentem justitiam Martyr erat proprie, & illi debita erat corona martyrii, quamvis secundum propositum Dei non esset moriturus.

Rem explico duobus exemplis. primum sit desumptum ex doctrina D. Thom. 2.2. q. 171. art. ult. ad 2, ubi S. Doctor egregie explicat, qua ratione vera esset Prophetia Isaiæ, dicentis ad Ezechiam Regem Iuda in lecto decumbentem: *Dispone domui tuæ, eras enim morieris*, cum Regis vita indulgentia divina quindecim annis est prolongata, & respondet verissima fuit prædictio; non quidem in ordine ad causam primam, sed in ordine ad causas proximas mortis, quæ erant infirmitates complicatæ: in istis enim infallibiliter continebatur mors crastina Regis. Sed Deus, utens dominio alto & absoluto supra omnes causas secundas, detinuit mortem: Secundum exemplum sit in prædestinato, qui secundum præsentem justitiam est in peccato mortali, & præscito, qui etiam secundum præsentem justitiam est in gratia, prædestinatus secundum præsentem justitiam propter peccatum mortale, est Dei inimicus, & debetur pœna æterna damni; & sensus, similiter præscitus existens in gratia, est filius & amicus Dei, & debetur ei secundum præsentem justitiam gloria æterna. ratio est, quia uterque secundum præsentem justitiam habent causam proximam: unus pœnæ, & alter gloriæ. Ergo cum S. Ioannes Euangelista, S. Tecla, & alii relati habuerint causam proximam, quæ sua efficacia naturali illatura erat mortem, verè & propriè meruerunt martyrii coronam & laureolam, quam nunquam demeruere. Ergo illam habent in cælo, & vere sunt Martyres sine sanguine, quia Deus noluit eum profundi à Tyranno. & sic Ecclesia jure optimo plena voce appellat Martyres, quod non facit de B. Martino, qui causam martyrii proximam non habuit; sed tantum ardens desiderium moriendi pro Christo, propter quod non amisit palmam martyrii, id est, gloriam essentialem Martyrum, non tamen habuit laureolam. Itaque B. Ioannes verus Martyr fuit, de quo potest dici: *hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum effudit*: juxta causam proximam effusionis & mortis illi applicitam, ut loquitur secunda sententia, & non est mortuus Martyr, quia *senio confectus quievit*, sic disponente Deo, & sic non fuit proprie Martyr in morte. Sed de his iterum sermo infra Tract. 5. Resolut. 35, ubi quod sit apud me hujus controversiæ ultimum judicium contra agonothetam nostrum Raynaudum explanabo.

§. 3. *De bono latrone cum Christo passo.*

BOnum illum & S. latronem nomine Dimas, qui cruci ligatus, una cum Christo passus fuit, non esse verum & perfectum Martyrem formaliter, ut ajunt, sed solum æquivalenter sentit Raynaudus in libro, cujus titulus, *Metamorphosis latronis in Apostolum* cap. 12, vf. 12. pro qua citat S. Antoninum 3 p. tit. 31. cap. 9. §. 1. Bonavent. in 4. dist. 4 art. 39. circa literam Magistri sequitur Suarez tom. 2. in 3. p. in comm. art. 12. q. 46. vf. *tertio dubitari*. Probatur ex August. lib. 4 de Baptis. contra Donat. cap. 22, ubi S. Doctor rationem hujus sententiæ fundamentalem posuit his verbis: ponderans enim Cypriani dictum, dicit: *Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit*. Et concludit, quod S. Dimas baptizatus fuit *Baptismo flaminis per fidem, & perfectam contritionem*.

II. Quia crurifragium S. latronis irrogatum, non fuit in odium alicujus veritatis revelatæ, vel ob ejus defensionem aut executionem ab eo susceptam, sed ex Sacra Scriptura (& ex ea Catholici) dicit; *ne manerent corpora* insepulta, tum propter honorem Sabbati, tum ne contaminaretur fœtore aër.

III. Quia Pilatus ea sola intentione & relatis motivis decrevit crurifragium. quod enim carnifex, qui crura fregit S. Dimæ, id fecerit brevius & prius quam in malo latrone in odium confessionis Christi, nihil juvat ad veram rationem martyrii, cum crurifragium infligendum erat bono latroni confitenti Christum, etiamsi non confiteretur propter delictum patratum latrocinii. Sicut, si Imperator Turcarum, qui odio prosequitur Christianitatem, mortem inferat sicario quia sicarius est, non quia Christianus, etiamsi odio in ipsum ut Christianum sit affectus, iste talis sicarius Martyr propriè non erit.

Hæc Raynaudi opinatio mihi nullatenus arridet, cum videam Patres fere omnes, qui Latronis sancti mortem attigere, ipsum plenis buccis Martyrem appellasse. Itaque non dico latronem fuisse verum Martyrem, quia salvari nequibat, nisi baptizatus vel aqua vel proprio sanguine. potuit itaque Baptismo flaminis intingi fide & contritione. Et in hoc fuit perpetuus August. cui adjungit Ambrosium S. Bernardus epist. 77 ad Hugonem de S. Victore, dicens: *ab his enim duabus columnis, crede mihi, difficile avellor, cum iis me aut errare, aut sapere me fateor*. Igitur ideo assero, B. Dimam verum fuisse Martyrem, quia propter Christi confessionem & in odium ipsius mortuus est.

Hæc sententia mea non est, sed, ut dixi, fere omnium Patrum, qui de latrone sancto sunt locuti, apud quos duplex reperitur propositio, quæ manifeste declarat id quod intendimus. Prima est, *quod, etsi pœna cæperit in latrone, novo genere consummatur in Martyre*. Ita Eucherius hom. de sancto latrone. Hieronymus epistola 13. Hilarius lib. 4 de Trinit. Drogo Hist. lib. de passionis Domini Sacram. Alcimus Avitus lib. 3 carm. in fine. Gaufridus Vndoco serm. 10. August. serm. 1. feriæ 3 post Domin. palmarum.

II. Propositio est, *bonus latro baptizatus fuit Baptismo sanguinis*. hæc est illatio manifesta ex anteriori propositione, quia, ubi est martyrium, necesse est, quod sit Baptismus sanguinis, & maxime ubi est proprium Martyrium, quamvis non semper ubi est proprius & formalis Baptismus sanguinis, ibi sit proprium & formale martyrium. Igitur propositionem istam secundam docent expresse S. Cyprianus epist. 73. ad Subajanum art. 72. Auctor ille antiquus & gravis inter opera Cypriani serm. de Cœna Domini. August. lib. 4 de Baptism. cap. 22. adducens & ipse Cypriani testim. ex epist. 72. fateor quidem, quod August. lib. 2 Retract. cap. 18, dum sententiam istam Cypriani examinat, dicit, quod incertum est, an bonus latro fuerit baptizatus. & sic non retractat, nec sugillat Cypriani sententiam. Quare dum lib. 1 de origine animæ cap. 9 dicit, *non baptizatus Baptismo sanguinis, sed propter fidem & conversionem consecutus est Paradisum*: ideo dicit, quia, cum sit certum latronem

nem sanctum consecutum fuisse cœlum, & in opinione positum, an sit Martyr & baptizatus sanguine suo, tenendum omnino, quod habuerit Baptismum flaminis, quod est medium constans ex Scriptura, siquidem dixit: *memento mei dum veneris in regnum tuum.* Quod vero fuerit Martyr, non constat ex Scriptura, & hic est scopus August. non tamen rejicit opinionem Cypriani quam iterum repetit orat. de pass. Domini. quare intentum August. est sicut & S. Bernardi, quod latroni non fuit necessarium martyrium ut salvaretur, ut clare constat ex lib. 4 de Baptis. contra Donatum cap. 22. & explicat D. Th. 3. p. q. 66. art. 11 in corp.

Quare beatum latronem fuisse vere & formaliter Martyrem sentiunt non infimæ notæ auctores. Fernandes in cap. 4 Genes. sect. 2. art. 11. Carthagena lib. 11 de Christo, hom. 3. Coreuus lib. de patientia cap. 21. Enriquez lib. 1 de pœnitentia cap. 14. art. 2. litera K. Bonacin. disp. 2. de Baptismo q. 1. punct. 2. art. 10. probatur oratione quæ colligitur ex prima Patrum propositione, quia, licet bonus latro, dum sententia damnatus, fuit cruci affixus propter sua scelera & ingentia crimina, sicut ipsemet fatetur alterum latronem alloquens pro Christo, licet etiam crurifragium inflictum, ut tollerentur corpora de crucibus propter Sabbati honorem & infectionis timorem, tamen eum latro ante mortem & crurifragium palam voce alta ministris Iudæorum confessus est Christum: non dubito, quod propter hanc confessionem in odium Christi Iudæi sollicitarunt à Pilato, ut citius frangerentur latronis crura beata, ut mortuo isto suaque prædicatione Christi alter non converteretur, quod cedetet in non parvum vilipendium Iudaismi. atque ita, etsi crurifragium *pœna cœperit* in latrone, *novo genere consummatur in Martyre.* atque ita non solum mors illata, sed mortis acceleratio in odium fidei facit formaliter Martyrem.

Ad fundamina opposita facilis est solutio: Ad 1. respondetur, quod S. Dimas mortis pœnam quoad substantiam passus est propter delicta sua, sed quoad mortis accelerationem pro Christo & ejus fidei predicatione passus est. Ad 11. respondetur, crurifragium inflictum fuisse lattoni citius & crudelius propter fidei confessionem: quamvis enim hoc tormenti genus dandum esset latroni Sancto, etiamsi Christum non esset confessus, sicut inflictum est malo latroni Christum neganti, tamen non ita citò, nec ita crudeliter, sicut fuit inflictum B. Dimæ, quia Christianus. quod non contingit in exemplo allato in 3. argumento, cujus solutio patet.

§. 4. *De Christo Domino & ejus Sanctissima Matre.*

Doctissimus vir Iacobus Pamelius in Adnotation. ad librum Cypriani nothum de duplici martyrio art. 5. ad illa verba, *vita Domini qui summus fuit Martyr*, dicit: *non existimo apud veteres Christum Martyrem nuncupari.* Quæ verba stomachatus Raynaudus magnam Doctorum molem congerit, qui Christum Martyrem & primum Martyrem dicunt. ita Altisiodor. lib. 3 Summ. tract. 7. penult. Martinus de Magist. q. 3. de martyrio Parasiensis lib. de lig. cap. 28. Origenes tom. 9 in Ioannem. Nazianzenus orat. 18. art. 7. S. Maximus oratione de S. Cypriano. Damascenus lib. 4 de fide cap. 10. Richardus Victor. suo cap. 13 in Cantica. quibus adde S. Th. in 4. dist. 49. q. 5. art. 4. querela 1. Viguerium 14 cap. §. 3. Sotum in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. concl. 8. quare in Apocalyps. cap. 1. dicitur Christus *Martyr* Græcè, & Latinè *testis fidelis.* quod ibi satis profunde enodat Rupertus & vers. 5. Cornelius à Lapide & Elias Cretensis ad Orat. 3 Nazianzeni, & Billius ex Niceta ad oration. 18. dicunt, quod ideo *Christus est habendus Martyr, quia peremptus est à Iudæis ob traditas multas virtutes morales.*

At quamvis ita sit, quod Christus verissime sit Martyr in quantum testificatus est veritates revelatas, & pro virtute tuenda fuit passus à Tyrannis Iudæis, & perfidis persecutoribus: in hoc enim sensu Martyrum omnium, tam veteris Testamenti quam novi, est prototypon & primum exemplum martyrii, sicut est primum gratiæ principium efficiens, in cujus virtute cætera quæcumque causant gratiam ex opere operato, illam obtingunt, ut egregie S. Thom. 3. p. q. 48. art. 1 ad 4. & q. 62. art. 5. & q. 66. art. 11. Verus enim Martyr se debet Christo passo conformare, ut veram subeat martyrii rationem, ut asserit Doctor Sanctus 2. 2. q. 124. art. & in hoc sensu locuti sunt S. Patres, quem sensum nullus Catholicus negabit, sicut & quod sit Doctor & virgo à quo omnis vera doctrina dimanat, & omnis virginitas quæ est virtus derivatur.

Cæterum Pamelius non in hoc sensu loquitur, sed in alio longe diverso, quatenus Martyr significat testem & virum fortem, qui oppetit mortem ob testificandam & defendendam fidei Christi veritatem. Cui testi, ob victoriam reportatam de Tyranno, debetur laureola martyrii; sicut virgini, ob victoriam reportatam contra carnis illecebras, debetur laureola virginitatis; & Doctori, ob victoriam contra mundi ignorantiam, laureola doctoratus debetur. & in hoc sensu procul dubio nullus antiquorum Christum nuncupavit Martyrem proprie, quia, ut ait D. Thom. in 4. citato loco, Christus non habet aliquam laureolam. quod docent fere omnes quotquot de laureolis scripsere. *Sed diligenter considerando* (ait Sanctus Doctor) *quamvis Christo competat ratio laureæ & coronæ, non tamen ei competit ratio laureolæ: laureola enim ex hoc ipso, quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative, & non secundum sui plenitudinem, possidetur; unde illis competit laureolam habere, in quibus est aliqua perfectioris victoriæ participatio secundum imitationem ejus, in quo perfectæ victoriæ plena ratio consistit. & ideo, cum in Christo inveniatur hujusmodi principalis & plena victoriæ ratio, per cujus victoriam omnes alii victores constituuntur, Christo non competit laureolam habere, sed aliquid excellentius omni laureola à quo omnes laureolæ originantur.* Hæc ibi.

Vnde sicut nomen laureola non significat proprie illud excellentissimum quod Christo Domino correspondet propter passionem, integritatem carnis, & doctrinæ eminentiam, sed est quid excellentius omni laureola, ita nomen martyrium ex sua significatione primaria non significat adæquatè & in vigore Christi Domini passionem, etsi illa tam à Tyrannis in odium veritatis revelatæ, quam Christus ut testis fidelis prædicabat, & cujus testimonium proferebat coram Iudæis, sed passionem, & per passionem mortis ob Christi confessionem & conformitatem ad Christum passum: ut ait D. Thom. 3. p. q. 66. art. 11 in corp. nemo autem sibi ipsi conformatur. & sic videtur, quod martyrium proprie non convenit passioni Christi; atque ita Christus proprie in hoc sensu antiquis Patribus non est Martyr nuncupatus, sed proprie dicitur *caput Martyrum, magister martyrii, super-Martyr, & Martyrum prototypon & primum exemplar.* unde hoc nomen Martyr analogice dicitur de Christo & aliis Martyribus, sed de hoc resolutorie dicam Resolutione 52. §. 2.

De B. Virgine non desunt, qui ipsam dicant fuisse proprie Martyrem. ita Gabrielis supplementum in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dubit. 2. Augustinus Vbichmanus in Sabbatismo Mariano cap. 4. Viguerius ubi supra vers. 2. sic enim Sancti eam nuncupant *Martyrem & plus quam Martyrem.* Ita Anselmus lib. de excellent. Virg. cap. 5. Hieronymus vel Sophronius serm. de assumption. Virg. & S. Ildefonsus serm. 2. de eadem. Bernardus serm. *signum magnum.* Hoc enim ideo dicunt, quia dolor quem accepit in filii acerbissima morte, ita crudelis fuit, ut nisi ex speciali providentia ipsam occideret, ut ait Anselmus. Licet enim hoc non intenderent persecutores illam sic affligere propter Christum, tamen re ipsa Christum persequendo & occidendo ipsam persequebantur & occidebant; sicut Innocentes Martyres fuere, quamvis Herodes non intenderet ipsos occidere propter Christum, sed solum occidere Christum, tum in super Letania Lauretana approbata per Ecclesiam ipsam dicit, *Reginam Martyrum*, honorem & decus.

Pater Suarez tom. 2. in 3 p. disp. 22. sect. 4 dicit, quod B. Virgo, quantum ad gloriam essentialem, habuit quidquid correspondere potest perfectissimo martyrio, & quantum ad gloriam accidentalem, etsi non habuerit laureolam proprie, habet tamen aliquid peculiare in hoc genere, velut insigne excellentissimæ fortitudinis, quod inter laureolas non connumeratur, sed est perfectio quædam altioris ordinis.

Pia ista consideratio non displicet, tamen omnino displicet asseverare, quod B. Virgo fuerit proprie & vere Martyr, etsi habuerit improprium martyrium. fuit Martyr patientiæ, Martyr condolentis Filii sui unici ignominiose mortui, Martyr etiam tot laborum & incommoditatum. ob quæ martyria quæ in Virgine fuerunt, asserit D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. q. 2 ad 4, in quo, cum objecisset authoritatem adductam Hieronymi aut Sophronii, quod B. Virgo fuerit Martyr, quamvis in pace vitam finierit, quia gladius doloris de morte Filii sui animam suam transfixerit, huic argumento respondet S. D. his verbis: *ad 4 dicendum, quod sicut delectationes tactus, circa quas est temperantia, præcipuum locum tenent inter omnes delectationes interiores & exteriores, ita dolores tactus, puta qui sunt in verberibus, & hujusmodi debetur laureola magis, quam difficultate sustinendi interiores dolores, pro quibus tamen aliquis non dicitur proprie Martyr, nisi secundum quandam similitudinem. & hoc modo Hieronymus loquitur.* Qua profundissima doctrina & Patres adducti, explicati manent, & fundamentum à ratione solutum. sed de martyrio virginis iterum redibit sermo infra Resolut. 52. §. 1.

§. 5. *De militibus, qui in bello occumbunt debellantes contra inimicos Christi, & Ecclesiæ Romanæ.*

INimici Christi & Romanæ Ecclesiæ (quæ sola Catholica est) dupliciter possunt Catholicos oppugnare, vel ex duplici motivo; aut ex motivo temporali, ut acquirant temporale regnum aut divitias, aut ex motivo religionis judicantes nostram non veram, sed suam esse, modo sit Mahumetana, modo sit hæretica aut gentilis. & quidem si bellum geratur ex motivo temporali, quamvis ex parte nostra justissimum sit nostri in illo occumbentes, Martyres proprie non sunt, ut est apud omnes certum; cum motivum moriendi supernaturale non sit, nec occumbant propter fidem Christi primo & per se, nec implicite nec explicite, sed causa moriendi sit defensio temporalitatum, nec Tyranni ob fidem religionis occidunt. Sic enim Polivectus Patriarcha Constantinopolitanus, & multi Episcopi Græci restiterunt Nicephoro Imperatori volenti, (lege lata) ut milites in bello morientes, ut Martyres haberentur ad exemplum Trajani Romani Imperatoris, qui, ut refert Theodoretus lib. 9 adversus Græcos, aris constitutis & decretis annuis Parentalibus, celebrari sanxit omnes qui in prælio adversus Decebalum occubuissent. Legatur Baronius ad annum Christi 964, & ad annum 620, ubi refert Phocam Mauritii successorem idem tentasse.

Igitur superest non parva difficultas, quando miles moritur in bello quod gerunt infideles non ex motivo temporali, sed oppugnando religionem Catholicam Romanam, sit vere & proprie Martyr. Raynaudus p. 2. cap. 3, pagina mihi 286, secutus Lessium lib. 3 de Iustitia cap. 1. dub. 3. art. 36. negative respondet. sic enim loquitur Lessius 3. *requiritur* (ad martyrium) *ut Martyr non resistat Tyranno; hinc milites, quamvis pro fide pugnent & multum mereantur, si pura intentione id faciant, non tamen sunt Martyres cum in bello occumbunt, nec Ecclesia unquam tales pro Martyribus coluit. ratio est, quia Martyr Christi debet in patiendo imitari Christum, cujus passio est exemplar martyrii. unde sicut ille dedit testimonium veritatis patiendo, non repugnando; (cum enim pateretur non comminabatur, sed tanquam ovis coram tondente se sine voce) ita omnes, qui volunt esse Martyres Christi, non debent persecutori armis repugnare, sed sinere se tranquille occidi.*

Confertur. *Qui pugnans moritur, non eligit pro fide mortem perpeti, sed inferre. unde revera non acceptat mortem, nisi indirecte quatenus se periculo exponit; denique, quia moriendo non dat testimonium veritatis fidei, quia non videtur mori ut Christianus, sed ut miles victus ab hoste, nec mortem eligit voluntarie, sed patitur necessitate eo quod non potuit illam hosti inferre; erit tamen Martyr, si, cum victus odio religionis, occidatur, & ille ob eam causam mortem acceptet.* Hæc Lessius, quem imitatur Enriquez de Baptismo cap. 38, lit. m. leviter tamen & perfunctorie, quia fundamenta hæc levia sunt & perfunctoria.

Quare existimo, milites istos apud Deum in rei veritate vere proprie & formaliter esse Martyres Christi, tam illos, qui in veteri lege, quam qui in nova pro religione & fide vera & supernaturali decertarunt. Ita tenent Dominicus Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. vers. *ad hoc tandem*, ibi: *vere esset Martyr, qui Rempublicam defenderet, ut fidem protegeret, nempe si illam à Turcis & infidelibus tutaretur, vel ab hæreticis, qui religionem Christianam subvertere contendunt; secus, si ab alio Christiano Rege tanquam milites temporales illam defenderent: ibi enim, quamvis virtutem fortitudinis exerceat, non subinde martyrii laureolam promeretur.* Doctissimus Sylvius in Additionibus q. 96. art. 6. vers. in Reip. ad XI ibi: *Qui in bello justo propter conservationem Republicæ moriuntur, non propterea sunt Martyres, nisi Rempublicam defendant ab illorum hostium impugnatione, qui fidem Christi subvertere moliuntur. qui autem sic defendunt & defendendo moriuntur, coram Deo sunt Martyres, & Martyrum laureolam accipiunt.* Idem repetit ad 2. 2. q. 124. art. 5 ad 3, ubi id manifeste docet S. Thom. addit tamen Sylvius, *hos milites Martyres non esse, si stipendii militaris, aut prædarum intuitu, aut alia aliqua intentione vel prava vel bonum, dumtaxat humanum, expectante debellent.* Viguerius cap. 6. §. 1. vers. 1. Paludanus in 4. dist. 49. q. 8. art. 4 in fine: *qui cruce signati in bello hostium Christi pugnando pereunt, quia non se, sed Ecclesiam & Christum defendendo moriuntur, unde mortem non fugiunt.* Sequitur D. Antoninus 3 p. sum. tit. 30. cap. 8.

30. cap. 8. §. 1 in fine. Vterque desumpsit ex Bernardo in serm. exhortator. ad milites templi cap. 1 in fine: *Quam gloriosi revertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur Martyres in prælio! gaude fortis athleta, si vivis & vincis in Domino, sed magis exulta & gloriare, si moreris & jungeris Domino: nam etsi beati qui in Domino moriuntur, num multo magis qui pro Domino moriuntur?* Concludat Angelicus Doctor Thesim nostram in 4. dist. 49. q. 5. *cum quis*, ait, *propter bonum commune non relatum ad Christum mortem sustinet, laureolam non meretur, sed si hoc referatur ad Christum, laureolam merebitur & Martyr erit: utpote si Rempublicam defendat ab hostium impugnatione qui fidem Christi corrumpere moliuntur, & in tali defensione mortem sustineat.*

Ex quibus nullo molimine corruunt fundamenta opposita ad id, quod adduxi initio & cui nititur Raynaudus. Respondetur parvi momenti esse, cum Imperatores Nicephorus & Phocas sua lege decreverint Martyres esse, qui occumbunt in bello, quia in bello occisis juxta naturales Philosophos, Aristotelem & Platonem & alios, quos refert Clemens Alex. lib. 4 Strom: debentur publici honores. Cui legi obstitere Antistites, utpote quia Imperatores mittebant falcem in messem alienam, qualis est cultus Martyris, qui non pertinet ad secularem Principem, sed ad Ecclesiasticum, contra cujus immunitatem erat lex illa. propter quod, quamvis aliquis in rei veritate sit Martyr, & coram Deo laureolam consequatur martyrii, quo usque id non constet nobis, sententia declaratoria Ecclesiæ, nullus potest ipsum ut Martyrem venerari & colere.

Ad fundamenta Lessii ad 1. Respondetur 1, quod imò Aristot. ut vidimus, ad rationem fortitudinis requirit, quod quis in bello contrapugnet, & si contrapugnans moritur, est Martyr *Politicus*, ut notabat Viguerius, quia defendendo bonum politicum occubuit in bello: non potest autem in bello, in quo relucet fortitudinis virtus, defendere bonum commune, nisi defendat se, & non potest defendere se, nisi contrapugnet. quare, si ista defensio & contrapugnatio referatur ad Christum, dubio procul non Martyr *Politicus*, sed *Christianus* erit, quia, defendendo se & Ecclesiam, moritur propter Christum. Itaque non se defendit propter se, ut fit in certamine particulari, sed se defendit & contrapugnat, ut defendat Ecclesiam, & in hoc etiam Christum imitatur. Respondetur II, quod Ecclesia non celebrat milites hos tamquam Martyres, quia non est in usu facere informationem de ipsorum morte. quæ informatio antecedit celebrationi. Vnde fit, quod Iudas Machabæus & alii ipsius fratres, *qui fortes facti sunt in bello*, ut ait S. Paulus ad Hebr. XI, verè fuerunt Martyres, quia occubuere defendendo legem Dei & ejus fidem. ita Soto ubi supra.

Ad II Respondetur negando assumptum: imo eligit mortem pro fide Christi quam defendit, oppugnando ipsam impugnantibus. itaque non solum indirecte, sed directe, etsi non proxime, eligit mori, ut defendat fidem; & sic moriens dat elegantissimum fidei quam defendit testimonium, & sic corruit ut *Christianus* victus ab hoste oppugnatore fidei & veritatis: eligit enim voluntarie mortem, etsi victus necessitate patiatur. Sed de hoc puncto iterum redibit sermo infra Resolut. 25. atque iterum contra Raynaudum.

TRACTATVS QVARTVS.

De vero & proprio martyrio in Ecclesia celebrato.

ADmirabilis fuit in nectendis machinis Raynaudus, perplexat angustias, & syllogismorum quasi inexplicabiles labyrinthos, & vera falsis permiscens in verum & Catholicum martyrium permiscet calumnias, nos vero, qui etiam manum ferulæ subduximus, pariter præceptorum operâ usi sumus, literasque didicimus, quibus docemur, triticum à palea, verum à falso secernere, ut martyrium per pestem fictitium esse demonstremus. quod verum martyrium, quasve exigat conditiones, enucleare operæ pretium est.

RESOLVTIO XXIII.

De Hæresibus circa verum & proprium martyrium in Catholica Ecclesia celebratum.

DVplex fuit antiquata hæresis quasi ex diametro opposita; una martyrium evertebat, dicens: non esse crimen Christum negare, sed esse dementiam & stultitiam summam pro Christi confessione pati mortem, tormentave sustinere, sed licitum esse Christum deserere pro vita tuenda. ita Elcesaitæ hæretici qui floruerunt . . . quibus adjungo Basilidem, qui vixit in primitiva Ecclesia anno . . . . . & asseruit, non esse mortem tolerandam pro confessione mortis & passionis Christi: asseruit enim Christum non fuisse crucifixum, sed Simonem Cyrenæum illum, qui angariatus portavit Crucem, cui affixus est pro Christo. hos omnes vicerunt malitia Priscillianista à Priscilliano. Contra quos late D. Augustinus toto libro contra mendacium, asserentes, licitum esse etiam juramento negare ore fidem Christi, dummodo in mente teneatur. Vtebanturque illis verbis: *jura, perjura, secretum prodere noli.* quos validis argumentis & S. Scripturæ testimoniis rejicit S. D. probans, licitam non esse restrictionem mentalem in hac materia, sed esse semper mendacium. & cap. 18 concludit: *Et sunt docti in eis, qui etiam regulas figant, finesque constituant quando debeat pejerare. O ubi estis fontes lacrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum indigemus cavere mendacia, sed audemus etiam docere perjuria? viderint enim insuper assertores defensoresque mendacii, quale genus, vel qualia genera mentiendi eos justificare delectet; saltem in Dei cultu concedant, non esse mentiendum,* &c. Sed de hoc late tract. ultimo in digress. de hac materia.

Hunc eundem errorem hæretici sequebantur Apostolici, qui se jactabant esse Apostolorum successores, quorum auctor fuit Gerardus Sagarillus de Parma, qui combustus fuit tempore Bonifacii VIII, & hæretici, dicti flagellantes, exorti in Ecclesia tempore Gregorii Papæ X. sic dicti, quoniam nodosis flagellis, quibus inserebant acutissimos aculeos, seipsos flagellabant, affirmantes flagellationem istam potiorem esse quacumque confessione & etiam martyrio, quoniam ultro ipsi sanguinem suum fundebant,

bant, Martyres vero ab aliis hoc pati cogebantur, ut refert Castro verbo *Aqua, Hæref.* 2. & sic pro defensione suæ falsæ sectæ licitum esse asserebant, uti restrictione mentali, negando ore & confitendo interius Christum. crebuit hæresis ista flagellantium in Italia, Gallia, Germania, imò ad Hispaniam usque pervenit. Verum extincta hæc disciplinantium perversissima hæresi, mansit in Ecclesia usus sanctus & honestus sanguineæ disciplinæ, tempore Hebdomadæ sanctæ, qua utuntur fideles in signum mœroris & tristitiæ, & aliqualem pœnitentiam passionis Christi.

Verum adversum hanc hæresim late August. lib. toto contra mendac. ut retulis, & lib. adversus hæreses, ad quod vult Deus, hæresi 70. Bernardus serm. 65 in Cantica, ubi sic argute & sapienter eos convincit hoc dilemmate: *Responde mihi ô homo! qui plus quam oportet sapis, & plus quam potest dici, desipis, Dei est aut non martyrium quod occultas? si est, cur non ad ejus gloriam pandis? nam gloria Dei revelare sermonem. Si non, cur fidem habes in eo quod non est Dei, nisi quia hæreticus es? aut igitur Dei secretum ad Dei gloriam prodant, aut Dei negent mysterium, & minime se hæreticos negent. Stat nempe Scripturæ veritas* Prov. 25, ỷſ. 2. *Gloria Dei celare verbum, gloria Dei revelare sermonem. Non vis tu revelare? non vis tu ergo Deum glorificare? sed forte non recipis Scripturam hanc. ita est: solius Euangelii se profitentur æmulatores & solos. respondeant proinde Euangelio: quod dico*, ait, *in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Iam non licet silere; usque quo occultum tenetur quod palam Deus fieri jubet?* Ista egregia.

Et testimoniis manifestis Euangelii impugnat Castro verbo martyrium hæref. Matth. 10. 32, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* In quæ verba docte Paschasius lib. 6 in Matth. *Ad hoc quippe valet quod præmiserat, ut in hoc testimonio fidei permanentes, usque ad palmam martyrii fortiter decertarent.* Quod desumpsit ex Hilario can. 9 in Matth. *Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, nec ullus interimendæ carnis admittendus est dolor, & quia doctrinis talibus confirmatis, oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem qua teneremur adjecit, negaturum se eum Patri in cælis, qui se hominibus in terra negasset.* D. Thom. ibi egregie dicit: *Ergo itaque volo, quod moriamini & patiamini, & quare? certe propter utilitatem vestram, quia qui me confitebitur coram hominibus*, &c. elidit errorem cujusdam qui dicebat, *non esse necessarium confiteri fidem, nisi coram Deo in corde, non autem ore coram hominibus. quod hic patet falsum, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ad Rom. cap. 10. in hac Catholica sententia omnes Patres consonant.

Quæ etiam probant & manifeste impugnant doctrinam quorundam Politicorum, qui Machiavellum insequentes, & Ecclesiam persequentes, asserunt, Principem non teneri manifestam facere religionem, quam interius profiteri religionem illam secundum quam populos in pace contineat, quamvis dissonet à Religione interna. hunc enim perniciosum Machiavellismum manifeste evertunt testimonia adducta: est enim manifesta hæresis Priscilliana contra quam dicebat Augustinus: *Vbi estis fontes lachrymarum?* & evincit dilemma Bernardi, & authoritas Euangelii & Pauli, nec enim Catholica Romana veritas, cum ipsissima à Deo revelata & solida data supra firmam Petram, etiam exterius prolata seditionem aut tumultum populi inducit secundum se, sed ex perversis opinionibus, quas hæretici ut vitiorum laxent habenas, introducere moliuntur.

Hæresis 11 adductæ opposita laxat habenas non timendi mortem. asserunt enim ejus auctores omnes, qui se pro peccato interimunt, aut ultronei mortem patiuntur sive ab aliis inflictam, sive ab ipsis factam, esse vere & proprie Martyres, & sic sollicitabant homines, ut præcipitio aquarum suffocatione, aut laquei suspensione, aut ignis ustione se ipsos necarent, aut necare facerent. Hujus hæresis autor fuit Petilianus Donatista, quem secuti sunt alii Donatistarum dicti Circumcelliones, ut notant August. de hæres. cap. 69, & epist. 50. & ante Augustinum S. Optatus Milevitanus lib. 3 contra Parmenidem. Horum Circumcellionum pestilentissimam & in se ipsos crudelissimam sectam, ferinos mores & feralia pseudomartyrii vota, & rabida desideria egregie expressit: *Ex ipso genere* (Circumcellionum) *fuerunt*, ait, *qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant: inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant.* Hos Agonisticos dictos, propter agones quibus certabant, dicit August. in narrat. in Psal. 132, contra quos sic fatur: *Quando vos recte hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, ut erubescendo salventur, illi vobis insultant de monachis, quid opus est ut verbis nostris comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum.* & aliquanto inferius: *dicant quod eos vocant, & audietis Agonisticos eos vocant. sic eos inquiunt appellamus propter agonem: certant enim & illi, & dicit* Apostolus *certamen bonum certavi. qui sunt, qui certant adversus diabolum, & prævalent; milites Christi agonistici vocantur, utinam ergo milites Christi essent, & non diaboli*, &c.

Verum impia ista crudelitas manifeste ex Sacra Scriptura rejicitur, tum ex facto Iudæ proditoris, quem damnatum fuisse nullus Catholicorum dubitat, qui, ut ait Matth. cap. 27. ỷſ. 4, *pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos* (quibus Christum vendidit) *principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum: & abiens laqueo se suspendit.* non ergo licet dolore peccati laqueo se suspendere & interficere. deinde, quia, ut ait S. August. lib. 1 de Civitate cap. 20. *restat, ut de homine intelligamus illud quod dictum est non occides, nec alterum ergo nec te: nec enim aliud quam hominem occidit, qui se ipsum occidit*, & lib. 1 contra Gaudentium, c. 8. *ea quippe cogitatione qua occidere se ipse molitur innocentia prius expoliatur, ut, cum se occidit, non innocens moriatur.* Et Lactantius lib. 3 Institutionum c. 18, *Si homicida nefarius est, qui hominis extinctor est, eodem scelere obstrictus est qui se necat, quia hominem necat; imo majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet.*

Hujus veritatis triplicem rationem adducit S. Doctor 2. 2. q. 64. art. 5. tum quia quælibet res naturaliter seipsam amat, & naturaliter conservat se in esse, & corrumpentibus se resistit quantum potest. & sic quod aliquis seipsum interimat, est contra naturalem inclinationem, & contra charitatem qua seipsum debet diligere in quolibet statu in quo consideretur. Et sic Christus Dominus in quo erat natura perfectissima mori recusabat naturaliter. tum quia homo est communitatis pars politica, & sic dum se necat injuriam facit communitati, quia pars id quod est, totius est, teste Arist. 5 Ethic. cap. 5. tum 3, quia

cum

cum vita sit divinitus homini data, ad solum Deum pertinet judicium de vita & morte. Iuxta illud Deuter. cap. 31, vs. 24. *ego occidam, & ego vivere faciam.* Quare, licet homo sit dominus sui ipsius, & de seipso possit disponere, quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur, sed transitus de hac vita ad aliam feliciorem non subjacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinæ.

Et in solutione ad IV fundamentis quibus hæretici niti poterant, respondet cum August. lib. 1 de Civitate c. 21 Samson non aliter excusatur cum seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. & eandem rationem affirmat de quibusdam sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur; ut de S. Polonia, quæ insignem præparatum ad ipsam comburendam se voluntariè, instinctu Dei acta, conjecit: & de fœminis illis, (exemplum egregiæ fortitudinis) de quibus Ecclesiastica Historia lib. 8, cap. 12 narrat, quod cum ad sacrificandum ducerentur in via, ministri pudicitiam earum sollicitarunt, &, ne pollicerentur aut sacrificare cogerentur, in fluvium se præcipitarunt.

III. Hæresis eorum, qui dicti sunt Martyriani, de quibus Epiphan. lib. 3, hæresi 80, ubi sic loquitur: *Quidam, accepta corpora occisorum propter Græcanicam impietatem* (Euphemitarum) *sepelierunt in quibusdam locis, & illic rursus eisdem laudes perficiunt, & martyrianos seipsos cognominaverunt, nimirum propter eos, qui pro idolis martyrium subierunt.* Hæc hæresis stulta est, siquidem facit veros Martyres, qui pro confessione satanæ mortem subeunt. quo nihil absurdius, nec à fide Catholica alienius, & sic parvipendendam judico.

RESOLVTIO XXIV.

Ethnicorum, Hæreticorum & Schismaticorum nullum verum Martyrium.

Ethnicos secerni ab Hæreticis & Schismaticis clarum est; siquidem illi Christum negant, & ab Ecclesia Christiana omnino exclusi sunt. Hæretici tamen Christum fatentur, negant tamen aliquam veritatem ab Ecclesia Catholica Romana propositam, tamquam à Deo dictam. Schismaticus tamen ex vi nominis est, qui, etsi omnem veritatem à Deo revelatam credat, quia Deus dicit, tamen recedit ab unitate & unione cum capite, ut notat D. August. lib. de fide & symb. cap. 10. ut enim ait D. Thom. 2.2. q. 39. art. 1. ex Isidor. lib. 8 Etymo. cap. 3. *Schisma à scissura animarum est ductum, & sic peccatum schismatis directe & per se opponitur unitati.* Et sic D. Hieronymus super ad Titum cap. 3. *inter schisma & hæresin hoc interesse arbitror, quod hæresis perversum dogma habet, schisma ab Ecclesia separat. & sic omnis hæreticus est schismaticus; non tamen convertitur, quod omnis schismaticus sit hæreticus.* Cæterum addit Hieronymus: quod *nullum schisma est, quod sibi aliquam hæresin non confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* quod maximè verum tenet de schismate inveterato, ut constat experientia in Græcia & Anglia cum utraque erroribus in fide scateat. Vnde schismatici proprie dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, qui est caput visibile Ecclesiæ militantis, Vicarius Christi capitis totius corporis Ecclesiæ sive in terris, sive in cœlis.

§. 1. *Nullus Ethnicus Martyr proprie.*

Loquimur de istis, si occidantur pro defensione alicujus veritatis lumine naturæ notæ & non creditæ, quia Deus dicit tamquam auctor supernaturalis; & dicimus, quod etsi sit Martyr politicus, tamen non est proprie Martyr. equidem proprium martyrium habet proportionem cum gratia sanctificante, quam causat ex opere operato; at mortis perpessio ex motivo pure naturali, nullam proportionem aut conformitatem habet cum Christi. & sic Socrates, qui obiit sumpta cicuta pro defendenda unitate divinitatis, Martyr proprie non fuit, quia id sola naturalis luminis vi agnovit, non tamen Deo revelante, & sic nullam ad Christum Dominum & Prototypum-Martyrum, habitudinem habuit.

Sed si Philosophus Christianus, qui habet evidentiam naturalem unitatis Dei & non fidem infusam, & pro defensione præfatæ unitatis occumbat, vere Martyr est, quia ratione fidei circa alia mysteria lumine infuso agnita est membrum Christi, & ad illum ut ad caput ordinatur fide viva supernaturali; sicque moritur pro veritate naturali nota sibi per evidentiam. quod si ista deficeret fide supernaturali cognosceret. Et sic S. Iustinum Philosophus Christianus vere Martyr fuit, etiamsi fuerit passus pro reprehensione Sodomiæ, vitii turpissimi contra naturam, quo laborabat Crescens Cynecus: non enim hoc faciebat præcise, quia erant contra naturæ lumen, sed quia prohibita lege divina supernaturali lata per Christum.

§. 2. *Hæresews martyrium vanum.*

Loquimur de Hæretico, non qui vitam finiat pro hæresi tuenda, (hunc certissimum non esse nisi diaboli & satanæ Martyrum, cum moriatur pro errore defendendo) sed si morte multetur pro defendenda aliqua veritate revelata & proposita ab Ecclesia. Videtur hujus difficultatis resolutio pendere ex illa celebri quæstione quam exagitant Doctores ad q. 3. art. 4. 2.2. D. Thom. utrum hæreticus possit assentiri uni mysterio per fidem divinam, alteri dissentiendo. Durandus enim in 3. dist. 23. q. 2. (quem ex parte sequitur Ripalda de ente supernaturali disp. 45, art. 23. & disp. 46, art. 77. existimat posse hæreticum assentiri uni veritati supernaturali, quia Deus dicit, etiamsi dissentiatur alteri, & idem quantum ad hoc dicit Ripalda; differunt tamen, quia iste dicit, quod assensus erit naturalis, etiamsi motivum sit supernaturale, quia assensus iste non habet connexionem cum revelatione Dei re ipsa existenti. Durandus vero dicit, quod assensus est fidei supernaturalis, quia innititur divinæ veracitati, & quidem magis consequenter loquitur Durandus quam Ripalda. semel enim concessio quod hæreticus credit, quia Deus dicit & revelat, implicat in adjecto, quod se veritas revelata est supernaturalis, quod actus supernaturalis non sit; dicere autem, quod actus hæretici non habet connexionem essentialem cum revelatione reipsa existente ea ratione, qua est ipsius motivum. falsum est, quia actus habet connexionem essentialem cum objecto suo formali & motivo, sed de hoc alias; modo sufficiat quod ad intentum interest, an si hæreticus mori eligat pro defendenda veritate Catholica, quia Deus dicit & eam revelat actu (si vis) cum Durando fidei infusæ supernaturalis, sive actu honesto naturali, ut vult Ripalda, sit vere & proprie Martyr, tum præcipue, quia, ut ait August. lib. de

patientia cap.27, in hæretico actus iste patientiæ pro veritate quam docet Ecclesia sit ex gratia. id quod etiam docet Suarez lib. 1 de gratia cap. 24, art.4. & cap. 27, art.26. & sic jam dicit habitudinem ad Christum, in cujus virtute pati mortem videtur pro veritate quam ipse docuit.

Verum enimvero tamquam omnino certum tenendum est, hæreticorum martyrium non solum non esse verum, sed floccipendendum ut vanum. Hæc est Ecclesiæ sententia, Patrum consensus, & Theologorum omnium consona vox. Quare inter hæreticos nulla patientia, nulla fortitudo, nullum martyrium reperitur, *prout oportet* ut justificationis gratia, & beatitudinis gloria conferatur. Hanc veritatem gravi stylo, Catholico dictamine, argumento vivaci, solido fundamento comprobavit ex Patribus & Ecclesiæ traditione Eminentissimus Cardinalis Baronius c. 10 præambulo ad Martyrologium Romanum, cujus verba, quia gravissima simul & efficacissima continent argumenta, non dedignabor referre: *Primum ostendamus nusquam gentium, nisi in Ecclesia Catholica, esse cum corona martyrium. aut longior vel ambigua de hujusmodi quæst. disputatio esse potest, quam Apostolus jam prolata sententia definivit, dum ad Corint.1 scribens cap.13, hæc de seipso (ne cujus vi meriti se homo blandiatur) ait: si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, mihi nihil prodest. sic ille. & non aliunde, quod ex lege Christi apud Lucam agentis cap. 11, qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. In eandem sententiam plura in constitutione Clementis lib. 1, cap.9. sed audiamus quid de his scribat S. Cyprian. ad Antonianum epist. 52 in editio Pamel. Si, inquit, ab Ecclesia dure & crudeliter segregatus, ad gentiles se vias & secularia opera convertat, vel ad hæreticos & schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat, ubi etsi occisus propter nomen* (Christi) *postmodum fuerit, extra Ecclesiam constitutus, & à bonitate atque Charitate divisus, coronari in morte non poterit. & in fine: apostatæ vero, & desertores, vel adversarii, & hostes, & Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine* (Christi) *foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando neque Spiritus, neque Ecclesiæ tenuerunt unitatem. hæc ibi. idem epist. 54 ad Cornelium Papam: idoneus, inquit, esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium. & epistola 57 ad eundem: non est, quod sibi in confessione nominis blandiatur, cum constet, si hujusmodi occisi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ. Hæc & alia in eandem sententiam ad Iubajan. epist.73 de oratione Dominica de unitate Ecclesiæ sæpius ingerit*, ut cum ait, *esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.* & paulo post: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. ardeant licet flammis, vel ignibus traditi, vel objecti bestiis, animam suam ponant. non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. occidi talis potest, coronari non potest. Hæc Cyprianus & alia plura eodem argumento. Eadem Optatus Milevitanus contra Parmen. lib. 3, si supra memoratos videre Martyres vultis, probate illos amasse pacem &c.* Hæc dixere omnes quotquot fuerunt in Ecclesia Catholici Patres. sed quid amplius? *Dei Ecclesia, sicut omnes respuit hæreticos Martyres, sic, non omnes recipit communionis Catholicæ qui videntur Martyres, sed eos tantum, quos sicut fide, ita & charitate novit esse probatos: nam & in his multæ subesse possunt causæ subeundi martyrium quæ Deo displicent, quales erant illi, quorum meminit Augustinus in Brevic. collat. die 3. cap. 13 & infra. à cultu talium pseudo-Martyrum avocat fideles Concilio dicente can. 34. itemque Concil. Carthag. 1. canon.2 his verbis: Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiva corpora, quæ sepulturæ tantum propter misericordiam Ecclesiasti commendari mandatum est, redigat, ut aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti quo martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet. At siquis ad injuriam Martyrum claritati eorum adjungat infamiam, placet eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi, aut, si sunt Clerici post commonitionem & post cognitionem honore privari. universi enim dixerunt, recte statuit Sanctitas vestra; hoc & singulis Conciliis statutum est. hactenus Concilium tempore Constantis filii Constantini Imperatoris. docuerunt hoc ipso exemplo & ipsi Sancti Martyres, qui ad ultimum usque spiritum cum hæreticis, qui Christianæ fidei causa eodem detinebantur, inclusi carcere, licet breve supplicium subituri, martyrii communicare vel saltim verbo recusabant, ut testatur Apolinaris Hieropolis Episcopus antiquus Theologus, ut testatur Eusebius lib.5 Histor. cap. 15.* Hactenus firmissimus cardo ille Ecclesiæ.

Sed audiamus Pamelium virum singularissimum eruditione art.50 in epist.52, Cyprian. ad Antonian. Fratrem: *Porro Martyrem neminem esse extra Ecclesiam denuo repetit in hujus epistolæ calce, item epistola 54 & 57, & ad Iubajanum; & de orat. Dominica, ubi in confirmationem allegat illud 1 ad Corinth. 13, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, &c. quod toties inculcasse videtur Spiritu quodam Prophetico. Nam si Socrati & post eum Nicephoro habenda est fides, Novatianus sub Valeriano martyrium passus est. Similia D. August. contra Donatistas, qui se de martyrio jactabant epist. 61 ad Dulcitium, & 167 ad Restum, & lib. 10 contra Epistolam Parmen. c. 7, & contra Crescen. Gramm. lib. 3, c.47, & in Psal.34 & 68, & serm.15 de verbis Apost. D. Hieron. in cap. 1 ad Galatas. Chrysost. homil. 1 contra Iudæos, loci notandi contra Anabaptistas & alios hæreticos, qui, dum de eis supplicium sumitur, Martyres se jactant.* Hæc Pamelius.

Quibus adjungo celeberrima aliorum Patrum dicta summa concordia idem docentium. Irenæus lib.4 cap. 64, ubi satis docte Feuardentius adducens satis ad rem verba August. *Hæretici*, inquit, *faciunt opera latronum & dæmonum, & gloriam sibi vindicant Martyrum. vivunt latrones, & volunt gloriari Martyres.* Clemens Alexand. lib. 4 Strom. ex quibus colligit Feuardentius illatione Catholica: *Constat porro hujus ævi hæreticos, per legitimum magistratum sublatos de medio, non esse pro Martyribus censendos, quantumvis tales videri conentur, & à consortibus prædicentur; quando quidem extra Ecclesiam & unitatem occumbant, idque etiam non propter fidem Catholicam, sed quod eam abnegarint, & impias, sceleratas, seditiosasque hæreses amplexi, in easdem alios pertrahere conati sunt. quid quod etiam de seipsis hoc ipsum palam agnoscant & fateantur. Lutherus namque de primo duce pseudo-Martyre Zwinglio in bello pereunte interrogatus, num damnatus esset? respondit: Zwinglius tamquam latro mortuus est, quia voluit alios adigere ad suum errorem, & propter hanc causam in bellum profectus & interfectus est. Deus est justus judex, ejusque judicium rectum, qui blasphemos & contemptores sui non sinit impunitos, sed misere pereunt &c.* Satis egregia.

Ex quibus constat, omnium hæreticorum nominata Martyrologia potius nominari debere & esse latronologia, & catalogos falsariorum diaboli Martyrum, & corruptorum Sacramenti Christi, quorum animæ cremantur in inferno, quantumvis eorum corpora à consodalibus hæreticis venerentur in terra. quare gravissime Cardin. Baronius ubi supra sic fatur: *Cum autem viderent hæretici Catholicam Dei Ecclesiam spiritualibus charismatibus affluentem, innumerisque*

quæ Sanctorum Martyrum trophæis nobilitatam, ejus gloriam æmulantes & ipsi Martyres fingere, pseudo-Martyres habere, & falsa Martyrologia conscribere studuerunt. qui hujusmodi laborarunt insania, fuerunt imprimis Marcionistæ, ac subinde Cataphryges, qui & Montanistæ sunt appellati. Et aliquantum inferius sic prosequitur: *Sed dissimulare non possumus dicere de hæreticis nostrorum temporum, qui* (proh dolor) *apostatarum, sacrilegorum, sicariorum, flagitiosorum, turpissimorum, ac denique omnibus sordibus inquinatorum hominum catalogum texentes, & ipsi pseudo-Martyrologia conscripsere, Augiæ plane stabulum. sed quid mirum? habent vespæ sicut & apes favos suos, etsi in cellularum constructione illas omnino imitari videntur, tamen non sicut illæ in unam eandemque domum conveniunt. carent enim alveario, quia nesciunt veritatem; nec insuper mel quod illuc inferant habent, ac licet favum summo labore confecerint cellulas cellulis intexendo, tamen inanis, aridus, ac melle vacuus semper esse conspicitur, &c.*

§. 2. *Schismaticorum insipidum martyrium, etsi hæresi non sit infectum.*

SI schisma hæresi sit commixtum, ex dictis manet eversum in illo verum martyrium. Id enim ad minimum intendunt Patres adducti. Schisma igitur in præsentiarum sumitur, quatenus est separatio membrorum ab unius capitis Ecclesiæ visibilis unitate, & sic schismaticus proprie est ille, qui renuit subesse Summo Pontifici Christi Vicario, ut supra dicebam ex D. Thom.

Et quidem, cum Papa & Dominium habeat temporale, sitque supremus Princeps respectu sui territorii, sicut quilibet alius Rex, si debelletur ab alio Principe intendente habere jus ad aliquam civitatem aut locum, Princeps iste schismaticus non est, quia non separatur ab unitate capitis Ecclesiæ, quatenus habet jurisdictionem spiritualem in ovile Christi, sed quatenus intendit id quod suum est recuperare. similiter schismaticus non est Princeps ille, qui non obedit Pontifici præcipienti etiam sub censuris, ut restituat alteri civitatem, quia potest Princeps habere jus ad talem civitatem, quod Summo Pontifici sit ignotum, ipseque habeat homines doctos & pios, qui sibi competere asseverent, præceptum enim Pontificium non obligat tunc. Quare si Princeps, vel qui illum sequuntur, nacta occasione, pro fide Christi occumbant, Martyres erunt. Quare difficultas est de illo, qui in ordine ad gubernationem exemptionemque ministrorum illius à laica jurisdictione à Summo Pontifice secedat, vel temere negando hunc esse Summum Pontificem, & tentando temere alium eligere, vel sine authoritate Papæ velit congregare Concilium ad gubernandam Ecclesiam, vel si Papa velit se segregare à communione fidelium, ut si totam Ecclesiam excommunicaret, si velit omnes Ecclesiasticas ceremonias à tempore Apostolorum firmatas evertere, ut notant Cajetanus 2. 2. q. 39. art. 4. Turre. Cremata lib. 4 de Ecclesiast. cap. 11. quæritur ergo, an iste schismaticus, & qui illum sequuntur, Martyres sint Christi, si pro illo mortem subeant à Tyranno?

Et quidem schismaticos hos (Summo Pontifice excepto) excommunicatos esse constat ex bulla cœnæ, ubi anathemate feriuntur non secus ac hæretici cap. licet extra de electio cap. 1 de schismaticis, qui sicut hæretici ipso jure privantur dignitatibus, beneficiis & bonis Ecclesiasticis cap. nulli 19, dist. gloss. ad cap. 1 de schismaticis. Quare egregie August. lib. 1 de Baptismo contra Donatist. cap. 9, *Schismatici martyrium nec præmium quidem habent, sed est pœna supplicii.* (sed non est facile hujus veritatis rationem reddere) cui consonat Cyprianus Epist. 52 ad Antonian. & epistola 54 ad Corn. *Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium.* & epist. 57 ad eundem, & lib. de unitate Ecclesiæ: *Qui esse in Ecclesia unanimes esse noluerunt, &c. atqui schismaticus, qui summo Ecclesiæ Pastori consentiens non obedit, unanimis non est in Domino, & ita, licet flammis ardeat, & bestiarum dentibus dilanietur, in præcipitium detur, aut guttur transverberetur, non erit fidei corona, sed pœna perfidiæ. occidi talis poterit, coronari non potest.* Idem Optatus Milevit. lib. 3 contra Parmen. asserens: *In pace cum fratribus esse prima fundamenta martyrii, & sine pace, quam schisma discindit, nec esse, nec nominari posse martyrium.* Et clarissime & egregie August. lib. 1 de sermone Domini in monte, cum dixisset hæreticos occidi posse, at non posse esse Martyres, addit: *Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia: dilectio enim proximi malum non operatur, quam si haberent non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia.* Chrysost. hom. 11 in epist. ad Ephes. in parte morali distinguens hæreticos & schismaticos, in utrisque vanum & insipidum concludit martyrium. Quem imitatur doctrina & elegantia S. Gregorius Magnus lib. 18 Moral. cap. 14, ubi facta eadem distinctione, & plura docens de schismatico ab hæretico distincto concludit: *Quia ergo non nisi in Catholica Ecclesia veri Martyres fiunt, dicitur recte: auro locus est in quo conflatur, quia non clarescit in fulgore æternæ beatitudinis, nisi, ut ita dicam, prius hic arserit in officina charitatis.*

Hujus veritatis hoc est fundamentum traditum à S. Th. 2. 2. q. 39. art. 1, & ibi profundissime Dominus Cajet. §. invenimus igitur, & §. dicitur ergo. Quia unitas Ecclesiæ (quam scindit schisma) est unitas per amorem, quæ est charitas: non enim hæc unio est ipsa charitas, sed charitatis effectus. movet enim Spiritus Sanctus per charitatem, quam diffundit in cordibus fidelium, ut singuli velint esse partes unius cætus, quem ipse vivificat, ut constituatur una Catholica Ecclesia: licet enim Ecclesiæ particulares dissitæ loco sint, ut Gallicana & Hispana non solum conveniunt in fide, spe, & charitate Sacramentis, & Sacramentorum ritibus, & in obedientia ad unum visibile caput, sed in una numero congregatione, quæ primo & per se regitur ab S. Spiritu, & dicitur Ecclesia Romana, cujus caput quod primo & per se respiciunt invisibili Ecclesia omnia ipsius membra. Schismaticus autem per se opponitur huic unitati, quæ per se est effectus charitatis à qua per se dimanat; quamvis non per se ab illa conservetur. & sic potest esse in peccatore sicut & fides & spes informis, etsi peccator non possit causare schisma, quin scindat unitatem & vinculum charitatis in Ecclesia causato ab amore. non ergo schismaticus habere quit charitatem, atqui sine charitate implicat martyrium verum, ut ait Paulus 1 ad Corinth. 13. vs. 5; si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quo testimonio ad idem probandum, utuntur Optatus, Cyprianus, Chrysostomus, Gregorius, ubi supra.

Hoc, ut dixi, est speciale & proprium fundamentum, cur schismaticus, etiamsi adnata hæresi non sit corruptus, non habet laureolam martyrii, *sed pœnam supplicii.* & hoc nos Patres docuerunt ut liquet: etenim fundamentum illud quod ponit Raynaudus p. 2. cap. 4. art. 10, sed referens ad numerum 6 capitis 5. videlicet de obligatione quem habet Martyr existens jam jam in procinctu ad sanguinem fundendum, observandi omnia præcepta tunc possibilia exequi, ut tradunt

tradunt Chrysost. homil. 56 in Matthæum, Cyprianus de singulari Clerico art. 124, & epistola 25 ad Moysem & Maximum. August. serm. 116 de diversis cap. 6, & serm. 12 in appendice, commune est ad omnem hominem qui Martyr non erit, si ex non observatione alicujus legis gravis sit in mortali, nisi de hoc habeat dolorem dum moritur. sed omnis alius peccator, quantumvis pessimus & hæreticus sit, nedum schismaticus. quare sicut hæresios falsum est martyrium, quia fidei est illius fundamentum, ita schismatis vanidum est, quia scindit Ecclesiæ unitatem. licet enim hæreticus & schismaticus sint membra Ecclesiæ, tamen sicca & vanida, quam potius intendunt destruere quam ædificare.

RESOLVTIO XXV.

De motivo ad verum & Catholicum martyrium.

HVc spectat Patrum illud divinum oraculum dum de vero martyrio loquuntur. Quod *Martyrem non facit pœna, sed causa.* pœna enim latronibus, sepulchrorum violatoribus, dæmonum invocatoribus communis est cum Martyribus, at causa & motivum non commune. quam pulchre August. in Ps. 34 ad illud: *Dominus meus in causam meam. Nemo enim dicat persecutionem patior: non ventilet pœnam, sed probet causam: ne, si causam non probaverit, numeretur cum iniquis.* Chrysost. orat. 1 contra Iudæos: *Semper apud te potior sit ratio quid Deus præcipiat, quam quod sit negotiorum natura. quod siquid compereris illo comprobante geri, illud solum amplectere. atque hac utentes regula, & jejunium hoc Iudæorum expendamus: etenim nisi id fecerimus, sed actiones nudas per se tantum in medium prolatas consideremus, ingens erit confusio, magnaque judicii perturbatio. Nam prædonibus raduntur latera, & monumentorum perfossoribus maleficisque; verum idem patiuntur & Martyres. facta quidem sunt eadem, cæterum animus & causa cum hæc fiant, non est eadem; eoque plurimum est discriminis inter hos & illos. quemadmodum igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum & causam ob quam cruciatus inferuntur consideramus, & ob id Martyres amamus, non quod cruciantur, sed quod ob Christum cruciatus ferunt; contra, latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob malefacta puniuntur,* &c. Similem discursum facit Augustinus lib. 2 contra epistolam Gaudent. cap. 12, ubi hæreticum Donatistam ridet, qui suos consodales & hæresis socios, qui patientes propter impietatis defensorium, Martyres & beatos prædicabat. *Recte,* inquit, *ista dicerentur à vobis quærentibus Martyrum gloriam, si haberetis Martyrum causam: non enim felices ait Dominus, qui mala ista patiuntur, sed qui propter filium hominis patiuntur, qui est Christus Iesus; vos autem non propter ipsum patimini, sed contra ipsum patimini, quippe ideo, quia non creditis & toleratis, ideo ne credatis.* egregie satis & profunde ad intentum de vero martyrio. sed de hoc legendus & Suarez l. 1 contra Regem Angliæ cap. 22. ex August. lib. de patientia cap. 26 & 27. & lib. 4 de Baptismo c. 7. & epist. 204.

§. 1. *Sola fides divina & supernaturalis est adæquatum motivum veri martyrii.*

MOtivum dat speciem actui qui ex illo determinatur ad malitiam & bonitatem moralem dignam laude aut vituperio. non enim actus exterior moriendi secundum se debet nudus considerari, alias erit ingens martyriorum confusio, & judicii Ecclesiæ de vero martyrio magna perturbatio, sed, ut verum discrimen agnoscamus, animus patiendi, & causa pro qua patitur attendenda. Igitur mihi indubitatum est, quod sola fides est adæquatum motivum veri martyrii, in quantum martyrium est testificatio per mortem veritatis fidei; & sic causa adæquata martyrii est fidei veritas, quam Martyr credit & effusione sanguinis sui defendit. Hæc conclusio est omnium Patrum quos in superioribus citavi sententia, & Ecclesiæ indubitatus sensus, quem enucleat D. Thom. 2.2. q. 124. art. 5. quem sequuntur omnes quotquot ibi scripsere. Cajet. §. ad hoc dicitur Sylvius 9 vf. respondeo.

Ratio, ut D. Thom. id demonstrat, est quia Martyres Ecclesiæ, qui ut tales ab illa coluntur & celebrantur, morte sua variisque passionibus & tormentis usque ad occasum vitæ perhibent testimonium veritati coram Tyranno, & persecutore injuste procurante ut fidem abnegent, & illam verbis aut factis non testificentur. atqui veritas ista, quæ secundum pietatem est, & prout oportet, ad vitam æternam consequendam, nobis innotuit per Christum; à quo, sicut omnis gratia, ita & omnis veritas attinens & prout attinet ad pietatem ab illo promanat, alias gratis mortuus est. hæc veritas est veritas fidei. ista ergo est adæquatum motivum martyrii Catholici & veri. quare Christus Dominus Actor. c. 1, vf. 18. Apostolis dixit: *eritis mihi testes*, Græcè *Martyres*, omnis veritatis quam vos docui, ut interpretantur Patres, quos sequuntur Lorinus & Cornelius ibi: *veritas autem à Christo edicta veritas fidei est.* ista ergo & non alia est causa adæquata & motivum martyrii quatenus testificatur & defenditur coram Tyranno usque ad mortem.

II. Quia id quod Christo fuit causa moriendi, est Martyri causa & motivum martyrii. atqui Christo causa moriendi, & sui adventus in carne passibili fuit, testificandi & defendendi veritatem quæ ad pietatem attinet. *ad hoc ego veni, ut testimonium perhibeam veritati*, dicit ipse Ioannes cap. 18, vf. 37. ergo adæquata causa martyrii, est veritatis testificatio.

§. 2. *Cujuscumque virtutis tuitio & peccati, etsi venialis vitatio, testificatio est fidei & causa martyrii.*

PRosequitur D. Thom. art. 5. citato ingenio divinitus illustrato: *Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, qua quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta quibus etiam se habere fidem ostendit, secundum illud Iacobi cap. 2. ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. & ideo omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & secundum hoc possunt esse martyrii causa. unde & B. Ioannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur; qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.* quibus verbis & resolutionem difficultatis subministravit D. S. & explicuit, quod nullus actus, quæ non sit fidei protestatio propter quam inferatur mors à Tyranno infideli, vel à persecutore etsi fideli, non est proprium & Catholicum Martyrium in Ecclesia celebratum. Et in solut. ad 2, dicit: *quia omne mendacium peccatum est, vitatio mendacii contra quamcumque veritatem fit, in quantum mendacium, est divinæ legi contrarium, potest esse martyrii causa.*

Circa quam Catholicam & veridicam doctrinam Mar-

Martinus de Magistris citatus ab Eminentissimo Domino meo Cardinali Cajetano ubi supra §. *in eodem* art. 5. q. 5. de martyrio conclus. 7 & 9. quem sequitur quantum ad hoc Angestus lib. 2 de virt. c. 2. document. 9 sentit, quod non quodlibet opus virtutis est causa martyrii, ita quod pro illius defensione possit quis vitam obire. dicit 11, quod nec vitatio venialis peccati potest esse causa martyrii, *quia*, inquit, *non constat, an omnia mendacia sint mortalia aut venialia posita gravium cruciatuum aut mortis perpessione.*

Sed in utroque defuit Martinus, male cogitavit, ut convincit Cajet. ubi supra §. *ad horum evidentiam.* contra primum sic arguit, & explicat fundamentum S. D. qui loquitur de opere virtutis non ex genere solum, sed hic & nunc cum omnibus circumstantiis bonus moraliter & rursus relatus in Deum Auctorem supernaturalem, cujus fidei & talis actus protestatio: procedit enim ex gratia Christi, siquidem fit *prout oportet:* quamvis enim actus virtutis moralis bonum ex genere solum, & non relatus in Deum non sit fidei protestatio, & sic non sit causa martyrii, nec pro illo est mors sustinenda, tamen opus virtutis perfectum ex integra causa & relatum ad Deum finem supernaturalem, procul dubio est fidei protestatio & martyrii causa: nam *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* ad quam non solum pertinet fides, sed etiam aliæ virtutes, ut ait Hieronym. ad cap. 5 Matth. & Exposit. ibi. S. Anselmus in epistola ad Philemonem. quare Martyr est, qui pro defensione actus virtutis perfectæ, ex omnibus circumstantiis finit vitam, quam licite exponit fidem facto ipso protestando, ut explicat S.Thom. lectione 7 ad cap. 7 epistolæ ad Rom.

Concludit hoc punctum D. Cajetanus his gravissimis verbis: *Nosse namque oportet, quod bonum moris, quod integre bonum moris est, præstat omni bono exteriore, puta divitiis, honoribus, regnis,* &c. *& corporalibus, puta pulchritudine, sanitate, & breviter, ipsa vita. quod patet apud Philosophos; quia bona enim quæ non possunt auferri ab invitis sunt cæteris excellentiora, & apud Christianos talia sola sunt per quæ ad Deum homines appropinquant. & ex hoc volo te scire, quod, sive magnum, sive parvum sit opus virtutis, dummodo integre sit opus virtutis, pro eo faciendo potest homo subire mortem, quoniam eligit majus bonum præferendo moris bonum vitæ corporeæ. etsi, pro quia, hoc est, faciendum pro bono moris, quanto magis hoc est faciendum pro bono moris relato in Deum? illud siquidem bonum est hominis secundum animum, & ultra hoc est bonum divinum ex hoc ipso, quod fit propter Deum, & sic constituitur causa martyrii, ut in littera dicitur. In quantum vero bonum moris, non martyrium, sed simpliciter actui fortitudinis causam daret.*

Ex quibus constat, quam rite & recte Ecclesia Catholica sine aliqua particula diminuente plures Martyres celebrat qui occisi sunt, non pro confessione expressa fidei coram Tyranno, sed propter reprehensam iniquitatem persecutoris, aut propter defensam virtutem coram eodem. Sic S. Ioannes Baptista occisus pro reprehensione adulterii, Matth. cap. 14, ℣. 20. sicut pro eodem S. Lambertus 17 Septemb. & Rumoldus 1 Iulii. S.Thom. Cantuar. interfectus pro defensione jurisdictionis Ecclesi. 29 Decembris. S. Theodardus pro defensione bonorum Ecclesi. 10 Septembris. S. Pelagia Antiochena Martyr celebratur 9 Iunii, quia occubuit, ne dispendium pateretur virginitatis. S. Dula 25 Martii pro servanda castitate. quæ exempla erudite colligit Sylvius ex Baronii Martyrologio. hos autem veros & proprios Martyres negare temeritas esset insignis, cum pleno ore absque concertatione sic eos appellet Ecclesia.

Ex quo constat, quod motivum Philosophicum aut Mathematicum, defensio scilicet alicujus veritatis ad Philosophiam aut Mathematicam attinens, non est causa martyrii (nisi referatur in Deum ultimum supernaturalem finem) quare, siquis pro [illegible]ione præfatarum veritatum (sine dicto ordine) [illegible]ciatur, erit fortis, aut, si vis, Martyr Politicus, qui improprie est Martyr, probatur ex illo 1 Petri cap. 4: *nemo vestrum patiatur ut homicida,* &c. *si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.* quia, ut ait D. Thom. ad 1, *ille patitur ut Christianus, non solum qui patitur pro fidei confessione, sed etiam qui patitur pro quocumque bono faciendo, vel quocumque peccato vitando propter Christum.* Vnde sine relatione ad Christum protestando verbis aut factis fidem nullus est Martyr. alias Christus gratis mortuus est, siquidem gratia Martyri concessa ad defendendam veritatem pure naturalem non esset per Christum, cum esset sine fide Christi. quod ex vi præsentis decreti esse impossibile passim docet Augustinus contra Pelagium, & ego late disserui in meo præcursore Theologo controversi. 5, mem. 1. §. 2. gratia enim quæ requiritur ab Augustino, ne Christus gratis mortuus dicatur, est, quæ subsequitur fidem, quia nihil quod fidem antecedit est gratia per Christum lib. 4 contra Iulian. cap. 3, epistola 95 ad Innocent. & lib. 1 de fide ad Petrum in procemio. *sine fide*, inquit, *omnis labor hominis vacuus est.* Vnde Victor Vticensis lib. 3 persecut. Vandal. de quodam servo nobili Tuburbitano, qui magnos sustulit cruciatus pro servando secreto amici, concludit Victor, *hoc non sufficere ad martyrium, quia non est passus ut Christianus,* & ex motivo Christiano, sed ex motivo Philosopho, pro honestate scilicet naturali resplendente in amici fidelitate.

Turpius cogitavit Martinus, circa secundum: quamvis enim opera virtutum moralium, quæ respiciunt præcepta affirmativa, cum ista non obligent pro semper, illa in aliqua circumstantia non erit licitum exerceri, in aliqua erunt sub præcepto, in alia sub consilio, ut egregie D. Cajet. §. *ad horum*, ℣. *tertium vero.* tamen præcepta legis divinæ & naturalis, quæ negativa sunt, semper & pro semper, & quacunque circumstantia obligant, & sic vitatio mali culpæ ex circumstantia imminentis mortis semper est bona; & sic facere contra aut præter præcepta negativa divini juris & legis naturalis numquam est bonum, aut non malum moraliter, sed semper est malum. Et sic numquam est licitum mentiri, aut dicere verbum otiosum intra lineam otiositatis permanens, quia utrumque est prohibitum negativo præcepto. quare hujus veritatis protestatio perfecta fidei est protestatio, & sic est causa martyrii. & sic jure optimo concludit Cajetan. in fine art. *Ejicienda est procul ab Ecclesiastica etiam disputatione præsumptio ista, volens excusare mendacia totaliter à peccato: scriptum est enim, quod proles est diaboli procul à Christianis abjicienda finibus.*

§. 3. *Motivum supernaturale apparens, esse causam martyrii autumat Raynaudus.*

AVctor iste p.2.art.3.c.14, opusculi sæpius citati sentit, quod, siquis rusticus credens prudenter suo parocho, aut Episcopo, aut si vis Synodo Nationali, proponenti aliquem articulum, credendum tamquam ab Ecclesia propositum fide divina, cum re vera ita non sit, sed potius sit falsa & erronea propositio, licet apparenter, ut dicta à Deo proponatur ad

ad quam credendam rusticus iste tenetur, si pro illius defensione mortem subeat, vere & realiter Martyr erit. sic Major in 3. q. 10. dist. 23. vers. Respondetur, quod fides potest esse de falso. at male citatur Major [illegible]ata sententia, quia ibi nihil ad propositum. deinde quamvis dicat, quod fides potest esse de falso, tamen omnino negat, quod fides de facto sit de falso, sicut anterius dixerat, quod revelatio potest fieri de falso. sed non est possibile, quod revelatio sit de falso. sicut prædestinatus potest damnari, tamen omnino impossibile est, quod damnetur. citat etiam Robertum Holcot. ex familia Dominicana antiquum auctorem in 1. q. 1. in solut. ad 5. princip. Sed nihil tale dicit Holcot. solum enim dicit, quod potest quis mereri, si credat prudenter aliquem articulum sibi propositum tamquam verum, cum revera sit falsum. id quod docent omnes nullo dempto, quia ad rationem meriti fidei quod voluntarie credatur ex charitate imperante. si autem quis invincibiliter ignorat propositionem esse falsam, & judicat prudenter esse evidenter credibilem & ab Ecclesia propositam, meretur quidem apud Deum vitam æternam, attamen non erit vera fides quæ pertinet ad intellectum speculativum, qui attingit rem prout est à parte rei. & si ita non sit, sicut dicitur, non erit à Deo revelata, & sic actu fidei divinæ non attingetur. quare ille, qui moritur pro illa veritate apparente, non erit Martyr, etsi illam credendo mereatur. & forsan idem sentiret Doctor ille notabilis de quo Nider. 3. p. Consolatorii cap. 30, ad 2. dubium. quare P. Raynaudus nullius authoritate nititur ad suam sententiam introducendam, quam omnino falsam existimo.

Quod probo manifeste, quia licet ille, qui prudenter judicet aliquam propositionem falsam esse de fide divina, & de hoc habeat invincibilem ignorantiam, teneatur sub mortali illi non discredere, immò & mortem subire pro illius defensione toto tempore quo perseverat illa invincibilis ignorantia, ex quo oritur, quod conscientia erronea teneatur idem facere & sustinere, quod faceret & sustineret pro aliis articulis & veritatibus re ipsa revelatis à Deo; tamen, dum mortem subiit pro defensione propositionis falsæ, etsi apud Deum habeat meritum & præmium essentiale martyrii, tamen re ipsa non erit Martyr Catholicus proprie, nec condecorabitur laureola martyrii. Cujus ratio perspicua est, quia ad istam duo per se requiruntur, & quod quis pro defensione veritatis finiat vitam, & quod hujus mortis causa sit fides divina, aut fidei divinæ protestatio. est enim Martyr Catholicus testis veritatis fidei Catholicæ, aut verbis aut factis. atqui propositio apparenter & prudenter proposita, ut revelata à Deo, etsi credatur talis, tamen re ipsa non est talis. Ergo illius nulla potest esse testificatio, nec Martyr re ipsa fert de illa testimonium. quod quidem, licet non sit temerarium, quia ad illud ferendum habet sufficientia indicia, tamen re ipsa est falsum. atque ita, qui pro illo moritur, non potest esse testis, Martyr Catholicus apud Deum, ac per consequens neque apud Ecclesiam Catholicam, quæ non potest celebrare Martyres, qui sint testes falsitatis & erroris. quod argumentum tanti ponderis est, ut oppositam sententiam judicem dignam censura gravi: neque enim Martyr Catholicus testis est veritatis practicæ, quæ compatitur cum falsitate speculativa, & solum respicit affectum, non intellectum speculativum.

Fateor quidem, quod, siquis patiatur mortem ne operetur contra conscientiam erroneam, secundum quam judicat prudenter habere præceptum credendi propositionem falsam, esset quidem vere Martyr, quia pateretur pro defensione alicujus præcepti naturalis, quo obligamur non operari contra conscientiam, ut late D. D. 1. 2. q. 19. quæ defensio est protestatio fidei divinæ, ut supra dicebam. patitur namque pro veritate fidei speculativa, secundum quam non licet operari contra conscientiam.

Fateor etiam, quod si quis ab infideli Tyranno interficiatur quia Christianus & Catholicus est, etiamsi invincibiliter credat esse revelatam à Deo propositionem aliquam erroneam, & invincibiliter credat se pro illa pati, sicut & pro aliis veritatibus ad fidem divinam re ipsa pertinentibus, quod iste vere & proprie erit Martyr Catholicus, quia re ipsa occumbit pro fide & veritate Catholica quam impugnat Tyrannus, licet Martyr invincibiliter erret contra aliquam propositionem, quæ re ipsa est falsa, ipse tamen prudenter judicat esse à Deo dictam; tamen cum Tyrannus illam specialiter non impugnet, sed universam Catholicam fidem, quam Martyr uno impetu defendit & credit, dubio procul proprie est Martyr Catholicus.

II. Probatur nostra sententia, quia siquis dissentiret propositioni falsæ, quamvis apparenter & prudenter judicaretur à Deo revelata, quia à Synodo nationali, aut ab Episcopo, cui prudenter resisti non est æquum, ita est proposita, & etiam tamquam ab Ecclesia Romana determinata, cum re ipsa non sit, etsi ista talis malitiam hæresis incurreret, ut notat optime Valentia 2. 2. disp. 1, q. 2. punct. 5. vers. ut si, verbi gratia, ex conscientia erronea orta ex ignorantia invincibili tenetur præcepto fidei divinæ credere illam propositionem, tamen iste, si non credat, nec amittet habitum intellectualem fidei, nec erit hæreticus, ut tradit idemmet Valentia. q. 11. punct. 1. vers. secundo sequitur cui male imponit contrarium Raynaudus, non advertens, quod non quolibet peccato hæresis erit malitia contra præceptum fidei divinæ evertit fidem divinam, sed illa tantum, quæ sumpta est cum errore speculativo opposito veritati revelatæ & re ipsa propositæ ab Ecclesia Romana, quæ est regula infallibilis veritatis dictæ à Deo: qui enim huic veritati repugnat, solum est hæreticus & pertinax, si re ipsa est ab Ecclesia proposita: quamvis enim prudenter judicet propter authoritatem Synodi aut Episcopi esse ab Ecclesia propositam, & sic peccat contra fidem si non credat, tamen cum authoritas Episcopi aut Synodi sit fallibilis & exposita errori, cui exposita non est authoritas Ecclesiæ Romanæ, & ratio assentiendi quod hæc propositio sit proposita ab Ecclesia, cum re ipsa non sit, sit authoritas Episcopi aut Synodi, fit manifeste, quod discredens huic propositioni apparenter & prudenter judicatæ Ecclesia propositæ, nec sit hæreticus, nec fidem amittat. legantur August. lib. 4 contra Donatist. cap. 6. Canus lib. 12 de locis cap. 9. ergo siquis occumbat pro defensione propositionis erroneæ, quam prudenter judicat esse de fide, & ab Ecclesia propositam cum re ipsa non sit, non erit Martyr Catholicus proprie & vere, cum non sit testis fidei divinæ, nec fides divina est causa martyrii, etsi, ut dixi, sicut habet meritum fidei, ita & meritum martyrii, & præmium essentiale illi respondens, non tamen martyrii laureolam, quæ solum datur pugnanti pro fide Catholica, quæ nullo modo inclinat ad falsum.

§. 4. *Qua ratione fides divina particularis sit causa martyrii.*

TRactant D. D. ad 2. 2. q. 2. qua fide quis credat aliquam veritatem sibi specialiter revelatam à Deo,

à Deo, de quo certissime credit, non esse illusionem, sed dictionem divinæ veracitatis, quibusdam asserentibus, esse eundem habitum fidei Catholicæ quo credimus mysteria ab Ecclesia proposita, aliis id negantibus quibus assentior, & late in materia de fide ostendi: asserui enim hujusmodi particularibus revelationibus non assentiri fide Catholica, cujus habitus solum inclinat ad ea, quæ sunt ab Ecclesia proposita. quare ad alias revelationes particulares, quibus Deus illuminat amicos suos, in multis quæ non pertinent ad Ecclesiam universam specialis habitus fidei infusæ constituitur, qui, etsi habeat pro motivo Dei veracitatem, sicut & habitus fidei Catholicæ, tamen iste habet conditionem in objecto, quod sit propositum ab Ecclesia quam non habet alter, ut innuunt non obscure D. Thom. art. 1, & ibi Cajet. & sequuntur plures hujus temporis Doctissimi viri. igitur dubium est, an, si quis occumbat pro defendenda veritate aliqua sibi specialiter revelata & credita fide divina particulari, sit proprie Martyr. non tractat hoc Raynaudus, nec apud aliquem vidi motam quæstionem, cujus decisio non pendet ex his quæ modo dicebamus, an revelatio ista particularis credatur fide Catholica eadem vel diversa specie à fide particulari, etsi divina: quacumque enim credatur fide, eadem perseverat quæstio & dubitatio.

Existimo igitur, quod si veritas ista revelata opponatur moribus, aut regimini universalis Ecclesiæ, quod Deus potest pro temporis diversitate mutare, aut sit de dispensatione facta à Deo in aliqua lege canonica respectu alicujus particularis quam Deus sine dubio potest facere, si pro defensione hujusmodi veritatis quis occidatur, nullatenus est Martyr Christi, sed diaboli: ratio est perspicua, quia regimen Ecclesiæ & mores sancti in illa introducti, & vigor legis canonicæ perseverant in Ecclesia à Deo & ejus Vicario in terris approbati. & sic quidquid est illis contrarium, nisi ab Ecclesia approbetur, nequit denuo introduci aut conari quod introducatur. Ergo peccat mortaliter, qui pro illius defensione occumbit, & sic est diaboli Martyr cum talis revelatio, etiamsi divina & de veritate infallibili, exequi non possit sine authoritate Ecclesiæ, cujus caput visibile est regula infallibilis cujuscumque revelationis quæ opponatur ejus regimini, legibus aut moribus.

Existimo etiam, quod si quis habeat revelationem particularem divinam, cujus ipse habeat evidentiam una testante esse à Deo factam, de aliqua veritate speciali, ut alicujus mysterii occulti numquam hactenus patefacti, nisi ista revelatio ab Ecclesia approbetur, si quis pro illius tuitione coram Tyranno occumbat mortaliter non peccaret, & sic erit Martyr Christi. ratio est, quia occumbit pro veritate à Deo revelata, quam evidenter agnoscit à Deo esse dictam. Et sic fides, etsi particularis, divina tamen est causa martyrii; & sic apud Deum Martyr est proprie, & habebit laureolam martyrii, non tamen erit Martyr Catholicus, quia non occiditur pro fide Catholica, sed pro fide particulari. & sic Ecclesia quousque approbet illam revelationem, illum pro Martyre non celebrabit nec colet.

§. 5. *Vtrum tuitio quod Beata Virgo fuit immunis ab originali culpa sit causa martyrii?*

CVm ex supra dictis hucusque martyrium (ut docet sapienter Gregorius de Valentia 2. 2. disp. 8. q. 2. punct. 1.) *sit testimonium, quo morte ipsa pro Deo testificatur quis aliquam fidei veritatem, vel in seipsa, vel in aliquo pio virtutis opere relucentem.* Quæ definitio colligitur manifeste ex his quæ hucusque inculcavimus ex D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 5. certum debet esse, quod quis hoc testimonium ferre potest subeundo martyrium pro defensione legum, & decretorum Summorum Pontificum & Conciliorum, quæ tempore Sixti IV usque ad Vrbanum VIII. dicta sunt in favorem opinionis piæ ad fidelium concordiam, pacem & rectum regimen attinentia pro evitandis inconvenientibus, quæ ex disputationibus, sermonibus & similibus actibus publicis in populo oriebantur quotidie; & sic ad Summum Pontificem jure divino attinet fideles pacificare præceptis ad id conducentibus. quæ omnia, ut dixi, ad jurisdictionem Sedis Petri attinent; & sic, qui mortem subiit pro illius defensione, dubio procul Martyr est: moritur enim pro actu virtutis in qua relucet veritas fidei: moritur enim pro defensione jurisdictionis Ecclesiæ, pro qua mori verum martyrium est. Sicut fuit verus Martyr S. Thomas Cantuarensis, & alii de quibus supra: Legatur Granado tom. 1 in 3. p. Controv. 2 de gestis Christi tract. 1. disp. 3. sect. 31. art. 352, ubi dicit sic sensisse P. Suarez in epistola familiari quam ipse vidit. Cæterum hoc nihil dicit peculiare, cum non sit Martyr, qui sic moritur pro veritate conceptionis, sed pro veritate jurisdictionis Ecclesiæ, pro qua pati licitum est, & causa martyrii etiamsi falsum esset, quod B. Virgo fuerit præservata ab originali. quare, qui moritur pro defensione legum & decretorum hujusmodi, in materia conceptionis non moritur. nec indirecte per se pro veritate conceptionis virginis, siquidem illa possunt esse rectissima & prudentissima, & stare cum falsitate in re ipsa ejusdem.

Duplex ergo superest punctus enodandus; primus, an si quis moritur pro defendenda majore probabilitate speculativa opinionis piæ, sit vere Martyr. secundus, an qui judicat esse certam sibi etiam speculative opinionem de Virginis præservatione à macula originali, si pro illius defensione mortem subeat, sit vere & proprie Martyr. Granados ubi supra art. 353 & 354. Theophilus p. 2. cap. 3. art. 18. in utroque affirmant. Prioris puncti enodatio probatur à Granados: *Quia*, inquit, *manifestum est, esse magis probabile, magis pium, & magis verisimile, B. Virginem fuisse ab originali præservatam. unde, qui mortem subiret pro tuenda majori pietate, aut majore probabilitate hujus doctrinæ, martyrii laureolam obtineret.* Hæc ille. & in idem redit probatio Raynaudi. 2 enucleatio sic firmatur à Granados: *Cum ex sectione præcedenti*, inquit, *sit satis probabile, hisce nostris seculis moraliter esse certam & evidentem sententiam, quæ B. Virginis immunitatem affirmat, ille qui prudenter crederet se hanc evidentiam fuisse assecutum; verus Martyr esset, si mortem subiret pro tuenda veritate speculativa immaculatæ conceptionis. Probatur, quia iste prudenter existimat sibi certam esse hanc veritatem. sed omne judicium certum de veritate, præsertim ad Dei honorem pertinens, est vera virtus, ut patet ex materia de virtutibus. Ergo qui pro eo judicio retinendo subiret mortem occideretur pro actu virtutis, & consequenter martyrio coronaretur.*

Sed in utroque mihi omnino displicent hi auctores. prius tamen quam utrumque impugnem, placuit ad verbum referre gravissimam dubitationem, quam de hac re luci tradidit vir ille doctissimus, è Seraphica familia numquam satis laudatus pro summa ejus eruditione & gravissima doctrina, Alfonsus de Castro, qui lib. 1 de justa hæreticorum punitione cap. 8, ubi dubit. 4 inquirit, *an ille sit dicendus hæreticus, qui alicujus*

cujus hominis opinionem tam firmiter tenet & docet, ac si esset verus articulus fidei, & ita pro illius opinionis defensione est mori paratus, sicut faceret pro illis, quæ ad fidem pertinere sunt nota? & certe de hac re libentius vellem aliorum audire sententiam, quam dicere meam: dicam tamen quod sentio, ne gratis videar movisse quæstionem. Ego quidem non dubitarem talem dicere hæreticum, propterea quod ille talis errat in fide & pertinaciter. Omnis autem, qui post susceptum Baptismum pertinaciter contra fidem errat, concordi omnium recte sapientium sententia, censetur hæreticus. Ergo iste; de quo præsens agitur sermo, censendus est hæreticus. at quod iste talis erret in fide quia forte aliquis dubitavit, dubitationis causam tollam testimonio Augustini, qui errorem definiens in Enchiridio ad Laurent. cap.27, sic ait: nihil aliud est errare, quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo sive falsum sit sive verum. Hæc ille. *Iste, qui alicujus opinionem putat esse Catholicam fidem & tam firmo animo ac fidem Catholicam tuetur, incerta tenet pro certis. Ergo juxta Augustini sententiam errat.*

Præterea (& est argumentum valde efficax ad intentum) *iste sic sentiens eo ipso Ecclesiæ Catholicæ contumeliam facit, & illam in fide errare putat, quia illa, quæ juxta istius sententiam sunt certissima, Ecclesia tenet pro incertis. Errat ergo (judicio istius) Ecclesia, quia, ut Augustinus dixit, errare est certum habere pro incerto: hæc autem de Ecclesia, quæ divino semper illustratur spiritu quisquis putaverit hæreticus, ab omnibus Catholicis censebitur.*

Vt autem, quod dicimus clarius ostendamus, exemplum aliquod ob oculos proponere decrevi. Ecclesia nihil de conceptione Deiparæ Virginis hactenus definivit, an fuerit cum peccato originali, vel sine illo concepta? Sed liberum cuique dimittit, ut, quam voluerit, de hac re teneat opinionem. sic enim definivit Sixtus Pontifex hujus nominis quartus in Extravag. quæ incipit grave nimis, quam decretalem extravagantem Concilium Trident. sess. 4 confirmavit. siquis stante hac Ecclesiæ definitione alterutram opinionem tam firmo animo tueretur, ut illam putaret fidem Catholicam, & admonitus de hac re in eadem nihilominus sententia tam pertinaciter perseveret, ut pro illa sit mortem subire paratus, hic talis absque ulla dubitatione erit censendus hæreticus, quia Ecclesiæ definitioni sic parere refugit, ut illam errare pertinaciter credat, cum ea, quæ istius judicio sunt certa, ille pro incertis teneat. Ego quidem Deiparam Virginem sine peccato originali fuisse conceptam credo, quia hoc magis pium est, & magis dignitati Matris Dei conveniens, & Filii ejus totius generis humani redemptoris dignitati nec pilum detrahens, attamen non tam firmo animo hanc teneo sententiam, ut illam putem esse fidem Catholicam; atque ideo pro hujus sententiæ tutela non libenter cervicem gladio ponerem. Et infra: *Siquis vero aliquam opinionem de rebus fidei differentem quantumlibet firmo animo teneat, & putet illam esse fidem Catholicam, paratus tamen Ecclesiæ aliud docenti obedire, etiamsi erret, nunquam tamen ob hoc dicitur hæreticus.* Hactenus vir ille insignis.

Hac supposita doctrina, dico I. si, ut ajunt, contrariæ sententiæ auctores, ille qui defenderet opinionem piam esse probabiliorem, & pro hujus majoris probabilitatis defensione occumberet, si illud referret in cultum Virginis & majorem Matris Dei honorem, esset vere ac proprie Martyr. etiam ille, qui defenderet opinionem D. Thom. & Thomistarum esse probabilem, & hanc probabilitatem speculativam ordinaret in cultum Christi, & singularem ejus prærogativam, ut de facto ordinant Thomistæ, etiam dubio procul erit vere & proprie Martyr. probatur manifeste, quia prior ille ideo est Martyr proprie, quia moritur pro tuenda veritate, qualis est esse probabile & magis probabile, quod B. Virgo est ab origine præservata. atqui etiam est verum, quod sit probabile, non fuisse præservatam, ut definit Sixtus IV, Gregorius XV, & Urbanus VIII decreverunt, nullatenus suis decretis velle præjudicare sententiæ D. Thom. cujus probabilitas speculativa immota & inconcussa perseverat, & perseverabit usque dum Ecclesia definiat contrarium; quia, ut ait August. lib. 2 de peccato originali contra Pelagium, cap. 23, in his salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum sit & sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est humana & infirma suspicione conjicitur. & multis positis exemplis concludit: *Quis enim non sentiat in his atque hujusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorare salva Christiana fide, & alicubi errare sine aliquo hæretici dogmatis crimine.* & lib. 2 contra Donatum de Baptismo cap. 4. *Vt cum diutius aliqua obscura quæruntur propter inveniendi difficultatem, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permanet charitatis. ideo plerumque Doctoribus aliquid minus revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant declaratum esse cognoscunt.* Cum ergo hujus veritatis nondum Deus Ecclesiæ suæ lumen infulserit, ut declarat Gregorius XV, in quodam brevi ad sororem Margaritam Regis Philippi III. Amitam, consequens est, quod probabilitas speculativa, ut declaratum est ab Ecclesia, maneat in opinione Thomistarum, *donec ad verum liquidum perveniatur*, & quo usque definitiva sententia suspensa manet.

Ex quo fit, quod siquis mortem subeat pro defensione probabilitatis speculativæ utriusq; opinionis circa Virginis præservationem ab originali culpa, vere & proprie erit Martyr, quia utriusque opinionis probabilitas est definita ab Ecclesia multis decretis Pontificiis, & à Concil. Trid. sess. 4, ubi confirmatur Bulla Sixti IV, *grave nimis*. quia quod utraque propositio sit probabilis usque ad unius definitionem est de fide, & sic fides est causa martyrii. siquis tamen pro probabilitate cujusque alterius opinionis, etiamsi sit circa divina mysteria, moriatur, si tamen ejus probabilitas non sit approbata ab Ecclesiæ speciali decreto aut traditione, ita ut contrarium sit temerarium, suspectum in fide, aut simili censura dignum, existimo, quod defensio hujusmodi probabilitatis non sit causa veri & proprii martyrii, cum sit orta ex mero discursu humano naturali. & non pertinet ad cultum divinitatis, sicut nec veritas naturalis aliarum scientiarum, quæ non dicitur esse veritas secundum pietatem. & sic ejus confessio non potest esse directe causa martyrii. sed quia omne mendacium peccatum est, vitatio mendacii contra quamcumque veritatem sit, in quantum mandatum est divinæ legi contrarium, potest esse causa martyrii. Ita D. Thom. 2.2. q. 24. art. 5 ad 3, & ibi legendus Cajet. §. ad tertii dubii.

Dico II. defensio præservationis B. Virginis Matris Dei ab originali culpa non est causa martyrii veri & proprii, immò vitam perdere pro hoc non est licitum. Hæc fuit sententia Zamorensis ubi supra, quæ adeo mihi certa videtur, ut contrariam non facile liberarem à censura, non quia approbem eam qua Castro inurit oppositum, quamvis ejus rationes mihi manifestæ videantur. quas ad hoc unum reduco dilemma, quia de fide est, quod utraque opinio est probabilis usque dum definitione pontificia liquidum apparet

paret verum. Ergo quantumcumque quis propter affectum ita adhæreat opinioni Scoti, quod evidens moraliter sibi appareat, quod B. Virgo fuit præservata, semper habet intrinsecam formidinem ex vi medii cui innititur, immo non potest illam non habere, cum oppositum sit declaratum probabile ab Ecclesia, & judicium de præservatione ab originali semper est incertum & topicum; & sic numquam potest esse dictamen prudentiæ acquisitæ, nedum infusæ, quod sit licitum pro ejus defensione ocumbere; & sic implicat in adjecto, quod sit Martyr vere & proprie.

Etenim verum & proprium martyrium est maximum testimonium veritatis, cum non possit majus judicium præbere, quod aliquid sit verum quam mortem appetere pro illius asseveratione & defensione: nam sic eo ipso testatur, se illam veritatem certam putare. Ergo qui incertam putat, non est Martyr si moriatur pro illa; sicut enim juramentum verum est de re quam quis putat veram, quia est maximum veritatis testimonium, ita quia sanguine suo veritatem tuetur, debet illam omnino certam reputare, quia non potest magis firmum testimonium aliquo opere reddere, quam sanguinis usque ad mortem effusione. atqui ex vi medii hodie nullus potest certam putare præservationem Virginis. Ergo semper incertam judicat, cum judicium suum non sit majus quam opinionis magis probabilis, pro cujus opinionis veritate, utpote incerta, nullus potest vitam fundere, nec, stante definitione, quod utraque opinio est probabilis, potest quis judicare, quod aliqua sit moraliter certa & evidens; sicut si esset definitum, quod est probabile asserere, vel negare quod sit Roma, nulla evidentia moralis gigni potest de existentia Romæ, quia omnibus motivis, quæ hanc evidentiam moralem possint generare obstat definitio in contrarium, à qua principaliter & efficacius dirigitur prudentia. qua definitione existente, numquam potest elicere dictamen, quod fundat quis sanguinem usque ad mortem pro defensione alicujus veritatis obscuræ & incertæ.

Vnde doctissimus Cæsar Carena p. 2. tractatus officii SS. Inquisit. tit. 17. §. 11 sic dicit: *Propositio cujusdam qui dixerat, quod licet articulus conceptionis non esset de fide, erat tamen de pertinentibus ad fidem, quodque qui pro eo moreretur esset vere Martyr, fecit damnata à supremis Inquisitoribus in Portugallia, annuente Sanctissimo Paulo IV, anno 1619. teste Portel in dubiis regularibus verbo conceptio Deiparæ art. 6.* Hactenus Carena.

Huc tendunt fundamenta efficacissima quæ supra attulimus ex Alfonso de Castro, quæ, me quidem judice, insolubilia rationabiliter sunt, sicut facile solvuntur quæ proposita adduximus sententia. ad primum respondetur, quod jam vidimus concl. 1, qua ratione defensio majoris probabilitatis sententiæ præsit causa Martyrii. Ad II. respondetur ex 2. concl. quod stante definitione, quod utraque opinio est probabilis, implicat prudens existimatio, quod opinio pia sit moraliter evidens & certa sufficiens, ut quis pro illius veritate occumbat, ut jam manifeste probavi.

Sed contra hanc resolutionem, quam verissimam & sanam existimo, possunt objici primum. Quia, qui, ut opinionem magis religiosam exercerunt, & ne eam omitterent, sunt occisi à Tyranno, ab Ecclesia Catholica inter proprios Martyres numerantur: putabant enim plurimi cum Tertull. lib. de Idolat. non licere Christianis artificibus idola fabricare aut thura vendere idololatris sacrificaturis, & tamen Martyres declarantur ab Ecclesia 8 die Novembris Claudius Nicostratus, Symphorianus, Castorius & Simplicius, quia pro hac opinione mortui sunt, etsi oppositæ conformari potuissent, quam etiam nunc multi Theologi probabilem arbitrantur. Ergo quamvis opinio D. Thom. sit probabilis, quia tamen contraria Scoti magis pia, & religiosa est, ejus defensio causa esse potest martyrii. Ita ad aliud propositum argumentatur Ioannes Andreas Pazo, alias Ioannes Baptista Poza, in quadam relectione circa distinctionem VIII. decreti. Respondetur falsum omnino esse, quod hujusmodi Sancti aut declarati Martyres pro defensione sententiæ Tertulliani: Ecclesia enim in Martyrologio Romano die præfato apud Baronium, sic cantat: *Romæ via Lavicana tertio ab urbe milliario passio Sanctorum Martyrum Claudii, &c. qui primo in carcerem missi, deinde scorpionibus gravissime cæsi, cum a fide Christi mutari non possent, jussi sunt à Diocletiano in fluvium præcipites dari.* Interfecti igitur sunt, non pro defensione opinionis religiosæ & piæ, sed pro defensione Christi, & ejus fidei, quamvis nolle idola fabricare cum essent insignes artifices, eos patefecit esse Christianos.

II. Objicit idem Ioannes Baptista Pazo ubi supra art. 5. qui affligitur ab aliis usque ad mortem, continue ex eo quod non velit omittere executionem alicujus actus virtutis à quo possit absque peccato cessare, verus est etiam & proprius Martyr. Ideo Ecclesia in Martyribus propriis numerat Virgines, quæ, ne nuberent, mori voluere, cum tamen possint matrimonio copulari, vel licitæ quæ voto erant copulatæ dispensationem impetrare, ut S. Pelagia 4 Maji die. Ideo candente æneo bove inclusa, quod primum filii Diocletiani, deinde ejusdem uxor esse noluit. S. Filivilicula 13 Iunii, S. Irene die 5 Maji, alia S. Irene 20 Octobris, S. Barbara 4 Decembris, & aliæ plures idcirco ut Martyres ab Ecclesia celebrantur, quod noluerunt maritari cum licitè possent. Ergo, quamvis licite quis possit sequi opinionem Thomistarum potest tamen mortem appetere, ne deserat opinionem piam, cum ipsam sequi actus virtutis sit. Respondetur, quod, ut constat ex Martyrologio Romano, omnes illæ Virgines non ideo martyrio præcise coronatæ, quia noluerunt nubere, sed, quia ut nuberent, idolis sacrificare cogebantur, vel quia in contemptum pudicitiæ & virginitatis quam colebant cogebantur matrimonio jungi: in his enim casibus fides & fidei protestatio est causa martyrii, non defensio alicujus opinionis probabilis, sed pro defensione alicujus actus virtutis, qui, licet secundum se solum sit sub consilio, tamen in tali circumstantia potest cadere sub præcepto de confitenda fide & de tuenda virtute, quæ est fidei protestatio, ut infra & Resolut. 38. pluribus enodabo.

III. Objici potest, quia opinio pia est canonizata ab Ecclesia, sed pro defensione sanctitatis alicujus Sancti canonizati (quamvis non sit de fide per se primo quod sit Sanctus, sed hoc solum sit piè credendum, ut ait D. Thom. quod lib. ult. art. ult.) potest quis mortem obire, & erit vere & proprie Martyr. Ergo si moriatur pro defensione præservationis Virginis Matris Dei ab originali culpa antecedens probatur, quia in honorem præfatæ præservationis institutum est officium divinum & Missa, concessæ indulgentiæ, probatæ religiones, tam regulares, quam militares. Ergo canonizata est hujusmodi conceptio & præservatio, quamvis non sit de fide. Respondetur, quod de materia hujus objectionis late, & me quidem judice, non inutiliter disserui in libello oblato à me SS. DD. Nostro Innocentio X,

nondum typis dato, de definitione non sine Concilio facienda in controversia de præservatione Virginis ab originali, præludio 2. arg. 4 & 5. nego enim, opinionem piam esse canonizatam ab Ecclesia canonizatione universali aut particulari, sed solum fovisse fidelium devotionem, & ne ex contraria sententia dissensiones orirentur, ut pacem conservaret in Ecclesia, ea quæ argumentum refert concessit, in nihilo præjudicans sententiæ oppositæ, quam relinquit in eodem statu & terminis, in quibus ante hujusmodi concessiones existebat. Vt enim Summus Ecclesiæ Pastor & Rector Gregorius xv, in brevi scripto sorori Margaritæ à cruce Regis Catholici Amitæ illi alloquens, sic fatur: *Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti mysterii arcanum Ecclesiæ suæ patefecit. Nos tamen nisi eo præeunte æternitatis volumen in Christianæ sapientiæ cathedra legere debemus. quare in tam gravi deliberatione, à Pontificum Maximorum qui nos antecesserunt sententia recedendum non esse hoc tempore arbitramur.* Temerarium ergo est asserere, quod Virginis Matris Dei præservatio ab originali sit ab Ecclesia canonizata. Nam Summus Pontifex in canonizatione alicujus declarat & definit, esse Sanctum & Dei amicum, esseque cum illo in cœlo regnantem. Eum autem *lex credendi legem statuat supplicandi & colendi, nam fides præcedit, religio subsequitur,* ut ait Lactantius lib.4, cap.4, at & è contra. *Lex supplicandi legem statuat credendi,* ut probat Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 20. consequens est evidenter, quod, si Ecclesiæ nondum est posita lex credendi, non potest esse imposita lex supplicandi & colendi, alias altare & Cathedra Petri non convenirent, siquidem in ista non est ultima definitione conclusum arcanum hoc, & in altari colitur & adoratur cultu religioso supernaturali, & sic fideles haberent sanctitatis excellentiam colendam, quam Pontifex in Cathedra sedens non veneratur. Quod dici absonum est. non enim oves rationales alia ingrediuntur pascua, quam Pastores; omnes enim in fide & cultu pares sunt, & numero æquales. quare, si Summus Pontifex nondum definiendo respexit sanctitatem conceptionis Virginis pro primo instanti, nec oves illam venerando queunt respicere, & pro illa mortem obire, & sic quousque *sit lex credendi*, nequit ab illa dirigi *lex supplicandi & colendi.*

Quid ergo respiciunt Summi Pontifices, dum omnia hæc privilegia opinioni Scoti concedunt, si non attendunt ad præservationem pro primo instanti. audi Doctores gravissimos, qui Scoti doctrinam sunt amplexati, Eminentissimum Bellarminum Cardin. tom.2, lib.3 de cultu Sanctorum cap. 16, §. ad 11, ubi dicit: *Fundamentum hujus festivitatis præcipuum non esse conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem Matris Dei futuræ, qualiscumque fuerit illa conceptio, eo ipso quod fuerit conceptio Matris Dei, singulare gaudium affert mundo, &c.* Legantur Suarez tom. 2. in 3 p. disp. 3. sect. 5, & tom. 1 de Relig. lib. 2 de diebus festis cap. 7. art. 7. P. Vasquez 3 p. disp. 117. art. 71. ubi ponit manifestum discrimen inter festivitatem conceptionis, & nativitatis Virginis, quod ex festivitate nativitatis colligitur ejus sanctitas, non tamen ex festivitate conceptionis. Legatur art. 148, unde defensio sanctitatis nativitatis est causa martyrii, non defensio sanctitatis conceptionis.

TRACTATVS QVINTVS.

De dispositionibus requisitis ex parte Martyris utentis arbitrio libero.

SIcut Baptismus in parvulis nullam exigit ex parte ipsorum dispositionem, ut illis gratiam fructificet, ita & martyrium in odium Christi illis illatum. Cæterum Baptismus in adulto aliquas liberas exigit dispositiones. & martyrium similiter, de quibus in sequentibus edissero, quæ aut sunt positivi actus liberi positivo influentes, aut sunt negativi qui explicantur per obicis exclusionem & peccati remotionem, quod est impedimentum gratiæ sanctificantis, quæ est ferax laureorum ad quam sequitur laureola martyrii.

RESOLVTIO XXVI.

Quæ aut qualis acceptatio martyrii requisita in Martyre adulto?

REsolutione anteriori de motivo in communi martyrii, deque ejus adæquata causa egi, qua supposita disquirimus, qualis & quæ ex hoc motivo generali requiratur in homine rationis compote acceptatio martyrii. Nam de motivo speciali in sequentibus disquiram non infructuose, concludendo veram & solidam doctrinam S. Thomæ & Antiquorum, spretis novellis opiniunculis, quæ ad Ecclesiæ auctoritatem stabiliendam non conducunt: *Illi enim, etsi jam corpore ab Ecclesia recesserint, tamen magisterio & voce numquam recedunt.* Per acceptationem intelligimus inpræsentiarum voluntatem, qua quis vult potius mortem perpeti, quam fidem negare.

§. 1: *Nulla acceptatio vel formalis vel ista transacta maneat virtualiter per se requiritur in adulto ad verum martyrium.*

DE martyrio adulti dupliciter possumus loqui; aut quatenus est virtutis actus, aut quatenus est mortis perpessio causa fidei. Si loquamur in primo sensu, non solum requiritur acceptatio virtualis, sed expressa & formalis. (quam distinctionem non advertit Raynaudus infra citandus) & sic loquitur D. Thom. de martyrio tota quæstione 124 ex 2. 2. quod enim ad martyrium hujusmodi semper requiratur actus formalis & expressus, est evidens, quia actus virtutis expresse & formaliter tendit in suum objectum specificativum propter ipsum. atqui objectum martyrii, quatenus est actus virtutis fortitudinis, est mors pro defensione fidei aggressa. Ergo hujus expressa volitio semper est necessarium quod præcedat, sufficit tamen, ut actus exterior sit martyrium, habeatque bonitatem fortitudinis, quod virtualiter maneat voluntas illa, nec sufficiet habitualis permanentia, ut tradunt omnes Doctores ad q. 19. ex D. Thom. dum agunt de bonitate & malitia humanorum actuum.

De martyrio igitur, quatenus est mors inflicta à Tyranno & à Martyre perpessa, causa & intuitu fidei est difficultas, an exigat acceptationem formalem aut virtualem, ipsius mortis fidei causa illatæ. Affirmat

mat Raynaudus cap. 3, p. 2, art. 2 asserens, ad verum & fructuosum adulti martyrium exigi volitionem mortis irrogandæ, quæ sit plus quam habitualis, aut interpretativa tantum. atque ideo quæ aliquando fuerit actualis ac vere exercita ac in seipsa vel aliquo semine suo præsens perstet, citat Lessium lib. 3 de Iustitia cap. 1, art. 24. & sequitur Suarez tom. 3. in 3 p. disp. 29. sect. 2. §. in hac re sequitur Bonacina disp. 2 de Baptismo q. 1. punct. 1. art. 5. quem Raynaudus citat pro mea sententia, & ipse Bonacina (quod valde miror) citat Enriquez & Coninhe pro sua sententia, cum expresse sequantur nostram. Amicus tom. 7. disp. 12. de Baptismo sect. 3, art. 27. Dominicus Soto art. 11 circa finem proposit. 1. probatur 1. homo adultus & propriæ libertatis compos, sine libero consensu quo disponatur, non consequitur regulariter gratiam, aut culpæ remissionem, & sic nulla passio actiove illi prodest ad salutem, nisi sit voluntaria; & sic, nec mortis perpessio habet privilegia martyrii, quoad suum effectum; rursus non est verum & proprium martyrium, de cujus essentia est quod sit actus virtutis, qui non subsistit sine ratione voluntarii; confirmatur, quia, si quis amentia correptus, aut alio impedimento ad usum libertatis Eucharistiam recipiat, si prius non habuerit voluntatem expressam illam recipiendi, Sacramentum hoc nullum in illo causabit fructum gratiæ, & hoc non ex alio, nisi quia media gratiæ respectu adulti debent esse voluntaria, ut feracia sint salutis & gratiæ augmenti.

II. Quia Baptismus aquæ, licet in parvulis non exigat consensum ut fructum conferat salutarem, secus tamen in adultis ob prædictum principium ab omnibus fere receptum. quare si adultus dormiens baptizetur, si prius non expresserit voluntatem Baptismi, non fit Christianus: ergo si adultus somno deditus trucidetur in odium fidei, aut fugiens mortem à Tyranno infligendam telo confossus occumbat, Martyr non erit, si non habeat voluntatem acceptandi mortem: pares enim sunt quantum ad hoc Baptismus flaminis & Baptismus sanguinis.

III. Quia homo existens in peccato mortali, ut vere Martyr sit exigetur acceptatio mortis causa fidei. ergo etiam si sit justus. Antecedens traditur ab auctoribus oppositæ sententiæ. & consequentia videtur clara, quia, si acceptatio non est de ratione martyrii, nec in peccatore erit, quia iste, quia inimicus Dei & injustus, solum exigit ad illum converti per dilectionem & contritionem, quæ est actus diversus ab acceptatione. atque ita vel in peccatore non exigitur acceptatio mortis, vel si in illo, sequitur etiam in homine justo.

Sed contraria sententia mihi summopere arridet, utpote omnium fere doctorum antiquorum & recentiorum loquentium de vero & proprio martyrio, quatenus est Baptismus sanguinis. Ita D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1 ad 2. dicens: *Quod ille, qui dormiens occideretur pro Christo per martyrium, purgaretur ab omni culpa veniali*; ubi Cajet. §. *ad secundum in responsione. si quis*, inquit, *ivisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium, & interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi.* Vbi uterque Thomas nullam exigit ad verum martyrium acceptationem. Argentinas alter Thomas in 4. dist. 6. q. unica, art. 4. concl. 2 ad 1. Vbi solum exigit acceptationem ad martyrium permissive ita quod si existat concurrit, tamen si non adsit, non evertitur essentialiter martyrium, quatenus est Baptismus sanguinis. Sequitur Greg. de Valentia 2. 2. disp. 8. q. 3. punct. 1. vers. *secunda conditio.* ubi solum exigit, quod mors non sit contra voluntatem patientis. *non tamen*, inquit, *requiritur, ut sit expresse & actu voluntaria sicut patet*, *inquit*, *in Innocentibus.* Granados 3. p. contr. 4. tract. 3. disput. 3. sect. 2. art. 9. Enriquez in summa lib. de Baptismo cap. 34. §. 2. litera o, & p, dicens: *Si justus nihil præmeditatus de morte, & tamen dum dormit occiditur in odium Christi, videtur Martyr, quia interpretative in Deum, quem pro ultimo fine habet, justus retulit quidquid boni fecerit, aut mali sustinuerit.* & in comment. litera p, *id est multo certius, & affirmant omnes prædicti.* Sylvius 3. p. q. 66. art. 11. q. 3. vers. *ex his sequitur*, ubi Ægidius Coninhe art. 136. Ægidius Trullene in praxi. Sacram. lib. 2. cap. 1. dub. 10. art. 4. transcribens Enriquez.

Cum quibus consentit approbans eandem sententiam antiquus & doctus Gotfridus Vindocinensis lib. 1, epistola 7 ad Paschalem Papam, addens non incongruam rationem, his verbis: *Si objicitur quod inviti forsitan paterentur, & idcirco eorum passio crederetur infructuosa, quod spontanea minime videretur, & iterum pœna Martyrem non facit, sed causa. causa utique idonea* (scilicet negare Henrico Imperatore jus aliquod in sacra) *& multitudo necessaria erat, quia causa fidei, qua mulier non poterat inveniri, pro hac etiam si aliter non possent contra suam voluntatem mori debuissent, quia nec sic martyrii palma fraudari potuissent.* & infra: *unde firmissime credendum est, & nullatenus dubitandum, quod supplicium mortis pro fide Christi homini collatum, etsi pro carnis infirmitate noluerit, & tamen non negaverit, Martyris vindicat nomen & præmium.* hæc ibi. quo nihil illustrius; tradit enim hanc veram doctrinam summo Ecclesiæ Pastori rescribens, quod dicit *firmissime credendam, & de ea nullatenus dubitandum.* Si ergo juxta hujus Doctoris sententiam renitentia mortis pro carnis infirmitate non evertit veritatem martyrii, multo minus requiretur ad eam acceptatio formalis aut virtualis, sed sufficit interpretativa, quatenus homo dormiens aut amens existit in gratia habitualiter, refert se vitam, honorem, famam, & omnia sua in Deum summè dilectum, propter quem & ejus fidem tuendam secundum præsentem statum, vitam, honorem & famam perdet. quare, si de facto dormiens aut amens, etiamsi in speciali nihil cogitaverit de obeunda morte pro fide, si tamen in odium fidei interficitur dormiens, suo sanguine perfusus Martyr proprie efficitur, habet sufficientem acceptationem, ut adultus vere & proprie dicatur pro Christo mori, & sit perpessio mortis verum & proprium martyrium, imperaturque à charitate interpretative. quod interpretativum imperium habet quis, etiamsi pro carnis fragilitate renitatur morti aut fugiens Tyrannum, si in fuga telo perfodiatur, ut expresse Cyprianus epistola 56. art. 14. Vbi Pamelius, & Origenes hom. 6 in lib. Iudicum. quia cum hac mortis renitentia secundum hominem externum & carnalem infirmitatem, stat quod secundum hominem interiorem, cum diligat Deum super omnia habitualiter, ratione gratiæ & charitatis consentiat morti pro fidei defensione. qui consensus in homine adulto dormiente dicitur interpretativus, quia sua voluntate conversus est ad Deum quem diligit super omnia: quæ voluntas non fuit in infantibus, etiam justificatis Baptismo aquæ. & ita, si occidantur in odium fidei, non dicuntur acceptare martyrium, sed solum sint Martyres, quia in illis occiditur Christus, propter cujus fidem occiduntur. quare etsi Raynaudus sine ratione Gotfridi autoritatem spernat, at spernere nequit ejus fundamentum satis solidum.

 II. Pro-

II. Probatur, justus dormiens aut phreneticus, etiamsi nihil ante omnium & phrenesim cogitaverit de martyrio, si interficiatur à Tyranno pro fide Christi, vere & proprie occumbit propter Christum, propter quem summe dilectum saltim habitualiter animam pendit, id est, vitam. Ergo ad verum martyrium non exigitur mortis acceptatio expressa, aut virtualis in aliquo semine suo perstans. nec enim, solidum habebit firmamentum Raynaudus art. 5 dicens, quod iste justus dormiens, si occidatur propter Christi fidem, non perdit animam eo modo quo Christus vult quod adultus perdat, scilicet cum assensu & acceptatione mortis; hoc enim gratis dicitur, & nullo expositore antiquo & gravi præeunte, sed ex proprio cerebro, cum Christus solum exigat, quod sufferendo mortem vitam perdat propter ipsum. quod plane reperitur in isto justo dormiente, in quo est interpretativa voluntas perdendi animam propter Christum, quem diligit super omnia. atque ita supra vitam & corpus quidem, cum hæc interpretativa voluntas sufficiat in adulto subita nec sensibus destituto aut rationis usu, aut ministrentur ei sacramenta extremæ unctionis & confirmationis, quæ conferunt gratiam. ergo multo magis, ut subsit verum martyrium conferens remissionem peccatorum. immò addo, ut penitus enervetur fundamentum oppositum, quod siquis ignorans invincibiliter Baptismum aquæ esse necessarium, & nihil de illo cogitans, utpote ignoratum invincibiliter, habeat actum contritionis & dilectionis Dei super omnia, & postea incidat in amentiam, etsi illi conferatur Baptismus aquæ, erit illi ferax gratiæ & charitatis baptismalis, quia eo ipso quod fuit justificatus per contritionem, habuit voluntatem interpretativam Baptismi, & adimplendi omnia præcepta legis Euangelicæ. & idem dico, si non habeat contritionem, sed attritionem veram, qua detestatur peccatum propter pœnas inferni, quæ implicite continet propositum servandi omnia mandata, inter quæ unum est de Baptismo in se recipiendo.

III. Ad hominem manifeste contra Raynaudum, qui art. 7 dicit, sufficere ad verum martyrium acceptationem habitualem, non illam, quæ esset actualis & elicita, si homo advertisset numquam tamen fuit actu, & est quam nos dicimus interpretativam, sed illam, quæ aliquando fuit actualis & expressa, numquam tamen fuit retractata actu contrario. & quamvis non maneat in aliquo semine, ut virtualis dicitur manere moraliter, & perseverare quamvis non retractetur, sicut manet peccatum habituale moraliter quo usque retractetur. hæc, inquam, habitualis voluntas & acceptatio mortis sat est ad martyrium, sicut sat ad Baptismum & alia Sacramenta rite & recte percipienda. Addit, quod implicita petitio Sacramenti etiam pœnitentiæ, ut siquis fecit signa, non protulit vocem pœnitentiæ, sufficit ad verum Sacramentum, *non tamen sufficit*, inquit, *ad verum martyrium, nisi præcesserit expressa acceptatio, quæ moraliter maneat quatenus non retractetur.*

At hæc doctrina Raynaudi Chimerica videtur, siquidem cum martyrium sit summe privilegiatum à Christo Domino, ut sit medium ad consequendam gratiam aut illius augmentum, in adulto sat est, quod sit voluntarium ea ratione qua Christus instituit fore voluntariam aliquorum sacramentorum acceptationem & receptionem. atqui in istis (fatente Raynaudo) sat est acceptatio implicita & interpretativa, ergo & in martyrio.

Deinde, quia siquis existens in peccato mortali eliciat actum contritionis aut dilectiones perfectæ, nihil expresse cogitans de martyrio, & dormiens occidatur propter Christum, iste talis habeat implicitam voluntatem moriendi pro fide Christi quem diligit super vitam suam. ergo si occidatur, vere est Martyr. III. Quia ideo peccatum habituale dicitur moraliter perseverare quo usque retractetur, quia illius remissio pendet à retractatione. quare quousque ista ponatur semper manet, quia sine illa non dimittitur, non tamen influit aliquatenus in alium actum. at acceptatio martyrii si non manet virtualiter in aliquo semine, nullatenus potest influere in martyrium, quia nullo modo est. non retractari autem, nihil est aliud, quam interpretativa voluntas moriendi, quæ semper perseverat, etiamsi non præcesserit expressa acceptatio martyrii.

Ex dictis non erit difficile fundamenta opposita diruere. Ad I Respondetur, quod martyrium homini dormienti inflictum, etsi non sit voluntarium directe si de illo nihil cogitavit ante somnum, tamen est voluntarium interpretative, ut explicui. quod sufficit ut sit ferax gratiæ & aliorum effectuum, de quibus infra tract. 6. Ad II Respondetur, quod si dormiens non baptizatus, sit justus & amicus Dei, habet consensum sufficientem ut baptizetur, etsi nihil de Baptismo cogitarit, ut dixi, & tenet Coninhe 3. p. q. 64. art. 8. dub. 5. art. 103 & 104. tum etiam, quia cum in Baptismo adultus notabiliter mutet statum in quo novam suscipit obligationem sicut suscipit in ordine: iste namque sine proprio consensu consecrari non valet, & charactere ordinis insignari. Legatur August. lib. 4 de Baptismo cap. 24 in fine. Ad III Respondetur, quod neque in peccatore per se requiritur acceptatio formalis aut virtualis martyrii, sed sufficit interpretativa in contritione, vel, si mavis, attritione in qua imbibitur propositum servandi mandata, & non deserendi fidem, ut infra enodabo.

Ex quibus infertur primum, quod perpetuo amentes aut phrenetici furiosi, qui numquam habuerunt rationis usum, & alii, qui etsi in aliqua arte libertate physica utantur, non tamen in omni negotio. qui à nativitate privati sunt, omnes, inquam, isti si occidantur propter Christum, etiamsi nec interpretativam habeant acceptationem martyrii, etsi non habeant actum virtutis, sunt tamen veri & proprii Martyres. unde optime adnotavit Sylvester verbo Baptismus 1. art. 2. q. 2. *Si Iudæus filiam fœcundatam à Christiano, in despectum Christi abortiri faciat, videtur quod puer fiat Martyr, habens causam & pœnam.* sicut similiter, si prægnans propter Christum interficiatur, uterque Martyr est.

Infertur II cum Amico ubi supra art. 24, quod si infans circumcisus pro Christo inter Innocentes occisos ab Herode, & inter Christianos infans baptizatus aqua Baptismali, uterque, si pro Christo interficiantur, majorem consequuntur gratiam, quam qui solum interficitur pro Christo: nam iste solum habet gratiam martyrii & Baptismi sanguinis. at illi duplicem gratiam à duplici Baptismo causatam.

§. 2. *Contrapugnatio qua ratione vero adversetur martyrio.*

QVamvis supra Resolut. 22. §. 5. aliquod de hoc assumpto contra Raynaudum & Lessium agitarim, placuit iterum cum Raynaudo solo decertare. Igitur Raynaudus p.2. c.5. art.2 asserit, *esse de ratione martyrii, quod Martyr non renitatur aut contrapugnet ei à quo patitur, & abstinere debet à recruciatione cruciantis, eo quod*, inquit, *martyrium acceptari debet ab*

ab eo cui infertur. Probatur 1 ex D. Bonaven. in Psal. 33. vſ. penultimo, dicente: *Martyrium debet tria habere, ſcilicet cauſam finalem, ut propter Deum patiatur; unde dicitur martyrium non facit pœna, ſed cauſa; cauſam formalem, ut ſcilicet voluntate ſuſtineatur, ne ſit ſicut rota carri quæ fœnum portat, & tamen murmurat; & perſeverantiam: nam qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit*. Si ergo ex ſententia Bonaven. formali in martyrio eſt voluntas moriendi, cum iſta non ſubſiſtat ſe ratio, reſiſtit & imperat ad contrapugnandum, murmurare dicitur, & eſt ſicut carrus, & ſic, qui ſic contranititur & murmurat, eſt ad martyrium ineptus, ſiquidem contrapugnans re ipſa exprimit, quantum poteſt virium ut periculum de morte imminente, cædem & obtruncationem hoſtium fugiat, & dolorem leniat.

Hujus ſententiæ videntur fuiſſe veteres Patres. Cyprianus epiſt. 57 ad ...... intellexit, *Milites Chriſti vigilare jam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare, vinci non poſſe, mori poſſe; & hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent, nec pugnare contra impugnantes. cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, ſed prompti & animas & ſanguinem tradere*. Tertull. lib. 4 contra Marc. cap. 39. *Aſſerens Martyres, Zachar. 9. vſ. 16. oves dici, quia in ſua patientia dedentes ſemetipſos, potius quam vindicantes trucidantes*. Idem tradit Auguſt. lib. 22 contra Fauſt. cap. 76, immò Eccleſia ita videtur ſentire, dum in Hymno ad veſperas de communi plurimorum Martyrum ſic canit: *Cæduntur gladiis more bidentium. non murmur reſonat, non querimonia. ſed corde impavido mens bene ſobria conſervat patientiam*.

Sic ergo Thebæorum legio valens viribus & militiæ doctrina, qua contrapugnare poſſet, noluerunt tamen, ſed, depoſitis armis, tamquam agni occiſi ſunt, ſicut & S. Andreas Dux, cum multis militibus ſuis non contranitens, cæſus eſt pro Chriſto, ut habetur die 19 Auguſti in Martyrologio.

Cæterum huic ſententiæ Raynaudi nullatenus aſſentior, cum expreſſe ſit oppoſita D. Thom. & multis ex Doctoribus antiquis, quorum verba dedi §. 5 citato. quibus adjungo Iodocum Damhouderium in Chriſtianis parænefibus admonit. 7. art. 16. & quidem ratio D. Thom. manifeſte evincit, quod contrapugnatio non evertat martyrium. etenim contrapugnatio non evertit rationem fortitudinis ſupernaturalis, immò ex Ariſt. ſupra diximus, hanc eſſe de ratione fortitudinis Ethicæ. & Iudas Machabæus & Fratres *fortes facti ſunt in bello* contra impugnantes Religionem Catholicam. Rurſus non evertit quod hæc contrapugnatio ſit cauſa defendendæ fidei; nec etiam deſtruit, quod quis ingrediatur periculum contrapugnans propter Deum ſumme dilectum, propter quem defendendum in ſua fide mortem ſuſtinere vult ſi ipſi forte contingat, quam ſumma patientia ſuſtinebit, dum in conflictu pro defenſione fidei occumbit. nihil ergo deficit, ut ſit coram Deo vere Martyr. Hoc argumentum eſt manifeſtum, nec in aliquo deficit, ut putat Raynaudus; dicit enim, quod fides non eſt finis martyrii, & fortitudo male à patientia ſejungitur, nec bene imperium martyrii aſſignatur ſoli charitati. Sed auctor iſte male diſcurrit: nam, dum dicimus, fides eſt finis martyrii, intelligitur à D. Th. & certa ſententia, quod ſit cauſa martyrii; rurſus non ſeparat diſcurſus factus fortitudinem à patientia, immò illam ſibi aſſociat. & tandem quid intereſt quod imperium martyrii ſoli aſſignetur charitati, ſufficit quod charitas poſſit imperari.

II. Qui occumbit pro defenſione boni publici Politici, eſt Martyr Politicus, & illi debentur honores publici, etiamſi contrapugnet. in defenſione ergo qui moritur in bello pro defenſione fidei, erit Martyr Catholicus, cum defendendo Eccleſiam finem vitæ ſubeat.

Vt clare & evidenter fundamentis oppoſitis ſatisfiat, adnotare operæ pretium eſt, quod cum martyrium ſit teſtimonium, quo morte ipſa pro Deo obita teſtificatur quis veritatem fidei, vel in ſeipſa, vel in aliquo pio opere relucentem, ut ex Valentia ſupra dixi, & approbant omnes. Itaque Martyr eſt, qui pro defenſione fidei & pietatis occumbit. Hæc autem defenſio dupliciter fit, contrapugnando impugnanti fidem, & curanti eam evertere. Primo ſi contrapugnatio fiat primario ad defendendam propriam vitam, ipſamque tuendam ab impugnatore qui vult propter odium fidei vitam alicui eripere, quam iſte defendendam curat, primario & per ſe ſit mortis voluntaria perpeſſio. Cui perpeſſioni voluntariæ ex diametro opponitur contrapugnatio voluntaria ad primo defendendam propriam vitam. & hoc modo loquuntur Patres quos adducit Raynaudus, & hanc eſſe eorum mentem conſtabit manifeſte ipſos legenti.

II. Contrapugnatio fit, non ut primario defendatur vita propria contra Tyrannum, ſed ut primario defendatur cauſa communis Eccleſiæ & veritas fidei contra inimicos, qui ex odio Chriſtianitatis illam impugnant: ſecundario tamen defendatur propria vita, quatenus neceſſaria eſt ad contrapugnandum pro Eccleſia & fide Chriſti. Et hæc contrapugnatio tantum abeſt quòd ſit contraria vero martyrio coram Deo, quod immò potius illud perficit, ſi contrapugnans occumbat: nam pro defenſione Eccleſiæ & fidei, voluntarie fortiter ſe obtulit periculo perdendi vitam pro Chriſto & bono ſupernaturali Eccleſiæ. contrapugnat non primo & per ſe ut ipſe vivat, ſed ut victoriam conſequatur fides, & inconcuſſa maneat, & ut *portæ inferi non prævaleſcant adverſus eam*. quam victoriam intendunt Martyres, qui non aperientes os ſuum, nec contradicentes, aut murmurantes occiduntur more bidentium. Quare tam Martyres non contrapugnantes, quam qui contrapugnant eandem habent pœnam, & eandem cauſam & finem, ſcilicet defenſionem fidei quam intendunt per diverſa media, primi perpeſſione mortis pacifica, ſecundi perpeſſione mortis belligera.

Ad 1. reſpondetur Sanctos inibi adductos loqui de Martyribus, qui, deprehenſi à Tyranno, occiduntur more bidentium non contrapugnantes illi, ſed ſine murmure & querimonia dum ſanguinem fundunt, conſervant patientiam; alii autem, de quibus loquimur, patientiam conſervant, ſi occidantur dum contrapugnent tamquam milites pro fide Chriſti, quam ut defendant, non ut ſeipſos tueantur, aggrediuntur in hoſtes. uterque autem Martyr tam pacificus, quam contrapugnans, habet eandem formalem cauſam martyrii, quia unus & alter voluntarie ſuſtinet mortem pro fide defendenda, ſed per diverſa media, ut dixi. Quare qui contrapugnat non murmurat ſicut carrus, immò cantat ſicut Martyr, qui expromit quantum poteſt virium non ut primo & per ſe periculum, cui voluntarie ſe expoſuit, vitet & leniat obtruncatione hoſtium mortis timorem, ſed ut fidem defendat, & ut iſta vincat glorioſe.

Ad 11. reſpondetur, quod Sancta fortium militum Thebæorum legio, cujus Dux Sanctus Mauritius, & altera multitudo Chriſtianorum pugnantium, quorum caput S. Andreas, depoſitis armis, reſiſtere noluerunt, ſed voluntarie pati quod ex ſpeciali inſtinctu divino fecere, quia comprehenſi, tenebantur

ut Christiani, nec poterant facile defendere, contrapugnando fidem; & sic si contrapugnarent, esset ad defendendam primo & per se propriam vitam. quæ contrapugnatio, jam dixi, quod est eversiva veri martyrii.

§. 3. *Qua ratione Martyri vita propriæ defensio incumbat?*

EX his, quæ diximus de SS. Martyribus Mauritio & Andrea cum sociis, suboritur dubium non vulgare, an homo Christianus invasus ab hæretico, Iudæo, aut infideli (cui impar viribus non est) ut fidem abjuret, aliter vitam perdet in odium fidei, an, si occidi se permittat cum possit se defendere contrapugnando, & occidendo, aut mutilando invasorem, vere sit Martyr. Raynaudus ubi supra art. 3 negative respondit, quia in tali casu, in quo quis potest vitam propriam tueri etiam cum damno invasoris, tenetur naturali præcepto se defendere, nisi peculiari agatur Spiritus Sancti inspiratione. quare propriæ vitæ profusio opponitur vero martyrio. Quare, inquit, *adversario illæso debemus obsistere, & repugnare non occidendo aut mutilando, sed alio leniori modo, ut fustibus, ligando illum ad palum, aut manibus pedibusque constringere vinculis, aliove simili.*

Ego quidem indubitatum esse existimo 1, quod si quis Turca invadat Christianum, ut aut fidem deneget, aut mortem subeat, si Christianus potest se defendere eo leniori modo, quo explicat Raynaudus, tenetur se defendere lege naturali, qua quis obligatur non prodigere vitam suam, imo etiamsi opus fuerit ipsum mutilare, aut vulnus non mortale infligere.

Si tamen Christianus invasus sit in solitudine à Mahometano aut alio infideli à quo cogitur aut religionem deserere, & fidem Christi ejurare aut mortem subire, si potest se defendere Turcam occidendo, potest licite sinere occidi quam illum occidere. & quidem miror Raynaudum, quomodo non advertit hanc esse omnium Theologorum indubitatam sententiam. Ita Aragon. 2. 2. q. 64. art. 5 ad 3. argumentum versiculo quo supposito dico. ibi Bañez dub. 3. Salon. controv. 4. Cardinalis Lugo disp. 10. sect. 6. art. 155. Molina tract. 2. disp. 14. Soto lib. 5. q. 1. art. 8. Sylvester verbo bellum 2. art. 5. Victoria. relect. de homic. art. 24. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 8. art. 55, ubi dicit, hoc esse salutare consilium magnificiendum, & omnibus Clericis, & maxime viris religiosis amplectendum, ut malint mortem perpeti, quam iniquum invasorem occidere. Sequitur Antoninus 3. p. tit. 4. cap. 3. §. 1. in hoc enim maxime Christo conformamur, qui, licet posset occidere Iudæos injustos invasores vitæ suæ, voluit potius pati mortem, quam vitam illorum auferre. & quidem charitas proximi licet non obliget ad mortis perpessionem, tamen ad id valde inclinat, ne proximus in æternum pereat. Quare non est audiendus Abulensis q. 11. in cap. 11 Iosue, quem imitatur Raynaudus contrarium tenens. licet enim tenear vitam meam servare, cujus directe non sum dominus, tamen ad id non obligor, quando medium est valde difficile aut indecorum personæ, aut periculosum, quale est occidere injustum invasorem maculatum mortali: nec enim tanto malo alieno teneor bonum proprium tueri.

Et quidem advertere oportet Raynaudi oblivionem aut inconstantiam; si enim possum me exponere manifesto mortis periculo inserviendo peste infectis, etsi in hoc ministerio occumbo, sum vere & proprie Martyr, ut ipse probat parte 3 per totam; à fortiori potero mortem tolerare, ne proximum infidelem aut peccatorem positive occidam, & in æternum perdam.

Ex qua indubitata doctrina colligunt Aragon. & Lugo, quod ille, qui à Turca in odium fidei occiditur sinens se occidi, cum occidere posset in vasorem, esse vere & proprie Martyrem. sic enim ait Aragon. *Pro quo facit quod cum tot millia Martyrum fuerint, qui pro Christo mortui sunt, non videtur quod non potuissent se defendere licite, & pugnare adversus Tyrannos, & tamen id facere noluerunt. quare non dubito, quin plerumque martyrium sit sub Consilio, & quod multi Martyres se ultro martyrio obtulerunt cum ad id non obligarentur. quod satis consonum videtur consilio Pauli ad Rom. 12, non vos vindicantes charissimi. & Dominus in Euangelio Matth. 5. ego autem dico vobis, non resistere malo, sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram.* Et infra: *Si Christianus se ultro offert martyrio ad augmentum fidei extra tempus necessitatis, quando scilicet est opus consilii, dato quod Christiani possint illum eripere de manu Tyranni etiam sine scandalo, non credo quod tenerentur. & sic non est universaliter verum, quod quilibet tenetur vitam innocentis defendere quando licite potest.*

Et Card. de Lugo art. 153. *Si invasus esset persona publica ad bonum publicum valde necessaria, deberet propter bonum publicum postponere malum privatum proximi qui occidendus est. quod etiam dicendum videtur, quando ex morte propria maximum malum imminet uxori & filiis quos alere tenetur, ut fatetur Molina cum Soto quod ego limitarem, nisi ex morte tolerata maximum bonum invaso accederet, ut si ob fidem Catholicam occidendus esset: non enim videtur obligari ob temporale commodum uxoris vel filiorum ad amittendum lucrum gloriosi martyrii.*

RESOLVTIO XXVII.

Vtrum licitum sit provocare Tyrannum ad mortem inferendam.

NOtat egregie D. Cajetanus 2. 2. q. 124. art. 1. §. *adhoc dicitur. quod S. Martyres sponte procederent, quando eis expedire videbatur ad actus fidei exteriores; puta prædicationem vel confessionem, vel ad actus fraternæ charitatis, ut D. Thom. dicit art. 3 ad 1. etiamsi pro tunc non essent in præcepto hujusmodi actus, scientes, quod inde Tyranni sumerent occasionem affligendi & occidendi eos, & non procedebant ad provocandum eos ad afflictionem vel mortem inferendam; & ideo non dabant Tyrannis occasionem injuste agendi, sed ipsi accipiebant talem occasionem ex bonis actibus, quibus dabant sponte operam imperterriti Sancti illi. & propterea dicuntur sponte se ad martyrium obtulisse. unde & de B. Antonio legitur, quod ibat quidem cum Martyribus optans esse Martyr, & tristabatur, quod non esset martyrio dignus, numquam tamen provocavit ad sui mortem Tyrannos.*

Ex qua doctrina colligitur aliud esse, aliquem provocare Tyrannum persecutorem ad sui mortem, aliud se offerre voluntarie martyrio. hoc ultimum per se licitum est, primum autem per se illicitum. secundum enim habet objectum per se honestum, ut fidei confessionem, prædicationem liberam Euangelii, defensionem innocentis, abominationem idolatriæ, & hujusmodi actus per se bonos, ex quorum executione Martyres cognoscebant certo, moraliter Tyrannum irritatum iri ad inferendam mortem, & hoc non obstante, quia sequebatur ex iniquitate Tyranni actus illos exercebant, & sic dicebantur sponte se offerre

offerre

offerre martyrio, quatenus se exponebant periculo vitæ actus honestos exercendo, quod semper est licitum per se.

Primum tamen, scilicet provocare ad mortem aut martyrium, semper est illicitum per se & peccatum mortale. Ita Navarrus in Summ. cap. 11. art. 40. Sylvester verbo martyrium art. unico. Tabrena eodem art. 2. Lopez 1 p. Instruct. cap. 41 in fine. Sanchez in Summa lib. 2, cap. 34. art. 15. Ratio est perspicua, quia provocare Tyrannum ad mortem inferendam aut martyrium, est sollicitare quod exerceat actum intrinsice malum, quod numquam licet. sicut etsi licite ego possim vendere agnum Iudæo quamvis sciam ipsum sacrificaturum, non tamen possum provocare ad sacrificium, quia est intrinsice illicitum ex natura rei & prohibitum, quia malum. quam malitiam non habet venditio agni, ut est communis & certa sententia, ut videre est in Diana p. 5. tract. de Scandalo, Resolut. penultima. & sic numquam est licitum provocare Tyrannum ad mortem aut ad martyrizandum, quacumque causa existat, cum nulla ad hoc possit esse rationabilis, cum sit contra jus naturæ.

Quod non advertit Raynaudus p. 2. cap. 5. art. 8 male citans Sanchez ubi supra, qui sapienter loquitur, sequens modum loquendi D. Thom. dicens, esse mortale temere se martyrio & absque justa causa offerre. *Tunc autem*, dicit, *adest justa causa, quando martyrium est sub præcepto vel sub consilio. tunc autem martyrium est sub præcepto, quando est necessarium ad fidem, vel ad salutem multorum spiritualem conservandam, aut blasphemias vitandas: tunc autem est sub consilio, quando ex eo nihil aliud, quam Dei gloria & fidei exaltatio consequitur.* Quæ est doctrina D. Thom. ubi supra art. 8 ad 1. *Est enim*, inquit, *aliquis casus, in quo martyrium perferre non est de necessitate salutis, puta, cum ex zelo fidei & charitate fraterna multotiens leguntur Sancti Martyres sponte se obtulisse martyrio.* dixerat enim art. 1 ad 3, *quod in martyrio est observandum, quod non debet dare homo occasionem alteri injuste agendi, sed, si alius injuste egerit, ipse moderate tolerare debet.*

Quibus ut certis positis, superest conciliare quandam Sanctorum Patrum antinomiam. Videntur enim contrarias docuisse sententias: quidam enim constanter asseverant, non esse licitum se martyrio offerre. Ita Clemens Romanus lib. 5 Constitut. cap. 5. *Quia*, inquit, *esset ingredi tentationem à qua nos liberari exigimus.* Clemens Alex. lib. 4 Strom. cap. 2. *Vult enim Christus*, ait, *nos nulli esse auctores, neque alicujus mali causæ adjutores, nec nobis ipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denunciat enim quodammodo ut caveat. qui autem non obedit, est audax & temerarius, & inconsulte in manifesta pericula conjiciens.* Origenes tom. 31 in Ioann. Idem pulchre docet aliam subministrans rationem: *Non solum*, ait, *quia tantæ rei exitus incertus sit nobis, verum etiam, ne nos occasio simus, ut magis peccatores magisque impii evadant illi, qui nondum sanguinis nostri re ipsa rei facti, si, quæ in nobis sunt facientes, declinaverimus eos qui insidias nobis vel ad mortem usque moliuntur. Sed puniendi alioqui majori graviorique pœna nostri causa, si nostri amentes, rebus illorum posthabitis, exposuerimus nos ipsos interficiendos nulla nos necessitate cogente: nam si etiam qui alicui occasio peccati factus fuerit, is pœnas dabit ob ea quæ sui causa peccaverint aliqui homines, quomodo etiam pœnas non daturus est, qui, cum declinandi facultatem habeat, ne proditor ille Christiani sit nominis, & insidiator cultus divini erga Iesum, non declinaverit, immò potius concitaverit, &c.* Idem amplexantur S. Gregor. Neocæsariensis, ut refert Nyssenus in ejus vita. S. Gregor. Nazianzenus orat. 10 de Fratre Cæsareo, & orat. 20. art. 13. S. Petrus Alexandrinus *in canonibus de restitutione lapsorum.* Et omnium latissime & eleganter S. Athanasius in Apologia de fuga sua de manibus Arrianorum, dicens sic: *In universum omnibus ea lex posita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese dum quæruntur, neque præcipites temerariique sint in tentando Domino, sed expectent donec definitum moriendi tempus advenerit; sed tamen nos semper paratos esse voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia, usque ad mortem dimicemus. Hæc & Beati Martyres temporibus persecutionum observaverunt, iidemque quamdiu in latebris erant sese occultabant, ubi autem inventi essent, martyrium obibant, &c.* Quibus adstipulatur Nazianzenus orat. 1 in Iulianum. Omnes isti Patres, uno excepto Romano Clemente, sunt Ecclesiæ Græcæ qui magis institere in hoc dogmate.

Cæterum aliqui ejus cœtus, & multi Latinæ Ecclesiæ, immò Ecclesia ipsa Romana contrarium tenent. sic Tertull. lib. ad Scapulam cap. 5 refert, omnes cujusdam civitatis Asianæ se Tyranno obtulere morituros pro Christo. & S. Gordianum ex eodem motivo celebrat S. Basilius luculenta & celebri oratione ad populum habita. Eusebius etiam lib. 8 Hist. cap. 19, alios tres refert. Idem de S. Abibo Metaphrastes 15 Novembris de S. Paphnutio. Surius 28 Aprilis, S. Eulogius lib. 1 Memor. Sanctor. propter eandem causam S. Cordubenses extollit, referens cap. 16, S. Sebastianum, S. Babylam, & S. Aulatiam, *qui omnes nemine urgente palam coram Tyranno comparuere, fidem Christianam profitentes, & proclamantes alta voce se Christum adorare.* Vnde multis adductis in hujus partis fulcimentum, concludit cap. 20 S. Antistes Ecclesiæ Toletanæ electus: *Multi alii sponte se obtulerunt, & coronati sunt; & idcirco, ut quidam sapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cœlestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti; & excellentis voti est, inter tormenta prosilire, ubi non est criminis latuisse, sed in veritate crimen esse fatendum est latitare, si virtus excellentis meriti est ultro procedere; quia fidei nostræ confessio prædicationem exigit, & testimonium postulat.* (Sed de hoc iterum Resolut. 38.) de Sancto Marco Episcopo Aretusii. athletam voluntarium ex eadem radice vocat Nazianzenus orat. 3.

Ecce duo Patrum agmina inter sese pugnantia in re satis ardua & gravi, & tela utriusque agminis non obtusa immò acuta satis. Sed inter Angelos bonos etiam sua est pugna materialis quidem non formalis: omnes enim tendunt ad eundem finem, quamvis per media materialiter opposita, ut explicat D. Th. 1 p. q. 97. art. 4. & quidem non est inter Sanctos Patres dissidium, quando adest necessitas aut confitendi fidem, aut confirmandi fratres, ut de Marco Aretullio & aliis; tunc enim tenetur quis ultro offerre sese, & coram Tyranno præsentare & sistere, ne aut fides nutet, aut frater periclitetur, aut blasphemetur verbum Dei.

Quare liquido restat controversia, an quando non est necessitas, ultro se præsentare coram judice Tyranno, sit hoc laudabile, sed sit melius aut fugere aut se in tenebris delitescere. Patres Græci latebras & fugam prædicant, affirmantes hoc esse divinum præceptum, quibus videtur consonare D. Th. *in solutione illa ad 3.* dum dicit, *quod non debet homo dare alteri occasionem injuste agendi.* Quod est fundamentum Græcorum. Quare si aliqui Martyres se prodidere in propatulo, hoc fuit, vel quia judicabant vigere præceptum confessionis fidei, aut conservationis fraternæ, aut speciali divini spiritus instinctu, sicut multi sepro-

se projicere in ignem, aut præcipites se dedere coacti à Tyranno fidem abjurare.

At altera Patrum classis Latina concinit diversimode. quibus etiam videtur adstipulari Angelicus Doctor in solut. citata ad 1. quod aliquando martyrium non est de necessitate salutis, ut si quis ex zelo fidei, & charitate fraterna sponte se sistit coram Tyranno, prædicat fidem ex quo irritatur Iudex infidelis, ut pro defensione suæ falsæ religionis Martyrem obtruncet. sic enim S S. Martyres quos adduximus, quosque Ecclesia ut tales veneratur & colit, non quæsiti se prodidere ex zelo fidei illam prædicantes, cum non obligarentur prædicare, ut sunt hodie multi Martyres in Iaponia, & India Orientali, qui ex amore fratrum succensi fidei zelo abditissimas terras penetrarunt, publicantes Euangelium, pro quo egregie decertantes, occubuere non necessitate coacti, sed libero ducti consilio. de quibus multa tractatu ultimo.

Vrgetur, quia pro fide interfici, est ipsius fidei exaltatio & major Dei gloria, quæ est causa rationabilis & sufficiens, ut quis martyrio sponte se offerens coram Tyranno sistat; nec ad hoc requiritur instinctus extraordinarius & miraculosus, sed quod quis se fortem judicet, & quod, divina gratia suffultus, poterit minis & tormentis resistere usque ad mortem inclusive: nec enim qui ita se manifestat, publice prædicans Christum crucifixum, occasionem præbet Tyranno blasphemandi, occidendi & idolatrandi, imo ipse Tyrannus, ex sua iniquitate sollicitatus, ad has actiones progreditur, cum deberet procedere ad credendum Euangelio.

Rursus nec tentat Deum, quia Deum tentare est, quando quis temere absque ratione & consilio committit se periculo, expectans utrum possit liberari à Deo, ut ait D. Thom. 2.2. q. 97. art. 1. ex glossa in illud Deuter. 6. *non tentabis Dominum Deum tuum.* At, dum quis ductus prudentia & zelo fidei amorisque fraterni, se voluntarie sistat coram Tyranno, non sine ratione & consilio se exponit mortis periculo, sed valenti constantia, & invicta fortitudine expectans coronam pulchritudinis de manu Domini pro fidei exaltatione, & majori ipsius gloria quam intendit; & sic non dat occasionem Tyranno injuste agendi, imo operandi *prout oportet* ad ipsius salutem sempiternam.

Quare modus dicendi S. Eulogii & aliorum Patrum Classis Latinæ mihi magis & maxime arridet. alias, si numquam liceret se ultro & absque necessitate offerre martyrio, sed fuga Tyranni esset sub præcepto, semper martyrium quis obiret ex necessitate, non ex consilio aliquando, quod omni Theologo recte sentienti opponitur. quare fuga in persecutione non semper præcepta, sed aliquando sub consilio data. Licet enim aliquando fugere, & licet etiam aliquando non fugere; licet primum, quando plus fugiendo Ecclesiæ prodesse potest, quam se offerendo. & sic loquitur Athanasius, quoniam dicit, fugam esse sub præcepto: licet tamen secundum, quando quis pro fidei exaltatione & gloria Dei se manifestat coram Tyranno. Legatur doctissimus Ioannes Maldonatus in cap. 10 Matth. cap. 25. & Malderus 2.2. q. 3. art. 2. dubit. 2. de quo iterum infra Resolut. 29. §. 1.

RESOLVTIO XXVIII.

Vtrum liceat ad martyrium oblatio, fana idolorum evertendo?

RESolutionem istam absolvere decrevi propter Canonem quemdam, qui art. est 60. illius gravissimi & antiquissimi Concilii (in diœcesi Granatensi in monte Elviræ, ubi sita erat civitas quæ Illiberis dicitur, ut volunt doctiores Historiographi: Baronius ad annum 305, Loaysa in notis hujus Concilii (ex quibus Binius etiam in notis litera B.) & alii; non enim est Colibra quæ aliquando dicitur Illiberis in provincia Narbonensi) celebrati ante Concilium Nicænum, ut contra Magdeburgenses hæreticos Arnaldus Pontanus in sua Chronographia, anno Christi 794, & contra Anglos Alanus Copus, Dialogo 4 de Anglis, feliciter concludunt. sed quo tempore fuerit celebratum, variant Catholici. Dexter, quem tuetur Franciscus de Vivar. ad annum 300. Baronius ad annum 305. Basseus in Chronica Hispaniæ ad annum 338. Moralis ad annum 314. quamvis tamen dissidium sit inter Catholicos de tempore celebrationis, hodie tamen non est ambigendum de Concilii hujus gravitate & legitimitate, ut tradunt Baronius ubi supra art. 42 & 43. Coriolanus in Summa Conciliorum. Loaysa in Summa Conciliorum Hispan. Vivar. in Dextrum anno Christi 300. com. 1. art. 5. Doctissimus & Eruditissimus D. Ferdinandus de Mendoza in opere sapientiæ pleno, cujus titulus pro confirmando Concilio Illiberritano ad Clementem VIII. Severinus Binius litera A. notarum ad præfatum Concilium, quod fuit primum cujus Canones scripti extant in Ecclesia, ut notat Vivar. quos collegerunt, & ad brevitatem reduxerunt S. Felix Archidiaconus Toletanus, & Osius Episcopus Cordubensis, ut expresse testatur Flavius Dexter ad annum Christi 300, ubi Vivar. art. 5. §. *sed quid est.*

Inter hos autem Canones, sexagesimus in ordine quo digestus, est tenoris sequentis: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Euangelio scriptum non est, nec invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.* Ita referunt Binius, Coriolanus, Burcardus in suo decreto lib. 6. cap. 49. Ivon p. 10. cap. 127, in quæ verba sic Binius: *Christiani tempore Diocletiani forti animo ad idola frangenda passim prosiliebant, iidemque à gentilibus in eo furentibus occidebantur, idque fecerunt exemplo Eulaliæ Martyris, quæ impulsu Divini Spiritus commota, quæ teste Prudentio hymno tertio in Tyranno oculos spreta jacit simulacra de hinc dissipat,* &c. quod factum Eulaliæ importune ac temere ab omnibus usurpari displicuit Patribus hujus Concilii. quam interpretationem, & canonis hujus intelligentiam videtur sequi Raynaudus ubi supra art. 18.

Cæterum hi toto cœlo aberrant. hujus enim decreti gravissimi sensum nobis subministrabit S. August. epistola 50 ad Bonifacium virum militarem de Cæsaris comitatu, ubi circa medium loquens de quadam misera Anabaptistarum secta dicta Circumcellionum, sic fatur: *Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salutem, & temporalem nobis conantur auferre; sic amantes homicidia, ut in seipsis ea perficiant, quando in aliis perpetrare non possent. Sicut enim charitas laborat Ecclesiæ, sic eos ab ea perditione liberare ut eorum nemo moriatur, sic eorum laborat furor aut nos occidere, ut suæ crudelitatis pascant libidinem, aut etiam seipsos ne perdidisse videantur occidendorum hominum potestatem. Qui autem nesciunt consuetudinem illorum, putant seipsos modo occidere, quando ab eorum insanissima dominatione, pro occisione legum istarum, quæ pro unitate sunt constitutæ tanti populi, liberantur. Qui autem sciunt & ante ipsos leges quid facere soleant, non eorum mirantur mortes, sed recordantur mores, maximè quando adhuc cultus fuerat idolorum, ad paganorum celeberrimas solemnitates ingentia turbarum*

agmina veniebant, non ut idola frangerent, sed ut interficerentur à cultoribus idolorum. nam illud si accepta legitima potestate facere vellent, si quid eis accidisset, possent habere qualemcunque umbram nominis Martyrum; sed ad hoc solum veniebant, ut integris idolis ipsi perimerentur: quidam enim se trucidandos armatis viatoribus ingerebant percussuros, eos se nisi ab eis perimerentur terribiliter comminantes, nonnunquam & à judicibus transeuntibus extorquebant violenter, ut carnificibus vel ab officio ferirentur. jam vero per abrupta præcipitia, per aquas & flammas occidere seipsos quotidianus illis ludus fuit. hæc autem eos tria mortis genera diabolus docuit mori volentes, quando non inveniebant quem terrerent, ut ejus gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibusque donarent. hæc ibi: prodigiosa mortis cupiditas.

Igitur hujus canonis publicatio facta est contra hujusmodi Circumcelliones, qui nimia cupiditate martyrii, melius dicerem homicidii, irruebant in templa & idolorum dilubra provocantes in fideles ad mortem, quod numquam licitum est. & hoc fuisse viginti quatuor illorum Patrum in illo Concilio congregatorum intentum, liquet ex verbis: *Siquis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Euangelio scriptum non est, nec invenitur sub Apostolis unquam factum*, &c. constat enim multos à temporibus Apostolorum idola confregisse, & subvertisse idolorum fana, zelo fidei & amore fraterno succensos, qui tabulis Ecclesiasticis Martyrum sunt adscripti, ut de S. Eulalia & S. Eusychii Martyris historia cantat, quod templum fortunæ dejecit tempore Iuliani Apostatæ, quem irridens S. Nazianzenus, despiciens directum templum, ipsum dicit *fortunam infortunatam*.

Vt dicit Baronius in notis ad Martyrologium Aprilis, ubi sic egregie explicat Canonem Illiberinum: *quod autem dicunt Nicephorus libro* 10 *Histor. cap.* 10. *& Sozomenus lib.* 5, *cap.*20. *Eupsychium passum, quod fortunæ templum celeberrimum Cæsareæ Cappadociæ evertendum curavit temporibus Iuliani Apostatæ, sane aliquis existimare posset, hunc ob eam causam martyris nomine non fuisse decorandum, propterea quod repugnare videatur Canon.* 60 *Concilii Illiberini, quo cautum reperitur, ut, siquis idcirco occidatur à gentilibus, quod idolum fregerit, non habeatur inter Martyres. Quod tamen ita intelligendum est, cum quis sponte citra Christianam mansuetudinem (quam non habent Circumcelliones crudelissimi etiam in seipsos) ex nullo legis præscripto, sed furore quodam percitus, insilierit in idolum. at vero Eupsychium constat id perpetrasse authoritate legum Constantini Magni atque Constantii Imperatorum Christianorum, quibus Iuliani Apostatæ Tyrannis adversabatur: illorum enim iteratis sanctionibus templa clausa, idola prostrata, illorumque sacra prorsus fuerant antiquata. est & de his etiam S. August. doctrina epistola* 50 *ad Bonifac. qua significat, à Martyris titulo illum non esse excludendum, qui ex præscripto Imperatoris, Christiani idola frangens, occisus fit. quod siquis id juste facit cum Princeps jubet, multo magis licebit cum Deus jubet, & privato quodam divini spiritus instinctu quis ad id faciendum impellitur, ut multos fecisse constat.* Hactenus Cardinalis, qui non sibi videtur cohærere, dum die 16 Maji, loquens de Abda Episcopo & septem sociis, de quibus agit Theodoretus lib. 5 Hist. cap. 38, *causamque martyrii eam fuisse tradit, quod directum à se templum magorum jussu noluerit restituere. Hic, licet de exciso fano non laudetur, tamen abstinuisse à templi excitatione, eaque de causa subiisse martyrium, plurimum commendetur*, &c. Hic enim etiam S. Episcopus multum est laudandus juxta doctrin. Baron. propter templi eversionem & interitum, cum privato instinctu divino ad id fuerit impulsus, quamvis etiam aliam habuerit causam honestissimam martyrii abstinentiam à templi excitatione.

Igitur Illeberinus sanctissimus canon brevitate à compilatoribus digestus est contra Circumcelliones illos, qui prodigiosa mortis cupiditate, & martyrii temeraria ambitione prosiliebant in templa & idola; non tam ut zelo fidei everterent, quod multoties non faciebant, sed ut provocarent infideles ad homicidium. hæc autem provocatio nec in Euangelio legitur, nec tempore Apostolorum facta. quare non est causa martyrii, sed homicidii crudelissimi, & forsan, si canon ita diffusus, ut factus est in Concilio hodie extaret, clarius constaret horum Patrum sensus. est enim Patrum celeberrima laudatio martyrii eorum, qui idola & delubra contrivere, & destruxere divina Christi virtute & flatu Spiritus Sancti, ut videre est in Nazianzeno, in orat. de *funere paterno* & orat. 1 *in Iulianum Imperatorem*. In B. Ephron Syro, tomo 3. *in primo Encomio de S. Martyribus.* Canonem istum celeberrimum enucleat Canon 1 Concilii Ancyrani, ubi dicitur, *quod Presbyteri illi ordine suo non permittuntur ministrare, qui cum prius immolassent, postea quasi ex pacto ostentationem, ut caperentur & fidem profiterentur, fecerunt.* fuit autem hoc Concilium synchronon quasi cum Illiberitano, cum celebratum sit anno 314, ubi determinatum est, sicut in illo, quod lapsi non admittantur ad communionem, nisi pro crimine pœnitentiam fecerint, & condignam exhibuerit satisfactionem. aliam hujus canonis Illiberini expositionem infra Resolut. 34 Ferdinandi de Mendoza librabo æqua bilance.

RESOLVTIO XXIX.

Vtrum Martyr legibus adstringatur & quando.

PLurima sunt præcepta divina omnem fidelem obligantia, alia sunt negativa, & hæc semper & pro semper sua pulsant obligatione, alia positiva, quæ, etsi semper pulsent, non tamen pro semper. rursus alia sunt præcepta de mediis requisitis ad salutem, sine quibus hæc subsistere nequit, ut de Baptismo & pœnitentia, alia sunt de actibus virtutum; & de his incipiendum.

§. 1. *Fuga Tyranni Martyri necessaria?*

NOn licere fugere persecutionem sentit Tertullianus jam hæreticus Montanista factus, lib. de fuga in persecutione, quamvis vivens Catholicus licitam esse firmaverit lib. de patientia cap. 13. semper tamen in pastoribus fugam reprobat, quos ubi quando dixit, *se novisse in pace leones, in prælio cervos.* quam hæresim confirmat I, quia persecutio à Deo immittitur. ergo non fugienda, tum quod à Deo venit, est bonum quod evitari non debet; tum quia quod à Deo efficaciter venit, evitari non potest. II, quia Apostolis culpa fuit fugere dum Christi hostes illum persequebantur.

II. Opinio ex diametro opposita est, quod fuga necessaria est in persecutione, quando sine scandalo proximi aut fidei improprio fieri quit, quam sententiam secuti sunt multi ex Patribus. Chrysologus serm. 151, ubi *Christus fugit, ut nostras fugas in persecutione temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, ut & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus*

tempus non auferat supplicandi. *persecutorem qui provocat, facit; corrigit, qui declinat. Fugere debemus, ergo provocare non debemus.* Et infra: *fugiendum est, ut & ille, qui per ignorantiam fuerit, sanetur; & ille, qui patitur, de patientia palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen.* Hæc Sanctus, quo nihil clarius.

II. Athanasius in sua Apologia ad Constantium Imperatorem Arrianum, & in alia Apologia pro fuga sua, non solum id sentit esse præceptum, sed & probat Sacræ Scripturæ testimoniis Matth. cap. 10, *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite ad aliam.* & Matth. 14, *qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* & Isaiæ 2, *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* & cap. 26, *Claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Addit insuper Sanctos, qui in Sacra Scriptura leguntur, fugisse persecutores suos: fugit enim Iacob fratrem suum Esau, Genes. 27. Moyses Pharaonem, & secessit ad Medianitas, Exodi 2. David diu & sæpe fugit faciem Saul, 1 Reg. 19. Elias fugit Regem Achab & Iesabelem, 3 Reg. 19. Prophetæ quæsiti ad necem, fugiunt & latent, 3 Reg. 18. Discipuli in Euangelio latebras & recessus quæsierunt ob Iudæorum persecutionem, Ioannis cap. 20. & occiso Stephano fugerunt, Act. 8. Paulus in sporta dimissus, fugit Damascum, 2 Cor. cap. 11; & Christus fugit infans in Ægyptum metu Herodis, & Nazareth metu Archelai, Matth. 2. & jam miraculis clarus aliquando secessit ab insidiis inimicorum antequam venisset hora ejus. Omnia fere ex Athanasio; quibus probare nititur, fugam esse præceptam ante captionem à Tyranno.

III. Probat ratione S. Doctor, quia præceptum est de dilectione qua quis seipsum diligere tenetur. at, qui non fugit cum possit, ac se occidendum offert, non diligit seipsum, immò sui ipsius homicida est. Ita in priori Apolog. ad Imp. Alia vero pro fuga sua aliam addit rationem. quia non legitur Martyres se persecutoribus obtulisse, quin profiterentur hanc oblationem & vitæ propriæ profusionem ortam ex particulari Spiritus Sancti instinctu. Ergo quando iste non adest, fuga est necessaria & præcepta.

IV. Quia, ut refert August. in Breviculo colat. 3. cap. 13. Mensurio Episcopo Carthagin. eos qui se offerrent persecutoribus non comprehensi displicuisse, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos. & Cyprianus epistola 83 ad Presbyteros & Diaconos, sic dicit: *Vos autem fratres charissimi, pro disciplina quam de mandatis Dominicis à me semper accepistis, quietem & tranquillitatem tenete, ne quisquam vestrum aliquem tumultum, aut ultro se gentilibus offerat; apprehensus enim & traditus loqui debet, siquidem in nobis Deus positus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quam profiteri,* id est, *ultro & palam confiteri,* ut ex Cicerone pro Cæcina interpretatur Pamelius art. 6. Ergo fuga & occultatio necessaria est sub præcepto. & sic S. Cyprianus, rogatus à Tyranno, pro Presbyteris respondisse dicitur in ejus vita: *Nec ipsi se ultro offerunt, cum hoc Scriptura Sancta prohibeat.* Vnde Euthymius in cap. 10 Matth. dicit ex Nazianzeno, *quod Deus mandat fugere Tyrannum,* ut pareamus persecutoribus & inimicis. & quidem S. Doctor, orat. in laudem Cæsar. sensit, fugam esse præceptam. quem imitantur alii Patres Græci.

Et quidem Tertulliani hæretica sententia damnata est ab Ecclesia & Scriptura, ut constat ex locis adductis à S. Athanasio in argumento secundo, quæ ad minus probant, manifeste fugam in persecutione esse aliquando licitam: ut enim ait Cyprianus lib. de lapsis, aliquanto ab initio: *secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari.* Quod late, erudite, & sapienter firmat August. epist. 180 ad Honoratum, & tract. 46 in Ioann. quem imitatur Gregor. Mag. lib. 18 Moral. cap. 5, & lib. 31, cap. 23. ex Petro Alexandrino lib. de Canon. Ecclesiæ Can. 10. & Nicolaus Papa rescribens Humfrido Morinensi Episcopo idem definit: *Non dicimus, quod persecutionem non fugiamus, maxime Paganorum insidias, qui ad tempus sæviunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus, & multos Prophetas & Apostolos, ipsumque Dominum hujusmodi fugisse insecutores luce clarius constet.*

Et ratio est, quia non est aliquod præceptum quo prohibeatur fuga, & sic non est illicita cum non sit fidei contraria; immò est virtualis illius confessio, & martyrii non parva inchoatio & portio: exilium enim à Patria, parentibus, amicis, amissio facultatum, quod homo propter fidem suscipit acerba pœna est, quam amplectitur quis Christi amore pericula fugiens secedit aut occultatur. *Qui enim interim recedit, non fidem negat, sed tempus expectat. nam forte qui non secedit, negaturus remansit,* ait Cyprianus ubi supra. quamvis enim qui fugit, persecutionem non fugiat, quia certus sit de negatione si non fugiat, habeatque negandi propositum si permaneat, non enim id habet, tamen conjecturatur nitens animi sui infirmitate, ne contra propositum firmum non negandi si persistat operetur. quare, ut egregie Tertulliani fundamentum evertens, dixit Cyprianus citato loco: *Cum corona martyrii de divina descendat dignatione, ne accipiatur nisi completa hora vitæ in Dei prædestinatione signata, possumus in fide perseverantes fugere, & tempus coronæ nobis ignotum expectare.* Sic Christus, quia nondum venit hora ejus, sæpius & fugit & occultavit se, & multi Sancti, ipsum imitantes, fecere. Petrus enim asservatus in carcere fugit in Hierusalem, & postea Romam rediit, ut ibi coronaretur.

Quæ adeo sunt perspicua, & Patrum testimonio roborata, quod etiam probant aliquando fugam esse necessariam, & sub præcepto, tum quando persona est publica & valde utilis vel toti Ecclesiæ, vel multis qui deficerent, si ille alius deficeret. ut Paulus tenebatur aufugere Præpositum Damasci, qui ipsum volebat comprehendere. Quare August. lib. 2 contra Gaudentium cap. 16. quem imitatur D. Th. lect. 3. in cap. 10 Ioannis. In hoc distinguit pastorem à mercenario, quia mercenarius fugit, deserendo oves, ut se ipsum custodiat: pastor autem fugere debet, ut oves custodiat. Orire etiam potest hæc obligatio fugiendi ex fidei præcepto, quo quis tenetur, non se exponere periculo negandi Christum, quod periculum ut sit proximum, ex personæ qualitate pensandum est. fere semper tamen consulendum, ut vitetur tale periculum quando non fuerit certa vel magna spes, quod non fugere ad magnum Dei honorem, vel ad utilitatem proximorum expediat. quare, si neutrum sequatur, sed potius timeatur infidelium turbatio, tenetur quis fugere, ut dicunt Sylvester verbo *fides*, art. 4, & Angelus eodem art. 6, & docet D. Th. 2. 2. q. 124. art. 1 ad 3, quod si speretur aliquid istorum, quamvis timeatur infidelium turbatio, licitum est se offerre martyrio, cum potius sit jus fidei & fidelium.

Ex quo constat, aliquando esse licitum non fugere: non enim est præceptum fugiendi absolutum in persecutione; & alias potest habere finem honestum, ut propter majorem Dei gloriam, proximorum utilitatem, & fidei augmentum, & quia occasio congrua est, ut martyrii palma consequatur. quod autem non sit præ-

sit præceptum fugiendi, mihi certum est, si loquamur de præcepto semper obligante à Christo Domino. nam illa verba Christi Matth. 10. vs. 23, *Si vos persequentur in hac civitate, fugite in aliam*; non denotant præceptum absolutum, sed declarat id quod Apostoli tunc licite poterant exequi, & quod pro tunc convenientius erat, ut August. exponit epist. 180 citata, quem sequuntur Expositores Maldonatus & Cornelius ibi, &, Cajetanus egregie adnotavit, dicens, *fugite in aliam civitatem, licentia est, non præceptum, & apposuit hoc ne illicitum existimaretur fugere.* Idem docet S. Thomas ibi. quare cum adstat motivum honestum, & non sit periculum proximum deserendi fidem, licite potest quis fugere aut occultari, sed se palam sistere coram Tyranno, ut constat ex his quæ diximus Resolut. 27 & 28.

Sed est licitum fugere, si occasionem oportunam habeat ille qui comprehensus detinetur causa fidei? aliqui negant, maxime si confessio fidei expostulata est à Tyranno, & designatum tempus respondendi. Sed licitum esse, & aliquando præceptum mihi probatur, quia quod sic comprehensus non fugiat, non vergit semper in fidei honorem & defensionem, immò tali occasione contingere potest fuga, quod sit virtualis fidei confessio. quod etiam aliquando sit præcepta constat, si vita fugientis necessaria est, aut est timor probabilis, deficiendi in tormentis.

Cum hoc tamen stat, quod fuga persecutionis aliquando sit illicita, tum contra justitiam in Pastoribus, qui tenentur ex justitia non fugere: *Nam bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis: Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Quem locum egregie enodat D. Thom. ibi lect. 3, & 2. 2. q. 185. art. 5. id probat, secutus August. epistola citata. Pastor enim, qui sine causa moraliter necessaria fugit & dimittit oves, cum ratione sui muneris illis assistere teneatur, maxime in tanto & tam gravi periculo, quale est salutis æternæ, si non assistit Mercenarius est, & contra Pastoris obligationem agit. Quod graviter ponderavit Nicolaus Papa in epistola citata, his verbis: *Scias charissime frater, quod si perniciosum est proretam* (id est, navis rectorem) *in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus.* Et infra: *Sed præcipue nos, qui tamquam arietes ducatum gregibus præbemus, immò & qui horum Pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat.* & Athanasius in Apolog. pro fuga sua: *Ego autem cum in tanta tribulatione absurdum putarem populos deserere, & rectius esse, ut pro aliis pericula susciperem, manebam sedens in Cathedra mea, &c.*

Tum etiam currit hæc obligatio aliquando iis, qui non habent animarum curam; obligatio, inquam, ex charitate, qua tenemur plus diligere proximum in his quæ pertinent ad salutem animæ, quam nos ipsos in corporali vita defendenda, si currit periculum proximum salutis spiritualis aliorum, ratione cujus sunt in extrema vel gravi necessitate se salvandi aut à fide apostatandi. Ita D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ubi Cajet. Vanez, Aragon, Arauxo, Torres, Locca & Expositores omnes & Scholastici in 3. dist. 27. quare siquis sacerdos, etsi non sit parochus aut Episcopus, sed plures habeat filios spirituales, quorum confessiones excipit, si non assistens cognoscit ut fragiles defecturos à fide, tenetur ex charitate illis assistere. Pater vero naturalis, si filios aut filias relinquat in simili naufragio & periculo, peccat non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam; quia est illi obligatio & cura animarum filiorum & uxoris.

Ex quibus colligitur, optime docuisse Cornelium à Lapide ubi supra art. 23. illa verba Christi: *cum persequentur vos in ista civitate, fugite in aliam*, partim continere præceptum, partim consilium, partim permissionem: nam fugere aliquando, aut non fugere, cadit sub præcepto, & aliquando sub consilio, & aliquando sub permissione; ut cum quis tormenta valde metuit & horret, & in loco, ubi viget persecutio, manere necessitate aut obligatione aliqua non obstringitur. legantur D. Thom. q. 185. art. 5 citato, & August. in epistola adducta.

Ad fundamenta Tertulliani, respondetur ad 1, quod, cum ignorem, an persecutio sit efficaciter decreta, respectu mei possum tentare, an possim illam vitare in nomine Domini sicut Paulus effugit: ubi autem humana media ex prudentia non neglexerimus, *sicut fuerit voluntas in cœlo ita fiat.* & ad hoc etiam in fuga debet esse præparatus animus. Ad 11. respondetur, Apostolos non peccasse præcise, quia fugerunt, sed peccare potuerunt aut ratione scandali, aut quia cum dubia fide id fecerunt.

Ad fundamenta 11, sententiæ respondetur, solum probare aliquando fugere esse præceptum, quando esset temerarium perstare & se Tyranno offerre. quod nos concedimus, non tamen quod absolutum sit præceptum à Christo, fugere persecutionem. & hoc est Patrum illorum intentum, ut mihi attente legenti constat, & constabit etiam legenti.

§. 2. *Veritas martyrii denigratur occultatione fidei verbis ambiguis.*

PRæceptum de fidei confessione adimplere martyri necessarium est, cum pro fidei confessione mortem subeat, currit omni Christiano hujus præcepti adimpletio, *quando & ubi oportet*, cum sit affirmativum. Quare licet aliquando, quando non oportet fidem manifestare, illam occulere non profitendo religionem quam quis colit. hæc autem occultatio aut verbis fit aut factis. Sed non omnia verba, nec omnia facta, sunt ad hanc occultationem apta. quæ vero sint aut non, est difficultas. In hoc §. agam de ambiguitate verborum, quibus fides potest aut non potest occultari, & in sequenti agam de factis, & in subsequenti de templorum aditione.

Igitur dubium est, an siquis ad martyrium raptus, quia existimatur Christianus & revera ita est, si interrogetur à Tyranno de fide sua, possit fidem, quam tenet, Christi occultare non ipsam negando, quia hoc nunquam licet, sed verbis ambiguis aut divertendo sermonem non manifestare, sed teneatur fidem Christi confiteri. Quod in aliis terminis ab aliis disquiritur generalius, an quoties quis interrogatur sitne Christianus, teneatur palam confiteri fidem. & quidem certissimum, ita ut oppositum sit erroneum, quod si interrogatio ista fiat à persona publica, ut sunt Magistratus, Archisynagi, Reges & Præsides, aut alii ministri publici, quibus gubernamen est commissum, tenetur verbis aut in signis expressis fidem Christi profiteri, aut articulum fidei de quo interrogatur. In hoc conveniunt omnes Theologi & Doctores ad 2. 2. q. 3. art. 2, ubi D. Thom. id manifeste docet ex Patribus, Tertulliano in Scorpiaco cap. 1, & lib. de corona militis. Cyprian. lib. de exhortatione ad martyrium, & alibi sæpe. Basilio homilia in Gordonium Martyrem. Auctore operis imperfecti in Matth. apud Chrysost. hom. 25. August. lib. 8 Confess. cap. 2, & lib. contra Mend. cap. 2. Origen. homil. 10 in Numeros, & innumeri alii. quare Helchesaitæ, ut refert Eusebius lib. 6 Historiæ cap. 28, errarunt, dicentes: qui fixus est in corde suo, etiamsi pro necessitate ore negaverit, corde tamen

G

men in fide permanet. Idem docent Priscillianistæ, ut refert August. in lib. contra mend. qui, ut idem S. Doctor affirmat, asserebant etiam juramento posse fidem negare, & sic multo magis occulere verbis ambiguis. quibus consentiunt hujus temporis Novatores, ut refert Valentia; & D. Bernardus serm. 65 in Cantica tribuit quibusdam ævi sui quos ibidem impugnat.

Et quidem ex N. Testamento id manifeste constat. Matth. 10, ℣. 22, *qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Et ad Rom. 10, *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, salvus eris. Corde creditur ad justitiã, ore autem confessio fit ad salutem.* & 2 ad Timoth. 2, *si negaverimus, & ille negabit nos.* & Lucæ cap. 9, *qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* Plures rationes adfert hujus veritatis auctor imperfectus, quæ apud ipsum videri possunt. ratio enim D. Thomæ id evincit, quia fidei veritas propalanda est & confitenda, quando ex taciturnitate & dimissione hujus confessionis subtrahitur honor debitus Deo, aut proximi utilitas, quia ex tali taciturnitate aut occultatione per verba ambigua crederetur, quod fides non esset vera, & alii averterentur à fide, & cum finis fidei, sicut & aliarum virtutum, referri debeat ad finem charitatis, qui est amor Dei & proximi, fitque in hujusmodi casibus quibus quis, interrogatus à publica potestate, tenetur ore expresse, ita ut nulla supersit ambiguitas, fidem Christi confiteri.

Ex quibus evanescunt figmenta & deliria hæreticorum, & contra Helchesaitas stat dictum S. Isidori lib. 2 de summo bono cap. 2. *Sicut nihil proficit fides quæ ore tenetur & corde non creditur, ita nihil est profectura fides quæ corde tenetur si ore non profiteatur.* & Priscillianistas: *qui metu potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat; quia magis timet hominem, quam Deum.*

Interrogatus ergo à publica potestate, an sit Christianus, & profiteatur Christi fidem, non sufficit, quod fateatur Christum, sed necessarium est fateri esse Christianum. qui negat esse Christianum, negat consequenter Christum, ut de Petro, negante esse Discipulum Christi, dicit Tertullianus in Scorpiaco cap. 9, Christum in se negans, etiam ipsum negavit. Et August. tract. 103 in Ioan. *Non solum abnegat Christum, qui dicit se non esse Christianum; sed ille etiam qui, cum sit, negat esse se Christianum.* negat enim Christum esse Deum, cum neget esse se ejus cultorem. quare qui negat esse Christianum, reipsa negat Christum quem ore tenus confitetur, quia magis velit vitam salvare, quam ipsum confiteri, pro cujus veritate propalanda etiam vita flocci æstimanda, ut eleganter Cyprianus pluribus in locis, sed lib. de laude martyrii elegantius: *Si justus es & Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? in Isaia sectus, in Abel occisus,* &c.

Disertis expressis verbis absque aliqua restrictione mentali, æquivocatione aut amphibologia, alias S. Petrus non negasset Christum, dum dixit: non novi hominem, si intellexisset se non comprehendere, quem mens humana comprehendere non valet. & sic de aliis responsionibus, quarum æquivocationes & restrictione enucleat Ambr. lib. 10 in Lucam, qui tandem concludit: *quid prodest verba involvere, quando videri vis denegasse?* & sic jure optimo reprehendit D. Hieronymus illos, qui intentant per verborum æquivocationem Petrum à negatione excusare. Vnde Clemens Romanus epistola 31, rescribens Cypriano de illis qui libellatici dicebantur, (quia per libellos, quos nummis à falsariis ministris accipiebant, contestabantur se ad aras accessisse, & sacrificasse, cum non ita esset) *qui vult videri propositis adversus Euangelium edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Quod peccatum contra confessionem fidei reprobat Cyprianus epistola 52, & mandat non recipi, nisi facta publica pœnitentia. de quo alibi dixi in opere morali, ubi tractans de vocum æquivocatione & restrictione mentali, an sit licita, contra Raynaudum ostendi esse illicitam & prohibitam, quia mala jure naturæ, & in hoc tomo tract. ultimo, pono digressionem satis elaboratam contra obstrictiones mentales.

Sed quamvis peccatum hoc libellatorum gravissimam irreverentiam contra fidei confessionem contineret, quia his libellis saltim exterius simulare volebant se negasse fidem, cum judices testificationem aut approbarent oblatam propter pecuniam, aut pecunia oblata procurabant: quamvis, inquam, hoc peccatum mortale esset contra præceptum confessionis fidei, tamen non est peccatum, quod aliqua Ecclesia aut communitas, civitasve Catholica vectigal aliquod pendant Principi infideli, ne cogatur sacrificare idolis, sicut tempore Tertulliani solvebatur à multis communitatibus. quamvis enim non liceat emere libellum aut testimonium falsum de sacrificio peracto, at redimere coactionem sacrificandi. pecunia reddita pro avertendo animæ propriæ & domesticorum detrimento, licitum est, ut constat ex canon Pœnitent. Petri Alex. quem refert Baronius anno 205 & 305. addit tamen Cardin. Lugo infra adducendus n. 38, posse id etiam contingere, quoniam quis interrogatus de fide sua à judice quod precibus aut pecunia impetret ne cogatur respondere, cum hæc precatio potius constantiam in fide argueret, qua tamen constantia & implicite profitetur fidem. quod etiam docet Coninck infra adducendus n. 111, & 113.

Quare, hac supposita doctrina, non video manifestum crimen in illis libellatis, quibus, ipsis non sollicitantibus, judices & ministri publici offerebant libellum & testimonium de sacrificio peracto, cum reipsa ita non fuerint sacrificati, & ipsi falsum istum libellum non procurassent, sed utebantur falsitate ministrorum ad salvandam vitam propriam & suorum; & quamvis materialiter se simulaverint idololatras, si alias sunt valde necessarii aliis fidelibus, non video ita manifestum crimen sicut in illis qui sollicitabant falsum libellum, quamvis de utrisq; loquatur Cyprianus, & vere cum velint apparere idololatræ. quare in canone citato S. Petri Alex. culpantur qui dolo quodam aut pecunia supponebant pro se in sacrificiis publicis Ethnicos, qui pro se assisterent & sacrificarent, fingentes se aut infirmari aut destineri negotiis; culpantur etiam qui in sacrificio peragendo submittebant servos suos Christianos ut loco suo sacrificarent: omnia enim ista ex natura rei, & secundum se, illicita sunt & damnabilia, cum arguunt manifestam fidei erubescentiam. sed de his libellatis latius tract. ultimo in degress. cit.

Ex quo fit, quod, si quis apud Turcos & alios infideles non Christianos interrogetur, an sit Christianus, sat est quod affirmative respondeat se Christianum, non explicando an sit Catholicus Romanus, si tamen apud hæreticos Calvinistas, aut Lutheranos & similes negantes Romanæ Ecclesiæ inconcussam fidem, tenetur expresse dicere se esse Catholicum Romanum, quia de hoc articulo interrogatur; & sic debet confiteri, & non sat est dicere se esse Catholicum, cum hæretici Catholicos se esse vane glorientur, idem

Idem est si interrogetur an sit Papista, Romanista aut Pontificius, quia his nominibus, etsi irrisorie, apud hæreticos significantur sectatores fidei Ecclesiæ Romanæ & agnoscentes Pontificem Caput veræ Ecclesiæ. Legantur Coninck de actibus supernaturalibus disp. 15 de fide, dubit. 2. n. 10. Suarez disput. 14. sect. 1. & Cardinalis Lugo disp. 14. sect. 1. n. 33.

Sed modo superest dubium, an si ista interrogatio fiat à persona privata, tenear expresse fateri me esse Christianum aut Ecclesiæ Romanæ sectatorem. Societatis alumni dicunt parum referre, quod interrogatio fiat à persona publica aut privata: æque enim teneor respondere & confiteri fidem coram quolibet, & non uti æquivocatione, ut ex circumstantiis colligitur, quod silentium, aut conversationis diverticulum, aut usus æquivocationis est signum negationis, aut erubescentiæ confitendi fidem. Ita Suarez sect. 3. art. 6. Balmeseadanus disp. 48 de fide §. 20. Coninck dub. 5. art. 109. Cardinalis Lugo n. 37, qui num. 39 hanc constituit universalem regulam, quando tergiversatio vel silentium æquivalent negationi vel erubescentiæ, aut formidinis indicio, in ordine ad convenientia, ob quæ hæc sunt illicita, illa etiam non liceant sive fiant in publico, sive in occulto, sive apud Magistratum, sive apud hominem privatum. cum enim formalis negatio fidei utrobique sit illicita, utrobique etiam illicita erit negatio virtualis vel æquivalens. Et quidem D. Thom. 2.2. q. 3. art. 2. sine ulla distinctione absolute docet, si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide; hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.

Sed quamvis hæc regula veram contineat doctrinam, tamen modus loquendi clarior & practicabilior est, quem sequuntur discipuli D. Thom. explicantes articulum istum citatum. Banez dub. 1. conclus. 3. Valentia 22. disp. 1. punct. 2. dub. 3. Granados Ledesma 2. p. sum. tract. 1. dub. 4. conlus. 6. Lopez 1. p. cap. 41 versu peccat. mort. Iabnn. verbo fides q. ultima, & alii quos citat & sequitur Thomas Sanchez lib. 2. summ. cap. 4. num. 6. & Cardin. Lugo n. 38, qui asserunt quod siquis interrogetur à Iudice aut à habente potestatem publicam, tenetur respondere aperte, & quod silentium aut tergiversatio est virtualis negatio; quia quamvis juridice non interrogat de fide, tamen cum sit publica potestas, prudenter judicat silentium illud, aut tergiversationem respondendi, esse indicium quod non habet fidem Christi, ex illoque silentio multi moti prudenter averterentur à fide; tum etiam quia qui interrogatus à potestate publica non confitetur fidem Christi, magnum honorem, ex illa confessione Deo redundantem, aufert, & ita tenetur loqui, & expresse fidem fateri; quod est verum sive in publico sive in occulto ista fiat interrogatio.

Si vero fiat à persona privata, sive coram aliis, sive in occulto, potest interrogatus, non negando fidem, quia hoc numquam licet, divertere & tacere, dicendo: quid ad te istæc interrogatio? non attinet ad te fidem meam & religionem indagare, quis te constituit judicem super me, cum nullam habeas publicam potestatem ut vel prætenso jure interroges de religione? ex his enim, & similibus responsionibus, nullus prudenter potest judicare aut credere me non habere fidem, aut quod fides non sit vera; nec alii averterentur à fide, cum omnia ista contemnant interrogantem & interrogationem, & ad hoc tendunt, non ut de fide aliquid tractet, imo ut divertat tractatum, quæ diversio fieri nequit respectu personæ publicæ. Hæc autem secunda pars etiam tenet verum, quamvis persona particularis interrogans sit nobilissima: nobilitas enim nihil ad rem de qua agimus: non enim teneor semper Deo honorem exhibere per confessionem fidei, nisi in casibus à D. Thom. relatis, & quando prudenter judicatur posse contingere.

Non tamen approbo quod dicit Thomas Sanchez, quod, quando persona privata interrogat, non tantum potest interrogatus tacere & divertere conversationem, uti diximus, sed potest interrogantem deludere verbis ambiguis, aut alio spectantibus dissimulando propriam fidem. hoc inquam, mihi non probatur, quia si verba ista ita sunt ambigua ut nullatenus interrogans possit devenire in cognitionem veræ fidei, quam profitetur interrogatus, sed ex vi significationis sensibilis judicet interrogatum non habere fidem Christi, quamvis per restrictionem mentalem alium habent sensum. verum nullatenus licet sic deludere, quia vere judicatur infidelis ex vi significationis, & creditur prudenter non habere fidem Christi.

§. 3. *Verum evertit martyrium fidem factis occultare.*

Non loquimur de factis, quæ de se & ex sua institutione primaria non sunt instituta causa discernendæ religionis; facta autem ista aut consistunt in vestitu, aut in signis, aut in cæremoniis, aut in aliis actionibus quæ concernunt per se falsam fidem & religionem, & est templorum idoli, aut hæreticorum ingressus, aut assistentia eorum synaxibus, & congressibus. igitur sensus hujus resolutionis est, ut nostro aptetur instituto, an instante persecutione, & Tyranno fideles Christi inquirente, possit Catholicus ut mortem effugiat, quia fugam non vult arripere propter impedimenta quæ occurrere possunt, licite possit fidem occultare, vestibus, signis, cæremoniis, templi idolorum aut hæreticorum ingressu & assistentia: de quibus omnibus suo ordine est agendum, & primo de vestibus & signis.

Pater Suarez de fide disp. 14. sect. 5. Cardinalis Lugo disp. 14. sect. 5. §. 1. dicunt quod quantum ad præsens attinet, vestes de quibus in præsenti, quatuor continentur classibus. I. Est earum, quæ licet sint alicujus nationis propriæ, non tamen sunt institutæ ad distinctionem religionis & sectæ, etsi in forma vestium harum omnes alicujus sectæ conveniant, ut constat in habitu Turcarum, & aliquorum idololatrarum in India. II. Vestium classis est, quæ ponuntur in signa ad cognoscendos infideles, quatenus infideles sunt habitantes inter fideles, ut Romæ Iudæi inibi morantes debent portare galerum, & fœminæ velum flavi coloris. III. Classis est earum vestium quibus utuntur infideles non solum ut cognoscantur esse tales, & discernantur à fidelibus, sed quibus & utuntur ad corporis tegumentum & utilitatem carnis, & simul ad profitendam suam falsam religionem; sicut nostri monachi vestibus & contegunt corpus, & profitentur suam regulam. Sic Bonci in Iaponia, & alii ficti monachi in aliis falsis sectis. IV. Vestimentorum classis est, quæ non solum continent & significant professionem falsæ sectæ, sed etiam illis defertur cultus actualis authoris falsæ sectæ, ut apud Mahometanos est usus apud sacerdotes cujusdam vestis, in qua est imago illius falsi Prophetæ, & apud idololatras imago idoli depicta

picta aut penicillo, aut ex serico confecta, vel textura.

Mirum est, quam varie loquuntur Doctores circa usum licitum harum vestium ad vitandum damnum considerabile, vel in honore aut re familiari propria aut amici aut consanguinei, vel ad vitandam mortem, aut illius periculum. Varietatem istam agnosces, si legas, Sanchez lib.2 in Decalog. cap.4. à n.17. Cajet. 2.2.q. 3. art. 2. Navarrum, Rodriguez, Lopez, Tabien. Azor. ex Summistis, quos citat Bañez, Aragon. Arauxo. Lorc. ad q. 3 citatem. Suarez disp. 14 de fide. Lugo etiam 14 disputat. sect. 5. Becan. cap.9. q. 5. Granados tract. 2. disp. 8. sect. 2. Balmasedan. disp. 48. sect. 3. §. 27 & sequentibus, Coninck de actibus supernaturalibus disp. 15. à n. 66. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 17. à n. 3. Valent. disp. 1. q. 3. punct. 2. Malder. 2.2. q. 3. memb. 3. Torres disp. 36. dub. 4. Sylvius art. 2. Dian. p. 5. tract. 7. Resolut. 33, & innumeros alios quos non vacat legere, & ideo nec placet adducere. ex quibus attente consideratis sequentem duplicem regulam generalem deduco, in qua fere omnes convenire debent, & ex ipsa varia corollaria deducam.

Sit igitur regula I. *Quoties usus vestium movet, ut, agnoscentes personam illus utentem, omnino judicent fidem negasse, & sectam falsam amplexum fuisse: talis usus perniciosus & illicitus est; quando vero possunt dubitare, an ob alium finem diversum vestibus utatur, poterit talis usus aliquando licere ex gravi causa, quæ eo gravior debet esse, quo ex circumstantiis vestis illa magis secernat religionem, & ad significandum veræ fidei accedat abnegationem.*

Hæc regula mihi est indubitata, sicut debet esse apud omnes recte sentientes, cujus prima pars convenit cum secunda regula, quæ est illius enucleatio. Secundam partem probo, quia, quando non instat præceptum confessionis fidei ad damnum notabile vitandum aut mortem fugiendam, licet uti factis ex se inducentibus ad utrumque significatum, quia facta non habent ex se significationem præcisam mei conceptus, sicut habent voces. Quare ex natura rei non possum istis uti, & non significare conceptum ad monendum auditorem, ut latius dixi in tract. de vocum mentali restrictione, & maxime in re tanti ponderis, qualis est verba facere de fidei articulis. Quæ obligatio, seclusa lege & imperio Principis, non est in factis quibus possumus uti ad varios fines, quamvis habeant ex consuetudine aliquem usum determinatum. ut autem ab hoc usu animum & intentum divertamus, ne occasionem demus proximo scandali, requiritur causa, & eo gravior quo proximior est occasio, quod proximus judicat me dereliquisse fidem Christi, & denegem honorem Deo, utendo signis destinatis ad profitendum me esse Christianum.

Totum hoc declaratur ex doctrina communi in materia de scandalo, in qua ex D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 2 docent, quod quis tenetur vitare occasionem peccandi proximum, quamvis factum, ex quo arripitur occasio, non sit per se malum, sed ex ipso proximus scandalizatur. possumus tamen ex justa & honesta causa illud factum exercere, etsi provideamus proximum ex illo sumere malitia sua ansam ad peccandum, quia cum gravi damno meo non teneor avertere occasionem, quæ non sequitur per se ex facto meo indifferenti, sed ex malitia videntis. Verum est, quod, quando gravius aut perniciosius est peccatum ad quod factum à me exercitum occasionem præbet, eo gravior exigitur causa, & damnum quod mihi imminet, si non ministrem factum istud, majus & perniciosius mihi & meis. & non solum requiritur major causa, ratione majoris peccati & damni imminentis vitationis, sed etiam ratione personæ, ex cujus facto ministratur occasio, ut constat ex D. Thom. art. 6. quia quo quis est in statu perfectiori, eo requiritur major causa, & damnum, quod vitare intendit, eo majus debet esse. Legantur Bañez 2.2.q.77. dubit. 1. Aragon. dubio 1. post 4 conc. pag. 576. Valentia q. 10. punct. 5. Cajet. q. 3. art. 2, & q. 10. art. 4. Salon q. 77. art. 4 contra 6. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 22. q. 6. Sylvester verbo *scandalum*, q. 2. Tabiena eodem q. 3. Cordub. in Summa q. 5. Medina 1. 2. q. 74. art. 6 ad 3. Zumel. art. 8. disp. 4. Hos vidi, quia ad intentum sat erant, & sapientissimum Thomam Sanchez lib. 2 Summæ cap. 6. à n. 6. Vbi id ita eleganter, ut nullus alius attigerit ex sua familia. Ita in præsenti ideo quis ab usu prædictarum vestium debet abstineri, ne quis, eum agnoscens, judicet, quod non habeat fidem Christi: quare ex causa rationabili, & ad vitandum grave damnum aut mortis periculum, potest illis uti.

II. Regula. *Si sit aliquod vestimenti genus, aliquodve signum, quod ex circumstantiis & communi hominum receptione aut consuetudine apud omnes recepta, aut ex Principis mandato & lege esset determinatum, ad significandum veræ fidei negationem, aut professionem alicujus sectæ, hujus vestimenti aut signi usus serius non est aliquando licitus, sicut non est licitum verbis negare fidem.*

Hæc regula non est minus certa quam præcedens, cujus fundamentum tradit Dominus Cajet. 2.2. q.3. art. 2. §. *ad hoc dicitur. quia aliud est occultare propriam fidem, aliud profiteri alienam fidem, sive accidat utrumque verbo sive signo alio. at profiteri alienam fidem nullo pacto licet, & propterea sicut mortaliter peccaret, si quis diceret se esse Iudæum aut Mahometanum, ita mortaliter peccaret, si uteretur alia veste aut viracto aut quocumque alio signo proprio Iudæis in illa patria, aut proprio Mahometanis. Occultare autem propriam fidem, non est ex suo genere malum, sed potest bene aut male fieri: bene, quando homo non tenetur confiteri; male autem, quando homo tenetur confiteri suam fidem. Nolle ergo se cognosci Christianum quandoque licitum est, & quandoque illicitum. tunc autem illicitum est, quando occultatio aufert Deo honorem debitum, aut proximis impendendam utilitatem. & quia in proposito casu proximis non substrahit aliquam utilitatem, tota difficultas restat, an Deo substrahatur ex hoc debitus honor. secundum veritatem distinguendum est, quod si est alicubi lex aut consuetudo in viridi observantia ab omnibus, tam habitantibus, quam transeuntibus vel advertentibus, Christianis aliqua certa veste aut signo certo ad professionem suæ fidei uti mandans, non utens tali signo ut ignotus Christianus non occidatur, peccat mortaliter, quoniam tunc est tempus & locus confitendæ fidei, quando interrogatur quis de sua fide. ita quod si tacendo creditur non Christianus, substrahit tunc debitum ibi Deo honorem; in casu autem proposito plus quam interrogatio intervenit dum exigitur à lege, vel consuetudine talis fidei manifestatio. nec obstat, si lex sit à Tyranno facta, quoniam ex actus Tyrannus de propria fide manifestanda, tenetur Christianus propriam manifestare fidem, ut Deo debitum reddat honorem.* Hæc ibi. unde manifeste fit, quod, licet ex imperio Tyranni sit ortum præceptum, quod quis, qui fuerit in tali civitate aut regno, tali utatur veste aut signo, quod primario denotet professionem falsæ sectæ; si quis illo utatur in tali loco, non solum aufert debitum honorem Deo ex confessione veræ fidei, sed etiam irrogat manifestam injuriam negatione veræ religionis, quia uti tali signo est contra præceptum affirmativum & negativum fidei.

Ex his duabus regulis aliqua sunt deducenda utilia corollaria. I. Sit ex prima, vestibus primæ classis licite

cite poteſt quis uti ad vitandum mortis periculum, etiam Tyranno perſequente & inquirente Chriſtianos ad martyrium. ratio eſt perſpicua, quia hujuſmodi veſtes non diſtinguunt religionem, ſed nationem & habitatores alicujus religionis, ut Chinenſis, Iaponiæ, & Orientalium, ubi etiam Chriſtiani morem gerendo nationis ſuæ eiſdem veſtibus utuntur. Ita omnes citati & multi alii quos iſti citant. requiritur tamen cauſa ad hoc, ſine qua non eſt licitum intendere quod alius decipiatur in re tam gravi, ut optime Cardinal. de Lugo art. 70.

II. Infertur, non eſſe unquam licitum ex quacumque cauſa uti veſtibus quartæ Claſſis eſt communis ſententia. cum Cajet. Aragon. Banez, Suarez, Caſtro Palao, Sanchez, quos adduxi, & plures quos iſti adducunt contra Valmaſedanum & alios. Ratio eſt evidens, quia licet iſtis veſtibus poſſit quis uti ad depellendum frigus, & corporis ornatum, & nobilitatis ſignum & teſſeram, tamen ex ſua inſtitutione, quæ in viridi obſervantia perſeverat, per ſe ſunt ſigna falſæ religionis, deferentia cultum ſaltem virtualem idolo, aut auctori falſæ ſectæ; & ſic non poteſt materialiter ſumi quin etiam formaliter interpretative ſumatur, non ſecus ac vox: iſta enim in materia fidei etſi ſit æquivoca, aut reſtrictione mentali poſſit coarctare ejus ſignificatum ad bonum ſenſum, non poteſt tamen ſumi niſi in ea ſignificatione qua eam accipiunt communiter audientes ex hominum conſuetudine, & ſiquis aliter ea utatur peccat contra præceptum de confitenda fide, ut eſt apud omnes indubitatum. Ergo etiamſi veſtis ſit æquivoca, ſi tamen ex lege aut conſuetudine apud omnes illius ſectæ eſt inſtituta ad ſignificandam profeſſionem falſæ ſectæ, aut ad deferendum cultum actualem aut virtualem idolo, in hac ſignificatione ſemper neceſſario accipitur à videntibus, quia eſt inſtitutio per ſe,& omnes aliæ ſunt accidentaliter & per accidens conjunctæ. & ſic eo ipſo quod quis ea utatur peccat mortaliter contra præceptum negativum confeſſionis fidei, & ſic ex nulla urgentiſſima cauſa licet.

III. Infertur, nunquam licere uti cæremoniis ſectæ alicujus contrariæ fidei Chriſtianæ, etiam materialiter conſideratis, apud Profeſſores illius ſectæ, & in ſuis civitatibus. Hæc eſt apud me omnino certa. de qua late dixi in materia de legibus contra aliquos Græcos qui contrarium exiſtimarunt. Nec mirum, cum ſentirent multi ex ipſis mendacium aliquando licere. Hoc corollarium eſt contra Balmaſedanum, uti ſupra §. 59. qui ſecutus eſt Adrianum, in 4. q. 1 de Baptiſmo §. ad argumenta, & Mag. Lorcam 1. 2. diſp. 35 de leg. memb. 2 & 22. diſput. 24. n. 7. Citat D. Cajet. 3 p. q. 37. art. 1. §. ad evidentiam. Sed falſum, quia Eminentiſſimus Cardinalis contrarium tenet expreſſe 2. 2. loco citato, regula 11, *ſicut mortaliter peccarit, ſiquis diceret eſſe Iudæum, ita mortaliter peccat ſi utetur virreto veſte, aut alio ſigno proprio Iudæis in illa patria.* Quare 3. p. ſolum loquitur de cæremonia circumciſionis, qua utuntur Chriſtiani apud Preſtem Ioannem, in cujus Imperio omnes circumciduntur ex vetuſto & antiquo more, qui ab Eccleſia Romana damnatus non apparet, non quidem tamquam cæremonia legali, etiam materialiter, ſed ut patientes dolorem Chriſtum ſimilem ſenſationem patientem imitentur, quare apud illos nec eſt materialis cæremonia legis Iudaicæ, immò eſt cæremonia Chriſtiana in illa Eccleſia; in qua nec ſcandalum ſequitur immò ex contrario ſequeretur, nec eſt proteſtatio materialis Iudaiſmi, ſicut eſſet, ſiquis Chriſtianus habitans inter Iudæos, ne occideretur, permitteret ſe circumcidi, materialiter quidem & non ex intentione obſervandæ legis, quia omnes ipſum circumcidi videntes prudentiſſime judicarent ſe profiteri Iudaiſmum, & legem Chriſti abnegare; quod nullo modo licet.

Semper enim tenemur ex præcepto fidei non uti cæremonia quæ ex ſua inſtitutione in illa regione in qua ſumus eſt inſtituta ad profeſſionem falſæ religionis, quamvis alias poſſit ad bonum finem ordinari. ordinatio iſta enim non eſt manifeſta,& eſt manifeſta falſæ religionis profeſſio; immò D. Cajet. cum viderit alias Eccleſias, præter illam Regis David Ioannis, poſſe ex uſu talis cæremoniæ ſcandalizari, concludit: *Hæc ſunt quæ de hac quæſtione nova mihi occurrerunt, in qua libentius audirem Apoſtolicæ ſedis ſententiam, quam propriam proferre opinionem.* Non eſt autem nova quæſtio quod non liceat uti ſigno ex ſe inſtituto ad profitendam falſam religionem, quam quæſtionem jam tractaverat 22. loco citato. Sed erat nova quæſtio diſputanda etiam de cæremonia, cujus uſus non erat adhuc materialiter proxime inſtitutus ad profitendum Iudaiſmum in una natione, quamvis eſſet inter Iudæos; ſed de hoc late tractat. ultimo.

Hujus corollarii fundamentum, præter id quod poſuimus in regula, eſt quod jecimus corollario anteriori. & optime urget Epiſcopus Ioannes Maderus memb. 3. citato §. *verum contraria*: etenim quantum ad obligationem præcepti tam negativi quam affirmativi de fidei confeſſione, dubio procul æquivalent verbis res illæ quæ proprie ſunt idolicæ aut Iudaicæ. Quare ſicut Chriſtiano, interrogato ab homine privato cui non tenetur reſpondere directe tunc eſſe Chriſtum, non licet uti verbis ambiguis quæ ſecundum mentalem ſui reſtrictionem vera ſint, ſecundum communem autem ea audientis intellectum falſo ſignificant illum amplecti falſam ſectam, ita nec licet uti alia intentione ritibus Idolicis aut Iudaicis, quando civitatis uſus ſignificaturus eſſet ſe idololatram aut Iudæum: cujus ratio à priori eſt, quia, quando opus eſt malum intrinſece, & prohibitum quia malum, quamvis formaliter illud non intendas, ſufficit ſi illud exerceas: Nam in illo exercitio ex quo alii judicant te facere opus malum, ipſum interpretative approbas & amplecteris; ſiquidem in his quæ ſunt intrinſice mala & mortifera non bene exercentur; quamvis inde proximus non ſcandalizetur de facto, cum ex ipſo opere quod tamen exerces fratrem ſcandalizas, quantum eſt ex te & tua actione externa: numquam enim licet facto aut voce æquivoca uti quando adeſt obligatio non utendi, niſi ex ſignificatione in qua ab audientibus accipitur, ut optime Card. de Lugo art. 76. alias eadem prorſus incommoda ſequerentur, eadem inconvenientia ac ſi mendacium eſſet licitum: etenim obligatio non mentiendi inbibitur eſſentialiter, quod non utamur vocibus materialiter contra mentem audientium animo ut decipiantur, niſi hic animus ex circumſtantiis ſenſibilibus audientibus innoteſcat. & idem eſt de factis, quoniam iſta ex ſua primaria Principis inſtitutione deſtinantur ad aliquid ſignandum.

Nec favet Adriano & aliis factum Naaman Syri genuflectentis in templo coram idolo Remmon, quia ut egregie Text. lib. de idololat. cap. 16. homini Chriſtiano licet Domino ſuo idololatræ aſſiſtere tamquam ſpectator, non ut cooperator ſacrificii, ut ea ſolum præſtet quæ nos homini, non idolo, officioſos habent, *ſi propter ſacrificium*, inquit, *vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ. ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator ſacrificii.* Sic Naaman non petiit ab Eliſæo ſimulare idololatriam genufle-

ctendo ad idolum, sed petiit ut posset adorare, hoc est, genuflectere, non exercendo actum cultus divini, sed obsequii humani: qui enim servit Regi in incedendo, potest in quocumque loco eidem inservire, in genuflexione cum sustentando etiam in templo coram idolo. & hoc petiit Naaman ab Elisæo: erat enim timoratæ conscientiæ, & sic dixit illi: *vade in pace*, id est, ne turberis & angaris scrupulis, 4 Reg. cap. 5. Legatur Cardin. Lugo an. 112. de quo loco latius dicam ubi supra.

IV. Infertur, me optime respondisse Romæ anno 1628 cuidam Reverendissimo Patri Generali, à quo fui de hoc casu interrogatus. Quidam Rex in Iaponia, ut Christianos dignosceret ad necem, legem sancillit inviolabilem, ut omnes habitatores civitatum & oppidorum supra portas domus quædam verba suo idiomate scripta in tabella ponerent, quibus designabatur cujusdam idoli reverentia, adoratio & cultus illi impensus, dubitabatur, an Catholici, occulte ibi habitantes, possent licite verba ista lege præscripta super liminare suæ domus imponere. cui consultationi respondi id nullatenus licere ex præcepto confessionis fidei, quo tenemur ad non faciendum actum externum quo profiteamur sectam falsam, & ne faciamus ne alius judicet nos non habere fidem Christi, & utrumque sequitur ex positione talis tabellæ, sicut sequitur ex oblatione thuris incensi coram idolo. utrumque enim designat cultum idoli, oblatio thuris ex jure gentium, & positio Tabellæ dictæ ex lege particulari posita à Tyranno.

V. Infertur, nullatenus esse licitum id, quod quidam in Iaponia temerarie introducere voluere; publice sacrificare, offerre incensum coram idolo in conspectu totius populi circumstantis oblationi & sacrificio; ita quod fere omnibus aspicientibus quod fumus aromatum ascendat in conspectu aræ idoli, tamen occulte incensans & offerens dirigat oblationem, non ad idolum, sed ad Crucem quam occultam defert in manu, aut est in ara. hoc unquam non esse licitum ullo modo, nec ullo casu, late probavi *in tractatu de delictis generantibus suspicionem in fide*. Vbi adduxi congregationem Eminentissimorum Cardinalium de propaganda qui fide declararunt hoc nullatenus licere, & quod non liceat prædicare Christum resuscitatum tacendo esse crucifixum usque ad tempus. utrumque ibi latius enucleavi & docui, sequens doctrinam Euangelicam Apostolorum, non ad inventiones modernas: prius enim quod ad præsens attinet, manifeste sequitur ex dictis, cum ille modus offerendi publicus est, idoli cultus & directio ad crucem occulta. ex hac enim non aufertur malitia intrinseca prioris: teneor enim abstinere ab illo opere externo, ex quo & ex natura rei sequitur fratris scandalum: est enim actus ille intrinsice malus: teneor enim non facere actum publicum, ex quo publice colligatur me idolatrare. quam doctrinam latissime enucleo tract. ultimo.

VI. Infertur, quod quando lege & decreto Principis Christiani statuitur aliqua vestis ad destinguendum religionem falsam à vera, quamvis motivum hujus legis fuerit politicum, nullatenus licet, si lex ista est in viridi observantia, & inviolate observatur, in nullo casu uti tali veste aut signo ad simulandam sectam contrariam fidei Christi. Hæc est sententia Domini Cajetani, cujus verba dedi regula 2. & in Summa verbo *habitus*, art. 4. Toletus lib. 4 Summ. cap. 2. art. 3 dicens: *Durum semper mihi visum est, tale esse peccatum mortale: tamen communis sententia ita tenet, quæ in moralibus validum est argumentum.* Quam sequuntur omnes Summistæ antiqui. Sylvester verbo *fides*, art. 8. q. 5 ibi. *Qui portat vestem aliquam determinatam ad aliquod signum infidelitatis pecc. mortaliter, quia secundum August. 32. q. 4. Sanctius est mori, quam uti idolothyto. secus autem, si non designaret determinate infidelitatem, sicut Sebastianus utebatur chlamyde militari ex bono zelo.* Idem docet, citans Vervec. verbo *Apostasia*, art. 4. q. 1. & verbo *infidelitas*, q. 9. art. 10. Angelus verbo *fides*, art. 9. Tabienna verbo *fides*, art. 9. q. 8. Armila eodem art. ultimo. D. Antonius 2. p. tit. 2. cap. 6 ad finem. Navarrus in Summa Latina cap. 11. art. 27. vs. *quanto peccat.* P. Valentia 2.2. disp. 1. q. 3. punct. 2. vs. *quantum dubium*, in explicatione propriæ sententiæ, ubi dicit de contraria, *quod alicui possit videri non improbabilis.* de propria tamen dicit: *contraria sententia videtur mihi non modo tutior, sed etiam longe probabilior.* Idem repetit in fine puncti, vs. *& hoc etiam Cajetani dictum.* Et citat Alexandrum Alensem 3. p. q. 183. memb. 2. Philianchus de officio Sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 9. Thomas Sanchez lib. 2 Summ. cap. 4. art. 19 dicit: *hoc esse satis probabile*; quem sequitur Malderus memb. 3. vs. 4. *propositio.*

Ex quo fit, non esse licitum quacumque ex causa serio & ex animo portare Romæ galerum flavi coloris. quo distinguitur Iudæus à Catholico, & illum portans profitetur esse Iudaicæ gentis, quamvis distinctio ista facta sit à Principe motivo politico, ut dignoscantur, qui profitentur Iudaismum: parum enim refert finis legislatoris, si ex ejus imperio & lege signum istud determinatum est, ad significandam falsam sectam, in qua virtualiter continetur negatio veræ fidei Christianæ.

Hujus corollarii fundamentum, me quidem judice, valde efficax est. Simulatio sectæ falsæ numquam licet, etiam quacumque necessitate urgente; sed usus hujusmodi vestimenti aut signi determinati ad distinguendum religionem, est propria simulatio falsæ sectæ. Ergo quacumque necessitate urgente non est licitus, cum sit ex natura rei malus, & quia malus, prohibetur præcepto negativo non profitendi falsam Religionem. antecedens est omnino certum quoad majorem propositionem, quam docet D. Thom. 2.2. q. 111. art. 1. condemnans factum Iehu 1 Regum cap. 21. qui, ut falsos Sacerdotes occiderit, simulavit se idola colere. & late probat Valentia, & mihi est indubitata adeo, quod contrarium censura vacare non existimem. ut enim ait S. Doctor: non minus opponitur veritati, quod quis per factorum signa aliquid significet contrarium ejus quod in eo est, quod proprie est simulatio, quam si id efficiat per verba. & sic utrumque est mendacium, & utrumque opponitur professionis & confessionis fidei præcepto; & sic August. lib. contra mendacium cap. 8, loquens de simulatione Iehu, appellat *impium mendacium*, affirmans, *doctrinam esse mendaciloquorum asserere, quod liceat diaboli cultum mentiri, quando Dei cultus servatur in corde.*

Minorem manifeste ostendo. quia ille, qui utitur prædicto signo, aut veste simulat se Iudæum cum non sit Iudæus, quod proprie est simulatio, ut ait August. lib. 2 de sermone Domini in monte cap. 3. *qui enim*, ait, *agit partes Agamemnonis, vere non est ipse, sed simulat eum:* & sic qui utitur signo indubitato Iudaizantis serio & ex corde, quamvis interius teneat fidem Christi, tamen in exteriori agit partes Iudæorum; & sic, quamvis vere non sit Iudæus, simulat se Iudæum. quæ simulatio cum sit in materia gravissima & per signum quod ex lege Principis non minus significat professionem Iudaismi quam verba, non minus enim efficax est tale signum determinatum ex lege

lege ad commercium & convictum humanum, quam vocum significatio ex hominum institutione. quare sicut teneor in materia confessionis fidei uti significatione vocum juxta suam institutionem, nec possum illam restringere mentaliter, quia significatio illa sensibilis in materia religionis non dependet à mea voluntate, ita significatio signi, quam habet ex Principis imperio, non est dependens à libertate subditi semel instituta à Principe. & sic simulatio illa ex sua natura est protestatio externa Iudaismi, sicut fuit idolatria ficta Iehu, & sic damnata à Patribus.

Quod confirmo, quia, si quis agnosceret aliquem amicum Catholicum, & post ipsum videret Romæ cum galero flavo ipsum serio portantem, dubio procul posset ipsum denunciare tribunali Inquisitionis supremæ Eminent. Cardin. qui absque dubio ipsum examinarent, qua intentione id faceret, & sic portatio illa, & simulatio, ex natura sua, inducit virtualem protestationem Iudaismi, & sic ab intrinseco est mala, &, quia mala, prohibita.

Quare imperium Principis de usu galeri flavi in Iudæis in signum religionis, abstulit potestatem usurpandi illum in alium finem serio exequendum: nec enim finis iste evertit significationem primariam indubitatam, quam habet ex lege Principis, in qua imbibitur protestatio Iudaismi, & simulatio falsæ sectæ. sicut, quamvis thurificatio in templo idoli, possit habere alium finem, quam cultum delatum idolo, tamen, quamvis iste finis, quia non primarius exequatur, tamen non est in mea potestate auferre significationem cultus delati idolo.

Nec est par ratio de usu vestis lugubris, quæ ex communi usu est signum mœstitiæ, & tamen potest uti illa ex alio fine commoditatis depellendi frigus, quamvis non sit signum mœstitiæ, quod est exemplum Cardin. Lugo art. 77. disparitas enim est manifesta, quia lugubritas vestium, licet in tali vel tali modo factarum sit signum mœstitiæ, quam quis potest simulare, non habens occasionem, & sic mentiatur in materia forsan levi, cum non pertineat ad religionis distinctionem, si ex intentione simulandi serio faciat. tamen lugubritas vestis alio modo factæ, non est signum mœstitiæ, sicut est flavitas galeri Romæ signum immutabile Iudaismi. Quare illa uti numquam licet, quemadmodum voce æquivoca possum uti absolute, in ea qua voluero significatione, in sententia hujus Doctoris, tamen in materia religionis non possum uti, nisi juxta audientium mentem & intelligentiam.

Nec sequitur ex hoc, ut optime idem Cardinalis art. 72, quod si usus hujus galeri est intrinsice malus, quod nec Iudæi ex imperio Principis possent portare. negatur enim id sequi, quia respectu Christiani est malus ex natura rei, non tamen respectu Iudæi, sicut iste, interrogatus quam religionem teneat, absque peccato potest dicere se Iudæum, quod non licet dicere Christiano, quod Christianus gravissime in religione mentiretur, at non mentitur Iudæus. Quare, ex precisa hac confessione & portatione non peccat Iudæus, nisi se delectet in Iudaismo; at peccaret gravissime Christianus contra fidei confessionem.

Ex quo claret ratio, cur usus vestium primæ classis non sit malus ex natura rei, sed possit ex causa gravi, ut negotiationis aut evadendi periculum, esse justus, quia ille, quamvis reperiatur in gentibus falsæ religionis, tamen usus illarum, neque ex lege Principis, nec ex consuetudine, quæ vim legis habeat, distinguit religiones & sectas, sed est forma, quæ à majoribus in vestimentis est introducta, quam observant plurimæ nationes. (Hispana autem numquam conservavit sed quotidie vestimentorum mutant formas tam feminæ, quam viri) quod ex eo liquet, quod, si istæ nationes ad fidem converterentur, non mutarent vestes, quamvis si nudi essent, necessario essent vestiendi, ut constat in Indis conversis ad fidem. Legantur authores citati, qui in hoc omnes conveniunt.

VII. Infertur cum D. meo Eminentissimo D. Cajetano, quod, si in aliqua regione aut civitate est Principis imperium, aut lex in viridi observantia ab omnibus, nullo excepto, tam stante, quam de novo adveniente, quod quicumque Christianus habeat aliquod signum suæ Christianitatis, sicut Iudæi habent Romæ sui Iudaismi, peccat mortaliter qui non ponat, & si occidatur in odium fidei, non erit Martyr. Mirum est, quomodo fere omnes auctores citati pro omnibus sententiis conspiraverint, derelinquentes Cardinalem in hac parte, quamvis in prima ipsum sequantur. sed, me quidem judice, una sequitur ex alia.

Et quidem non est sermo, quando lex ista, aut consuetudo viget, & lata est propter politicum bonum, verum aut existimatum: tunc enim ex causa rationabili potest omitti tale signum, & de obligatione talis legis discurrendum, ac de aliis legibus politicis & civilibus: sed est sermo, quando lex ista de portando signo Christianitatis lata est, non ob finem politicum, sed ob protestationem & professionem suæ fidei Catholicæ Romanæ: tunc enim serio & scienter, non portans tale signum, peccat mortaliter contra præceptum confessionis fidei. Ita Navarrus ubi supra, sequens & approbans Cajetani sententiam, quæ probatur hoc discursu. quia, *sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis.* quod axioma, tam in Philosophia, quam in utroque jure, si sit sermo de causa adæquata & per se utriusque, est manifestum. atqui positio talis signi est per se causa externæ confessionis fidei. ergo negatio talis signi est negatio confessionis externæ fidei; atqui numquam licet exterius negare fidem. ergo numquam licet non portare tale signum, quod per se est impositum ad fidem confitendam. quare lex ista semper vivit ad interrogandum de Religione, quamvis legislator deficiat, sicut semper imperat. quare lex præfata semper dum viget imperat interrogando, & interrogat imperando, determinans non modum dumtaxat, sed signum externum confessionis fidei, ad quod portandum adstringitur homo ex lege ipsum interrogante de fide, quam si non confiteatur portatione talis signi, aufert à Deo magnum honorem, cum ex vi & efficacia legis semper instet necessitas confitendi fidem. sicut si Princeps aliquis Catholicus, ob rationes politicas, permitteret in regno suo libertatem conscientiæ, ferret tamen legem, ut omnis Catholicus Romanus portaret signum ad profitendam Ecclesiam Romanam, cujus est filius, & hæc lex esset in viridi observantia ab omnibus observata, quis dubitat, quod, si non portaret tale signum, peccaret contra confessionem externam fidei? & quod magnus honor Deo auferretur, sicut portando magnus defertur. ex quibus ea quæ adducunt Sanchez & Valentia diluta sunt. Cæterum advertendum, quod, licet ex lege Ecclesiastica Clerici & Regulares teneantur etiam religionis causa deferre speciales vestes à lege determinatas, tamen ex causa honesta, & ob mortem vitandam possunt omitti, quia non determinant religionem Christianam, sed specialem statum & professionem in Ecclesia. quare illarum negatio non est negatio externa fidei, & sic possunt

possunt hujusmodi vestes occultari aut omitti ex rationabili motivo.

§. 4. *Idolothytis vesci vero opponitur martyrio.*

IDolothytorum nomine intelligitur, quidquid comestibile aut potabile idolo sacrificatum aut oblatum, quod post mensis religionis & cultus ergo imponebatur ad manducandum & bibendum in honorem Idoli; & quidem sub hac contemplatione loquendo de Idolothytis, nullatenus illis vesci licet etiam instante morte, ita quod satius sit mori fame in extrema necessitate, si non sit alius cibus aliusve potus. Ita expresse August. epistola 154 ad . . . . & lib. de bono conjugali cap. 16. & lib. 32 contra Faustum cap. 13, quem loqui quando manducantur Idolothyta in honorem & cultum Idoli, & non aliter, constabit legenti; sic enim loquuntur alii Patres. Irenæus lib. 1 contra hæres. cap. 1. in medio, ubi Feuardentius. Origenes lib. 8 contra Celsum. & elegantur Tertull. lib. de Idololatria cap. 16. Cyprianus sermone de lapsis. quare stante gentilismo, Christiani ab Idolothytis religiose se abstinebant, & sic die 28 Aprilis celebrat Ecclesia fortitudinem S. Valeriæ Martyris conjugis S. Vitalis, quæ, eo quod noluit vesci Idolothytis, crudelissime fustibus macerata, obiit.

Cæterum, quamvis hoc omnino sit certum & indubitatum, superest adhuc dubium, an liceat aliquando uti Idolothytis, quia non est aliud manducandum aut bibendum, vel, si adsit, non tamen manducatur idolothytum in honorem idoli, sed aut voluptatis, aut alterius motivi causa. & quidem, si sit extrema necessitas ita quod quis fame periret, nisi idolothyta manducaret aut biberet, licitum esse illis uti ad manducandum & bibendum est communis sententia, quam sequuntur Vasquez l. 2. disp. 162. art. 32 & 33. Salas tract. 14 de legibus, disp. 11. n. 26. Valmasedanus de fide disp. 48. §. 80. & expresse docet D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæst. 3 ad 3, ubi cum sibi objecisset quod cibus, qui est maxime necessarius corpori, est dimittendus propter scandalum: dicitur enim 1 Corint. 8, 17, *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Huic argumento respondet S. Doctor *ad 3. dicendum, quod comestio alicujus cibi habet ex se speciem aliquam mali, sicut comestio Idolothyti; & ideo qui comedit coram infirmis, scandalizat active, quod est majus malum quam mors corporis, quia satius est fame perire quam Idolothyto vesci scilicet cum scandalo, quia primum est malum pœnæ, secundum est malum culpæ. non tamen aliquis debet se dimittere fame mori antequam cum scandalo idolothytum comedat, quia injiceret sibi manus & sic cum malo pœnæ adjiceret malum culpæ, sed comestio alicujus cibi non habet speciem mali, tunc idem est judicium de abstinendo à tali cibi comestione, & de dimissione rei temporalis alterius. unde quod Apostolus dicit* (1 ad Corinth. 8, ỳ. citato) *ad perfectionem pertinet consilii non ad necessitatem præcepti.*

Et in præfatum locum Pauli lect. 1. unde Apostolus, ex professo interrogatus à Corinthiis, agit de manducatione idolothytorum. ibi. *de escis quæ idolis immolantur. dicimus*, &c. *id est, scimus scientia vera quod in se sunt licitæ, nec propter idolum sunt immundæ*, & lect. 2. *superius ostendit* (Apostol.) *quod in se licita est comestio idolothytorum, hic monet abstinere ab ea propter scandalum dicens, videte nec hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis: si quis enim viderit eum qui habet scientiam in Idoleo recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma ædificabitur ad manducandum Idolothyta, & peribit infirmus in tua conscientia frater?* Et infra: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* In quæ verba sic S. Doctor: *videns enim quis fratrem peritum in idoleo, id est, in præsentia idoli sacrificata comedere, incipit ipse edere non illa conscientia qua ille, scilicet peritiæ causa, sed id putat esse numen, in cujus reverentiam hoc fit, & peribit infirmus in fide, id est, in tua conscientia frater, id est, occasione accepta à tua scientia, quia te sapientem videt comedere, putans quod sub idoli veneratione comedas. quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem aliquam, non solum idolothyti, in æternum. si ergo propter scandalum fratrum abstinendum est quasi à necessariis vitæ, multo magis à superfluis; & hoc non ideo, quia esca in se mala sit, sed ne scandalizem fratrem meum.* Et infra contra: *ergo pro scandalo fratris à pane & vino abstinendum est in perpetuum. respondetur, non est simile de necessariis & superfluis. vel loquitur hic de scandalo activo, non passivo, vel perfectionis necessitatis.*

Idem tradit Apostolus cap. 10, à ỳſſ. 20 & 21 ejusdem epistolæ, ubi iterum agit de Idolothytorum manducatione, tam pro ut idolothyta sunt, id est, in honorem & cultum idoli, quam materialiter sumpta, de quibus materialiter sumptis, dicit: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* id est, nemo *quærat ematve carnem idolis immolatam sibi commodam, gratam, sapidam, vilis pretii, sed in hac re quærat alterius, proximi scilicet, ædificationem, ut non cum ejus scandalo & damno spirituali illam emat & comedat.* ita Cornelius ex Theophyl. num. 24.

Ex quibus doctrinis vere solidis aliqua deducuntur utilia corollaria. 1. Quod comedere aut bibere Idolothyta in Idoleo (id est, *in epulo idolorum*, ut vult Erasmus, *vel in templo, vel in mensa idolis consecrata*, ut vult Cornelius, nam ibi accumbebant comesturi idolothyta; tales enim epulas utpote sacras in templo instrui solere docet Herodotus in Clio. sic & Iudæi victimas pacificas comedebant in atrio templi. Deuter. cap. 16, ỳſ. 11.) semper ab intrinseco est prohibitum; tum quia malum, tum quia actio comedendi ibi Idolothyta ex se profitetur idolum esse numen & habere divinitatem cui defertur cultus. nam, ut ait Apostolus cap. 10. ỳſ. 18, *nonne qui edunt hostia participes sunt altaris?* & ỳſ. 20, *non potestis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum.* Quare ex hoc capite numquam licet aut licebit idolothytis vesci quasi idolo sacris, quia est idololatria. hoc autem fit quando eo loco, modo & circumstantiis idolothytum comeditur, ut moraliter sentiatur comedens ad idoli cultum & reverentiam comedere; si enim statim à sacrificii actione peracta in templo cum offerentibus, vel sacrificantibus, vel in atrio templi, vel in domo sacerdotis simul, vel coram idololatris serio, ultro & non coacte idolothytum comedas aut bibas, censeris in honorem idoli comedere, quod prius moriendum quam faciendum, cum sit protestatio falsæ religionis:

Tum insuper actio ista, quamvis fiat cum scientia quod *idolum nihil est*, & quod non habeat divinitatem, si fiat in idoleo, id est, in præsentia Idoli, ut vult S. Thom. habet ex se speciem mali & est scandalum activum, quo scandalizatur infirmis edens idolothyta, putans habere idolum divinitatem, & quod fiat in ejus cultum & reverentiam; & sic *peribit infirmus in fide.* & sic dicit S. Thom. in illa solut. ad 3. & explicat S. August. epist. 154 . . . . . nam in hoc casu *satius est mori, quam edere idolothytum.*

Sed

Sed circa hoc corollarium occurrunt aliqui casus. Primus est, si quis viator sit in extrema necessitate comedendi aut bibendi, & in itinere inveniat idolothyta,& non est aliud quo fami & siti extremæ satisfaciat, an liceat illis uti,etsi alii scandalum patiantur. S. Thom. præfato in loco ad 3 argumentum, dicit, non solum esse licitum,sed obligatorium, quia,si non comederet, seipsum occideret, quia scandalum illud esset pure passivum. quod maxime verum est, si comedens protestetur se comedere non in honorem idoli,sed ut satisfaciat suæ extremæ necessitati. quod si non sit extrema necessitas, sed urgens fames, tenetur abstinere, ne frater scandalizetur, quod satis innuit Apost. vſ. 23 loquens de isto casu: *omnia mihi licent*, id est, licita sunt secundum se, *sed non omnia expediunt, quia non omnia ædificant*, quasi dicat Paulus, materialiter licet vesci idolo sacrificatis per se & ex natura rei, per accidens tamen non licet si sequatur scandalum, ut expresse dicit vſ. 28. bene video aliquos sentire, quod, etiamsi viator sit in extrema necessitate comedendi,potest non comedere Idolothyta, & hoc generosius esse quam satiari ex immolatitiis carnibus. Sicut Carthusianus potest non comedere carnes,sed mori & vitam non tueri per hoc medium: nec enim teneor tueri vitam, & conservare omni medio & omni tempore. Sed falluntur isti, quia, si sine peccato contra naturalem legem possum non mori, teneor obligatione naturali ad salvandam vitam, quod est omnibus indubitatum, quamvis non tenear ad eam conservandam uti omni medio, quale est in præsenti Idolothyti; non est autem Carthusiano unicum medium ad tuendam vitam carnium comestio.

II. Casus est, siquis sacerdos infidelis fidelem hominem invitet in domo sua, & illic ponat Idolothyta manducare, quid debeat facere. Apostolus posuit hunc casum cap. 10 citato, vſ.27, cui respondet: *Si quis vocat infidelium,& vultis ire,omne,quod vobis apponitur,manducate,nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: dico non tuam, sed alterius.* Vbi Apostolus duplicem rationem posuit propter quam, si invitatus sciat convivium fieri ex Idolothytis, non possit illa manducare, ut notat D. Thom. ibi lect. 5. I. propter illum qui indicavit hoc esse immolatum idolis, scilicet, ne credat te manducare sub veneratione idoli. II. ibi *& propter conscientiam non dico tuam*, quæ firma est, *sed alterius*, scilicet infirmi. quæ duplex ratio attingit duplicem originem duplicis malitiæ, quam supra in Corollario enucleavi. quare prius est moriendum,quam in hoc convivio manducare Idolothyta cum certa scientia quod sint idolo consecrata; sic enim fecit S. Valeria uxor S. Vitalis Martyris, quæ, cum nollet eum ethnicis convivari de Idolothytis, martyrium constantissime subiit, ut dicitur in vita Vitalis consortis sui.

Vt autem intelligatur prior pars responsi Apostolici, cui consonat cum illo quod dicit vſ. 25. *Omne, quod in macello venit,manducate,nihil interrogantes* propter conscientiam. notandum est ex Herodoto in Clio. D. August. in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos. Theodoreto lib. 1 Hist. cap. 14, ita grande piaculum reputabatur à primitivis Christianis, etiamsi nescientes inciderent in idolothyta quæ in macello venundabantur si erant carnes, & in tabernis si erant libamina: solebant enim gentiles etiam in ipsis torcularibus libare vina idolis. quod cum attenderet impius ille Apostata Iulianus fontes victimis contaminavit, deinde carnes, panes, fructus, & olera, & omnia alia esculenta aqua lustrali aspergebantur, & deinde in foro aut macello venales exponebantur. Et hunc scrupulum excludit Apostolus priori parte responsionis suæ,dicens: *si quis fidelis*,&c. cujus consilium sequebantur Christiani Antiocheni contra impium edictum Iuliani, etsi enim non poterant non gemere, & scelera illa detestari, tamen eisdem cibis vescebantur, ut ait Theodoretus, tum quia non erant alia alimenta, tum quia non manducabantur in idoleo, sed in propriis Christianorum domibus, ubi protestabantur, se non manducare illa in honorem Idoli. quam protestationem præcipit Apostolus facere, vſ. 31 concludens securitatem conscientiæ fidelium: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* quam protestationem esse præceptam dum manducatur de Idolothytis. quem sensum plenissimum esse, & ab Apostolo intentum docet ibi Cornelius vſ. suo 72. ex D. Thom. lect. 7. ex doctrina hujus corollarii colligetur intelligentia plurium canonum Concilii Anzyrani tempore Sylvestri Papæ, anno Christi 314, & confirmatum à Leone IV, ubi plura dicuntur de Idolothytorum esu, deque condigna satisfactione, à canone I usque ad septimum.

Notat tamen D.Thom. ubi supra lect. 6, ex Concilio Agathensi cap. 40, ubi dicitur: *Omnes deinceps sive clerici, sive laici Iudæorum convivia vitent, nec eos ad convivium quisquam recipiat, quia cum Iudæi apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum atque sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi, cum ea,quæ Apostolo permittente,nos sumimus ab illis judicentur immunda; & sic inferiores incipiant esse Christiani quam Iudæi,si nos quæ ab illis apponuntur utamur,illi vero à nobis oblata contemnant.* Notat, inquam, S. D. quod hoc decretum solum verificatur hodie respectu Iudæorum, non vero gentilium, quidquid dicat glossa ad cap. omnia 38. q. I. verbo Iudæorum: nisi gentiles etiam cibos discernant, & convivia faciant vel admittant à nobis convivari ex idolothytis aut ex cibis, quos ipsi discernunt religionis & cultus causa. glossa ad cap. ad mensam II. q. 3 verbo permittimus.quia istorum multi hodie Iudaizant,etsi enim non contineantur verbis cap. omnes,continentur tamen in sententia. etsi discernunt cibos, utique militat eadem adæquata ratio prohibitiones in eis atque in Iudæis. Legatur P. Thomas Sanchez l. 2. Summ. cap. 31. à n. 25.

Verum est, ut notat Sylvester verbo Iudæus q. I. dicto 2. quod quamvis Iudæi in convivio non discernant cibos, nihilominus nobis non licet cum eis convivari. Ita glossa in cap. omnes 28. q. I. verbo Iudæorum, reddens rationem, quia major familiaritas est in cibo sumendo, quam in colloquio, & facilius quis decipitur inter epulas, ut Ambrosius lib. 3 de officiis cap. 12. & sic concludit Sylvester cum summa Pisana, Archidiacono, Innocentio, Gothfredo & aliis, peccare mortaliter, qui cum Iudæis in conviviis cibum sumit, nisi per accidens casu in diversorio Catholicus & Iudæus commorentur, & in eadem mensa utrisque inserviatur, nisi uterque ex condicto & ex consilio intrant in Cauponam ut simul comedant. ita Ricejulus de jure personarum, lib. 2. cap. 41. n. 29. Sanchez lib. 2 Summ. cap. 31. n. 13 & 14, qui n. 15 excipit ab hac doctrina eos qui causa conversionis commercium habent cum Iudæis: isti enim, ut ex familiaritate contracta facilius persuadeant nostræ religionis mysteria,possunt cum illis communicare, dummodo ipsi non exerceant Iudaicas ceremonias. ita ad caput *Ad mensam* citatum Turrect. n. 5. Præpositus n. 6. Alvarez Guer-

Guerrero in speculo, tit. de Iudæis & eorum ritibus, pag. 259.

III. Casus est, si tyrannus, aut Princeps hæreticus, præciperet homini Catholico in diebus prohibitis ab ecclesia, carnes comedere, aut quod non illi apponant nisi carnes, & alios cibos idolis sacrificatos, dumtaxat ita ut cogatur illos edere, & sic deferat cultum idolo. cui respondent aliqui ad primam partem casus, quod aut Catholicus ægrotat, ita ut infirmitas sit manifesta, & sic absque protestatione potest carnes die Veneris manducare, quia à lege Ecclesiastica est liber, & sic quod aliquis scandalizetur nihil interest, quia est scandalum Pharisaicum. si tamen infirmitas non sit manifesta, & instet imperium tyranni, quod comedat carnes in signum hæreseos, licet egregie faciat ægrotus si etiam cum vitæ discrimine non comedat, posse tamen comedere si protestetur id non facere propter Principis imperium. ita Balmasedanus §. 101. quem quoad priorem partem impugnat Cardin. Lugo n. 101. quia protestatione facta ille vitat omnem suspicionem falsi cultus, aut superstitiolæ obedientiæ; & sic non *video* (inquit) *quo jure possit remedium naturale ad propriam vitam sine ulla necessitate relinquere*, tum etiam quia Catholicæ Ecclesiæ religio præcipit esum carnum in tali necessitate. quam obligationem non tollet tyranni imperium, quare faciendum erit id quod secluso mandato faciendum erit. Vnde loquendo de idolothytis dicit Vasquez 12. disp. 162. n. 32. quod homo in extrema necessitate tenetur ea manducare cum protestatione. ita Cardinal. n. 111. qui dicit in secunda parte hujus casus, quod si tyrannus omnem alium cibum prohiberet nisi idolothyta, quod teneretur non comedere, quia talis comestio talibus circumstantiis est vestita, ut non possit separari à cultu idoli saltem secundum apparentiam; & ita potius debet pati martyrium quam comedere, nec enim tunc quis se occidit, sed occiditur à tyranno. & sic ego intelligo S. Thom. in 4. dist. 38. loco citato, quod ejus doctrina teneat verum, quoniam non occurrit tyranni mandatum. quare cum etiam occurrat in priori parte hujus casus, & comestio carnium die Veneris sit à tyranno mandata in odium religionis, quamvis alias esset licita, non tamen tali circumstantia indicta, quod licite posset quis potius pati mortem & martyrium subire quam comedere; non enim illic obligat præceptum tuendi vitam quando adest fidei Christianæ publica defensio, & Ecclesiasticæ potestatis tuitio, & aufertur Deo Maximus honor, ut aufertur, si furente tyranno in odium Ecclesiasticæ legis vult ut in illius contemptum carnes comedat. Sicut S. Eleazarus quamvis posset licite carnes porcinas cómedere ad vitandum mortem, voluit potius celebre martyrium subire quam consentire tyranno, qui in odium fidei illas comedere mandabat. Similiter licite quis potest fugam tyranni capere, & tamen, si ipse capiatur, non licet fugere; & tandem etiam si Sacerdos possit sine aliquo ornamentorum celebrare, tamen si tyrannus aut hæreticus id præcipiat in odium religionis, tenetur mortem obire potius quam sine illo celebrare. & sic intelligitur etiam August. epistola l. 54.

II. Corollarium sit, non licere azyma Iudæorum edere, ita determinatum est, in 6 Synodo generali cap. 11, *Vbi nullus eorum qui in sacro sunt ordine, aut laicus, azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo lavet. Si quisquam vero hoc fecerit si clericus est, deponatur, si laicus, excommunicetur.* Quem canonem varie explicant Canonistæ & Summistæ, verbo *Iudæus*. Legatur Thomas Sanchez ubi supra, qui n. 4. decem casus proponit, in quibus licita est Iudæorum communicatio. & n. 7. enucleat corollarium propositum, quod determinat sapientissimus Sylvester, verbo *Iudæus* n. 2. cui consentiunt cæteri. Barbosa in collectaneis ad præfatum caput. *nullus*. n. 2. Antonius Riculus lib. 2 de jure personarum, cap. 39. n. 10. Azor. tom. 1. lib. 8, cap. 22, q. 3. Roscla Amilla n. 9. Angelus n. 7. qui omnes dicunt id esse mortale, etsi manducatio fiat seorsum ab eis: eadem est ratio de Idolothytis ac de azymis. quare de istis eodem modo est Philosophandum ac Philosophatum est de illis in superioribus.

Adverto tamen, quod ubi Iudæi in suo errore permittuntur propter bonum politicum, ut est Romæ & aliis locis Italiæ, & aliquibus Hispaniæ, quod siquis Iudæus in diebus azymorum præsentet placentulas azymas Christianis, possunt illas edere sine scrupulo, non quatenus Iudaicas sed dilectionis causa. Sic enim vidi Romæ viros timoratæ conscientiæ edere, sicut ibi eduntur aliæ pastæ farinæ azymæ. Quæ *etiam bellæ* dicuntur: dum enim eas placentulas azymas manducant aliquem honorem non præstant legi Mosaicæ. Quamvis, ut verum fatear, melius est ab illis abstinere, ne cibos separatos & cæremoniales Iudæorum videamur aliquatenus æstimare, & ne ipsi putent aut existiment aliqualem honorem illis præstare Christianos.

III. Corollarium sit, qua ratione fideles, summi Pontificis filii, qui habitant inter hæreticos, aut eorum loca itinerando transeunt, debeant abstinere feriis sextis per annum, & tempore quadragesimali, à carnibus & aliis cibis prohibitis lege Ecclesiastica; de quo late Cardinalis Lugo ubi supra §. 2. & Balmasedanus à §. 81. Coninck. art. 52. Sanchez lib. 2. summ. cap. 4. n. 24. & quidem si non vescantur carnibus sibi oblatis, ex alio prætextu quam religionis, non peccant contra fidei externam confessionem, sed solum mentiuntur mendacio levi causam non existentem prætexendo: religio enim tunc celatur, quia non instat præceptum de externa ejus confessione; si tamen celandæ religionis causa carnibus vescantur, existimo, quod si non adsit scandalum, aut nisi per esum carnium exploretur eorum religio, vel authoritate publica, aut ab aliquo privato, (tunc enim instat præceptum de Confessione fidei,) non peccare qui ad vitandum grave damnum celat religionem comedendo carnes diebus prohibitis, quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio. ita D. D. citati.

§. 5. *Templorum aditio Hæreticorum ex imperio Principis Hæretici verum evertit Martyrium.*

SAnctissimus Summus Pontifex Paulus v, decimo Kalendas Octobris anno 1606, motum proprium misit pro consolandis & instruendis Catholicis Anglis, quibus sic alloquitur sapientissimus Pater: *Accepimus, compelli vos gravissimis pœnis propositis, templa Hæreticorum adire, cætus eorum frequentare, concionibus illorum interesse; profecto credimus procul dubio eos qui tanta constantia atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculati ambularent in lege Domini, numquam commissuros esse ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis; nihilominus zelo Pastoralis officii nostri compulsi, & pro paterna solicitudine, qua de salute animarum vestrarum assiduo laboramus, cogimur monere vos, ac obtestari ut nullo pacto*

lo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum concionem audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicatis, ne Dei iram incurratis; non enim licet vobis hoc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis, &c. Quæ refert Suarez lib. 6 contra Regem Angliæ in proëmio, & anno 1607, decimo Kalendas Octobris per aliud breve, prius edictum confirmavit.

Circa quod breve aliqua sunt discutienda. 1. An hodie in aliquo casu licitum sit hæreticorum templa ingredi. 2. An hæc quæ Summus Pontifex prohibet lege sua sint mala, quia prohibita, an prohibita, quia mala. 3. Qua ratione hodie ingredi non liceat in Anglia hæreticorum templa. 4. An hoc breve extendatur ad alias civitates, & regna aliorum Principum hæreticorum & Paganorum.

Prius tamen, quam ad horum discussionem perveniam, notanda sunt tria, quæ prohibentur in prædicto brevi. 1. Templorum ingressus. 2. Conciones audire. 3. Communicatio in ritibus. & quidem hoc ultimum dubio procul est prohibitum, quia malum: habet enim intrinsecam malitiam, & ubique, & respectu omnium, non licet communicare in ritibus hæreticorum, quæ propria sunt illorum, ut constat ex supradictis, §. anteriori. etenim communicatio ista est professio contrariæ religionis: excipe tamen, dum quis existens in Græcia intret Græcorum Schismaticorum templa, ubi sunt sacræ imagines, coram quibus celebratur more Græco sacrificium Missæ, debet illud adorare & sacras imagines venerari, quia hoc non est communicare Schismati, aut illud ritusve Schismaticos approbare, cum sit cultus communis Catholicis & hæreticis Schismaticis, ut bene Lugo n. 172. & idem esto judicium, si quis ingrediatur templum hæreticorum in Germania, vel ubi est permissa libertas religionis, si in illo aliquæ actiones exerceantur, quæ communes sint Catholicis & hæreticis.

Igitur circa 1. dubium, an hodie in aliquo casu aliquibus personis licitum sit hæreticorum templa ingredi, & eorum audire sermones, Respondetur, quod sic; de qua re egregie Tertullianus lib. de Idolatria per viginti quatuor capita, in quibus agens de origine & variis idololatriæ modis cap. 41. incipit recensere ea quæ Catholicis sunt prohibita aut concessa circa hanc materiam. cap. enim 5 est adversus eos, *qui templa idolorum, aut idola perficiunt.* & cap. 6, quod *hujusmodi artibus repudium dedimus in Baptismo.* cap. 7, quod *zelus fidei id ipsum prohibet.* cap. 8 *idem facit quod* cap. 5. Cap. 9 *de idololatria arguit Astrologos.* cap. 10, *de ludimagistris idolatris.* cap. 11, *de negatione mercium, quæ ad idololatriam pertinent.* cap. 12, *quod non oporteat prætexere vitæ necessitates ad idolatriam.* cap. 13, *de festis extraordinariis idolorum.* cap. 14, *quod non est ignoscendum his quæ ethnici faciunt.* cap. 15, *de solemnitatibus Cæsarum non observandis.* & cap. 16, *de privatis solemnitatibus, quod idololatriæ non sunt obnoxiæ, nisi quis harum occasione sacrificiis intersit.* cap. 17, *quod servis fidelibus non liceat ministros esse idololatriæ.* In his enim capitibus 16 & 17 dubium propositum exagitat & dissolvit his verbis: *Si in vocatu nec in sacrificiis sit titulus officii & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet, utinam quidem nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est, sed quoniam ita malus circumdedit seculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini non idolo officiosos habent. plane ad sacerdotium & sacrificium vocatus, non ibo, (proprium enim idoli officium est)* sed *neque consilio, neque sumptu, aliave opera in ejusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriæ; si vero alia causa conjungit sacrificanti, ex tantum spectator sacrificii. Cæterum quid facient servi, & liberi fideles, item officiales sacrificantibus Dominis vel Patronis, vel præsidibus suis adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjecerit, minister habebitur. hujus regulæ memores etiam magistratibus, & potestatibus officium possumus reddere secundum Patriarchas & cæteros majores, qui Regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt. Hinc proxime disputatio suborta est, an servus Dei alicujus dignitatis aut potestatis administrationem capiat, si ab omni specie idololatriæ intactum se, aut gratia aliqua aut astutia, etiam præstare possit. secundum quod & Ioseph, & Daniel, mundi ab idololatria, & dignitatem & potestatem administraverunt, in ornamento & purpura exstitere totius Ægypti & Babyloniæ. Credamus igitur succedere alicui posse, ut in quoquo honore, ut in solo honoris nomine incedat, nec sacrificet, nec sacrificiis authoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit, nihil solemne pronunciet vel edicat, ne juret quidem.* Iam *vero quæ sunt potestatis, nec judicet de capite alicujus vel pudore, (feras enim de pecunia) nec damnet neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat aut torqueat, si hæc credibile est fieri posse.* & cap. 18, quod nec vestium ornatus sit licitus, qui cum idololatria commune quid habet, & sic dicit: *Iam vero de solo suggestu & apparatu honoris* retractandum; *proprius habitus uniuscujusque est tam ad usum quotidianum, quam ad honorem & dignitatem,* &c. cap. 19 idem probat de militia, *si communis idololatriæ.* cap. 20, *quod etiam verbis abstinendum ab idololatria.* cap. 21, quod *idem est, jurare per idola, sive per alios adjuratus acquiescas.* & cap. 22, *quod neque benedici per Deos nationum Christianus sustinere debeat.* cap. 23, quod *nec scripti jurare per Deos alienos liceat.* & cap. ult. *omnia prædicta epilog.* & omnia eruditissime enodat Pamelius in notis suis.

Ex qua anacephaleosi Catholicaque doctrina plura colliguntur ab authoribus, tam scholasticis, quam moralibus, ad præsens dubium attinentia. quod fanorum gentilium aut templorum hæreticos ex genere suo ingressus est quid adiaphorum & indifferens, & sit solum materialis ratione alicujus necessitatis temporalis, ut pluviæ aut belli fugiendi aut necessitatis civilis publicæ, ut ministri Principis idololatriæ aut hæretici, aut œconomicæ, ut servi & ancillæ alicujus domini, aut uxoris infidelis: isti enim possunt ingredi templa isthæc causa ministerii politici, & civilis debiti. Quare, si Princeps genuflectitur aut dominus, potest servus etiam genuflectere. sicut si Rex est capite discooperto, eodem modo stare debet servus; non quidem in reverentiam idoli aut sacrilegæ communionis Calvinisticæ, sed civiliter *cortesana mente* domini sui, ut illi morem civilem in actione de se indifferenti gerat. Quare nullum, quantum ad hoc, agnosco discrimen inter capitis apertionem & genuflexionem.

Ea autem, quæ in contrarium adducit Cardinalis Lugo n. 134. minoris momenti sunt, ut nos abducant ab exemplo Naaman Syri, qui cum domino suo in templo idoli genuflexit, non ut reverentiam exhiberet idolo, sed ut civiliter *cortesana mente* se conformaret domino: hoc enim est tantum templa illa & Ecclesias hæreticorum materialiter adire, & solius negotii civilis causa; non autem est ingredi formaliter, cum non ratione alicujus falsi cultus aut templorum venerationis ingressus fiat, qualis esset etiam quando ratione solius curiositatis, sicut etiam integrum esset templa illa ingredi, si Rex Senatoribus aliquibus Catholicis præciperet in templa illa confluere

fluere ad consultationem aliquam de rebus civilibus habendam. Ita sapienter Thomas Sanchez n. 27. qui addit, quod in his casibus nulla Catholicorum protestatione illuc ingredientium opus est, aut numquam fuit, cum causa ingressus sit manifeste civilis & ab omni prorsus malitia aliena. quod ego verum existimo, nisi Princeps hos congressus civiles faciat ut honorem publicum deferat templis suis: tunc enim protestatione opus est, Catholicos nullatenus concurrere ad illum honorem prætensum, sed solum ibi convenire ex imperio Principis.

Similiter licitum est, ubi libertas conscientiæ authoritate publica permittitur habitantibus Catholicis & hæreticis aut infidelibus, aut dum Catholici sunt captivi, conciones infidelium audire (si absit scandalum aut periculum subversionis) ut impugnent errores hæreticorum; & sic fit de facto in aliquibus civitatibus Alemaniæ, imo si quis Catholicus transiens per has civitates, secluso scandalo & periculo, templa & Synagogas ingrediatur, audiatque conciones hæreticorum aut Iudæorum curiositatis causa, aut novitatis visendæ, non damnarem pro mortali, legantur Sanchez *ubi supra n. 26.* Coninck de actibus supernaturalibus disp. 15. dub. 3. n. 55. Balmasedanus disp. 48. à §. 60. Torres disp. 35. dub. 7. §. ex doctrina. quæ omnia prius docuit Tertull. si attente legantur verba relata.

Sed cum licitum sit, ut vidimus, officialibus & ministris domus Regis aut Principis, ipsos comitari usque ad templum inclusive, ibique inclusive exercere munia civilia, ut caput discooperire, dum princeps id facit in reverentiam sui templi, & genu flectere, &c. etsi non reverenter respectu templi, sicut civiliter respectu Domini; si hoc officium aut ministerium vendibile ponatur, congruat viro Catholico propter familiæ suæ honorem illud emere, de hoc fui aliquando interrogatus, & dixi cum Tertulliano, quod si officium hoc nullum munus aut actionem exerceat respectu templi, aut illius cultus etiam remoti, nullumque jus dicat, aut operetur aliquid in Catholicos, sed in solo honoris nomine incedat, sicut fas est illud officium exercere, ita erit fas illud emere pro honoris nomine familiæ suæ. Canonem vero 59. Illiberitanum, qui huic doctrinæ contrarius videbitur, infra Resolut. 34. §. 2. enucleo, ubi alia testimonia Tertull. egregia.

II. Dubium propositum gravissimum quidem, an hujusmodi actiones, ingressus templorum, & conciones audire, sint mala, quia prohibita, an prohibita, quia mala; & quidem si hæ actiones ordinentur ad communicandum in ritibus cum hæreticis aut infidelibus, nulli dubium, quod sint prohibitæ quia malæ, sicut est communicatio ipsa in ritibus & cæremoniis falsæ religionis, de quo nullus Catholicorum debet dubitare. Difficultas vero est, an istæ actiones, quatenus imperatæ à Principe hæretico in signum professionis falsæ sectæ, sint ita intrinsice malæ, ut pro nulla damno vitando sint faciendæ, quin potius debet Catholicus mortem subire, quam illas exerceat. affirmant Suarez lib. 6. in Regem Angliæ. cap. 9. n. 15. Cardinalis Lugo, ubi supra art. 176, & alii hujus scholæ, qui duobus argumentis probant. I. est, quia lex ista imposita à Principe hæretico intendit aliquam honestatem in operibus ab ipso præceptis: nulla enim lex talis est, nisi id quod præcipit sit sub motivo alicujus virtutis saltem apparentis. atque honestas ista non est alia, nisi pertinens ad religionem vel cultum religiosum, ut major frequentia, solemnitas in festivitatibus, major honor & authoritas, quæ ex frequentia & concursu accresceret hæreticis concionantibus. ergo subditus, qui adeundo templa nullam aliam causam exterius præbet, nisi legis observantiam ad evadendas pœnas, eo ipso exterius significat se intendere observantiam legis, & ponere actum religiosum à lege præceptum.

II. Argumentum est, quia si licitus est templi ingressus imperatus à Principe hæretico, etiam erit licita, præcipiente eodem Principe, sumptio falsæ Eucharistiæ Calvinisticæ ad vitandas easdem pœnas. Sicut enim adire templa hæreticorum est de se indifferens, & potest esse aliquando licitum, ita comestio panis illius Calvinistici qui naturalis panis est. quod nullus concedit; ideo ergo hoc non est licitum, quia comestio est actio religiosa, cum ergo etiam sit religiosus templi ingressus, etiam non erit licitus, quia imperatus à Principe sub hoc motivo. Sicut quamvis comestio idolothyti secundum se sit indifferens, & aliquando licita, ut vidimus, tamen si sit tibi præcepta à Principe, etiam ad vitandam mortem, non est licita.

III. Argumentum est Thomæ Sanchez, quia hoc Regis edictum id petit & eo dirigetur, ut ex eo dignoscantur, qui hæresim profitentur, quive Catholici sint, & ut ritus hæretici honore quodam celebrentur; & sic nulla ratione est illi obtemperandum, ingrediendo templum intentione evadendi mortem. nec sat erit, quod Catholicus protestetur se ingredi hoc animo; quia hæc protestatio aut est publica, at hoc non, quia eam non patientur magistratus hæretici, nisi fraudulenter, ut plures Catholicos capiant; aut particularis, respectu aliquorum Catholicorum, & hæc non aufert scandalum hæreticorum. Et sic ingressus iste semper manet ex natura sua scandalosus: eo enim ipso quod Catholici ingrediantur hujusmodi templa jubebuntur cantare, genuflectere, & orare instar aliorum hæreticorum, ac proinde in ritibus communicare, synaxin hæreticam sumire, authoritatem summi Pontificis negare, ac cæteros articulos hæresibus suis contrarios. Quare, cum adsit hoc proximum periculum principiis obviandum est, ne *sero medicina paretur* animarum perniciei.

IV. Argumentum est Suarez, desumptum ex verbis Pontificis, quibus declarat malitiam harum actionum ratione cujus illas prohibet, dicit enim: *non licet vobis id facere. quare non tam* lege sua prohibet, quam monet, & obtestatur malitiam talis communicationis, quam esse mortalem declarat, dicens: *Ne Dei iram incurratis: non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis.* Quam malitiam intuens Tertull. lib. de Spectaculis cap. 13, *Idololatria abstineamus, nec minus templa, quam monumenta despiciamus.* & lib. de idololatria cap. 13, *Hoc loco retractari oportet de festis diebus* (infidelium) *& aliis extraordinariis solemnitatibus, quas interdum lasciviæ, interdum timiditate nostra subscribimus, adversus fidei disciplinam communicantes nationibus, in idolicis rebus.* Et sanctus Cyprianus epistola 31, quæ est Romanorum Clericorum ad ipsum. *Non est* (inquiunt) *immunis à scelere, qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse: nam hoc ipso jam paruit, qui videri paruisse voluit.* Quare si Angli Catholici, ut timore pœnarum temporalium, edictis & legibus regiis obediunt, exterius retinentes fidem, interius simulant fidem falsam, quæ est negatio exterior fidei habens malitiam ex natura rei, ut arguit August. lib. contra Mendacium. Quare hujusmodi actiones sunt prohibitæ, quia malæ, non tantum malæ, quia prohibitæ lege pontificia.

Sed quamvis hujus sententiæ fundamenta valida sint & robusta, tamen non video, quomodo cohæreat

teat doctrina, quam concludunt, cum ea quam supra §. 3 illatione 6 ipsi docuerunt, contra Cajet. ibi propugnatum à me docentem, quod, si sit lex Principis, statuens ad distinctionem inter veram & falsam religionem, quæ lex sit in viridi observantia apud omnes, potest quis ob periculum mortis vitandum uti tali veste, qua simulet se non Catholicum, nec in hoc peccare contra fidei externam confessionem: ita enim simulat se quis Iudæum portans serio & ex animo galerum flavum, qui ex lege significat Iudæum Romæ, ac ingrediens templum simulat se hæreticum. quare si prius licet ex natura rei, posterius etiam licebit ex natura rei, nisi obstaret lex Pontificia. atqui prius licere docent Lugo, Thomas Sanchez, Suarez. quare cum ego negem illud licere in quocumque casu, etiam dico has actiones Catholicorum Angliæ prohibitas esse, quia malas, supposito edicto Principis, posito ut per templorum ingressum discernantur Catholici & hæretici, & sic satius est martyrium subire, quam templi hujusmodi gradus ascendere.

III. Dubium ex dictis manet resolutum, quia Catholicissimi Angli tenentur se abstinere ab hujusmodi actionibus, & quia sunt contra præceptum naturale, non mentiendi & simulandi falsam religionem in re gravissima, & contra præceptum divinum non negandi exterius fidem, quamvis corde retineatur. quod eleganter expressit Chrysostomus hom. 25 operis imperfecti in Matthæum, his verbis: *Si tibi tantum Deus cor creasset, sufficeret tibi fides cordis, nunc autem os tibi creavit Deus, ut corde credas, & ore confitearis.* Et infra: *ergo si quis dicat tibi non manduces Idolothytum, sed aspice Idola quomodo speciosa sunt, si aspexeris provocatus, oculus tuus negasti Christum, non quia aspicere Idola aliquid sit, sed, quia invitatus aspicis peccas. Si tamen non aspexeris oculis tuis confessus es Christum. Si vero dixerit tibi, nolo ut aspicias Idola, sed tantum ausculta quomodo illi gentiles blasphement Christum, ac glorificent Deos, si auscultaveris auribus tuis, Christum negasti. Si dixerit tibi nolo ut audias blasphemiam Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur; tantum igitur & accipe odorem incensi illius, si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es*, &c. Quibus discurrit per quinque sensus externos, quibus tenemur, non simulare falsam sectam. ad quod etiam tenentur Angli ex præcepto Papæ intimato per illud Breve, quod, licet declaret legem naturalem, tamen hæc declaratio legislativa inducit obligationem novam positivam ipsam sequendi, ut constat ex primo & secundo Brevi Pauli V, relatis ad verbum à Patre Suarez.

Ad IV dubium dico, quod, si est similis lex Principis, sicut est in Anglia, extenditur utique declaratio Pontificia: est enim Breve Paulinum declarativum legis naturalis & divinæ. si tamen non est lex ista, ut vidimus, ubique locorum, est prohibita communicatio invitibus cum hæreticis: si enim ista absit & scandalum, & periculum subversionis, non est jure divino aut naturali prohibitus ingressus fanorum. aut hæresios templorum, & auditio sermonum in illis, & in synagogis Iudæorum, ut supra dicebam. non tamen obligat lex Pontificis, quæ est declaratoria juris divini & naturalis, quod non exerit vires suas, nisi in circumstantiis, quales sunt in Anglia, adestque lex Tyranni aut hæretici similis Anglicanæ, ubi potius quis martyrium subire tenetur, quam templum hæreticum ingredi. quare hujus aditio verum martyrium evertit.

RESOLUTIO XXX.

Martyrium non absolvit Martyrem ab aliorum præceptorum observantia.

NE *usque ad eundem redire videar* Raynaudum, placuit, id quod recte docuit ex ipso transcribere, liceatque mihi aliquando *Pamphili furtum.* sic enim de præfata resolutione bene loquitur p. 2. cap. 5. n. 6, *alius martyrii obex excludendus à Martyre adulto, est violatio præcepti, cujusvis tunc vigentis cum subeundum sit martyrium. sive enim martyrium, ut plerumque accidit, sit opus dumtaxat supererogationis, sive subeatur morali necessitate, quod aliquando usu venit, non est unde homo se exolutum putet observatione præcepti, quod tunc quoque præstare & vigere supponatur, itaque ejus violatio charitatem & gratiam extruderet: sermo enim de gravi præcepto, cujus violatio lethali noxa hominem contaminet. & sine charitate habituali, quæ gratiæ satellitium est eique insociabiliter adhæret, etiamsi tradideret quis corpus suum ita ut ardeat, nihil ei prodest, ut fert Apostolicum oraculum. S. Chrysostomus homil. 56 in Matthæum, hanc necessitatem observandi præcepta in Martyribus quoque locum habere probat, ex illis Christi verbis: tollat Crucem suam, & sequatur me. at enim hoc esse sequi Christum, (quod supra crucis sublationem & passionem à Martyre exposcitur.) omnes virtutis numeros perfecte adimplere; nec dumtaxat habere fortitudinis, sed omnis virtutis genus, omnis justæ legis observationem complecti. Id enim est recte Dominum sequi, ut & propter ipsum cuncta sufferas, & aliquas virtutes non negligas. late idem confirmat Autor de singularitate Clericorum apud Cyprianum, nominatimque*, n. 124 ait: *credamus super illos martyrium jam jamque pendere, interim priusquam Martyres fiant, legibus subjacent. indubitatus item Cyprianus epistola 25 ad Moysem & Maximum Presbyteros celebrat, quod de Christianæ disciplinæ tenore solliciti, datis literis hortati essent collegas, ut Euangelii sancta præcepta, & tradita nobis sæpe mandata, ut talia forti, & stabili observatione tenerent. id quod S. Cyprianus optime factum confirmat, cum ex cap. 18 Matth. jubentur docere baptizatos, ut observent mandata. Tum ex 1 Joannes cap. 2, ubi dicitur: in hoc intelligemus, quia cognovimus eum, si præcepta ejus custodiamus, qui dicit: quoniam cognovit eum, & mandata ejus non servit, mendax est, & in illo veritas non est. Hoc est esse confessorem Domini, hoc est esse Martyrem Christi, servare vocis suæ inviolatam circa omnia, & solidam firmitatem, nec propter Dominum Martyrem fieri, & præcepta Domini destruere conari adversus illam dignationem quam tibi dederit, armis ab illo acceptis, rebellem quodammodo fieri, Christum confiteri velle & Euangelium Christi negare. Eandem ob causam epistola 21 ad Lucianum, Martyres designatos gravissime admonet, ut, à quibus tam devote & fortiter servatur fides Domini, ab eisdem lex quoque & disciplina Domini reservetur. nam cum omnes milites Christi custodire oporteat præcepta Imperatoris sui, tum vos magis præceptum ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum præstatis, probatisque vos non esse ex eorum numero, qui dicunt & non faciunt; quo ex capite laudatur, ab August. serm. 116 divers. cap. 6, cum esset in procinctu ad martyrium, satagit omnia quæ ex Episcopi munere tenebatur omnibus numeris implere, & omnibus legibus, quibus urgebatur exo'vi, ut testatur S. August. serm. 12 in appendice Parisiensi. Sic enim* (inquit Augustinus) *se meminerat fore Martyrem, ut se esse non oblivisceretur Episcopum. Similiter ergo Christiano cuicumque, mortem pro causa Christi subituro, memoria repetendum est, sic mox futurum Martyrem, ut*

nunc meminerit esse Christianum, ac proinde *statuat necesse est omni sibi Christiano munere rite esse defungendum. idque prævidentes S. Martyres, Nicomedienses, Maximiani, edicto intra templum comburendi 25 Decembris, tametsi Baptismus cruentus instabat & quidem perfectissimus, tamen non idcirco Baptisma aquæ suscipiendi lege exolutos qui aderant Catechumenos censuerunt. itaque confestim eos lustrarunt expiatricibus aquis*, ut eorum acta, quæ Baronius tomo secundo exhibet, testatum faciunt. Hæc ex illo suffuratus sum.

§. 1. *Sacramentalis confessio si adest, opportunitas Martyri necessaria.*

EXomologesin sive sacramentalem confessionem, secundam tabulam post Baptismum in conscientiæ naufragio, remedium esse necessarium ex Euangelio omni Christiano, adeo quod nisi quis in re vel in voto Exomologesin peccatorum coram judice suæ conscientiæ faciat, salvus esse non possit, quamvis occultissimum sit delictum, & interius dumtaxat mente conceptum, omnino certum est, & fide sanctum. id docuit Christus in Euangelio, id tenet firmissime Ecclesia, cujus Patres omnes docuerunt. Ita graviter August. lib. Homiliarum 50. homil. 49. *Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi agnoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustraneum Euangelium, frustranea verba Christi?* S. Basilius in regulis brevio. interrog. 288. *Necessario*, inquit, *his peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei: siquidem rationem hanc in pœnitentia veteres illos secutos fuisse, cernimus.* Quibus adjungo Magistrum Tertullianum & Discipulum in nullo inferiorem Cyprianum. Ille in lib. de pœnitentia: *tantum*, ait, *confessio revelat delictum quantum dissimulatio exaggerat.* Iste vero lib. de lapsis, *denique quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti. quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes Exomologesin conscientiæ sui animi faciunt, pondus exponunt, salutarem medelam parvis, licet modicis, vulneribus exquirunt*, &c. ejusdem modi necessitatem post Baptismum tradidere cæteri Patres, quod si cito in longum ibo sine necessitate, cum id constet esse de fide.

Igitur si designatus ad martyrium, constans in fide, turbatus tamen conscientia, quam lethali culpa agnoscit maculatam, ut martyrii fructus cumulatos colligat, Exomologesin facere tenetur, &, si adsit confessoris copia, illi delictum aperire: *Ne importuno tempore acerba poma decerpat: nemo enim navem suam quassatam, & perforatam fluctibus, prinsquam diligenter refecerit in altum denuo committit, nemo tunicam scissam accipere, & induere properat; nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & à fullone curatam receperit.* verba sunt non abs re Cypriani epistola 12 ad fratres in plebe. sed ad rem proprius & proprie, lib. de lapsis n. 105 loquens de martyribus: *Ecce pejora peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta flere. Ananias, Azarias, Misahel, illustres ac nobiles pueros, quo minus Exomologesin Deo facerent, nec inter flammas & camini exæstuantis incendia quieverunt, bene licet sibi conscii, & Dominum fidei acti majoris obsequio promeriti sæpe, nec inter ipsa gloriosa martyria virtutum suarum destiterunt, loquitur Scriptura divina: stans*, inquit, *Azarias precatus est, & aperuit os suum, & Exomologesin faciebat Deo, simul cum sodalibus suis in medio ignis. Daniel quoque*, &c. *Exomologesin faciens*, &c. *Hæc mites, hæc simplices, hæc innocentes in promerenda Dei majestate fecerunt. & nunc satisfacere, & Dominum rogare detractant qui Dominum negaverunt!*

Amplius Cyprianus origenizans, sive Origenes cyprianizans lib. de singularitate Clericorum, de eodem diserte & doctè disputans, sic fatur n. 118: *Nolo mihi de martyrio quisquam moveat actionem, quia sæpius & mœchi, & sanguinarii, & ebriosi, & omnium scelerum rei, reperta pugnæ occasione conversi, meruerunt ad martyrii veniam pervenire. ideo enim martyrium appellatur tam Corona, quam Baptismus, quia baptizat pariter & coronat. Age nunc, si licuerit quibusdam inviolata fœminarum societate martyrium promereri, sine indulgentia quoque illis martyrium non fuit, quos reatus prohibitæ contubernalitatis non absolvit, nec Innocentes in ipsa innocentia potuit approbare, quibus contemptum legis & conversationis illicitæ fœditatem cernitur ignovisse.* quid illustrius? Agebat enim Cyprianus contra quosdam clericos, qui prædicabant, *inter luxurias divagemur, & discurramus per semitas peccatorum, retinacula dimittamus, & frena laxemus ubicunque nos diabolus invitaverit, libere fornicemur, omnia mala securi committamus, martyrium subveniet & evademus* Contra quos arguit S. Doctor dictis verbis, quibus subjungit: *Credamus super illos martyrium jam pendere, interim, priusquam Martyres fiant, legibus subjacent*, &c. Nequit ergo mœchus, sanguinarius, ebrius, & hujusmodi Martyr fieri, nisi legibus subjiciatur Exomologesis, aut interius conterendo, aut diligendo Deum super omnia, aut, si adest confessoris copia, exterius peccata illi manifestando, ex dolore saltem imperfecto.

Quod statui ex Patrum sententia de confessione sacramentali Martyri facienda, si adest copia confessoris, idem statutum intelligatur de viatico sumendo si adest commoditas. est autem divinum præceptum de Eucharistia desumenda, quod maxime instat instante morte. datur enim ex divina ordinatione, tamquam viaticum morituris. sic enim appellatur in Concilio Nicæno canon. 13, ubi statuitur tamquam ex divino præcepto oriundum, *quod qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut siquis egreditur de corpore ultimo, & necessario viatico minime privetur.* Idem statuitur in Concilio Ancyrano cap. 5 ibi: *Siquid autem periculum vel mortis expectatione, aut infirmitate, aut ex aliqua occasione contigerit, his sub definitione statuta communio non negetur.* Idem habetur in Concilio Arelatensi 2. canon 12. qua enim ratione viaticum dicitur necessarium, nisi obligatio, illud in periculo mortis sumendo, originaretur ex divino præcepto?

Neque huic determinationi obstat canon 1. Concilii Eliberitani, ubi statuitur, *quod illi, qui post Baptismum idololatratus est, neque in fine esse communionem dandam*, quam detractionem pro illis temporibus approbat Innocentius 1 Epistola 3, cap. 2. quod pro tunc merito negata est communio & concessa pœnitentia lapsis, ne totum penitus negaretur. & duriorem remissionem fecit temporis ratio, quando scilicet crebræ erant persecutiones, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu. Igitur viaticum sumere in periculo mortis, non est de jure divino, & à Christo Domino statutum, alias illo privare fideles non posset Concilium, argumento ex cap. 1. sess. 20. Concilio Trident. Vbi ex eo quod communio sub utraque specie non est de jure divino, colligunt Patres posse laicis prohiberi, quod sub utraque specie communicent.

Cæterum, ut dixi, hæc non obstat obligationi ex præ-

præcepto divino ortæ, sumendi eucharistiam, tamquam viaticum necessarium in articulo mortis, & necessitate extrema hominis destinati ad mortem, tum quia hoc approbatur ab Innocentio, epistola citata, ubi Catholice id esse licitum declarat tempore persecutionis. Quem rigorem etsi licitum diceret Innocentius I. pro illis temporibus, hodie tamen universaliter est temperatus, & consuetudo Gallicana & Hispana, qua plectendis capite Eucharistia negabatur, est abrogata, non quia illicita, sed quia insuavis. *Postquam enim* (ait Papa) *Dominus noster pacem Ecclesiæ suæ reddidit, jam depulso terrore, communionem dare obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis*, &c. Quod hodie Pius V motu proprio edito anno 1569. dari præcepit, estque in Hispania receptus. Potest enim Ecclesia propter delictum enorme punire, ne quis accipiat Eucharistiam pro viatico, declarans, quod tunc non obligat præceptum divinum, de re quæ non est medium necessarium in re suscepta ad salutem, sicut declarat, quod votum obligans ex jure divino in aliqua occasione non obliget. quod non potuit declarare de Sacramento pœnitentiæ & sacramentali absolutione, ut falso existimavit Binius in notis ad Illiberitanum litera E, quem transcripsit Coriolanus, in Summa Conciliorum in Illiberitano cap. 13. potuit tamen Concilium legem indicere, ne lapsis absolutio sacramentalis daretur cum manuum impositione, & aliis cæremoniis reconciliativis cum fidelibus.

Dubitandum igitur non est, esse præceptum de Viatico sumendo in articulo mortis, quod obligat universos, si adsit minister illud tribuens, non tamen obligat Ecclesiam ut semper det. Sed potest præcipere ministris ne dent aliquibus propter speciale delictum. & sic fecerunt præfata Concilia. Qua autem ratione intelligendus sit Dominus Cajetanus in Summa, verbo *communio*; ubi videtur asserere, quod non est præceptum divinum de sumendo viatico, si semel quis adimplevit in anno præceptum de Communione Paschatis, ibi in meis commentariis, quæ jam laboro, enucleabo. Concludo igitur, Martyrem designatum teneri antequam patiatur sumere viaticum, si adest oportunitas: qui enim hoc præceptum divinum, seu consuetudinem ex Apostolica traditione ortam transgrederetur, merito suæ salutis negligentissimus, & de statu animæ suæ, vel etiam de fide suspectus haberetur. Verum est non esse improbabile, quod si quis aliquo die, vel aliquibus antequam caperetur sumpserit eucharistiam, non teneretur, secluso scandalo aut periculo, ante Martyrium sumere. sed de intelligentia Concilii Illiber. infra ex professo Resol. 34. §.3, ubi pluribus idem probatur.

§. 2. *Exomologesis Martyri incumbit, si non adsit Confessoris copia.*

De Homine existenti in peccato mortali sermo est, cui nullus datur à tyranno locus aut offertur occasio confitendi peccata sua, & quidem si iste dilectionem Dei super omnia eliciat, utique exomologizat sufficienter, ut martyrii fructus percipiat: est enim dilectio ista virtualis quædam exomologesis sufficiens ad hominem justificandum, sicut & contritio. Vtraque enim confessionem sacramentalem suo tempore faciendam continet; & est non solum æquivalens, sed virtualis pœnitentia, & dolor sufficiens peccatorum. Quare nihil aliud necessario Martyri incumbit, ut omnes sine discrimine admittunt, nec de hoc est dissidium, sed de alia exomologesi & dolore commissi criminis.

Prima sententia adfirmat, hominem peccatorem, & si advertat se in mortali degere, & aversum à Deo, ut inimicum, & illi exosum, non teneri recogitare peccata sua, & de illis dolorem etsi imperfectum concipere, sed huic obligationi satisfacere per actum heroicum acceptandæ pro Christo mortis. ita Sotus lib.2 de natura & gratia cap.16. Vega lib. 6 in Trident. cap. 36. & alii quos refert Canuf. de pœnitentia, p. 13.

Verumenimvero sententia ista, ut sic relata, sustinenda non est. eo incidit enim cum opinione illa Clericorum, quam ex professo impugnat Cyprianus lib. de singularitate Clericorum n. 123. *Sed ajunt* (inquit sanctus Doctor) *in martyrio ignoscitur nobis, sicut indultum est parentibus. ob hoc ergo & nos omnes de peccatis nostris confidamus, ut qui agere bene laboremus, inter luxurias evagemur, & discurramus per semitas peccatorum, retinacula dimittamus, & frena laxemus, eamus nos quocumque mundus abstulerit, & ubicumque nos diabolus invitaverit, libere fornicemur, invideamus, rapiamus, fraudemus, omnia mala securi committamus; Martyrium subveniet, & evademus. Sic enim Paulus Apostolus pollicetur, faciamus mala, ut eveniant bona, quorum damnatio justa est. Huic martyrio spem tradant, quos Mathematici docuerunt de crastino habere præscientiam, & has coronas expectent, qui super Angelos & Christum per Astrologos didicerunt, scire tempora quæ pater posuit in sua potestate, ut vel tunc recordentur ante martyrii tempus bene agere debuisse, cum diem Domini senserint sicut furem. Sed credamus super illos martyrium jam jamque pendere. Interim priusquam Martyres fiant legibus subjaceant.* Dixerat autem prius n. 117. *At contra & ipsi dicunt nonnulli de contemptoribus nostris, similiter fœminas habentes indomitas, martyrium consecuti sunt, ut illorum innocens conscientia probaretur. Nolo mihi de martyrio quisquam moveat actionem, quia sæpius & mœchi, & sanguinarii, & ebriosi, & omnium scelerum rei, respecta pugnæ occasione, conversi meruerunt ad martyrii veniam pervenire, ideo enim martyrium appellatur tam corona quam Baptismus, quia Baptizat pariter & coronat.* Quid clarius contra præfatam sententiam? si sententia vocanda est improbabilis opinio. nequit ergo ebriosus, mœchus, aut fur, aut similis peccator martyrio vero coronari, & ejus fructus legere, nisi aliqua pœnitentia & exomologesi peccatorum facta, & dolore concutiente conscientiam. hæc enim omni tempore fuit necessaria, ut definit Tridentina Synodus sess. 14, cap. 4. est enim medium simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum. Legatur Soto ipse dist. 3. art. 11. prop. 1 & 4, ubi idem docet. & lib. de natura & gratia. unde Innocentius cap. majores de baptismo dicit, definiens peccatum actuale, quod consensu contrahitur sine consensu minime relaxari. Loquebatur enim de Baptismo & pœnitentia, quæ per se sunt instituta ad remissionem peccatorum. Multo ergo fortius hunc dolorem exiget martyrium, quod non est per se institutum ad peccatum delendum, sed id habet ex privilegio Christi Domini.

Quare cum hoc mihi omnino sit indubitatum, non possum in animum inducere sapientissimos viros Dominicum Soto & Vegam eam, quam retuli, protulisse sententiam. Sed cum martyrium actus sit fortitudinis à charitate imperatus, in ipsoque actu imperante charitatis, est virtualiter actus contritionis & pœnitentiæ, ratione cujus homo dicitur ad Deum conversus. quod si non habet charitatis actum necessario debet habere aliquam displicentiam peccati ut martyrium illi prosit, ut Baptismus sanguinis. sicut ut prosit adulto Baptismus aquæ similis displicentia,

centia exigitur, ut optime adnotat Soto in 4. dist. 15. q. 2. art. 1 ad 25, ubi dicit, loquens de illo, qui dormiens occiditur pro Christo: *Postquam ille dormiens non habet positivum affectum Martyrii, non est ejus martyrio plus tribuendum quam Baptismo, cujus vicem gerit. Quia sicut iste habet obicem gratiæ, si adultus non habeat aliquam displicentiam peccatorum, ita & ille. Positivus tamen martyrii effectus, cum sit amittendi vitam pro Christo etiamsi sit ex motivo fortitudinis supernaturalis, est implicita displicentia peccati.* Sed de sententia horum Doctorum dicam ex professo §. ultimo.

Sed adversus hanc doctrinam est difficilis locus S. Thom. 3. p. q. 69, art. 1 ad 2, dicentis: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi, & ideo purgat ab omni culpa & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Et loquitur Sanctus Doctor in argumento, cui respondet de homine qui dormiens occiditur pro Christo, ille enim statim evolaret.

Imo addit Cajetanus ibi §. ad. in responsione ad 11, *quod si quis iret dormitum cum proposito dicendi mane mendacium jocosum, & dormiens occideretur pro Christo*, credit Cardinalis, *quod ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequeretur, quamvis non per Baptismum, propter voluntatem actualitate virtuali peccato inhærentem.* Non ergo exigitur aliqua exomologesis positiva ad martyrium in adultis. Respondetur, S. Doctorem loqui de illo, qui habuit affectum positivum martyrii, ex virtute supernaturalis fortitudinis elicitum. Iste enim est virtualis quædam displicentia peccati, cum qua simul cum martyrio, reipsa suscepto, purgat ab omni culpa etiam mortali, sicut Baptismus aquæ, cum simili voluntate non retractata, omnem maculam aufert, ut dicitur cap. Majoris de Baptismo, Si quis dormiens baptizetur.

Ad Dominum Cajetanum respondetur verissime id dixisse. nam qui occiditur pro Christo, statim in cœlum evolat absque transitu per purgatorium. alias non esset verum proloquium August. dicentis, *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.* Et si martyrium non deleret illud veniale, cui actualiter virtualiter adhæret quis dum occiditur pro Christo, posset pro Martyre orari, ut à pœna purgatorii liberaretur, quod secundum August. injuriosum est Martyri. Quare martyrium omnem prorsus maculam venialem, etiam illam de qua est actualis complacentia delet: passio enim illa vicem habet Purgatorii ignis, quod non habet Baptismus aquæ.

RESOLVTIO XXXI.

Vtrum exomologesis requisita ad martyrium exprimat contritionem & dilectionem Dei super omnia, an attritionem & dilectionem Dei imperfectam?

EXomologesin requiri ad verum & proprium martyrium, ex dictis resolutione anteriori dixi tanquam certum. Sed quem actum exprimat non enucleavi, quod in præsenti peragendum. est enim gravis controversia inter Doctores, an actus iste sit Dei perfecta dilectio, perfectusque contritionis motus, an vero attritio & amor, quo quis Deum diligit amore imperfecto concupiscentiæ.

§. 1. Exprimere dilectionem perfectam & contritionem multi & graves Doctores sentiunt.

SIc Vasquez satis diffuse & erudite 3. p. tomo 2. disp. 153, à cap. 3, quam dicit esse antiquam & communem inter Scholasticos, eamque docuisse Patres Ecclesiæ. Adducit Alensem, Bonavent. Palud. Sotum, Canum, & ex recentioribus eam sequuntur Bañez 2. 2. q. 24. art. 6. dub. 5 ad 7. Layma Theolog. Moralis tom. 1. lib. 3. sect. 3. n. 6. vers. controversum autem. Sequitur Arauxo 3. p. q. 66. n. 7. Doctissimus Sebastianus Episcopus Oxoniensis. ibi. in commen. ad art. 12. n. 4 & 5. Sylvester verbo Baptis. 2. n. 3, & verbo martyrium. Pesantius 22. q. 124. disp. 3. idem insinuant Patres. Auctor de Cœna Domini apud Cyprianum, loquens de bono latrone, dicit, quod *cor contritum pœnam mutavit in martyrium.* August. lib. 3 de Baptismo cap. 16. & lib. 4, cap. 17, dicit: *hæreticis non prodesse martyrium, quia charitatem habere non possunt.* Bernardus epistola 77 ad Hugonem, contritionem exegit, quæ est actus charitatis perfectus. idque videtur docuisse Apost. 1 ad Corinth. 13, vs. 32, *Etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* In quæ verba D. Thom. ibi lect. 2. dicit: *Opera autem eorum quæ fiunt propter fidem, si sint sine charitate, dicit esse infructuosa Sapient. 3. vacua est spes eorum, & labores eorum sine fructu.* Vnde Christus, Joannis 16, vs. 16, dicit: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Et quidem S. Thom. manifeste est pro hac sententia pluribus in locis 22. q. 124. art. 2 ad. 2. Vbi dicit, *quod ad actum martyrii inclinet charitas, sicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem, sicut motivum proprium, per modum virtutis elicientis. & inde est, quod martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis, inde etiam est quod utramque virtutem manifestat; quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus, & ideo sine charitate non valeat.* idem docet, & manifeste probat Cajetanus ibi. §. ad hoc dicitur. idem docet S. Doctor 3. p. q. 66. art. 12 ad 2, ubi dicit: *quod effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis. unde ex hoc ipso probatur perfectior.*

Deinde II. quia quod exomologesis requisita ad martyrium in adulto peccatore solum sit attritio & dolor imperfectus, aut habetur ex traditione, aut ex definitione Ecclesiæ, aut loco Scripturæ, aut efficaci & concludente ratione. At ex nullo ex his capitibus constat, ergo cum hoc sit quæstio dependens ex mera Dei potestate sic disponente, sine fundamento id asseritur. Alias, si martyrium cum sola attritione sanctificaret, esset Sacramentum.

III. Quia si quis moriatur pro Christo ante Baptismum, non justificatur sine voto Baptismi, si reipsa Baptismum recipere nequit. Atqui votum Baptismi solum continetur per se, & ex divina institutione, vel in dilectione Dei super omnia aut contritione, sicut & Votum Sacramenti pœnitentiæ. Ergo martyrium non justificat sine contritione, aut attritione simul cum Sacramento pœnitentiæ, aut Baptismi reali receptione.

IV. Quia virtutem Sacramenti Baptismi aut pœnitentiæ supplere non potest attritio sola, ut definit Tridentinum sessio 14, cap. 4, sed hoc solum habet contritio, quæ omni tempore fuit necessaria extra Sacra-

Sacramentum, quia reipsa facit dispositive, quod faceret Sacramentum simul cum attritione. ergo sine isto aut contritione martyrium non dat gratiam habitualem.

V. Quia mors patienter tolerata pro Christo non justificat hæreticum aut schismaticum, quia extra Ecclesiæ unitatem non est verum martyrium, ut supra Resolutio 22, ex Patribus ostendi. & hoc non ex alio, nisi quia non est extra Ecclesiam charitas, ut probat August. cap. 17 citato: *hoc verissimum est: extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convincitur, de qua Apostolus dicit: si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, &c.

VI. Quia Ecclesia non habet opus alio testimonio ad canonizandum aliquem adultum pro Martyre, nisi ut constet occisum pro Christo; quia iste non potest non habere charitatem dum passus est. atqui si non requiritur actus charitatis, aut contritionis antecedens, sed sufficit consequens, aut comitans, non haberet charitatem dum passus est, sed postquam passus est; nam in peccato mortali mortem subiit in quo fuit toto tempore passionis, & solum haberet gratiam & charitatem in instanti in quo non est vivus. Dices idem argumentum fit de Innocentibus, qui occisi sunt pro Christo. Sed contra, quia est manifestum discrimen. siquidem Innocentes vel non habent originale, quia circumcisi, vel non habebant actualem, cujus malitia non aufertur, nisi cum contritione aut attritione simul cum Sacramento: sine his enim mediis adultus non convertitur ad Deum, sed semper manet ab eo aversus voluntarie, & conversus ad creaturam.

§. 2. *Solam attritionem per se explicare sententia est communis Recentiorum.*

ITa defendunt pro viribus Bellarminus lib. 1 de Baptismo cap. 6. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 29. sect. 3. Coninck q. 66. art. 11. dub. 2. Præpositus q. 68. art. 3. dub. 8. Iannerus disp. 4. q. 3. dub. 3. Nuño q. 66. art. 12. difficulta unica conc. 4. Cornelius à Lapide in locum Pauli *si tradidero corpus*, &c. per varias conclusiones. Enriquez lib. 2 de Baptismo cap. 34. Granadus 3. p. tom. 2. contr. 4. disp. 3. sect. 3. n. 21. Valentia disp. 8. q. 2. punct. 2. Castro Palao tom. 4. tract. 19. punct. 14. §. 2. n. 10. Bonacina disp. 2 de Baptismo. q. 1. punct. 1. n. 8. Trullench. in praxi Sacram. lib. 2. cap. 1. dub. 10.

Hi omnes asserunt martyrium, ut gratiam primam conferat faciatque ex attrito contritum, non exigere antecedenter actum charitatis perfectæ aut contritionem, sed dolorem imperfectum. imo addunt, quod non dissentiens occisus pro Christo, baptizetur Baptismo sanguinis, & Martyr efficitur. Ita Major in 4. dist. 4. q. 3. §. *secunda propositio*. quem sequuntur alii.

Hujus sententiæ firmamenta non inania sunt. I. ex D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1 ad 2. cujus verba Resolut. anteriori dedi §. ultimo. quæ repet. in 4. dist. 4. q. 4. art. 3. quæst. 4. *Si enim homo dormiens, non ponens obicem per martyrium, justificatur à mortali, in quo existit dum it dormitum.* ergo non habet charitatem antecedentem, alias non iret dormitum in peccato, atque ita Exomologesis requisita ad martyrium non explicat, nisi non actualem consensum in mortale.

II. Martyrium ex opere operato confert gratiam. ergo non exigit actum contritionis perfectæ, & dilectionem Dei super omnia. Consequentia est manifesta, quia Sacramenta, quæ ex opere operato causant gratiam & ejus augmentum, sufficit, ut illam producant attritione. antecedens probatur. 1. expresso testimonio August. lib. 13 de Civitate cap. 7. Vbi æquiparatur in omnibus quantum ad justificationem & productionem gratiæ sanctificantis utrumque Baptisma flaminis & sanguinis *quicumque*, (inquit August.) *etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata quam si abluerentur sacro fonte baptismatis: qui enim dicit: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritus Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. & alio loco: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* & paucis interjectis: *quid enim pretiosius, quam mors; per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur.* Quibus S. D. ex Sacræ Scripturæ locutionibus æqualiter universalibus probat, martyrium dimittere peccata sicut Baptismus. quare, sicut iste vi sua non ex charitate dimittit peccata, & sic ex opere operato, ita martyrium; sed cum discrimine, quia Baptismus id habet ex institutione sua, at martyrium ex privilegio Christi.

II. Probatur idem antecedens, quia infantibus occisis pro Christo martyrium sicut Baptismus causat primam gratiam ex opere operato. quare sicut Baptismus etiam in adultis eodem modo causat gratiam, etiam causabit martyrium in eisdem: non enim est aliqua definitio Ecclesiæ, aut Patrum expressa authoritas, quæ nos cogat ad contrarium, sicut cogit Concilium Florentinum in decreto unionis Armenorum ad dicendum: Quod licet *circumcisio justificaret parvulos, non tamen justificabat adultos ex opere operato, sed tantum ex opere operantis:* Sacramenta enim vetera elementa erant vacua & inania.

III. Probatur eadem sententia ex Patrum locutionibus, & quibusdam principiis quæ ad 5 capita reduci possunt: primum est. quod posuere D. Thom. 3. p. q. 66. art. 11. D. Damascenus 4 de fide c. 8. scilicet dari tria Baptismata *fluminis, flaminis & sanguinis* inter se distincta. at si martyrium dimitteret peccata ratione dilectionis & contritionis perfectæ, non distingueretur à Baptismo flaminis, siquidem contritio est hujusmodi Baptisma: actus enim externus qui est perpessio mortis si ex opere operato non remittit, nihil conducit ad Baptismum sanguinis.

II. Quod Baptismus sanguinis succedit loco Baptismi fluminis. ita Cyprianus epistola 73. n. 68 ad Iubajanum, & lib. de exhortat. ad Martyr. August. lib. 4 de Baptismo cap. 16. S. Prosper in lib. sentent. l. 49. imo multi Sanctorum dicunt efficaciam Baptismi sanguinis majorem & perfectiorem esse quam Baptismi aquæ. ita Clemens Rom. lib. 5 constitut. cap. 5, ubi reddit elegantem rationem: *cruciatus enim, quo est quis propter Deum affectus, erit ei verior Baptismus, quod siquidem experientia ipsa mortis commoritur Christo, reliqui vero mystica repræsentatione.* Et Cyprianus epistola citata n. 46, *num quid potest vis Baptismi major esse aut potior quam confessio? quam passio?* & in secundo loco de exhortatione ad martyrium sic eleganter, præferens Baptismum sanguinis aquæ Baptismo, docens: *Hoc Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosus; in aquæ Baptismo percipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum.* Auctor. lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 74. Rupertus lib. 7 de divinis officiis cap. 5. Bernar. epistola 77 citata. si autem martyrium solum conferret

ferret gratiam ex opere operantis, & non ex opere operato, absque dubio major gratia daretur per Baptismum aquæ, quam sanguinis, cujus contrarium docent Patres. sequela est manifesta, quia, quamvis actus charitatis sit magis meritorius quam attritio, & sic ex opere operantis majorem conferat gratiam, tamen attritio simul cum Baptismo majorem gratiam causat ex opere operato, quæ immediate fundatur in meritis Christi, quam confert actus charitatis ex opere operantis, fundato in merito proprio.

III. Principium desumitur ex Clemente, Cypriano, Ruperto, locis citatis, qui ideo dicunt martyrium remittere, & extinguere peccata, quia est realis imitatio mortis & passionis Christi, non quidem rationi solius actus interni charitatis, quem possunt habere non Martyres, sed ratione actus externi, & realis sanguinis effusionis, sicut Baptismus aquæ, ratione ablutionis exterioris, justificat, quia ratione illius est mystica configuratio cum Christi morte. Ergo martyrium justificat ratione passionis realis, propter quam configuratur realiter Christo pro nobis mortuo. IV. Et ultimum (nam 5 quod affert Amicus infra citandus, facile diluitur à Vasquez) quia, quod martyrium peccatum extinguat & remittat, habet ex divina pollicitatione & promissione. Ergo non ex natura actus charitatis imperantis. antecedens docent Cyprianus epistola citata, ad Iubaïa, *nec privari Baptismatis Sacramento, utpote qui baptizant gloriosissimo & maximo sanguinis Baptismo, de quo Dominus dicebat, habebat se alio Baptismo baptizari. sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & divinæ pollicitationis gratiam consequi.* August. etiam lib. 13 de Civit. cap. 7 concludit de martyrio, dicens: *mors ergo non ideo bonum videri debet, quia in tantum utilitatem non vi sua, sed divina opitulatione conversa est*; ecce ubi August. efficaciam martyrii ad dimittenda delicta solum refert in divinam *opitulationem*, promissam à Christo martyribus, passionis tempore.

Ex dictis infert Pater Franciscus de Amico tom. 7. disp. 12. sect. 3. n. 69. contra Cajetan. quod, si quis it dormitum cum complacentia dicendi in vigilia mendacium jocosum, hoc peccatum non remittit martyrium, quia ad remissionem venialis etiam requiritur consensus retractativus, sed remittetur per actum ferventissimum charitatis, quem in instante separationis anima eliciet, quo dimittuntur venialia.

Infert 2. n. 70. quod, si quis etiam justus numquam habuit voluntatem moriendi pro Christo, vel peccator, etiamsi habeat actum attritionis ante somnum, si dormientes occidantur pro Christo, non erunt Martyres proprie, nec peccator consequetur per martyrium peccati mortalis remissionem. ratio est, quia, sicut Baptismus aquæ in tali casu non confert gratiam, nec absolvit eum à culpa, ita nec martyrium: utriusque enim institutio facta est à Christo, fundata in convenientia rei, quam expressit Innocentius 3 cap. majores. de Baptismo, quia, qui capax est liberæ actionis, si libertate & voluntate commisit delictum, eadem voluntate & consensu, sive in martyrio, sive in Baptismo, remissionem consequatur.

Infert 3. n. 71. quid ille, (in illatione anteriori notatus) si habeat semel voluntatem moriendi pro Christo non retractatam per contrarium actum, si dormiens in odium Christi occidatur, est Martyr, quia hujusmodi voluntas sufficit ad martyrium, si sit peccator, simul cum attritione etiam cognita, sicut sufficit ad Baptismum; nec voluntas ista retractatur per peccatum mortale, quod solum excludit actum sibi oppositum.

§. 3. *Martyrium proprium explicat charitatem perfectam aut contritionem; at Baptismus sanguinis per se solum exigit attritionem verior sententia.*

ETsi Baptismus sanguinis & martyrium communiter pro eodem accipiantur, & vere quidem, quantum ad principalem effectum, qui est gratia & gloria, statim conferenda absque transitu purgatorii, ut dicitur ab Innocentio 3 c. cum Matth. de celebratione Missarum. ibi, *injuriam enim facit Martyri qui pro Martyre orat, cujus nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem.* Et sic quando S. Cypr. epist. 34. n. 11 dicit, *Sacrificia esse pro Martyribus offerenda*: intelligendus est pro eorum commemoratione non ad delictorum expiationem. quæ intelligentia colligitur manifeste ex epist. 16. n. 19, ubi egregie Pamelius. quamvis enim, quantum ad istum effectum, idem sit Baptisma sanguinis & martyrium, tamen re ipsa diversam sortiuntur nomenclaturam ex parte causæ, & dispositionis. Etenim Baptismus ex sua originali notione, non exprimit actum virtutis fortitudinis, aut alterius, nec exigit charitatis aut majoris dilectionis exercitium; solum enim exigit passivam ablutionem, ortam ab ablutione activi ministri, quam essentialiter connotat Baptismus, tamen ex parte baptizati solum passivam exprimit; & sic forma Baptismi apud Græcos hanc passivam ablutionem exprimit, dum dicunt: *baptizetur servus Christi in nomine*, &c. formalissime enim Baptismus ex sui notione primaria in ablutione consistit, quæ est aquæ usus corporalis & sensibilis. Ita D. Thom. 3. p. q. 66. art. 1, ubi Cajetanus egregie dicit: *Ablutio non est sui ipsius, sed abluti; nec est in seipsa, sed in abluto, ac per hoc non ea ratione sanctificationem sortitur, ut sui ipsius sit, sed ut abluti sit, hoc est, ut ablutus sanctificetur per ipsam deferentem sanctificationem per ipsum ablutum. &, ut uno verbo dicam, quia ablutio importat terminum qui abluitur, perfici sanctificationem in ablutione intelligitur secundum suum terminum seu incluso termino.* Quare Baptismus ex sui ratione includit terminum, qui est baptizatus, sive sit Baptismus aquæ, sive flaminis, sive sanguinis, & denotat primario receptionem, non vero actum ipsius baptizati, sed solum quod sit capax præfatæ receptionis; & sic tractat de martyrio S. D. 3. p. q. 66. art. 11 & 12. & in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 4. & dist. 16. q. 2. art. 2. q. 2 ad 3. ubi repetit eadem formalia verba quæ ponit 3. p. q. 66. art. 12 ad 3. at martyrium, cum ex sui primaria notione & origine sit *testimonium* & Martyr sit *testis*, denotat actum virtutis, quo quis pro ferendo testimonio veritatis sustinet mortem, & sic D. Thom. agit de martyrio 2. 2. q. 124, & q. 184. art. 5 ad 3 dicens, quod martyrium *in actu perfectissimæ charitatis consistit.* Vnde q. 124 citata art. 4 dicit: *Martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebræos XI. ad martyrium ergo pertinet, ut homo testificetur fidem, se opere ostendens præsentia omnia contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat.* Et infra: *& ideo ad perfectam rationem martyrii requiritur, quod aliquis mortem subeat propter Christum.*

Quam distinctionem inter Baptismum sanguinis & martyrium, secundum quod est actus exterior fortitudinis, & imperatus à charitate, manifestam invenio

venio in Scriptura, Patribus, & sana doctrina S.Thom. Matthæi cap.10. Loquens Christus de illis qui testificando fidei veritatem confitentur ipsum coram hominibus, dicit, quod *confitebitur eos coram Patre suo.* sic enim dicit n. 32. *Omnis qui confitebitur me, (id est, testificatus fuerit de me.* Vt enim supra dixi, olim Martyres dicebantur Confessores) *confitebor & ego coram Patre meo, qui in cælis est:* quasi dicat Christus: *omnis qui coram tyranno, de fide interrogatus, ingenue, libere, & constanter professus fuerit se credere in me quasi Messiam Dei filium Salvatorem orbis, & pro ea fide tuenda velle mortem oppetere, meque & nomen meum palam honorarit, pariter ego coram Deo Angelis & hominibus profitebor eum esse meum Discipulum, Confessorem & Martyrem, sic ut talem eum honorabo & celebrabo, atque martyrii laurea coronabo.* Ita Cornelius ibi ex communi certaque Patrum intelligentia. August. 13 de Civit. cap.7. Basilii Hom.40. S. Ignatii Martyris epistola ad Rom. Sic Cyprianus in exhortatione ad Martyres, & epist.12. lib.5. alias epistola 83 ad Presbyteros, & alibi passim. Clemens Romanus lib. 5 const. cap. 1. Chrysost. homil. de S. Martyr. & homil. 35 in Matthæum, ubi Hilarius Canon. 10. D. Thom. ibi. & omnes.

Et Ecclesia sancta hoc discrimen inter Baptismum sanguinis & martyrium, quod est actus fortitudinis, agnoscit in collect. SS. Innocentium, dicens: *Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur etiam moribus & vita fateatur.* Vbi duplex confessio quæ Martyres facit agnoscitur, una loquentis coram tyranno, fatendo & defendendo fidei veritatem & doctrinam Christi, & hoc est martyrium & testimonium elicitum à virtute fortitudinis & imperatum à charitate. Altera est morientis & occisi à tyranno in odium fidei & Christi, & hoc non est martyrium elicitum, sed passum & receptum, & proprie Baptismus sanguinis, qui consistit in passione illata à tyranno propter Christum, & de hoc non loquitur Christus in præfato testimonio, sed de priori martyrio elicito.

Hoc etiam discrimen agnovit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1 ad 1. ex August. cujus verba adducit, sic enim loquitur: *Melius dicendum est, quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti: nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Vnde, sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum martyrii operatur ad palmam martyrii consequendam. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania, quasi eos alloquens: ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam parvulis Baptismum prodesse non æstimat Christi: non habebatis ætatem qua in passurum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.* Ecce ubi uterque S. D. martyrium elicitum distinguit à Baptismo sanguinis, qui est martyrium receptum. ad prius requiritur fides, qua credatur Christo; ad posterius caro, in qua sustineatur passio pro Christo. Quam rationem Bernardus, utpote August. fidissimus Discipulus, adducit in serm. de sanctis Innocentibus.

Denique hujus discriminis est manifesta ratio: etenim, ut ait S. Bernardus, ubi supra. *quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero Baptismus sine ullo proprio voluntatis usu sufficit ad salutem; sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis sufficit ad sanctitatem.* Quibus verbis triplex remedium proponit pro infantibus sine ullo prorsus voluntatis usu: circumcisio in lege scripta, baptismus in lege gratiæ, & martyrium pro fidei veritate in utroque Testamento. His enim remediis, de facto & opere ipso operato, sanctificantur pueri absque aliquo requisito ex parte ipsorum; & sic eorum salus in horum remediorum receptione operabatur, & sic martyrium in illis erat receptum sicut Baptismus aquæ, & erat proprie Baptismus sanguinis, sicut erat in quacumque ætate grandævo, qui dormiens, aut amens, aut furiosus occiditur in odium Christi, cum discrimine tamen infra adducendo: isti enim non habent martyrium elicitum, sed Baptismum sanguinis, & martyrium receptum.

Verum est, quod martyrium elicitum etiam est Baptismus sanguinis, quo baptizatur Martyr à tyranno propter confessionem fidei, quam coram ipso facit constanter, libere, & intrepide; quatenus enim fortiter aggreditur pericula usque ad mortem, & sanguinis effusionem, elicit actum martyrii; quatenus vero mortem sustinet à tyranno, suo sanguine baptizatur, & habet martyrium receptum. Quare duplici titulo Martyr est, & quia baptizatur à tyranno suo sanguine propter Christum, in quo convenit cum Innocentibus pro Christo occisis: sicut enim in istis occiditur Christus, ita & in Martyre adulto & palam lingua confitente fidem, & quia voluntarie aggreditur periculum mortis, contemnens visibilia omnia, ut consequatur æterna, quæ suo actu promeretur, & sic habet martyrium elicitum: hoc enim nequit esse sine martyrio recepto, istud tamen potest consistere sine martyrio elicito. Quod valde notandum pro dicendis in conclusionibus.

Hoc supposito sit I. conclusio: martyrium elicitum exprimit charitatem aut contritionem perfectam explicitam, vel in charitate virtualiter contentam. Hæc est expressa sententia D. Thom. quam resolut. sequenti manifestabo, ostendens martyrium elicitum semper esse actum imperatum à charitate, & probant ea quæ adduximus pro prima sententia.

Concl. II. Martyrium, ut receptum etiam in adulto, exprimit dumtaxat per se attritionem aut dolorem imperfectum. Hanc conclusionem satis efficaciter probant ea quæ adduxi §. 2. pro sententia recentiorum. Etenim martyrium receptum est Baptismus sanguinis, sicut est Baptismus aquæ, & sicut iste in adultis exigit dolorem imperfectum, aut attritionem quam non requirit in infantibus, & Baptismus sanguinis & martyrium receptum in Innocentibus nullum requirit actum. in adultis vero attritionem & dolorem imperfectum. Quare, si quis adultus existens in gratia eat dormitum, etiamsi aliquando non habuerit voluntatem expressam moriendi pro Christo, si dormiens occidatur à Tyranno, vere erit Martyr; diligit enim habitualiter Deum super omnia, & sic plusquam propriam vitam, quam ex vi hujus status in charitate dabit pro ejus fide tuenda. Si tamen existat in mortali habituali, si habuit ante dormitum attritionem mors perpessa pro Christo ipsum sanctificabit, etiam si non habuerit aliquando voluntatem expressam moriendi pro Christo, quia eo ipso, quod sit fidelis, habet illam habitualem in habitu fidei. quod secus est de illo qui dormiens baptizatur in aqua: iste enim si aliquando, vel non, petiit Baptisma, vel non habuit voluntatem recipiendi illud, non manet baptizatus, quia nemo obligatur ad novam legem observandam sine proprio consensu virtuali vel expresso; si tamen quis eat dormitum cum proposito mentiendi in vigilia jocose, existimo cum Domino Cajetano, quod Martyrium absterget & ex-

stinguet peccatum illud veniale, quod non extinguet Baptismus aquæ, quia iste non est actus exterior perfectissimæ charitatis, sicut est martyrium receptum, & Baptismus sanguinis; iste enim est actus exterior ex natura sua ex Christi institutione, dicentis: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* quare ex vi sua habet remittere omnia venialia etiam non retractata, quare, idem facit Baptismus sanguinis ac actus ille ferventissimus charitatis, de quo Amicus, qui minus bene impugnavit Eminentiss. Card.

Conclusio III. martyrium receptum, seu Baptismus sanguinis ex opere operato causat gratiam in subjecto disposito. sic tenent omnes quos adduxi pro secunda sententia, quæ hodie communis est, pro qua etiam addo Lessium lib. 3 de just. cap. 1. dub. 4. n. 4, & n. 54. Ricardum in 4. q. 3. art. 2. Majorem q. 3. Durandum q. 8. n. 6. *Dicentem non minus operatur passio Christi ad salutem in eo, qui ei conformatur secundum realem susceptionem, quam in eo, qui conformatur ei secundum figuralem repræsentationem.* Et infra: *virtus passionis Christi æque plene, vel plenius communicatur martyrio, quam Baptismo.* hæc ille. quæ desumpsit ex Clemente Romano, loco citato §. 2. & quidem satis bene, quia, si Baptismo aquæ competit ex opere ipso operato omnem culpam & maculam abstergere, quia est quædam configuratio mortis Christi, ut dicitur ad Rom: 6, vs. 12, multo magis id etiam habet martyrium receptum, & passio pro Christo suscepta, cum sit realis conformatio cum Christo moriente.

Vnde egregie Tertul. in Apolog. ad finem dicit: *Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim delicta huic operi donantur.* Et August. lib. 13 de Civit. cap. 7, post verba relata addit: *Hinc est, quod scriptum est: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur.* Morti ergo & passioni pro Christo tribuit remissionem peccatorum. & Clemens Alex. lib. 4 Strom. *Martyrium*, inquit, *est expurgatio peccatorum cum gloria.* Et Discipulus ejus Origenes simili phrasi utitur homil. 7 in lib. Iudicum: *Per Baptismum*, inquit, *peccata præterita purgantur, per martyrium etiam futura.* quam vocem & verbum purgandi usurpavit Cyprianus epistola 58 ad Antonianum, loquens de martyrio. *aliud est*, inquit, *pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.* at purgare ex efficacia operis operati originatur, non ex affectu & opere operantis. quod autem martyrium hanc efficaciam habeat, provenit *ex Dominica promissione* lib. de laude martyrii. & quidem non video, cur martyrium receptum, & passio pro Christo tolerata prosit ex Christi privilegio, tamquam Baptismus ex opere operato infantibus, & non prosit adultis ex eodem privilegio in lege gratiæ, in qua remedium, quod prodest infantibus ex opere operato, sine aliquo illorum libero consensu, prodest adultis cum consensu, etsi imperfecto ex parte motivi, ut est attritio aut voluntas patiendi pro Christo & ejus fide, in qua continetur ejus dilectio, etsi imperfecta, & dolor de peccato imperfectus quidem, sed sufficiens. & hoc est quod docte dicebant, Vega, & Sotus supra adducti.

Conclusio IV. Homo existens in mortali id advertens, si occidatur in vigilia propter Christum, tenetur se disponere ad martyrium, & ad Baptismum sanguinis per contritionem aut dilectionem perfectam. Hæc est expressa sententia D. Thom. 3. p. q. 66. art. 12 in corp. ubi postquam in arg. sed contra comparavit ex sententia August. lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 74. baptizatum aqua, qui confitetur fidem suam coram sacerdote, Martyri, qui coram Tyranno, quod ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine in corp. art. dicit, *quod Baptismus aquæ & sanguinis habent efficaciam à passione Christi, & à Spiritu Sancto, excellentissime tamen in Baptismo sanguinis; in Baptismo aquæ per figuralem repræsentationem, in Baptismo sanguinis per imitationem operis. similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in Baptismo aquæ per quandam virtutem latentem, sed in Baptismo sanguinis per potissimum dilectionis affectum, secundum illud Ioannis c. 15, vers. 20, majorem charitatem nemo habet*, &c. at idem docet 2.2. q. 184. art. 5 ad 3. dicens, *quod martyrium consistit in actu perfectissimæ charitatis.* Idem clarissime docet Bernardus epist. 77 ad Hugonem, loquens de Martyre adulto & vigilante, ut legenti constabit.

Hæc conclusio ex duplici principio probatur. 1. ex eo, quod homo vigilans & existens in mortali, si occidatur à Tyranno, tenetur postponere vitam antequam neget Christum, & propter Christum cujus fidem confitetur. hoc autem ipso elicit actum charitatis perfectæ. quare si tenetur confiteri fidem Christi, propter Christum tenetur imperare actum fortitudinis per charitatem: & hoc est quod dicit S. Thom. in solut. ad 3. *quod effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, unde ex hoc ipso probatur perfectior:* loquitur enim S. Doctor de eo qui effudit sanguinem in vigilia, confitendo fidem propter Christum, & quidem cum Baptismus sanguinis, qui est passio propter Christum, consistit in reali conformitate ad Christum passum pro nobis. atqui Christus passus est pro nobis ex charitate. Ergo & nos pati debemus propter ipsum ex charitate imperante, si judicium rationis & libertas sit expedita in vigilia: si autem sit homo in somno, & occidatur propter Christum, si est justus, sat est charitas habitualis, à qua habitualiter ordinatur passio in Christum: si est peccator, sat est, si habuerit attritionem, quæ simul cum effusione sanguinis facit contritum; quod, si nec attritionem habuit, non justificabitur, ut bene docent Amicus & Raynaudus, & alii pro secunda sententia allati. etsi in foro externo Martyr judicatur, non tamen permittet Deus quod hoc Ecclesia determinet.

Ex alio principio idem probatur à Leonardo Lessio, quia in Baptismo sanguinis, etsi non requiratur contritio & dilectio perfecta tam, quam dispositio per se requisita ex vi hujus justificationis per martyrium receptum, tamen requiritur hic & nunc per se in homine peccatore, qui rapitur ad effusionem sanguinis & ad mortem propter Christum, quia præceptum de dilectione & contritione perfecta per se obligat in articulo mortis; quod præceptum, si quis non adimpleat, peccat mortaliter, & sic ponit obicem effectui Baptismi sanguinis. quamvis enim dixerimus, quod attritio cum martyrio sufficit ad salutem, tamen hoc est solum opinio probabilis, & non ita certa, sicut quod attritio sufficiat cum pœnitentiæ Sacramento. quod post Concilium Trident. sess. 14 est omnino certum, quod attritio, etiam cognitalis, simul cum Sacramento facit contritionem. quam certitudinem non habet respectu Baptismi sanguinis; & sic in illo sequenda est opinio certa, relicta incerta ad quod tenetur homo: nam si opinio nostra non est vera, exponitur periculo amittendi medium necessarium ad salutem, scilicet contritionem. & propter hoc

hoc dixit D. Thom. *quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis*, qui est contritio perfecta.

Quod si quis putet se habere contritionem, cum reipsa non habeat nisi attritionem, respondet Lessius n. 43, quod ille error inculpabilis excusat à præcepto contritionis, & sic, si alias est attritio dispositio sufficiens, justificabitur homo per martyrium. Sed contra, ergo si non est sufficiens dispositio, non justificabitur. quare existimo, quod Deus in illo casu, si attritio non est sufficiens dispositio, dabit auxilium ad contritionem: non enim deficit in necessariis, maxime quando quis occiditur propter ipsum, & in odium fidei. sed de hoc §. 8 iterum sermo.

II. Probatur ex eodem principio satis efficaciter; quia Baptismus sanguinis non est medium institutum à Christo Domino ad delendum peccatum, sicut est Baptismus aquæ & pœnitentiæ, sed est actus heroicus externus, quo quis patitur mortem propter Christum, qui, ut supra docui, non tollit obligationem habendi media salutis ordinaria, & observandi præcepta. & sic, si adest opportunitas, tenetur exequi quidquid lex Christi præcipit fieri ante mortem. Vnde, si non est baptizatus, vel adest copia confessoris, tenetur baptizari & confiteri mortalia, quod si non occurrat occasio Baptismo & confessionis, tenetur elicere actum contritionis, in quo, tamquam in voto, continentur hujusmodi Sacramenta, & sic dixit Trident. sess. 14. cap. 4, quod contritio *est omni tempore necessaria ad remissionem peccatorum*, quia sine ista, aut Baptismo & pœnitentia in re, non contingit alicui salus. ergo homo vigilans, qui confitetur fidem coram Tyranno, tenetur seipsum baptizare Baptismo flaminis, priusquam baptizetur à Tyranno Baptismo sanguinis. iste enim actus præsupponit illum.

Addo, id quod est valde notandum, quod ille, qui in somno occiditur propter Christum & in odium fidei, etiamsi existat in mortali, cum ipse actus exterior mortis & passionis propter Christum sit ex natura sua actus perfectissimæ charitatis & dilectionis, juxta illud Christi: *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, priusquam Martyr moriatur & desinat esse per *primum non esse*, qui modus est desinendi extrinsece, in anima ipsius excitatur charitatis internæ actus, à quo actus ille exterior imperatur, priusquam homo desinat esse, & priusquam illi infundatur gratia habitualis, ut latius dixi in materia justificationis; gratia enim habitualis ex natura rei, priusquam infundatur, requirit in adulto contritionem aut dilectionem Dei super omnia, sicut calor ut octo est dispositio ignis, sine quo nequit introduci: prius enim natura est calor ut octo, quam forma ignis in genere causæ materialis. & sic in adulto, priusquam introducatur gratia, est dilectio Dei super omnia, quamvis ista in genere causæ efficientis ab illa dimanet.

Quod in infantibus acquirentibus gratiam habitualem, sive Baptismum sanguinis, sive fluminis, non concedo, ut falso Lutherus in confessione Witembergæ somniavit. quod somnium irriset August. epistola 33 & 57. . . . . . & late impugnant Bellarm. lib. 1 de Baptis. cap. 10. & Canisius lib. 1 de S. Ioanne cap. 1. & quidem cum infantes propria voluntate non peccarint, sed primi Parentis, non exigit illorum justificatio contritionem aut dilectionem perfectam, qua convertantur ad Dominum, & avertantur à creatura, sicut requirit gratia habitualis adultorum, quæ sicut augetur juxta mensuram actus charitatis, ita ad illius gratiæ introductionem ex natura rei, tamquam dispositio Physica, requiritur omnino actus charitatis perfectæ. quamvis si loquamur de dispositione quæ tempore antecedit, sufficiat attritio aut dilectio imperfecta, ut docet Trident. sess. 6. cap. 5. quare admittenda non est sententia Antonii Bitontini q. 17 in Ecclesiast. anni epistolas, asserentis infantibus Bethlemiticis acceleratum fuisse usum rationis, ut haberent verum martyrium elicitum.

§. 4. *Enodantur fundamina utriusque opinionis.*

CVm utraque opinio adducta usui deservierint nostræ sententiæ, utriusque fundamina enucleanda, ne aliquid in illis oppositum lateat quod officiat. Ad 1. Respondetur, quod jam vidimus, qua ratione ille, qui dormiens pro Christo occiditur, habeat charitatem antecedentem, & quomodo sufficiat, si dum it dormitum, habuerit attritionem, quam explicat in illo Exomologesis ad martyrium requisita.

Ad secundum respondetur, optime probare Baptismum sanguinis, sive martyrium receptum, causare gratiam ex opere operato, quia passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi, & ideo purgat ab omni culpa tam veniali quam mortali, ut ait D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1 ad 2. si ergo habet vim Baptismi & ideo purgat, ergo ex opere operato ut Baptismus. quare, quamvis in adulto vigilante requirat actum dilectionis perfectæ, si iste existat in peccato, dilectio & contritio erit meritoria de condigno gloriæ & laureolæ, & passio pro Christo suscepta ex opere operato causabit gratiam. Sicut, si quis accedat ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ cum contritione, ista meretur de condigno gloriam. & Pœnitentia causat ex opere operato, vel primam gratiam, vel illius augmentum. Legatur Suarez, ubi supra §. ex qua ulterius. si tamen homo justus martyrio coronetur, sive disponatur per attritionem, sive per dilectionem, martyrium ex privilegio causabit augmentum gratiæ ex opere operato. nam hoc privilegium factum est excellentissimo operi, & non specialiter in favorem hominum peccatorum, immo multo magis in favorem justorum. quare in istis multo certius causabit gratiam ex opere operato.

Idem probat tertium argumentum, ex Patrum locutionibus & principiis desumptum, quæ libenter admitto, ut probantia efficaciter tertiam nostram conclusionem. illationes, quas facit Amicus, jam vel approbavi, vel reprobavi §. anteriori.

Fundamenta secundæ sententiæ etiam deservierunt nostræ, quod etiam enucleandum venit.

Ad I. ex Patribus & Scripturæ authoritate desumptum respondetur, probare nostras conclusiones 1 & 4. loquuntur enim de martyrio elicito, & de Martyre vigilante, non in somno occiso propter Christum, & sic in illo etiam teneat verum, ut enodavi.

Ad II. Respondetur, id haberi ex Patribus & privilegio Christi, quod contulit martyrio pro se recepto, ut idem Patres tradidere.

Ad III. Respondetur, probari quartam conclusionem, ad quam firmandam efficaciter illo usi sumus.

Ad IV. Respondetur eodem modo.

Ad V. Respondetur, quod hæreticus etsi nomine tenus dicat pati pro Christo, tamen reipsa non est ita, quia ubi non est vera fides, non est vera charitas aut vera attritio. quare, nisi in ipso martyrio abjuret suam hæresim, & unitati Ecclesiæ adnectatur, non est vere Martyr, sed solum apud suos sectatores simili tabe infectos.

Ad

Ad quintum respondebitur §. sequenti, ubi examinatur, qua ratione martyrium non sit Sacramentum, quamvis ex opere operato causet gratiam, & quando illam producat in peccatore.

§. 5. *Martyrium non est proprie Sacramentum.*

CVm Baptismus sanguinis & martyrium receptum, ut vidimus, gratiam primam in adulto dormiente peccatore, & vigilante augmentum gratiæ causat ex opere operato, & ultra meritum operantis, ut probatum manet; est contra hoc non inefficax argumentum, quia sequitur, quod martyrium sit Sacramentum à Christo Domino institutum. consequens est contra traditionem Ecclesiæ, quæ solum septem Sacramenta agnoscit. sequela probatur, quia Sacramentum est, quod sic causat gratiam ex opere operato, quod ex attrito facit contritum, sicut diximus facere martyrium. dicere autem, quod ideo non est Sacramentum, quia non est cærimonia sacra significans gratiam quam confert, non satisfacit, quia, quamvis martyrium, quatenus est actio Tyranni, non sit sacra, sed sacrilega, tamen quatenus recipitur in Martyre, sacra est, & instituta à Christo tamquam remedium extraordinarium ad gratiam consequendam, & eo ipso, quod ad hoc sit instituta à Christo, gratiam significat, quam causat ex privilegio; & sic ex eodem erit quoddam Sacramentum extraordinarium à Christo institutum ex privilegio; Sacramenta autem, quæ sunt media ordinaria salutis, solum sunt septem, & de his intelligitur Ecclesiæ traditio.

Propter hoc Major in 4. dist. 4. q. 3 ita sensit. sed autores secundæ sententiæ trepidant id concedere, & jure quidem, quia martyrium non est signum institutum significans gratiam sanctificantem, quod est de ratione sacramenti. quamvis enim sit institutum instrumentum gratiæ, hoc est solum, quia physice illam causat vel moraliter, quatenus Spiritus Sanctus ultra meritum operantis illam operatur, non quia martyrium illam significet ex placito Christi Domini, sicut significant Sacramenta.

Sed modo est dubium non injucundum, supponendo quod martyrium facit ex attrito contritum saltem per accidens, sicut faciunt cætera Sacramenta vivorum, juxta veriorem sententiam causans gratiam ex opere operato, an causat tamquam instrumentum physicum, an solum tamquam morale. P. Suarez ubi supra §. *unde ad tertium.* hoc ponit discrimen inter Baptismum fluminis & sanguinis, quod ille non solum dat gratiam, sed etiam illam operatur ut instrumentum Christi per virtutem latentem Spiritus Sancti. at martyrium, licet det gratiam, tamen passio non causat instrumentaliter physice per virtutem latentem Spiritus Sancti, sed solum dicitur Spiritus Sanctus illam operari ex particulari privilegio: non enim passio illa est instituta ad gratiam causandam, nec homo ibi operatur tamquam minister Christi, & Dei. Probabilis quidem positio.

Sed minus consequenter in adducta ad eam quam defendit de causalitate Sacramentorum, quam physice causare gratiam dicit, quod colligit & bene ex Patrum & Conciliorum locutionibus; si autem est aliquid, quod continet gratiam, & eam causat non ex opere operantis, sed ex opere operato, & non physice sed moraliter, frustrantur Patrum locutiones. similiter, sicut Baptismus aquæ habet potentiam obedientialem activam, ut ipse vult, vel solum passivam, ut volunt alii, cur passio in Martyre similem potentiam obedientialem non habebit ad causandam gratiam in anima?

II. Quia Patres, dum loquuntur de martyrio, ipsi tribuunt gratiam remissivam & extinctivam peccatorum. Ergo passio martyrii, vel martyrium ipsum receptum, erit instrumentum physicum respectu gratiæ quam causat ex opere operato. Ita Cyprianus epistola 73. . . . . *Numquid potest esse vis martyrii major aut potior, quam confessio? quam passio?* & in exposit. Orat. Domin. *quale delictum est, quod nec Baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est, quod nec martyrio potest expiari?* S. Prosper lib. sentent. 149, *Qui pro Christi confessione moriuntur si abluerentur fonte Baptismatis.* ex quibus desumpsit D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1 ad 2. & alibi, dum dicit, quod, *passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi & purgat ab omni culpa.*

III. Est argumentum, quod mihi obtulerunt S. Patres. Cyprianus lib. de laudibus martyrii in fine, & Clemens Papa lib. 5 Institution. cap. 7, ubi dicit: *passio enim quam pro Christo sustinet cedet ei in veriorem Baptismum, quoniam ipse reipsa commoritur Christo, alii in figura.* fere similia habet Cyprianus. ex quo duplex desumitur ratio. 1. Quia passio pro Christo, & verior Baptismus quam aquæ; negari ergo nequit, quod sit instrumentum, sicut Baptismus, & quidem physicus, sicut iste. II. Est ipsiusmet Pontificis, quia Martyr reipsa commoritur Christo, & alii in figura vel figuraliter. at Baptismus aquæ est instrumentum physicum, quia in illo configuramur morti Christi. ergo qui reipsa commoritur Christo, reipsa erit instrumentum ipsius ad causandam gratiam. etenim, ut ait D. Thom. 3. p. q. 48. art. 6, *passio Christi est instrumentum physicum efficiens nostræ salutis.* ergo si Martyr realiter commoritur Christo, & illi mortuo conformatur, erit ejus passio instrumentum etiam physicum gratiæ sanctificantis, quam Deus, ut causa principalis, causat ultra meritum operantis. quare hæc sententia mihi summopere arridet, utpote conformior Patribus & Scholæ S. Thom. & sic S. Doctor in 4 dist. 4. q. 4. art. 3. q. 1 ad 3 dicit, *quod Baptismus sanguinis convenit cum Baptismo aquæ in causando, non in significando, & ideo non est Sacramentum.*

§. 6. *Etsi præcedat contritio ad passionem pro Christo, ita tamen causat gratiam sanctificantem.*

COnclusione IV late dixi, & probavi, quod homo vigilans & advertens tenetur elicere actum charitatis aut contritionis, ut non ponat obicem martyrio, non exequens medium necessarium ad salutem, quale est actus contritionis perfectæ, quæ omni tempore fuit necessaria, ut ait Trident. contra quod objicit. Pater Suarez ubi supra §. *dico secundo.* Quia Patres dicunt quod martyrium supplet vicem Baptismi, & est verior Baptismus quam aquæ. Si autem in vigilante requiritur per se dilectio aut contritio, jam martyrium non haberet vim remittendi peccata sicut Baptismus, qui non solum quoad pœnam temporalem, sed etiam quoad culpam emundat delicta. unde ulterius sequeretur, quod martyrium numquam suppleret Baptismum aquæ, quia supponit effectum jam factum per Baptismum flaminis, scilicet contritionem, aut dilectionem Dei super omnia.

II. Quod si catechumenus, nihil cogitans de martyrio, habeat actum contritionis aut dilectionis perfectæ, si antequam intingatur aqua juguletur propter Christum, non dicitur illum obtinuisse remissionem

nem peccatorum propter Baptismum sanguinis, antequam jam consecutus est illum effectum.

III. Quia, licet aliquis possit dicere quod contritioni simul & passioni pro Christo correspondet totus effectus Baptismi aquæ, scilicet remissio culpæ & totius pœnæ, quia, quamvis remissio culpæ correspondeat contritioni, tamen remissio totalis pœnæ temporalis luendæ in Purgatorio correspondet martyrio recepto. Sic enim philosophantur multi, & dicit Lessius, ubi supra, esse probabile. tamen contra est, (ait Suarez §. *undæ*) quia hoc solum est dicere, quod Baptismus sanguinis ultra meritum operantis & ex opere operato causet, remissionem totius pœnæ temporalis, & quantum ad hoc solum suppleat vicem Baptismi aquæ. Quod est contra Patres, qui dicunt, supplere etiam quoad remissionem culpæ; tum etiam, quod remissio pœnæ ex opere operato habet martyrium ex promissione divina, quæ habetur ex traditione Ecclesiæ & locis Euang. à Patribus explicatis. & hæc promissio non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam remittendam extendi debet. nam verba Christi generalia sunt, & adhæc omnia extenduntur. Lucæ cap. 12, *Qui perdiderit animam suam propter me, vivificabit eam.* Quare usus & traditio Ecclesiæ non solum est intelligenda in remissione totius pœnæ temporalis, sed etiam in remissione æternæ, & culpæ quam remittit Baptismus sanguinis ultra meritum & satisfactionem operantis, quam vim habere martyrium constat in parvulis occisis pro Christo.

Verumenimvero hæc non sunt tanti ponderis, ut nos possint à sententia semel concepta dimovere. quamvis enim contritio, aut dilectio Dei super omnia, non contineant votum martyrii, si tempore antecedant passionem, & ipsam non imperent, atque ita non tribuatur martyrio ratione illius remissio culpæ, tamen, ut dicemus resolutione sequenti, cum martyrium receptum sit actus imperatus à charitate quando quis occiditur propter Christum, charitas imperans est voluntas ipsius martyrii & passionis. & sic, quamvis voluntas ista antecedat mortem, & justificetur homo per illam, nihilominus justificatio tribuitur ipsi martyrio, tanquam medio instituto ex divino privilegio ad justificandum extraordinarie. Sicut, dum quis justificatur Baptismo flaminis per contritionem, quia ista continet voluntatem, & votum, justificatio illa tribuitur Baptismo aquæ ratione voti inclusi in contritione, quia Baptismus, si reipsa susciperetur, illam gratiam causaret. Vnde, dum datur contritioni, tribuitur etiam ratione voti, Baptismo, sic etiam dum quis occiditur propter Christum cum passio sit imperata à charitate, quamvis ista illo tempore antecedat, justificatur homo rationi charitatis ex opere operantis, & eademmet justificatio tribuitur martyrio ratione voti, & voluntatis martyrii, & passionis. quare dum actu occiditur Martyr, ipsa occisio causat augmentum gratiæ, sicut causat Baptismus aquæ in homine accedente contrito, & prima gratia, ut dixi, sicut tribuitur Baptismo aquæ, ita martyrio.

Ex quo fit, quod Martyrium in re susceptum non est remedium mortuorum, sed vivorum, bene tamen Martyrium elicitum potest esse remedium mortuorum, in quo continetur votum martyrii recepti, & passionis pro Christo; & votum hoc etiam est remedium mortuorum. rem explico in communi sententia Thomistarum, asserentium votum implicitum Eucharistiæ esse necessarium ad primam justificationem, ita quod prima gratia conferatur in ordine ad Eucharistiam, juxta illud Ioannis 20, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis* vitam *in vobis.* Quæ verba, licet intelligantur de manducatione reali, tamen etiam intelligitur de manducatione spirituali per fidem & votum implicitum saltem illius: ut expresse docet D. Thom. 3.p.q.73. art.3, & q.79, art. 1 ad 1, ubi id expresse affirmat & respectu primæ gratiæ, etiam in parvulis, imitatus SS. P.P. August. epistola 106, & lib. 1 de peccatorum meritis, & remissione. cap. 20. Cyrillum lib. 5 in Ioannem cap. 14. & sic ratione voti saltem impliciti dicitur Eucharistia causare primam gratiam etiam in parvulis. pari modo cum dicat Christus: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ego coram Patre meo: & qui me negaverit, negabo eum,* &c. Quibus verbis Augustinus lib. 13, detri. cap. 7, æquiparat verba, quæ dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* &c. & possunt æquiparari verba adducta: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis,* &c. quare, sicut qui habet contritionem, habet votum implicitum Baptismi & Eucharistiæ, ita qui habet ex charitate voluntatem confitendi Christum coram hominibus & tyranno, & amplectendi mortem propter Christum, habet votum implicitum martyrii. & sic gratia, quæ confertur prima, tribuitur martyrio intento in actu charitatis patiendi propter Christum. sicut tamen Eucharistia in re suscepta non causat primam gratiam, sed ejus augmentum, nisi in casu per accidens, ita martyrium in re susceptum, respectu adulti & vigilantis, non causat primam gratiam, sed ejus augmentum ex opere operato.

Quamvis, ut dixi, sicut prima gratia causata in adulto ante Baptismum vel pœnitentiam, per dilectionem perfectam, & contritionem tribuitur Voto pœnitentiæ & Baptismi, quæ sunt causæ particulares, institutæ à Christo ad illam gratiam causandam. & sic ratione voti illarum dicuntur causare primam gratiam in Martyre.

Hæc sententia, me quidem judice, edocetur, à S. Thom. multis in locis, sed præcipue 3. p. q. 66. art.12, dicens, *Quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, & non è converso, & ideo ille est perfectior isto.* atqui Baptismus flaminis, inclusus in Baptismo sanguinis, nihil est aliud, quam quod actus imperans includatur in imperato, cum ex utroque fiat unus actus moralis, ut dicitur 1. 2. q. 19. & sic ex utroque Baptismo fit unus adæquatus, & solum distinguuntur sicut includens & inclusum, quia Baptismus flaminis, potest esse sine Baptismo sanguinis, iste tamen non sine illo. sicut actus imperans potest esse bonus moraliter sine imperato, iste tamen sine illo nullam habet bonitatem. Vnde imperans continet imperatum tamquam causa effectum, & sic est votum illius & in 4. dist.4.q.3. art.3.q.3 ad 1, dicit, *Quod remittere culpam & totam pœnam non habet Baptismus sanguinis tantum ex opere operante, sed eo hoc habet ex imitatione passionis Christi.* & q. 4. in corp. *gratia*, inquit, *in Baptismo sanguinis magis augetur habenti, & amplius datur non habenti, si impedimentum non adsit & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem pœnam & culpam tollit, tamen est in Baptismo sanguinis efficacior,* &c. Ergo ex imitatione reali ad Christum passum, martyrium receptum causat gratiam primam in non habente, non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Ex his ad firmamenta Suarez. ad primum respondetur, quod Baptismus sanguinis in pueris, in amentibus, & dormientibus, supplet vicem Baptismi aquæ, & reipsa susceptus purgat ab omni pœna & mortali culpa, producens primam gratiam, si non adsit impedimen-

pedimentum & obex ut vidimus, tamen in vigilantibus requiritur per se dilectio Dei super omnia, imperans actum externum martyrii, qui semper invenit subjectum vigilans sanctum & justum: ejus tamen justitia tribuitur, martyrio ratione voti inclusi in actum charitatis. Ad II. negatur enim omnino antecedens. Ad III. respondetur, quod passio pro Christo suscepta, semper causat ex opere operato remissionem totalem pœnæ temporalis, aliquando etiam remissionem culpæ in dormiente, amente, & infantibus; & semper votum Baptismi sanguinis, saltem implicitum, remittit culpam & pœnam æternam in vigilante & utente rationis arbitrio, ut explicatum manet. quare homo vigilans, licet non habeat conscientiam mortalis, quia memoriæ non occurrit, sitque in bona fide quod non habeat mortale, excusetur ab habenda contritione; nec enim qui rapitur ad martyrium obligandus est ad faciendum rigidum examen peccatorum, tamen non excusatur ab actu charitatis habendo, qui sit imperium martyrii.

§. 7. *Quando passio pro Christo causet gratiam in Martyre.*

D. Thom. 2.2. q. 124. art. 4 ad 4. dicit, *Quod meritum martyrii non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout scilicet, aliquis voluntarie patitur afflictionem mortis. contingit tamen quandoque, quod aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascumque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide Christi, diu vivat. in quo statu actus martyrii meritorius est, & etiam ipso eodem tempore, quo hujusmodi afflictiones patitur.* Loquitur enim D. Thom. de martyrio prout est passio voluntaria in corpore, qua ratione & est meritoria gratiæ, & est causativa illius ex opere operato. Sed difficile est explicatu, qua ratione in instanti mortis aut possit mereri aut gratia causari in anima, quia, quando homo non est, non meretur; &, quando anima non est unita corpori, nequit passio mortis causare gratiam quæ illam justificet. quæ ratio etiam militat in infantibus pro Christo occisis, in quibus certissimum quod Baptismus sanguinis in ipsa morte causat gratiam.

Suarez sect. 3. citata §. in tertia parte, postquam impugnavit Eminentissimum Cajetanum, alia via procedit, dicens, data hypothesi, quod homo desinat *per primum non esse*, dicendum est, dare gratiam Martyri in aliquo priori instanti, inter quod & instans mortis necesse est, ut aliquod breve tempus intercedat, nec refert, quod in illo instanti nondum sit vita consummata: nam satis est, quod per vulnera lethalia, aut aliud genus passionis, jam sit homo in eo statu constitutus, in quo est ita sensibus impeditus, & viribus corporis destitutus, ut jam non possit vel uti libertate ad peccandum, aut merendum, vel, si meretur, non tamen peccat, quia per gratiam martyrii confirmatur in gratia, ita ut infallibile sit non peccaturum, quod si miraculose impediatur mors, ille homo manet in gratia confirmatus toto tempore vitæ suæ, in qua conservat illum Deus, cum jure ad beatitudinem & laureolam, quod acquisivit per gratiam martyrii, ita fere Suarez, sed longius. quam sententiam sequuntur Coninck ubi supra. dubit. 3. Amicus n. 80. & aliis, quos sequitur. Nuño 3. p. q. 66. art. 12. difficult. unica. Vega in Trident. lib. 6, cap. 37, in fine.

Sed hæc sententia mihi non probatur, quia est contra sanctum Thom. verbis citatis dicentem, quod meritum martyrii *non est post mortem, sed in ipsa sustinentia voluntaria mortis.* unde in morte sustinenda est meritum martyrii, & tunc datur gratia; mors autem non est usque *ad primum non esse hominis.* ergo ante illud non datur gratia, sicut excommunicatio pro homicidio non incurritur quo usque homo non sit.

II. Quia homo in instanti, in quo amittit usum rationis & libertatis, desinit vivere vita hominis, & ponitur extra viam merendi aut demerendi, cum jam non possit habere actum fidei. quare, sicut in illo instanti terminativo vitæ est capax gratiæ martyrii, & jam erit in instanti terminativo vitæ. sicut enim primum illud instans pertinet ad viam tamquam tractivum extrinsecum, ita & istud pertinet ad tempus vitæ: in isto enim desinit vita, sicut in illo via. dicere autem, quod potest esse tempus in quo mereatur, & non possit peccare, quia confirmatur in gratia, prorsus est sine authore antiquo, aut ratione gratis dictum.

III. Quia, ut constat ex Patribus, martyrio & Baptismo sanguinis tantum conceditur privilegium, ut ex opere operato remittat totam pœnam & culpam, quia ratione mortis conformatur Christo Domino pro nobis mortuo. ita Clemens Romanus ubi supra. Rupertus lib. 7 de divinis officiis cap. 5. Cyprianus lib. de laudibus martyr. D. Thom. in locis supra adductis. atqui Christus in nullo tempore, antecedenti ejus mortem, complevit redemptionem & meritum suum; sed in instanti mortis completum fuit Christi meritum & satisfactio, juxta illud Pauli ad Rom. 5, *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* & ad Ephesios 5, *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Et hæc reconciliatio non fuit consummata, nec hostia & oblatio perfecta usque ad instans mortis Christi, ergo martyrium ante instans mortis non est consummatum in quocumque tempore antecedenti mortem; non quod mors in facto esse sit meritoria, hæc enim nec somniatur, sicut nec mors Christi in facto esse fuit meritoria, ut ait S. Thom. 3. p. q. 50. art. 6. sed voluntaria sustinentia mortis, quæ est passio habens pro termino mortem, & motus non dicitur esse perfectus ante suum terminum, sed in tempore est in via, & imperfectum quid.

Quare alii magis probabiliter sentiunt, quod homo desinat intrinsece per *ultimum esse* vitæ, & forma cadaveris incipiat per *ultimum non esse*, ut extrinsece, ita ut sit verum dicere *nunc est forma hominis, & immediate post non erit, & nunc non est forma cadaveris, & in tempore immediato erit.* Quare in illo instanti intrinseco, cum sit homo, merebit per martyrium, & istud in illo causabit gratiam ex opere operato, hanc sententiam de modo desinendi hominem, sequitur Valesius in controphisicis, & aliqui RR. Philosophi non ignobiles, & Soto dicit probabile in 4. dist. 19. q. 3. art. 3. conc. 3. vers. *hoc tamen.* Vega lib. 9 in Trid. cap. 43 dicit, hanc sententiam gratanter fuisse receptam à multis sanctæ Synodi Patribus, inter quos fuit Soto, qui verbo asseruit, ita sensisse dum adesset concilio, & quod pluris est D. Th. in 4. dist. 14. q. 2. art. 5 ad 5. probabile id reputat solvens argumentum factum juxta hanc sententiam, dicens: *Sed supposito, quod sit ultimum instans vitæ tunc in eodem instanti, & infunditur gratia, & motum pœnitentiæ homo habebit, & talis pœnitentia sufficit ad salutem, ut dicit August. lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 80.* & idem dici potest de Martyre, quod in ultimo esse suæ vitæ & habet actum charitatis perfectæ aut contritionis, & simul ex opere operato ultima passio causat gratiam, & quidem juxta hunc Philosophandi modum

modum facillime resolvitur difficultas proposita. Verum modum ipsum ex professo impugnant Divus Thom. l. 2. q. 113. art. 7 ad 5, & doctissimus Petrus Borgonensis in Concordantiis dubiorum D. Thom. dubit. 744, & omnes Peripatetici expositores Aristol. 6 Physici, ubi id late Philosophus per plures textus probat. quare modus iste, satisfaciendi difficultati propositæ, cum non fundetur, in bona Philosophia admittendus non est.

Et sic solum superest amplectendus modus Eminentissimi Domini Cajetani 2.2. q. 124. art. 4. §. in responsione ad 4, ubi ita clare, profunde, & expedite loquitur, ut mirer Patres Societatis ipsum non intellexisse, & tot absurda contra ipsum intulisse, &, *lapidem verberantes, caligant in sole*. Sic enim loquitur: *in hujusmodi tribulationibus continuatis usque ad mortem, ipsum voluntarie propter Deum sustinere usque ad mortem est actus martyrii meritorius, & mensuratur hic actus tempore immediate præcedente instans mortis ut mensura successiva & instanti mortis, quatenus tunc Martyr moritur, & termino successivæ mensuræ.* Et hoc sub aliis verbis dicitur, *quod, sicut mensuratum est sustinere continuatum usque ad mortem, ita mensura est tempus terminatum ad instans mortis. Itaque sustinere ut continuatur morti est martyrium, & tempus ut terminatum ad instans mortis est mensura martyrii.* Et infra: *in tempore immediate præcedenti instans est tolerantia mortis, ut in via indefectibili omnino à morte & in ipso instanti est toleratio mortis ut in termino, in quo non inconvenit mereri ut in termino.* Hæc ibi, quibus nihil clarius, nihil illustrius, ad solvendam difficultatem præsentem: non enim dicit Cajet. quod in termino mortis, hoc est, in instanti extrinseco, in quo est verum dicere non est homo, & immediate antea fuit, sit meritum, ita ut in illo sit verum dicere, *nunc non est homo, & est meritum novum* martyrii hominis. sed quod ibi est meritum tamquam in termino, quia illud instans terminat tempus antecedens, in quo fuit intrinsece meritum: etenim terminus intrinsecus mensuræ intrinsecæ meriti, quia meritum illud martyrii nullatenus esset, nisi terminaretur illo instanti intrinseco mensuræ meriti, & extrinseco vitæ merentibus.

Ex quibus colligitur implicare, contradictionem esse passiones continuatas usque ad mortem, & has passiones esse sine mortis termino; essent enim cum morte, ut suppono, quia terminantur ad mortem; & essent sine morte, ut conceditur, quod implicat in adjecto. ut autem hoc intelligatur recole ea quæ diximus supra Resolut. . . . . §. . . . dum esset sermo de B. Euangelista Ioanne. quod aut mors sequitur secundum præsentem justitiam, impeditur tamen absolute à Deo, ne causa naturalis, in qua continebatur, eam inferat, ut fecit in B. Ioanne, *qui senio confectus quievit*, non tamen ex vi ardentis olei. & hic Martyr fuit non absolute, sed secundum præsentem justitiam, ut ibi dixi, & infra magis enodabo; vel mors sequitur ad passionem secundum divinum decretum efficax, quo Deus decrevit, quod homo moriatur ex vulnere sibi inflicto, tamen miraculose suspenditur mors ad tempus, sicut legitur de B. Cecilia, quæ dixit: *impetravi à Domino inducias Martyrii mei*, & tandem mortua est in martyrio, & passio ejus continuata est usque ad mortem, impedimento sublato à Deo. & sic ad martyrium simpliciter requiritur actualis passio terminata instanti extrinseco mortis. hæc omnia fere Cajetanus.

Sed inquires, gratia sanctificans quo causat martyrium ex opere operato in infantibus, vel in adulto peccatore dormiente, quando causatur in anima? vel instanti mortis, & in hoc jam non est homo, & sic iste, si toto tempore antecedenti non fuit justificatus, nec justificabitur quando non est; vel causatur in alio instanti, ante illud in quo sit homo vivus, & sic cum non sint duo instantia temporis continui, immediate debet mediare tempus, & ruit tota doctrina tradita in præcedentibus. Respondetur, & est valde notanda solutio, absolute & (ad hominem contra Suarez & alios) quod gratia sanctificans producitur in illo instanti, in quo non est homo, & immediate antea fuit, quia tunc moritur ut in termino suæ mensuræ. unde illud instans, etsi non pertineat intrinsice ad esse hominis, pertinet tamen intrinsice ad mensuram ipsius esse hominis. quare, quidquid in illo instanti causatur, in anima dicitur pertinere ad statum viæ hominis, & non ad statum termini, in quo nec meretur, nec demeretur; via enim hominis intrinsece terminatur illo instanti quod est extrinsecum vitæ permanentis ipsius hominis. quamvis enim ibi non sit homo viator, hoc est, in motu viæ, est tamen terminus viæ hominis.

Rem explico in sententia ipsius Suarez tom. 3 in 3. p. disp. 8. sect. 2, ubi totus est in probando, quod ultimum instans, quod est extrinsecum motui successivo quod mensuratur tempore: in illo enim non est motus, quia in illo finitur, est intrinsecum Sacramento, quod intrinsece ratione temporis completur per illud instans intrinsece, quia in illo verificatur quod sit Sacramentum perfectum & completum, & hoc instans, & *mutatum esse*, est causa physica instrumentalis gratiæ. pari modo dico in præsenti, quod, licet homo desinat extrinsece, hoc instans quod est extrinsecum vitæ hominis, est intrinsecum martyrio, quia in illo perficitur & completur martyrium, sicut in ultimo instanti, in quo non est prolatio & immediate antea fuit perficitur Sacramentum quod in illo causat gratiam. quare cum verum sit, nunc est martyrium perfectum, & antea non fuit, dicitur etiam, nunc est justificatus per gratiam, & antea non fuit, sic enim desinit esse homo in illo instanti, quod sicut est in via indefectibili, ad martyrium sit in via indefectibili ad sanctitatem & justitiam. quare nunquam homo moritur in peccato, sed moritur in gratia, quia moritur in instanti extrinseco, quod, licet sit extrinsecum vitæ, est tamen intrinsecum gratiæ & extrinsecum desitione peccati, quod fuit toto tempore antecedenti & in illo instanti non est, cum in illo infundatur gratia, quæ simul est gratia pertinens ad viam, quia producitur in termino viæ, & in eodem instanti consummatur per gloriam, & sic prius natura intelligitur non perfecta, & in posteriori intelligitur consummata & perfecta.

Quam doctrinam, si advertisset Suarez, non objecisset ea argumenta futilia, quæ objecit D. Cajetano sect. 3 citat. non enim dicit, quod in instanti mortis, quod est extrinsecum vitæ hominis, possit in illo denuo mereri per novum actum elicitum, per quem mereatur præmium Martyribus promissum: hoc enim nec somniavit Cardinalis: non enim potest esse novus actus merendi, ubi non est fides, quæ non est in instanti in quo est martyrium completum; cum in eodem sit Dei clara visio & simul esse repugnat. Sed dicit, quod sustinentia passionis mensuratur tempore successivo, & quia hæc passio, ut sit verum martyrium, debet compleri morte, in isto instanti est completum meritum martyrii, ita quod actus meritorius charitatis, qui ante illud instans non erat meritum laureolæ martyrii, quamvis mereretur gloriam essentialem in illo instanti, sit meritorius martyrii, hoc est, laureolæ. ad quod non requiritur,

quod in illo instanti sit fides, sed sufficit, quod fuerit immediate ante illud, & quod in illo instanti producatur vel prima gratia habitualis, ut in pueris nondum baptizatis, vel in peccatore dormiente; vel augmentum gratiæ, ut in adultis vigilantibus, juxta dicta in superioribus.

§. 8. *Corollarium doctrinæ traditæ in præcedentibus.*

DOctissimus Pater Andreas de Vega, insignis Salmanticensis Magister, & Concilii Tridentini Primarius Theologus, in celebri tractatu quem composuit de justificatione pro defensa ejusdem sacri Concilii lib. 6 de præparato adulto ad justifica, c. 36 sic fatur: *Ego quidem sic in martyrii gloriam animatus sum, sic in ipsius laudibus studeo, & tota animi propensione ubique faveo, & favisse omnes sanctos Doctores animadverto, ut non solum remissionem peccatorum obtinere posse martyrium crediderim, si repentinus aliquis casus locum adimat pœnitentiæ, sed etiam ubi locus sit pœnitentiæ, & memoria occurrat peccatorum; itaque si studio unius martyrii, & effundendi sanguinem pro Christo, nolit fidelis cogitare aliquid de suis peccatis, neque eorum pœnitentiam aliquam assumere, sed totus vacet morti quæ subeunda sibi est, atque imminere & præsens esse jam cernitur, idque ad mortem certet, & is quoque per martyrii gratiam, & quidem gloriosissime salvabitur. Nam martyrium de se est sufficiens medium ad salutem, & sicut in lib. de Eccles. dogm. cap. 20 legimus, in eo tota Baptismi Sacramenta complentur, & peccata non tantum dimittuntur, sed etiam extinguuntur. & qui duo novit media sufficientia ad aliquem finem, prætermisso uno, potest altero contentus esse. & cap. 37, habet, dicit, nescio quam energiam & virtutem tanto nos periculo imo & detrimento & damno pro eo ultro exponere, ut nullam queat neque actu, neque virtute admittere voluntatem perseverandi in ipsius inimicitia. & vel ex hoc posset confirmari propositum totum nostrum, quoniam vere præsente morte sic in Deum affici pœnitentia quædam est virtualis, & pœnitentia omnis vel formalis, vel virtualis ad remissionem peccatorum satis est.* Hactenus ex viro eruditissimo.

Qui clare duo docet. I. Est, quod voluntas moriendi pro Christo, seclusa ab actu exteriori sustinendi mortem, non est sufficiens dispositio ad justificationem: hæc enim voluntas in multis peccatoribus reperitur, qui vellent potius mori, quam Christum negare. II. Est, quod hæc voluntas, simul cum passione continuata usque ad mortem, est sufficiens ad justificationem in adultis, quia Christus privilegium justificandi non dedit voluntati, sed dumtaxat martyrio concessit. Non enim dixit Ioan. 13, *majorem charitatem nemo habet*, quam ut velit quis animam ponere pro amicis, *sed quam ut ponat*, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. nec dicit: *omnis* qui voluit *me confiteri*, *sed omnis qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* quamvis enim actus exterior non addat bonitatem & malitiam interiorem, potest tamen habere aliquas prærogationes aut pœnas, quas non habet actus interior. datio enim eleemosynæ sufficit ad obtinendam aliquam indulgentiam, quam non consequitur solus actus interior. Et denique Christus, qui dixit, *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, constituit martyrium actum externum charitatis, & hujus prærogativam illi fecit communem.

Quare sententiam Andreæ sequuntur D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1 ad 2. ibi Cajet. §. in solut. ad 2. Sotus in 4. dist. 3. q. unica, art. 11 in fine. & judicat probabilem Suarez sect. 3. citata Conc. 3 asserens, & bene, quod remissio peccatorum ex opere operato, quam causat ex privilegio martyrium, non est promissa huic voluntati moriendi pro Christo seclulo opere externo sustinentiæ mortis: nam, si illa esset sufficiens sine actu externo ad conferendam gratiam, ante mortem illam consequeretur homo. quare voluntas illa simul cum sustinentia passionis usque ad terminum mortis est sufficiens dispositio, ut conferat gratiam & remissionem peccatorum. hæc enim voluntas est virtualis dilectio Dei super omnia, & virtualis peccatorum detestatio & pœnitentia. & quamvis hæc voluntas, seclusa sustinentia, usque ad mortem posset esse cum peccato mortali, non tamen quatenus est dilectio virtualis Dei super omnia, & peccatorum detestatio. quod habet ex eo, quod ratione illius homo sustinet passionem usque ad mortem: *nam exhibitio operis probatio est dilectionis*, ut dicebam ex sancto Gregorio.

Verum est, quod, moraliter loquendo, videtur impossibile, quod homo vigilans & utens expedite libertate, si memoria occurrant peccata, quod illa non detestetur, & quod non diligat expresse & formaliter Christum super omnia, pro cujus fide confitenda perdit vitam. Si tamen hoc omittat formaliter, vel quia non advertit obligationem, vel quia bona fide judicat martyrium sibi sufficere tamquam medium extraordinarium, & ex privilegio ad salutem & gloriam consequendam, sufficit utique dilectio Dei virtualis, ex qua imperatur sustinentia passionis usque ad mortem. & hæc est ratio, cur Ecclesiastica consuetudo ad aliquem venerandum ut Martyrem nihil aliud explorat, nisi quod pro confessione Christi passus sit. ex qua præsumit, & bene, quod habuerit virtualiter vel formaliter omnia media necessaria ad salutem, & non præsumit prudenter, quod simul cum illa confessione externa fidei usque ad sustinentiam mortis compatiatur, cum actuali complacentia ad peccandum, si alias est intra unitatem Ecclesiæ, ejusque fidem profiteatur. Si enim hæreticus sit, aut schismaticus, quamvis sustineat mortem pro Christo, non tamen pro fide Christi, quæ non est alia, nisi Ecclesiæ Romanæ, extra quam non est verum martyrium, ut in superioribus late dixi.

Ex quo constat, male & sine auctorum lectione Theophilum Raynaudum imposuisse Andreæ de Vega & Dominico Soto, quod dixerint, sine pœnitentia martyrium causare gratiam. quamvis enim & dicant sine pœnitentia formali posse contingere, tamen non sine virtuali, ut vidimus, quam sufficere affirmat ipse Raynaudus. verum est, doctissimum Vegam non videri sibi satis cohærere, dum dicit, quod etiamsi homini occurrat memoria peccatorum, non teneri elicere actum detestationis si totus sit occupatus circa sustinendam mortem fortiter, libenter, alacriter, & magnanimiter, sed loquitur de detestatione formali, hanc autem non esse formaliter necessariam, si virtualiter & æquivalenter contineatur in alio actu, docent plures & graves Doctores. Ita Lugo disp. 5 de pœnitentia, n. 93. & sequentibus disp. 4. sect. 1 & 2. Vasquez q. 85. art. 2. dub. Cajet. q. 87. art. 1. dub. 2 ibi, quamvis ex speciali dono Dei sola displicentia virtualis affuisset, sufficienter salvaretur concursus pœnitentiæ virtualis & implicitæ. Sed hi Doctores loquuntur de homine cui non occurrit peccatorum memoria, in quo casu contra Canum sentiunt sufficere dilectionem charitatis. quare mihi non probatur sententia Vegæ quantum ad istam partem: non enim deobligatur Martyr à præceptis divinis

divinis exequendis, si adest oportunitas, ut supra vidimus. est autem præceptum divinum de habenda pœnitentia, ut docent Patres, & videri potest Vasquez ubi supra q. 86. art. 2. dub. 2. quare si non desit bona fides, ignorantia invincibilis, aut in advertentia, tenetur Martyr ad expressam peccati detestationem, & propositum expressum non iterum ea committendi: cum enim teneatur haberi charitatem, ista vera non est, si potens adimplere præcepta non adimpleat.

RESOLVTIO XXXII.

Sustinere passionem pro Christo usque ad mortem elicitur à fortitudine, sed imperatur à charitate, ut sit verum martyrium.

IN utraque resolutionis parte concertatio nobis est cum Martino de Magistris, qui tract. de fortitud. q. 3. ex Diametro opponitur D. Th. utrumque dicenti, Martinum, sequuntur multi RR. societatis. quare sigillatim utraque pars enucleanda venit.

§. 1. *Elici à fortitudine ostenditur.*

HVic Resolutioni oppositi sunt Martinus de Mag. 93, citata conclus. 3. existimans martyrium non esse necessario actum fortitudinis, sed actum heroicum illius virtutis, pro cujus veritate tuenda martyr occumbit, etsi moritur pro justitia tuenda, est actus justitiæ in gradu heroico. Probatur 1, quia, quando duo volitiones habent idem objectum motivum, pertinent ad eandem virtutem, quamvis licet ratione diversarum circumstantiarum sint diversæ speciei. Atqui actus justitiæ absolute & cum circumstantia mortis habent idem objectum commune, scilicet opus justitiæ. ergo pertinent ad eandem virtutem. 2, quia volitio finis & medii propter finem pertinent ad eandem virtutem & ad idem vitium, ut ait Arist. 4 Ethic. ut velle furari, ut intemperate quis vivat, pertinet ad intemperantiam. ergo volitio justitiæ cum contemptu mortis pertinet ad justitiam, cum habeat opus justitiæ pro fine, & contemptum mortis pro medio.

Theophilus etiam Raynaudus p. 2 de martyrio, cap. 3, n. 27. (quem sequuntur fere omnes ejus familiæ Auctores, quos adduxi Resolut. 31, §. 2.) existimat motivum virtutis, ex quo Martyr mortem acceptat, esse voluntarium, ita quod Martyr potest mortem acceptare sive ex motivo charitatis, sive fortitudinis, religionis, justitiæ, &c. & sic actus martyrii potest elici aut imperari à quacumque virtute, ex cujus motivo mors contemnitur pro Christo, quare *quando Patres* (inquit) *martyrium tribuunt fortitudini & charitati, hoc asserunt, quia proclivissimum est, ut præcedat charitas imperans, & fortitudo elicient. Probatur, quia quis Martyrem astrinxit ad certi alicujus motivi honesti usurpationem? cum neque eam Christus induxerit, neque ex natura rei unum potius quam alterum exigatur. sufficit ergo motivum acceptandi martyrium esse supernaturale, & cum fide vera aliquatenus complicatum; ac proinde pertinens ad virtutem aliquam infusam, sive theologicam, sive moralem.* Hæc ille.

Sed nihilominus vera apud me & indubitata sententia est, quod sustinentia passionis usque ad mortem, pro Christo & ejus fide confitenda, sit elicitus actus solius virtutis fortitudinis supernaturalis & infusæ. ita D. Th. 2. 2q. 124. art. 2, ubi id probat authoritate Ecclesiæ quæ de Martyribus canit: *fortes facti sunt bello*, hoc est, in certamine particulari cum tyranno & persecutore, à quo & in quo imminent mortis pericula, ad quod alludit Cyprianus lib. 2. epistola 6. loquens martyribus: *O beati Martyres! ò milites fortissimi, robur corporis vestri quo præconio explicem?* unde secundum Patres motivum adæquatum fortitudinis, circa quod exercetur & elicitur primarius actus, est in contemptu periculi mortis, & præcipue in bello, ut dixi tract. 1. Resolut. 8. Ambr. lib. 3 de Virginibus: *Fortitudo* (inquit) *vim quandam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum.* & Aug. serm. 13 ad Fratres in eremo: *est & alia fortitudo, qua boni quotidie certant usque ad mortem: tales sunt fundati in Deo, & ideo nec verba, nec impiorum verbera timent.* S. Greg. Nazianzenus, oratio de Machabæis: *Eleazari discipuli sumus, cujus tamen fortitudinem perspectam & exploratam habes.* & quidem de eisdem loquuntur plures Patres, eorum martyrium fortitudini tribuentes, Theophilus Alexan. epistola 3 Paschali. Chrysost. hom. de septem Machabæis, serm. 1 de Martyribus, qui habetur tomo 3. Aretas in oratio ad Martyres, quam refert Baronius tom. 7. anno 522. unde egregie Bernardus serm. de sancto Benedicto dixit: *Martyres manifestum est fortitudinem seminasse.* Amb. lib. 2 de Iacobo & vita Beata cap. 9. Sanctus Antonius Afer epistola ad Arcadium Martyrem, & randem nullus est Patrum, qui Martyres fortes non dicat, & constantes in perferendis tormentis pro fide Christi, & quod ex charitate in Deum contempsere mortis pericula. quare Clemens Alexand. lib. 7 Strom. Martyres *vere esse fortes* (ait) *se primum ex recta ratione componentes, & alacri animo se tradentes, nullum sibi scopum proponentes, nisi ut Deo placeant.*

Quibus verbis continetur ratio, qua utitur D. Th. art. 2 citato. ad probandum verum martyrium semper esse actum elicitum à fortitudine, ad quem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis, & maxime contra pericula mortis ejus quæ est in bello. in martyrio autem homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem & justitiam non deserit propter imminentia periculæ mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminent. ergo martyrum semper & necessario fit ex motivo fortitudinis, tamquam elicientis. cum igitur omnes quotquot sunt P.P. & Martyrum Scriptores, sive in communi, sive in aliquo Martyre particulari loquentes, ipsos de fortitudine laudent & eorum constantiam encomient, qua fronte dici potest, hoc ideo dici, quia *proclivissimum* ut martyrium à fortitudine eliciatur, non quia non ab alia virtute elici non possit. ego quidem Patrum à torrente rapidissimo voluntarie feror, nec ducor novitatibus contra eorum dicta insurgentibus. sic enim parvi æstimatur authoritas, quæ est fidei & rectæ Theologiæ murus inexpugnabilis, & tutamen securum.

Vt tamen nostra sententia comprehendatur, & id in quo parologizati sunt contrariæ defensores, notanda est profundissima Cajet. doctrina, ubi supra art. 3, §. ad hoc dicitur. quod cum tolerare mortem secundum se non sit laudabile, sed secundum quod ordinatur ad aliquod bonum morale & honestum, ad actum fortitudinis dupliciter bonum morale concurrere debet; primo ad constituendam materiam hujus virtutis optimam, hoc est, pericula mortis honesta & optima esse rationis, in quo continetur homo per fortitudinem, quæ necessario præsupponit materiam suam regulatam ratione, & sic quod pericula sint maxima & optima. 2. modo influit bonum morale informando actum fortitudinis sustinendi, aggrediendi, timendi, vel audendi, *quando, ubi,*

ficut &c. oportet, & quicumque influxus horum deficiat deficit fortitudinis ratio; ad honestandum autem tolerantiam mortis & sic sit laudabilis, concurrit honestas aliarum virtutum, pro quarum defensione quis patitur mortem. triplex est autem fortitudo, politica, & monastica, & gratuita. Bonificans materiam fortitudinis politicæ est justitia legalis, quæ respicit commune bonum; honestans & bonificans fortitudinem gratuitam & justitia fidei, quæ per dilectionem operatur; honestans tamen fortitudinem monasticam est bonum cujuscumque virtutis viri fortis, pro cujus defensione & confessione laudabile est mortem sustinere. ex quo fit, quod homo potest sustinere mortem pro tuenda castitate, aut veracitate, aut ipsamet fortitudine, motus ex honestate harum virtutum, sicut motus ex honestate fidei. Cæterum hæc honestas non specificat actum fortitudinis & martyrii, sed honestat sustinere mortem, quod est proprium fortitudinis, cujus honestas sistit in hoc, quod est aggredi pericula honesta mortis, quam implicat, quod quis aggrediatur pericula mortis honesta, sicut aggrediuntur omnes Martyres; & quod non eliciat actum fortitudinis, sicut implicat, quod quis respiciat articulum incarnationis, quia Deus dicit, & quod non sit actus fidei. quare ridiculum est asserere, quod motivum martyris ad sustinendam mortem pro veritate confitenda, est martyri voluntarium: hoc enim voluntarie & sine fundamento aliquo asseritur.

Ex dictis corruunt fundamenta Martini. ad 1 Respondetur ex Cajet. negando minorem, quia talis volitio cum circumstantia mortis non est solius justitiæ, quia ex hoc ipso quod ad sustinere viriliter bonam mortem inclinat, genus justitiæ exit, & ad genus fortitudinis venit, velle siquidem justitiam quantumcumque firmissime & perfectissime ad justitiam spectat, sed velle sustinere mortem optimam, sive propter justitiam, sive quodcumque genus virtutis, fortitudinis est.

Ad 2 Respondetur ex eodem, quod quando finis & medium sunt ejusdem ordinis & honestatis, vera est major; quoniam vero sunt diversorum generum & honestatis aut malitiæ, fallitur omnino, & est contra Aristotelem ibi adductum, qui dicit quod, *qui furatur & mœchetur, magis mœchus est, quam fur.* est tamen fur & mœchus.

Sed dices, ad virtutem quamlibet in gradu heroico consideratam, pertinet vincere omnes difficultates impedientes actum ejus. ergo ad quamlibet virtutem heroicam pertinet vincere impedimenta orta ex mortis periculis, & sic ad hoc non est necessarium, quod martyr ex fortitudine aggrediatur vel sustineat mortem, quod potest quælibet virtus præstare. respondetur, quod quando impedimenta oriuntur ex propriis contrariis, quælibet virtus, cum habeat oppugnare illis, habet etiam in gradu heroico illa impedimenta evertere & vincere, sicut justitia ea quæ oriuntur ex injustitia, & temperantia ea quæ ex intemperantia & insensibilitate emergunt. at impedimenta extranea, hoc est à contrariis aliorum provenientia, illa vincere pertinet ad eam virtutem quæ medium ponit inter ista contraria. quod est ita certum, ac est quod materies virtutum distinguantur propter diversas illarum difficultates vincendas. cum autem impedimenta mortis sint extranea omni virtuti præter fortitudinem, ad istam solum pertinet ex propriis illa vincere, & non ad aliam virtutem etiam in gradu heroico. legatur D. Cajet. art. 2. §. *ad secundum.*

Ad fundamentum Raynaudi respondetur, quod Martyr sustinet mortem ex fortitudine, ad quod adstringitur ex natura rei, supposito quod illam sustinet. quare nequit excludere in passione sua motivum fortitudinis, & sic martyrium ab illa dicitur.

§. 2. *Imperari à charitate monstratur.*

Loquimur de martyrio elicito à fortitudine, & hoc negant actualiter aut virtualiter deberi imperari à charitate, Raynaudus, Suarez, Amicus, Cornelius à Lapide, & alii citati in superioribus.

Ast mihi certius & probabilius est à charitate imperari actualiter, hæc dubio procul est sententia D. Th. quem ejus omnes discipuli incunctanter sequuntur, estque omnibus fere Patribus conformis, & affinior Scripturæ, omnibus martyribus honorabilior, quibus hæc vox erat semper in ore: *nihil nobis ex omnibus pluris fuit, quam tui dilectio* (scilicet Christi,) *non patria, non genus, non divitiæ, sed omnia propter te perdidimus, etiam ipsam vitam, & tamquam occisionis oves sumus reputati.* Clemens Alex. lib. 9 Strom. *consummationem vocamus martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit ut reliqui, sed quod perfectum opus ostenderit charitatis.* Cyprianus lib. de Patientia, num. 38, *Charitas fraternitatis vinculum est, quæ fide & spe major est, quæ & opera & martyria præcedit.* Aug. tract. 84 in Ioann. explicans illud Christi cap. 15, num. 13, *majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, sic fatur: *hoc Martyres ardenti dilectione fecerunt. ideo ad mensam Christi non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, ut etiam pro eis oremus, sed magis eorum vestigiis hæreamus.* Bernardus lib. de diligendo Deo, gradu 4, loquens de Martyribus: *magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, quæ ita sua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valuerunt.* S. Ephrem Syrus, tom. 3. serm. 2 de laudibus Martyrum: *sancti martyres, exquisitis tormentis cruciati, Deum toto corde ac tota mente dilexerunt.* D. Th. ad cap. 15 Ioann. lect. 2. littera g, *majorem hac dilectionem*, &c. *hic ostendit efficaciam dilectionis, quæ est, ut quis mortem sustineat pro amicis, quod est signum maximæ dilectionis.* Laurentius Iustinianus lib. 2 de spirituali animæ resurrectione, parum ante finem: *Verum cum pro confessione Catholicæ veritatis certaminis hora incumberet, nulla eis pœna videbatur gravis præ amoris magnitudine.* Nazianzenus orat. 3 apologetica contra Iulianum, n. 66, loquens de Martyribus dicit, *esse divino, atque omni vitiosa affectione vacuo amore flagrantes.* Hieronymus in epistolam 1 ad Corinthios, cap. 13 ad illa verba: *etsi tradidero corpus* &c. *non propter Deum.*

Et quid in referendis Patribus tempus tero, cum ita universaliter loquantur de charitate, qua propter Deum sua corpora tradidere tormentis & morti, ac de fortitudine, qua tormenta & mortem ipsam sustinentes vicere. quare mihi ita certum est martyrium elicitum, quod est actus virtutis fortitudinis elicitus, esse imperatum à charitate, ac certum esse Martyres; ideo enim pro eis non oramus, ut ait Aug. *quia ardenti dilectione passi sunt tormenta.* & actus ipse sustinendi ab imperio actuali, formali vel virtuali, dilectionis dimanabat. & contrarium nec imaginatione concipi potest, sicut nec quod sine fide ipsam confiteatur coram Tyranno. Hæc autem fides cum sit actualis, sicut est actualis ipsius confessio, etiam operatur per dilectionem actualem, formalem vel virtualem, sicut confessio oritur à fide actuali, formali vel virtuali, & sic B. Maximus in quodam Sermone, ait, quod *charitas Christi in suis Martyribus vincit.*

Et quidem sententia hæc duplici nititur firmissimo fundamento: primum jecit D. Th. qui ubique docet marty-

martyrium à charitate imperari, esse dilectionis Dei super omnia imperium, sed præcipue q. 124 citata, art. 3, ubi inquirit, an martyrium sit actus maximæ perfectionis, & infrà Resolutio 40. ex professo ostendam. & respondet, quod quantum ad speciem illius virtutis à qua elicitur, quæ est fortitudo, non est maximæ perfectionis; cum fortitudo non sit virtus perfectissima; si tamen martyrium comparetur ad primum motivum perfectionis, quod est charitas quæ movet & imperat ad illud, sic martyrium inter omnes actus externos virtutis demonstrat perfectionem charitatis; & sic est maximæ perfectionis, & sic maxime in illo relucet charitatis motio & imperium.

Quod probatur, quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem quod inter omnia alia bona præsentis vitæ maximè amat homo ipsam vitam, & maxime odit ipsam mortem, & præcipue cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, ut August. dicit q. 36. lib. 83. qq. & secundum hoc patet, quod martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundum genus suum, quasi maxime charitatis signum, secundum illud Ioan. 15. ℣f. 13, *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ergo cum quando aliquis elicit actum martyrii actualiter pro Christo & Deo, rem magis amatam scilicet vitam & cætera omnia contemnit, & postponit Deo, ipsum actualiter diligit super omnia, & dum sustinet mortem, habet signum practicum infallibile & verax hujus dilectionis. hoc fundamentum mihi est evidens, quod martyrium est actus charitatis, ut vult Vasquez, vel quod ab illa imperatur, ut vult D. Thom. quem amplector.

Sed antequam ad ulteriora fundamenta solidanda progrediar, cursim est hic adnotandum circa locum Ioannis 15. ℣f. 13, quem inducit D. Thom. sic: majorem charitatem nemo habet, *quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, in Græco sic haberi: *Μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ.* id est, *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* & ita habet vulgata correcta. sic etiam habetur in exemplaribus Romanis, Arabico, & Syro, qui clarissime vertit: *Charitas major ista nulla est, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis*, quasi dicat Christus: maxima & summa dilectio est, qua quis non tantum opes & famam, sed & animam, id est, vitam ipsam, ponit pro amicis suis, hanc ego pono, id est, brevi ponam, & impendam pro vobis, &c. ita Cornelius ibi, Maldonatus, Toletus & communiter Patres utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ.

Cæterum Lectionem quam posuit in articulo retinet S. D. in omnibus locis suæ doctrinæ, suæque tempore sic erat in vulgata, ut videre est Lectione 2. in caput 15 Ioann. litera g. & in Catena aurea imitatus est sanctos Patres August. tract. 83 in Ioann. Bedam, ibi: Gregorium Magnum, Bernardum serm. 9 in Psalmo. *qui habitat*, & serm. feriæ 4 hebdom. sanctæ. Cyprianum lib. 3 ad Quirinum, cap. 2. n. 3. & alios, quos secuti sunt plures ex recentioribus Cajet. ibi: & si dicat *superfluit quam*, hoc est, non reperitur in Græco. sic intelligendus est, quoties dicit, *superfluit*, quasi dicat, non est in originali. quod adverto contra quosdam calumniatores Cajet. eam, ut D. Thom. & August. sequitur Cardinalis Toletus, redditque illius egregium sensum: *Nulla*, ait, *est major dilectio, quam ea qua aliquis pro eo quem diligit, animam suam ponit, & mortem subit.* Quod dico propter Cornelium & Maldonatum autumantes, quod si legatur, *quam, sententia corrumpitur: efficitur hic enim sensus: hac charitate nemo majorem habet, nisi si animam suam ponat pro amicis suis, itaque significatur eam charitatem, qua aliquis animam suam pro amicis suis ponit, majorem esse ea, qua Christus dilexit nos. quod falsum atque absurdum penitus est.*

Sed falluntur omnino isti Patres. etsi enim retineatur particula, *quam*, planus est sensus: nam particula *quam* pedissequa est comparativi, majorem. quare in rigore non superfluit, quamvis non fuit in originali Græco, est tamen adornatum Latini sermonis, & valet idem quod quantum, & est sensus: *Nulla est tanta charitas, quanta est quod quis ponit animam suam pro amicis suis.* qui sensus planus & regius est, nec ex illo aliquid falsum aut absurdum sequitur. Et quidem quod particula, *quam*, apud Latinos aliquando sumatur pro *quantum*, constat ex Ambrosio Calepino, verbo *quam.* sicut ponitur elegantiæ & emphasis causa, ut in bona Latinitate etiam sumitur. hæc dixerim ut PP. defenderem, & nihil absurde dixisse cognoscatur, non quia existimem non recte correctam vulgatam à summo Pontifice.

II. Fundamentum sit, quia, ut supra vidimus Resolut. 31, martyrium est passio pro Christo, ratione cujus realiter nos conformamur Christo passo pro nobis, propter quam realem conformitatem martyrio tot sunt concessa privilegia, de quibus infra Resolut. . . . Atqui Christus passus est pro nobis imperante charitate ipsius passionem. Ergo & nostra passio à charitate, qua diligimus Deum & Christum super omnia. Minorem docuit Paulus ad Galatas 2. ℣f. 26, *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* ad quæ verba D. Thom. ibi. lect. 6. *Attendendum est quod ipse filius tradidit se, & Pater tradidit filium Rom. 8. qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, & Judas tradidit eum, ut dicitur Matth. 26. & totum una res est, sed non una intentio, quia Pater ex charitate, filius ex obedientia simul cum charitate, Judas vero ex cupiditate & proditorie.* Ergo Martyr, ut se Christo in passione conformet, ex charitate se tradit tormentis & passioni usque ad mortem.

Vt autem hoc fundamentum comprehendatur, operæ pretium est adnotare ex communi & indubitata doctrina, quod dilectio, quantum ad præsens attinet, duplicem habet quantitatem. prima dicitur æstimationis vel appretiativa, quæ eo major est, quo res, quæ contemnitur pro amato, majoris vel minoris est pretii, vel æstimationis. major est amor & dilectio, quo quis amat contemnendo honorem proprium, eo quo quis contemnit divitias pro amico, quia secundum rectam rationem magis æstimatur honor, quam aurum. & amor quo quis alium diligit, contemnendo vitam, ipsam tormentis exponendo, ista est maxima dilectio æstimationis & appretiativa, quia nihil habet homo pretiosius, imo æstimabilius, quam vita. Alia est quantitas dilectionis intensiva, quæ consistit in vehementia & fervore dilectionis: quo enim ferventius aliquem diligimus, eo plus ipsum amare dicimur. Vnde potest contingere, quod eum, quem minus æstimative & appretiative diligimus, plus intensive amemus; ut Pater plus diligit filios teneros intensive, quam primogenitum, & tamen plus istum appretiative diligit.

Ex qua doctrina, quæ est indubitata, sequitur, quod Martyr, qui actu perdit vitam pro Christo, actu ipsum diligit dilectione maxima charitatis æsti-

mativa & appretiativa: non enim potest esse alia major, quam qua quis exponit vitam pro amico: cum enim quantitas ista dilectionis consideretur ex his quæ pro dilecto exponimus, & quæ ejus bono postponimus, nullumque sit æquale bonum temporali vitæ propriæ, fit ut qui postponit eam pro Christo & ejus fide, diligat summe, nec habetur ultra quod postponat. & sic expositio vitæ in Martyre debet à charitate imperari.

Sed ex alio principio eadem resolutio fulcitur. quia martyrium ita secum portat paratam executionem gloriæ, quam meretur de condigno, quod statim Martyr evolet in cœlum, absque transitu Purgatorii, ita quod Ecclesia nullam aliam inquisitionem de vita facit, sed solum de morte propter Christum, atque ideo Ecclesia non orat pro eis, ut ait August. sed potius *nos ipsis commendamus, ut pro nobis orent.* Atqui tantum meritum de condigno, nequit esse absque charitatis actuali imperio formali vel virtuali. ergo. minorem late ostendi in meo præcursore Theologo disp. 3. controv. 2. memb. 1. §. 1. ex August. multis in locis, præcipue lib. de gratia Christi cap. 26, *Vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur.* ita tenent Iannerus 2.2. disp. 6. q. 6. dub. 4. Zumel. 1. 2. q. 114. art. 4. disputatio 1. Doctissimus Bartholomæus de Medina, versiculo *quarta opinio.* Cabrera 3. p. q. 10. art. 3. disp. 4. q. 2. & sequuntur incunctanter omnes Thomistæ 1. 2. q. 124. tractantes de merito, ubi S. D. art. 4. & q. 6. de potentia, art. 9. & aliis locis clare & absque ambiguitate aliqua dicens: *præmio vitæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* & in solutio ad 3. dicit, *quod actus fidei non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galatas 5. similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hoc operetur, secundum illud ad Corinth. 1. cap. 13, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* hæc ibi. ergo martyrium elicitum sine imperio charitatis vacuum est meriti de condigno vitæ æternæ, & factum est tamquam *æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Sed circa locum Apostoli adnotare oportet, me valde mirari, auctores contrarios, ut sententiam quam semet conceperunt defendant, testimonium istud manifestum Apostoli deturbasse & confudisse; cum Patres tam Latini quam Græci unanimiter ipsum interpretassent de charitatis imperio actuali, & non de habituali. ita Chrysost. ibi. homil. 32. Theophylactus ipsum secutus, dicit: *Cum dilectione autem fit, quando inflammatus charitate hoc facit.* August. tract. 6 in Ioann. circa finem, ita clare id docet ut cæcutiat qui non videat: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, & utique pro nomine Christi. Sed quia sunt multi qui jactanter illud faciunt non cum charitate, ideo, si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest; charitate fecerunt Martyres qui tempore persecutionis passi sunt,* &c. Greg. lib. 18 moralium, cap. 15. *Non nisi in Catholica Ecclesia veri Martyres sunt. Auro locus est in quo conflatur, quia non clarescet anima in fulgore æternæ pulchritudinis, nisi ut ita dicam prius hic arserit in officina charitatis.* Ambr. ibi. *quidquid sine charitate fit, caducum est.* Hieron. *Si tradidero corpus, non propter Deum, nihil mihi prodest.* Cyprianus libro de zelo & livore n. 22. Rupertus in Ionam Prophetam, pagina mihi 871. Magister sententiarum explicans præfatum locum: *Sine charitate quippe hoc potest esse, sed non prodesse, sicut & bona opera, non ex quantitate sui, sed ex charitate plus minusve prosunt,* &c. quem sequitur D. Thom. lect. 1 circa finem. & omnibus antiquior Clemens Alex. lib. 4 Strom. ibi. *Si corpus meum tradidero, charitatem autem non habeam, sum æs sonans & cymbalum tinniens, si non ex affectione electa per charitatem, cognitione præditam, tulero testimonium, propter metum autem forte, & eam quæ expectatur mercedem, labra movens ad testimonium, fuero confessus Dominum, sum homo communis Dominum resonans non agnoscens,* &c. quid illustrius? quod illustrat Herbetus ibi, litera K. Laurentius Iustinianus de institut. Prælatorum, cap. 18. idipsum firmat robuste ex sententia Græcorum P. P. Chrysost. Theophili & Theodoreti, qui (postquam notant quod Paulus, *Non dixit moriar, sed quod omnium difficillimum videbatur vivum quempiam comburi.* id quod ex ipsis pulchre adnotavit Cajetanus ibi) inquirunt quomodo fieri potest, quod qui hæc fecerit, charitatem non habeat? Et respondent primo, quod quia hæc fieri possunt ex vana gloria captanda ab hominibus, ut multi gentiles, vel ex alio motivo apparenti ut hæretici: respondent II. Paulum locutum hyperbolice, sicut dum dixit ad Galatas 2, ℣. 12, *Si ego aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* atqui sciebat quidem fieri non posse, ut Angelus quispiam doceret, quæ essent contraria divinæ prædicationi. Sic quamvis sciret non posse fidelem ex motivo honesto se tradere combustioni sine charitate actuali, tamen hoc dicit Hyperbolice, ad declarandam energiam & efficaciam charitatis. quare implicat, quod quis eliciat actum fortitudinis, quo eligit comburi pro Christo & ejus fide, quin diligat actualiter ipsum super omnia: non enim rationabiliter potest eligere vitam amittere, nisi propter finem qui dignior & æstimabilior sit quam vita ipsa, & nihil aliud est, nisi Deus. quod quidem Ecclesia in officio plurimorum Martyrum, in Antiphona ad Magnificat, pro secundis Vesperis dicit: *Gaudent in cælis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, & quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo regnant in æternum.*

Hæc dixerim de martyrio elicito: nam de martyrio recepto, quo quis dormiens, aut amens occiditur in odium Christi, jam in superioribus dictum est.

RESOLVTIO XXXIII.

Vtrum martyrium cadat sub meritum de condigno aut de congruo.

CVm, ut Resolut. 35 constabit, de ratione martyrii sit mors, in eaque compleatur donum perseverantiæ, ut egregie August. dicit lib. de dono perseverantiæ, cap. 1 & 2. & quidem de merito tam de condigno, quam de congruo, respectu perseverantiæ doni agit D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 9. ubi Expositores omnes, & latissime Pater Franciscus Suarez tom. 3 de gratia lib. 12, cap. 26, ubi de merito de condigno, & cap. 38, ubi de merito de congruo. sed ibi tot adducit distinctiones perseverantiæ, ut potius rem confundat quam enucleet, cum perseverantiam, de qua loquimur, nobis tradat August. de qua etiam locuta sunt Concilia & P. P. contra Pelagium, & ejus reliquias. sic enim loquitur August. lib. de dono perseverantiæ, cap. 6. respondens Prospero & Hilario, qui de hoc S. D. rescripserant: *Sed nolunt,* ut dicitis, *isti fratres ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel simpliciter emereri, vel amitti contumaciter possit, ubi quid dicant parum diligenter attendunt de illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem; quæ si data est, perseveratum est usque in finem, si autem non est perseveratum usque in finem, non est data, quod & su-*

& superius satis egimus. & aliquantulum post subjungit: *Perseverantiam vero usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi perseveraverit usque in finem, multi possunt eam habere, nullus amittere: nec enim metuendum est, ne forte cum perseveraverit homo usque in finem, aliquando in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo donum suppliciter emereri potest, amitti vero non potest, cum datum est. cum enim perseveraverit usque in finem, nec hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem: quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur quod potest amitti.* & cap. 1, *asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo. finem autem dico, quo vita ista finitur, in quo tantummodo periculum est, ne cadatur. si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissime dicitur. quomodo ergo perseverantiam qui non perseveravit accepisse vel habuisse dicendus est?* & infra: *sed ni quisquam reluctetur & dicat, si ex quo fidelis factus est vixit*, verbi gratia, *decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tamquam temporis sui; hanc certe perseverantiam de qua nunc agimus, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moriatur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.* Hactenus Augustinus.

In cujus acceptione quæ propria est, loquitur Trident. sessione 6. cap. 13. quando dicit docuisse Christum Matth. 10, qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Hoc igitur perseverantiæ donum inamissibile etiam à quacumque contumaci & rebelli voluntate, quæ ab illo habet infallibiliter perseverare in bono libere, si sit adultus, & necessario si fuerit infans, in quo si conservatur gratia usque finem, necessario perseverat. Hoc, inquam, donum perseverantiæ usque in finem viæ & vitæ hominis, includit ipsum *primum non esse*, in quo non est homo ac antea fuit, tamquam terminum extrinsecum vitæ, intrinsecum tamen viæ, quæ mensuratur tempore quod intrinsece terminatur instanti illo. ut supra dicebamus Resolut. 31. §. 7, de martyrio, quod intrinsece includit perseverantiam usque in finem, sine qua non est verum & Catholicum martyrium.

Et quidem existimo martyrium non posse cadere sub merito de condigno. quod ita certum est, ut judicem vel esse de fide, cum sit de fide donum perseverantiæ usque in finem non mereri de condigno. Ita Zumel. ad art. 9. dubit. 1. Medina ibi. vel ad minus contrarium est temerarium, cum sit contra omnes Expositores ubi supra, & Scholasticos, qui quæstionem attigere in 2. dist. 27 & 28. & constat clare ex August. lib. de dono perseverantiæ, cap. 21 & 24, & de corrept. & gratia cap. 6. id clare, me judice, docet Trident. sess. 6. cap. 13. sed amplius probare est extra proprium assumptum digredi, quod odiosum est. ad præsens tamen institutum, quod martyrium de condigno promereri non possit de lege ordinaria, sed sit singularissime gratia & speciale gratuitum donum, docet August. lib. citato de dono perseverantiæ cap. 2, his verbis: *Videamus utrum hæc perseverantia, de qua dictum est, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, donum Dei sit. quod si non sit, quomodo verum est, quod Apostolus ad Philip. capite 2 ait: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo. horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque, dictum est, esse donatum. quod enim est verius initium Christiano, quam credere in Christum? quis finis melior, quam pati pro Christo? quid autem dici potest cur perseverantia usque in finem non donetur à Christo, cui donatur pati pro Christo? aut, ut expressius loquar, cui donatur mori pro Christo? nam & Petrus Apostolus donum Dei hoc esse demonstrans, melius est, inquit, benefacientes*, si velit voluntas Dei, *pati, quam malefacientes. Cum dicit, si velit voluntas Dei, ostendit hoc divinitus donari nec omnibus sanctis, ut pro Christo patiantur. neque enim, quos non vult Deus pervenire ad experientiam gloriamque passionis, non perveniunt ad regnum Dei, si perseveraverint in Christo usque in finem. sed quis dicat istis non donari perseverantiam, qui ægritudine corporis, vel quocumque casu moriuntur in Christo? cum longe difficilior donetur illis à quibus suscipitur mors ipsa pro Christo, multo quippe difficilius perseveratur ubi hoc agit qui persequitur ne perseveretur. illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius est habere; sed cui nihil difficile est, facile est utramque donare.* hactenus Augustinus. Cui consonat Chrysologus serm. 152, *attendat Auditor, attendat, ut intelligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam.* uterque enim agit contra semi-Pelagianis, qui perseverantiam & martyrium asserebant per meritum de condigno, non quidem meritum ex viribus naturæ ortum, sed ex auxilio gratiæ, ut latius ostendi in materia de gratia auxiliante.

Ratione manifesta idipsum probatur. quia, ut ait Augustinus, perseverantia usque in finem, dicit finem: quo vita ipsa, finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur, quia gratia ad perseverandum datur ultimo & per se ad vitandum finale peccatum, ut illa posita homo justus infallibiliter decedat è vita, ne ulterius sit in occasione & periculo peccandi. atqui hoc nequit sub merito de condigno cadere, tum quia talis mors pendit ex speciali decreto Dei efficaciter prædefiniente, quo unicuique mortalium taxatur vitæ terminus, tum etiam pendet ex universali Dei providentia, & dispositione omnium causarum à quibus mors & vita pendent, aliquando ex præordinatione Dei permittentis violentam martyrii mortem, quæ exequitur peccatum Tyranni. quæ omnia & valde sunt extrinseca operibus bonis justorum, ut illis debeatur perseverantia usque ad finem, tanquam merito de condigno. ratio etiam D. Thom. art. 9 citato, efficacissima est, sed concernit alias difficultates, quæ non sunt hujus loci, nec est animus eas discutiendi in præsenti.

Sed quamvis dicta ostendant, de facto perseverantiam Martyrum, usque ad mortem, secundum legem ordinariam non cadere sub merito de condigno, dubitat Zumel. dubio 1. citato, an id possit fieri de potentia absoluta, & respondet affirmative, si Deus statuat pactum, quod si justus faciat talem actum meritorium de condigno gloriæ, perseveret usque ad mortem in gratia; sicut homo constitutus à Rege in aliqua dignitate, potest mereri de condigno, quod Rex conservet ipsum in illa usque ad mortem.

Sed defecit insignis Thomista à rigore Scholæ S. D. cujus fundamentum probat non solum de potentia ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, qua fieri nequit, quod id quod per sese tenet ex parte principii, se teneat per se ex parte termini. præmium quod correspondet merito de condigno, per se tenet ex parte termini, cum præmium sit per se terminus motus meritorii de condigno; donum tamen perseverantiæ usque in finem, se tenet ex parte principii ad perseverandum usque in finem, quia sine ista non perseverabitur, & cum illa infallibiliter perseverabi-

verabitur, quia non poteſt amitti. Ergo implicat, quod cadat ſub meritum de condigno. quæ ratio fuit prius S. Auguſt. cap. 6 citato, nec exemplum adductum alicujus eſt ponderis, quia perſeverantia in dignitate non eſt principium meriti de condigno, reſpectu illius.

Sed numquid perſeverantia uſque in finem poteſt cadere in Martyre, ſub meritum de congruo? ita ſentit Raynaudus p. 2. cap. 3. n. 24 ſecutus Suarez cap. 38 citato, & Magiſtrum Ioannem Vicentium Relect. de gratia Chriſti pagina mihi 467. Vegam lib. 15 de juſtificatione, cap. 2. probabile reputat Zumel. dub. 2. concl. 4. quum videntur clare docuiſſe Cyprianus lib. de laude martyrii, n. 48. Eucherius Lugdunenſ. Homil. de S. Romano Martyre. & S. Auguſt. ſerm. 32 de S. Laurentio, *Martyres ita cunctis devinxerunt legibus Salvatoris, ut propter anteactam vitam mererentur ad hanc martyrii gloriam pervenire.* & lib. de dono perſeverantiæ cap. 6 dicit, quod *donum perſeverantiæ poteſt ſuppliciter emereri.* Deinde teſte eodem ſancto D. cap. 2, 6 & 7, ejuſdem libri: *Iuſti orationibus, obſecrationibus, ſupplicationibuſque petunt hoc donum*, & multi petierunt & conſecuti ſunt, non ſolum perſeverantiam abſolute uſque ad mortem, ſed etiam in martyrio & per martyrium. ergo nihil vetat, quod ipſam mereantur de congruo.

At contrarium verius eſt, quod tenet Thomiſtarum chorus, Medina, Arauxo, Martinez, & probabilius reputat Zumel, & manifeſte docet S. Thom. art. 9, ubi cum articulo 6 diſtinxerit meritum de congruo & de condigno art. 9 abſolute negat quodlibet meritum, reſpectu perſeverantiæ uſque in finem. & cum argumento primo ſibi objeciſſet: *illud quod homo obtinet petendo, poteſt cadere ſub merito habentis gratiam. ſed perſeverantiam petendo homines à Deo obtinent, alias fruſtra peteretur à Deo in petitionibus orationis Dominicæ, ut Auguſt. exponit lib. de dono perſeverantiæ cap. 2 & 17. ergo perſeverantia poteſt cadere ſub merito habentis gratiam.* Huic argumento reſpondet, *ad primum, dicendum, quod etiam ea quæ non meremur, orando impetramus: nam & peccatores Deus exaudit peccatorum veniam petentes, quam non merentur, ut patet per Auguſt. tract. 44 in Ioan. & ſimiliter perſeverantiæ donum aliquis petendo à Deo impetrat, vel ſibi, vel alii, quamvis ſub merito non cadat.* Quid clarius? cum S. Doctor ſolum concedat impetrationem hominis juſti, reſpectu perſeverantię, & nullum meritum. quod ſi eſſet, de congruo eſſet, ſicut art. 6 conceſſit, ut quis poſſit de congruo mereri alteri primam gratiam. quare homo juſtus, licet ſibi poſſit, vel alteri, impetrari orationibus martyrium, non tamen mereri etiam de congruo. & ſic corruit ſecundum fundamentum oppoſitum, auctoritas etiam Patrum facilem habet ſolutionem: ſumunt enim meritum improprie pro impetratione, eſt enim phraſis Auguſtini dum dicit, quod fides *non eſt abſque merito*, utique impetratorio, non de congruo aut de condigno. ſic interpretatur doctiſſimus Driedo lib. de concordia gratiæ & lib. arb. p. 2. cap. 3.

Ratio enim D. Thom. idem convincit, quia meritum de congruo ſupponit amicitiam merentis, & illius à quo expectatur retributio & merces, ut eſt indubitatum principium alibi à me probatum. ergo gratia ſe tenet pro ſe ex parte principii hujus meriti. ergo implicat, quod per ſeſe teneat ex parte termini tamquam præmium, prima conſequentia patet. gratia, ut conſervata à ſolo Deo, ſicut ab ipſo ſolo eſt producta, concurrit per ſe ad meritum de congruo tamquam conditio per ſe requiſita. Ergo ipſa conſervata uſque ad mortem non eſt terminus meriti de congruo: unde eſt manifeſtum diſcrimen inter impetrationem & meritum de congruo, quia impetratio per ſe non requirit quod impetrans ſit in gratia, cum *Deus etiam peccatores exaudiat*, & iſti impetrant juſtificationem, at merens de congruo requirit amicitiam, tamquam conditionem per ſe ad merendum. ex quo etiam fit contra quoſdam RR. quod contritio, quamvis ſit meritoria de condigno gloriæ, non eſt tamen meritoria etiam de congruo primæ gratiæ habitualis juſtificantis, quia ſubjectum eſt inimicum Deo datori gratiæ, quam gratis infundit.

RESOLVTIO XXXIV.

Martyrium quandoque ſub præcepto, quandoque ſub conſilio.

TRactat hanc difficultatem articulariter, & in propriis terminis, S. Thom. quodlibeto 4. art. 20. & alibi, cujus reſolutioni parum, aut nihil occurrit addendum. quare art. ipſum tranſcribo ſic: *Aliquid cadit ſub præcepto dupliciter, uno modo abſolute, alio modo ſecundum animi præparationem. Quia enim præceptum importat rationem debiti, illud abſolute cadit ſub præcepto, quod eſt debitum propter aliquod exiſtens, ſicut præceptum de honoratione parentum, vel de amando Deum. Sed quandoque contingit, quod id quod facit aliquid eſſe debitum, nondum præceſſit, ſed poteſt occurrere: unde hoc cadit ſub præcepto, non abſolute, ſed ſecundum præparationem animi, ita ſcilicet ut homo habeat animum paratum ad faciendum illud, quod debitum redditur ex aliqua cauſa occurrente. & hoc modo exponit Auguſtinus illa Domini præcepta, quæ ponuntur Matth. 5, ſi quis percuſſerit te in unam maxillam præbe ei & aliam, quia ſcilicet, ſi opus eſſet, & hoc exigeret ſalus aliorum, homo debet eſſe paratus ad hoc faciendum; & per hunc modum ſuſtinere martyrium propter Chriſtum cadit ſub præcepto, quia ſcilicet homo debet habere animum ita paratum, ut prius permitteret ſe occidi, quam Chriſtum negaret & mortaliter peccaret, & ſic relinquere bona propria cadit ſub præcepto, quia debet eſſe paratus animus Chriſtiani magis ſuſtinere rapinam bonorum ſuorum quam Chriſtum negare, & mortaliter peccare.* hæc ibi.

Propter quæ 22. q. 124. art. 3 ad 1 dicit, *quod nullus eſt actus perfectionis ſub conſilio cadens, qui in aliquo eventu non cadat ſub præcepto quaſi de neceſſitate ſalutis exiſtens, ſicut Auguſtinus dicit in lib. de adulterinis conjugiis cap. 13, quod aliquis incidit in neceſſitatem continentiæ ſervandæ propter abſentiam vel infirmitatem uxoris, & ideo non eſt contra perfectionem martyrii, ſi in aliquo caſu ſit de neceſſitate ſalutis. eſt enim aliquis caſus, in quo martyrium perferre non eſt de neceſſitate ſalutis, puta, cum ex zelo fidei & charitate fraterna multotiens leguntur ſancti Martyres ſponte ſe obtuliſſe martyrio. illa autem præcepta intelligenda ſunt ſecundum præparationem animi.* hæc ibi, quod dixerat art. 1 ad 3.

Et in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. q. 2 ad 1 egregie addit, quod *ſuſtinere mortem propter Chriſtum, quantum eſt de ſe, eſt opus ſupererogationis. non enim quilibet tenetur fidem ſuam coram perſecutore profiteri, ſed in caſu eſt de neceſſitate ſalutis, quando ſcilicet aliquis à perſecutore deprehenſus de ſua fide requiritur, quam confiteri tenetur, nec tamen ſequitur quod laureolam non mereatur: laureola enim non debetur operi ſupererogationis, in quantum eſt ſupererogatio, ſed in quantum perfectionem quandam habet. unde tali perfectione manente, etiam ſi non ſit ſupererogatio, aliquis laureolam meretur.* Lege quæ dixi Reſolut. 16.

Ex qua Catholica doctrina ortum ducit, quod multi sancti desiderio martyrii flagrassent, quod consecuti non sunt, ut S. Antonius Abbas apud Athan. in ejus vita, & S. Franciscus apud S. Bonavent. pariter in ejus vita B. Didacus & plures alii. & sic pati martyrium non est sub præcepto; alii vero noluerunt martyrium suum impediri cum possent, ut B. Andreas, & Ignatius, volentes consilium exequi.

Digressione I. *explicantur aliqui Canones difficiles Concilii Illiberitani circa martyrium.*

SEd circa illa verba D. Thom. martyrium perferre non est de necessitate salutis, puta cum ex zelo fidei & charitate fraterna, multotiens leguntur sancti Martyres sponte se obtulisse martyrio, dubium occurrit, an quis zelo fidei motus, possit se offerre sponte martyrio, propria authoritate evertendo fana idolorum, & ipsa idola publice comminuendo. de hoc egi supra Resolut. 28 explicans difficilem Canonem nostri Illiberitani Concilii, qui in ordine hodierno est 60. sed quia sunt hujus sacri Concilii Canones valde difficiles, qui concernunt aliquo modo materiam de qua tractamus, operæ pretium judicavi in gratiam studiosorum, & nationis nostræ, eos enucleare, & digredi aliquantulum. quod non erit lectoribus injucundum.

SECTIO I. *Discutitur Canon* LX *Illiberitanus de non evertendis idolis.*

SVpra Resolutione citata, aliqua prælibavi de antiquitate & authoritate Concilii Illiberitani, posuique explicationem unam Canonis sexagesimi, alteram promittens in præsenti: nondum enim ad manus meas pervenit tractatus Domini Ferdinandi de Mendoza, dicatus & missus ad Clementem. VIII, tres libros eruditione plenos complectens, pro confirmando Concilio Illiberitano, quem mihi commodato dedit Illustris vir & eques S. Iacobi, D. Nicolaus Antonius, rerum notitia & librorum lectione illustrissimus, & Illustrior virtute & animi candore. Vt autem Canonis enucleationem Fernandinam rigidius appendam, Canon ipse ponendus prius est, qui sic habet: *Siquis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Euangeliis* (in *Euangelio* habet codex emendatior) *non est scriptum, nec invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit eum in numerum non recipi Martyrum.* Hunc Canonem datum fuisse contra Donatistarum reliquias, Circumcelliones dictos, loco citato & duxi & probavi, estque germanus Concilii sensus, cujus tempore per mundum cursitabant Circumcelliones isti, maxime Africanas civitates, quas infestabant, utpote ex illis oriundi, Donatistæ & sequaces.

Verumenimvero doctissimus vir D. Ferdinandus de Mendoza lib. 3. cap. 45 & 47. à pagina 139. aliam adortus est viam; ait enim Patres Concilii multiplex habuisse rationabile motivum ad Canonem istum condendum. Primum, ne Imperatores, Præsides, Iudicesque gentiles, videntes Deos, quos colebant, injuriose & animose palam & publice confringi, & dirui templa, in quibus religiose illis sacrificabant, in Christianos reddantur exacerbati, in sævitiam & immanitatem Christiani nominis venirent, & atrocem bellicarum feritatem imitarentur. Quare, templa & idola evertentes occasionem pariunt persecutionis, ut ait Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromatum. Sic enim ut referunt Cassiodorus lib. 10 Tripart. & Socrates lib. 5. cap. 16. & Sozomenus lib. 7. cap. 15, multi Principis Tyranni, ardore succensi, & zelo crudeli suorum idolorum persecuti sunt Ecclesiam irritati, quia templa à Christianis eversa sunt. quo motivo inducti summi Pontifices præceperunt jamdiu sacerdotibus & monachis Hierosolymitanis, sub gravi censura anathematis, ne verbum Domini publice prædicarent, quia, tametsi Christianæ fidei propagatio res sit sanctissima, ne tamen excitati Turcarum animi sævirent in Christianos crudelius. quod præceptum justissimum fuit maxima prudentia nitens, ut prudenter & prout oportet fides disseminetur: nec enim quælibet fortitudo virtus est, nec cujuslibet fortitudinis est actus martyrium; ut enim ait Bernardus lib. 1 de consideratione ad Eug. cap. 8, *fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem quemlibet nisum, quem non parturivit prudentia.*

II. Fuit, quia tunc temporis erant plures Christiani egeni & pauperes, debitis & rationativis onusti, emendicabant multi hostiatim, indigentes victu & vestitu necessario, qui multotiens hoc templorum & idolorum incendium & ruinam aggrediebantur, & martyrio sese offerebant, non zelo fidei & ejus confessionis, Christive amore, sed, ut detenti in carcere, alerentur ab Ecclesia, & debitis, quibus urgebantur, plane à fidelibus satisfacerent, ut mos fuit in primitiva Ecclesia, ut dicit Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. Cyprianus epistola 37. . . . . Concilium Carthagen. 4. canon 43. quos non esse Martyres ait August. in breviculo collato. tertiæ diei, cap. 15. approbans sententiam Masurii Episcopi Carthag. epistola ad secundum Tisigitanum. *Quidam etiam*, ait, *facinorosi arguebantur facinorosi & fisci debitores, qui occasione persecutionis, vel carcere, vel ut onerosa multis debitis vita purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum.*

III. Quia volebant Patres primitivæ Ecclesiæ, Christum imitantes, fidem Christi introducere, non in humanæ sapientiæ verbis, non in vi & vi armata, & seculi potestate, ne humanæ sapientiæ & viribus conversio gentium & religionis introductio adscriberetur, in qua gratiæ efficaciam illustrem & magnificam videri cupiebat Deus, & ita ad Euangelii propagationem noluerunt hujus Concilii Patres humanarum virium experimentum fieri, sed utriusque rationem divinæ providentiæ reservari, ut manifestum fieret, non humana præsumptione, sed divina potestate in patientia, modestia, mansuetudine, & humilitate contemptibilium personarum Christi religionem stabiliri inter gentes. Vt enim ait Tertull. lib. ad scapulam, *non est religionis, cogere religionem, quæ sponte suscipi debet.* nempe ut idem consuluit Nicolaus Papa Bulgarorum prædicatoribus, *ut eos ad rectam fidem monitis, exhortationibus, & ratione potius quam vi.* quod vana *sapiunt convincatis.*

Hæc motiva & alia plura induxere Patres, ut legem præfatam ferrent, perget tamen perdoctus vir, & cap. 49 dicit, quod Concilium suo decreto non sancit non esse vere Martyres, qui zelo religionis prudenti & discreto idola fregerit, fanaque destruxerit, sed si quis hoc faciens fuerit interfectus, non referatur in tabulis Ecclesiasticis, & in Martyrum catalogo. Sic enim Augustinus, in Breviculo cap. 15 citato refert, quod Mesurius, de quo supra similem edidit constitutionem, qua statuit quod qui ultro se offerret persecutoribus, qui ipsum occiderunt pro Christo & in odium religionis, non est ut Martyr hono-

honorandus. cæterum nec Patres Illiberitani, nec Masurius Carthag. decreverunt definieruntve, quod iste talis non sit apud Deum vere & proprie Martyr, insigniaturque martyrii laureola in cœlis: si enim confessus est Christum coram hominibus, & ipse Christus confitebitur eum coram Angelis in cœlo.

Sed hanc expositionem prorsus rejiciendam existimo. 1. quia, si legis habuit vigorem canon præfatus, utique cum esset in re gravissima, obligaret sub mortali, ut ita, qui contra illam ageret infensus esset Deo, & sic contra ipsum & non pro ipso pateretur martyrium. non enim Martyr legibus est solutus quas scit obligare & non ignorat, ut supra Resolutione ..... docui.

2. Quia cum Concilium ad summum fuit nationale, non potuit ferre legem quæ universos Christi fideles comprehenderet. 3. Quia Concilium non potuit auferre martyrum honores debitos eis, qui ipsum præcessere, neque eis qui ipsum erant secuturi, nisi declarando non fuisse Martyres; si autem hoc declaravit, ideo fuit, quia declarat temeritatem fuisse, non zelum prudentem, quo hæc peragerent. si autem fuit temeritas & non fortitudo, non fuit verum martyrium.

4. Quia, ut iste Doctor affirmat, occasio faciendi hoc decretum fuit martyrium. SS. VV. & MM. Iustæ & Rufinæ, quæ justo Dei zelo & pietate commotæ cum plures ethnicæ mulieres circuirent forum, in quo sanctæ virgines vasa fictilia venditabant, ut stipem quærerent portantes idolum Deæ Salambonæ, alias Veneris; *Andavan pidiendo con la demanda de Venus*; Iusta tamen, & Rufina Deæ falsæ noluerunt erogare aliquid quod templo ejus deserviret; imo flagrantes Christi amore idolum confregerunt. Diogenianus, tunc Hispalensis præses, variis tormentis cruciavit. ita refert Isidorus in Breviario Gothico, quod successit anno Christi 277. adfuit autem Concilio Sabinus Episcopus Hispalensis, à quo forsan propositus fuit canon edendus ad obviandos similes casus. atqui non obstante hoc decreto, sanctæ istæ, quarum martyrium illi dedit motivum, ut vult Mendoza, celebrantur Martyrum honore, & in tabulis Ecclesiasticis reponuntur. ergo decretum non intelligitur eo modo quo vult, sed alio longe diverso, ut jam dicam.

5. Quia Patres hujus Concilii, imo nec Concilii generalis potuerunt statuere, ut honore Ecclesiastico & culto debito martyribus priventur, qui, zelo religionis & spiritu Dei acti, delubra & idola evertunt & comminuunt, si comprehensi in odium fidei occidantur, cum honor iste sit de jure divino semel probatus quod bono zelo id fecerunt. solum ergo possunt Patres præsumere rationabiliter, quod, qui talia faciunt, sunt temerarii & zelo indiscreto processisse, ex quo accendi potest persecutio, & ingravescere tyranni crudelitas. propter quod, nisi inspiratione divina id faciendum non est, sicut nullus potest se in ignem aut rapidum fluvium dum fertur ad martyrium injicere; & tamen multi, qui hoc fecerunt, honorantur ut Martyres, ut supra retuli, quia inspirati sunt. ita de frangente idola sentiendum. Quare in hoc sensu nec locutum est Concilium, imo nec loqui potuit, si non potuit errare; hæc de hoc lata fuit constitutio à Masurio Episcopo Carthaginensi, sed in illos, qui ultro, temeritate non zelo sancto & dicendo ducti, se offerebant Donatistis inquirentibus sacras Scripturas ut igni traderent, & cum non essent nominatim quæsiti, lictoribus se manifestabant, dicentes se Scripturas sanctas habere, & tamen nolle eas tradere; isti enim temere se ingerebant ultro morti tradentes; cum nec zelo Dei, nec fraterna charitate moti, procederent; & isti nec Martyres erant, nisi ante mortem dolerent de temeritate commissa, quam, cum non constet Ecclesiæ retractasse, publico honore Martyrum privabat. & sic intelligendi sunt Cyprianus epistola 15 ad Presbyteros & Diaconos Romæ, & epistola 83 ad Clerum in suo secessu ante passionem, & Iulius I. in decretis contra orientales pro Athanasio, decreto 30. dum dicunt mandatum Dei esse ut fugiamus persecutionem, & ne ultro morti nos offeramus. scilicet nisi speciali acti simus Dei Spiritu sancto.

Igitur alia est hujus canonis recta intelligentia & genuina interpretatio. Patres scilicet Illiberitanos canonem condidisse tum contra Circumcelliones, qui tunc temporis mundum circuibant, quærentes sui occisores, ut supra Resolut. 20 ex Augustino monstravi, & horum hæreticorum sumpta occasione, non à sanctis virginibus Iusta, & Rufina, quæ ratione motæ idolum fregerunt, sed ab alii qui temeritate acti intempestive, publice & palam, coram populo & Sacerdotibus, non ducti, sed ipsi se introducentes, aut ignem templo applicabant, aut idola, sive in templo publico, sive in ædiculis heremitoriis constituta, confringebant. isti enim temerarii homines, nec apud Deum erant Martyres, nec publicis honoribus Martyribus exhibitis in Ecclesia erant digni.

Hanc esse veram hujus canonis & legis gravissimæ intelligentiam, & sensum à Patribus intentum, ex pluribus conjicio 1. quia, licet non legatur in Euangelio quod Christus idola destruxerit, aut templa subverterit, tamen subvertit Spiritu Dei actus *mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas*, quia contra cultum Dei in templo ea tractabant. ergo aliquis Spiritu Dei etiam actus potest mensas & idolorum aras subvertere & destruere, ad abominandam idololatriam.

2. Quia dicit, quod hoc ab Apostolis non est factum, cum Beatum Ioannem Euangelistam in Asia templum Dianæ, in Pathmos Apollinis, evertisse referunt Prochorus in Historia Apostol. cap. 25, & Abdias lib. 5 & 7 Histor. qui referunt de Mattheo aliud in Æthiopia evertisse; sed dicit Mendoza, quod diruerunt, non fregerunt, labefactarunt oratione, non manibus disturbarunt, cœlesti, non humana virtute. sed quid refert obsecro, quod templa & idola evertantur manibus, si zelo Dei id fiat, an oratione & cœlesti virtute, quod ad motuum legis ne scilicet incendatur persecutio, & ira Tyrannorum contra Ecclesiam augeatur? semper enim infideles Magiam dicebant Dei virtutem & dæmonum auxilium; & sive hoc vel ullo modo fuerit, accendebantur livore & rabie in Christum & ejus discipulos.

3. Quia verba legis manifeste declarant hoc fuisse solum Patrum intentum: *si quis idola confregerit; & ibidem fuerit occisus*, &c. quasi dicant Patres: si quis fidelis fregerit idola gentilium, & ibidem, hoc est, in templo, ædicula, foro aut loco publico, statim ac fregerit, ibidem fuerit occisus, non est martyr habendus nec honorandus, sed ut temerarius, occasionem præbens iræ Gentilium & Christianorum persecutioni: hoc enim clarè denotant illæ particulæ *& ibidem*. quod si postea incarceratus pro fide Christi occidatur, Martyr est habendus, quia tempus & locum habuit purgandi temeritatem, quam habuisse præsumit Concilium.

4. Multi, qui honorantur Martyres, non solum orationibus, sed manibus pedibusque ducti ad fana Gentilium, fregerunt idola & conculcarunt. ita Cyrillus Diaconus, de quo Theodoretus lib. 3 Historiarum

riarum cap. 6. S. Eulalia de qua Prudentius in Hymno in ipsius laudem: *inque tyranni oculos sputa jecit, simulacra dehinc dissipat*, &c. & innumeri alii. & hoc ideo, quia non temerarii, sed spiritu Dei acti, tanquam filii ipsius opera Dæmonum destruebant. quare mihi manifestum est sacrum consilium solum tulisse legem adversus illos temerarios, qui sine prudentia & discretione idola confringebant.

5. Si quis consideret motiva hujus Canonis quæ supra induximus, clare inveniet Patres solum damnare illos, qui ausu temerario, & temeritate audaci, sine prudentia & dilectu temporis oportuni, aliquave potestate sibi data divinitus vel humanitus, aut qui, ut Martyres venerabiles fierent, vana inutili gloria ducti, crudeles in seipsos, idola palam confringebant, aut templum inundabant. contra quos, quia Martyrum honores quæritabant martyrium honore privant.

Vt autem conspiciatur quando cuilibet licebit idola confringere, fana evertere, in proposito aliquæ sunt regulæ statuendæ 1 in Provinciis & Regnis Catholicis etiam conversis ad fidem, si libertas conscientiæ non sit permissa ob bonum politicum, licitum est & obligatorium ut ministri publici evertant idola, synagogas, fana, & delubra, arbores aut lucos Dæmonum, locum in quo responsa dant non permittant, sed vel ut radicitus excindantur, vel claudantur, ita ut nullatenus ibi conventus fiant, aut sacrificia aliusve superstitiosus cultus aut religiosa cæremonia, aut responsa è Pythonibus petantur aut expectentur. ita fecit Constantinus Magnus, ut refert Eusebius lib. de ejus vita cap. 55, Concilium Tolet.4. Canon. 55, & Tolet. 12, Canon. 11. latius Tolet. 16, Canon. 2. & Concilia Nanatense Can.ult. ex qua regula fit, quod, si quis in terris fidelium in quibus prohibitæ sunt hujusmodi idola & domus Hæreticorum, zelo Dei accensus illa evertat, si ibidem occidatur, Martyr erit vere & proprie, quia patitur pro fidei defensione, & in odium Ecclesiæ, nisi adsit tempus, & zelus Dei locum det denunciandi Inquisitoribus, qui sunt hujus sceleris ministri delegati: tunc enim delegatio facienda est ex præcepto.

In Provinciis Paganorum, qui sunt sui juris, (& nulli Principi Catholico subditi aut debellati) vel sunt cum hac conditione datæ, ut suos ritus conservent idololatricos, non sunt templa evertenda, aut idola prosternenda. Hæc est Augustini expressa sententia, serm. 6 de verbis Domini, vel egregie ut assolet discurrit & probat ex cap. 7 Deuteron. n. 25, & cap. 12, num. 2. contra Circumcelliones: *Pravorum* (inquit) *hominum est, furiosorum circumcellionum, & ubi potentiam non habent sævire, & velle mori. Properant sine causa. Audistis quæ vobis legimus omnes qui nuper in mapalibus adfuistis. cum data fuerit vobis terra in potestatem, (prius ait in potestate, etsi dat quæ facienda sunt, Aras, inquit, eorum destruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis, cum acceperetis potestatem hoc facite; ubi nobis non est data potestas, non facimus; ubi data est, non permittimus.* & cætera quæ sequuntur egregia, quibus consonant verba Canonis 40 Illiberitani, quem infra enucleo.

Sed numquid Ecclesia habet potestatem à Christo Domino prædicandi Euangelium omni creaturæ, *ut qui crediderit, salvus fiat; qui vero non crediderit, condemnetur?* ex qua potestate jus habet divinum, ne impediatur Euangelii prædicatio, ut audiant qui velint, ut est indubitata sententia, 2. 2. q. 8. art. 8. quod si impediant Euangelii prædicationem, possunt debellari; an, inquam, possint ministri demoliri templa, & idola destruere, &, si destruentes occidantur, sint Martyres proprie & vere, nullus quem viderim attigit dubium. Sed juxta Augustini doctrinam existimo 1. id non posse fieri: ait enim, quod talis demolitio fieri nequit, nisi cum Dominus infideles tradiderit in potestatem fidelium. *quando* (inquit) *tradis Deus in potestatem, quando Christianus erit cujus res est modo*, &c. ergo antequam fiant Christiani, res eorum non possunt destrui aut comminui. quodsi dum res infidelium demoliuntur à Christianis, & infideles ipsos occidant in defensionem rerum suarum, cum illi non occidant in odium fidei aut prædicationis, occisi non sunt Martyres. & forsan in hoc sensu locuti sunt Patres Illiberitani in hoc Canone dum privant honore Martyres, qui, destruentes idola, ibidem occiduntur, quia forsan non occiduntur tam in odium fidei, quam in vindictam destructionis rerum suarum, quarum erant Domini.

3. Regulam sic docte proponit Dominus Ferdinandus: *quoties ad sacrificandum idolis nos metu Pagani, vel vi adigant, quoties fraude vel quo alio malo consilio impellant, ea constanti virtute disturbemus, prosternamus, & conculcemus, cum nefariam vim vi sancta liceat propulsare, etiam in ipsis eorum territoriis in medio populi, licet etiam in nostra potestate Provinciæ illorum non sint, etiam si corda illorum ad credendum dura & ferrea sint, etiam si patrimonii, si honoris, si sanguinis, si vitæ periculum præsens sit. His enim de causis, vel una illarum, commoti fuere quotquot idolorum simulacra disturbantes, honore & corona martyrum sunt decorati, in quorum numerum potiori jure sunt referendi, qui, afflante divino Spiritu, eadem labefactantes occiduntur: sed caute pervidendum, num spiritus ex Deo sit.* Advertit tamen ex Augustinus ad Publicolam epist. 159. & ex eo facto Theodosii Imperatoris, quod refert Socrates lib. 5 Hist. cap. 16. quod si quæ Idola pretiosa demoliantur, materia illorum non in proprium commodum & usus privatos, sed in Dei veri cultum & pauperum alimoniam convertatur.

Ex dictis colligere licet id quod advertit perdoctus vir & summa laude dignus, cap.46. ad percipiendam Martyrii coronam à Deo hominibus oblatam, animo alacri currendum est, quando ex consilio, & quando ex præcepto; ut pie & erudite probavit D. Eulogius Cordubensis Episcopus, & electus Archiepiscopus Toletanus lib. 1 memor. sanct. *In hoc tamen non pietatis modo & religionis, sed prudentiæ etiam ratio observanda est, tum sapienter doceat D. Bernar. lib. de consid. cap. 8. fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem quemlibet usum quem non parturiet prudentia, in quod & ab his observari impensius vellem, qui Orientis & Occidentis Indiæ gentes ex errorum tenebris ad veritatis Christianæ lucem student revocare. scio enim nonnullos in propagando Euangelio, & in afligendis publice crucibus, nervos omnes contendisse, imprudentia tamen religionem & pietatem nonnunquam frustrante.* Quod utinam nobis non monstrasset experientia in Iaponia & Chinensi Regno, ubi multi zelo indiscreto, & novitate indecibili imprudentissimi extitere, prudentia humana & pure politica Euangelium disseminantes spinis plenum, cum non Christum corona spinea coronatum & crucifixum, sed resurrectum gloriosum primo prædicent timore imprudenti ducti, ne fugiant horrores crucis qui convertendi sunt. Quare, si aliquis sic dessemimans Euangelium occidatur pro ejus prædicatione, valde dubito de ejus martyrio; alii autem quemdam modum externum dumtaxat idololatrandi introducunt, ut licet fumus incensi deferatur publice idolo, occulte tamen referatur ad crucem, quam secreto deferunt, quod quam grave sit piaculum late monstravi in meo

meo opere morali, tractatu de delictis generantibus suspicionem in fide, Resolutio 48, ubi Ecclesiæ declarationem adduxi, monstrantem utrumque esse omnino illicitum ex natura rei. & tractatu ultimo hujus tomi latius impugno.

SECTIO II. *Extricatur Canon 59. ejusdem Concilii de non adeundo ad Capitolium.*

QVamvis Cardinalis Baronius tomo 1. Annal. ad annum 57, pagina mihi 463, loquens de hoc sacro Concilio, hæc dicat §. equidem: *Sed esto adsit fraus & impostura, quam tandem fidem meretur paucorum Episcoporum Canon, quem totius Catholicæ Ecclesiæ usus contrarius continuo abolevit, & antequam nasceretur extinxit*; dixerat antea pagina 462, §. cum igitur: *Anne valuit vel debuit decem & novem Episcoporum conventus, in orbis angulo congregatus, aliud statuisse, quam ubique locorum universalis profitetur Ecclesia?* & infra tandem concludit: *porro Concilium illud in multis esse irritum multa sunt quæ manifeste declarant*, &c. Idem sentiunt ex Hispanis Cano. lib. 5 de locis cap. 4. concl. 6. Pineda in 2. p. Monarchiæ, cap. 14. §. 4. Padilla in Chron. Concil. tom. 1. Botius de sign. Eccles. lib. 15. cap. 1. Bellarm. tom. 1. controvers. 7. lib. 2. cap. 9.

Verumenimvero Hispani isti, qui Concilii authoritati detrahunt, parum considerati & minus bene affecti in res suas extitere, cum facillimo negotio possent eas tueri. Extitere vero nimis zelosi pro tuenda Ecclesia contra hæreticos, sed zelus eorum non fuit secundum scientiam: si enim attenderent eum affectu ad antiqua monumenta, non tam severe essent locuti contra Concilium, exiguum quidem Patrum numero, quod non negamus, sed magnum quidem eorundem Patrum fide robusta, qua ita sancte, ita prudenter, & tanto zelo reformationis tam Ecclesiasticorum, quam secularium processerunt, quod vere quidem comparari possit grano sinapis Euangelicæ, *quod, cum sit minimum omnibus seminibus seminatum, tamen majus fit omnibus oleribus, ita ut volucres habitarent in ramis ejus*: nonne in horum Patrum decretis, quæ rami sunt hujus Concilii, habitarunt tot gravissima Concilia, ipsius decreta mutuantia & transcribentia? Arelatense 1 sumpsit 5, 6, 7, 9, 11 & 13. Nicenum accepit 1, 3, 5, 10, 13 & 18. & sic in multis aliis Conciliis, quæ referunt Ferdinandus de Mendoza lib... c. 4. & Franciscus de Nivar in Flavium Dextrum, anno Christi 311. in comment. quo anno, ait Flavius Dexter, coactum est Concilium *in defensione Illiberitani Concilii.* equidem primis illis temporibus opus erat rigore, ne mollitie ducti Christiani, facilius in crimina laberentur, & ad idololatriam declinarent, & doctrina Christiana ab Apostolis accepta frigesceret, sicut hodie friget ex defectu rigoris Ecclesiastici.

Cum vero Illiberitano Concilio interfuerit Osius Episcopus Cordubensis, (forsan, quamvis ibi non explicetur, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus,) vir integerrimæ conditionis, & conditionis (ut conveniebat Christianitati primævæ) austerrimæ & ad rigorem declinantis magis, quam ad pietatem & regiminis lenitatem, adeo quod propter varia delicta in Canonibus hujus Concilii vigesies imponatur pœna negationis Viatici etiam in extremis, quæ illa ætate (in qua communio frequentissima erat etiam ex præcepto, & viaticum, ut supra vidimus, erat sub præcepto divino) rigidissima erat propter quas causas dyscoli commoti sunt, & contra Concilium, & quia in istud non multum valebant, machinati sunt contra Osium, ad cujus causam, judicandam & defendendum Concilium, aliud coactum est Toleti in quo Concilium Illiberitanum declaratum est legitimum, & Canones omnes approbati sunt, ut tamen, ne contrariis omnia negarentur, & aliqualis daretur satisfactio, Osius, damnatus in Concilio, evasit, qui declinans ad Gallias, ab Episcopis Gallicanis absolutus est, cujus absolutioni & Episcopi Hispani consensere. propter quod discipuli Parmeniani Hispani, originarii forsan, graviter conquæsti sunt. Ita sanctus Augustinus lib. 1 contra epistolam Parmeniani cap. 4. narrat, Osium defendens & excusans Patres Concilii Toletani, quod in ipsum sententiam separationis à communione fidelium tulerint ob crudelitatem accusatum, quod suggessisset Constantino Magno, quod Parmeniani discipulos capite damnaret inauditos, & concludit sanctus Doctor: *Si tamen Osius, ab Hispanis damnatus, à Gallis est absolutus, sic fieri potuisse, ut falsis comminatoribus Hispani circumventi, & callida insidiarum fraude decepti contra innocentem deferrent sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana cederent sententiæ collegarum, quibus illius innocentia probata est.* Et infra: *numquam isti se tam aperte indicarunt, qui, nec separati, corrigi voluerunt, quam eum detestantur Hispanos quod post sententias suas aliter prolatas discussioni posteriorique judicio cesserunt, quam etiam hoc factum est de mansuetudine Christiana, tam illud de contentione diabolica.* Legatur cap. 8, ubi iterum excusat Osium crudelitatis, ut qui inauditos damnabat, insimulatum ab inimicis.

Igitur Osio liberato à crimine & separationis sententia, etiam ab Hispanis consentientibus Gallis, manent Canones & decreta Illiberitana illibata, inconcussa, immaculata, quia, quod de rigore insimulentur, rigor illis temporibus congruebat, & erat necessarius, ut declaravit Innocentius I. epistola 3. cap. 2. quam declarationem non tantum pro Cypriano, quantum pro nostro Concilio factam sentiunt Baronius, anno Christi 305. n. 40 & 43. Bellarmin. lib. 2 de imagin. cap. 9. si ergo isti duo eminentissimi Cardinales sentiunt summum Pontificem Innocentium decretaliter declarasse, Concilium Illiberitanum secundum temporum rationem & exigentiam recte processisse, negando viaticum illis, qui idololatrati ad Ecclesiam veniebant. qui est rigidior Canon & primus, cur stomachantur in ipsum propter alios Canones, qui faciliorem habent expositionem?

Quare Concilium nostrum nec in apice errasse, sed in omnibus decretis sanctis rite, & juxta traditiones Ecclesiæ & Apostolorum processisse sentiunt gravissimi Doctores, qui ex professo id examinarunt. Binius, & Coriolanus in notis ad ipsum etsi exteri, quamvis Carranza Compilator inconsiderate parvi pendat Concilium Suessanum, celebratum anno 853, tempore Leonis tertii, & Caroli Regis Francor. in civitate Suessone in Monasterio sancti Medardi actione 5. affertur Canon 75 Concilii Illiberitani. *Juxta Canonicam authoritatem secundum Concilium Illiberitanum, quod actum est tempore Constantini Magni cum Missis* (id est Legatis) *Apostolicæ Sedis.* Quamvis enim Concilium hoc subreptitie fuerit approbatum à Benedicto III, qui nolente ipsum confirmare Leone IV, antecessore suo, Hincmarus facta falsa informatione impetravit bullam confirmatoriam subreptitiam, cui addidit & sustulit quæ voluit, ut notat Baronius anno 853. n. 15. quibus agnitis à Nicolao Papa, ipsum reprobabit epistola decretali 46. quamvis, inquam, reprobatum fuerit hoc Concilium justissimis motivis, nihilominus non reprobavit

vit Pontifex authenticam citationem Canonis citati Illiberitani, nec quod in Concilio fuerint Apostolici Legati, quorum unus mihi certum videtur fuisse Osius Cordubensis Episcopus, tum propter ejus insignem doctrinam, & celeberrimam opinionem, & sanctitatis famam, qui tunc temporis florebat; tum propter amicitiam cum magno Constantino & consequenter cum Marcello Papa. Summa ergo reverentia & veneratione receptum fuit hoc sacrum Concilium in Ecclesia, quæ ex ipso multa desumpsit decreta & Canones pro morum reformatione: sic Theodorus Græcus, sanctus Isidorus Hispalen. Martinus Bracarensf. Gratianus, Ibbo & Brucardus, Adrianus Papa I. Multa ex Illiberitano mutuarunt formalia decreta. Legatur Alanus Copus Dialogo 5. cap. 16. & RR. Expositores Divi Thomæ 3. p. quæst.25. art. 3.

Igitur constante hujus Concilii authoritate magna, aliqua ipsius decreta enucleanda sunt, quæ aliquo modo loquuntur de privilegiis & honoribus martyribus exhibitis, vel quæ aliqualiter Martyres concernunt, ut tractatus consummatus evadat; & præter canonem 60 jam enodatum, canon 59 extricandus venit, qui sic dicit: *Prohibendum, ne quis Christianus, aut gentiles* (vel, *ut alia versio, ut gentilis,*) *ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat aut videat. quod si fecerit pari crimine teneatur, si fuerit fidelis post decem annos, acta pœnitentia, recipiatur.* supra Resolut. 24. §.5. de templorum & fanorum ingressu differui, & dubio 1 dixi ex Tertulliano, servis & Ministris Catholicis licere comitatus causa cum Dominis adire templa ibique sacrificia videre, non tamen aliqualiter ad illa, vel illorum celebrationem, concurrere. Cui doctrinæ adversatur præfatus canon, cum non solum prohibeat sacrificare, sed & videre sacrificia, & hujus causa Capitolium adscendere.

Sed de quo Capitolio hic loquantur Patres? Capitolium templum solemne & celeberrimum erat Romæ in clivo Tarpeio dicatum Iovi: antea enim Tarpeia arx dicebatur à Virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata atque sepulta fuit. Sed de Capitolio ipso sic erudite fere omnia, quæ hic dicenda ad rem veniunt, comprehendit Pamelius ad caput 12. lib. de spectac. Tertull. n. 127, *Capitolium non modo Romæ, sed in aliis locis & civitatibus erectum fuisse ex Sidonio patet, quod & Narbonensf. & Ravennatis & Tolosani Capitolii meminit in vitis sanctorum Apollinaris & Saturnini. atque adeo & Carthagini fuisse Capitolium patet ex Cypriano epistola 55. & lib. de lapsis. atqui de Romano Capitolio clarissimo omnium scribit Arnobius adversus gentes lib. 4. nonne* (inquit) *vides in Capitoliis omnibus virginales esse species Minervarum. & lib. 6, Regnatoris (ait) in populi Capitolio quis est hominum, qui ignoret Toli esse sepulchrum Vulcentani? quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis evolutum non ante plurimum temporis aut solum sine partibus cæteris: hoc enim quidam ferunt aut cum membris omnibus humationis officia sortitum granius, Balerianus, & Fabius vobis indicebunt, cujus Tolus filius fuerit.* & infra: *Nec erubuit civitas maxima & numinum cunctorum cultrix cum vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Iovis nuncupare.*

Quo posito, & eruto ex vera & genuina antiquitate, dubium est, quid Patres in hoc Canone per Capitolium intelligant. Ferdinandus Mendoza lib. 3. cap. 43 dicit, fuisse Hispanum Capitolium, sicut fuit Carthaginense & Tolosanum. sed non assentior, quia nullus scriptor de Capitolio Hispano meminit, sicut meminerunt alii de aliis, & Patres non dicunt fuisse in Hispania, sed solum prohibuerunt, ne superstitiosæ devotionis causa quis tradat Romam peregrinando ad sacrificandum in Capitolio, vel ad videndum ibi sacrificia aut Ludos Capitolinos, qui ibi celebrabantur sicut alibi Ludi Olympiaci Iovi Olympio, ut asserit Tertull. lib. de spectac. cap. 11. n. 108, ubi Pamelius. qui fiebant per lustrum, id est, quinquennium. Huc respicit proprie, quod dicitur *quod nullus ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat aut videat.* Ludi enim proprie dicuntur videri, *vei losteros los Iuegos decañas.*

Vel Patres Capitolium nominarunt quodlibet templum idolo dicatum. quamvis enim Capitolium à capite Toli, sit desumpta & imposita vox, tamen non est imposita solum ad significandum templum Iovi dicatum & fundatum in capite Toli, sed quodlibet templum idoli. & hoc fuit Concilii intentum prohibens cujuscumque templi ingressum, ad sacrificandum vel ad videndum sacrificium, aut Ludos in honorem idoli factas. ingressus enim templi ascensio templi dicitur; tum quia templa ordinarie sicut & Ecclesiæ nostræ quæ primitus ædificabantur in locis editis, ut ait Tertullianus adversus Valentin. cap. 3. unde notat Binnius ad præfatum Canonem ex Baronio in notis ad Martyrologium die 29 Novembris, litera d. quod, *licet templum celsiori loco ædificatum Capitolium dici, sicut vox Palatii usurpata reperitur pro celsioribus domibus, licet peculiaris Romanorum esset.* Sed verius est, quod Capitolium est templum dicatum Iovi Capitolino, quod erat signum & nota urbium, quæ habebantur capita Provinciarum, ut ex pluribus adnotat Dominus Ambrosius Machin. lib. 2 defensio. Primatus Calarritani cap. 4. n. 3. unde cum Illiberis, quæ hodie est Granatensis civitas, fuerit caput Provinciæ, ibi erat Capitolium, ad quod ascendere prohibent Patres.

Quod qua ratione sit intelligendum & supra Resolutione citata dixi ex Tertulliano, qui egregie ad rem præsentem extricat difficultatem: *Si Capitolium, si Serapeum, sacrificator intravero à Deo excidam, quemadmodum dum circum vel theatrum suspectator.* ad quæ verba meo judicio attenderunt Patres Illiberitani in suo decreto. Sed quid, si non sacrificii faciendi vel inspiciendi causa, tempore & occasione, ex quo suboritur scandalum pusillis, sed ex alio motivo curiositatis, &c. non habere culpam idem Tertullianus docuit lib. de spectaculis, cap. 8, *Quid enim inquis,* (ait) *si alio in tempore, circumadiero, periclitabor de inquinamento? nulla est præscriptio de locis: nam non solum ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinæ adire servus Dei potest, urgente causa simpiici dumtaxat, quæ non pertineat ad proprium illius loci negotium vel officium.* & infra: *Loca nos non contaminant per se, sed quæ in locis fiunt, à quibus & ipsa loca contaminari altercati sumus, &c.*

Dicit ergo Canon iste: *Nequis Christianus aut gentilis ad idolum Capitolii ascendat,* &c. sed quomodo Concilium prohibet gentilem ascendere sub pœna gravi: nam de gentilibus judicare non pertinet ad Ecclesiam, extra quam sunt. Respondet D. Ferdinandus cap. 43. citato, quod codices Surii & Carranzæ sunt depravati, & ex manuscriptis emendatioribus loco *aut* ponitur *ut*, ita ut faciat sensum. *Nequis Christianus ut gentilis ascendat ad Capitolii idolum.* Quæ interpretatio satis conformis est Tertulliani phrasi, & modo loquendi locis citatis. sed non solum Surius & Carranza, sed etiam Coriolanus & Binnius lectionem eandem retinent, *Ne quis Christianus aut gentilis.* quare existimo sensum Concilii planum esse retenta particula *aut*, qui est, prohibendum *ne Christianus*, aut *Catechumenus*, qui gentilis

dicitur quousque baptizetur, ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat, aut videat. Catechumenis hoc erat prohibendum sine pœna excommunicationis, sed simplici ordinatione ne in catechesi diverteretur. at si sit fidelis, hoc est, baptizatus, *post decem annos acta pœnitentia recipiatur*. Ecce ubi manifeste excommunicatio, id est, privatio communionis decennalis imponitur; Catechumeno autem nulla imposita pœna.

SECTIO III. *Propugnatur Canon primus Illiberitanus, de non danda etiam in vita fine communione semel lapsis in Idololatriam.*

SVpra Resolutione 30. §. 1. canonem istum adduxi per transennam, & in hunc locum remisi diligentius examinandum; est enim difficillimus inter omnes hujus Concilii. qui sic habet: *Placuit, ut, quicumque post fidem Baptismi salutaris adulta ætate ad templum Idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale*, alias principale, *nec in fine eum ad communionem suscipere*. Canone vero 46 sic habet: *Si quis fidelis Apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit Idololatra, post decem annos placuit eum communionem accipere.*

Et quidem primus Canon videtur opponi præcepto divino de Viatico sumendo in extremis, quod esse supra probavi, & crudelitatem summam præ se ferre videtur. Canon vero secundus non videtur multum cohærere cum primo: quæ major ratio est ut hæreticus apostata, si post infinita tempora reconcilietur recipiatur ad communionem, (cum ut ait D. Thom. 2.2. q. 10. art. 6. in corpore simpliciter loquendo, *infidelitas hæreticorum est pessima*, & loquitur in ordine ad Idololatras,) non vero si semel idololatrans, si convertatur, Marcellus enim Papa & Idololatravit & conversus receptus est; tum etiam, quia apostatæ nomine D. Ferdinandus lib. 3, cap. 21, non solum intelligit hæreticos, ut Tertullianus de præscriptionibus, Anacletus epistola 1 ad omnes Episcopos cap. 1, sed etiam Atheos, Christianam religionem deserentes. at Athei multo pernitiosiores sunt quam Idololatræ; tum etiam, quia in tribunali sacro inquisitionis non solum accipiunt misericordiam hæretici, sed Idololatræ, par enim utriusque videtur ratio.

Nihilominus Canon iste sanctissimus & pro temporum ratione prudentissimus, & sancto zelo plenus est. jure enim placuit Sanctis Episcopis pœnam severam imponeri Idololatriæ, quæ justissime dicitur *principale crimen generis humani*, ut ait Tertullianus lib. 1 de Idololatria cap. 1, & *summus sæculi reatus, & tota causa Iudicii*. Et Cyprianus epist. 10, *summum delictum*. & epist. 11, *gravissimum & extremum*. & epist. 30, *ingens & immensum*. Cujus egregiam rationem assignat S. Thom. 2.2. q. 94. art. 3. quia *gravissimum est, quod quis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum*. addit tamen in solutione ad 4, *quod hæresis Manichæorum, etiam quantum ad genus peccati, gravior est, quam peccatum aliorum Idololatrarum; quia magis derogant divino honori, ponentes duos Deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingentes; secus autem est de aliis hæreticis, qui unum Deum confitentur, & eum solum colunt*. Sed quamvis ita sit, tamen neque atheus, neque Manichæus incurrunt hanc pœnam à Concilio positam, quia pœna non est amplianda præterquam ad id delictum, ad quod puniendum est imposita, ut est communis Theologorum & Iuris Doctorum opinio. Et sacro Concilio tunc temporis, ad retrahendum ab Idololatria fideles quos persequebantur Idololatræ, visum fuit pœnam separationis à communione indicere, eis, qui Idolo sacrificarent, & non aliis infidelibus. Vt enim notat Baronius tomo 2 Annalium, amicus jam factus Patribus Illiberitanis, *quos sanctissimos* appellat: *videre tamen est in hoc vehementissime eosdem Episcopos laborare, ut ab Idololatris fideles acrioribus intentatis minis longius absterrerent. sed & illud mirandum, quo videas quam intenti fuerint in crimine Idololatriæ penitus expurgando, qui velint semel lapsum in crimen, illud ne in fine communicet, tamen qui aliter à fide diutissime apostata vixisset, si tamen Idololatra non fuerit, ad communicationem, peracta tamen pœnitentia, recipiendum esse mandarunt Canone 46 citato.*

Et quidem etsi primi, qui in extremis vitæ lapsis Viaticum negarint, fuerint Patres Concilii Illiberitani, tamen id justissime potuisse fieri ex pluribus constat. 1, quia Innocentius I in Epistola ad Exuperium Episcopum Tolos. cap. 2, cujus verba Resolutione citata dedi. qui, respiciens ad canonem istum, non ad Cyprianum, (ut manifeste probat Cardinalis Baronius tom. 2 citato, ubi supra pagina 763, circa annum Christi 305, §. neque est quod quis) illum approbavit, ut illis temporibus, in quibus crebræ erant Tyrannorum idololatrarum persecutiones, ne ad idololatriam declinarent fideles mortis timore, nisi de reconciliatione ad synaxim & communionem saltem in extremis. quod testimonium Innocentii videns Cardinalis Baronius, se ipso doctior factus retractavit opinionem, quam de Concilio Illiberitano ille minus favorabilem posuerat tomo 1, circa annum 57 Christi, & concludit prudentissime: *quamobrem paulo liberius de Illiberitano Concilio me alias locutum fuisse memini, at, cum quæ ab illis in hac re sunt statuta excusentur ab eodem qui supra Innocentio Romano Pontifice, nemo sit qui accusare præsumat*. Et infra explicat summatim omnes Canones hujus sancti Concilii, qui difficiles visi sunt, in quo veram Christianamque sui animi pietatem, & ad veritatem amorem mirifice ostendit.

Et quidem rigorem istum sanctissimumque zelum non solum approbavit Innocentius Papa, sed similem pœnam latam contra falsos criminatores canone 75, referendo verba canonis approbat Adrianus Papa in canonum collectione quam fecit pro tuitione suæ causæ. & idem canon, in relato Concilio Illiberitano, approbatur in Concilio Suessonensi ubi supra. & pro multis aliis criminibus, etiam levioris culpæ, perpetua hæc communionis privatio etiam in usu fuit, imo Episcopis etiam communio laica est interdicta, præsidente Osio in Concilio Sardicensi generali, si confingerent literas, ut de uno Episcopatu in alium transferrentur. plura alia exempla erudite congerit D. Ferdinandus lib. 2. cap. 6 addit. *Hodie antiquæ hujus severitatis vestigium retinet gravissimus, & sanctus tuendæ adversus hæreses religionis nostræ senatus, relapsis in hæresim, etsi pœnitentibus, in exitu denegans communionem*. id quod sequitur Vasquez 3.p. disp. 105. n. 7.

Sed dubito, an hæc consuetudo vigeat, quia videtur esse in contrarium cap. super eo de hæreticis in 6. Vbi videndus Barbosa n. 5. rationem vero cur, etsi viaticum sumere sit de jure divino, possit Ecclesia privationem illius, tamquam pœnam ponere, jam posui loco citato; modo etiam dixi, cur Idololatra privetur communione in fine, non autem quilibet alius

alius Apostata transiens ad aliam infidelitatis speciem, etiamsi *in illa per infinita tempora*; ut ajunt Patres, *perseveret.* quod ratione temporum sic judicarunt conveniens. Syricius tamen Papa qui vixit aliquot annis post Illiberitanos Patres, epistola ad Hymerium Taraconens. Episcopum cap. 3 lenificavit hujus decreti rigorem, dicens: quod *qui apostataverint ad Idololatriam transeuntes, si vero fuerint conversi, quamdiu vivunt agant pœnitentiam, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuatur*, id est, communio Eucharistiæ. etenim apud Patres priscos primitivæ Ecclesiæ Tertullianum, Cyprianum, & alios idem erat *reconciliationis gratia, communio, & pax.* Concilium Toletanum II, canone 12. Carthag. IV, canone 76, & Aurasi. I, cap. 3. pro eodem accipiunt *communionem & reconciliationis gratiam.*

Quia tamen tam in hoc Concilio, quam in multis aliis mentio fit de communione & viatico, quibus ob delicta enormia privantur aliquando fideles, & multiplici nomine explicatur: nam alia est *sacerdotalis*, alia *laica*, alia *peregrina*, alia quæ dicitur in extremo *viaticum.* horum nominum rationes enucleandæ sunt, variant enim Doctores in earundem enodatione, cum fere nullum sit variandi motivum, si antiquos consulamus. & quidem quod communionis nomen, quæ propter aliqua delicta etiam morituris denegatur, non significet Sacramentum pœnitentiæ, sed sumptionem Eucharistiæ, quæ viaticum dicitur, mihi omnino indubitatum est contra Bellarminum, qui in hoc male sensit lib. 2 de imagin. cap. 2. dicens Concilium Illiberitanum negasse lapsis in Idololatriam reconciliationem per Sacramentum pœnitentiæ, etiam in fine vitæ, dum denegat communionem: hoc enim de tanto Concilio sentire penitus est absurdum; ut enim Patres, Cyprianus lib. 2. epistola 4. Ambrosius libro de pœnitentia cap. 2. Socrates l. 4 Histor. cap. 23, aut est Novatianismus, aut prope. at Innocentius epistolâ citata factum Concilii Illiberitani aut approbat, aut excusat quod non faceret, si canones illius ad Novatianum aliquatenus declinarent. quare dubio procul communio denegata lapsis in Idololatriam, si postea convertantur, solummodo denegatio Eucharistiæ per modum viatici intelligitur. ut enim Patres Illiberitani penitus à fidelium mentibus affectus ad Idololatriam exturbarent, in contrarium extremum rigoris inclinati sunt, quod pro temporis ratione summe conveniebat. Patres enim Spiritu Sancto acti, dum unum errorem excludere ab Ecclesia intentant, in contrarium videntur inclinari. quod passim invenies in multis, & in Augustino contra Pelagium; contra quem, ut defenderet efficaciam gratiæ, visus est evertere liberum arbitrium.

Igitur hoc prælibato de origine præfatarum communionum *laicæ*, *peregrinæ*, &c. superest residuum. Pater Vasquez 3. p. disp. 216. n. 23. dicit primum, quod communio *laica* erat, qua utebantur laici more suo, qui accipiebant corpus Christi in propria manu, dextra supposita sinistra, quæ illam sustentabit, quæ, tantum Regem susceptura in concavitate palmæ erat, poteratque ad domum secum portare corpus Christi, ut mos fuit priscis illis temporibus in Ecclesia, ne quotidiana deficeret communio. Laici tamen Calicem tangere nequibant, sicut quilibet alius de clero, sed proni ipsum adorabant, dicentes: *amen*, ut dicit Cyrillus Hierosol. catechesi 6. mystagog.

Dicit II, quod hæc eadem dicebatur *peregrina* communio in Concilio Agathensi, Canone 2 & 5, (quæ Clericis dabatur ob quædam delicta) non ob peculiarem vestem, qua induti peregrini communicabant, hoc enim sine fundamento dicitur, sed quia aliena esset à clericorum & sacerdotum dignitate.

Dicit III, quod non dicitur communio *laica* ex sola loci designati ad communicandum laicos differentia, quod manifeste, inquit, colligitur ex Canone 2, Concilii Sardicensis, ubi Patres Osii sententiam contra Episcopum ambientem novam Ecclesiam, approbarunt, quod ita communione privatur, ut *laica* solum in fine vitæ concedatur. atqui in fine vitæ Episcopus, sive intra claustrum Ecclesiæ, sive extra illud viveret, non poterat in lectulo ad Ecclesiæ templum venire, & se constituere in laicorum loco ad communicandum.

Verumenimvero miror valde hominem, alias eruditissimum, omnem antiquitatem dereliquisse in primo & tertio dicto; in secundo nec bene dicit, & sic expresse tenet glossa in capite contumaces. ex Concilio Agathensi, 50 distinct. verbo *peregrina.* Sequitur Binnius in nota ad Concilium Ilerdense §. *vix quoque*, & ad caput 13. Concilii Brachar. I, & quidem quamvis communio *laica*, respectu laicorum, *peregrina* dici nequeat respectu clericorum & ministrorum altaris si in pœnam detrudantur, à loco & statione sua ad stationem aliam, *peregrina* dicitur, quia Clericus iste detrusus peregrinatur à proprio loco, peregrinus enim, juxta suam primævam significationem, ille dicitur, qui *extra solum proprium vagatur.* Solum autem proprium Clericorum distinctum est a solo proprio laicorum, & sic Clerici, qui extra locum sibi tanquam proprium communicant, dejecti à suo dignitatis gradu, peregrinantur, & communio illis data *peregrina* dicitur. Vnde Cicero in Oratione pro Sylla in hoc sensu proprio usus est peregrini nomine, dicens: *Etsi tibi nos peregrini videmur, quoniam jam & nomen & honos inveteravit*, &c. unde fit, quod communio *peregrina* latius pateat, quam *laica*, respectu Clericorum. Si enim, initiati ordine sacro, dejiciantur ad stationem in qua sunt ordinati in minoribus, ibique communicent, erit communio non *laica*, sed *peregrina*, quia facta extra locum debitum suo ordine, ut sicut Diaconus communicet cum initiatis in minoribus, & non erit *laica*, quia non facta, in laicorum loco & statione.

In tertio quidem deficit contra omnes, qui de communione *laica* scripsere, quam dicunt factam in loco & statione laicorum, non quatenus locus materialis est, sed quatenus locus denotat inferiorem vel superiorem gradum dignitatis, juxta dictum Agesilai relatum à Plutarcho, & Aristippi apud Laërtium l. 2. cap. 8. locus enim superior aut inferior in hominum æstimatione arguit majorem aut minorem dignitatem. Igitur in Ecclesia primitiva triplex locus in Ecclesia designabatur, in quo communio corporis Christi fidelibus porrigebatur, eo videlicet ordine, ut Sacerdos & Levita ante altare communicent, in choro Clerus, & extra chorum populus. ut statuitur in Concilio Tolit. 4. Canon. 17, alias 18, celebrato sub Honorio Papa æræ 671, anno Christi 633. & in Bracharensi I. cap. 13, celebrato sub Ioanne III, anno Domini 563, quem triplicem gradum & stationem manifeste etiam distinxit S. Dionysius epistola 8 ad Demophilum monachum, & ex parte Concilium Laodicenum cap. 21, & Agathensi cap. 66. lect. 5. referente Sigiberto anno 847. quare sicut Patres missam in duplicem partem dividebant: nam ab introitu usque ad offertorium, dicebatur *missa Catechumenorum & Pœnitentium*, quibus ab Ecclesia exclusis, prosequebatur Missa usque ad finem, quæ dicebatur *fidelium*; quam partitionem docent Patres, Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch.

cap. 3, §. 6. cujus optimam & egregiam determinationem Maximus, de Ecclesiast. mytagog. cap. 18. Germanus Constantinop. lib. de contemplat. rerum Ecclesiæ. quam partitionem habent omnes Græcorum Liturgiæ, & approbant fere omnia Concilia tam provincialia, quam generalia Ecclesiæ primævæ, Concilium Laodicenum cap. 19. Ilerdense cap. 4. & Sardicense, totius orbis generalis, cui præfuit Osius Cordubensis, in epistola pro defensione Athanasii & Macharii ejus Presbyteri, rescripta ad omnes Episcopos.

Quem ordinem & partitionem magnificat Dionysius ubi supra, dicens: *est enim ille ordo sacer sanctæ plenus justitiæ, nec non salubriter cuique consentaneam pro merito cujuscumque divinarum tribuit rerum participationem, & juxta captum modumque singulorum suo tempore sancte concedit.* quem ordinem invertere magnum erat piaculum, ita quod sanctus Epiphanius, hæresi 42 contra Marcionem, ipsum arguat & objiciat, quod mysteria coram Catechumenis perficere auderet. Et sicut fuit ita sanctus & inviolabilis hic ordo Missarum, sic fuit etiam inviolabilis partitio locorum & mansionum fidelium Clericorum, & Sacerdotum ac Levitarum (nam Subdiaconorum ordo tunc temporis Concilii Toletani nondum sacer erat) adeo quod ut refert Nicephor. Calixtus lib. 12 Histor. cap. 41. quod Ambr. Theodosium Imperatorem volentem juxta cancellos altaris sacra intueri per Diaconum impediret, qui diceret: *eas istinc non licet tibi videre.* Vnde in Concilio Laodic. cap. 19 dicitur, quod *solis ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibi communicare.* Et in Bracharens. 1. cap. 31 *placuit, ut ingredi ad sacrarium ad communicandum non liceat laicis, viris, vel mulieribus, nisi tantum Clericis, sicut antiquis Canonibus institutum est.*

Ex quibus manifestum est communionem *laicam*, quæ in pœnam criminum lata est, eandem esse ac eam, quam quis de ordine clericali inter laicos à suo loco exclusus, accipit. Ita ex Canone 15 Apost. Concilio Tolet. 1. cap. 4. Cornelio Papa in epistola ad Fabium Antioche. Eusebius lib. 7 Histor. c. 35. Nicephor. lib. 6. cap. 3. Cypriano epistola 52 ad Anton. fratr. n. 37, & 56 ad Hispanos. & ibi docte Pamelius. quare sine fundamento aliquo D. Ferdin. de Mendoza lib. 3. cap. 76 discrimen agnoscit inter communionem laicam, & inter laicos communicare, cum prorsus idem omnino sit. nec minimum indicium hujus discriminis in Conciliis & Patribus antiquis invenies. quod enim Felix Papa epistola 1 ad Episcopos African. cap. 2 dicat, quod Episcopis & Diaconibus rebaptizantibus in fine vitæ dumtaxat detur *laica* communio, & non est probabile ad Ecclesiam jam moribundos, vel in lectulis trahendos, quod est fundamentum Vasquez. atque ita non ex sola loci diversa statione pensanda est *laica* communio, sed quia dejecti à sua dignitate & ministerii sui functione, in populi & laicorum ordinem fuissent dejecti, & tamquam unus de laicis communicarent. hoc, inquam, frivolum valde est, & indignum tanto viro. nam, ut supra notabam, per loca ista & mansiones diversas non intelligimus materialem locum, qui est *extima superficies corporis continentis.* & quis hoc somniavit? sed intelligimus locum, quatenus denotat majorem aut minorem dignitatem & gradum personæ, quæ à majori dicitur suspensa & dejecta eo ipso, quod in pœnam ad locum inferiorem dejicitur, & sic est in ordine & loco laicorum etiamsi sit extra Ecclesiam, & solum communicat communione *laica* & *peregrina.*

Vnde colligitur, quod sacerdos aut Episcopus moribundus, etiamsi extra Ecclesiam viaticum acciperet, illa communio non erat *laica* & *peregrina*, sed *sacerdotalis*, & Ecclesiastica. quamvis enim ista esset, quam sacerdos sacrificans sibi sumit, ut dicitur in Concilio 2 Arelat. cap. 2. & in Aurelian. 4. cap. 14. tamen etiam dicebatur quam infirmum, quia non poterat sacrificare ante altare, recipiebat vel jacens in lecto moribundus, in cujus signum communicabant cum superpellitio & orario imposito super humeros, qui mos etiam hodie observatur, dum sacerdotes impediti celebrare, quia infirmi communicant; quo orario non utebantur, qui in pœnam erant in statione laicorum suspensi ab officio suo.

Colligitur II, contra Vasquez dictum primum, nullatenus dici *laicam* communionem ab illa consuetudine deferendi corpus Christi sub specie panis ad domum laicorum. quæ consuetudo viguit in Ecclesia, tam Latina, quam Græca, per aliquot secula, sed in Græca diutius; siquidem de ea loquuntur Maximus in lib. contra Monothelitas, qui vixit anno 650, & in 6 Synodo Canon 11, quæ celebrata est anno 681. at in Latina Ecclesia solum duravit usque ad Concilium Cæsaraugustanum, celebratum an. 381 sub Damaso, cujus Canon 3, sic habet: *Eucharistiæ gratiam, si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum.* Ab universis Episcopis dictum est, *placet.* Latus est enim contra Priscillianistas, qui, ut suam occultarent hæresim, convenientes ad Ecclesiam, sic accipiebant Eucharistiam, ut eam non comederent. Legatur de hac consuetudine Cardinalis Baronius anno 57, pagina mihi 472 & 473. ex quo manifeste concluditur, quod ex hac cæremonia non potuit dici in Ecclesia Latina communio laica; siquidem in Concilio Toletano, celebrato anno 633, & in Bracharensi coacto anno 565. fit mentio de communione *laica*, quando in Hispania jam non erat hæc consuetudo, quæ sub pœna anathematis in perpetuum consopita fuerat anno 381. Male etiam Ioannes Walterius tractatu de triplici cæna Christi cap. 3. cænæ 3. ex Turre cremata dicit, communionem *laicam* dici, quæ sumitur ter in anno. Iuxta Fabianum Papam cap. *si non frequentius*, de consecrat. dist. 2. qui decrevit laicos ter in anno debere communicare. quamvis enim pluries, quam ter in anno Clericus, à sua dignitate dejectus, communicaret, ut poterant etiam laici, adhuc communio esset laica; non ergo à numero communionum laica dicitur, quia, quando erat quotidiano, laica diceretur.

Sed numquid Reges consecrati, & Imperator, qui semper consecratur, cap. unico, de sacra unctione: debent communicare laice an ecclesiastice, & intra Clerum. quidam existimant Imperatorem Catholicum, rite & recte consecratum, in Subdiaconatus ordinem esse constitutum, idque colligunt ex cap. Valentinianus 3. dist. 63. Vbi dicit Imperator, *ut meum ordinem decet:* deinde, quia si Imperator in Romana curia reperiatur, Missæ Papali inservit, & in die Nativitatis *ad Matutinum*, cantat Euangel. *exiit edictum*, quod est septima lectio. & sic cantavit Fredericus III, præsente Paulo II Pontifice summo anno 1468.

Hanc sententiam impugnant quidam 1. quia Subdiaconatus, cum sit sacer ordo, dirimit matrimonium cum habeat annexum solemne castitatis votum. ast Imperator licite contrahit 2. quia Subdiaconatus ordo confertur dum accipit ab Episcopo calicem vacuum cum patina. cap. Subdiaconus. 23 dist. Concilium Florentinum, *in literis unionis.* & Trident. sessione 23, cap. 2 & 3. est Imperator non consecratur hoc

hoc modo, nec has adhibet consecrator solemnitates. sed neutra ratio subsistit. non prima, quia votum continentiæ annexum Subdiaconatui, solum est ex Ecclesiæ mandato, ut nullus Subdiaconus ordinetur nisi castitatem promiserit cap. nullum, 28 dist. ubi glossa,& glossatores Canonistæ & Theologi omnes. Potuit autem Ecclesia non extendere hoc mandatum ad Imperatorem & Reges consecrator. non probat etiam 2. ratio, quia multi graves Theologi qui post Tridentinum scripsere, sentiunt Subdiaconatum non esse Sacramentum & ordinem Sacrum à Christo Domino institutum, sed solum tempore procedenti Ecclesia sibi constituit, sicut quatuor minores ordines, ut expresse tenet Magister in 4, distinct. 24, cap. septimus ordo, ubi Durandus qu. 2. Dominus Cajetanus tom. 1 opuscul. tract. 11, art. unico. Martinus de Ayala de traditio. cap. de ordine. Hugo de sancto Vict. lib. 2 de Sacramentis, & Vasquez tom. 3. in 3 p. disp. 238. cap. 2. nullam esse rationem firmam qua probatur esse à Christo Domino institutum, & Layman. tom. 2. tract. 9, cap. 4. assertio 4 probabile judicat. unde Vrbanus 2 in cap. nullus. *& Tercerus* dist. 60 dicit, *sacros ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant oportunitate exigente, concedimus.* Et quamvis in primitiva Ecclesia tempore sancti Ignatii Martyris mentio fiat de Hypodiaconis, de illis tamen erat sermo ut de officio aliorum minorum ordinum. quare sicut isti, ut ait Vasquez, non sunt Sacramentum à Deo institutum, ita consequenter deberet loqui de Subdiaconatu. quare sicut Summus Pontifex potest utendo de plenitudine potestatis, conferre minores ordines; quia Sacramentale quid est, sine hac forma & materia, quibus modo confertur & facto ipso, ita potuit ordinem Subdiaconatus conferre Imperatori ex vi suæ consecrationis Imperatoriæ.

Sed quamvis quod hoc non improbabile alicui videri possit, tamen contrarium communi consensu est receptum, quod Subdiaconatus sit ordo à Christo institutus, sub peculiari forma & materia quibus nunc utitur Ecclesia, quibus non ministratis, Subdiaconatus ordo non confertur. quare Imperatori non debetur locus ministrorum Ecclesiæ. quod non inefficaciter confirmat factum Ambrosii cum Theodosio supra relatum. quod si aliter aliquis Pontifex fecit hoc fuit speciale privilegium; sicut fuit potestas quam Adrianus I. concessit Carolo Magno, & Leo VIII Ottoni I. eligendi summum Pontificem, quod postea renunciarunt, etsi id faciebant, erat ex potestate extraordinaria illis concessa; & sic fuit potestas canendi Euangelium die Nativitatis. quare hoc erat peregrinum quid, & sic si cum Clero speciali privilegio communicat, ista communio *peregrina* dici debet, quia extra locum sibi à jure communi designatum facta; alias enim laica est communio, etiam à Regibus consecratis facta.

SECTIO IV. *Enodatur Canon vigesimus quintus, quid litera Confessoria.*

L*Vcernam videor in meridie adhibere*; siquidem aliquis judicare poterit me extra tempus & locum tot Concilii Illiberitani Canones explicare, sed Papyri nostri de Martyrio fructus hanc magnam exigit spicam, quæ omne granum ad Martyrum privilegia, gloriam & honorem, contineat. multa tradidit Concilium præsens cooperta tamen difficultatum paleis, quas triturare diligenter operæ prætium existimo, non parcens labori, studio & diligentiæ, ut granum enucleetur & nitidum appareat.

Igitur Canon vigesimus quintus, continens Martyrum privilegium particulare, sic habet: *Omnis qui attulerit literas confessorias sub lato nomine confessoris, eo quod sub hac nominis gloria passim* (alias habet *partim*) *concutiant simplices, communicatoriæ dandæ sunt ei literæ.*

Vt autem Canonis istius & multarum rerum quæ in Sacris Conciliis, Tertulliano, & Cypriano reperiuntur pleniorem consequamur intelligentiam, advertendum ex Cardinali Baronio tom. 2, anno Christi 192, pagina mihi 96, & tom. 3. anno 395, pag. 201. Francisco Turriano lib. 3 pro epistolis Pontificum, & eruditissimo viro Francisco Bernardino Ferrerio, lib. de antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere, qui tres sapientissimi viri in Cathedra sedentes, antiquitatem enucleantes, plura nobis digesta tradidere, quæ prius indigesta solum venerabantur incognita. Igitur ex his notandum antiquitus plures fuisse in Ecclesia primitiva epistolarum formas, & nomina diversa quibus effectus ad quos scribebantur scriptores significabant. omnes tamen Epistolæ Ecclesiasticæ & ut sic loquar, Iuridicæ, vel dimanabant ab Episcopis, vel ad Episcopos & Clerum terminabantur, ut clarius ex dicendis constabit.

Quia tamen nullus compendiosius, sapientius & majori claritate quam cæteri hoc præstitit, quam eminentissimus & æterno dignus præconio Cardinalis Baronius id præstitit ubi supra, placuit ipsum transcribere, quia ejus verba gravitate & eruditione plena. igitur tom. 2 sic fatur in vita Sixti Papæ. *Hic insuper* (habet liber de Romanis Pontificibus) *constituit, ut quicumque Episcopus evocatus fuerit ad sedem Romanam, Apostolicam, rediens ad Parochiam suam, non susciperetur nisi cum formatis salutationis ad plebem à Sede Apostolica; ejusmodi commercio formatarum unius Ecclesiæ Catholicæ servari, ac proinde probari solitam unitatem tradit Optatus Milevit. lib. 2 contra Parmenianum, qui texens catalogum Romanorum Pontificum à Petro usque ad Syricium, de eo ait: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Et Augustinus epistola 163 ad Eleusi. & Sotio. *Hic primo asserere* (inquit) *conatus est, ubique terrarum esse communionem suam. quærebam utrum epistolas communicatorias quas formatas dicimus, possent quo vellent dare, & affirmabant quod manifestum erat omnibus hoc modo illam facillime terminari posse quæstionem. antiquissimus itaque fuit ejus rei usus, ut per communicatorias literas unitas Ecclesiæ monstraretur, in Concilio etiam Niceno cap. 18, forma quædam ejusmodi literarum, ne fraus irreperet, est instituta, non autem recenter res ipsa est introducta.*

Quæ autem dicebantur formatæ seu Communicatoriæ literæ, eædem (ut auctor est Aticus tom. 2. Concil. post Concilium Chalcedo.) Canonicæ literæ dicebantur. quin etiam Theophilus Episcopus Alexandrinus in Epistola 1. Paschali in fine, quas dicimus communicatorias, easdem & pacificas nominatas esse demonstrat. cur etiam auctor in tertia Paschali epistola in fine appellat *Ecclesiasticas*. in Concilio autem Chalcedon. cap. 11 nuncupatæ reperiuntur pacificæ. solitas quoque pacificas à recenter ordinato Episcopo ad Collegas dari tradit Theophilus in Photii Nono Canone. concedebantur etiam pacificæ, nempe communicatoriæ Pauperibus peregrinantibus, quibus eorum fides Catholica probaretur. diversas autem ab his fuisse literas commendatitias ab Episcopis dari solitas Canon idem 11 Chalced. Concil. admonit. ait enim commendatitias literas dari solitas tantum

tantum iis qui essent in Ecclesia opere clariores, & ab Episcopis dari solitas suis Clericis peregrinantibus, alius Canon 13 ejusdem Concilii docet; sed aliter legit Theodorus, dabantur etiam literæ commendatitiæ personis quæ erant suspectæ, de quibus & Paulus meminit 2 ad Corinthios 3, cum ait, *Numquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? epistola nostra vos estis.* Qui enim commendatitiis epistolis peregrinabantur quocumque pergerent apud Christianos erant illæ pro viatico, de quo Lucianus in Peregrino: *Suscepta secunda peregrinatione egreditur vagaturus, satis sibi viatici in Christianis repositum esse existimans.* his similes erant apud gentiles diplomata, quorum meminit Plinius Iunior scribens ad Trajan. lib. 10. epistola 121 & 122. quæ postea tractoriæ sunt appellatæ. est titulus de tractoriis & stativis Cod. Theodosiano. Extat hactenus earundem forma literarum quæ ab Imperatoribus dabantur, in Lexico Iuris verbo *tractatoriæ*, & apud Cujacium tit. de tracta. erant & aliæ ejusdem nominis ab Episcopis dari solitæ, de quibus dicemus inferius.

Erant & dimissoriæ literæ, quas ibidem Theodorus illas esse ait, cum Clericus voluntate sui Prælati Antistitis esset profectus, sine his enim non licebat extra diœcesim peregrinari; his quoque indigebant Episcopi qui profecturi essent ad comitatum. Erant insuper literæ quæ dicebantur Memoriales seu commonitoriæ, quibus Legati quid in suscepta legatione deberent agere per singula admonebantur. Extant de his complura exempla quæ suis locis ponentur inferius. erant epistolæ dictæ Synodicæ, quæ à diversis dabantur à Synodis, sive scriptæ essent ad omnes Christi fideles, sive à Synodo, sive à Summo Pontifice vel aliis darentur. alia occasione dicebantur encyclicæ, hoc est circulares. rursus vero eædem epistolæ dicebantur Catholicæ, non ea ratione quia fidem Catholicam continerent, sed quod ad universam Ecclesiam datæ essent. Hinc Apollonius apud Eusebium lib. 5. cap. 15. hæc de Themisonte: *audebat, Apostolum imitando, Catholicam ad omnes Ecclesias epistolam contexere.* insuper de Dionysio Corintheorum Episcopo. tradit Eusebius Catholicas ad Ecclesias scripsisse epistolas.

Decretales vero dicebantur Romanorum Pontificum epistolæ, quibus vel ad diversorum consultationes respondere solerent, vel cum quid servandum, vitandumve esset edicerent, de quibus Gelasius in Concilio Romano cap. 2 de libris authenticis. Decretales epistolas quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana, pro diversorum Patrum consultatione (sic legendum, non *consolatione*) dederunt *venerabiliter recipiendas*; Pastorales vero, quæ pro instructione darentur, quales sunt illæ quæ ad diversas Ecclesias à sancto Ignatio scriptæ habentur.

Erat quoque olim, tempore persecutionis Ecclesiæ, genus literarum quæ dicebantur Confessoriæ, quæ à Christianis, qui Christi nomine detinerentur in carcere, pro commendatione lapsorum ad Episcopos dari solebant. erat frequens harum usus tempore persecutionis, ut ex multis sancti Cypriani literis constat. est earundem mentio in Concilio Illiberitano, canone 25, & Arelatensi 1. cap. 9. quæ autem pro redemtione captivorum ab Episcopis dari consueverant literæ captivorum appellantur in Concilio Lugdun. 2, cap. 2.

Insuper quoque habentur literæ Apostolicæ dictæ, quæ Apostolica authoritate à Romanis Pontificibus dari consueverunt, quarum diversa sunt genera; frequentiores illæ quæ breves dicuntur. sed ea vox penes antiquos diversæ reperitur esse sacrificationis. Nam apud Optatum Milevitanum contra Parmeni. lib. 1. brevis dicitur charta illa in qua conscripta essent bona Ecclesiastica, quam nos usitatius dicere solemus inventarium, alio nomine vocat Optatus commemoratorium. eandem vocem in eundem sensum usurpat sanctus Augustinus contra Crescen. lib. 3, cap. 29. & Gregorius Papa lib. 6, epistola 201. sed Cassiodorus lib. 4, epistola 21. Pro regiis jussionibus, nam Theodoricus ad Gemelum scribens ait: *Admonitio nostra non deerit ut instructior reddaris dum infrascriptis brevibus definita susceperis.* Verum apud Lampridium in Alexand. eadem vox pro matricula seu Cathalogo in quo nomina scriberentur accipitur, sicut & in Codice Iustinianeo, leg. inter chartulas. de convenien. fisci. debit. lib. 10. quæ vero Sede vacante à Clero scribi solerent epistolæ eædem Clericæ literæ dicebantur. sic enim eas nominat Cyprianus epistola 4.

Numeranda quoque in Ecclesiasticas literas epistola quæ tractoria sæpius ab Augustino nominatur. Scribens enim ad Victorinum epistola 117. illam tractoriam nominat epistolam, qua Episcopi vocarentur ad Synodum, lib. contra Donatistas. Post collatio. cap. 24. sic inquit, à primate suo per tractoriam sunt vocati, sic dictæ ut puto quod vocatis his literis causa publica Episcopis quocumque irent viaticum præstaretur, exemplo earum quæ ab Imperatoribus concedi solerent. sed diversa plane erat epistola tractoria, à tractatoria, qua quid de aliqua re gestum esset, Episcopi alios redderent certiores. Meminit ejusdem generis literarum idem Augustinus in Psalmo 36. concio. 2. quæ autem à Catholicis Episcopis ad Hæreticos & Schismaticos, aut etiam paganos literæ scriberentur, quod in illis nulla liceret communicationis Symbola, ut pacis, salutis, benedictionis apponere, privatas epistolas dici solitas idem Augustinus epistola 162 ad Gloriam & alios Episcopos Donatistas affirmat, cum hæc ait: *unde factum est ut etiam ad nonnullos Donatistarum Primarios scriberemus, non communicatorias literas*, quas jam olim propter suam perversitatem ab unitate Catholica quæ toto orbe diffusa est non accipiunt, sed privatas quibus nobis uti etiam ad Paganos licet. Porro non dicebantur privatæ, quasi publicæ illæ non essent, quas ita scribebat Augustinus ad Donatistas, ut publicæ illis forent, & ab omnibus legerentur; sed quod carerent publicæ communicationis titulo, aliisque publicis notis, quæ communicatoriis literis præfigi solebant. solitos quoque Episcopos suas quas publice darent literas annulo signatorio communire, cum Augustino in superius citata epistola ad Victorinum in fine indicat. & in Concil. Aurelian. 1. in præfatione Clodovei habetur expressum, consuevisse eos scribere literas in tabellis eburneis vel in charteis, raro vero nec nisi chartæ inopia in membranis, argumento sunt quæ idem Augustinus habet epistola 113 ad Romanianum. Hæc omnia ex Baronio.

Ex quibus colligitur anacephaleosis variarum formarum, quibus utebatur Ecclesia & Imperatores in scribendis epistolis.

Literæ { Ecclesiasticæ { formatæ, communicatoriæ, Pacificæ, Canonicæ, commendatitiæ, tractoriæ, tractatoriæ

dimi-

Literæ
- Ecclesiasticæ
  - dimissoriæ
  - memoriales
  - commonitoriæ
  - Synodice sive Encyclicæ
  - Decretales
  - Pastorales
  - Confessoriæ
  - captivorum
  - Apostolicæ
  - breves
  - privatæ
  - Paschales
- Imperatoriæ & Regales
  - Diplomatæ
  - tractatoriæ
  - tractoriæ
  - privatæ
  - stativæ.

Verumenimvero cum Concilium Illiberitanum Canone hoc, solum mentionem faciat de literis Confessoriis; in quarum locum mandat dare communicatorias, quæ eædem sunt fere ac formatæ, pacificæ, & Canonicæ, de harum formulis agendum, ut clarior Canonis nostri evadat sensus & intelligentia. Igitur communicatoriæ dicebantur, quia sive Clerici sive Laici illis muniti, absque ulla suspicione poterant cum Catholicis ubique versari & conversari, ut colligitur ex hoc Canone, & ex Concilio Agathensi cap. 52. dicebantur pacificæ, tum ob eam rationem quam tradit Baronius, tum quia, ut ait Turrianus ubi supra cap. 4. quia Summus Pontifex Episcopusve approbat fidem tam ejus qui portat, quam ejus Ecclesiæ ad quam mittitur, aut tandem, ut ait Ferrer. lib. 1. cap. 10, quia oppressi à Potentatibus secularibus illas portabant ad implorandum auxilium, & inique ab illis damnati ab Episcopis Conciliarentur, & sic dictæ sunt reconciliatrices, amicæ, pacatæ, dicebantur commendatitiæ quia vel excusabantur à crimine sibi falso imposito, vel declarabatur ad pœnitentiam esse redactum latorem, ut clare constat ex Concilio Chalcedonens. Canone II. juxta versionem Nereti, Balsamonis, & Zonaræ commentaria.

Nomen antiquius harum communicatoriarum, quod imposuerunt 318 Patres in Concilio Niceno in Spiritu sancto legitime congregato, fuit *literæ formatæ*, quas dabant Patres & Episcopi ovibus suis, ut tamquam charactere Christi obsignatæ ab ovibus hæreticis dignoscerentur, & illis pastum veræ doctrinæ & communionis Catholicæ impenderent omnes fideles per quos transirent; ne tamen hæretici has epistolas simularent & fingerent Patres, determinarunt quod in illis certi Græci characteres formarentur, quibus denotaretur sancta Trinitas consubstantialis, primatus Petri, Episcopus qui mittebat, Episcopus ad quem mittebatur, ille qui portabat & civitas Episcopi scribentis. π. υ. κ'. π. ρ. ν. λ. κ. ξ. αμήν. . . formulam harum epistolarum affert Vico p. 6. decreti cap. 433. hujus formulæ exemplar adservatur in antiquissimo Codice Ecclesiæ Vercellensis, quod affert Philibertus Marchin, tractatu 1. de ordine p. 6. cap. 1. n. 6. cum autem per aliquos annos Concilium Illiberitanum fuerit antiquius Niceno, & utriusque fuerit Præses Osius Cordubensis, Patres in Illiberi. congregati primi fuerunt duce Spiritu sancto harum literarum inventores, quamvis postea Patres Niceni eas ad hanc formam redegerint, ob quam formatæ sunt dictæ. Lege cap. in nomine Patris 73 dist.

Confessoriæ verò, quæ alias à pluribus dicuntur *literæ confessionis*, magnæ erant in Ecclesia dignitatis & honoris, quibus magna debebatur reverentia, ut ait Loaysa in adnotatione hujus Canonis Illiberitani 25. *Tantus enim* (ait Mendoza lib. 2, cap. 51.) *honor designatis martyribus (quos ob confessionem fidei in tormentis factam Confessores vocabant) habebatur olim non solum à plebe, sed etiam ab Episcopis, ut lapsis permitterentur pacem posse dare: commeabant enim lapsi ad carceres pacem à Confessoribus petentes, antequam pro Christo mortem capesserent. Illi vero vicissim petentium desideria ponderantes, singulorum rationes & merita delictorumque genera expendentes, pacem nonnullis concedebant, eamque libello, seu literis à se subscriptis signatam ad Episcopum destinabant, qui diligentius examinatis eorum desideriis, pœnitentia, exomologesi & manus impositione prævia, ad communionem eos admittebat: erant enim sancti Patres majores nostri persuasi, ut ait Cyprianus, tantum apud Deum sanctorum Martyrum preces & merita valere, ut ab illo facile possent lapsis quibus pacem promittebant, delictorum veniam impetrare.* hæc ille. & sumpsit ex Tertulliano lib. ad Martyres, cap. 1. Cypriano epistola 13 & 14 ad Presbyteros & Diaconos.

Hos autem pacificos libellos & Confessorias literas quidam, bono zelo, sed ignorantia & imprudentia ducti, multiplicare cæperunt, adeo, quod vel designatus Martyr Lucianus absque delectu illos dabat, non solum proprio nomine subscribens, sed nomine Pauli Martyris jam passi pro Christo; dicens sibi à Paulo mandatum fuisse, & nomine etiam Aurelii qui subscribere nesciebat. quæ omnia ut inconvenientia, quæ ex harum literarum & libellorum multitudine orirentur, gravissime ponderat Cyprianus epistola 23 ad Presbyteros & Diaconos Romæ consistentes, concludens: *Lucianus circa intelligentiam Dominicæ Lectionis, ut diximus, peritus, & circa invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua molestus: nam cum Dominus dixerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti gentes tingi, & in Baptismo præterita peccata dimitti, hic præcepti & legis ignarus mandat pacem dari & peccata dimitti Pauli nomine, & hoc sibi dicit ab illo esse mandatum, sicut in literis ejusdem Luciani ad Celerinum factis, animadvertitis, quibus minime consideravit quod non Martyres Euangelium faciant, sed per Euangelium Martyres fiant.*

Igitur cum sancti Martyres designati valde deliquissent imprudenter passim, & sine delectu omnibus lapsis indulgentes libellos pacis & literas Confessorias, in quibus multi non designabant nomina eorum quibus pacem dari vellent, ortum est quod libellati istorum multi rudiores libellis & literis abuterentur, multosque simplices subvertendo existimabant quod Episcopi non dabant libellatis lapsis à Confessoribus pacem & veniam, sed Confessores ipsi; unde illam vindicabant ab Episcopis, & tanquam debitam jure extorquebant. quod maximum inconveniens præpedire volens Cyprianus, scripsit elegantem epistolam ad Martyres & Confessores, quæ est 11 juxta Pamelium, qui ejusdem epistolæ argumentum collegit ex epistola 15 ad Presbyteros & Diaconos, in qua dicit: *Cum comperissem eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importunâ & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine discrimine & examine singulorum darentur libellorum millia contra Euangelii legem, literas feci quibus Martyres & Confessores Concilio meo quantum possem ad Dominica præcepta revocarem.* & epistola ista quam memorat

est 11. In qua summa prudentia & Dominica doctrina instruit & admonet Martyres & sanctos Confessores, qualiter antecessores suos pro Christo occisos, in dandis hujusmodi libellis & literis imitari deberent; continet enim epistola gravissima dogmata Catholicæ fidei, & sic lectu est dignissima, quæ colligunt Pamelius ibi n. 3 & 6, & Dominus Ferdinandus Mendoza lib. 2. cap. 5.

I. Quantus honor Confessoribus olim deferebatur, non solum Cypriani tempore, sed multo antea; siquidem ad eorum intercessionem lapsis venia satisfactionis debitæ pro peccatis, ab Episcopis dabatur. II. Antiquissimum esse in Ecclesia indulgentiarum usum significatur, in pace quam dabant Martyres donando libellos & literas Confessorias; siquidem, ut ait Pamelius: *Pax ista nihil aliud esse videtur, quam relaxatio satisfactionis per Episcopum pœnitentibus impositæ, atque ad Ecclesiæ communionem ante expletum præscriptæ pœnitentiæ tempus admissio.* Tertium, quod tunc sancti Confessores per has literas seu libellos confessorios & pacis præstarent, quod nunc summus Pontifex concedit per bullam cruciatæ, ad remissionem culparum & pœnarum quæ illis debentur; at cum discrimine, virtute bullæ hoc præstat quilibet sacerdos approbatus ab ordinaris à pœnitenti eligendo ad libitum: at virtute libelli Martyrum solum id præstant Episcopus, aut Presbyter ad id specialiter ab Episcopo designatus, ut manifeste constat ex epist. 22, quæ est Liviani, inter epistolas Cypriani, & ad ipsum Cyprianum epist. 30, quæ est Presbyterorum Romæ consistentium. est & aliud discrimen, quia virtute bullæ pœnitens potest à confessario electo, jure exigere indulgentiam pœnarum & culparum; at virtute libelli solum poterant summisse deprecari, cui summissioni annuebant Episcopi Martyrum intercessione cui multum deferebant. IV. Etiam tunc temporum, Presbyterorum avaritia usum harum literarum in abusum versum fuisse, quod adnotat Pamelius n. 4, *Presbyteri sive importunitate precum, sive pretio conducti ante literas Episcopo communicatas, ante pacem Ecclesiæ, ante redditum Episcopi responsum, ante ipsum pene excessum Martyrum, ante Exomologesim factam, ante manum ab Episcopo impositam, pacem dabant.*

Ex dictis clarius evadit hujus Canonis 25 sensus & pulchra intelligentia; cum enim lapsi aut importunitate aut subreptitie literas confessorias & libellos pacis à confessoribus impetrarent, multique absque delectu libellorum *millia* darent, & lapsi discoli magis ostentatione & tactu; quam humili deprecatione jactarent se jam à Martyribus impetrasse veniam, nec indigere Exomologesi, & ipsorum manuum impositione passim simplices excuterent, ad similem intelligentiam contra Euangelium & Episcoporum authoritatem & jurisdictionem, ne sub hac nominis gloria hæc doctrina introduceretur mandant Patres in Illiberi congregati, ut ab istis literas *confessorias* auferrent Episcopi, & illarum loco *communicatoriæ* darentur, quæ dabantur ab Episcopis quasi declaratoriæ, secundum Euangelium & doctrinam Apostolicam, pro libellis quos dabant Martyres. Vnde in Concilio 1 Arelatensi, paulo post celebratum sub Sylvestro Canone 9 dicitur: *de his qui confessorum literas offerunt, placuit ut sublatis eis literis alias accipiant communicatorias.* quare idem est in nostro Canone *sublato nomine Confessores*, ac in Concilio Arelatensi *sublatis eis literis.* non enim Patres Illiberitani ideo mandant quod literæ communicatoriæ dentur, quia lapsi portabant literas confessorias sublato Confessoris nomine; sed mandant, quod iste auferantur, *ne sub tanti nominis gloria concutiant simplices*, & illorum loco communicatoriæ dentur. Sed numquid legendum est *passim concutiant simplices*, vel legendum sit *partim concutiant?* priorem lectionem retinendam dicit Mendoza ubi supra, conformaturque modo loquendi Cyprianus epistola 15 citata. Sed non esse expungendam secundam existimo, & cum illa etiam sensus est clarus: dicit enim Concilium quod à lapsis auferantur literæ Confessoriæ: *Ne sub tanta nominis gloria partim concutiant simplices*, id est, *in parte.* quia quamvis literæ essent legitimæ, & quantum ad hoc simplices non concuterent, concuterent tamen quantum ad illarum intelligentiam, judicantes quod Martyres impertiebant satisfactionis indulgentiam etiam sine Episcopi manuum impositione, ita ut nomine suo, non vero nomine Christi, peccata dimitterentur. & hunc abusum volunt Patres evertere dando *communicatorias*, ab Episcopis loco *Confessoriarum.*

Sed quamvis sensus iste planus sit, aliud mihi obtulit verbum ipsum quo Patres utuntur: *Ne sub hac nominis gloria passim* (aut partim) *concutiant simplices.* Concutio enim est verbum quo utuntur Iurisconsulti ad significandum crimen quo vi, aut terrore potestatis, aliquis aliquid exprimit sub nomine aut jussu præsidis, aut alicujus in dignitate constituti. Ita Vlpianus lege, *si simulato. D. de concussio.* ibi, *si simulato Præsidis jussu concussio intervenit, ablatum ejusmodi terrore restitui præses Provinciæ jubet, & delictum coërcet.* Igitur Patres Illiberi volentes præpedire concussiones, quas quidam demonstratis libellis & literis Confessoriis faciebant cum simplicibus, à quibus pecunias aut aliquid donativum passim extorquebant, determinant ut ablatis libellis literæ communicatoriæ concedantur. hunc sensum legitimum esse mihi persuadeo, 1. ex ratione quam tradunt Patres, *omnis*, ait, *qui attulerit literas confessorias sublato nomine Confessoris, eo quod sub hac nominis gloria partim concutiant simplices*, &c. quasi dicant omnes literæ confessoriæ in communicatorias permutentur, quia multi illas portantes simulato Martyris jussu, aut consilio, aut voluntate, concussio intervenit simplicium, quos partim, hoc est in parte bonorum, concutiunt sub nominis Martyris gloria. quæ concussio intervenire nequit per literas communicatorias. II. Quia, ut constat ex Cypriano, epistola 23 ad Clerum Romanum, & Luciani Confessoris epist. 22 ad Celerinum. ipse Lucianus ignorantia Scripturæ ductus dicebat, *quod benedictus Martyr Paulus, cum adhuc in corpore esset, vocavit illum & dixit, Luciane coram Christo tibi dico, ut siquis post excessionem meam* (id est mortem) *abs te pacem petierit, des in nomine meo.* quo mandato Lucianus libellorum *millia* dabat, quibus portantes partim concutiebant simplices, qui mos usque ad Concilium nostrum perduravit, quem eradicare volebant Patres, ne simulato nomine aut jussu Confessorum, sub prætextu tanti nominis simplicium fierent concussiores. & hæc de hoc Martyrum privilegio, & genuina Canonis hujus intelligentia.

Verum superest non ignobile dubium, quod mihi subodorare, fecit vir omni genere eruditionis plenus, D. Ferdinandus de Mendoza cap. 51 citati, lib. 2, his verbis: *Hodie autem, cum summa Dei providentia, & Catholicorum Principum religio diuturnam Ecclesiæ pacem peperit, liberaque prædicandæ veritatis facultas sit, defervescente adversariorum Ecclesiæ æstu, martyrii exercendi occasio sublata est, & literarum harum scribendarum sublata est consuetudo, in eis autem provinciis in quibus orthodoxi, ob fidei confessionem variis & exquisitis tormentis ab hæreticis vel infidelibus afficiuntur, si detenti*

vinculis

vinculis pro reis apud Episcopos intercessierint, spernendas pias illorum preces non putarim.

Pie quidem, sed plus dubium exigit: existimo enim quod siquis apud Mahometanos, aut hæreticos Anglicanos pro fide Christi sit in carcere detentus Martyr pro Christo designatus pro ipsius fidei confessione, & daret lapsis libellum pacis literasve confessorias, vel ad summum pontificem, vel Episcopos, vel D. D. Inquisitores pro ipsorum reconciliatione, isti magni æstimare deberent, ut facta Exomologesi & manuum impositione, hoc est absolutione ab excommunicatione, ipsorum liberos dimitterent: nec enim privilegium Martyrum designatorum abrogatum aut abolitum est, sed semper manet in sua observantia toties quoties se offert occasio: tanta enim est Martyrum prærogativa ut contra ipsorum privilegia nulla sit præscriptio.

Sectio V. *Enucleatur Canon trigesimus septimus, qui est de imaginibus Martyrum in parietibus Ecclesiæ non pingendis.*

CVm ante tempora Concilii Illiberitani, à temporibus Apostolorum imo & Christi Domini, sacræ imagines fuerunt in usu apud fideles, & quasi à tempore quo ædificatæ sunt publicæ Ecclesiæ, mos fuerit ipsas depingere in ipsarum parietibus, ubi ad Christianorum solatium & exemplum Martyrum victoriæ agones, & tormenta pro fide Christi perpessa vel pingebantur, vel opere Mosayco fabricabantur, ut testes sunt integerrimi. Basilius oratio in S. Barlam. August. lib. 22 contra Faustum cap. 73. Nissenus oratio in Theodos. Prudentius Hymno de S. Cassiano. Evodius lib. 2 de miraculis sancti Stephani. S. Paulinus epistola 12, qui omnes synchroni fuere Constantino, quare ingentem ingerit difficultatem Canon 37 Illiberitanus hujus tenoris: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Sic legunt Burchardus lib. 3 decreto cap. 35. Yvo p. 3. cap. 40. & in Panormi. lib. 2. cap. 55. quibus consentiunt Vetusti CC. M. S. Iuxta quos vulgata lectio Surii & Caranzæ emendanda est, quæ pro &, habet *aut*, cujus Canonis difficultate oppressus Cardinalis Baronius tom. 1 Annalium ad annum Christi 57, pagina mihi 763. Dixit hunc Canonem esse partum suppositum à quodam discipulo Claudii Episcopi Faurin. Hispani Hæretici Iconoclastæ, qui fuit auditor Felicis Vrgelitani, etiam Hæretici Nestoriani. Siquidem Ferrandus Diaconus, Dionysius exiguus, & Cresconius diligentissimi Canonum Latinorum & Græcorum collectores, hujus Canonis nullam fecerunt mentionem: si enim esset, nec lateret Vigilantium & Claudium, utrumque Hispanum & impugnatorem sacrarum Imaginum, & concludit: *Sed esto, absit fraus & impostura, quam tandem fidem meretur tam paucorum Episcoporum Canon, quem totius Ecclesiæ Catholicæ usus contrarius continuo abolevit, & antequam nasceretur extinxit.*

Sed re melius considerata, ne tanti & tam gravis Concilii denigraretur authoritas, Cardinalis ipse mutavit consilium, & pro eodem Concilio & Canone decertavit tomo 2 Annalium, circa annum Christi 305, pagina mihi 764, ut supra notatum est. Igitur supponendum est tamquam de fide licitum esse hodie, sacras Martyrum victorias & triumphos & aliorum sanctorum Imagines in templis depingere. Sic enim definitur in Concilio Nicæno 2, actio 7, ubi sic habetur: *Definimus cum omni diligentia & cura venerandas esse sanctas imagines, ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis è coloribus & tessulis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, & in templis Sanctis Dei collocandas, habendasque tum in sanctis vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis, maxime autem Domini & Dei Servatoris nostri Iesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum Virorum.*

Huic Catholicæ veritati nec in pilo contrariatur Canon Illiberitanus, quod viderunt Claudius & Vigilantius, qui ut Hispani & non imperiti, etsi hæretici Iconoclastæ optime noverant Decreta & Canones Conciliorum, quæ ipsos antecesserunt, quale fuit Illiberitanum. & tamen in ipsorum favorem hujus Canonis non meminere, agnoscentes nihil ipsos juvare; siquidem Patres sacras venerantur imagines, & quidem ob motiva infra adducenda, prohibent in parietibus depingi, quod tunc temporis sanctissime & prudentissime fecerunt, sicut alias leges tunc tulerunt ad impediendam Idololatriam. quæ, ut ait Innocentius primus, in epistola ad Exuperium, cap. 3. convenientissimæ fuere quam hodie non conveniant: lapsis enim, ut sic supra vidimus, nec in ultimo habitu permittebatur communio impertiri à sacerdotibus, quamvis viaticum sumere sit de jure divino, ne lapsi spe quod facile reconciliarentur, tormentorum timore apostatarent à fide, & idolis tunc sacrificarent. qua ergo fronte Calvinus & ejus asseclæ nobis obtrudunt hujus Canonis sententiam ad expugnandas sacras imagines, cum luce meridiana ejus sensus sit clarius, Catholicus, purus, & in venerationem & cultum illarum sit latus, quem cultum & venerationem Patres expresse fatentur, cum ob id pro tunc prohibeant imagines in parietibus depingi, ne id *quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*, impudenter ergo ex hoc Canone colligit hæreticus imaginibus Martyrum & Sanctorum non deberi cultum & adorationem. Videndum igitur est quæ fuerit mens Patrum Illiberitanorum in hujusmodi Canone condendo, cum sint variæ Catholicorum interpretationes, quas recensebo cum omnes sint piæ & orthodoxæ, etsi aliquæ minus congruæ.

D. Ferdinandus de Mendoza lib. 3. cap. 5 in ea est sententia, in qua latissime discurrit, quod Patres hujus Concilii præfato Canone solum prohibuerint picturas Dei ut est in se, fieri in parietibus, ne vesano gentilium, & Ethnicorum errore ducti putarent vel ipsæ gentes vel Catholici simpliciores, Deum nostrum verum & invisibilem ut quid corporeum idolorum stulta imitatione pingi debere, aut posse; atque ideo imagines invisibilis Dei in Ecclesiis depingi Hispani Episcopi interdixerunt. quam interpretationem nullus inficiebitur si attente legat rationem Canonis: *Ne*, inquit, *quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* cultus autem & adoratio solum respiciunt proprie & rigorose Deitatem, hujus ergo imagines ut in se est, prohibet Concilium, non vero Deitatis prout in sacra Scriptura aliquibus figuris nobis innotescit, ut sanctorum Martyrum & Confessorum Christi, & B. Virginis prohibentur. quam intelligentiam Canonis lato Calamo confirmat toto illo cap. 5.

Sed vereor ne vero valde erudito adagio conveniat, *ne Eristides rectam viam invenit.* quamvis enim omnium fere Canonum hujus Concilii rectam sit assecutus intelligentiam, hujus minime attigit, cum Patres Hispani de omnibus picturis in parietibus loquantur, nec explicant loqui de picturis Dei ut est in se; Deus enim, etsi cultu latriæ solus adoretur tamen

men Martyres & eorum imagines cultu religioso duliæ venerantur & adorantur: nec enim cultus & adoratio semper *latriam* denotat, sed multoties aliam inferiorem reverentiam, ut late D. Thom. 2.2.q. 105.

Huic interpretationi affinis est alia quam tradunt Alanus Copus dialogo 5 de imaginibus, cap. 5. ex Yvo Carnosiensi in suo decreto, p. 3. cap. 40. Et sequuntur Ayala de traditio p. 3. cap. de Antiquitate imaginum. Sixtus Senens. lib. 5 Biblioth. anno 247. quod cum prohibitum sit jure naturæ imagines tamquam Deum adorare, & tunc temporis populus Christianus exemplo gentilium maxime ad Idololatriam declinaret, Patres Illiberitani sancto zelo ducti, volentes auferri à simplicibus idololatrandi occasionem, prohibuerunt imagines quascumque in Ecclesia pingi. Sed hæc interpretatio multum favet Calvino, & prorsus est rejicienda, tum quia zelus iste non esset *secundum scientiam* Ecclesiæ Catholicæ, cum non congrueret fidei nostræ dogmati de imaginibus venerandis; sicut enim hodie instruuntur fideles ne imagines Martyrum, sicut nec ipsos Martyres, latria venerentur, sed alio inferiori cultu, sic tunc instrui deberent; tum etiam quia ratio Concilii hanc intelligentiam radicitus evertit: *ne id quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Si enim causa vitandæ idololatriæ pingi imagines in parietibus prohiberetur, etiam prohiberi deberet pingi in tabulis aut sculpi, aut alia materia dura, cum hujusmodi sculpturæ & picturæ occasionare possent idololatriam, in propriis domibus vel in Ecclesia positæ aut custoditæ.

III. Interpretatio est, ideo Patres prohibuisse in parietibus id *quod colitur & adoratur* depingi, ne imminente persecutione non possent Christiani secum imagines portare, & cum in parietibus depictæ remanerent, ludibrio essent respectu gentium & Idololatrarum. Ita Sanderus lib. 2 de cultu imaginum cap. 4. Turrianus lib. 1 de Hierarch. ord. cap. 12. Bellarminus lib. 2 de imaginibus cap. 9. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 53. sect. 1. Alanus ubi supra. quam tamen impugnat Vasquez 3. p. tom. 1. disp. 105. n. 15. sed sine ratione; congruit enim menti Patrum, & rationi quæ sunt inducti ad condendum Canonem, ne scilicet id *quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*, quasi dicat Concilium, id quod colitur & adoratur adservari & tueri debet magna devotione & reverentia summa, & ex parte nostra defendendum ne ab inimicis fidei conculcetur, vilipendatur, pessundetur, & ludibrio sit, aut frangatur & in frusta redigatur, ad quod tenetur quicumque fidelis quantum in se est, ex vi præcepti quo tenetur colere & venerare imagines: quare cum tempore hujus Concilii Tyranni potentes essent & quotidie excitarent persecutiones, propter quas fideles se occultabant & Ecclesias derelinquebant, etiam imagines in parietibus depictas nec occultare nec secum portare quibant, & sic manebant expositæ fractioni & ludibrio gentilium. quod inconveniens cum possit moraliter loquendo contingere & quotidie contingebat, Patres sanctissimi & prudentissimi, & ex imaginum veneratione moti sanxerunt ne in parietibus pingerentur.

IV. Interpretatio sit, Concilium hunc Canonem edidisse non ad prohibendas imagines depictas in tabulis, aut sculptas in lapidibus aut lignis positas in Ecclesia, sed solum quæ pingebantur in parietibus templorum, quia indecens visum est Patribus quod id *quod colitur & adoratur* parietibus sit affixum; amittunt enim imagines sic depictæ splendorem & temporis decursu pulchritudinem, & delustratis parietibus partim imagines ipsæ manent truncæ, modo sine pedibus, modo sine facie, & potius movent risum quam devotionem. propter quæ Patres Concilii ad vitanda incommoda (etiamsi in Italia, aut Græcia alibive contrarius usus vigeret pingendi imagines in parietibus) in Hispania hanc legem sanxere, quod potuerunt facere. hæc enim prohibitio ad mores pertinet, non ad dogmata fidei, pro quorum morum reformatione sic statutum est, & sic multis seculis mansit in Hispania consuetudo, ne ordinarie in muris & parietibus pingerentur imagines. propter quam S. Christophori quamvis in templo majori hujus civitatis Hispalensis sit imago B. Virginis Mariæ, quæ dicitur *del Antigua*, picta in muro Ecclesiæ antiquæ, & sine dolo aut decrustratione miro artificio translata est ad Ecclesiam novam, ubi in summa est veneratione populi concursu & devotione, quæ picta fuit Gothorum tempore, & ut conjectatur D. Rodericus Caro lib. 2. cap. 4 *de los antiguedades de Sevilla*, à Romanorum imperio, sed jam hodie lex ista pro Hispania lata & consuetudo emarcuit, & consuetudo Itala pingendi in templorum parietibus introducta est, juxta decretum Concilii Nicæni supra allatum, ita enucleat Canonem istum, D. Illustrissimus Garzia de Loaysa in adnotatione, & dicit, *sic sensit D. Petrus Martinez insignis Theologus Canonicus Choncensis & apud Complutenses Magister meus in comment. epist. Judæ loco 18 de Imaginum debito cultu.* Sequuntur Severinus Binnius in adnotatione hujus Canonis, Coriolanus qui etiam amplectitur tertiam expositionem, Bellarminus, Suarez & alii in eadem expositione adducti. manet ergo inconcussum sanctorum Martyrum privilegium, quod eorum imagines depingi possunt.

SECTIO VI. *Explanatur Canon trigesimus quartus, de cereis in Cœmeteriis Martyrum non accendendis.*

CAnon plane difficilis tum ob prohibitionem, tum ob rationem prohibitionis: prohibitio enim derogare videtur magno Martyrum & sanctorum cultui, quo Martyres & sanctos veneramur, de quo Concilium Tarracon. canon. 7. Tolet. 3. can. 7. & Tolet. 1. can. 2. & Brachan. sect. 2. canon. 2 & 6. & constat ex usu ab initio nascentis Ecclesiæ. Vnde Vigilantius Presbyter Barcinonesis hæreticus contra quem D. Hieronymus scripsit, dolens tantum honorem Martyrum reliquiis exhiberi, calumniabatur gentilitium ritum introductum in Ecclesiis, ut fulgente sole moles cereorum accenderentur. Cui objectioni respondet sanctus Doctor in lib. contra Vigilantium, & epistola ad Riparium: *Causabantur*, ait, *quondam Apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt: nec enim Christus unguento indigebat, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi fecit, devotioque mentis ejus recipitur, & quicumque accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem.* Et post pauca: *Et absque Martyrum reliquiis, per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Euangelium accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Et sic fideles, ut Vigilantii errorem adversus Martyrum honorificum privilegium detestarentur, cereos per diem accendere consueverunt, non solum in cœmeteriis, sed in Ecclesiis, quidquid ipsos reprehendat Lactantius lib. 6 præparatio cap. 2. Sed sine causa, aut judicans more gentilitio

tilitio & superstitioso id agere, & sic difficilis est prohibitio facta in Concilio.

Sed multo difficilior ratio prohibitionis. sic enim dicit Canon: *Cereos per diem placuit in Cœmeteriis non accendi: inquietandi enim Spiritus sanctorum non sunt. qui hæc non observaverint arceantur ab Ecclesiæ communione.* Quomodo enim inquietari possunt Spiritus sanctorum, sive sint in cœlo, sive sint in purgatorio: ubique enim summa gaudent pace & securitate conscientiæ, agnoscentes se in amicitia & gratia Dei confirmatos esse. & quomodo inquietandi Spiritus sanctorum per cereos in die, & luminaria accensa, per lampades & lichnos à laquearibus suspensos, lumina vibrantia, cum eos universa Ecclesia agnoscat & veneretur, ut tradunt antiquissimus Tertullianus in Apologet. cap. 31. & lib. 2 ad uxorem, cap. 5. Sanctus Paulinus in Natali sancti Felicis VI. August. sermone 215 de temp. & serm. 33 de diversis. & lib. 22 de civit. cap. 8. Evodius lib. 1, cap. 2 de miracul. sancti Stephani. Athanas. epistola ad orthodoxos: *Multa enim ex superstitione gentilitia in Christianam religionem laudabiliter sunt translata. quis enim* (ut ait Hieronymus contra Vigilant.) *jure calumniam faciet. si quæ olim idolis, eadem modo martyribus offerantur, si quæ diebus Sabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quod ut Seneca epistola 66 Dii egerent lumine, sed pietatis ergo, eadem in Dei genitricis honorem sint translata? si insuper quæ in Saturnalibus cerei erogabantur, in solemnitatem occursus Domini & sanctissimæ ejus genitricis fuerint permutata? quid inquam mirum: si inolitas apud gentiles consuetudines, à quibus eos quamvis Christiani effecti, penitus posse divelli impossibile videretur, easdem in verum Dei cultum transferri sanctissimi Episcopi concesserunt?* Ait eminentissimus Baronius tomo 1, anno Christi 58, pagina mihi 520, quis enim cordatus dicet, quod his cæremoniis ex gentilitio more ad Catholicismum conversus *inquietentur Spiritus sanctorum?* non ergo inquietabuntur si cerei per diem in cœmeteriis à fidelibus accendantur.

Fateor in nullo hujus gravissimi Concilii Canone majorem hac me invenisse difficultatem, & multo majorem, si addas id quod dicit Hieronymus ubi supra, *Quod etsi hujusmodi cerei per diem accendantur erit quidem secundum zelum Dei, sed non secundum scientiam.* Quare ignorantia accendentes excusabit, non vera religio quam intendit docere Concilium excludens ignorantiam fidelium, quod admitti non debet.

Sed difficultati ne videar succumbere, id quod alii dicunt circa utrumque (prohibitionem scilicet & ejus rationem) subjungam ex Severino Binnio tomo 1. conc. p. 1. in adnotationibus ad Concilium Illiberitanum litera M, ubi duas interpretationes conjunxit, his verbis: *Concilium hoc agit de Neophytis qui more gentilium lucernas publice accendebant, non vero de his, qui ad cultum & gloriam Dei lucernas & cereos publice accendunt. Ita hunc Canonem in suis notis Garzia de Loaysa, hic interpretatur, estque ejus interpretatio vel ex hoc maxime probabilis, quod beatorum animæ sive in cœlo, sive in Purgatorio sint, nihil accensis cereis turbari possint. nec enim verisimile est Patres illius Concilii tam crassa ignorantia laborasse, ut sanctas animas nostris actibus perturbari existimarent. probabile igitur est quod Garzias hic dicit, Canonem hunc de spiritibus fidelium adhuc viventium intelligendum esse, quorum spiritus, seu mentes, hac cæremonia hoc tempore turbabantur, & scandalum patiebantur propter quemdam subreptitium ritus superstitiosi & gentilis abusum: nam gentiles ad sepulchra defunctorum faces accendere solitos esse testatur Suetonius in Tiberio cap. 98. aut certe propterea scandalo inquietabantur, quod animas Martyrum cereis accensis juvari putantes in errorem inducerentur.*

Verior tamen & probabilior interpretatio est Baronii, anno Christi 34, n. 312. & omissis verbis Binnii suppono verba Cardinalis, quibus honorifice loquitur de nostro Concilio quod alias parvi fecit. *Sed quoniam* (inquit) *nihil est tam sanctum, quod non possit humana pravitate perverti, vetuit Synodus Illiberitana nec accensis cereis super defunctorum sepulchra inquietarentur. Sed qui noverit ex divina Scriptura quid sit mortuos inquietare, intelliget profecto à sancta Synodo non facum accensionem, sed defunctorum animarum superstitiosis ritibus evocationem esse prohibitam; porro inquietare animas defunctorum nihil aliud esse, quam carminibus magicis aliisve superstitionibus adhibitis eas advocare, satis expressum habetur lib. 1 Regum, cap. 18. ex persona Samuelis sic dicentis, quare me inquietasti ut suscitarer? consuevisse gentiles ad sepulchra defunctorum faces accendere Suetonius tradit, solicitari quoque solitas ab ipsis animas defunctorum, Plinius lib. 28. cap. 2. plane significat, cum de communi illo loquendi usu pristino hæc ait: cur ad mentionem defunctorum testamur memoriam eorum à nobis non solicitari? id quidem non alia de causa, nisi ob frequentem usum advocandi, ac ut ajebant solicitandi, seu inquietandi animas defunctorum, loquendi consuetudine receptum erat. Abstulit ergo sanctissima Synodus superstitiosam facum accensionem ad sollicitandas animas defunctorum, sicut & sanctissima Synodus Tridentina superstitiosum numerum candelarum aliis ex causis interdixit.* hæc ibi. quam interpretationem sequitur Suarez 3. p. tom. 1. disp. 50. sect. 4. *Addens certum esse hac superstitione & periculo illius cessante, cæremoniam hanc non malam, sed potius honestam ac religiosam esse, utpote quæ ad divinum amorem, ac fidelium animos in spem gloriæ & æternæ vitæ futuræ excitandos ordinatur, ut testantur Paulus Diaconus in actu passionis sancti Cypriani; Greg. Nissenus in oratione funebri Miletii; Nazianzenus orat. funeb. Cæsarii; Damascenus lib. de mortuorum suffragiis. sicut igitur luxuriose apud sepulchra Martyrum convivari, teste Augustino lib. 1 de moribus Ecclesiæ, cap. 34. malum est & reprehensione dignum; contra vero religiose, modeste, recta fide & intentione ibidem cum fidelibus cibum sumere, eodem Augustino attestante lib. 8 de civitate, cap. 27. honestum est; ita cereos apud sepulchra Martyrum citra omnem superstitionem accendere non modo licitum, sed & pium est ac religiosum.* hæc fere ex Binnio.

Gabriel Vasquez tomo 1. in 3. p. disp. 112. cap. 7. n. 25. alia via interpretatur, Concilium dicens, solum prohibuisse usum cereorum accensorum per diem superstitiosum & gentilitium: putabant enim gentes, mortuos cum essent in tenebris sepulchrorum inclusi, juvari luminibus accensis, quibus ibi illustrabantur. qui cultus cum esset Deo ingratus, utpote superstitiosus, sanctis animabus displicebat. quæ displicentia inquietudo quædam dici potest, sicut ad Ephesios 4. n. 7. dicitur Spiritus sanctus peccatis nostris contristari, quia illi displicent. Verumenimvero cum Vasquez, interpretationem Baronii impugnet ex eo, quod Patres non poterant adducere pro ratione legis & Canonis, quod animæ sanctorum defunctorum inquietabantur, magicis incantationibus (sicut inquietata est Samuelis anima, quæ si vere de loco suo venit, ut existimant plures Patres, hoc fuit speciali Dei voluntate, & miraculo ad prædicendum Sauli mortem imminentem) quibus inquietari vere de loco suo nequiunt, etsi in phantasmate ope Dæmonis appareant, quæ apparitio inquietudo quædam est sanctarum animarum, sicut fuit

fuit inquietudo Samuelis, cujus anima juxta communiorem Patrum sententiam non vere mota est de loco suo sed in phantasmate, ut ex August. lib. 2 ad simplicia. q. 3 in secunda solutione tradit, D. Th. 22. q.95. art. 4 ad 2. & p. 1. q. 89. art. 8 ad 2. ex Isidoro lib.8. & etymolog. cap. 9. Tertulliano lib. de anima cap. 57. Cyrillo Alex. lib. 1 de adoratio in Spiritu. Athanasio, Nicceno q. 37 in script. Iustino q. 57 ad gentes. Auctore de mirab. sacræ Scripturæ lib.2. cap.2. & lib. qq. veteris & novi Testamenti q. 27, Basilio 8 cap. in Isaia, Eucherio, Beda, Salisberg. lib. 2 de nugis curia cap. 27. quam opinionem tunc temporis veriorem ad expugnandam superstitionem Patres Illiberitani sunt secuti, præcipue cum illo seculo non esset receptus pro Canonico liber Ecclesiastici. imo nec tempore Divi Thomæ, ut constat ex 1. p. q. 98. art. 8 ad 2. quare sicut impropriè & translatitie dicitur Spiritus sanctus tristari nostris offensis, ita translatitie dicuntur *inquietari Spiritus sanctorum.* dum eorum phantasmata in cantationum vi apparent. quare expositio Baronii quam mirifice enucleat eruditissimus D. Ferdinandus lib. 3, cap. 1. longe probabilior & textui hujus Canonis mentique PP. conformior est.

Qui cap. 3. aliam subjungit interpretationem, quod scilicet Patres Illiberitani prohibuerint interdiu accendi lumina in Martyrum cœmeteriis, ne lucentibus tot luminibus gentes certiores redderentur de Martyrum reliquiis, easque adducerent, & sic Clericorum spiritus majori sollicitudine acti inquietarentur, turbarentur, anxiarentur: olim enim sicut erant ostiarii, acolisti, exorcistæ, erant etiam Martyrum custodes, quod officium exercere debebant per aliquot annos antequam ad alios ordines majores adscenderent, ut statutum est à Sylvestro Papa, in Concilio Romano, & à Damaso in Pontificali, in vita Sylvestri. sed solutio ista Canonis, ejus menti non congruit, quia etiamsi noctu in cœmeteriis lumina accenderentur, gentes agnoscerent Martyrum sepulchra, ex quibus transferre possent sacra corpora, nec custodes sua potentia possent vim gentium coërcere.

His relatis interpretationibus, quæ sane piæ sunt & sufficientes ut hæreticorum ora obturentur, ea mihi videtur magis conformis intentioni Canonis, & Patrum menti congruentior, quod hic prohibeatur per diem, dum sacra in Ecclesia peraguntur, cereos accendi in cœmeteriis quæ extra Ecclesiam sita erant: tempore enim hujus sanctissimæ Synodi nullus etiam Martyr in Ecclesia sepeliebatur, sed in cœmeterio, & juxta Martyres fideles qui in pace deficiebant à vita, ut est res notissima. Visum enim est Patribus satis prudenter, ad mores fidelium valde pertinere, ne per diem quando in Ecclesia orationi deberent vacare, & assistere divinis officiis summa devotione, diverterentur ad cœmeteria ad cereos accendendos. Sic enim spiritus inquietantur sanctorum (non dicit Canon animæ) id est fidelium, & si vis, Episcoporum & Presbyterorum, per ingressum & egressum nimium aliorum qui ad accendenda luminaria egrediuntur vel regrediuntur: hujusmodi enim tumultu inquietantur Spiritus sanctorum, qui in Ecclesia vel cœmeterio summa quiete orationi vacabant. quod hodie in religionibus, quarum alumni in Ecclesia vacant orationi & contemplationi, (ut est nostra C. M. familia) summo studio vetatur nimius egressus aut ingressus, ne spiritus aliorum inquietentur. unde Ioannes Cassianus lib. 2 collation. cap. 10, sic fatur: *Cum igitur prædictas solemnitates, quas illi Synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui surgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur, ac præcipue cum consummatur oratio in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstantes impeditura, promuntur.* & infra: *Illum vero qui constitutus in tempore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid eorum quæ prædiximus è faucibus suis emittit, aut præcipue excreationibus prævenitur, dupliciter peccare pronuntiant. Primo quod orationis suæ reus sit, quod eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundo quod indisciplinato strepitu alterius quoque, qui forsitan intentius orare potuit, intercipit sensum.* Quasi dicat Cassianus summum silentium in Ecclesia est habendum, ne strepitu nimio aliorum qui orationi vacant inquietentur spiritus, ejus sensum intercipiendo. huc enim rationabilius attenderunt Summi Pontifices, dum constituerunt custodes Martyrum, hoc est Vigiles ad eorum cœmeteria, ne permitterent interdiu cereos accendere egrediendo & ingrediendo, ne cæteros fideles turbarent tumultu suo eorumque zelum indiscretum reprimerent. Iuxta hanc etiam consuetudinem ex parte, in multis Hispaniæ partibus in Ecclesiæ Cathedralibus sub anathemate prohibetur, ne dum divina celebrantur officia, fiant congressus aut negotiationis confabulationisve, tum ne turbentur *Spiritus sanctorum*, qui attendunt divinis, tum propter reverentiam officio divino quod celebratur, debitam. Et hoc modo facile intelligitur locus Hieronymi supra adductus contra Vigilant. *Interdiu enim luminaria in cœmeteriis accendere ex devotione erit quidem zelus Dei, at non secundum scientiam.* quia non bonus quia prohibitus lege conciliari.

Aliam hujus loci interpretationem adducit Baronius ubi supra, aliam Vasquez. sed confirmo hunc interpretandi modum ex doctrina antiquissimi Tertulliani ad uxorem lib. 2. cap. 4. & antiquioris sancti Ignatii martyris epistola 6 ad Magnesianos, dicentis: *Omnes ad orandum in ædem loci convenite, sed una communis precatio, una mens, una spes, omnes velut unus quispiam ad templum Dei convenite.* Qui usus diutius perseveravit in Ecclesia, adeo quod Chrysost. hom. 1 in caput 8 Isaiæ, reprehendit eos qui ab usu hoc deviant, toto corpore tumultuantes, isti enim spiritus sanctorum qui devote orant, inquietant. & juxta hanc phrasim loquitur Concilium Illiberitanum in hoc Canone, contra eos qui accendentes cereos per diem quando, cæteri sunt congregati fideles in Ecclesia ad orandum. de quo amplius §. 7. sequenti.

SECTIO VII. *Defenditur Canon trigesimus quintus, qui est de Vigiliis ad cœmeteria Martyrum.*

CAnonis verba sunt: *Placuit prohiberi ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant.* Graviter sanctus Gregorius Niccenus oratione de sancto Theodoro, ponderat discrimen inter sanctorum Martyrum corpora & reliquorum hominum, qui sanctitate non functi defuncti fuere, his verbis: *Martyris anima, ex quo sublimis abiit, in loco suo requiescit, & corpore soluta cum suis similibus vivit, corpus vero venerandum & immaculatum illius instrumentum, quod suis vitiis & affectibus illius inhabitantis incorruptibilitatem non læsit, cum multo honore & cultu compositum atque ornatum in augusto sacroque loco situm est, quod veluti res chara, magnique æstimata, atque recondita in tempore regenerationis* refer-

reservatur, multis singularibus & eximiis rebus præditum, propter quas ad alia corpora, quæ communi ac vulgari morte dissoluta sunt, nec comparandum quidem est, idque insimili materia naturæ; nam ceteræ quidem reliquiæ etiam abominabiles plerisque sunt, lubenter qui sepulchrum prætterit, aut si ex opinato apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum quæ inibi jacent, faciem operiens, omni injucunditate repletus, & humanæ naturæ conditioni graviter ingemiscens prætercurrit. & infra subjungit: *His igitur arte laboratis operibus, quæ sensui exposita sunt, ubi oculos oblectavit, cupit deinceps etiam ipsi conditorio appropinquare sanctificationem, ac benedictionem, contrectationem ejus esse credens. quod si quis etiam pulverem, quo conditorium ubi Martyris corpus requiescit obsitum est, auferre permittat pro munere pulvis accipitur, ac tanquam res magni pretii condenda terra, colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua prospera fortuna contingit ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum sciunt experti, & ejus desideriis compotes facti; quasi corpus enim per se vivens & florens qui intuentur, amplectuntur oculis, ori, auribus, omnibusque sensuum instrumentis adhibentes, deinde officii atque affectionis lacrymas, martyri quasi interesset & appareret, superfundentes, ut pro ipsis deprecator intercedat supplices preces offerunt, tanquam satellitem Dei orantes, quasi accipientem dona cum velit invocantes. ex his omnibus ô popule pie discite, quod pretiosa & honorata coram Domino sit mors Sanctorum ejus*, &c.

Ex hoc charitatis in Martyres sanctos fervore, & ardenti devotione, & fervoroso fidelium affectu, ortum duxerunt varii ritus, variæ ipsorum demonstrationes externæ, quibus suam in illos venerationem ostentabant, modo cereos, lampades, lychnos noctu diuque in eorum cœmeteriis accendendo, quorum non devotum & religiosum usum, sed abusum, quo inquietabantur spiritus fidelium orationi vacantium, hoc est tumultu accendentium cereos, ingredientium & egredientium vel Ecclesiam ipsam, vel cœmeteria quibus fideles perseveranter assistebant: his enim locis omnis tumultus abesse, & omne silentium esse debet, ut docent Nazianzenus oratione 19 in laudem Patris sui, ubi laudat matrem Nonam quod in sanctis conventibus aut locis nunquam illius vox audita sit. Chrysost. hom. 38 ad pop. Antioch. Pelusiota. lib. 1, epistola 45. Ambrosius lib. 3 de Virginibus. Augustinus serm. 251 de temp. Basilius in Psalm. 28. unde sanctus Clemens Romanus lib. 8. cap. 11 dicit, quod *suo tempore quidam ex Diaconis in templo deambulabant, contemplantes viros & mulieres ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret, aut mussitaret, aut dormitaret.* & quod in Ecclesia faciebant Diaconi, in cœmeteriis faciebant, ut dixi supra, custodes martyrum, ob quorum reverentiam ne spiritus Sanctorum fidelium orantium inquietarentur, prohibitum est per diem cereos accendere; noctu autem accendi poterant, tum quia non erat tantus concursus, tum etiam quia ad tenebras pellendas erant necessaria luminaria accensa.

Ex Martyrum veneratione orta fuit consuetudo laudabilis, cum modestia faciendi Agapas & convivia ad Martyrum sepulchra. Agape enim, teste Tertulliano in Apolog. cap. 39, nomen Græcum cœnam proprie significat. *Cœna*, inquit, *nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη*, id est, quod dilectio apud Græcos est. *quantiscumque sumptibus constet lucrum est, putatis nomine facere sumptum.*

Hujus Agapes & Christianorum cœnæ, quæ post Dominicum corpus in Ecclesia fiebant, magnus abusus fuit apud Corinthios tempore S. Pauli, ut constat ex 1 epistola, cap. 11. quos graviter reprehendit Apostolus, dicens: *convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam cœnam manducare; unusquisque suam cœnam præsumet ad manducandum. numquid domus non habetis ad manducandum & bibendum? aut confunditis eos qui non habent?* Corinthei enim (ut ait Chrysostomus ibi hom. 27.) *statis diebus mensas faciebant communes, & peracta synaxi, post Sacramentorum Communionem imbant convivium.* in quo ut testatur Beatus Eligius homil. 15, *quidam illorum in foribus templi præparabant sibi convivia, in conspectu pauperum, ipsisque expectantibus nihil erogabant*, quam immisericordiam damnat Paulus, & ad eam evitandam Tertulliani tempore collecta fiebat ex fidelium eleemosynis, quas voluntarie exigabant ad sustentandum pauperes. In his festivis diebus vel Ecclesia ipsa, si dives esset, ἀγάπην faciebat, ut sanctus Gregorius Magnus lib. 1. Registri epistola 52, alias 54, mandat Petro Diacono. unde idem epistola 71 lib. 9 hujusmodi convivia & ἀγάπας commendat fieri. *Ut die dedicato vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum ibi Reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitates celebrent, ut dum eis aliqua exterius gaudia ad interiora gaudia consentire facilius valeant.* id quod lege sua ablatis Paganorum sacrificiis & templis, Arcadius & Honorius Imperatores statuerunt, de his sumptuosis Agapis, & conviviis sumptuosis canit S. Paulinus in natali S. Felicis VI. in his enim conviviis Martyrum sepulchra ornabant floribus odoriferis. Ambrosius de obitu Valentiniani. Hieronymus epistola ad Parmachum de obitu uxoris: *ceteri mariti super tumulos spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos*, & ut ait Prudentius in Catamer. Hymno de defunctis:

Nos tuta fovebimus ossa
Violis, ac fronde frequenti;
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Hanc Agapam seu convivium triplex invenit Nazianzenus, *de vitæ differentiis*, ex triplici causa, qua celebrari solebant insuper, ad sacrum aliquod epulum vel natalitium, vel funebre, vel connubiale cum pluribus currens, de quibus late Baronius probans ex Patribus tom. 1, ad annum Christi 57, pagina mihi 468 & 469. ad ejusmodi autem sacras epulas invitabantur omnes in ordine Ecclesiastico constituti, & unicuique juxta suum gradum pars dabatur, ut clare constat ex Clemente Romano lib. 2 constit. cap. 32, quare dum in Concilio Laodiceno sub Sylvestro, Canone 27 dicitur, *quod non accipiant ciborum partes Clerici ad Laicorum agapen vocati*, intelligitur de acceptione violenta. quod colligitur ex ratione quam subdit Concil. *propterea quod hinc Ecclesiastico ordini fit injuria*; vel *non accipiant ut domum eas mittant*, ut explicat glossa. cap. non oportet. 42 dist.

Quare cum Gentiles in Deorum suorum natalitiis agapas & cœnas, immodeste & turpiter convivantes, facerent, ut Mapheus narrat lib. 6 Historiarum, à temporibus Apostolorum ejusmodi turpes & gentilitias epulas in Christianas mutavit usus Christianorum; qui ab Apostolo instructi cum summa modestia & charitate eas peragebant in conventibus ad martyrium cœmeteria, in quibus eorum corpora sepulta erant, vel in Ecclesiis dicatis ipsorum nomini, ut egregie Theodoretus lib. 8 Historiarum in fine. etenim in Agapis Christianorum in primitiva Ecclesia, cœna tenui utebantur fideles, (ut de Essenis dicit Philo lib. de vita contemplativa, ut ad laudes Deo dicendas & pervigilandum essent aptissimi;) unde si in eis, ut ait Tertullianus lib. de jejuniis, *Deus venter*

 est,

est, & pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos cocus, Spiritus sanctus nitor, & condimenta charismata, & ructus prophetia, & agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet, non agape Christianorum sed gentilium Ethnicorum est, & prorsus reprobanda, ne sub honore Martyribus faciendo in terris inhonoretur Deus, & illis summopere displiceat in cœlis.

Vnde Augustinus epistola 64 ...... dixit: *commessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum non solum per dies solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit) sed etiam quotidie celebrentur. quæ fœditas si tantum flagitiosa & non etiam sacrilega esset, quibuscumque tolerantiæ viribus sustentandum putaremus.* & infra: *saltim de sacris sepulchris, saltem de locis Sacramentorum, & domibus orationi tantum dedicatis arceatur. sed quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates, & luxuriosa convivia, non solum honores martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur facilius illic dissuaderi posse istam fœditatem & turpitudinem.* & sic fecit ejus sanctissima mater Monacha, ut refert 6 Confess. cap. 2, & de ea sic loquitur: *Itaque ubi comperit à præclaro Prædicatore atque Antistite (Ambrosio) pietatis præceptum fuisse ista non fieri, nec ab eis qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuisse libentissime, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum adferre didicerat, ut & quod posset daret pauperibus, & sic communicatio Dominici corporis illic, celebraretur cujus passionis imitatione immolati & coronati sunt Martyres.*

Hinc multi Patres Ecclesiæ Orientalis in Concilio Laodiceno congregati, Canone 18 sanxere, *ne liceat agapas in Dominicis vel Ecclesiis facere*, quæ verba repetuntur Can. 74. Trullano, & idem statuitur in Concilio Africano, circa tempore Bonifacii I, & in Antisiodorens. cap. 1, & in Arelatens. 3, cap. 5, ubi id probant Patres multis Sanctorum legis scriptæ exemplis, qui planctu magno Sanctorum defunctorum excubias & exequias celebrarunt, *quis enim nesciat diabolicum esse, & non solum à Catholica religione alienum, sed & humanæ naturæ esse contrarium ibi lætari, cantare, inebriari, cachinis ora dissolvi*, &c. unde sanctus Paulinus natali 9 sancti Felicis, conqueritur quod in ejusdem sancti æde populus epulabatur:

Gens male credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.

Verumenimvero triplex illud genus epularum, & agapes apud Christianos, multis in locis in hodiernum usque in diem laudabiliter perseverat, ut notat Baronius, ubi supra. & in nostra Hispania mos iste viget, dummodo intus Ecclesiam manducare vel accubitus sternere non liceat; bene tamen in cubiculis junctis Ecclesiis, & eremitoriis in quibus confratres suas Agapas & fraternale convivium soliti sunt celebrare, quod Patres supra inducti non prohibuere.

Ex quibus constans est, omnino fuisse testimonium falsum quod Ethnici antiqui priscis Christianis imponebant, quod in Agapis suis & conviviis infanticidium committebant, quo suas celebrabant festivitates & natalitia Martyrum; hoc enim falsissimum esse demonstrat Tertullianus in Apolog. cap. 7. Athenagoras oratione pro Christianis. Origenes contra Celsum lib. 7. Theophilus Anti. lib. 3 ad Autolicum. hujus imposturæ occasionem dedere varia deliramenta hæreticorum, qui ore tenus Christum initio Ecclesiæ confitebantur, ut fuerunt Gnostici, de quibus Epiphan. hæres. 6, *Isti enim hospitibus suas uxores committebant, dicentes eis ut facerent charitatem cum proximo suo, & simul ad coitum irent. si præter sententiam accideret ut pregnans facta fuerit mulier, quid gravius & horribilius designent tales audi. detractum fœtum, quocumque tandem tempore id aggressi fuerint, accipiunt, & in mortario quodam pistillo tundunt, & admixto melle & pipere, aliis quibusdam aromatibus & unguentis ad avertendam nauseam, sic congregati, omnes porcorum ac canum horum Sodales, participes fiant contusi pueri; atque sic humanæ carnis esu peracto deinde preces fundunt ad Deum, & hoc perfectum Pascha dicunt.* & hæresi 48 de Quintilianis, Priscillianis & Peputianis: *horrendum* (inquit) *ac nefarium quoddam opus fieri dicunt: puerum enim quendam valde infantem, in festivitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes, sanguinem ipsius sibi ipsi comparant ad apparatum sacrificii.* Eadem refert hæresi 24 de Montanistis: sed divus Hieronymus epistola 54 ad Marcellam contra Montanum, hujus falsitatis Christianis impositæ rationem dedit: *Prætermitto scelerata mysteria quæ dicuntur de lactente puero & de Victore Martyre confarrata. Malo inquam non credere. sit falsum omne quod sanguinis est.* in quæ verba Marianus num. 9, *minutis punctionibus pueri corpus perfodiebant (Montanistæ,) ex eoque sanguine farinam pro Eucharistia madefaciebant. si contigisset puerum mori pro Martyre habebatur, si vivere, pro magno Sacerdote: hinc illa de puero occiso qui comederetur, in omnes Christianos diffamatio, ut ex veteribus Iustinus Minutius, & alii dum id objicientibus respondent meminere.* Sed Christianos à falso testimonio liberat scribens Trajano lib. 10. epistola 97 Plinius. gravius tamen & efficacius Tertullianus in Apologetico cap. 39.

Ex eadem radice charitatis & venerationis in sanctos Martyres, orta fuit laudabilis consuetudo Vigiliarum ad eorum sacra corpora & reliquias, circa quas pervigilare mulieres prohibet Illiberitanum hoc Canone, moti Patres ex motivo honestissimo, de quo infra; modo autem circa Vigilias martyris aliquid non injucundum prælibandum. fuit enim Vigiliarum mos antiquissimus etiam in lege veteri, in qua passim occurrent testimonia eas probantia 1 Reg. 15, num. 25. Isaiæ 26. num. 12. Psalm. 101, vers. 10. in Novo etiam multa, Lucæ 2, vers. 16. & Lucæ 6, vers. 8. & 2 ad Cor. 6, vers. 17. cæterum hæc omnia testimonia etsi probent Vigilias particulares in propriis domibus & cubiculis, in quibus vacant sancti orationi & lacrymis coram Deo, quas nullus negavit qui S. Scripturam admittat. non tamen clare probant Vigilias publicas in Ecclesia faciendas convenientibus fidelibus, ut tota nocte vel majori ex parte pervigilent in oratione, in Vigiliis & in Canticis, vel antelucano tempore, torpore lectuli spreto exurgentes, Psalmos canant, & Eucharistiam sumant de manu Præsidis, Episcopi aut Presbyteri, ut mos fuit antiquissimus in Ecclesia, ut vel infideles testantur.. Philo de vita contemplativa. Plinius epistola 97 citata, quarum meminere Tertullianus in Apolog. cap. 2. Orosius lib. 7. cap. 12. Eusebius lib. 3. cap. 26, has inquam, Vigilias factas publicas à cœtu fidelium in Ecclesiis, vel martyrum cœmeteriis, non ita clare probatur ex sacra pagina, quamvis illarum sit aliquod vestigium Iudith cap. 6. vers. 20, dum dicitur: *convocatus est populus per totam noctem ad Ecclesiam.* verum eas licitas esse jam ostendo.

Igitur Vigilantius Presbyter Barchinonensis, etsi natione Gallus, in eo fuit somniculoso errore ut omnes Vigilias nocturnas, sui nominis oblitus factus, Dormitantius, ab Ecclesia excluserit, præterquam Vigiliam Paschæ. quem errorem Wicleffitæ & novissime Hugonoti renovarunt, quibus omnibus priores fuerunt Hæretici dicti Noctages, asserentes Vigilias noctur-

nocturnas non solum esse vanas, sed Deo injuriosas, qui noctem ad somnum & quietem fecit, ut referunt Isidorus lib. 1 de officiis cap. 22, & lib. 8 Etymol. cap. 5. Rabanus lib. 2 de Instit. Clericorum cap. 9. Verum Noctages isti manifeste rejiciuntur ex veteri & novo Testamento. Psalmo 101, *Vigilavi sicut passer solitarius.* 1 Reg. 15, *Contristatus Samuel clamavit ad Dominum tota nocte.* & Psal. 118, *media nocte surgebam.* & Lucæ 6; *Erat Iesus pernoctans in oratione Dei.*

Verum contra Vigilantium pluribus insurgit Hieronymus, epistola 53 ad Riparum, & lib. 1 in ipsum, tum *ad hominem*, tum ex aliis capitibus in epistola dicit: *quod dicis Vigilantium Vigilias execrari facit hoc contra vocabulum suum ut velis dormire Vigilantius, & non audiat Salvatorem dicentem, sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* dormitat itaque Vigilantius, ut ab exterminatore Ægypti cum Ægyptiis suffocetur. & lib. adversus Vigil. cap. 2, *Exortus est itaque Vigilantius seu potius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnat contra Christi Spiritum, & damnandas dicit esse Vigilias.* & cap. 4, faciens mentionem epistolæ 53 ad Ripar. defendit Vigilias in cœmeteriis Martyrum, & *ad hominem* arguit contra Vigilantium, sic: *error autem juvenum, & vilissimarum mulierum non est religiosis hominibus imputandus, quia & in Vigiliis Paschæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni, quia & absque Vigiliis possunt errare vel in suis vel in alienis domibus. Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit. & nostras ergo Vigilias malæ aliorum Vigiliæ non destruent, quod enim semel fecisse bonum est, non potest esse malum si frequenter fiat, aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quod sæpe, sed ex eo quod fit aliquando culpabile est. non vigilemus itaque diebus Paschæ, ne expectata diu adulterorum desideria compleantur, ne occasionem peccandi uxor inveniat, ne maritali non possit recludi clave.* quare scribens ad Lætam epistola 7 instruit filiam quomodo facere debeat Vigilias & solemnes pernoctationes. & epistola 22 ad Eustochium dicit: *esto cicada noctium.*

Et sic omnes fere Ecclesiæ Proceres Patres vigilias nocturnas & antelucanas ad Martyrum cœmeteria & in Ecclesiis defendunt. Basilius epistola 63 ad clericos Ecclesiæ Neocæsarianæ, & in Psal. 114, ubi de Vigiliis in Martyrum cœmeteriis. Chrysost. homil. 42 ad Populum, & 26 in Acta. Augustinus serm. 56 de tempore & 251. & homil. 26. lib. 50. hom. & serm. 115 juxta editionem & censuram Lovaniensium. Ambrosius sermone 19 in Psalmo 118, & in Psal. 109, expresse Vigilias commendat. quare ut egregie adnotat Cardinalis Baronius, in adnotat. ad diem 5 Ianuarii, male quosdam dixisse S. Ambros. persuasione sanctæ Monicæ Vigilias ab Ecclesia proscripsisse. hoc enim omnino falsum, est cum tempore persecutionis Arrianorum esset B. Monica Mediolani, & tunc Vigiliæ vigilantius, sanctius, purius ac propensiori studio quam unquam antea fuerint celebratæ. quare serm. 25, qui ut Augustini circumfertur ad fratres in eremo, in quo Vigiliæ ab Ecclesia Mediolanensi exterminantur, Augustini non est, ut constat ex censura novissima Lovaniensium; non igitur Augustinus, non Ambrosius aut quilibet alius orthodoxorum Patrum his temporibus Vigilias Ecclesiasticas abrogavit, vel minuit, sed contra Vigilantium aut Dormitantium propugnavit. Vbi in Concilio 1 Aquisgranensi, sub Stephano V & Ludovico I anno 818, cap. 130 dicitur: *antiqua est Vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis.* quare nullum Ecclesiæ decretum, aut Concilii alicujus Canon est, quo Vigiliæ nocturnæ ad Martyrum sepulchra prohibeantur.

Verum est quod frigescente charitate & fidelium devotione, hujusmodi nocturnæ & antelucanæ Vigiliæ consuetudine contraria oblitæ sunt, præter quam feria 3 in cœna Domini, Vigilia Natalis & Paschatis, in quibus diebus plures fidelium pervigilant in Ecclesiis, quamvis ob gravia inconvenientia Romæ & alibi pernoctare prohibeatur, manserunt tamen Vigiliæ nocturnæ & antelucanæ in Ecclesiasticis & Regularibus viris & fœminis, qui media nocte ad matutinum, vel ante lucem diei ad galli cantum, ad laudes Deo canendas exurgunt, quas antelucanas Vigilias nos Clerici Minores facimus, qui ad matutinas horas & orationem mentalem exurgimus omnes, quæ hora procul dubio commodissima est, cum necessarium non sit post orationem finitam iterum cubitum ire, ut ait Cassianus lib. 2 institut. c. 13, cujus rationem reddit: *Ne forte purificationem nostram nocturnis Psalmis & Orationibus acquisitam, invidus inimicus quadam somni illusione contaminet.*

His prælibatis insurgit Canonis nostri difficultas cui ex diametro videtur opponi D. Hieronymus: *Nam paucorum culpa non præjudicat religioni, error enim juvenum & vilissimarum mulierum non est religiosis hominibus imputandus, nostras ergo Vigilias malæ aliorum Vigiliæ non destruent,* cur ergo ob peccata quæ infimæ notæ mulieres latenter faciunt bonæ mulieres prohibentur vigilare, sicut prohibentur Vigiliæ superstitiosæ in Concilio Antisiodorensi sub Gregorio I, anno 591, celebrantur enim in festivitatibus sanctorum vario superstitionum genere vigiliæ, quas prohibet Concilium, non vero quæ fiunt in Ecclesia quas approbat dicens: *sed quicumque votum habuerit in Ecclesia vigilet*, & absolute Vigilias approbat Canone 11.

De Canonis 5 hujus Concilii intelligentia diserte & erudite D. Ferdinandus de Mendoza lib. 3. cap. 4, ex quo accipio hujus Canonis veram & germanam intelligentiam. non enim Patres Hispani ignari erant consuetudinis Christianorum, qui Vigilias in Ecclesiis faciebant à temporibus Apostolorum. quare non absolute prohibent fœminas pervigilare in Ecclesiis, sed in cœmeteriis, in quibus major erat opportunitas obtentu orationis & religionis latentur crimina inhonesta committere; Cœmeterium enim erat crypta *quædam subterranea in terrarum profunda defossa, ex utraque parte ingredientium per parietes, habens corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia ut raro desuper lumen dimissum terrorem temperet tenebrarum, ut tam fenestram quam foramen dimissi luminis putes, rursum quum pedetentim acceditur ex cæca nocte, circumdatis illud Virgilianum proponitur,*

Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent.

Hæc Hieronymus de Romanis cœmeteriis, similia habet Prudentius hymno 11,

——— nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum.

Et quidem ita est, ut ego vidi in cœmeterio Calixti, in quo sunt longissimæ & diversæ viæ, ex utroque latere plenæ corporibus sitis in parietibus, & ad diversa spatia sunt quasi quædam capellæ quadratæ, in quibus & sacrificia fiebant & vigiliæ, ut probat Onufrius lib. de ritu sepeliendi mortuos, enumerans Romana cœmeteria. in cœmeteriis enim antiquitus persecutionis tempore Episcopi Synodos congregabant, fideles Psalmos canebant, & eis Sacramenta administrabantur, ut dicunt Clemens Romanus lib. 7 constitut. cap. 29. Athanasius in Apologia pro fuga sua, imo & Agapæ fiebant, quas ibi detestatur Augustinus epistola 64 ad Aurelium, cui præscribit formam qua leniter & suaviter auferantur propter in-

convenientia & absurda quæ ex ipsis illis locis factis sequuntur, quæ non sequuntur si domi fiant. ita Patres Illiberitani non absolute prohibent fœminas pervigilare; sed in cœmeteriis, in quibus ex natura loci & humana fragilitate, major est oportunitas latenter committendi crimina. si enim Halicarnasseo teste l. 2. antiquitus erat prohibitum viris in virginum vestalium æde pernoctare, propter turpitudinis suspicionem; quanto magis rationabiliter Patres Hispani prohibent ex eodem motivo, ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent. quod ego singulariter intelligo simul cum viris, quia si solæ pervigilarent non esset prohibendum. cum in tali casu legis motivum deficiat.

Cæterum jam hodie laicorum hominum Vigilias ubique locorum fere in desuetudinem abierunt, & mutatæ sunt in jejunia, quod his verbis tradit Guilielmus Durandus lib. 6 de Divinis officiis cap. 7, *Jejunium dispensationis est, quod celebratur in vigiliis solemnium dierum & magnarum festivitatum, ut Natalis Domini. quæ ideo dicuntur Vigiliæ, quoniam antiquitus in præcipuis festivitatibus duo nocturnalia agebantur officia, & populus, qui ad festa venerat, tota nocte in Dei laudibus in Ecclesia vigilabat. quod adhuc Romæ* (suo tempore) *& in plerisque locis in magnis festivitatibus, præsertim sanctorum Patronorum Ecclesiarum, observatur; sed quia lusores & cantores veniebant & turpibus cantilenes & saltationibus, & comessationibus, potationibus, & fornicationibus intendere cœperunt, propter hæc & multa alia inconvenientia quæ fiebant, hujusmodi Vigiliæ sunt interdictæ, & institutam ut loco earum fiant jejunia, quæ jejunia adhuc retinent nomen officii: nam communiter vigiliæ & tamen jejunia nuncupantur. siquis tamen jejunaret & honeste in Ecclesia vigilaret, utique bene faceret, prout fit in nativitate sancti Ioannis Baptistæ, propter ejus reverentiam.* similia habet Belletus lib. de Divinis officiis cap. 11. Et hæc de hac digressione.



GABRIE-

GABRIELIS ALBASPINI,
Episcopi Aurelianensis,

NOTÆ ET OBSERVATIONES,

In Canones II, III, IV, XL, LV, LVI, LIX, Concilii Illiberini.

Ex ipsius observationum libris decerptæ & seorsim editæ, ad illustrationem loci Actor. XIX, vers. 31, & controversiæ de Idololatria indirecta.

CANON II.

De Sacerdotibus Gentilium, qui post Baptismum immolaverunt.



Flamines qui post fidem lavacri & regenerationis sacrificaverunt: eo quod geminaverint scelera accendente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia: placuit eos nec in fine accipere communionem.

Flamines, id est Christiani, qui sacerdotio gentilium fungebantur: quamvis enim non liceret Christianis, hæc munia & honores gentilium ambire & persequi: nonnulli tamen aut ambitione ducti, aut coacti, hæc sacerdotia suscipiebant & petebant: Cum enim apud populares aliquo in honore essent Flamines, & populi gratiam muneribus, aut ludis facile sibi conciliarent, reperiebantur inter Christianos qui spreta religione hos honores flagitarent; nonnulli etiam inviti ad ea munia cogebantur, quia erant patrimonialia, à quibus nemo excusabatur, ut ex codice Iust. manifestum fit, & ex Hieronymo in vita Hilarionis: his de causis reperiebantur Christiani qui essent Flamines gentilium, in quos Hispani Patres has pœnas constituunt. neque vero audiendi sunt qui putant hic agi de Christianis, non qui erant re ipsa Flamines, sed qui ante lavacrum hæc sacerdotia functi essent. Nam cur potius ageret de his, qui fuerant Flamines, quam de aliis qui nunquam fuerant Flamines, qui nihilominus post fidem sacrificaverant? Nonne ineptum videretur si Canones ita se haberent: Sutores aut Sartores qui post fidem sacrificarunt, quia cum Flaminum Sutorum, Sartorum non gravius sit peccatum quam aliorum, si omnes illis Diis sacrificassent, non debuit Canon hos potius corrigere quam alios: deinde hæc verba, Flamines *qui munus tantum dederint*, indicant agi de Flaminibus qui revera post lavacrum flaminia susceperant: quemadmodum etiam illos Flamines si Catechumeni, ostendunt agi de Catechumenis qui actu & reipsa erant Flamines, non qui fuerant.

Post fidem lavacri, cujus rei rationem supra dedimus.

Sacrificaverunt, mos erat ut qui ludis præerant, Diis sacrificarent; Flamines igitur qui in municipiis, (nam Romæ non præsidebant ludis) tenebantur ex more sacrificare, antequam ludos aperirent: *Eo quod geminaverint*, sed quomodo sacrificando triplici hoc crimine poterant sese polluere? Nam hæc verba *eo quod*, indicare videntur quod Flamines duo hæc alia crimina committerent sacrificando. sunt qui de floralibus hæc accipienda esse putent, in quibus multa turpia & obscœna visebantur: & de gladiatoriis muneribus, quibus sanguine & morte miserrimorum hominum populus recreabatur. Cum enim Flamines in provinciis & municipiis hæc spectacula ederent, & mœchiæ & homicidii scelus commisisse dicuntur hoc Canone, non quod mœchati essent, aut quempiam interfecissent; sed dicuntur ea commisisse, quod spectacula præberent in quibus hæc scelera perpetrabantur. Nonnulli hæc ita dicta putarunt, non quasi conjunctim & simul in hæc tria crimina incidissent Flamines, sed si forte reperiantur Flamines qui præter scelus sacrificii & Idololatriæ, aliis insuper sese inquinassent, ii communione in fine priventur.

Vel triplicaverint facinus, lapsi triplicabant facinus, veniaque vel in morte indigni censebantur, si homicidium & mœchiam cum Idololatria in se suscepissent, non autem si alia quævis crimine admisissent: neque hujusce judiciis alia potest esse ratio, aut causa, nisi quod alia omnia nec summa, neque capitalia unquam, aut perpetuâ pænitentiâ & animadversone digna, visa sint. Tribus vero illis, homicidio scilicet, mœchiæ & idololatriæ, cum non multo ante hac Concilium, pax & venia esset relaxata, merito qui horum simul omnium reus esset factus, eadem pœna, qua paulo ante diversa, puniebatur; atque ea est causa quamobrem de aliis criminibus non loquuntur Illiberini Patres.

CANON III.

De eisdem, si idolis munus tantum dederunt.

Item Flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se à funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen ligitimâ pænitentiâ: Item ipsi, si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur.

Qui non immolaverint, poterant non immolare quamvis suis sumptibus spectacula ederentur: nam aliquis alius flamen poterat præesse & præsidere.

Sed munus tantum dederint, omnes hos Canones de lapsis explicant nonnulli: ideo per munera, dona intelligunt, & pecuniam quam præsidibus offerebant lapsi, ne sacrificarent; verum munus hoc loco, ni fallor, ludos & spectacula significat quæ Flamines præstare cogebantur, & in quibus solebant sacrificare: ajunt igitur Patres veniam iis esse concedendam in fine, qui Flamines fuerint & non sacrificaverint,

 quam-

quamvis ludos præbuerint & munera, si modo hanc culpam legitima expiaverint pœnitentiâ.

In fine eis præstari communionem, quam gravem & acerbam vindictam exercebant in eos qui sacerdotia gentilium ambiebant aut suscipiebant, quamvis non sacrificarent.

Acta tamen, hoc est, qui pœnitentiam sibi impositam alacriter subierant: nam si eam neglexissent aut segnius arripuissent, aliter cum eis erat agendum: non autem hoc ita accipiendum, quasi momento illo temporis quo morerentur, legitimam possent agere pœnitentiam.

Legitima pœnitentia, ut pœnitentia censeretur *legitima*, non satis erat explere tempus constitutum ab Episcopo, ut volunt Garsias & Binius, sed ea legitima vocabatur, quam bona fide ducebant pœnitentes, & cum domi & in Ecclesia, noctu & interdiu perpetuis ærumnis sese exercerent, & lachrymis, fletibus & multis præterea signis animi dolorem clam & publice testarentur. Illegitima autem dicebantur, quando pœnitentes languidius eam subirent, & parum dolerent de peccatis, quamvis præscriptum tempus explerent.

Si post pœnitentiam, id est, si post concessam pœnitentiam, non vero expletam, sed concessam ab Episcopo, & ita accipiendum suadent quæ prius habentur, *in fine eis præstari communionem*. Si enim in fine duntaxat præstari debeat communio: certum est eo usque pœnitentiam durasse & constitutam fuisse, & non finiisse ante mortem: quare illud, *post*, significat, si post concessam pœnitentiam, & si cum agunt pœnitentiam, ejusmodi Flamines mœchabantur.

Ne lusisse, sed quomodo quæso de communione ludere poterant, quam non possidebant? Nam agit de his qui perpetuæ pœnitentiæ essent addicti. Sed ludere de communione dicuntur, si peccant pœnitentes dum agunt pœnitentiam: quia quo tempore magis prospicere deberent, ne ea indigni viderentur, eo ipso novis peccatis sese obligant.

De Dominica communione, quamvis Eucharistia nonnunquam vocetur Dominica communio, simplex tamen communio, id est, jus in societate & corpore fidelium, hoc etiam nomine appellatur, quod uniat & conglutinet pœnitentes corpori Domini Nostri Iesu Christi. Cæterum vides hunc Canonem nihil minus adversari, quam Canonibus Petri Alexandrini (ut existimat Binnius in suis notis) quibus licebat ab impiis sacrificiis pecunia sese redimere: nam hoc Canone agitur de Flaminibus qui ludos ediderunt populo & non sacrificaverunt, ut diximus, non vero de his qui pecunia obtinuerant à Præsidibus ne sacrificarent.

CANON IV.

De eisdem, si Catechumeni adhuc immolant quando baptizentur.

ITem, *Flamines si fuerint Catechumeni, & se sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad Baptismum admitti debere.*

Si fuerint Catechumeni, ubi statuerunt de fidelibus, mox de Catechumenis agunt, in quo lenius multo & mitius animadvertunt quam in fideles, ut alibi dicemus capite de pœnitentia Catechumenorum. Sed quid agendum esset si Catechumeni Flamines sacrificassent? non explicant Patres; nescio an gratia Baptismi in perpetuum privarentur; non existimo tamen. sed quantum conjicere possum, ante mortem non baptisabantur.

CANON XL.

Ne id quod idolothytum est, fideles accipiant.

PRohiberi placuit, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad Idolum datum fuerit acceptum non referant; si post interdictum fecerint per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos.

Ex Poëtis illud haurias, è terræ frugibus Diis suis libare & offerre solitos ethnicos; quod per Canonem Christianis facere non licet.

CANON LV.

De Sacerdotibus Gentium, qui jam non sacrificant.

SAcerdotes qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid ad Idola præstant, placuit post biennium accipere communionem.

Sacerdotes. Sole meridiano clarius est de Christianis qui paganorum sacerdotes essent, verba fieri, non autem ut quidam existimant de iis, qui antequam Christianam fidem complexi essent eo Sacerdotum officio fungerentur: Vnde conjicias non obscure confirmari ea, quæ prioribus Canonibus attulimus, in his de Flaminibus disputari qui Christiani essent, non autem qui fuissent: nec enim unquam per Canones videas ea castigari peccata, quæ ante Baptismum committentur: quin neque Canon, neque locus ullus, neque auctoritas Patrum afferri potest, quæ id probet. Plurima autem variaque erant Idololatriæ genera apud ethnicos. Ideoque super Canones supra citatos, Patres illi genus aliud animadversionis aut pœnæ decreverunt in sacerdotes Paganorum, tametsi aliud nihil quam coronam gestarent, neque ullos, quo diis honos persolveretur, sumptus facerent.

CANON LVI.

De Magistratibus & Duumviratibus.

MAgistratum vero uno anno quo agit Duumviratum, prohibendum placuit, ut sese ab Ecclesia cohibeat.

Vno anno, quod Duumviri, non ultra annum unum Magistratum protraherent.

CANON LIX.

De fidelibus ne ad Capitolium, causa sacrificandi ascendant.

PRohibendum ne quis ut Gentilis ad Idolum Capitolii, causa sacrificandi, ascendat & videat; quod si fecerit pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos acta pœnitentia recipiatur.

Arbitror ita legendum esse causa sacrificii, subintellige videndi; nam si animo sacrificandi interfuissent, atrociori supplicio afficerentur, neque in morte his ad communionem aspirare liceret.

Quod si fuerit, *si ad Capitolium ascenderit* ut sacrificio interesset, neque tamen illud aspicere aut intueri ei licuerit, pari pœna supplicioque multetur atque illud si oculis usurpasset, cum ejus voluntas fuerit ut videret: neque vero sensus sententiaque ita perspicua manifestaque, si de iis sermonem fieri dicamus qui sacrificandi causa eo pergerent qui tamen non sacrificarent, quippe tantum id à se visum esse & spectatum lætarentur, quia neque in morte communione erant donandi qui sacrificarant, ut ex primo Canone constat.

De Sacerdotio gentilium.

OBSERVATIO XXII.

DE Ethnicorum Sacerdotio aliquid in hisce notis Scholiisque inserere, non alienum, neque inutile erit: non eo quidem Consilio ut ritus omnes ceremoniasque perscrutemur; sed ut Canonum quorundam explicatio illustrior multo existat, quorumvis intelligentiaque quam plurimos interpretes effugit: cujus rei perficiendæ causa primùm illud observandum erit, Christianos cum omnes falsorum Deorum cultus, anilesque fabulas non ignorarent, eo tamen flagitiose progressos, ut Sacerdotia gentilium ambitiosa quadam prensatione nundinarentur. Deinde non omittemus oculis subjicere edicta illa & rationes, quibus Ecclesia vetuit ne dignitatum illi gradus expeterentur. Tertio quantum erit in nobis connitemur ex his quæ dicta erunt, afferre lucem quibusdam Canonibus, quorum alium fuisse sensum ac sententiam ac antiqui Patres censerent, plerique judicarunt.

Trium rationum momenta quædam impellebant Christianos ad Sacerdotii ethnicorum petitionem: 1. primum ambitio, cujus incensa cupiditate conflagrabant homines ætate florentes; nihil enim æque, cum Romæ, tum in aliis Provinciis, ad consequendos honores auctoritatemque, & nominis existimationem comparandam valuit, ac ludorum quorundam apparatus & magnificentia, quod eorum commissio populi gratiam animasque conciliaret: iis autem in Provinciis, & municipiis Flamines præsidebant, nonnunquam etiam eos populo suis sumptibus exhibebant: ad civium ergo benevolentiam eo genere obsequii deviciendam, non pauci Christiani spreta religione incitabantur, ut hujusmodi honorum gradus & flaminium sibi deferri vehementer postularent, quo facilius editione spectaculorum, & scenæ pompa maximâ, imperitæ multitudinis applausum & acclamationem promererentur. Id perspici potest ex lege unica 4. tit. 61. lib. 10. cod: in qua rogatione interposita, sumptus necessarios & liberales qui ad ludorum commissionem requirerentur, se suppeditaturum Parens quidam profiteretur, modo filio ad Sacerdotium venire liceret. *Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine Pater tuus repromiserit, ideoque etiam Sacerdotem te creari impetraverit, onus erogationis commune omnium hæredum ejus esse Præses Provinciæ non ignoravit.* Verum id ita esse facile crediderint qui tempore Tertulliani didicerint Christianos qui idola fabricarentur extitisse: adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum: quin tempore Siricii, & Innocentii non deerant, (quamvis otio & tranquillitate maxima Ecclesia frueretur, rerumque publicarum munera à Christianis hominibus administrarentur) qui ad impia illa Sacerdotia provehi se cuperent, eorumque officio fungerentur. Syricius Episcopo Tarraconensi cap. 5: *De his vero qui acta pœnitentia, tanquam canes, ac sues ad vomitus pristinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates.* Innocentius epistola 4. cap. 3: *De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri qui debeant Clerici fieri.* Item epistola 24. *cap.* 4: *Neque de curialibus aliquem ad Ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post Baptismum vel coronati fuerint vel Sacerdotium, quod dicitur, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint.* 2. Secundò, metu quandoque perculsi aliquo cogebantur obire illa spectaculorum seu ludorum munia, ne si id facere detrectarent, pro Christianis haberentur: ætate namque & opibus florentes si ea pro nihilo habuissent, in suspicionem venissent Christianæ fidei & religionis admissæ: accedit & illud, exerceri illa potuisse munia etiamsi sacrificium nullum fecissent, ut planum est Can. 55 Concilii Illiberitani. quare Ecclesia cum videret homines mortis oppetendæ proposito horrore magnopere commoveri, in eos non ita graviter animadvertere consueverat, quamvis munera illa non defugissent, modo ab omni sacrificio manus oculosque cohibuissent; eamque ob causam eodem in Concilio non durius quicquam statuendum in illos judicat, qui domi suæ idola reservarent, modo ab eorum adoratione atque cultu abstinerent, atque ea suis ex ædibus deturbare non possent, quin à servis judicibus deferrentur. Canone 41, *Admonere placuit fideles, ut quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant; si vero vim metuunt servorum, vel seipsos conservent, si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur.*

Tertia ratio illa afferri potest, quæ Christianis eam vim afferebat, ut illa quasi munera officiaque non recusarent, quod Sacerdotia illa erant munera patrimonialia, ut ajunt Iurisconsulti, à quibus Curiales non poterant excusari. Quare Christiani quocumque locorum aut gentium concessissent, si essent Curiales, aut fortunæ amplissimæ, sustinere illa munera cogebantur; aliter ad eos bona illa omnino tanquam hæreditates pervenissent qui illorum vicem in administratione eorum munerum subiissent. Sacerdotium autem fuisse quoddam officium ceu munus patrimoniale probatur lege 8. tit. 41. l. 10. cod. *Nec protostasiæ, vel Sacerdotii, vel decaprotiæ, munera corporalia sunt, sed tantum patrimonii esse non ambigitur.* in quam legem Cujacius hoc habet: *Sacerdotium autem interpretor, veluti Alytharchiam, Asiarchiam, Syriarchiam, Phœniciarchiam, quo qui funguntur, ludis præsunt in honorem Deorum institutis, cum sumptu aliquo:* Idem ductor in l. unicam de mulieribus in quo loco codic. ait: *Sacerdotium Provinciæ munus patrimoniale est, veluti Asiarchia, nam qui eo fungitur sumptu ejus eduntur certamina & ludi in honorem Deorum.* & observat. lib. 2. cap. 13. asserit: *inde Sacerdotium ipsum, Alytharchia dicitur ea forma quâ & Asiarchia, & his similia Sacerdotiorum nomina, & Flaminum.* Præter ea quæ narrat Cujacius, Magistratus & Sacerdotes solere spectacula ceu certamina edere, succurrunt & alia testimonia l. 1. cod. Theod. lib. 15. tit. de spectaculis. Magistratus & Sacerdotiorum editiones, quæ aut in civitatibus aut certe in his debent exigi, quas delegit antiquitas. Tertullianus de spectaculis: *Quis sibi Prætor, aut Consul, aut Quæstor, aut Sacerdos de sua liberalitate præstabit?* Munera vero patrimonialia ab uno quoque sustineri oportere plurimæ leges testantur 1. tit. 41. lib. 10. cod. *Civilia munera per ordinem, pro modo fortunarum sustinenda sunt.* ubi Cujacius ait, *& non omnia sed patrimonialia, ut apparet ex lege secunda ejusdem tituli. Munera quæ publicæ utilitatis causa indicuntur ab omnibus subeunda sunt*, & aliis omnibus legibus illius tituli: apparet ab ejusmodi muneribus neminem liberum solutumque videri. Cum igitur Christianus suo quasi ordine ac per vices illius, in quo commorabatur, loci designari Flamen aut Sacerdos deberet, tametsi illa renunciatio creatioque suæ religioni fideique repugnaret, cogebatur eam oblatam admittere, ejusque perinde ac aliorum munerum procurationem capessere. Ex his vero locis quos ex Divo Innocentio dedimus satis constat, Curiales ab ordinibus

nibus Ecclesiasticis prohibitos, quod quibus in locis Curiales essent, inde digredi iis non liceret, suæque Reipublicæ ac publicorum munerum habere eos rationem oporteret, nec quæ in eisdem locis ex præscripto institutoque legum præstanda essent, negligere; cum autem ex iis locis, quorum Curiales erant, demigrarent, eo postliminio reverti necesse erat, quamvis in ordines sacros adlecti essent: quæ causa esse potest, cur Patres præcise & asseveranter Curiales ad illos sacros ordinum ritus accipiendos, urgeri aut admitti non oportere arbitrarentur, quia eo honore affecti, adigi poterant, ut eo unde decesserant, quod ibi Curiales essent, redirent, atque adeo Provinciis publicis defungerentur, in quorum numero ac recensione, (ut non dubie nec obscure apud sanctum Innocentium videbis) sacerdotia, flaminia Paganorum, ludique publice committebantur, quo tempore nullum genus idololatriæ peccatorumque ac flagitiorum prætermitti soleret.

Illud autem perpendendum est, totum illud, de quo agimus, munus usurpari solitum, tum, cum Imperatores Christiani imperii clavum tenerent, Ecclesiaque compressis persecutionum procellis conquiesceret; illudque mirum videri debet, si quis se tali munere abdicare voluisset, desiderio quodam incensus vitæ asperioris intra claustra religiosæ familiæ, aut etiam in deserta aliqua regione, ac solitudine traducendæ, cogi potuisse, ut ad suam illam urbem, quo publica illa munera exerceret, volens, nolens reverteretur, leg.26. tit. 32. 10. cod. *Quidam ignaviæ sectatores desertis civitatum muneribus, captant solitudines ac secreta; hos igitur, atque in hujusmodi depræhensos, erui latebris consulta præceptione mandamus, atque ad munia patriarum subeunda revocari.* Sacerdotia igitur gentilium in Provinciis, earumque civitatibus, erant munera patrimonialia, à quibus se vindicare nemo cum posset, pro ratione facultatum, ac divitiarum suo ordine ad illa obtinenda, gerendave assumebatur, quemadmodum prima illa lege, tit.41. decernitur.

Quæ apud Eusebium de quodam Asiarcha leguntur, ad rem pertinet hoc loco referre: Cum igitur sancto Polycarpo mors esset obeunda, Philippus quidam Asiarcha Sacerdosque Ephesi cum esset, Sacerdotii sui exacto expletoque tempore, postulanti turbæ leonem ut in Polycarpum immitteret, respondisse fertur, munus se dedisse quod apparare debuerat, eoque se posthac liberum solutumque munere videri. His dictis succlamabant, & à Philippo Præside Asiæ petebant, ut Polycarpo leonem immitteret, quibus ille respondit, non hæc licere sibi, eò quod munus venandi jam adimplesset: ubi verbum, *munerario*, pro *Præside Asiæ* substituendum, quod non Præsidem, aut Principem, sed Sacerdotem Asiæ, & Munerarium significet, eundemque qui ludos præstat suis sumptibus, ita vertit Rufinus, & Cujacius in legem primam tit. 62. lege 10 observavit, cui cum Rufini explicatio versioque hanc lucem attulisset, qui ita hoc verbum. Munerarium exposuit, excogitavit, sed acute & solerter meo judicio, non rejiciendam emendationem Actorum Apostolorum cap.19. Nam cum inordinaria & vulgata legas, quidam ex Asiæ Principibus contendit reponendam esse, *sed quidam muneratiorum.* & sanè correctio illa non levibus, nec infirmis rationibus corroboratur: nam qui tandem Principes in Asia esse poterant, cum in Romanorum potestatem dictionemque longe antea tota cessisset, & ad Provinciæ formam esset redacta. Quod si qui Principem locum Ephesi occupant, Principes Asiæ dicuntur, quæ tandem ea de re afferri ratio potest, aut cur unius singularis urbis Principes, non modo civitatis sed totius Provinciæ, quæ ex variis plurimisque constabat Provinciis, Principes nominabantur? & quamquam non mihi dubium sit, quin, ut ex Cicerone didici, in Asia Magistratus de rerum publicarum statu in theatris deliberarent, ipsaque theatra non modo publicis ludis locum, sed etiam Senatorio Ordini præberent, verisimilius tamen est, qui è theatro se commoverat, ut Divum Paulum moneret, quo minus in theatrum se daret, fuisse paganorum Sacerdotem, & Munerarium qui tum ludos edebat, non autem Magistratum, quandoquidem locus ille Eusebii in versione Rufini, non mediocriter hanc explicationem sublevet; sed ut ad ea quæ probata jam sunt, iterum gradum faciamus, locus ille Divi Hieronymi in vita sancti Hilarionis, quod diximus, tuetur & confirmat Christianos cogi solitos ea munera patrimonialia obire; quibus ludi & Sacerdotia ethnicorum continebantur. Sed & Italicus ejusdem oppidi municeps Christianus, qui adversum Garensem Duumvirum Marnæ idolo deditum, Circenses equos nutriebat, venit ad beatum Hilarionem, cumque subrideret, cur enim non magis equorum pretium pro salute animæ tuæ, pauperibus exigas? ille respondit functionem esse publicam, & hoc non tam se velle, quam cogi. Christiano quidem nihil optatius fuisset, quam ut ipsi liceret non profundere pecuniam, ad illos ludos faciendos & ad multitudinem ethnicorum tali lenocinio deliniendam, sed de consilio sententiaque optimi Patris, ad inopum & egenorum inopiam sustentandam; sed respondet se ad id præstandum compelli, quod bona, quæ à parentibus hæreditario jure acceperat, iis scilicet muneribus publicis obeundis, & ludis coram populo exhibendis tenerentur.

Extra vero controversiam & illud est, pro potestate, imperioque Ecclesiam vetuisse, quo minus Christiani ambirent, aut sustinerent Sacerdotia ethnicorum, Canonibus id contestantibus, quibus eos qui his functi fuissent muneribus, mulctam irrogatam legimus, ut Can. 2, 3, 4, & 55 Concilii Illiberini. Quanquam autem nulla lex esset quæ id prohiberet, aut pœna aliqua comprimeret, certum tamen & omnino planum est horum munerum actionem, seu administrationem magnopere Christianæ religione adversatam fuisse, quod ea exerceri omnino non sine execrabili idololatriæ crimine posset. Neque vero proferendus est Canon ejusdem Concilii 55, qui non ita graviter & atrociter paganorum Sacerdotes incusat, cum nonnisi ad biennii pœnitentiam perferendam in eo adigantur. Nemo autem nescius, temporibus illis lethalem noxam viginti aut triginta annorum perpessione, seu pœnitentia castigatam; unde non à quoquam mortiferum posse committi peccatum, Patres illi antiqui existimabant, si Sacerdotem se aut Flaminem paganorum sivisset renuntiari, cum non tanquam capitalia, quæ dixi, peccata illa duo punirent. Respondebo, Canone illo eos designari, quos necessitas quædam impulisset, ut impositam istam Flaminis provinciam detrectare non possent; vel quia, cum fortunis opibusque abundarent, oblata mandataque Sacerdotia, quæ erant munera patrimonialia, subterfugere non poterant; vel quia ad illos honorum gradus ascendissent, ut ex hominum animis, fidei Christianæ quam profiteri coram non audebant, suspicionem opinionemque evellerent; Ecclesia autem tanquam optima & indulgentissima mater, cum illa duo quæ prope vim afferebant, perpenderet, non in eos quidquam durius

durius statuendum ducebat, modo non Idolis immolassent, neque quicquam quo delatus quidam illis honos diceretur, obtulissent. quemadmodum eodem consilio non graviori severitate Ecclesiam esse usam, videmus, in eos qui intra privatos parietes idola reservarent, modo iis non adolerent: neque ea alio, sine aperto vitæ discrimine, aut sine manifesta nominis Christiani delatione quam deformidabant, exportare liceret.

Reliquum est ut ex iis, quæ attulimus, explicationem eruamus quatuor Canonum Concilii Illiberini, & locorum quorundam, quæ ex sancto Innocentio citavimus. Verum quo apertior planiorque fiat, res ipsa postulat ut hoc loco commodiore aliam explicatione refellamus, ad quod præstandum invitus sanè ac omnino prope reluctando accederem, quod præsertim apud Baronium ea reperiatur, qui sit optime de Christiana religione meritus, cum quamplurima densissimis sempiterni quasi silentii demersa sepultaque tenebris in lucem evocarit, ut ejus singularem admirari eruditionem potius liceat quam ut quisquam eum reprehendat, sed cum nihil æque ac Ecclesiæ veteres ritus, mores & disciplinam explanare, & eruere nos oporteat, nihil detrectandum est, ut antiquis constitutionibus lucem aliquam afferamus. Numero 40, 41. 2, 3, 4. anno Domini nostri 305 Canones illos exponit, ac si contra lapsorum causam confecti essent, nec Flamines ferme à lapsis distinguit, quales à Divo Cypriano & ab aliis ejusdem temporis authoribus depinguntur: quin etiam sibi persuadet sanctum Innocentium, cum ipse antiquarum constitutionum vim, ac severitatem excusaret ac emolliret, voluisse intelligi, & verba fieri de illo Concilio, constitutionemque secundam sancti Innocentii ad Archiepiscopum Tolosanum esse contra lapsos, qui Christi fidem deseruerant præscriptam: ad extremum in tertio Canone opinatur verbum illud, *Munera*, accipi pro pecunia, quam ut se aliquis lapsus immolationis metu liberaret obtulerat. omnia tamen illa non consentanea imo contraria Canonum illorum sententiæ videri. Primum enim, quantum intervallum interjectum esse putas inter Flamines illos, quorum in his Canonibus facta est mentio, & lapsos? Lapsi enim Christiani sunt, & judicio omnium tales existimantur, quos vis suppliciorum aut metus coëgit ad immolandum Diis, & ad Christum ejurandum. Flamines autem, de quibus est mentio in Concilio Illiberino, pro Christianis non habebantur, imo ad illa munera capessenda animum adjiciebant desiderio quodam dissimulandæ & occultandæ religionis in Christum: sive quod divitiis affluerent, ad eorum publicorum munerum administrationem ex ordine procurandam, tanquam Ministri, Sacerdotesque sacrificiorum accedere cogebantur. Illos enim Ethnici, ut veros, legitimosque idolorum Sacerdotes, non ut Christianos nominabant; atque hoc est Flaminum & lapsorum discrimen, veluti Apostatarum nomen, seu appellatio non proprie cadit in lapsos, tametsi religionis essent desertores. Illam namque non cujusquam impulsu, aut tormentis coacti, sed suapte sponte, tum cum summo otio Ecclesia frueretur, neque ad id scelus mortis metu instigarentur, pernegabant. Quod autem ad constitutionem secundam epistolæ sancti Innocentii ad Archiepiscopum Tolosanum attinet, non illa quidem ad horum Canonum severitatem magis respicere potuit, quam ad totius Ecclesiæ disciplinam, quæ prioribus illis seculis, non solum à communione, id est, absolutione, gravia crimina in perpetuum removebat; sed vix jus pœnitendi eis indulgebat: in ea enim constitutione, ne verbum quidem de Flaminibus factum: sed quæstio, quæ dijudicatur ab Innocentio, in ea constitutione ejusmodi est, nimirum quid faciendum sit iis, qui post Baptismum propter vitæ flagitiosæ rationem, quam ad mortem usque produxerunt, excommunicati fuissent, si in periculum vitæ adducti, communionem & pœnitentiam sibi efflagitarent. Divus Innocentius respondit, per veteres leges communionem in morte, non autem pœnitentiam illis adimi: legemque hanc Severam quidem, sed justam & necessariam pro ratione temporis videri. Nam si ejusmodi hominum generi perfacile Ecclesia peccatorum relaxationem & communionem impertiisset, lapsis sine dubio, eandem beneficentiam negare non potuissent, quorum magna vis ac multitudo, tali præsertim tempore cerneretur, cum ubique ad necem & supplicium Christiani quærerentur, atque hic est, meo judicio sensus illius Canonis sancti Innocentii, quo ad hunc modum explicato, non potuit illos Illiberini Canones, neque eorum severitatem respexisse. Nam sanctus Innocentius non de lapsis disputat, ut definite quicquam de iis statuat, sed solum contendit disciplinæ Ecclesiasticæ statum eo tempore non tulisse, ut excommunicati reciperentur; ne lapsis, ob easdem rationes, veniam laxare cogeretur, quorum causa, conditioque multo æquior, justiorque, quam aliorum esset futura, ob id maximè quod dicit Tertullianus, *Magis negat Christum, qui delectatus, quam qui vexatus amisit, & qui cum averteret doluit, quam qui cum amitteret, lusit.* Denique multo ante Concilium Illiberinum, de lapsis revocandis referat expedita, & in Ecclesia post pœnitentiam admittebantur. qua propter ad alia tempora & ad alias constitutiones referenda sunt verba Divi Innocentii, quam ad Concilium Illiberinum.

Ad extremum verbum hoc, *munera*, quod in tertio Canone legitur, non potest explicari, ut ait numero quadragesimo quarto: *Sed quod non sine aliqua animadversione eum esse sinerent, qui aliquo oblato munere, à necessitate sacrificandi se redemissent.* Nam ibi, *munus*, pro ludis publicis, qui populo dabantur, sumitur; & quos antiqui deliniendæ plebis causa & aliqua voluptate demulcendæ gratia, partim Romæ, aliisque in locis instituerant ut vulgo fertur, Panem & Circenses. Neque vero capi potest pro pecunia, quam Flamines, ut sacrificandi se munere liberarent, largiebantur; non enim hæc explicatio ullo modo congruere potest explicationi sententiæque textus. Deinde quamobrem quæso hominem, qui non immolasset, ad tam duram & austeram pœnitentiam subeundam sententia sua Ecclesia adegisset? Non sum quidem nescius eos non caruisse reprehensione ac vituperationis, infamia, qui quo se à necessitate sacrificandi redimerent, pecuniam numerassent. Imo & in eosdem supplicium aliquod decretum fuisse constat. Sed tempore divi Cypriani planum est morem illum è medio sublatum: idemque autor libellaticos excusandos censet, qui pecuniam dederant. qui quidem Cyprianus multo antequam Concilium Illiberinum extitisse floruit. Quamobrem non video cur Patres istius Concilii pœnitentiam differre, ac protrahere ad mortem ipsam voluissent eos, qui pecuniam aliquam quo minus sacrificarent profudissent, præsertim cum Canone 55 biennii pœnitentia mulctarentur, ii qui paganorum Sacerdotes fuissent, & vestes, coronasque gessissent. mihi quidem videtur id quod Canone 55 profertur, in majori crimine ponendum, quam quod Canone tertio dicitur, eosque qui Sacerdotio paganorum præditi in Capitolio,

tolio aliisque sacrificiis sacerdotalem vestem coronamque tulerunt, majori supplicio coërcendos esse, qui pecuniam tantum ut tormenta & cruciamenta vitarent, seque è sacrificio eximerent, dederint. Vnde colligi quidem illud verè potest non esse hujus rei sententiam, aliumque esse hujus Canonis tertii sensum investigandum. quo autem hæc explicatio apertior, illustriorque sit, in tres classes dividi posse Christianos judicasse Patres, perpendendum est, Christianos inquam, quibus necessitas quædam imposita fuisset ut Sacerdotium Paganorum susciperent.

Prima classis eorum fuit, qui inviti & reluctantes Sacerdotium iniissent, sed qui ejus curationem non attigissent, neque populum ludis oblectassent, neque Diis honorem supremo Numini debitum persolvissent (demonstravimus autem Sacerdotes ludorum spectaculis retinere plebem, & delectari solitos.) Si autem Canone 55 duorum dumtaxat annorum pœnitentia castigantur, quod ad illa munera obeunda, & capessenda essent coacti, ne se Christianos palam proderent, vel quod bona quædam possiderent quæ muneribus patrimonialibus obligata essent. Ecclesia sagacissime prospiciebat ad ea munera repugnanter admotos, fuisse propterea que cum illis lenius agendum esse.

Secunda classis eorum est, qui Flamines contra quam volebant creati, & renuntiati fuissent, eoque sacerdotio affecti & ornati ludos fecerant. Sed qui à Sacrificio abstinuerant, Patres istius Concilii Can. 3. perpetuæ eos pœnitentiæ peragendæ addicunt, communione tamen illis in morte non erepta: hic est sensus, sententiaque Canonis tertii.

Tertia classis, fuit eorum qui Flamines, & Sacerdotes sua summa voluntate se designari curarent, quippe non solum ludorum celebritate populum leniissent, sed etiam thura Diis adolevissent, Patres eos ex vi Canonis secundi excommunicationis perpetuæ fulmine percellunt: eosdemque in morte communionis beneficio privant. si cui horum trium Canonum alius sensus atque intelligentia occurrerit, ex ejus ego laude præclari inventi, ceu explicationis nihil decerpo: ego quidem hanc quam attuli non à textu ipso ullo modo discrepare, sed & sententiæ, & judicio Patrum congruere, rebusque illis, quæ tum à Paganis temporum illorum quibus Concilium illud indictum fuit, gerebantur, existimo, quemadmodum in notis diximus, quas in illud Concilium protulimus. superest explicetur, & interpretatio proferatur quæ consentanea sit iis quæ in secundo Canone dicuntur, *si geminaverint scelera*. Quatuor fuisse ludorum genera nemo non audiit, Circenses, rem scenicam, agones, & munera quibus in omnibus Diis immolare mos erat, cum illis ipsis ludi dedicarentur. in muneribus autem ceu spectaculis gladiatores mutuis se vulneribus conficiebant, plurima cæde facta, ut populi spectantis oculi sanguine pascerentur. In Scenicis ludis nullum genus impuritatis & libidinis prætermittebatur Tertulliano teste: *Theatrum proprie Veneris sacrarium est*. Item, non *Theatrum*, *sed & Veneris templum nuncupavit*: à quibus impuritatibus quasi à quodam fonte & seminario innumerabilium peccatorum & vitiorum vis incredibilis profluxit, in quibus etiam floralia exhiberi & exerceri solita constat. Sacerdotes igitur, & Flamines, cum populum spectaculis recrearent, tria in se peccata admittere poterant, Idololatriam, Homicidium & Adulterium: sacrificabant namque ipso aditu initioque ludorum in gladiatoria pugna; aut Scenicis spectaculis adulterio se, & homicidio polluebant; aut saltem Auctores se illorum scelerum constituebant, cum ludorum illorum sumptus sustinerent iisque præessent.

Alia etiam substitui potest explicatio, in illis Canonibus mentionem fieri illorum qui non tantum sacrificaverant, sed etiam præter idololatriam, privatim homicidia, & adulteria perpetrarant. Nam in tertio Canone verba illa ad hunc torquenda sunt sensum, nec cum priori explicatione satis conveniunt; (*ipsi post pœnitentiam fuerant mœchati*) quibus apparet Patres loqui de Flaminibus, qui ob flaminia & sacerdotia suscepta agerent pœnitentiam: quod si ita est, prior explicatio non admittetur; credibile enim non est, quo tempore à se pœnitentiæ pœnas repeterent, Flaminum munera exercere & obire voluisse, cum ejus rei caussâ pœnitentia ferirentur.

Canone autem statui decernique sentimus, ut pœnitentiæ locus ejusmodi Flaminibus tribuatur, si pœnitentiæ tempore adulterari eos contingat, tum demum indignos censeri qui in exitu absolventur, quod ludibrio quodam communionem & pœnitentiam habuerint, cum quo tempore eos pœniteret, peccarint. Quo in loco negotioque illud verbum, *post pœnitentiam*, quasi per transennam ponderandum est, ut discamus id quoque non dici, aut significare post peractam pœnitentiam, aut si Flamen ipse, absoluta tamen pœnitentia, in adulterium incurreret: nam cum Canon perpetua illa pœnitentia puniendum censeat, ejus non erat unquam pœnitentiæ finis aut modus expectandus: neque Canon de illo pœnitente dicere poterat. *Si post pœnitentiam fuerunt mœchati*, sed esto hic sensus, ubi Ecclesia beneficium tribuerit, ut pœnitentiæ remedio sese erigat si in peccatum prolabatur. neque enim Ecclesia omni generi hominum eam impertiendam duxit, neque quisque sine ejus præscripto atque imperio ea uti poterat: si igitur Flamen admissus ad pœnitentiam quæ ei data fuerat ob populo datos, adulterio sese, pœnitentiæ tempore contaminaret, is per Ecclesiam communionis beneficio in morte privabatur: atque ego quidem sentio aliter explicari non posse verba illa, *si post pœnitentiam*. Quartus Canon de Catechumenis sermonem instituit, qui in ipso Catechumenatu, Sacerdotio & Flaminio Paganorum fungerentur: neque tamen sacrificassent. Si autem Canone illo, triennii pœnitentia puniebantur, qua in re sese duæ objiciunt difficultates: una, an triennii tempora aut pœnitentiam aut catechumenatum respiciant, hoc est, an Patres triennium pœnitentiæ aut catechumenatus prorogent: mihi quidem videtur triennium illud ad tres annos pœnitentiæ reduci posse. Catechumeni namque publica pœnitentia castigabantur, ob illa quæ in ipso Catechumenatu peccata commiserant, ex vi Canonum 5. Conc. Neocæsar. & 14 Niceni Concilii.

Secunda difficultas, hoc Concilio gravius in Catechumenos animadverti, qui ad Sacerdotia accesserant, quam in baptizatos: nam hi Canone quinquagesimo quinto non nisi duorum annorum pœnitentiam subierunt, illi autem trium: ad id responderi potest, triennium pœnitentiæ, qua Catechumenus mulctabatur, non ita grave acerbumque videri, ut biennium, quo baptizatus puniebatur; non enim Catechumenus excommunicatus erat: neque ab Ecclesia illi, ut baptizato, interdictum erat, ob id maxime quod in Ecclesiæ gremium sinumque nunquam admissus fuisset, quod unum baptizatus ignominiæ, & supplicii gravioris loco duceret. Quod ad Sancti Innocentii loca attinet, eorum perfacilis est solutio ex his quæ supra allata sunt, si meminerimus Curiales ad

les ad ea procuranda quæ ipsorum curæ commissa erant, & ad alia officia quæ alibi administranda susceperant obligari: quod si à suis digressi civitatibus aliò longius concessissent, legum vi teneri eò redire, ut suarum urbium munera obirent, quæ & ludos & Sacerdotia complecterentur: ideoque sanctus Innocentius vetat omnino ad Ordines Ecclesiasticos ejusmodi genus hominum promoveri.

Hæc omnia adducta ex viro eruditione clarissimo, & acerrimi judicii homine, quæ maxime conducere existimo ad ea quæ tractatu ultimo adducam contra catechesim, quam quidam Missionarii apud Sinas introducere tentarunt, quâ omnem Ecclesiæ Catholicæ disciplinam everterant.

Diu digressi sumus ab intento principali, ut aliqua inter plura Martyrum privilegia enuclearemus, ex occasione Canonum Concilii Eliberitani, quorum difficultate pressus multis ab hinc diebus enucleare curavi, & eos in tanti Concilii venerationem & tantorum Patrum Hispanorum, homo Hispanus omnibus proposui in hoc tractatu, è cimmeriis tenebris & obscuritate extractos: contra eos enim multi & non ignobiles *dentata charta* invexere, nos autem calamo & atramento *temperato* egimus contra Patrum Hispanorum Zoilos, qui parvi pendentes tantam authoritatem, tanquam *è plaustro liberè conviciabantur* in Eliberitanum Concilium, cum sanctissimum fuerit & venerandum.

RESOLUTIO XXXV.

Vtrum mors actu perpessa, sit de ratione perfecti martyrii.

Etsi Resolutione 22. §. 2. cursim & remissive hanc discusserim difficultatem, sub distinctione locutus, quia tamen omnium hujus operis difficultatum est apud me maxima, eam iterum discutere & ultimum de ea judicium ferre operæ pretium judicavi.

§. 1. *Sententiæ negantis non inermia fundamina.*

Martinus de Magistris, tractatu illo quem contra D. Thomam scripsit de Martyrio, q. 1 & 4. mordicus defendit, non esse de ratione perfecti Martyrii actualem & exercitam mortis voluntariam perpessionem. Martinum istum sequitur noster Agonotheta Theophilus Raynaudus lib. suo de martyrio per pestem p. 2. cap. 1. num. 6, quamvis à Martino dissentiat num. 7, quia dicit, & bene, nullis applicatis externis causis mortem naturaliter allaturis, solam martyrii internam voluntatem, quantumvis luculentam, posse ad martyrium præcise acceptum, sufficere; quod vero mors actu perpessa non sit de ratione martyrii perfecti, (uterque enim in hoc convenit) probatur non inefficaciter, 1 ex Patrum authoritatibus, quas adduxi dicta Resolutione, & §. 2 hoc expresse dicentium & probantium exemplis Danielis, Trium Puerorum & S. Teclæ, quam Ecclesia Orientis & Occidentis pleno ore martyrem dicit, ut ex Baronio ibidem diximus. quibus adde sanctum Ioannem Evangelistam, qui *etsi senio confectus* Martyr celebratur, quia pro Christi confessione mortis causam proximam sustinuit, quæ nisi miraculum interveniret infallibiliter mortem ipsam inferret.

2. Quia sanctus Cyprianus epistola 37 ad Clerum num. 4, in qua hortatur ut *Martyres designatos*, (qui proprie confessores apud Cyprianum) *qui in carcere obeunt, summa diligentia curent Clerici, ut sepeliant, & veluti Martyres honorentur.* cujus duplicem assignat rationem, 1 neque enim virtus eorum aut honor minor est, quo minus ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur. quod in illis est toleraverunt, quia *tolerare parati & prompti erant. qui se tormentis & mortis sub oculis Dei obtulit, passus est, quidquid pati voluit, non vero ipsi tormentis, sed tormenta ipsi defuere.* & ne ex charitate aliquis cogitaret quod sola Martyrii voluntas facit proprie & præcise Martyrem, subdit rationem secundam. *cum voluntati & confessioni nostræ in carcere & vinculis accedit & moriendi terminus, consummata Martyris gloria est.* Ex quo præcipit: *dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* non ergo requiritur actualis perpessio mortis à Tyranno illatæ, nec est de ratione consummati Martyrii.

Nec satisfacit quod respondet Raynaudus num. 9, ideo hos sanctos constitui Martyres, quia mors illata est propter ærumnas in carcere toleratas, ex fœtore, fame, nuditate, & similibus, sicut de Virgine mea Toletana sancta Locadia, ejus Historia narrat. hoc inquam non satisfacit, etsi enim apud Cyprianum nuda voluntas Martyrii non efficiat Martyrem proprie, ut in Ecclesia Dei indubitatum contra Martinum de Magistris, tamen quando voluntati & confessioni nostræ in carcere & in vinculis accedit, & *moriendi terminus, consummata Martyris gloria est.* ex quacunque causa mors adveniat, cum adveniat in carcere propter Christi confessionem perpesso, & sic qui propter Christi fidem injectus in carcerem febri accensus moritur, ex Cypriani sententia *dies obitus in tabulis adscribi debet, ut inter Martyres celebretur.*

Quod nervosè confirmo ex eodem sancto Cypriano epistola 56 ad plebem Tribari consistentem num. 14, ubi sic fatur: *etsi fugientem in solitudine* (causa persecutionis) *ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit, expectat militem suum Christus ubicunque pugnantem, & persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit. nec minor est martyrii gloria non publice & inter multos periisse, cum pereundi causa sit propter Christum, perire sufficit ad testimonium martyrii sui, testis ille qui probat Martyres, & coronat.* quid clarius? & quidem nihil illustrius. consonat Athanasius in Apologia pro fuga sua: *non præ timore operam fugæ præbuit. absit! quin potius fugam habebat pro palæstra, & meditatione adversus mortem, duo hæc pariter observabant*, & quidem consulto, ne sese periculis objecissent, nec cum crimine ignaviæ quasi ignavi timidique exilii ærumnas morte graviores exhorrerent. qui enim moritur quiescit à miseriis; qui autem in fugam se dat cum moras inimicorum ad ortus expectet, mortem longe leviorem quam fugam existimat. quapropter qui in fuga moritur non inglorius moritur, nam & hi quoque Martyrii adoream consequuntur. non ergo mors actu inflicta à Tyranno, & pro Christo

Christo actu perpessa requiritur ad verum Martyrium.

3. Quia sine actuali mortis exercitæ sustinentia potest quis dare sufficiens testimonium,de quo nullus possit rationabiliter dubitare, quod contemnit vitam pro fidei confessione. ergo illa mortis actualis tolerantia non exigitur ad perfectam rationem martyrii proprii. antecedens probatur, quia si Tyrannus sit gladio vibrante super caput Martyris ad ipsum jugulandum, sicut fuit Abraham respectu filii sui Isaac, & sicut iste detentus fuit ab Angelo, detineatur Tyrannus, jam passurus vitam contempsit pro fide Christi in omnium recta existimatione : ex vi enim caussæ proximæ mortis nullatenus habebat spem vitæ, quam voluntarie obtulit pro Dei amore. ergo quantum est ex parte sua obtulit summum testimonium fidei, sicut obtulit Isaac,qui sicut nec Pater habuit spem vitæ, nisi pater Abraham credidisset in spem miraculi futuri,contra spem,vi causæ proximę illaturæ mortem filio suo Isaac, ut bene Cardinalis Toletus. quare non solum dedit sufficiens testimonium, sed summum quod ex parte sua offerre potuit. Etenim, ut ait Aristoteles 2 Rethoric. cap. 6. & cum eo D. Th. ibi. & 12. q. 42. art. 2. qui jamjam decapitantur nec habent timorem mortis,nec spem vitæ tum,quia malum æstimant præsens & bonum vitæ non futurum, quare de vita desperant , & tristantur de malo præsenti , ita Martyr qui mittitur in ignem aut flumen, vel imminet gladius ad jugulandum, nullam habet vitæ spem juxta caussam proximam mortis applicatam , nisi habeat spem contra spem de miraculo, quam nemo habet nisi inspiratione divina.

Huic argumento , quod revera difficillimum est, respondet Dominus Cajetanus infra citandus , *§. ad primum ergo.* Quod cum multi etiam applicata causa proxima mortis vixerint, nisi sequatur mors ipsa, nondum est summum testimonium quod requiritur ad perfectum martyrium. manet adhuc secundum se vita in spe , quamvis homo non speret , quia hoc est per accidens. quia & natura talis actus secundum se loquendum est. Verum solutio ista non evacuat argumenti difficultatem. 1. quia si homo ipse sperare nequit, non manet vita in spe ; & ipse obtulit summum quod potest offerre pro fide Christi,scilicet vitam, quam si tuetur Deus miraculose,hoc est per accidens,nec homo dum subjicit se tortori ad jugulum, vel igni ad combustionem,miraculum attendit,sed ad id, quod ex vi caussæ proximæ contingit semper ex natura rei. alias qui decapitantur vitam haberent in spe , & sperarent eripi à morte. 2. quia quod quis miraculose effugiat aciem gladii, & extinguat impetum ignis, & obturet leonum ora , non dependet ab ejus actione , sed à Dei potentia qua miraculose liberatur à morte ; ergo quantum est de se obtulit summum quod habet,& summe contemnit vitam pro fide Christi , ergo ex se meretur laureolam martyrii, quæ est præmium accidentale,debitum propter summum testimonium latum ex parte sua pro fide Christi : meritum enim laureolæ se tenet ex parte Martyris sicut & testimonium fidei.

3. Probatur eadem sententia , quia ut quis sit filius adoptivus Dei,non est necessarium quod sit prædestinatus , & quod reipsa consequatur hæreditatem gloriæ , sed sat est quod secundum præsentem justitiam habeat gratiam,quæ est semen cui ex natura rei debetur gloria , quamvis ex impedimento finalis impœnitentiæ in qua moritur præscitus,gloriam non consequatur , tamen eo ipso quod est in gratia,habet jus ad gloriam tanquam filius , quia pro tunc habet causam proximam cui debetur gloria. ergo ut qui sit vere Martyr , sat est quod habeat causam proximam mortis , ex vi cujus offert testimonium summum quod potest offerre pro fide Christi.

4. Quia,dives verè est liberalis etiam actu externo, si ex honestate virtutis extrahit pecuniam à bursa ut det pauperibus, etiamsi violenter impediatur ne actu det. ergo vere & proprie quis erit Martyr , pro fide Christi si applicetur causa proxima mortis,ex qua necessario erat inferenda, etiamsi miraculose impediatur causa, ne inferat suum effectum.

5. De illo qui habet causam proximam mortis verificatur quod morietur , etiamsi secundum causam superiorem impediatur , ergo verificabitur quod dat summum testimonium fidei , & quod pro fide contemnit vitam. consequentia est clara , quia hoc testimonium fundatur in voluntaria perpessione mortis. antecedens constat ex illo Isaiæ ad Ezechiam, cui dixit cras morieris. quæ juxta D. Thomam 22. q. 171. articulo ultimo ad 2. verissima fuit prophetia , quia ita futurum erat secundum vim infirmitatis & causæ proximæ , quæ impedita fuit miraculose.

6. Martinus probat. quia alias sequeretur primo, quod per aliquid omnino violentum , quod non est in potestate virtuosè operantis , aliquis de non Martyre fieret Martyr ; quia mortis violentæ irrogatio non est in Martyris potestate , sed provenit ex malitia Tyranni & tortoris. secundo sequeretur , quod duo omnino æquales in proposito sufferendi gravissima tormenta , si in unum sæviret Tyrannus, & non in alium,motus ex amicitia aut alio motivo,unus efficeretur martyr , & alter non ; & sic essent in merito æquales, cum essent in præmio inæquales. siquidem ille qui de facto occiditur non solum habet laureolam, quam non habet alius, sed insuper ex opere operato habebit majorem gratiam,caussatam ex martyrio & tolerantia passionis , quam non habebat alius qui non occiditur. & sic etiamsi essent æquales in merito, non essent in præmio essentiali , quod est absurdum.

§. 2. I. Assertum *veræ sententiæ contra Martinum de Magistris.*

HIs tamen non obstantibus,mea sententia aliquibus assertis enucleatur. Primum assertum : etsi ardens sit desiderium , robusta voluntas firmumque propositum sustinendi mortem pro fide Christi , sitque charitatis imperium de sufferendis tormentis usque ad sanguinis & vitæ profusionem pro veritate Catholica tuenda ; Nihil horum nec omnia simul constituunt vere & præcise martyrem catholicum, quem ut talem veneratur Ecclesia. Hoc assertum indubitatum est apud omnes tam veteres, quam recentiores qui de Martyrio scripsere , estque ita certum ut opinio Martini improbabilis sit , & temeraria , sic docent sancti Patres qui sanctos illos ardentes desiderio & voluntate moriendi pro Christo, martyres habitu,non actu vocant,ita Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 45 , & de bono conjugali cap. 21. Primasius q. 5. art. 3 in Apocalyps. Divus Thomas in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. qua in 2. & 22. q. 124. art. 4. ubi Cajetanus, & 3. p. q. 66. art. 11 & 12. ubi omnes Expositores agentes de baptismo sanguinis.

Probatur ex fundamento quod jecit D. Thomas in 4. ubi supra in solut. ad 3. & egregie alter Thomas explicuit art. 4. §. *Quod autem.* versiculo *ex dicto igitur*, sanctus Doctor sic loquitur : *Quidam actus sunt, qui in ipso actu habent ipsam vehementiam delectationis vel difficultatis , & talibus actibus semper addit ad rationem meriti vel demeriti , secundum quod in actu oportet*

tet voluntate variari ex vehementia actus & aflatus in quo prius erat. & ideo cæteris paribus, actu luxuriam exercens plus peccat, quam qui solum in actum consentit, quia in ipso actu voluntas augetur. similiter cum actus martyrii maximam difficultatem habeat, voluntas martyrii non pertingit ad illud meritum, quod actui martyrii debetur ratione difficultatis, quamvis possit etiam pervenire ad alterius præmium considerata radice merendi, quia aliquis ex majore charitate potest velle sustinere Martyrium, quam alius sustineat. Vnde voluntate Martyr potest mereri sua voluntate præmium essentiale æquale vel majus; eo quod Martyri debetur; sed laureola debetur difficultati quæ est in ipsa pugna martyrii, unde laureola voluntate tantum Martyribus non debetur. hæc ibi.

Quod inexpugnabile fundamentum sua explicatione circummunivit Dominus Cajetanus, sic dicens: *Debes scire regulam tam bonitatis quam malitiæ consistentis in actu exteriori, & est quod ex proposito, vel imperio illius actus aliquis est & dicitur talis, secundum quid; ex solo autem illo facto actualiter est & dicitur talis, simpliciter & absolute declaratur regula; in vitiosis & virtuosis actibus. Quia enim homicidium consistit in facto quo aufertur vita hominis, ideo quicumque præponit occidere aliquem, est homicida secundum quid, hoc est mentalis juxta illud qui odit fratrem suum homicida est. & similiter, quicumque extendit gladium ad occidendum aliquem, qui tamen non moritur, homicida est secundum quid, scilicet inchoative & quantum est ex se; numquam tamen est simpliciter & absolute homicida, nisi inferat passionem veræ mortis, unde numquam esset irregularis, nisi actio sua inferret mortis passionem. similiter quia restitutio est actus exterior justitiæ, & consistit in facto, quo alteri quod suum est redditur, quantumcumque quis proponat restitutionem nisi sequatur hoc factum quod scilicet Domino, vel illi qui succedit pro Domino, detur quod suum est; numquam aliquis est justus simpliciter justitia qua penes restitutionem attenditur, sed semper imperfecta restitutio, ac per hoc illius propria justitia imperfecta est, utpote defectum patiens proprio in suo actu. & simile est de martyrio, quod licet ex proposito, & ex imperio executionis & cum aliquo facto, puta passione cruciatuum multorum tendentium ad mortem, non tamen illam inferentium, efficaciter dicatur, & sit aliquis Martyr secundum quid, puta mentalis aut inchoative, numquam tamen est aliquis simpliciter & absolute Martyr nisi actualiter ponat vitam pro Deo; & hoc propter imperfectionem actus, quousque perveniatur ad factum in quo consistit martyrium.* hæc ibi.

II. Quia quamvis quis habuerit ardens desiderium & propositum docendi alios, à quibus diabolum expellat per doctrinam, si tamen actu non doceat, quamvis ex officio competat docere, non tamen est Doctor, nec laureolam Doctoris habet. similiter si quis habuerit propositum, imo fecerit votum virginitatis servandæ, non est virgo nec laureolam virginitatis habebit, nisi integritatem carnis usque ad mortem custodierit, ergo nec erit vere Martyr ex solo desiderio ardenti patiendi pro Christo, alias multi, qui hujusmodi desiderium robustum & ardentissimum habuere, celebrarentur Martyres, qui tamen solum venerantur in Ecclesia Confessores.

§. 2. ASSERTUM II. *Ad perfectam rationem martyrii requiritur mors voluntarie perpessa, & à Tyranno inflicta.*

HÆc est expressa sententia Divi Thomæ, locis citatis, Cajetani, & Sylvii, art. 4. estque communi calculo Doctorum firmata, quam etiam docent Patres citati, & expresse sanctus Cyprianus epistola 9. & ibi Pamelius n. 2. Cardinalis Baronius in notis ad diem secundum Ianuarii, litera H. egregie & ex professo. Origenes tomo 5. in Ioan. ad illa verba: *hic venit in testimonium.* Cajus Papa in parenesi ad Christianos in Chromatii æde collectos. Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromatum, quorum omnia verba dedi Resolutione 17 & 18. unde Ecclesia hodie solum agnoscit verum Martyrem illum qui morte consummatur pro fidei confessione, & sic in officio canit: *Hic est vere Martyr qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.*

Hujus verissimi asserti jecit fundamentum solidum Divus Thomas 22. q. 124. art. 4. quod consolidavit Dominus Cajetanus. sic enim loquitur sanctus Doctor: *Quia Martyr dicitur testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebræos 11. ad martyrium ergo pertinet ut homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, ut ad futura & invisibilia perveniat. quamdiu autem homini manet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Consueverunt enim homines & consanguineos & omnia bona possessa contemnere ut vitam servent. unde & Satan contra Iob induxit: pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, id est pro vita sua corporali, & ideo ad perfectam rationem martyrii requiritur quod aliquis mortem sustineat propter Christum.* hæc ibi, quæ brevius dixit Clemens Alexandrin. *ubi supra. consummationem (inquam) vocamus martyrium, non quod finem vitæ homo acceperit, sed quod perfectum opus ostenderet charitatis.*

Horum sanctorum Patrum mentem, fundamentum & sensum eminenter enuclearat eminentissimus Dominus meus Cajetanus, ubi supra §. ad hujus rei evidentiam: *Quod autem non consistat* (martyrium) *in actu exterioris locutionis tantum, & similiter quod non consistat in quocumque exteriori opere citra ponere vitam, & ex parte dilectionis, & ex parte testimonii patet. Ex parte siquidem testimonii, quia Martyr dicitur testis antonomastice, & similiter martyrium dicitur testimonium per excellentiam. ergo martyrium est testimonium summum in genere exteriorum testimoniorum. ergo martyrium consistit in opere, quod est ponere vitam; & patet sequela, quia tam locutio quæcumque, quam præparata exhibitio ad mortem, quam etiam patitur initiatus, & dolores sunt minora opera secundum suum genus, quam ponere vitam. unde ut in litera dicitur multi cruciatus sustinent ut mortem evadant, ut patet in his qui à judicibus maleficiorum torquentur.*

Ex parte vero dilectionis, martyrium est actus maximæ charitatis. ergo est ponere vitam pro Deo. antecedens est per se clarum; consequentia patet ex sequentia Domini: majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat. Non dixit ut animam suam, hoc est vitam, ponere imperet; sed ponat. ponere siquidem vitam differt ab actu imperativo ponendi, sicut executio ab imperio. quæ verba Cajetani consonant verbis Clementis Alexandrini.

Sed aliud fundamentum posuit sanctus Thomas in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. q. 2. sic: *Sicut inest quædam pugna spiritui contra interiores concupiscentias, ita etiam inest homini quædam pugna contra passiones exterius illatas. unde sicut perfectissimæ victoriæ, qua de concupiscentia carnis triumphatur, scilicet virginitati, debetur specialis corona, quæ laureola dicitur; ita etiam perfectissimæ victoriæ, quæ habetur de impugnatione exteriori, debetur laureola. Perfectissima autem victoria de exterioribus passionibus, consideratur ex duobus: Primo inter magnitudines passionis; inter omnes autem passiones illatas exterius præcipue mors tenet, sicut & in passionibus exterioribus præcipuæ sunt venereorum concupiscentiæ. & ideo quando*

aliquis obtinet victoriam de morte & de ordinatis ad mortem, perfectissime vincit. Secundo perfectio victoriæ consideratur ex causa pugnæ, quando scilicet pro honestissima causa pugnatur, quæ scilicet est ipse Christus. & hæc duo in martyrio considerantur, quod est mors suscepta propter Christum. hæc ibi. si ergo martyrium est perfectissima victoria de morte propter Christum, ubi non est mors non est victoria mortis. mors igitur est de ratione perfecti martyrii.

§. 3. ASSERTVM III. *Imperium executivum ponendi vitam pro defensione fidei, non sufficit ad perfectum martyrium.*

ITa Dominus Cajetanus ubi supra contra Martinum de Magistris, qui ultra desiderium ardens martyrii ad perfectam illius rationem dicebat sufficere imperium executivum ponendi vitam pro Christo, ut quis sufferret tormenta ordinata ad amissionem vitæ, quamvis ex natura sua non essent mortis illativa. contra quem sic arguit Cardinalis: *Omnes vere Martyres sunt salvi. sed non omnes imperantes executive mortem sunt salvi, quia ante mortem potest quis mortaliter peccare, tum quia posset propter tormenta desistere à confessione fidei, ut patet & de facto multis accidisse videtur, tum quia posset postdiu insuper vivere, & variis peccatis implicari, & sic verum esse, quod multi vere Martyres perfecti sunt damnati. Secundum ad inventionem hujus novellæ doctrinæ, quod Ecclesia Dei horret audire, sequeretur etiam quod unus & idem posset esse centies vere & perfecte Martyr, quod alienum est à communi Theologia. Sequeretur etiam quod Ioannes Euangelista esset Martyr, quod iste homo negat. & patet sequela quia in ferventis olei dolium missus habuit actum imperativum executionis mortis, cum ferventis olei dolium mortis sit procul dubio illativum.* hoc argumentum est ad hominem.

Et horum omnium rationem à priori satis profundam subdit dicens: *Et si quis bene perspiciat, ista nova adinventio sibi ipsi dissonat, quoniam universaliter verum videmus, quod ideo propositum, vel imperium alicujus actus exterioris requiritur ad virtutem, aut salutem, quia perfectio consistit in illo actu exteriori. Ideo enim requiritur ad salutem propositum Baptismi, quia perfectio salutaris consistit in exteriori Baptismo, ideo ad virtutem justitiæ requiritur propositum restituendi, quia perfectio justitiæ habentis alienum consistit in exteriori restitutione; ideo in peccatore requiritur ad pœnitentiam propositum confessionis, quia perfectio consistit in exteriori confessione. & receptione clavium; ideo in medico requiritur imperium medicinæ, & in ægro non sufficit imperium executionis, sed oportet actualiter recipere medicinam, quia perfectio consistit in actu exteriori, & sic de aliis. & propterea consequens est quod ideo imperium executionis ponendi vitam requiritur ad martyrium, quia perfectio martyrii consistit in actuali positione vitæ. Dicere ergo quod ad martyrium requiritur actus imperativus ponendi vitam, & quod martyrii perfectio non consistat in ponere vitam, est dissonare à veritate & à seipso.*

Secundum fundamentum posuit Divus Thomas 22.q.124. art.4 ad 3 & 2. quia martyrium est summum testimonium de confessione fidei Christianæ, non solum coram Deo sed etiam coram hominibus. & sic ut supra Tractatu 1, Resolut. . . . probavi, quod fortitudo, cujus actus est martyrium, non est nisi circa maxima mortis pericula. ergo quantumcunque quis patiatur tormenta quæ ab hominibus non judicantur mortis illativa, etsi habeat desiderium ardens & imperium executivum ponendi vitam pro confessione fidei, Martyr non est perfecte & cui debeatur laureola. & ideo nec martyrium proprie dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ divitiarum, *Nisi forte secundum quod ex his sequitur mors, & si carcer est à sua natura mortalis, à principio voluntarie carcerem talem volens martyrii actum incipit.* addit Cajetanus.

Quibus jungenda sunt aurea Divi Thomæ verba q.2. citata ad 7. *Quod si aliquis propter fidem lethale vulnus accipiat, & supervivat, non est dubium quod laureolam meretur, sicut de beata Cicilia patet quæ triduo supervixit, & de multis martyribus, qui in carcere sunt defuncti. sed etiam si vulnus non lethale accipiat & tamen exinde mortem incurrat, creditur laureolam promereri. quamvis quidam dicant quod laureolam non meretur si ex incuria, vel negligentia propria mortem incurrat. Non enim ista negligentia eum ad mortem perduxisset, nisi præsupposito vulnere quod pro fide acceptum est; & ita vulnus propter Christum susceptum, est ei plena occasio mortis. unde propter hoc laureolam non videtur amittere, nisi sit talis negligentia quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & lauream aufert & laureolam. si vero ex vulnere mortali suscepto non moriatur aliquo casu contingenti, vel etiam vulnera non mortalia susceperit & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc laureolam meretur, unde & quorumdam Sanctorum martyrium in Ecclesia celebratur, qui in carcere mortui sunt aliquibus verberibus longe ante susceptis, sicut patet de Marcello Papa. qualitercumque igitur afflictio propter Christum illata usque ad mortem continuatur, sive mors inde sequatur sive non, aliquis Martyr efficitur & laureolam meretur. si vero non continuetur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur Martyr, sicut patet de Sylvestro, de quo non solemnizat Ecclesia sicut de Martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.* Quæ doctrina valde utilis est ad intelligentiam sancti Cypriani in verbis relatis, argumentis contrariis.

§. 4. Vltimum ASSERTVM. *Verum & proprium martyrium Catholicæ Ecclesiæ est, si ita applicatur mortis causa ab intrinseco, quod sit miraculum si mors non sequatur.*

HOc Assertum manifeste sequitur ex verbis Divi Thomæ modo citatis ibi: *Qualitercumque igitur afflictio propter Christum illata usque ad mortem, continuatur, sive mors inde sequatur sive non, aliquis Martyr efficitur & laureolam meretur.* & in solut. ad 8. expresse nostrum assertum tenet, dicens, *fortitudo est circa pericula mortis sicut circa præcipua, ut dicetur 3 Ethicorum cap. 6. & ita soli injuriæ quæ irrogatur circa proprium corpus, ex qua nata est mors sequi, debetur laureola.* Nec abhorret ab hoc Dominus Cajetanus in verbis supra relatis: *Si carcer est à sua natura mortalis, à principio voluntarie carcerem talem volens martyrii actum incipit.* ergo si miraculose mors impeditur, vere & proprie martyrium est, etsi non consummatum & ultimo perfectum.

Hoc placitum valde efficaciter probant ea quæ §. 1. adduximus, maxime 1, 2, 3, 4, & 5 argumentum, quæ me quidem judice difficillime dissolvuntur nisi juxta doctrinam hujus asserti. quare aliud est verum & proprium martyrium, aliud martyrium perfectum & consummatum, sicut aliud est verum & proprium matrimonium quod potest esse ratum tantum, quia ex natura sua ordinatur ad actualem copulam, & consummationem per coitum. quod tamen si non consummetur, potest dirimi authoritate Papæ, vel nisi intra bimestre alter conjugum advolet ad religionem. aliud est matrimonium consummatum

matum & completum per copulam, & istud dirimi nequit potestate aliqua humana; ita de ratione martyrii proprii est victoria perfectissima de Tyranno, cum quo pro fide certamen initur usque ad mortem, ita ut Tyrannus causam mortis applicet proximam, quæ sine miraculo non potest non mortem inferre. hoc autem proprium & verum martyrium dividitur in martyrium perfectum, completum & consummatum, de cujus ratione est quod sit actualis & exercita mors; nam martyrium consummatum simul est cum gloria consummata, & beatitudo, ex cap. cum Martha de celebratione Missarum, & satis probatum est asserto secundo: & in martyrium imperfectum, verumtamen & proprium, cujus distinximus quinque gradus Resolut. 18. ex Patrum antiquorum sententia, quam amplexatus est sanctus Thomas in verbis solutionis ad septimum suprarelatis, quamvis quartus gradus Martyrum designatorum, nisi in carcere moriantur etiam ex causa naturali superveniente, proprie Martyres non sunt.

Hujus asserti fundamentum præter ea quæ diximus est valde efficax, quia si quis ita fortiter pro fide Christi militavit quod Tyrannus in illius odium applicuit ignem robustum, feroces, sanguinolentas & carnivoras bestias, aut gladium acutum cervici ad secandum applicuit, aut lancea cor transverberavit, quæ omnia Martyr patienter sustinuit parvi pendens vitam pro Christo, & non æstimans visibilia omnia pro invisibilibus & æterna vita consequenda, Tyrannus ex parte sua complevit odium, & Martyr ex sua amorem Christi, & dedit Deo & hominibus summum testimonium quod ipse dare potuit, quod si miraculose impedita est mors, hoc non obest vero & proprio martyrio, nec impedit effectus suos aut meritum laureolæ quæ suo tempore dabitur, sicut non impediret quod Deus miraculose Martyrem mortuum resuscitasset. itaque meritum laureolæ & effectus martyrii tunc causantur quando verum est dicere: nunc factum est miraculum, & suspensus est concursus causæ primæ, ne causa secunda ex natura sua illativa mortis illam actu inferat. nec enim æquum videtur, quod si homo propter Christum actu contempsit vitam, & sustinet tormentum illius ablativum ex natura sua, quod si Deus ob particulares fines occultos impedit mortem, privet martyrem laureola, aut effectibus martyrii.

Confirmatur, quia si beatæ virginis Cæciliæ vitam Deus miraculose conservaret per multos annos, sicut conservavit per triduum, ut domum suam in Ecclesiam consecraret, sanaretque supernaturaliter vulnus mortale quod in cervice accepit, quis dubitat quod vere esset Martyr, sicut fuit beata Tecla ut retulimus. ergo miraculum quod impedit mortem, quam ex natura rei & sine miraculo causatura erat causa naturalis, non impedit verum & proprium martyrium.

Verum enimvero adnotare operæ pretium est, quod eo ipso quod Deus per miraculum impedit mortem vel ad aliquos dies, ut in beata Cæcilia, vel ad aliquos annos in beata Tecla, sancto Ioanne Euangelista & in tribus Chaldæis Pueris, multisque aliis, ita ut in pace vitam finiant, non amittunt laureolam nec lauream, sed ex vi prioris miraculi manent confirmati in gratia, sicut si Martyrem aut aliquem beatum resuscitaret ad vitam, sive immediate post mortem, sive post aliquos annos. nam beatum Petrum primum Bracharensem Episcopum post sexcentos annos mortuum, ad vitam revocavit beatus Iacobus Apostolus in Hispania, & post Martyr sanctissimus occubuit. venit enim in Hispaniam cum exercitu quem misit Nabuchodonosor Rex anno 171. Romæ conditæ, vel ut aliis placet anno 149. dictusque fuit Samuel junior vel Malachias senior, ut ex Athanasio Episcopo Cæraugustano refert eruditus vir Fr. Franciscus de Vibar, heu quondam amicissimus meus, in Comment. ad Dextrum, anno Christi 31. comm. 1. n. 2. de sancto Lazaro mortuo triduano & aliis. hi inquam ita vitam mortalem degerunt, ut confirmati in gratia nunquam mortaliter peccarint, ut non amitterent coronam quam semel adepti sunt: cum enim illi sancti, quibus applicata est causa illativa infallibiliter & necessario mortem, & necessario consecuturi erant lauream & laureolam, si Deus miraculose impedit mortem, videtur etiam consequenter dicendum quod eos confirmaret in gratia, ne is qui vere Martyr est damnetur, sicut de illo qui accipit vulnus mortale, & per aliquos dies vivit, multi dicunt ex Divo Thoma supra.

§. 5. *Occurritur fundamentis in contrarium.*

PRo sententia Martini aliqua adduximus argumenta, quæ ipse non excogitavit, & eam aliquatenus confirmabant, probant tamen nostrum ultimum assertum, quod esse etiam D. Thom. monstravi, & non esse contra Dominum Cajetanum. circa cujus doctrinam adverto, non dixisse beatum Ioannem Euangelistam non esse *verum Martyrem*, sed non fuisse *perfectum Martyrem*, quia non est mortuus in martyrio, sed in pace, sicut de beata Tecla, quam tamen esse vere Martyrem, inter fœminas protomartyrem, certissimum est; quamvis in pace quieverit. quare ad ea argumenta non est opus respondere. Ad ea autem quæ §. 3. ex eodem contra Martinum, quatenus opponi videntur nostro ultimo asserto, operæ pretium est satisfacere. ad 1. quod multi vere Martyres possunt damnari, quia cum vivant possunt peccare. Respondetur quod non est verum assumptum: nam eo ipso, quod sint veri Martyres & meruerunt laureolam, sunt confirmati in gratia, & sic numquam peccabunt mortaliter. ad 2. quod idem plus posset esse Martyr. Respondetur distinguendo, antecedens posse plures habere causam proximam illativam necessario mortis applicatam, concedo; posset habere plures laureolas, aut illas promereri, nego. sed una & eadem debetur pluribus titulis, sicut si Martyr resurgat & iterum in martyrio moriatur, non merebitur novam laureolam, sed eadem ex duplici causa & victoria dabitur. Ad 3. fatemur quod beatus Ioannes est vere Martyr, sed non perfecte, & hoc negavit solum Cajetanus. Ad rationem à priori, respondemus, quod jam Martyr de quo loquimur, ex parte sua posuit actum externum in quo consistit verum martyrium: nam voluntarie sustinuit applicationem causæ illativæ necessario mortis, unde habet martyrium ratum, verum & proprium, quamvis quia impeditur causa miraculosa, non fuerit consummatum martyrium.

Ad ea quæ specialiter objicit Martinus in 6. argumento. Respondetur ad 1. quod quamvis violenta mortis irrogatio, prout est actio Tyranni, non sit in potestate Martyris; tamen hæc non constituit Martyrem, sed hujus tolerantia voluntaria propter Christum, quæ elicitur à fortitudine & imperatur à charitate martyris. Ad 2. Respondetur negando quod non essent æquales in præmio, quod correspondet merito de condigno, quamvis non essent æquales in visione divinæ essentiæ, & lumine gloriæ quod correspondet gratiæ habituali, quæ datur non solum propter meritum, sed etiam ex opere operato per martyrium, ut supra explicatum reliquimus.

DIGRESSIO II. *De aliquibus instrumentis quibus Tyranni Martyres torquebant.*

MAlefactores & servi propter scelera varie torquebantur, vel in pœnam delictorum, vel ut faterentur veritatem. Aristophanes in Ranis, à versu 620:

At quomodo rem quæram ex ipso? X. omnimodo
Sellæ alliga, suspende, loris perdoma,
Cæde, rape, torque, naribus acetum ingere,
Lateres admove & omnia tenta: solummodo
Ne porro neu recenti gethyo feri.

Et Synesius epistola 38, loquens de Tyranno Andronico Beronicensi dicit: *Post bellum illorum omnium reliquias diligenter persequens, horrenda ad carnificina tormentorum genera ac formas primus in provinciam inferens, utinam & dicere liceat & his solus utens, digitale pedum distortorium prælatum, & nasi pressorium, & labris ac auribus distrahendis forcipes. quorum qui impedimentum ac spectaculum morte prævenerunt, quique ante bello sublati sunt, ab his qui male liberati felices prædicati sunt. Sed quoniam primus apud nos, & solus factis verbisque Christo maledixit, factis quidem ex quo edicta sua Ecclesiæ foribus affixit nefariis suis sceleribus inviolabilis mensæ supplicationem intercludens; Dei vero Sacerdotibus ea intentans quæ vel Phalaris Agrigentinus, vel Cæphren Ægyptius, vel Senacheribus Babylonius timuisset, &c.*

Gregorius Nissenus oratione de vita sancti Gregorii Thaumat. *Erant non in verborum duntaxat minis terrores, sed una cum his varius carnificinarum & tormentorum apparatus omnem afferebat concussionem, etiam ante periculum hominibus formidinem injiciens ensis, ignis, bestiæ, scrobis, & foveæ, item instrumenta quibus membra constringerentur, tum ferreæ sellæ ignitæ, tum ligna erecta in quibus stantium corpora dum intenderentur, terribilium unguium violentis admotionibus lacerarentur; atque alia item innumera ad varia corporum tormenta exquisita ab his excogitabantur, ac studium his qui eas potestates susceperant unum erat, ne quisquam alteri secundus exuperantia sævitiæ videretur.*

Claudianus item 1 Ruffin. aliquantulum à medio sic antiqua tormenta describit:

Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes posset deflere nefandas?
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vel scinis Isthmiaca, pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris Tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes. jam Cinna pius, jam Spartace lenis
Ruffino collatus eris.

Apulejus de Asino aureo lib. 8, *Arreptum servulum ejus qui causam tanti sceleris luxuriæ suæ præstiterat nudum ac totum melle perlitum firmiter alligavit arbori ficulneæ, cujus in ipso cariosa stipite inhabitantium formicarum nidificia bulliebant, & ultro citroque commeabant multivaga scaturigine. quæ simul dulcem ac mellitum corpore nidorem persentiscunt, parvis quidem sed numerosis & continuis morsiunculis penitus inhærentes, per longi temporis cruciatum ita carnibus ac ipsis visceribus adesis, homine consumpto, membra nudarunt, ut ossa tantum viduata pulpis nitore nimio candentia funestæ cohærerent arbori.*

Iosephus lib. de Machabæis juxta versionem Erasmi: *Singula* (ait) *proferri in medio tormenta mandavit. exhibentur itaque rotæ, radii, ungulæ, rotabula, catapultæ, lebetes, catastæ, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succensoria, ollæ æneæ, sartago.* hæc ibi. quamvis aliter hæc Iosephi verba transferat Nazianzenus, oratione de Machabæis.

Cyprianus lib. de lapsis n. 51: *Sed cum durissimi judicis recrudescente sævitia jam fatigatum jam laxatum corpus nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc æquuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit.* & lib. de patientia: *Præter bestias cruces & gladium adjicit.* De quibus omnibus eleganter Tertullianus in apologetico, & lib. ad Martyres. *Quas pœnas* (ait Eusebius lib. 8 Historiarum, cap. 24) *ingeniose illi judices, quo suam solertem indolem & ingeniorum acumen ostenderent, & perinde ac si singulare quoddam sapientiæ specimen in ea re eluxisset, attentius excogitarunt, atque in novis suppliciorum generibus adinveniendis non aliter atque in certamine præmia assequi laborabant, seque inter ipsos superare enixe contendebant.*

Hæc sunt fere omnium tormentorum genera, quibus Tyranni Martyres sanctos impellebant ad fidem deserendam & abjurandam. sub quibus fere innumeri modi diversi adinventi sunt torquendi invictos & constantes, adeo quod & tortores ipsi in torquendo, & Tyranni & judices in excogitandis tormentis, & ingenium & studium viresque nervorum deficerent, cum Martyrum virtus & constantia indeficiens perseverabat; de his variis & diversis varie & erudite tractat Antonius Gallonius Presbyter Oratorii Romani, in lib. de sanctorum Martyrum cruciatibus, in quo ex multiplici Auctorum & Martyrio Menalogiorum lectione omnia invenit, omnia extricavit & de tenebris ad lucem perduxit, & ex illo, & aliis breviter perstingam ea quæ ad præsens institutum & jocunda, & non inutilia videntur. Videri etiam potest, doctissimus Thomas Mavienda in illo non satis laudato opere de Antichristo, ubi de variis tormentis, quibus sic filius diaboli torquebit filios Ecclesiæ Romanæ, erudito & solide tractat. ego vel non de omnibus agam, quia esset in longum ire, sed de aliquibus, in quibus aliquid speciale dicendum habeo.

SECTIO I. *De tormento crucis.*

DE cruce prius agendum, utpote cum sit primum nostræ salutis efficax instrumentum, ex quo scaturivit omnis Martyrum fortitudo, de quo placuit subjicere ea, quæ Cardinalis Baronius die 6 Aprilis in Martyrol. congessit & erudite digessit: *Sic Eusebius meminit lib. 8. cap. 8, dicens: Non uno eodemque modo omnes cruci addicti crucifigebantur, sed diverso, ut culpa delinquentis poscebat vel securitas judicis imperabat. de his Seneca his verbis: video* (inquit) *istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. sunt qui capite in terram verso suspendant, alii per obscæna stipitem agunt, alii brachia patibulo explicuerunt. quod genus crucis cujusmodi fuerit, idem Seneca declarat, epistola 102. crucem enim eam acutam appellat, dum invehitur in Mecœnatem voluptuosum.*

Apud antiquos crux, patibulum & furca erat idem supplicium. Sicut enim cruci, ita & furcæ affigebantur, ut habes ex Callistrato leg. capitalibus §. famosos, D. de pœnis, famosos enim Latrones furcæ affigendos esse respondit Iurisconsultus; patibulum crucem esse docet Nonius; furcam etiam dictam esse patibulum habet Isidorus lib. 5 Originum. Scriptores gentiles etiam, ut Livius lib. 2. Lactantius lib. 2, cap. 8. Consentiunt & sacræ literæ, Genesis 40. vers. 20. Deuteron. 21. vers. 16. Iosue 8. vers. 18.

Esther

Esther 5. vers. 9. Erat & nota quædam infamiæ ipsam furcam ferre, nec ultimum supplicium consumebatur per eam, ut Suetonius in Nerone cap. 49. his verbis: à senatu judicatum est quæri ut puniatur more majorum. interrogavit quale esset hoc genus pœnæ, & cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, & (ut legit Eutropius) ex saxo præcipitari, &c.

Cum enim servi etiam quid gravius deliquissent, furca eorum collo appendebatur. sicque verberati per viciniam ducebantur, Plautus in Menæch. cæsum virgis sub furca scio. Plutarchus etiam in Coriol. & plebem, cap. 70. inde dici fere Valerius Maximus lib. 1, cap. 7. habes aliqua notata per Alciatum lib. 9. Parergo cap. 24. Cœlium Rodig. Antiquit. lib. 10, cap. 8. & nuper à Covarr. lib. 4 variarum Resolutionum, cap. 8.

Infame fuisse, ac humilibus tantum personis irrogari solitum supplicium crucis, consentiunt omnes ex lege. Cave damnum. §. sed enim. D. de pœnis. itemque summum omnium supplicium fuisse crucem habes ex Paulo I. C. lib. 5. sententiarum tit. 21. cum (au) summo supplicio, id est cruce afficiuntur, &c. si quando autem accedisset ut eminentioris status quispiam crucis supplicio necandus esset, id ille præ cæteris consecutus esse reperitur, ut altiorem crucem nancisceretur. sunt de his quamplurima exempla. Esther cap. 6 & 7 de Patibulo Haman. Iustinus Hist. lib. 18. de cruce Cartali. Suetonius in Galba cap. 9. de civis Romani cruce; item ad crucem Policratis Tyranni delectum fuisse altissimum omnium montium recitat Valerius Maximus lib. 6, cap. 9. exterior. n. 5. eadem puto ratione Augustum Imperatorum mandasse suffigi malo navis Erotem suum Procuratorem in Ægypto, de quo Plutarchus in Apophthegma.

Errant qui putant crucis supplicium sublatum fuisse à Constantino Magno Imperatore statim post debellatum Maxentium, quandoquidem nec post biennium sublatum esse cognoscitur. extat enim lex ejus lata Volusian. & Anian. Conss. qua reum majestatis patibulo affigendum sancivit leg. 1. lib. 9. tit. 5. ad legem Iuliam Majestatis C. Theodos.

Quod autem pertinet ad crucifixorum corpora, nec illud silentio prætereundum, quod licet Iudæi lege præciperent eadem die corpora in patibulo affixa deponere, Deuteron. cap. 21. vers. 17. gentiles tamen usque ad putrefactionem eadem in cruce pendere sinebant: unde Theodoretus ille Cyrenæus, hæc ad Lysimachum Regem: mea quidem nihil interest humine, an sublimi putrescam. Valerius Maximus lib. 6, cap. 3. exterorum. n. 3. Porro Christianos consuevisse redimere corpora sanctorum Martyrum ad sepeliendum ea, Acta diversorum Martyrum sæpe testantur. hæc ille.

Sed quamvis Cardinalis eruditissimus suspensionem in ligno, & crucifixionem confundat, & pro eodem reputet, sicut furcam & crucem; meo quidem judicio non videtur idem, cum latius pateat suspendium quam crucifixio: illud enim usu est inter Christianos; ista vero nullatenus permittitur, quam prohibuit Constantinus Magnus statim post victoriam Maxentii, quando vidit liberum in aëre. at lege illa solum permisit suspendium à furca aut à palo, cui affigebatur reus non extensis brachiis in modum crucifixi, quomodo Christus mortuus est; hæc enim proprie duntaxat hodie crux dicitur, & antiquitus etiam in ordine ad istam cætera patibula cruces dicebantur, quamvis proprie cruces non essent, sed instrumenta à quibus variis modis homines suspendebantur. Nam de quibusdam legitur uno tantum pede fuisse suspensos, ut de beata Samona Martyre sub Diocletiano Edessæ celebratur 15 Novembris; alios utroque pede, de quibus Martyrolog. decimo Kalendas Iunii; aliquando supposito igne ex materia putrida & fœtida; aliquando appendebantur uno brachio, ut de beata Antonia in Nicomedia 4 Nonas Maji; aliquando utroque, ut de beato Andochio & sociis 8 Kalendas Octobris; aliquando è sublimi suspensos gravabant gravissimis ponderibus lapideis, terreis, plumbeis; aliquando è capite hominis suspensi pondera pendebant. & mille alios modos invenit suspendendi sæva crudelitas Tyrannorum, adeo quod fœminas nec per funes, sed per capillos suspendebant, ut de pluribus refert Surius, de Eulampia tom. 5. de Thionila. tom. 4. & alii de aliis sanctis fœminis virginibus, de variis crucifigendi formis late Lipsius lib. de cruce, & Gretserus latissime & eruditissime tom. 1 de cruce.

SECTIO II. *De Cyphonismo & Scaphismo.*

Sed quia in longum iremus si singulas tormentorum species, quas machinata est impia crudelitas Tyranni in Christi Martyres, persequeremur, aliquas duntaxat quæ ad antiquorum intelligentiam, ingerunt animo studium quæritandi quod instrumenti artificium esset, enucleare decrevi ut initio dicebam, de Cyphonismo à Cyphone nuncupato supplicio. sic Rodig. lib. 10 Ant. lect. cap. 5. *Cyphon in Aristophanis id nominatur quod ligneum erat vinculum, ut nunc etiam ferreum vulgus Berlinam vocant, quo quis videlicet ad ignominiam ligatus detinebatur melle delibutus, & sic muscis expositus. hinc fit ut improbis quoque Cyphonis adhæserit nomen & Cyphonismus pro supplicio.* & infra: *apud quosdam ita cautum animadverto, ut, si quisquis per audaciam legum placita risui habuisset, diebus viginti in archivo, id est in loco quo ducebantur damnati ad mortem, vinctus Cyphone perseveraret, & melle ac lacte delibutus deturbaretur in præceps.* hæc ille. dictum enim existimo Cyphon ἀπὸ τοῦ κύφειν, id est à capitis proclinatione. qui enim Cyphone torquebantur ipsomet vinculo ferreo coacti caput proclinabant & immotum habebant, ne capitis motione muscas & vespas abigerent, cum manus ligatas post tergum haberent. quo martyrio passi sunt illi sancti, de quibus in Martyrologio die 27 Iunii. Sanctus Marcus Aretusus, de quo Nazianzenus oratione 1 in Iulianum. sanctus Mauritius, ut refert Surius tom. 4.

Huic simile erat aliud tormenti genus Scaphismus, sic dictum quod damnatus inter duas scaphas inclusus prominentibus capite, manibus, ac pedibus tantum ad volatilium aculeos superunctis, ad solis radios exponeretur; cumque in eodem vase corporis fæces exonerare cogeretur, vermibus ex putredine exortis intus infelix depascebatur. de quo Scaphismo agunt Eunapius Sardianus in vitis Philosophorum, pagina 113, in Maximo. Zonaras. tomo 1 Ann. & Plutarchus in Artaxerxe. & Cælius Rodigin. ubi supra. quibus adhærens Galonius putat Scaphismum ab scaphis dictum. Zonaras enim pagina 21. sic fatur: *Persæ atrocitate pœnarum omnes barbaros vincunt, Scaphis, & excoriationibus, supplicia graviora & diuturniora reddentes. cæterum quod de Scaphis dixi declarandum est ob imperitiores. duas Scaphas inter se pares conjungunt, ita incisas ut caput, manus & pedes foras emineant, in quibus eum qui supplicio afficitur supinum reclinant, itaque scaphas clavis inter se compingunt; deinde potionem ex melle & lacte in os miseri infundunt, donec ad nauseam repleatur, eademque & faciem, & pedes, & brachia ejus perfundunt, & sub dio ad solem exponunt, & hoc quotidie faciunt. ita fit ut muscæ, vespæ & apes* liquo-

liquorum suavitate allectæ miserum vexent ac pungant. At venter ejus lacte & melle distentus liquida rejicit excrementa, è quibus putrefactis lumbrici & vermes scaturiunt. qui vero in scaphis jacet, in sordibus illis carne putrescente e vermibus exosus, & crudelius, & tardius interit, &c. Verum nota quod scapha, ex qua scaphismus, non sumitur pro navicula parva qua utuntur piscatores, & vulgo dicitur *esquife*, sed sumitur pro grandi arbore quæ intus excavabatur: nam scapha ἀπὸ τῦ σκάπ]ειν dicitur, id est ab excavando ligno: olim enim scaphæ maritimæ ex lignis grandibus fiebant, sicut hodie apud Indos Canoa.

Verum enimvero magis assentior Baronio, qui ad diem 28 Iulii sic adnotat: *dictum puto scaphismum non à scaphis, sed à scaphio quod est vas stercorarium, ut habet ex lege 29. §. penultimo, de auro & arg. leg. quoniam ejusmodi genus tormentis non solum scaphis exhibitum reperitur, sed corio bovis arido, qua miser sic consumandus insuebatur. habes enim de Chrysanto Martyre, obvolutum corio expositumque soli, scaphismi supplicium passum esse, item alios nonnullos Martyres. Huic simile erat cruciamenti genus, cum quis non scaphis aut corio claudebatur, sed intra mortuum animal, solo capite prominente, insuebatur. quale genus suppliciis maximum in miseros sontes exercuisse auctor est Iulius Capitolinus in vita ipsius. de quo etiam Valerius Maximus lib. 9. cap. 2, exterorum num. 11. & Apulejus in fine de asino aureo, simile quid refert. qui omnes scaphismi dicuntur, quantum ad rem significatam, quamvis origo scaphismi desumpta sit ab scaphis.*

SECTIO III. *De equuleo.*

EQuuleus tormentum fuit satis commune, quo Martyres cruciabantur: vix enim Romani Martyrum exquisiverunt fidem probare & exprobare, quod non fierent per equuleum, & fidiculas, & ignem. de equuleo meminere Cicero pro Deiotoro, & pro Milone, & alibi. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Seneca lib. 3 de ira cap. 3, & 19. Ammianus lib. 14 & 16. Quintilianus declamatione ultima. & S. Patres, Cyprianus in epistola ad Donatum, quæ est 40 de laude martyrii, & sermon. de lapsis. num. 41. ubi Pamelius. Hieron. epistola 49 ad Innocentium. Augustinus epistola 59 ad Marcell. Eusebius lib. 8. cap. 11. & Isidorus lib. 4 etymolog. capite ultimo. Tertullianus in Apologetico. & de eo fit mentio passim in Martyrum Historiis, in quibus dicitur, *equuleo tortus, equuleo cruciatus, in equuleo suspensus, in equuleum levatus, in equuleum actus*, & similia.

Fuit enim hoc tormenti genus quasi machina ad debellandam fidem, & muros constantissimos sanctorum evertendos, inventum. quid & quale fuerit, hoc tormenti exercitamentum, varia est sententia. quidam dicunt fuisse ardentem laminam, ut refert Ambrosius Calepinus verbo equuleus, & ut quidam dicunt eculeus: quidam, tormenti genus quo vinctis superne manibus, & appensis utrique pedi gravissimis ponderibus, pendens homo immaniter cruciabatur. alii, ut Sigonius, & quidam moderni, Catastam ligneam cochleatam ad intendendum & remittendum aptam, atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur institutam, qua utebantur Tyranni ad veritatem fidei si possent infringendam, abjurandam, deserandam à Martyribus.

Cæterum qui hujusmodi phantasias & opiniones vult propulsas & impugnatas, legat doctissimum Antonium Galonum lib. de cruciatibus martyrum cap. 3, & eminentissimum Baronium ad notas Martyrolog. die 22 Februarii, littera b, ubi sic: *quænam esset equulei forma haut facile describi posse videtur, & cum multi in his laboraverint neminem adhuc eam assecutum fuisse cognovi; at nec mihi id ego arrogo. Describam hic tantum quæ ex veteribus accepi, cæterum rem ipsam exactius examinandum relinquens. stipitem quendam in equuleo fuisse tradit sanctus Hieronymus epistola 49 ad Innocentium, cum ait: crines ligantur ad stipitem, & toto corpore ad equuleum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, utrumque latus carnifex fodit, &c. ex eodem stipite totam illam machinam Prudentius in Romano Hymno 10 appellat noxialem stipitem, cum ait:*

Iubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnaret virum.

Si adhuc fidem integram præstas actis sanctæ Dorotheæ virginis & Martyris, quæ exstant apud Surium, tomo 1. die 6 Februarii, habes ex illis equuleum formam quodammodo expressisse crucis. sunt hæc verba Theophili pendentis in equuleo: ecce modo Christianus sum, quia in cruce suspensus sum. Equuleus enim crucis quandam similitudinem gerit, hæc ibi. secundum autem prædicta, haut difficile erit describere formam equulei. nimirum erectum stipitem cochleatum qui transversum habet signum quod intendatur ac remittatur, ad quod ligata membra distendantur tortoris arbitrio.

Sed ab hac equulei imagine, vel alia huic persimili, cogit me dissentire Ammianus Marcellinus, cum hominem non rectum in equuleo extensum docet, sed curvum: sic enim ait lib. 16, prope finem. Innocentes tortoribus exposuit multos, aut sub equuleo cepit incurvos. Clarius autem lib. 18 his verbis: quamquam incurvus sub equuleo staret, pertinaciter negabat instantia. Hæc Ammian. quibus quidem alia, à prædictis, tamen plane diversa equulei forma describitur, qua quidem & vocis etymologiam possumus intelligere, ut equuleus ab equuleo, quod homo ad eum alligatus atque distensus, & curvus quodammodo equuli formam præ se ferret, sit dictus. Verum advertas sic curvum sub equuleo distendi hominem, ut tamen versus cœlum facies conversa esset liberumque illi fuisse oculos tollere, ad cœlum aspicere: hæc habes ex Hieronymi epistola 49 citata. ex his itaque omnibus quæ diximus tibi formam equulei ut lubet effingito. Hæc ex Baronio.

Audi alia non injocunda ex Gallonio: *scire convenit, consuevisse veteres hoc modo equuleum construere. præparabant enim operis faciundi stipitem rectum longitudinis latitudinisve convenientis, in quibus extremis partibus ipsorum industria aliquantulum excavatis duas striatas rotulas, quæ per axiculos verti possent, intendebant, tum deinde ut ex omni parte velatus remaneret è terra, desumebant quatuor ligna eo paulo arctiora, atque minora, quæ deinceps clavis ferreis non longe ab ultimis stipitis partibus affingentes fabricabant machinam, quatuor quasi pedibus veri equi instar insistentem. quo peracto, si quis ibi equuleo torquendus aderat, in ipsum vi cruribus divaricatis conjiciebatur. Post hæc tortores funiculos aliquos sumentes, illorum altero cruciandi pedes, altero manus post tergum rejectas atque distortas vinciebant. tunc rotulis sive orbiculis funiculos prædictos immittentes, & ad machinulam aliquam equulei pedibus affixam, suculæ (ut nobis probatur) similem, eosdem referentes, ut funiculi circa eam sese involventes extenderentur, & deinceps ut illis alligatus dorso super equuleum, & facie ad cœlum versa, extenderetur. Verum cum iterum & sæpius in machinula vertenda defatigari non desisterent, & ex hoc jam singula vincti membra, compagibus dissolutis, essent distracta longo temporis spatio vel sic eum permanere sinebant, vel judice annuente funiculos relaxantes incurvum ac pendulum sub equuleo cadere, non sine maximo dolore, faciebant, quamobrem*

arbi-

arbitratus tunc judex amplam condemnandi aut absolvendi eum, se nactum esse occasionem, de actis ejus acerrime inquirere ac cognoscere prosequebatur. quod si rei constantia spem ipsius fefellisset atque superasset, jubebat continuo igneas laminas, lampades aut tædas ardentes afferri, vel ungulas & consimilia, & his, vel horum saltem altero, ejus latera cæterasque corporis partes aduri atque excarnificari, ut sic novi doloris acerbitas quæreret veritatem. atque hæc de equulei forma & usu, reliquum est modo omnia & singula quæ de ipso explicuimus, tam rationibus veterum quam monumentis confirmare. Hæc ille. cujus opinionis fuit Thomas Bozzius in Historia de sanctis Papia & Mauro, nundum typis jussa.

Sed Sigonius vir valde eruditus lib. 3 de judiciis cap. 18. equuleum dicit genus esse compedum, quibus rei in carcere positi, injectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad jugem cruciatum sic vincti detinebantur, ut constat ex epistola Ecclesiæ Lugdun. apud Eusebium lib. 5. cap. 1, & lib. 6. cap. 32, agens de origine: *multis quidem diebus* (ait) *pedes in compedem ligneum intrusi, distractione quadam ad quartum foramen distenti fuerunt.* Similia habet lib. 8. cap. 11, & loquens de Appiano Martyre dicit præterea Sigonius, quod idem est torquere fidiculis & equuleo distendi. idque secutus est Valla lib. 1 linguæ Latinæ, Ambrosius Calepinus, verbo Fidicula, & egregie traducit lingua Hispana, *trato de cuerda*. clare idem docet Valerius Maximus lib. 3. cap. 3, loquens de Theodoro: *accepit verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminas extinxit prius quam efficeret ut Tyrannicidii conscios judicaret*, si enim fidiculæ ligamina non essent, non diceretur Theodorus illas laxare. proprie Hispane, *a flosar las cuerdas, con que le atormentavan para que manifestasse los complices.*

In eandem sententiam it Quintilianus, declamatione ultima, cujus verba si quis sine passione legat, manifeste id ita esse constabit. quare explicationes quas affert Galonus, extortæ & violentæ sunt. & quidem quod funiculi, ut Sigonius dicit, sumantur, manifestum est apud Suetonium in Tiberio: *excogitaverat* (inquit) *inter genera cruciatus etiam ut longa meri potione per fallaciam honoratos repente veretris deligatis fidicularum simul urinæque tormento distenderet.* Quid clarius. ut fidiculæ ligamina, facta ex nervis ad tendendum & torquendum reum in equuleo significat, quare ex vi, & proprietate nominis linguæ Latinæ, fidiculæ non ungulas, ut volunt Baronius & Malonius, sed ligamina, magis vel minus subtilia ad ligandum & torquendum membra rei, significant, ut manifeste constat ex lege Decuriones. C. de quæstio. Quam miror Baronium pro se adducere.

Nec juvat quod sanctus Isidorus lib. 3 Origin. cap. ultimo dicat. ungulas ferreas dictas esse quod effodiant, *hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur ut fides inveniatur.* Hæc inquam nullatenus juvant ut à proprietate sermonis & latinitatis discedamus. loquitur enim sanctus Doctor nimis metaphorice, sicut Christus dicitur, leo, lapis, &c. non à proprietate sermonis, sed ab affectu propter fortitudinem & constantiam. sicut & dicuntur findiculæ quia findebant carnes ipsas, quas penetrabant & fodicabant. sic etiam apud Prudentium in Hymno sancti Romani dixit:

Vertat ictum carnifex,
Sulcosque acutos & fidiculas transferat.

At quid obsecro est fidiculas transferre proprie, nisi ligamina quæ sulcos fecerant in una parte corporis, ad aliam partem transferat, ut fortiter retorquendo alios novos sulcos faciat.

His igitur positis & relatis sententiis, existimo non unam dumtaxat fuisse formam equulei sed multiplicem & diversam, vel juxta morem regionis, vel juxta genium crudelitatis judicum, qui vigilabant invenientes diversas formas tormentorum, quibus excruciarentur Martyres, aut in quæstionibus extorquerent à reis veritatem, sicut fuerunt diversæ formæ crucis, diversique modi cruci affigendi, ut notat Seneca de consolatione ad Martiam: *video* (inquit) *istic cruces non unius quidem generis extitisse, sed aliter ab aliis fabricatas.* in qualibet tamen forma equulei hoc erat proprium, ut martyres intenderentur aut extenderentur, sive in toto corpore, sive in parte, aut constringerentur membra fidiculis posita in equuleo. qui modus torquendi in Hispania satis est usualis; siquidem rei ad quæstionem de veritate patefaciendi ponuntur in equuleo, qui est parvus equus, & nos dicimus *Potro*. & sic etiam appellatur equuleus in quo constituuntur rei, ibique fidulis stringuntur membra, usque ad sulcos carnis, usque ad ossium fracturas, si nimis fidiculæ intorqueantur, unde pro qualitate delicti intorquentur, & lege regia impositus est intorquendi modus. & sic Sigonius non ita erravit ut vult Baronius.

SECTIO IV. *De Catasta.*

DE Catasta, quod alicui genus quoddam equulei est, sequitur non parva disceptatio; ego quidem existimo idem esse quod tabulatum quoddam excelsum, quod nos Hispani proprie *Cada halso* dicimus, & Itali *catafalco*, in quo insontes, ut eorum supplicium conspiceretur, à populo constituebantur, ibique à carnificibus torquebantur, aut necabantur, ut Surius tomo 2. die 3 Aprilis, dicit: sic enim clare constat ex Cypriano epist. 33. Presbyteris & Diaconis fratribus. num. 6, ubi eleganter sic fatur, post multa de sancto Aurelio Martyre: *Nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa confessione confessa est, quam celebratis divinis lectionibus, personare, post verba sublimia quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Euangelium Christi legere, unde Martyres fiunt, ad pulpitum post Catastam venire, illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri.* Hæc Cyprianus. ad quæ sic doctissimus Pamelius: *Pulpitum suggestum vocat, unde lectiones recitari olent coram populo. Catasta vero locus erat editior, in quo servi venales exponebantur, ἀπὸ τῦ καθίστημι, id est, ab exponendo dictus.*

Ad quam significationem proxime accedit Cyprianus, dum Catastam (quantum mihi videtur) intelligit locum eminentiorem, in quo de Martyribus sumebatur supplicium, quod & alludere videtur Romanus Martyr, apud Prudentium sic exclamans: audite cuncti: clamo longe ac prædico, emitto vocem de Catasta celsior. Deinde *illud, quod hodie in Hispania locus, in quo servi venum exponuntur, (ut ex relatione fide dignorum comperi) similis sit illis locis editioribus, in quibus sontes plectuntur, quæ in Galliis passim reperire est, & lingua patria la gebenne nuncupantur.* Hucusque Pamelius. quem sequuntur Cardinalis Baronius in notis ad Martyr. die 16 Martii, littera b. Antonius Gallonius de sanctorum Martyrum cruciatibus pag. 62 & 67. Ambrosius Calepinus verbo *Catasta* ex Luciano.

Hæc est primaria hujus vocabuli significatio, sed translatitie plures alias habet 1. significat machinam ligneam habentem formam magnæ & longæ compedis, quo servi ducti tenebantur. de quo Plinius

lib. 35, cap. 18. & forsan propter hoc Sigonius, vir valde eruditus, ubi supra appellat Catastam compedem illum, de quo Eusebius lib. 5 Historiarum, cap. 1 dicit, quod Martyrum *pedes detenti*, *impositi in crassas compedes*, *ad quintum usque foramen, longa intercapedine interposita*, *distendebantur*. & hoc modo videtur sumere catastam Ioseph de Machabæis ad Polyph. *ut erat* (ait) *affixus rotæ ignis in catasta objicitur*, *atque ita tendentibus corpus radiis*,&c. aliquando etiam sumitur pro equuleo, in quo torquebantur Martyres, in loco eminentiori positi. Sic Surius tom. 1 in vita sanctæ Dorotheæ Martyris; pluries invenietur apud antiquos sumi Catasta pro crate ferrea in sublimi ad comburendum parata. sic Prudentius in Peristeph. in Laurent. Hymno 2, *ultro è catasta judicem compellat affectu* brevi. & Hymno 1, *post Catastas igneas*. & Ioseph. lib. de Machabæis nominat *Catastas frixorias*. & infra: *igni in Catasta Martyr objicitur*.

Sectio V. *De Culeo.*

De hoc atrocissimi tormenti genere scripsere sequentes, Ambrosius Calepinus verbo *culeus* sive *culleus*: uter sive saccus ex lineo vel canabe, sive corio factus, ab occulendo, id est, claudendo. Suetonius in Octavio. totus titulus de Parricidis in C. Theodosiano lib. 9. Sigonius de judiciis lib. 2. Cujacius paratitulis lib. 9. titulo 17. *Vbi lex Pompeja de Parricidio magis recepta est tanquam novissima & latissima*, *quæ pro Parricidio etiam habet cædem cognatorum ex adverso, & affinium, & Patronorum, & conjugis. Proprie enim Parricidium committitur tantum inter parentes & liberos*, *quod constitutionibus tituli magis placet puniri more majorum primitus virgis sanguineis cæso parricida*, *lege penultima D. ad legem Pompejam de Parricidio. quales virgas lictorum esse apud Plinium legi. ex fruticibus sanguineis qui arbori infelici suspenduntur*, *ita ut Parricidæ ante supplicium cædantur fustibus ex arbore infelici decerptis*, *deinde insuantur culeo cum illis animalibus, Plaustro juncto bobus atris in mare deportari & abjici in profundum*, &c.

Cicero pro Roscio Almerino: *Quanto majores nostri sapientius*, *qui*, *cum intelligerent nihil esse tam sanctum*, *quod non aliquando violaret audacia*, *supplicium in Parricidas excogitaverunt*, *ut*, *quos natura in officio retinere non potuisset*, *magnitudine pœnæ à maleficio summo arcerentur. insui voluerunt culeo vivos, atque in flumen dejici, ut, qui eum necasset*, *unde ipse natus esset*, *careret his rebus omnibus ex quibus omnia nata esse dicuntur*. Hucusque Tullius. & Paulus Manutius in adagio, *culeo dignus*. ex lege Pompeja cujus meminit Iustinianus Institut. de publicis judiciis §. item alia, ubi ait: *Lege Pompeja de Parricidio cavetur, ut*, *si quis parentis*, *aut filii*, *aut omnino affinitatis ejus*, *quæ nuncupatione parentum continetur*, *facta præparaverit*, *sive clam*, *sive palam id cujus fuerit*, *nec non is cujus dolo malo id factum est*, *vel conscius criminis extitit*, *licet extraneus sit*, *pœna Parricidii puniatur*, *& nec gladio*, *nec ignibus*, *neque ulli alii solemni pœnæ subjiciatur*, *sed insutus culleo cum cane*, *gallo gallinaceo*, *vipera & simia: & inter eas feraces angustias comprehensus*, *secundum quod regionis qualitas tulerit*, *vel in vicinum mare*, *vel in amnem projiciatur*. hucusque Iustin. de quo Rodiginius lib. 6 Lectionum antiquarum. Seneca de Clementia lib. 1, cap. 23. Brissonius de verborum significatione. Isidorus lib. 6 etymol. cap. ultimo. Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium, die 3 Aprilis, litera C.

Verum est quod Culeus, ut Iustinianus refert, ut vivus homo cum feris illis corio insuatur à Pompejo primo inventus fuit: nam sine ferio cullei supplicium antiquitus fuit Pompejo, ut constat ex Cicerone qui de feris non meminit. idem refert Valerius Maximus lib. 1, cap. 1. n. 13. & Dionysius Halicarn. lib. 4, dicit: *Quod temporibus Tarquinii Regis Atilium Duumvirum insutum culeo*, *& in mare projectum, eo quod sacros libros describendos dedisset*.

Sed Ambrosius Calepinus & alii viri eruditi ad §. citatum instit. dicunt culleum utram fuisse ex corio bovis confectum, leg. quæsitum de fundo inst. leg. legatum 17. D. de ann. leg. capientem. viginti amphoras, vel ut Columella lib. 3, cap. 13. Plinius lib. 24, cap. 4. quadraginta vel 48 urnas. & hanc existimo esse primævam ejus Latinam significationem, inde translata est ad significandum culleum qui hominem cum illis feris concluderet. Est autem & Culleus ligneus apud Senecam lib. 7, declamat. 1. sic dicta navis exarmata, in qua reus impositus maris discrimini committebatur, quo Culleo in uxoricidas utitur nostra Hispania, siquidem illos solent judices post strangulationem in vase ligneo cum gallo, angue, cane, & fele inclusos in flumen dejicere, & apud nostrates dicitur *encubar*. Quod supplicium, etsi valdè infame sit, tamen non ita crudele, cum sit in homine mortuo executum.

Cæterum Culleus continens hominem vivum insutum cum illis animantibus, ut lex Cornelia disponit, atrocissimum erat supplicii genus. de quo sic loquitur Baronius: *Porro tam acerbum supplicium ob nimiam sui atrocitatem usu defecerat*, *ut describit Paulus Iurisconsultus lib. 5 sententiarum*, *titulo 24 ad legem Pompejam de Parricid. his verbis: etsi antea insuti in culleo in mare præcipitabantur*, *hodie tamen vivi exuruntur, vel ad Bestias dantur. Hæc Paulus. Sic etiam exhorruit pœnam cullei Augustus Imperator* (*ut auctor est Suetonius in Octavio cap. 33.*) *quod*, *ne ex lege cogeretur irrogare pœnam cullei*, *reum parricidii à confessione distraheret*, *ita reum compellans*, *certe Patrem tuum non occidisti. hæc Suetonius. ex his perpende immanitatem & furorem gentilium in Christianos*, *quos sæviora parricidis cogebant subire supplicia*, *ut pœna cullei in parricidas abolita*, *in Christianos innocentissimos tantum sui atrocitate vigeret. At Constantinus Imperator rescribens ad Verinum Vicarium Africæ*, *eandem legem in usum pristinum*, *nempe in parricidas*, *revocavit leg. 1, lib. 9. C. de parricid.* Hæc Cardinalis.

Igitur crudelissimum erat hoc parricidis impositum supplicium. & sic fecisse, narrat Suetonius, Romanos statuæ Neronis, propter ejus parricidia in parentes, cognatos & magistros, apposuisse culeum cum elogio: *Merueras sed ego quid possum?* Vnde Tyranno, qui sanctum Vlpianum cum aspide & cane insutum culleo in mare demersit, jure elogium Neronis applicatur.

Sectio VI. *De Scorpionibus, & aliis flagris.*

Scorpio animal est tam terrestre quam aquatile, & utrumque cauda mordet, morsu venenum communicans terrestre, aquatile vero summum dolorem, ut refert Plinius lib. 32, cap. 11. unde ortum adagium *piscator ictus sapiet*. quia, suo malo edoctus, cavet in posterum. contra venenum tamen Scorpionis terrestris Auctor naturæ Deus herbam & radicem produxit, quæ Scorpio vulgo *Scorconera*, de qua Plinius ubi supra cap. 15. quia tamen horum animalium ictus acutissimum generant dolorem, cauda ferientes, Cretenses genus hoc tormenti, quo fontes cæde-

cæderentur, primi invenere, ut refert idem Plinius lib.7, cap. 56. quale fuerit, variant Critici.

Ambrosius Calepinus dicit: *Quidam accipiunt Scorpium pro genere tormenti, ut sunt rubi aculeati, & flagellum virgarum, aut scutula, habens in summitate glandulas plumbeas.* sed erudite de virgis & Scorpionibus Antonius Gallonius, ubi supra cap.4, ubi pag. 168 sic loquitur: (ex parte sequens Baronium in notis ad diem 12 Iunii) *Non solum lenibus virgis solebant antiqui suos delinquentes, ac Christianos homines corrigere, sed etiam nodosis atque aculeatis, quæ quidem proprio nomine scorpiones vocabantur ab eisdem. indicat hoc Isidorus etymolog. lib.6, capite ultimo inquiens: virgæ sunt extremitates frondium arborumque, si lenis, virga est: si autem nodosa aut aculeata, Scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur. hactenus ille. unde fit, ut si occurrerit quandoque in sanctorum Martyrum passionibus invenire Christi fideles spinosis virgis nodosisque atque aculeatis cæsos fuisse, idem intelligi debeat ac si ibidem scriptum esset eos scorpionibus cæsos fuisse.*

Virgæ igitur erant vel lenes, vel spinosæ: si primi generis, vel ex tenuibus arborum bacillis, aut ex metallo; si ex arborum vacillis, vel ex ulmo, vel betula, vel quercu, aut fraxino, vel demum ex salice; si vero ex metallo, aut ex ferro & quandoque ignito, aut ex plumbo. his etiam possumus addere ea, quæ de virgis leguntur in rebus gestis sanctorum Hermilis atque Stratonici descriptis a Surio **tomo 1.** *sunt autem hujusmodi: His ira percitus Licinius jubet Stratonicum porrectum supinum, virgis figura triangulari in ventre verberari; & erat quidem hoc grave tormentum, & corporibus humanis minime tolerandum: anguli enim virgarum non secus ac quidam ensis carnes vehementer tangebant, &c.*

Observare præterea debemus licet virgis cedere ignominiosum extiterit apud majores animadversionis genus, cæteris tamen (hoc minime obstante) levius fuisse, cujus rei testis est leg. unica D. de emendat. servo. & leg. 2. de public. curs. C. Theodos. Fuisse autem ignominiosum constat ex lege Porcia, ac Symphronia, & ex antiquorum authoritatibus. lege Ciceronem pro Rabir. Iosephum de bello Iudaico, Aulum Gell. lib. 10, cap. 3. & Sigonium de antiquo jure civil. Roman. lib.1.cap.6. hæc ibi. quæ ignominia apud omnes fere nationes perseverat: ille enim qui publice flagris cæditur infamis manet.

Sed agens de plumbatis idem qui supra Gallonius, sic fatur: *Erant plumbatæ (ut sanctorum Martyrum res gestæ indicant, & Prudentius, & quedam picturæ quæ hic Romæ invisuntur) quoddam flagelli genus ex funiculis, aut loris factum, quorum summitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo postea terga ac collum damnati hominis verberabantur. Meminerunt de hoc flagelli genere passiones sanctorum quamplurimæ, & Prudentius Hymno beati Romani Martyris, sic scribens:*

— Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.
Persona quæque competenter plectitur
Magnique refert vilis sit an nobilis.

Mos vero fuit apud Veteres ut viliores personæ tantum plumbatarum verberibus affligerentur, innuunt hoc leges. lege, Siquidem. 2 de Quæstor. C. Theodos. hujusmodi verba habentur. plumbatarum vero ictus, quos ingenuis corporibus non probamus, sed decem primos tantum ordinis curialis ab immanitate hujusmodi verberum segregamus. & leg. 8. de decurio. eodem C. omnis ordo curialis ab ictibus plumbatarum habeantur immunes. his enim olim debitores affici consueverunt. viguit vero hujusmodi supplicii genus temporibus Honorii Imperatoris, qui impium Hæresiarcham Iovinianum contusum primum plumbo, una cum suis gregalibus damnavit exilio. testatur hoc codex Theodos. leg. 54 de hæret. hactenus Gallonius, qui fere transcripsit ex Baronio in notis ad diem 6 Iunii litera D: uterque tamen plumbatarum flagellum secernunt, & distinguunt à scorpio.

Cæterum Ambrosius Calepinus sub scorpionico flagello plumbatas comprehendit. quam opinionem amplectitur Abulensis ad lib. 3 Regum, cap. 12. q. 14. explicans illa verba Regis Roboam: *Ego autem cædam vos scorpionibus.* ubi sic loquitur: *Vocatur autem scorpio (vulgo alacran) flagellum quoddam, quod in funiculis habet sphærulas plumbi, & sunt istæ sphærulæ in fine ad hoc, quod gravior percussio sit, & vocantur scorpiones, quia sicut Scorpio (alacran) mordet cum cauda, ita ista flagella in extremitate habent percussionem duram. vel vocatur scorpio genus flagelli, quod in extremitate recurvatum est, ideo ex illa parte mordet sicut Scorpio.* hæc doctissimus Hispanus quæ refert ad verbum 2 Paralipom. cap. 10. explicans eadem verba.

Cui sententiæ assentior, quamvis enim possit scorpio dici virga nodosa & aculeata, ut explicat sanctus Isidorus, tamen propius ad modum feriendi hujus animalis, quod mordet extremitate sui corporis, accedit plumbata, quæ glande in extremitate posita ferit, aut flagellum quod in fine retortum est, ad similitudinem caudæ Scorpionis vulgo *alacran*, mordet, & sentiunt docti Religiosi secuti Malonium de sacro Syndone.

SECTIO VII. *De Tarinchis.*

NOmen est ex aliqua vulgari lingua ignotum, tamen ad Latinam translatum: etenim in Martyrologio, die 11 Decembris, sic habetur: *Ambiani sanctorum Martyrum Victorici & Fusciani, sub Maximiano Imperatore, in quorum naribus & auribus jussit Rictionarus Præses immitti tarinchas, & clavis ardentibus tempora transfigi*, &c. in quæ verba sic Baronius: *Tarinchas vox prorsus incognita, nisi ex varia lectione actorum eorundem Martyrum genus esse tormentorum assequi possimus. aliqua vetera manuscripta loco Tarincharum dicunt sudes ferreas. sic enim legit membris. tomo 1 Vitæ sanctorum, in vita dictorum Martyrum. sic Vincentius in Speculo histor. lib. 13, cap. 141. sic denique Petrus in catalogo lib. 1, cap. 57. puto autem Tarinchas illas esse quas Ioseph. lib. de Machabæis. ex versione Erasmiana appellat succensoria. quæ* (inquit) *erant tenuia ferri tela, ad intendendum Martyres comparata.* hæc ibi. Cardinalem sequitur Gallonius pagina mihi 205, *inter manum, ungues & carnem sanctis Martyribus acuti calami fuerunt infixi, aut pellis detracta, vel sude peracuta transfossi.* ubi ad marginem notat, *sudes ferreæ, quæ alio nomine Tarinchæ dictæ leguntur.*

Sed me quidem judice isti toto cœlo aberrant, si enim tarinchæ sudes essent acutæ ferreæ, in nihilo distinguerentur à clavis ardentibus, quibus horum sanctorum Martyrum tempora sunt transfixa. quare existimo tarinchas positas in naribus & auribus ad impediendum, vel respirationem, vel olfactum & auditum Martyribus, fuisse reclusorium aliquod, quo meatus illi naturæ occluderentur, ne facile possent respirare naribus, aut olfacere, aut auribus audire, quod sermone Hispano dicimus *Tarugo, con que se tapa algun agun agugero para que no entre el agua o salga.* Quod genus martyrii grave admodum erat, ut quis experire potest si nares & aures occludat. vel Tarinchæ fuerunt sudes, non ferreæ sed ligneæ.

sudes

sudes enim est paxillus igni torridus, ut ait Virgilius 7 Æneid. *sudibusque præustis*; est enim acuta & in cuspide torta, & nos dicimus torton. & est genus teli quo rustici utuntur, & apud Indos vulgare; his enim sudibus occludebantur aures & nares Martyrum, & istæ tarinchæ dicuntur.

SECTIO VIII. *De Crurifragio.*

DVplex Crurifragium apud auctores invenio, unum solitarium, id est, per se intentum nec adjunctum alii tormenti generi, aut formæ; alterum conjunctum & non per se intentum, sed quasi per accidens, ut fuit latronum cum Christo Domino crucifixorum, de quibus dicit sacra Scriptura, Ioannis 19. vers. 35, *venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo; ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*, &c. hoc enim latronum crurifragium non erat per se intentum à lege, sed ne manerent occaso sole insepulta corpora, & quia de patibulo non erant viva tollenda, ut morirentur, crura frangebantur, ut Cyprianus lib. de Idolor. vanit. Cyrillus lib. 12 in Ioan. cap. 38. in Psalmo 33. dicitur enim Deuteronomii 21, vs. 22. *quando peccaverit homo quod morte plectendus & adjudicandus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eodem die sepelietur.* quare Iudæi lege scripta adigebantur ante noctem tollere cadavera. Crurifragium autem erat expedita via suspensos exanimandi, ut possent tempore præscripto de Cruce deponi, mandarique sepulturæ. quod si ante tempus præscriptum sepulturæ jam suspensi fuerint vita functi, crurifragium non erat necessarium. qua de causa cap. 8. & 10. Iosua Regem Hai & alios quinque patibulis affixos, cum usque ad vesperam & solis occasum pependissent, ad solis tandem occasum tolli de patibulis & sepeliri mandavit, & non fit crurifragii mentio, quia ante tempus sepulturæ assignatum mortui sunt. cæteræ vero nationes non utebantur ad accelerandam mortem crurifragio, quia nisi justa aut congrua causa intercederet, ut natalis Principum, de quo Philo contra Flavum; vel petitio cognatorum, ut Vlpianus leg. corpora. D. de cadavere; vel aliorum quorumcumque, ut ibidem dicit Paulus Iurisconsultus, cruci suspensos in cruce tabescere sinebant. unde Theodorus quidam Cyrenæus ad Lysimachum Regem dixit. *mea quidem nihil interest humine an sublimi putrescam*, ut refert Valerius Maximus lib. 1. cap. 9. extero. num. 5. & Christiani consueverunt redimere corpora sanctorum Martyrum ad sepeliendum, ut notat Baronius die 7 Aprilis, littera d, in fine.

Cæterum Romani ne crucis supplicium diuturnitate intolerandum evaderet, misericordia affecti solebant statim à crucifixione percutere sub axillis eos qui cruci suffigebantur, nisi quando reus magnis & enormibus sceleribus obstrictus ea humanitate indignus videretur. Vt notat Raynaudus in Metamorphosi Latronis p. 1. cap. 12. n. 2. vs. *nec tamen.*

Ex quo venit nova luce explicandus locus Ioannis citatus, in quo Christus non est passus crurifragium, sed unus militum latus ejus aperuit. Latus autem in proprietate linguæ Latinæ, ut Calepinus dicit, quod est infra alam. ala autem ab axilla originatur & contrahitur, ut ait Cicero in Oratore, sicut ex paxillo palum. Vnde Virgilius 2 Æneidos:

Laterique argivum accommodat ensem.

Ensis autem non ad pectus sed in latere sub axillam aut alam applicatur. & sic Cicero 3 de Oratore: *Cresus*, inquit, *laterum dolore consumptus quem Græci pleuriadem vocant.* at cumque miles & Centurio ille nomine Longinus (quidquid garriant Lutherani & Calvinistæ) (sic enim eum nominant S. August. in Manuali cap. 23, sanctus Germanus Patriarcha Constant. in theoria rerum Ecclesiasticarum, vel quia sic fuit nomen proprium, vel quia, ut ait Imperator Constantinus Porphyrogeneta in libello de agminibus militaribus orientis, themate 1, *Longinos etiam vocabant qui mille militibus præerant*) hic etiam Centurio, etsi Hispanus origine, tamen civis erat Romanus, ut clare docet Fabius Dexter ad annum 34, & mortuus est pro fide Christi quam Hispanis prædicavit & Mediolanensibus, quorum Episcopus fuit à beato Barnaba creatus. Hic inquam, (qui Cajus Oppius dicitur ab eodem Dextro) non ex crudelitate motus, latus Christi Romano more sub axilla vel ala aperuit, putans eum non fuisse mortuum, sed subdubitans an igniculus viveret, ut ait Cyrillus Alexandrinus lib. 12, cap 38 in Ioannem, inspiratus forsan ab Spiritu sancto, tum ut adimpleretur Scriptura *os non confringetis ex eo.* tum ut ex latere Christi aperto oriretur Ecclesia sponsa, & Sacramenta legis novæ, sicut ex latere Adami orta est Eva, ut Pireira lib. 4 in Genesim, Augustinus lib. 15 docuit cap. 28. pertinebat enim ad Centurionis munus & officium curare ne crucifixi deponerentur de cruce vivi, alioquin capitis periculum aditurus.

Nam licet jam in Dominum miraculis permotus credidisset, fieri tamen potuit ut non ex sævitia lanceam in Christi præcordia adigeret, sed potius ut exploraret utrum vere Christus animam exhalasset, Deo ad hoc vel ignarum impellente ut scripturæ Prophetarum implerentur, maxime illa, Iudæis perpetuæ ignominiæ futura: viderunt in quem transfixerunt: & sacramentum magnum in sanguine & aqua affluente præsignificaretur. ut taceam novum adhuc in fide cogitare potuisse, se nihil piaculi admittere si corpus ejus ferro sauciaret, quem forte perspicue & sine ulla ambiguitate jam sciebat esse mortuum, ne occasionem præberet circumstantibus dicendi Christum necdum extinctum de cruce depositum, cum muneris ejus tanquam Centurionis esset, curare ne vivus detraheretur de cruce; nam centuriones vel ipsimet capitaliter in reos animadvertebant, vel certe suppliciis præpositi erant, ut & iste. & hæc est quod sanctus Ambrosius in Psalmo 40 hunc Centurionem carnificem vocat: quo tempore justi plerique nutabant, ipsi certe latebant Apostoli, carnifex ipse Centurio non negavit. & lib. 10 in Lucam. Iam etiam Centurio Dei Filium quem crucifixerat confitetur, ut igitur omnibus constaret eum ex vita jam excessisse, vulnere lateris id palam testatum fecit. quam ob rem à Pilato examinatus est Centurio, utrum Christus animam jam expirasset. nam Marcus ait: Pilatus autem mirabatur si jam obiisset, & accersito Centurione interrogavit eum si jam mortuus esset, & cum cognovisset à Centurione donavit corpus Iesu. quanto autem capitis periculo Centuriones hac in re aliquid vel negligerent, vel dissimularent, satis perspicuum fiat ex hoc quod Seneca prodidit lib. de ira cap. 16. Hactenus Iacobus Gretserus de Cruce Christi tom. 1. lib. 1. cap. 34.

Et quod vulnus lateris non fuerit in pectore, sed sub ala aut axilla, mihi persuadeo ex eo, quod lancea ad acta per dextrum latus Christi transierit per & pericardium, atque cuspis ejus transierit per latus sinistrum; nam utrumque Christi latus fuisse transfossum, tribus locis docet Prudentius, scilicet passione Christi:

Traje-

Trajectus per utrumque latus laticem atque cruorem
Christus agit; sanguis victoria, lympha lavacrum est.

Et Peristephanon Hymno 8,

Ipse loci est Dominus laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effusus, fluxit & inde latex.
O novum caede stupenda, vulneris miraculum!
Hinc cruris fluxit unda, lympha parte ex altera:
Lympha enim dat lavacrum. tum corona ex sanguine est.

Idem insinuat Cyprianus sermone de Passione Domini, dum ait: de latere tuo ô Christe, divisis limitibus aqua & sanguis dimanat. Hinc & Theophylac. hoc vulnus lateris τύπυς, typos vocat in plura'i. quod autem Prudentius notat separatim per alterum vulnus sanguinem fluxisse, per alterum vero aquam, videtur significare quod per majus seu potentius vulnus quod procul dubio fuit in latere dextro, ob capacitatem tantum eruperit sanguinis ut aqua per se conspici nequiverit, per sinistrum vero utpote minus & pericardio vicinius, eruperit aqua. pericardium enim in Christo continuit aquam, unde pertusum lancea perfudit eam per latus vicinum, puta sinistrum. verum quia hoc lateris sinistri vulnus exiguum fuit, hinc non computatur, Christusque non sex sed quinque habuisse vulnera dicitur: hactenus Cornelius à Lapide in cap. 29 Ioan. num. 33. & quidem utrumque Christi latus lancea transfossum innuit Augustinus de temp. Barbari. cap. 8. dum loquens de vulnere lateris dicit: *per has angustas portas pene jam totus mundus intravit.*

Ex quibus clarè deducitur quod vulnus illatum Christo mortuo, non in pectore sed in latere sub axilla aut ala, more Romanorum: si enim à latere dextro usque ad sinistrum, vel à sinistro ad dextrum, ut omnem opinionem comprehendam, transfixum fuit corpus Iesu, dubio procul non in pectore sed in latere sub axilla, lancea vulneravit. Legatur martyrium Beatorum Martyrum Marci & Marcellini, apud Surium tom. 1, die 20 Ianuarii, qui lanceis seu bacillis transfossi martyrium consummarunt. & haec *transcursim* ad locum Ioannis sint satis.

Venio modo ad crurifragium crucifixorum, qua ratione, quibusve instrumentis fiebat. de quo sic Gretserus ubi supra cap. 32, *nec dubium esse debet quin in ipsis crucibus ossa latronum contriverint recepto more: mortuos enim non vivos deponebant de cruce. indicat id Nonnus in caput 19 Ioann. primi latronis Placidi duplicem pedem extensum dissecuit penetrabili ferro; sed & in cruce vincti alterius nocturni grassatoris. geminos pedes gladio percutiens ast fractas tibias gladio, ut & sanctus Ephrem agens de Martyribus. sed mallei erant, aut vectes ferrei; hi enim comminuendis & confringendis cruribus idonei, quos Nonnus πολυόνδα σίδηρον, ferrum multos dentes habens nominat. cur autem crura fringerent his, quos mortuos vellent, causa fortassis est quia, ut inquit Plinius, lib. 11. cap. 45. inest his vitalitas: nam ipsi genu utriusque commissurae dextra laevaque à priori parte gemina quaedam cavitas aut inanitas inest, qua perfossa ceu tabulis aut vinculis spiritus fugit, fortassis in pectore quoque lethales ictus infligebantur, si cui tenacior fuisset vita, ut jam fieri videmus cum latronibus crura & brachia franguntur.* haec ille, quem sequitur Raynaudus cap. 12 citato, num. 1. §. cum ergo. crux enim ipsa, cui non alligati funibus sed clavis affixi erant latrones, vicem incudis supplebat.

Caeterum Raynaudus semper novitatem, & à communi sententia secessum amans, num. 3. §. causa. & num. 4. §. germana, dicit: *quod causa, quod latronibus cum Christo crucifixis crurifragium est illatum, non fuit legis observantia, quod non manerent corpora insepulta in cruce, in illa die in qua crucifixi erant, ut dicitur Deuteron. 21. vers. 22. Haec enim lex illos non obligabat, cum supplicium Christo & latronibus irrogatum non fuit per Iudaeos, tamquam per ministros & judices, ut oporteret deponi ab eis, & sepeliri ad vesperam; sed per Romanos. Iudaei enim, attestante Euangelio, clamarunt; nobis non licet occidere quemquam, ut sic tota sententia & judicium capitale Romanis relinquerent, ut non contaminarentur & possent nitentes Iudaei ea puritate Paschalibus vesci cibis.* & concludit: *quare non urgebat Iudaeos in hoc eventu lex illa Deuteronomii, ut recte vidit Simon de Casia lib. 18 de Christi gestis cap. 24. Romanos autem, qui supplicium edixerant & irrogaverant, multo minus urgebat. non igitur ea ex causa crurifragium latronibus illatum est, ac mors maturata.*

Germana itaque (prosequitur Raynaudus) *causa ea est, quam attigit Ioannes. Iudaei enim (inquit) quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. ne igitur aliquid de tantae festivitatis majestate decederet, si Romano more cadavera in crucibus pereuntium exposita relinquerentur; id quod etiam facere poterat ad augendam versatilis plebis invidiam, commutato erga Christum affectu ex recordatione curationum, aliorumque beneficiorum; visum est Iudaeorum Primoribus rogare Pilatum ut crucifixorum corpora tolli juberet, praemissa ad mortem maturandam, crurium confractione, quod & impetrarunt.* & caetera quae subnectit Raynaudus.

Mirum est quod spreto communi Patrum & expositorum consensu, uni dumtaxat Simoni adhaereat & jungatur Pater iste, qui *nebulas in pariete depictas coloribus bonae latinitatis* plausibiles facit, non cum parvo veritatis dispendio: etenim fere omnes Patres & expositores consentiunt in hoc, quod Iudaei tenebantur ad detrahenda corpora occisorum in cruce, juxta legem latam Deuteronomio 12. vers. 22 supra adducta: ut enim ait D. Thom. ad locum Ioannis citatum lect. 5. littera d. *Licet enim hujus poenae infligendae* (scilicet suspensionis in cruce) *non esset in Iudaeorum potestate, tamen quod in eis erat facere nitebantur.* Et infra: *Hi quidem in parvis diligentes erant ad servandam legem, sed in magnis contempserunt.* hujus igitur legis observantia inviolabili consuetudine firmata erat in Iudaismo, nisi aliqua magna ratio occurreret, sicut occurrit 2 Reg. cap. 12. vers. 9. & 10, ubi gentilium more permissa sunt cadavera septem filiorum Saul, ad putrefactionem usque permanere in cruce, de quo Abulensis ibi q. 31. *habuit enim Rex David sufficiens motivum ut tunc non observaretur lex, scilicet ad placandam iram Dei, per quam inducta erat fames in terra, propterea quod illi filii Saul occiderant alienigenas.* At in praesenti nulla ratio urgebat, ut non tollerentur corpora Iesu & latronum de cruce; imo urgebat ratio ad observantiam legis, quae motivum quod habuit legislator, explicuit, dicens: *Maledictus est à Deo qui pendet in ligno. & nequaquam contaminabis terram tuam.* quia ut egregie Lucas Burgens. ibi: *Haec erat Iudaeorum ratiocinatio, non erat in patibulo relinquendum cadaver usque ad diem proximum. si non usque ad diem proximum quicumque is foret, multo minus si forte sabbatum; quia sic terra contaminata fuisset cadaverum impiorum quae palam sustinuisset, non sublato tristi publicoque maledictorum corporum aspectu. itaque hac ratione celebritas te honestanda, contemtui habenda & funestanda.* Haec ille.

Duplex ergo motivum habuerunt Iudaei, rogantes Pilatum ut tollerentur de Cruce post crurifragium; unum

unum, Legis observantiam; alterum, ne manerent corpora in crucem Sabbato non communi & ordinario, sed magno, quod incidebat in festo azymorum, ne tam solemnis dies funestaretur corporibus occisorum. Quam rationem addit Euangelista, supponens aliam de observantia legis, quam hic intervenisse docent Patres, Cyprianus lib. de Idolorum vanitate. Augustinus in Psalmo 33. Cyrillus lib. 12 in Ioannem, cap. 38. Chrysostomus homil. 84 in Ioannem tom. 3. Theophilactus ad cap. 19 Ioannis. Cornelius à Lapide ibi, & Lucas Burg. cum cæteris fere omnibus expositoribus. Baronius tom. 1 Annal. ad annum Christi 34. pagina mihi 180.

Deinde ex ipso Euangelii textu plane convincitur Raynaudus. cum enim clamarent Pontifices & Ministri quod non innocens cruci affigeretur, dicentes: *crucifige, crucifige*, dixit eis Pilatus cap. 19. ℣. 7, *accipite eum vos & crucifigite, ego enim non invenio in eo causam.* Responderunt ei Iudæi: *nos legem habemus & secundum legem debet mori*, quasi dicerent explicat ibi doctissimus Lucas Burgensis: *Nos habemus legem nobis divinitus latam, quam & tu decreto Cæsaris nobis servare debes inviolatam: permiserat enim Cæsar Iudæis ut suis ritibus & legibus viverent, mandaratque Præsidibus ne in earum observatione eos turbarent aut turbari finerent.* Hæc ille, sapienter quidem.

Ex quibus tale formo argumentum. Pilatus secundum leges Cæsareas & Imperiales Romanorum Christum innocentem judicavit. subito autem quod audivit Iudæos velle quod Christus condemnaretur secundum legem Iudæorum, illis illum tradit ut crucifigeretur, quia ex decreto Imperatoris, non poterat turbare Iudæorum leges. Ergo quamvis Romanus Pilatus, non tamen damnavit Christum jure imperii, sed jure & lege Hebræorum. Isti ergo tenebantur lege de crucifixorum detractione de cruce ante solis occasum, ipsosque urgebat lex Deuter. 21. quod autem dicit Euangelista quod rogaverunt Pilatum, non ideo est quia Pilatus non teneretur id facere ex decreto Cæsaris, sed idem ac libello oblato & petitione juridice supplicarunt ut lex exequeretur. ex quibus omnia argumenta Raynaudi prorsus evanuerunt, nec oportet amplius respondere quam dicta.

Sed accedamus jam ad crurifragium solitarium, de quo erudite satis Lipsius lib. 2 de cruce cap. 14, ex Apulejo lib. 9, & Polibio lib. 1 Historiarum, & ex aliis. Igitur Cardinalis Baronius in notis ad diem 23 Maji dicit, *errant qui putant supplicium crurifragii non aliud fuisse quam cum crucifixis crura suffringerentur.* Et infra: *cæterum quod legimus in actis Martyrum ac libris gentilium, crurifragium erat supplicium à cæteris distinctum quod descriptum habemus in actis Sancti Adriani Martyris, quæ quidem germana esse noscuntur. Incus enim parabatur una cum vecte ac malleo ferreo, jubebantur miseri tibias imponere super incudem, quas ferrea carnifex vecte vel malleo validis ictibus suffringebat.* Et infra, *irrogari solitum erat hujusmodi supplicium vilioribus tantum personis, vel ob aliquod immane scelus. Cæterum complures nobilium quod Christiani essent, & ob hanc causam vilioris conditionis habiti, crurifragio necati reperiuntur, ut de Adriano Martyre accidit. Crurifragium hodie esse in usu apud barbaras nationes accepimus.* Ita ille, & quidem non solum apud Barbaras nationes, sed apud in politia illustres in usu est crurifragium; apud Neapolitanos ponuntur sontes alligati in rotis, ibique crura & brachia franguntur quod dicitur, *inrotare*; apud Gallos etiam, & Germanos crurifragium est in usu, etsi non in eadem forma qua antiquitus Martyres. videantur Raynaudus & Gretserus ubi supra, de vario rotarum genere ad torquendum Martyres, de Trochleis & aliis hujusmodi legendus est Gallonius cap. 2, à pag. 33, ubi erudite id tractat.

SECTIO IX. *De Gladio & Securi.*

GLadius securius mortis instrumentum, à clade, C in G mutata, ut ait Varro lib. 4 de lingua Latina, eo dictus, quia ad cladem fit inventus, cætera vero instrumenta ad dolorem & tormenta crudelitas adversus Christianos adinvenit, non immediate ad mortem sicut gladius & securis: unde Gallonius pagina mihi 196 ait: *credibile valde est (sicuti secundo analium Ecclesiasticorum tomo legitur) majorem Christianorum Martyrum partem plurimum gladio, & non securi percussam fuisse.* Sed D. Isidorus lib. 17 Orig. c. 6. *proprie* (ait) *appellatur gladius quia gulam dividit, id est, cervicem dissecat: ad hoc enim factus est, nam cætera membra securibus cæduntur, collum gladio tantum.* Vnde Tyranni, si post dira tormenta Martyr superstes in fide persisterit, gladio subjiciebatur ut obiret. unde in omnibus ferme Martyrum Historiis legimus, Christi bellatores fortes tandem ad consummatam victoriam consequendam, gladio animadversos, cæsos, percussos, & punitos fuisse; cæterum ut advertit Spartianus in Geta. major erat ignominia majusque opprobrium gladio percuti ad necem, quam securi. cujus ea ratio esse potest non incongrua, quia gladius cuilibet populo erat communis, & eo populares vilesque personæ utebantur: at secures Prætoribus à Senatu erant concessæ velut insigne suæ authoritatis & officii, ut ait Cicero oratione 6 in Verrem, & oratione 3 in eundem dicit: proprium esse civium Romanorum percuti securi. Legatur Brisonius lib. 5 de formulis.

SECTIO X. *Cur Martyres fere semper gladio cesserunt, gladius vero raro Martyribus cessit.*

MArtyres fere semper gladio transverberatos, aut gutture abscisso, capiteve dejecto obiisse certissima res est. gladium vero, etsi raro, acum suam obtudisse ita, ut, quamvis feriret vulnus mortale, nedum leve intulerit, constat ex Hieronymo, epistola 49 ad Innocentium, de muliere quæ falso accusata de adulterio, septies fuit ita & non mortua ex miraculo, quod accidit Bercellæ (suo tempore) Ligurum civitate: cum enim juvenis cum quo dicebatur adulterium commissum, tormentorum immanitate volens compendio mortis longos cruciatus vitare, in suum sanguinem mentitus accusasset alienum, confitereturque delictum, non relinquens innoxiæ fœminæ unde posset negare, ambo damnantur ad mortem, sed miserrimus juvenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncumque in suo sanguine volutatur cadaver.

Postquam vero ad fœminam ventum est, & flexis in terram, poplitibus super trementem cervicem micans elevatus est gladius, & excitam carnificis dextram totis viribus excitavit. Ad primum corporis tactum stetit mucro lethalis, & leviter perstringens cutem rasura modicæ sanguinem aspersit, imbellem manum percussor expavit, & victam dextram gladio marcescente miratus, in secundo impetu, se torquet languidus rursus in fœminam mucro, delabitur, & quasi ferrum, eam timeret attingere, circa cervicem, torpet innoxium. Itaque furens & anhelans lictor paludamento in cervicem retorto dum totas expedit vires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras in humum excussit, ignarus Dei, ensem librabat in vulnus. en tibi (ait) mulier

mulier ex humero aurum ruit, collige multo quæsitum labore ne pereat, pro rogo, quæ est ista securitas! impendentem non timet mortem: lætatur percussa. carnifex pallet: oculi gladium non videntes sibi'am vident, & ne parum esset quod non formidabat interitum, præstat beneficium sævienti. jam igitur & tertius ictus sacramentum frustratum erat Trinitatis, jam & spiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in jugulum, ut qui secare non poterat saltem premente manu corpori conderetur. O! omnibus res inaudita seculis! Ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum suum victus aspiciens confessus est se ferire non posse. & aliquanto post novus ensis novus percussor apponitur; stat victima Christo tantum favente munita, semel percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertio vulnerata prosternitur. O divinæ potentiæ subdimanda majestas: quæ prius fuerat quarto percussa neo læsa ideo post paulum visa est mori, ne pro ea periret innoxius, &c. quibus addit Sanctus Doctor quod Clerici eam sepulchro etsi vivam tradidere, & postea eduxere, posita alia vera mortua pro ea, quæ mutato habitu liberata evasit.

In qua relatione duo ponderat S. D. miracula 1, quod quatuor primis vicibus gladius hebetatus fuit nec cervicem fœminæ abscidit 11, quod ne alter lictor innoxius moreretur ita illam fortiter percussit, quod non abstulit vitam, quamvis vulnera lethalia essent. & sic primo miraculo ostenditur aliquando gladium cessisse Innocentiæ, torpuisseque aliquando in sanctos, etsi violentia Tyranni in ipsos directum, ut divina protegente gratia evaderent illæsi à sacrilegis carnificis manibus.

Invulnerabilitas quam S. Hieronymus divinæ potentiæ & Christi protectioni attribuit, gentiles malefici censuere magi eo carmine aciem gladii sic retundi, ut nec vulnere cutem queat perstringere, & *hodie* (ait Delrio lib. 2 disquis. q. 21.) *quidam impii milites se fore invulnerabiles putant si arma certo ritu incantent, vel sacrilego ausu crucifixi imaginem compungant vel comminuant aut confringant. Ita Condronchus lib. 3 de morbis veneficis, cap. 12. vel si ferant interulam lineam horrendis inscriptam imaginibus, quam vocant inferni camisiam, vel si periapta quædam ferant variis characteribus magicis insignita, aut orationes quas blasphemè admodum & mendaciter tribuunt D. Leoni & Carolo Magno, insignitas magnis (sic Magici loquuntur) Dei nominibus. Novi studiosum juris nomine Quirinum V. I. Baccalaureum. qui cum tali membranicla fretus audacter se jurgiis & pugnis immiscuisset, sæpe ictus, nunquam saucius, tandem Romæ anno 1572, vel 1573. in Symposio minimo vulnere fuit interemptus, &c.*

Sed cur tam rarò miraculum intercesserit, ne gladius Martyribus innocentibus parceret, sed more bidentium omnes fere gladio cæderentur, non est facilis ratio, nec multum obvia. apud Martinum del Rio ubi supra tres adinveni, primum sic: *ad tollendam hanc suspicionem sæpe Deum miraculo flammæ, aquæ, ferarum & similium suppliciorum atrocissimorum vim suspendisse, eaque omnia Martyribus innoxia reddidisse; cum vero securi vel gladio fuissent addicti ferri vim à Deo non coërcitam, ut nationes intelligerent miraculo ista, non magiæ adscribenda.*

Hæc ratio Delrio non placet, tum ex loco Pauli ad Hebræos 11. ℣s. 34, ubi Paulus de Sanctis veteris legis dicit, *fugaverunt aciem gladii. quia* (inquit) *in Græco & Syriaco & in vulgata correcta legitur effugerunt aciem gladii, & ita legunt Theophylactus & multi Græci Patres: multi enim ex Sanctis miraculosè in veteri Testamento aciem gladii fugisse leguntur, tam tempore pacis ut Helias gladium Iesabel, quam tempore belli, ut Samson, David, Machabæi, &c. tum insuper, quia gentiles victoriam de aliis tormentis etiam, etsi falsò, magiæ attribuebant.*

Sed D. Thom. Cajetanus, Lyra, & vulgata tempore Concilii Tridentini edita & correcta, habent effugaverunt aciem gladii. quare sicut obturare Leonum ora, ut fecit Daniel, & extinguere impetum ignis miraculo tribuitur, ita & effugare aciem gladii in manibus tenentes, aut hostiles gladios, ut explicant præfati, quod idem est ac fugare inimicos, & sic ex hac parte mihi non arridet ratio præfata.

Quare subjungit Delrio, dicens: *legi hujus rei duas alias causas meliores, priorem, quia sectio gladii impedita potuisset dolo carnificis adscribi, posteriorem quia gladius est præcipuum & maxime legitimum ordinariumque justitiæ ultricis instrumentum.* Cæterum omissa priori quæ non multum habet energiæ persuasivæ efficaciæ, cum victoria de aliis tormentis pari argumento evanescere potest, adtribuendo illam fraudi magicæ artis: posteriorem amplector.

Pro cujus enucleatione adverto, Deum summa providentia sapientissime disposuisse, & ordinasse Ecclesiam suam condecorare Sanctorum Martyrum victoriis, fidemque confirmare, ut pietas Christiana probaretur, & irrigare ut cresceret coram fidelium cœtu eorundem sanguine effuso, & eis mors purpurea pretiosa esset in conspectu ipsius. Ita Sancti Patres nos docuere, Cyprianus lib. de laude martyrii: *Cum sublime excelsumque sit martyrium, nunc magis est necessarium quo mundus ipse subvertitur.* Chrysostomus in Psalmo 63. *Deus permittit Iustos occidi ad probationem pietatis.* Nazianzenus oratione 3. steliteutica in Iulian. *Christianis jucundius est pietatis causa pati, etiam si nemo id rescitururus sit, quam aliis tum pietate florere atque in gloria versari. Christiani enim priores* (ait Salvianus lib. 3 de gubernat.) *ad cœlestis Regiæ Iannam gradibus pœnarum suarum ascendentes, scalas sibi quodammodo de eculeis catastisque fecerunt.* Tertull. cap. ultimo. Apolog. *Cruciate,* (loquitur Tyrannis) *torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. ideo nos hæc pati, Deus patitur, nec quicquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguinis Christianorum, &c.* Iterum Cyprianus epistola 17 ad Martyres & Confessores, de Mappatico: *O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat!* Iterum Chrysostomus serm. in Iuvent. & Max. Martyr. *Sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita & Martyrum fides oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa majora sumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant & fœcundi sunt ut Ecclesiæ, si Martyrum irrigentur sanguine.* unde bene ille alius dixit:

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Concinne satis, quia Ecclesia sanguine Abel cœpit, sanguine Christi mundata est, sanguine Martyrum ita crevit, ac recenti & suavit pluvia semen irrigatum incrementum sumit, sanguine etiam finis erit tempore Antichristi.

Adverto deinde, gladium ex sua institutione inventum ut gulam dividat & cervicem secet, sicque institutum esse ad mortem inferendam, ut constat ex Sancto Isidoro supra §. 9. adducto. Vnde Sanctus Paulus ad Rom. 13. ℣s. 3. postquam dixit, *quod omnis anima* (id est homo) *potestatibus sublimioribus subdita est,* subdit: *vis autem non timere potestatem?*

bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram Dei, qui malum agit. ad quæ verba sic sapienter Cornelius à Lapide n. suo 172. *Gladius enim significat magistratum habere potestatem vitæ & necis. hac de causa his qui habent merum imperium gladius nudus præfertur, & Romani Consules lictores cum fascibus virgarum & securibus ante se ducebant.* Igitur gladius (sub quo comprehenditur quidquid immediate ordinatur ad tollendum hominem de medio, ut strangulatio, crucifixio, sagittatio in flumen rapidum, aut mare projectio, & similia quæ præcipit habens merum Imperium; quo habet potestatem vitæ & necis) est instrumentum immediatum necis; cætera autem tormenta instituta sunt ad quæstiones pro veritate à servis & reis eruenda, aut veritate fidei abjuranda. legatur Carolus Sigonius lib. 2 de judiciis, (qui est post libros de antiquo jure provinciarum) cap. 14.

Vide quibus constet ratio enucleata. disposuit igitur Deus ut gladius raro cederet Martyribus, sed quod Martyres cederent gladio, ut isto medio ipsorum sanguine rigata Ecclesia cresceret, & fides augeretur: & re vera ita fuit, ut nullo alio medio multiplicata sit magis Christiana religio, quam sanctorum Martyrum purpura. Quare divina providentia usa est gladio instituto ad ultionem & necem, quæ ultio, etsi ex parte Tyrannorum semper fuerit peccaminosa, sicut fuit in occisoribus redemptoris; tamen, sicut ex hujus morte orta fuit nostra redemptio & justificatio, ita ex Martyrum nece, etsi injuste illata, summa gloria provenit Ecclesiæ.

Est & alia hujus rei ratio id ipsum persuadens, se tenens ex parte ipsorum Martyrum, qui prædestinati sunt ad gloriam consequendam, ad imitationem Christi, de quo dicitur *oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* & alibi: *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* quare sicut Christo mors crucis fuit medium ad consecutionem gloriæ corporis, ita martyribus ad consecutionem gloriæ tam corporis, quam animæ. & sic gladius, qui institutus est necis instrumentum, raro illis cessit, sed per illum martyrium consummarunt. *Fuit enim illis mors beneficii loco*, ut ait Nazianzenus, oratione 20 de beato Basilio, *ad Dominum confestim transmittit.* ut Chrysostom. hom. 10 in 2 ad Corinthios: *Martyr enim martyrii partu cælestem nascitur generatus ad gloriam.* ut Chrysolog. serm. 133, *& quando illius ortus mensus est in finem, tunc illius finis ortus est in natalem.* idem sermone 174, *Atque ipsa pœnarum ultima mors Christianis ludus est.* ut Prudentius Hymno in sanctum Vincentium: *mors quippe integriorem facit vitam, mors amissam invenit gloriam: martyrii quippe casus martyrii vitam condemnat, & vitam morte custodit. nihil enim tam magnum atque venerandum, quam martyrium, quod liberat à morte, & facit vivere, & dat perpetuo regnare cum sanctis. hoc divitibus aptum, miseris necessarium, omnibus gratum, quo lætantur boni, relevantur abjecti, coronantur electi: etenim Deus, omnium cultor, martyrio velut quoddam vitæ remedium dedit.* ita Cyprianus Epistola 17. & sic Martyr *sibi patitur ad præmium*, ut dicit Ambrosius sermone 77, & idem sanctus Cyprianus uti supra. *Martyrium est delictorum finis, periculi terminus, Dux salutis, iter patientiæ, Magister vitæ.* Cum ergo tot bona martyribus gladio accrescant, æquum fuit, ut Martyres gladio fere semper cedant, gladius vero raro jugulo torpescat.

ANACEPHALÆOSIS

Aliorum tormentorum, quibus sancti Martyres cruciabantur à Tyrannis.



NOndum quiescit eruditionis prurigo, & nefas judicat omittere multa instrumentorum ad cruciandum genera, quibus tota antiqua Tyrannis plena ea ad extorquendam virtutem, vel abjurandam invenit. plurium inventio, non in pœnam, sed in subsidium inquirendæ veritatis fuit, qua confessa, Præses ad torquendum non procedebat, sed ad sententiam. Ast Tyranni adversus Christianismum non in subsidium veritatis tormenta crudelissima adhibebant, non ut veritatem eruerent, sed ut veritatem negarent, volentes confiteri mendacium, ut rei liberarentur; imo, quia veritatem fatebantur, dilaniabantur. Egregie Tertul. in Apolog. cap. 2. an. 32. *Veritatis extorquendæ præsides de nobis solum mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, (Christianus) quod quæris, an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, & torques; quid faceres, si negarem? plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis. Si negavimus, statim creditis.* Expostulat jure optimo Septimius his verbis, quod tormenta, quibus cruciabant Christianos Romani, ab his adhiberentur, non ut veritatem Religionis confiterentur, sed instar suppliciorum, ut eam coacti desererent, ex eo quod tormenta quæstioni sunt instituta, & nunquam aliter usurpata apud Romanos, non pœnæ. Quam expostulationem à Cicerone videtur mutuatus, qui pro Milone sic fatur: *quid opus est tortore, quod quæris, an occiderit? Occidit. Iure, an injuria? nihil ad Tortorem: facti enim in equuleo quæstio est, juris in judicio.* Vnde, qui contra faciunt, vel modum torquendi in exquirenda veritate excedunt, jure optimo dicas sanguine reorum pasci carnificino animo sanguinarios, crudeles in alienis doloribus delectari, ementito zelo justitiæ, pœnis miserorum saturari, quorum morte pascitur Tyranna voluptas. Sed de his contra quorundam judicum immanitatem plura infra. Ad nostram Anacephalæosim tormentorum accedamus, in qua aliqua Paralipomena in superioribus addemus non injucunda.

§. 1. *De Phalaris Tormento.*

PRimum sit Phalarium, adeo immane & crudele, ut in proverbium abierit contra eos, qui crudelius exercent imperium aut potestatem sibi delegatam, *Phalaris Imperium.* Phalaris enim Agrigentinus Tyrannus teterrimus novorum tormentorum fuit avidissimus Exquisitor, ut insontes, & suæ tyrannidi non consentientes torqueret. Huic Perillus, seu Pralaus Atheniensis faber ingeniosus obtulit æneum Taurum, quo inclusi supposito igne longo & occulto cru-

to cruciatu lamenta taurinos gemitus imitantia edere cogebantur, ne ejulatus eorum humanæ vocis sono expressi animum flectere vel misericordiam postulare possent; Verum Tyrannus ipsum inventorem Perillum damno suo ingenium tormenti experiri jussit, ita ut primus inventor inventionis suæ præmium acciperet, in ipsoque æneo Tauro ignitus periret. Vnde Claudianus in Perillum invehit:

Sic opifex Tauri, tormentorumque repertor
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus in expertum, Siculo cogente Tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.

Et Ovidius lib. 1 de arte Amandi:

Et Phalaris Tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit Auctor opus.

Historiam hanc referunt Cicero libro 2 Tuscul. Valerius Maximus libro nono cap. 2 in exteris, Plinius libro 34 Histor. cap. 8. Lucianus, qui addit, *quod cum Tyrannus Taurum Delphos misisset ut Phœbo dicatus in ejus templo reponeretur, monumentum futurum simul & artis exquisitissimæ, & inventi crudelissimi. Verum Delphi munus ut à Tyranno missum repudiarunt.* hæc ferme ex Luciano, apud Manutium in Adagiorum Collectaneis in Parœmia *Phalaris Imperium*, qui addit simili figura dictum φαλαρισμὸς pro immani crudelitate. Cicero ad Atticum libro septimo: *Nam istum quidem* (ait) *cujus φαλαρισμὸν immanem crudelitatem times, omnia teterrime facturum puto.* Similia habet in action. contra Pisonem.

Cæterum, ut notat Baronius in notis ad diem undecimam Aprilis, litera C. *Ea furoris rabie insiluerunt in Christianos, ut vetera. quæque ac antiquata genera tormentorum, in illorum interitum excitarint, non tantum adversus Antipam testem fidelem, sed adversus Eustachium Romanum nobilissimum civem, ac socios, id generis exercuit cruenta sævitia impiorum tormenta. Sed quid nostri? in bovem candentem (inquiunt eorum acta) omnes simul alacri animo insiluerunt: plus enim præstitisse nostri noscuntur, quam de suis potuit animo fingere, non autem polliceri, ipsa gentilitas. Nam Cicero lib. 2 Tuscul. cum hæc ait de sapiente. Talis in Phalaris tauro si erit, dices, quam suave hoc est. & mox, ego tamen non tribuo sapienti: contra dolorem sit fortis in perferendo, officii satis est: ut letetur non postulo. Porro Antipas noster gratias immensas Deo agens, Eustachius cum suis exultans candentem ingressus est Taurum, & Pelagia virgo Tarsensis illic cecinit Hymnum Deo. quæ omnia sunt apud Lippom. tom. 7. Surium tom. 2 & 5.*

§. 2. De Equuleo.

SEcundum sit Equuleus, de quo supra egi sect. 3. hujus digressio. ibique docui multiplicem fuisse ejus formam, sicut de Cruce dixit Seneca ibi adductus. Sed post emi satis jocunde tomum sexaginta libros adversariorum continentem, viri (cujus eruditio, & varia lectio, simul & judicium admirandum à cunctis, etsi in fide sit autor damnatus) Gasparis Barthi, qui libro 42, cap. 27. eandem est amplexus sententiam, his verbis: *Porro cum de equuleo mentionem fecerimus, juvat indicare non satis mirari me posse quid cogitaverint eruditissimi homines Sigonius, Magius, Galonius, alii, cum diversas omnium machinarum species hoc nomine censitas in unum simulacrum redigere conati sunt magno omnes molimine, non tam necessario, quam etiam pene ridiculo. At de tot veterum scriptorum variantibus locis dubium non est omne tormentorum genus, cui impositi rei extenderentur, à similitudine ascensionis equestris hoc nomine appellatum. Sic nec cabellctum, de quo Thomas Segetus scripsit superesse Mirandulæ, equulei nomine abhorrere dico: sic cæteras omnes machinas, licet partibus & figuris pro loco & re & artificum ingenio variatas. Quis enim arietes omnes, omnes musculos, balistas, catapultas, & mille talia una specie fuisse, nisi insanus prætendere audeat? At catapultarum omnium, omnium balistarum idem finis & usus negari non potest, quamvis in his omnibus sub unam speciem redigendis parum feliciter laboraverint antiquarii. Par sit & de hac machina judicium; alioquin neque comparandi, neque errandi ullus erit terminus.* Hæc satis ad meum propositum.

Hic venit intelligendus sanctus Hieronymus epistola 49 ad Innocentium, de muliere accusata de adulterio, septies icta & varie torta, de qua dicit: *Crines ligantur ad stipitem, &, toto corpore ad equuleum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, utrumque latus Carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ.* dixerat prius: *Suum cum equuleus corpus extenderet;* existimo enim bis positam mulierem in equuleo, primo ad extendendum corpus, & ejus juncturas extra naturalem corporis positionem distrahendas, hoc enim erat præcipuum equulei munus: secundo alligando lignis equulei corpus, ne fugeret ignem appositum, & ungularum effossiones, & papillarum lacerationes, nisi velis dicere duplicem equulei formam fuisse. & secunda longe durior & crudelior fuit; ita ut multoties miseri vitam in ea finierint. quem equuleum Victor Vticensis epistola ad Fulgentium: *mortis equuleum dixerit*, ut vult Barth. lib. 47, cap. 8. sed me quidem judice mendose, nam non equuleum, sed aculeum omnino legendum, ut clare constat ex contextu, dicit enim: *Ego ita confido vestro intercessu me vivum Ecclesiæ matri restitui, qui videor gravantibus peccatis mortis aculeo detineri.* Alludit enim ad id quod Paulus dicit 1 ad Corinth. 15. ℣. 59, *Vbi est mors stimulus tuus. stimulus autem mortis peccatum est.* & uti censis, *stimulo mortis aculeum mortis* significat.

§. 3. De Diasphendone.

TErtium sit crudele valde, quod Diasphendonem vocat Plutarchus in vita Alexandri Magni; quale autem fuerit enucleat Eusebius lib. 8 hist. cap. 9, his verbis: *nullo dicendi genere explicari potest; quænam verbera, quas ærumnas Martyres in Thebaide exantlarint. testis acutis ungularum loco admotis, per totum corpus ad extremum spiritum dilacerati. Mulieres autem, uno pede alligatæ, sublimes in aëre capite deorsum statuto quibusdam machinamentis attractæ, nudis omnino & detectis corporibus spectaculum fœdissimum & crudelissimum omnium, & ab omni humanitate alienissimum, intuentium oculis exhibuerunt. Homines rursus arboribus, & earum ramis adstricti perierunt. nam cum duos ramos, robustissimos illos quidem, machinis quibusdam in unum attraxissent, ad utrumque illorum Martyrum crura distinentes, alligantesque, eos impetu quodam denuo pro natura sua distendi diffundique dimiserunt. sic illorum membra, in quos ista excogitabant, repentino impetu distracta fore suspicati.* Hactenus Eusebius. quo supplicio valens Imperator occidit Procopium Tyrannum, teste Socrate libro quarto, cap. 5. & occisa fuit B. Corona virgo, ut referunt Surius tomo 3, die quatuordecima Maji. ubi Martyrolog. Rom. & ibi Baronius in notis litera D. Simile huic faciunt Turcæ, cum loco arborum ad triremes alligant, quibus in contrarias partes mortis, vivos homines discerpunt. &, ut referunt Gellius lib. 20, cap. 1. Titus

Livius libro primo decad. 1. Iulius Hostil. Romanus Rex occidit Metium Suffetium fidei violatorem, alligatum pedibus manibusque quadrigis, equis in contrarium iter concitatis, corpus indiversas partes distractum membra pendebant, de quo Virgilius lib. 8 Æneid.

Aut procul inde citæ Metium indiversa quadrigæ
Distulerat ———
Raptabatque viri mendacis viscera tellus.
Per silvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Quo immanissimi supplicii genere Aurelianus Imperator milites, qui adulterium committebant cum sui hospitis uxore, puniebat, & Alexander Magnus Bessum Darii interfectorem, occidit.

§. 4. *De Palo.*

QVartum sit Palus, tormenti genus varium juxta variorum Tyrannorum crudelitatem, & in torquendo immanem genium. & sic varie illo usi sunt Barbari ad enecandum homines. Avidius Cassius Imperator, dirum excogitavit tormentum, teste Volcatio Gallicano. ponebat stipitem grandem pedum octoginta & centum, & à summo usque ad imum damnatos ligabat, incensisque paleis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necabat; qua morte Alexander Severus Imperator Verconium Thurinum sibi alias familiarem, præconclamante, *fumo punitur qui vendidit fumum*, interfecit. Thurinus enim omnia vel fingendo vendebat, ut Imperatoris quasi stulti hominis, & quem in potestate haberet, & cui multa persuadebat, Imperium infamaret; sicque omnibus persuadebat quod ad nutum suum omnia faceret; quem Imperator arte deprehendit, &, delictum probatum testibus, hoc diro cruciatu in illo castigavit, ut latius narrat Paulus Manutius in adagio *fumos vendere*, qui graviter concludit parœmiam, dicens: *immane profecto supplicium, sed tamen factis tam pestilentibus dignum, utinamque nostri temporis Principes Alexandrum Severum curent imitari, qui cum esset Ethnicus, præterea Syrus genere, postremo vehementer adolescens, tamen adulatoribus, delatoribus, judicibus furacibus, fumi venditoribus, atque id genus Aulæ pestibus usque adeo erat infensus, ut, vir alioquin moribus placidissimis, his demum esset implacabilis.*

Hoc supplicii genere consumpti sunt quamplures Martyrum, ut refert Eusebius libro octavo histor. cap. 34, his verbis: *Partim etiam pedibus in sublime appensis, capiteque in terram demisso, igne paulatim succenso, & leniter exardescente, & fumo è materia accensa ascendente suffocati, quemadmodum illis qui in Mesopotamia versabantur evenit.* Horum Martyrum memoriam celebrat Ecclesia in Martyrologio, die vigesima tertia Maji, ubi Baronius litera F. & die sexta Ianuarii, litera D, ubi de alligatione ad Palum sic fatur: *Ad palum ligabantur rei aliquando ad comburendum, aliquando vero ad torquendum, ut legitur apud Suetonium in Claudio, capite trigesimo quarto. de utroque plura suppetunt exempla in actis Martyrum: illi qui securi plectendi essent ligabantur ad Palum. Valerius lib. 5. cap. 18. dum ait: virgis cæsos ad palum religatos securi percuti jubet. idem dicit libro tertio, cap. 8. Rursus Palus adigebatur per medium hominem usque ad summum oris, ac sic misere mori cogebantur. de quo supplicio Seneca lib. 2. epistola 14. & epistola 102. & lib. de consolat. ad Martiam vocatque crucem acutam. estque apud Turcas satis frequens supplicium, de quo Procopius Cæsarien. lib. 1 de bello Wandalico.* & Hispanice dicitur *empalar.*

§. 5. *De alligatione hominis vivi ad cadaver.*

QVintum sit, &, me quidem judice, crudelissimum valde; quo utebatur Mezentius Etrusiæ Rex, ut tradit Valerius lib. 9. cap. 2. alligabat enim vivorum corpora cadaveribus, ut utrorumque singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, ut tandem una contabescerent. quod eleganter cecinit Virgilius libro octavo Æneid.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis
Componens manibusque manus atque oribus ora,
(Tormenti genus) & s..nie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

De quo supplicio Victor Vticensis lib. 4. cap. 18. Crinitus lib. 11. cap. 9, ubi refert de Macrino crudelissimo Imperatore, consuevisse milites punire apertis bobus miræ magnitudinis, & illis milites singulos inserere capitibus boum exectis, ut facilius colloqui possent.

§. 6. *De Intercisione.*

SExtum, quod dicitur *Intercisio*, quod passus est sanctus Iacobus Persa. de quo Martyrologium Romanum die vigesima septima Novembris, *qui tempore Theodosii Iunioris, cum in gratiam Isdegerdis Regis Christum negasset, & propterea Mater ejus, & uxor ab ipsius se consuetudine subtraxissent, in se reversus pro Christi conversione regem adiit, à quo Tyranno membratim jussus est occidi, & capite obtruncari.* rem narrant Nicephorus libro quatuordecimo capite 20. Mumbrit. tomo secundo. Surius tomo septimo, quam mortem acerbam & propter novitatem admirandam dicit Niceph. *nam ubi articulis & juncturis, quibusque in commoda & apta totius corporis membrorum conformatione, & manibus & brachiis, pedibus & suris ei resectis, reliquum nihil quam una cum ventre caput solum habuit; quoniam ne tum quidem fidem in Christum abjecit, & ipsum postremo ferro amputatum est.* O vere miraculum stupendum! ad ostendendam Martyris constantiam qua levitas prior omnino abstergeretur.

§. 7. *De arundinibus acutis.*

SEptimum sit dolorificum valde & nimis sensibile, quod valenti animo perpessus est sanctus Benjamin Diaconus apud Persas. de quo ita Theodoretus lib 5 Histor. c. 38, *viginti arundines præacutas per ungues manuum ac pedum trajici jubet Rex; ubi autem videt eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in membrum genitale intrudi mandat, quæ sæpius extracta insertaque dolores ei incussit plane inexplicabiles. Post illud inflictum supplicium impius ille, & immanitate efferatus Tyrannus (*Isdegerdes vel ejus filius Baranes*) Virgam robustam, crassam, spinosam, & ex parte omni densos ramorum uncos protendentem, in imam alvi sedem infigi debet. Quo cruciatus genere generosus Christi athleta oppressus extremum spiritum edidit.* hactenus ibi. de quo agit Martyrologium Romanum 31 Martii. simile sub unguibus Martyrium passi sunt multi in Ponto, ut refert Eusebius libro 8, capite 24.

§. 8. *De cutis detractione.*

OCtavum est cutis detractio, de quo fit mentio in libro primo Machabæorum, cap. 7. vers. 4. &

& Theodoretus ubi supra, agens de persecutione Persica sub Isdegarde & ejus filio. *Tormentorum* (inquit) *genera, & nova cruciamenta piis hominibus ab illis inflicta, vix dicendo explicari poterunt. Nam quorumdam manibus, aliorum tergis corium detrahunt. aliorum capita à fronte exorsi ad barbam usque cute exuunt. Nonnullis primum cœperunt arundinibus semisectis, circumdare, & incisiones corporibus applicare. Deinde robustis vinculis à capite ad pedes usque circumligare, & singulos calamos vi arcte constringere, ut partem cutis ad quam admotæ erant arundines eo pacto graviter lacerantes, acriores dolores morsus efficerent; quin etiam lacus effodere, eas summa cum diligentia inungere, deinde ingentem soricum numerum in eos concludere, postremo pietatis athletas eorum manibus pedibusque constrictis in bestias abigant, soricibus veluti alimentum objiciunt. sorices vero fame oppressi sensim carnes sanctorum absumunt, sicque diuturnum ac acerbum cruciatum illis afferunt*, &c. & quidem apud Orientales Indias in usum fuisse excoriationem constat, quia sanctus Bartholomæus Apostolus, etsi cruci affixus fuerit, tamen prius pelle sua nativa excoritus fuit, ut est Ecclesiastica traditio, & late probat Baronius ad diem 24 Augusti.

§. 9. *De Infossione.*

NOnum sit infossio vivorum hominum in terra. Durum tormenti genus, quo prisci Romani utebantur sacrificii loco, de quo Livius Decad. 3. lib. 2. Plinius lib. 28, cap. 2. Plutarchus in Problemat. Rom. q. 83. Romani enim anno Cannensis cladis lectis fatalibus libris ex illis aliqua extraordinaria sacrificia faciebant, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt, in locum saxo conseptum ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum. quà crudelitate etiam usus fuit Artaxerxes in sororem suam Ocham, ut refert Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. sed circa Virgines Vestales, quæ sontes evadebant, duplex fuit ritus infossionis subterraneæ, primum referunt Halicarnasseus Dionysius lib. 2 rerum Roman. Plutarchus quæstione 83 citata, & in Numa Pompil. Livius lib. 8. decad. 1. Vestalis enim stupri & turpitudinis convicta, revincta efferebatur in sandapila per medium forum, usque ad portem collinam, ubi tumulus impudicarum vestalium inter muros imminebat. In quo erat parva Caverna subterranea, ad quam per foramen scalis descendebatur. In qua erat stratus lectus, & lucerna ardens, & panis, lac, & oleum, ne fame periret. Deponebatur hic Vestalis, solvebatur vinclis, capite velato in supplicium ducebatur. Pontifex cum arcana quædam pronuntiasset, cum Sacerdotibus terga vertebat, & statim impudica Vestalis in Cavernam demittebatur, inde fossa tellure replebatur usque ad operculum. hæc fere & multa alia Halicarnasseus.

Secundum ritum infodiendi sub terram virginem alio crimine quam impudicitiæ affectam, referunt Suetonius in Tiber. cap. 61. Dio. Chrysost. lib. 56. Tacitus lib. 5. dicentes antiquo Roman. more nefas fuisse virgines violenta morte necare, sed, viciatas prius à carnifice, vel alio quopiam, postea strangulabant, aut alio mortis genere, vel infodiendo subtus terram occidebat. sic Beata Serapia virgo die tertia Septembris duobus lascivis juvenibus traditur constupranda priusquam decolletur. Beata Agnes ad Lupanar deducitur, ubi filius Præsidis volens eam violare à Diabolo suffocatur. Sancta Lucia 13 Decembris decreto judicis traditur, ut castitas ejus constuprata à populo illuderetur. & Sancta Daria ex virgine Vestali, ob Christianam Religionem susceptam, viva una cum Chrysanto jussa est sententia judicis terra obrui. Daria enim Chrysanti uxor, etsi, ut dixi, virgo prius Vestalis extitisset, tamen, ut ait Ambrosius lib. 1 de Virginitate, ex omnibus Ethnicis scriptoribus, virgines Vestales post emerita castitatis stipendia, nubere consuevere. tamen, quia virgo Vestalis, harum supplicium est passa.

§. 10. *De humanæ carnis esu.*

DEcimum est, non tam Martyrum tormentum, quam argumentum immensæ crudelitatis Tyrannorum in Christianismum, humanæ carnis esus. de quo sic Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1 Apolog. contra Iulian. loquens de Hieropolit. *Illi enim (ut unum à multis referam quod etiam Atheis horrorem incutere queat) Virgines castas, & mundo sublimiores, quæ vix etiam unquam viris in conspectum venerant, in medium productas vestibusque nudatas (ut per aspectum contumeliam ipsis inferrent) partim etiam propriis dentibus comminutas edisse, atque ut eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus sese in gurgitasse feruntur, ac cibo illo perfunctos communem & usitatum accepisse: partim palpitantibus ad huc visceribus suillum pabulum inseruisse; ferocissimisque porcis immissis hoc spectaculum injecisse, ut simul cum hordeo carnes laniari atque exedi perspicerent.* Hæc Theologus ex quo Sozomen. lib. 5. cap. 9. & Theodoret. cap. 6. Hoc autem non tam tormentum, quam ignominia Christianitatis fuit, in vindictam fidelium, sicut legibus civilibus statuitur ob ingentia crimina, quod sontes sepultura priventur, in frusta partiti palis infixa ad itinera publica ponantur, ut facit tribunal sanctæ Confraternitatis.

Sed quamvis in Martyrum actis non legerim coactos fuisse humanos carnes comedere, (sicut Suillas Eleazarus, ut 1 Machab. dicitur) tamen apud Barbaros id aliquando evenisse, narrat Valerius lib. 9, cap. 2, de Numulisinthide Thraciæ Regina, quæ Parentes liberorum carnes mandere cogebat. de Astyage Medorum Rege memorat Iustinus lib. 1 Histor. Harpagi filium occisum, & coctum epulandum illi apposuit, sed hoc vel natura ipsa abhorret, & solus qui Deum non agnoscit facit.

§. 11. *De Raptatione.*

VNdecimum sit equis raptari; quo mortis genere Alexander interemit Bætim Gazæ Præfectum, ut refert Quintus Curtius lib. 4. Et plures sanctos Martyres sic occisos Ecclesiæ tabulæ solemnes indicant. de Sancto Hippolyto Cassiani in martyrio Collega sic Baronius in notis ad 13 Augusti. litera A. *Habetur præterea elegans sacer hymnus in Breviario Toletano instituto Sancti Isidori.* (quod dicitur Muzarabe) *quo ejusdem Hippolyti nobile certamen describitur, & omnia quæ passus est tormenta adnumerantur, illudque præcipue cum ab equis indomitis raptatus atque discerptus dicitur, ad similitudinem antiquioris Hippolyti Thesei Filii, de quo Euripides in Phedra. id enim huic præficit nomen Hippolyti, illudente gentilium crudelitate, ut ex nominis similitudine consimili mortis genere idem dilaniaretur.* hæc ibi. Simile martyrium passi sunt Philemo, & Apollonius in Antinojo Ægypti urbe, ut ait Surius tom. 5. ex Metaphraste.

§. 12. *De tormento Digitali.*

DVodecimum est (de quo Synesius Episcopus Ptolomaidis epistola 58.) *digitalis & pedalis tormenti,*

menti, Præli nasi, forcipis auribus apprehendendis & labiis. consonat Victor Vticensis lib. 2 de persecutione Wandalica, dicens: *Illico palis minoribus de tantis jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis ac vehementius adstringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant.* Hæc ille. quod sane horrendum & dolorificum tormentum. sed de sævitia & crudelitate Wandalorum in Catholicos, & de exquisitis cruciatibus, quibus ipsos premebant, audi iterum Vticensem apud Casparum Barth. lib. 7 Adversar. cap. 4, qui sic loquitur: *Inter alios ventum est ad Armogastem nostrum, cujus cum diu ac sæpius tibias torquendo tumentibus constringerent chordis, & frontem in qua vexillum Christus suæ fixerat crucis, rugatam magis quam exaratam, discindentes, atque mugientes ostenderent, nervi ut fili aranearum, sancto cœlum respiciente, crepabant.* (Notanda vero simul immanitas Barbarorum, quæ nostro tamen ævo victa est) *Plerisque aquam marinam, aliis acetum, amuream liquamenque, & alia multa crudelia, tanquam utribus imbutis ore apposito, sine misericordia porrigebant.*

§. 13. *De aliis tormentis ordine Alphabetico.*

SEd, si omnia exquisita & inquisita à Tyrannis tormenta essent speciatim enodanda, esset nimis longa tractatio; ut tamen aliqualis notitia eorum habeatur in solatium Catholicorum videntium martyriorum varia genera, & in ipsorum confusionem, attendentium quanta Martyres passi sunt tormenta, ea quorum potui habere notitiam, præter relata ordine Alphabetico digeram. Carcer locus in quo Martyres detrudebantur: sic dictus, quia non exire inde coërcebantur, nisi, quia constantes in fide, ad martyrii cursum peragendum tanquam generosi equi egrediebantur, vel liberi exibant, quia fidem abjurabant; Carcer tamen latius patet quam ergastulum, ut contra Stellarium edisserens latius tracto, in digressione de coronis & tonsuris, sectio 8. licet tam carcer, quam ergastulum ad Martyres designatum, fœtidum, horrendum & fere inhabitabile erat, ita ut multi ex carceris fœtore necarentur (ut de mea Sancta & concive Leocadia dicitur in ejus actis, quæ in Breviario Toletano referuntur, & hymnis elegantissimis decantantur; extat hodie horrendus carcer, in quo fœtore & squalore confecta quievit, & ego sæpius maxima animi teneritudine & devotione visebam, & est consecratus in Ecclesiam collegiatam) ut enim ait Nyssenus epistola ad Flavianum, infernus videbatur, & Prudent. περὶ Στεφάνων, hymno 5. *Lugubre in antrum truditur, ne liber usus luminis animaret altum spiritum: est intus immò ergastulo locus tenebris nigrior, quem saxa mersi fornicis angusta clausum strangulant; æterna nox illic latet.* Hic carcer horrendus suos habere fertur inferos, quod antea dixerat Flavus, declamatio 4, *Video carcerem saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. in hunc conjecti robur Iulianum prospiciunt, & totus jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, &, alienum supplicium spectando, suum discunt. Sonant verbera, cibus recusantibus spurca carnificis manu injicitur, sed & janitor inexorabili pectore, qui matre flente siccos teneat oculos; illuvies corpus exasperat, manus catenæ premunt, &c.* Satis eleganti descriptione, cujus paradigma ad vivum est carcer Sanctarum Virginum & Martyrum Iustæ & Rufinæ, hic Hispali in conventu sanctissimæ Trinitatis extra muros. plura de hac materia carceris Tertullianus lib. ad Martyres cap. 2, ubi Pamelius ut assolet. Vide custodia. *Colapha:* Colaphis cædi summa fuit inter gentiles pœna, quia summa ignominia, teste Heliodoro lib. 8 Histor. Æthiopiæ, loquente de Cariclea nobili fœmina, quæ jussa est colaphis cædi, de hoc injuriæ genere quo Martyres cædebantur, dum carnifices & alii ministri in ipsos pugnum, & alapas, & colapha ducebant, & genas infringebant, quibus maxime delectabantur sancti pro nomine Iesu contumeliam patientes, sicut & ipse Servator est passus in nocte illa suæ passionis horrenda. Ambrosius lib. 3 de Virginibus. Cyrillus Alexand. lib. 2 in Amos. Metaphrastes in vita Sancti Dionysii Areop. Chrysostomus epistola ad Olympiadem.

Cippus, quamvis apud antiquos sumatur pro Petra aut Columna sepulchrali, tamen etiam sumitur pro tormenti genere, in quo ponebantur pedes reorum, Hispani *grillos, cepo*, sed melius juxta Tertulliani phrasim, & Ammiam lib. 28, quem sequitur Cerda vir omni eruditione plenus lib. de Pallio n. 241. cippus *est pressorium, Hispane prensa, in qua pedes & crura reorum summo & incredibili dolore premebantur.*

Custodia, carcer erat teterrimus reorum, commune nomen ad ergastulum, & carcerem communem, qui, teste Vlpiano leg. aut damnum. §. solent. D. de pœnis, ab arcendo dictus, cujus cura in Romana Curia commissa erat triumviris, ut eorum interventu sumeretur supplicium de reis. Ita Pomponius leg. 2. D. de origine juris. hic carcer divisus fuit, unus dicebatur Tullianus aut Mamertinus, ad radices Capitolii, & hodie dicitur forum in quo fuerunt Sancti Apostoli Petrus & Paulus; alter qui dicebatur Robur, juxta rupem Tarpejam, ex qua præcipitabatur malefactorum genus. Præter hos erat alius carcer, qui dicebatur *centum virorum* in regione nona positus, in quo non erat jus gladii, sed solum ibi continebantur, qui obnoxii erant ære alieno. de his carceribus elegantissime Baronius in notis ad 14 Martii in Martyrologio. de varietate carcerum apud diversas gentes erudite Alexander ab Alexand. lib. 3. cap. 3. dierum genial. ubi egregie Tiraquellus: *Antiquitus enim ex topho, lignoque construebantur, sed Claudius Imperator in marmoreos & subterraneos commutavit.* Quam utilitatem ex carceris fœtore, & angustia deduxerint Martyres, pulchre satis Tertull. lib. ad Martyres cap. 2. *Hoc enim* (inquit) *præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Catabula*, id est, stabulum Iumentorum, quæ ad ferenda onera erant designata, fœtore & immunditia plena. *Catomi* (alias *Latomii*) est supplicii genus, ad verberandum aptum, juxta Isidorum lib. 5 Etymolog. c. 8. vel est Κάτωμος idem quo miles, qui, dimissis armis, pedibus in altum suspensis, ad verbera expositus manebat, ut liberius cæderetur, ut vult Molanus; vel est vinculum & catena, qua ligabatur Martyr juxta Ambrosium Calepinum, quamvis nihil horum arrideat Baronio die 15 Iunii, litera D. sed in quæstione relinquit catomum. *Catapulta* est Machina, qua testa & saxa in Martyrem jaciebantur, & valde torquebatur. Plautus in Curc. *atque ita de nervo torquebo*, ut catapultæ solent. *Craticula*, (diminutivum à crates, quæ est rara lignorum aut ferramentorum connexio) in qua ponebatur Martyr igne supposito ut torreretur. *Climaces* existimo fuisse tormenti genus, in quo quasi per gradus extendebantur Martyres; genus Equulei. *Calcariæ*, stimuli ferrei; quibus torquebantur, tanquam equi calcaribus. *Clavi igniti*, quibus per tempora transfigebantur, cum essent *puriora clavo. Dignariæ*, erant quædam cavitates (nisi fuerit tormentum *de las tablillas*, usum quondam in Hispania, de quo infra) digitis aptatæ, ex metallo confectæ, quæ ignitæ digitis ponebantur. *Damnationes ad metalla* eruenda,

eruenda, & lapides secandos; ad ergastula, in quibus miserrimam transigebant vitam, ut latius dicam in digressione de tonsuris & coronis, & infra dicam. *Frixoria*; quæ idem ac ollæ æneæ ardentes & sartagines. *Fidiculæ*, de quibus supra in digressione sect. 3. de Equuleo disserui, ostendens, non esse ungulas, sed ligamina ex nervis, quibus in equuleo positus Martyr distendebatur, Hispane dicuntur *Trato de Cuerda*, Græce Κυφώνες, quibus in veretris ligatis torquebantur tempore Tiberii sontes. *Fustes*, quibus toto corpore lacerabantur tanquam servi, quamvis Marcellus sentire videatur, quod homo liber fustibus cæditur, servus flagellis. De *fustuario* militari supplicio, & de pane ordeacio, quo ignavi milites vesci cogebantur, plura Rhodiginus libro decimo cap. 8. fustibus etiam cædi fideles, & non solum milites Christianos, constat ex Paulo Iureconsulto lib. 5 sentent. tit. 21. de vaticin. ubi legibus Romanorum statutum dicit, quod fustibus cædatur, qui se Deo plenus simularet; quantum juvarent ad plenitudinem inanem, vel inanitatem vacuitate plenam, qua multi ostentant se Deo plenos, extirpendam & eliminandam. In tormentis, quibus cogebantur Martyres fidem abjurare, Tyranni fere semper à fustibus incipiebant, ut testatur Cyprianus epistola 77 ad Nemesianum & Felicem.

Furca fuit antiquitus supplicii & tormenti instrumentum, aut ignominiæ nota: in hoc sensu sumitur pluries apud antiquos. Servi enim infideles furca collo appensa, manibus ligatis, per viciniam deferebantur, ut ignominia correptus, & ipsi mores emendarent, & aliis, ne simile committerent, esset exemplum, ita Plutarchus in vita Coriolani, Cicero lib. 1 de divinat. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. n. 4. Rhodigin. lib. 10. lect. cap. 8. Vnde isti *furciferi* dicebantur, & apud nostrates furcæ ignominia in mancipiis conversa est in annulum ferreum collo positum, è quo virga ferrea supereminet. in aliis servis ad pedem ponitur lignum, quo ab omnibus conspiciatur, & dicitur Hispane *Corma*. de furca enim, ut est supplicii & tormenti genus, quamvis apud antiquos idem sit quod patibulum, & patibulum id quod crux; & sic crux & furca pro eodem reputarent leg. Capitalibus. §. famosos. D. de pœnis. Isidorus libro quinto. Origin. cap. 7. Lactant. lib. 2 institut. cap. 8, & in Sacris literis hæc pro eodem usurpato inveniuntur. Genes. cap. 4. vs. 20. & Hester cap. 5. 6 & 7, ubi de patibulo Aman quamvis, inquam, hoc ita sit apud aliquos scriptores, tamen tempore Christi Domini furca & crux diversum erat supplicii genus; nam in cruce non suffocabantur malefactores; sed vel atrocitate supplicii animam exhalabant, vel crura eorum, ut citius morerentur, vel sub ex illis lancea perforabantur, & nullus cruci affigebatur, qui ibi spiritum non redderet; at in furca (quæ diversæ erat figuræ, ut modo etiam est apud Christianos, qui illa utuntur ad puniendum malefactores non cruce quam veneramur;) homines suffocantur, & strangulantur. nec furca semper erat ultimum supplicium, sed præambula ad illud. Ita Suetonius in Nerone cap. 49, *à Senatu* (ait) *judicatum est quæri, ut puniatur more majorum. Interrogavit quale esset hoc genus pœnæ, & cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus Virgis ad necem cædi* (*azotes de muerte* nos dicimus) *& ex saxo præcipitari*. Hæc ille. qui modus usitatis erat apud Romanos contra malefactores, qui è Robore (fortale ea) sito in rupe Tarpeja præcipitabantur. fuit etiam crudelissimus mos apud Tyrannos, ut diutino cruciatu Martyres deficerent, & perirent morte miserrima, ut illis, qui cruci aut furcæ suspensi erant, stipulis & lignis humidis ignem supponerent, ut amaritudine fumi & visum amitterent, & tandem vitam perderent. ita in vitis Patrum Rufinus lib. 3. cap. 200. aliquando ignem supponebant in furcatis & crucifixis, ut flamma eorum carnes lambens consumeret, & lento cruciatu interirent. quod egregie dixit Tertullianus in Apolog. cap. 30. sequitur in hoc antiquitatem, de qua Lampridius in Alexand. & in actis sancti Peonii Martyris, & late Lipsius lib. 2 de cruce cap. 8. ad crucem jam clavis figebantur, jam funibus ligabantur. unde Artemid. lib. 2 de insomniis cap. 8. *Crucifigi* (ait) *viro cælibi nuptias designat obligaturam*. & sanctus Andreas, ut refert Abdias Babylonicus in ejus vita, *ligatus manibus & pedibus, non clavis affixus fuit*, ad furcam vero semper funibus ligabantur, quibus vel strigulabantur, vel suspensi è cervice manebant ad flagra & flagella usque ad ultimum supplicium mortis.

Flagella fuerunt quasi initia martyrii; pauci enim fuerunt quos Tyranni non tentarunt fidem abjurare, primo eos flagellis diversi generis cædendo; de *scorpionibus* & aliis flagris supra in digressione sect. 6. diximus. Sed quia Tertullianus lib. ad Martyres, cap. 5. de *Taureis* quibus cædebantur Martyres, agit, ex qua materia flagellum hoc conficeretur, examinandum inpræsentiarum, & quid sit *Boja*; Taureæ scuticæ erant sive flagella ex corio taurino confectæ, jam curato in soleam deducto, sicut burreæ quæ ex corio bovillo nondum curato in soleam, quibus ad jugum colligantur cornibus boves; Taureis, hoc est, soleis flagris crudeliter flagellabantur Martyres, ut testatur Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, loquens de Eutycho Subdiacono, & Surius loquens de Pontio Martyre 14 Maji. hinc Taureæ plagæ Iuven. satyr. 6.

— *Taurea punit*.

Artemidorus lib. 1, cap. 72, *Si servus Taureas somniet, illi tormenta significat, propter flagrum taurinum*.

Hinc deduco, ni fallor, quid proprie sit *Boja*; quamvis enim ista, aliquando significat catenas, quibus ligabantur ad collum Martyres, ut legitur in vita sancti Alexandri Papæ, ubi agens de Vinculis sancti Petri, dixit sanctus Pontifex: *desine has osculari boias*, quæ, teste Isidoro lib. 5 Origin. cap. 8. torques erat damnatorum, quasi juga boum, & Festus, quem sequitur Caspar Barthi. lib. 47 Adversar. cap. 17: *Boiæ sunt vincula collis applicata*. unde Prudentius: *Attrita bois colla liber erigit*. & ejus commentator: *Baga* (Boia legendum) *ferrum dicitur, quo captiva sæpe mancipia, strictis collis & manibus, aguntur*. vulgo *Pie de amigo, argolla, y esposas*. Hæc autem boia sive ferrea, sive lignea erat, quamvis, inquam, hoc ita sit in usu, & primaria hujus vocis significatione; tamen Brodeus lib. 2, cap. 10. satis probabiliter existimat Boiam idem esse quod Tauream, qua flagellabantur Martyres, & Hispano sermone dicitur *la Penca del Berdugo*, qua cædit sontes; confecta ex solea Taurina. Vnde ab instrumento huic ministro magis familiari, Italicè ipse minister Boia nuncupatur. Sed priori significationi acquiesco.

Forcipes crudelitatis Tyrannæ instrumentum, & non mediocre Martyrum tormentum, quo adstringebantur ad Christum abnegandum. Caspar Barthi. lib. 39, cap. 14. inter Forfices, Forcipes & Forpices, hanc agnoscit differentiam ex earum originibus, quod forcipes sint fabrorum, forpices medicorum, forfices sartorum; sed, quibus assimilarentur illæ, quæ erant ad torquendum, non est facile divinare, sed existimo tyrannos omnibus usos, pro diversitate

torturæ: nam ad scindendum, ut in beata Agatha; cujus mammæ incisæ fuere forpicibus, vel forficibus; ad intorquendas carnes & premendas forcipibus. Vnde Baronius in notis ad diem 15 Iunii, litera D. sic fatur: *Triplicis generis erant Forcipes, quæ adhibebantur in carnificinis sanctorum Martyrum. Harum aliæ erant ad incidendum (quibus tortus est sanctus Pelagius adolescentulus Hispanus, qui à Sarracenis forpicibus membratim præcisus fuit.) Aliæ ad comprimendum & contorquendum compositæ. Harum meminit Synesius Episcopus epistola 58, cum agit de Andronici Præsidis feritate, aitque: Nasi forcipe auribus apprehendendis, & labiis obtorquendis parato instrumento, &c. agit item illic Autor de digitali & pedali tormento, ac de prælo. Tertii generis erant forcipes dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem Martyris perforabant cum stringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes vellebant, hactenus ejusmodi genus instrumenti in Basilica Vaticana inter sanctorum Reliquias adservatur, licet scorpiones à quibusdam falsò esse credantur, uti diximus die 12 hujus mensis. Meminit & Ioseph libro de Machabæis de forcipe dentata, cum ait: his dictis ignea forcipe ejus lingua cauteriatur, &c. Huic simile erat genus illud cruciamenti, quod Victor libro secundo de persecutione Wandalica appellat palos dentatos, dum ait illico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis ac vehementius adstringentes simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant.* hactenus Vticensis Victor & Baronius.

Gladius ultimum fere in omnibus Martyribus mortis supplicium. Cæterum gladius & communiter sumitur, & speciatim pro instrumento ferreo acuto, quo jugulabantur, aut dissecabantur in frustra Martyrum corpora, cervices secabant, &c. de gladio, qui ad propositum idem est ac ensis, machæra, pugio, &c. supra diximus in digressione, sect. ultima. Verum apud antiquos scriptores, & etiam Iurisconsultos gladius sumitur pro quocumque supplicio mortem inferente; unde gladius sumitur pro quocumque instrumento ad mortem ferendam. Potestas enim gladii in jure dicitur ex qua dimanat mortis damnatio in facinorosos, quod dicitur merum Imperium. leg. Imperium D. de jurisdictione omnium Iudicum. Vbi Iason n. 1. ex leg. illicitas. §. quæ universitas. D. de officio Præsidis & leg. solent. D. de officio Procon. Hinc intelligitur Tertulliani locus in Apologet. cap. 5. ubi, loquens de ferocitate Neronis in Apostolos Petrum & Paulum, dicit, *ferocisse Cæsariano gladio*, hoc est, mero Imperio Cæsarum ipsos occidendo, Paulum ense & Petrum crucifixione. Vnde dum quis ob facinora aut præcipitatur, aut suspenditur furca, aut sagittis transfigitur, aut quovis alio tormento vitam agit, judex utitur gladio, & potestate gladii occiditur. Hinc recte Cujacius ad lib. 9 cod. tit. 9. leg. 31. gladium pro pœna mortis crudelissima (quæ ferenda erat in viros qui ut fœminæ nubebant) accipit. Quam legem erudite explicat ibi Gothofredus, & quid sit viros ut fœminas nubere. Igitur omnis capitalis pœna gladio dicitur exequi; & quidem ex etymo gladii, qui à clade dictus, quasi Cladius, teste Varrone. Vnde Plinius libro decimo sexto, cap. 32. & alii Latini Clades à cadendo deducunt, apud Passeratium verbo Clades. quare Berterius Diatriba 1, cap. 9. explicans Tertullianum, fatur: *Scribit Tertullian. in Apologetico Neronem in Christianos Cæsariano gladio ferocisse; sed id nemo de sola capitis amputatione intelligendum censeat.*

Graphia quæ idem ac puncti, acerrimi tormenti genus, quod ad diutinam mortem inferendam primus invenit sævissimus Imperator Cajus Caligula. de quo Suetonius in Cajo cap. 30. ait: *Non temere in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque præcepto ita fieri, ut se mori sentiant.* quo tormento excarnificatum Galbam ipse Suetonius adfirmat in Galba, capite decimo septimo. de qua capitali pœna Seneca lib. 1 de Clement. cap. 14 ad Neronem, quo vita functus est Erixo Romanus Eques, & sanctus Alexander Papa 3 Maji, & sanctus Cassianus 13 Augusti. Puncti isti graphia & stimuli non solum adhibebantur ad inferendam tardam & morosam necem, sed etiam in quæstionibus ad extorquendam veritatem, ut teste Dione lib. 44. Portia ad Brutum virum suum testatur, quod ipsam ad efferendum arcanum sibi commissum adigere non possent stimuli. unde hoc tormentum stimuleum dicebatur, quod servis furibus adhibebatur ad excruciandum, non ad occidendum, ut passim apud Plautum in Milite glorioso, & in Asinaria, & in Menæchen. etiam fuit adhibitum sanctis Martyribus, ut de sancto Hippolyto Hymno 11 testatur Prudentius:

Iliaque infestis perfodiunt stimulis.

Aliquando etiam Tyranni sanctos Martyres ad ambulandum, dum ad metalla & ergastula ruralia deportarentur, stimulis ferreis urgebant, ac tardos boves, ut ait Victor Vticensis lib. 1 de persecutione Wandalica.

Gemoniæ locus erat ad quem cadavera Martyrum ignominiæ causa deferebantur, & erant scalæ quædam in Aventino positæ, in decima tertia urbis regione, ad quam impacto unco trahebantur, dictæ à geniendo, quia ibi defuncti gemebantur. de his gemoniis Tranquillus: *Nemo punitorum non in gemonias abjectus uncaque tractus.* Cornelius Tacitus: *Tunc confossum collaceratumque, & abscisso capite truncum corpus Sabini in gemonias trahunt.* De his meminit Plinius lib. 8, cap. 40.

Latomiæ sunt D. Isidoro lib. 5 originum, supplicii genus ad verberandum aptum, inventum à Tarquinio Superbo ad pœnas sceleratorum: iste enim prior latomias seu lautumias, tormenta, fustes, metalla atque exilia adinvenit. Sed antiquiores Latinitatis Auctores, ut Festus, Livius, Plautus, Latumias, Latomias, vel Lautumias lapidicinas intelligunt, vel loca cava relicta ex sectis lapidibus. quo sensu carcer Siracusanus, de quo Cicero in Verrem oratio 7. *Latomia* est appellatus, eo quod in Rupe à Dionysio Tyranno excusus fuit. Latomia enim derivatur à λᾶς, quod est Petra, & τόμος quod est sectio. Vnde Varro lib. 4 de lingua Latina ait, in similitudinem latomiarum Syracusanarum à Tullio Rege additum fuisse carcerem subterraneum in lapidicinis. ad hujus similitudinem Tyranni Latomias conficiebant, ut ibi Martyres conficerent fame, nidore, tenebris, & loci angustia.

Aliquando etiam ad Latomias, sicut ad metalla eruenda, ita ad lapides cædendos in lapidicinis damnabantur rei, & multi Christianorum deportabantur. Plautus in Captivis dicit: *Tyndarus in Latomias lapidarias ab Ægione damnatur.* Vnde ad Latomias damnari dicebantur, qui *in opus metalli* damnabantur. quam atrox fuerit hæc ad Latomias & metalla damnatio, constat ex Hilario, apologia contra Imperatorem Constantium, in Lucifero Calaratino, in Apologia pro sancto Athanasio, in Cassiano collatio 18, cap. 7. adeo quod in primitiva Ecclesia fieret specialis publica oratio pro Christianis ad metalla damnatis, ut testantur sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, sicut fiebat

fiebat oratio pro ægrotis, & pro vexatis malo Dæmone. Sanctus Iacobus in sua liturgia sic orat: *Memento Domine, eorum qui ad metalla damnati sunt.* Et sanctus Hieronymus de illis dicit lib. 1 adversum Iovinianum, quod *sint multo labore fessi, & duro opere mancipati, ergastulis inclusi quorum olidos squalores animus horrescit.* Ingressi hoc habebant solatium, se signo crucis munire,ut refert Theodoretus lib.4 Hist. cap.20. de quodam Monacho, legendus est Cyprianus epistola 77 ad Nemesianum, &c. & epistola 25, ubi, quam gravis fuerit hæc pœna, mirifice explicat.

Laminæ ignitæ tormentum fuit antiquis usitatum. Plautus in Asinaria actu 3. *Stimulos, laminas, crucesque.* & leg. 1. C. de emendat. servo. ubi Constantinus Imperator reum homicidii dicit esse Dominum, qui servorum latera exurit, cujus exustionis per faces in mancipia discola adhuc in Hispania mos perseverat. sed cutem laminis ignitis exuri usitatum fuit à Tyrannis in Martyres, ut dicunt eorum acta, & referunt Cyprianus lib. de laude martyrii n. 40. Prudentius Hymno 5 de sancto Vincentio, & Hymno decimo de sancto Romano:

Nec inusta laminis ardet cutis.

Et alibi:

Dira aut cremasset laminarum impressio.

Hinc correctus venit Ausonius, vel, si mavis, Imperator Theodosius in quadam epistola metro conscripta, in qua versu 71 dicitur:

Nonnullæ flammas quatiunt trepidoque minantur.
Stridentes nullo igne faces —

Nam quomodo flammas quatiunt nullo igne præsente? Quare legendum est lamnas, laminas vulgo, sed Poëtice lamnas,Horatius — *inimice lamnæ Crispe Salusti*—.Laminis ignitis simile est aliud tormentum lapidis ardentis, hoc est, facis ardentis lateribus Martyrum applicatæ, vel quæ ex pice, resina, & cera factæ liquefiebant super nuda Martyrum corpora, de quo Maffeus lib.16 Histor. Indicarum.

Lebes, instrumentum ad torquendum est idem quod olla ænea fervens,de qua lib.2 Machab. cap.7. & Iosephus lib. de Machabæis ad Polybium, qui eam ponit inter exquisita tormenta, cujus descriptionem sic facit: *Carnificis manibus olla ænea imponitur, prælo gyrato sanctum caput ad genua pellitur, sicque corpore deorsum redacto, pugil in eam, quam dicimus, ollam miserrime delituit.* hæc ibi. quod tormentum passa est sancta Iuliana Nicomediensis 16 Februarii, terribile tormenti genus. Coquebatur enim caro benedicta Martyris, tanquam caro suilla in lebete æneo.

Lora. flagelli genus, quo cedebantur servi leg. 1. C. de emendat. serv. Dominis enim in servos, virgæ, lora, vincula permittuntur, & non fustes, lapides, tela, venena, ferarum ungues, ignes. Notat ibi Gothofredus. Loris enim cædi supplicium erat servile. Terentius in Adelphis: *Usque ad necem operiere loris.* Lorum enim proprie significat corrigias quasdam oblongas, ex corio confectas, quæ deserviunt tamquam habenæ ad detinendas bestias, vel quibus capita boum colligantur ad juga. Donatus vero adnotat, quod lora apud veteres *laura* dicebantur à lauro triumphorum, sub qua mos erat captivos vinciri ducique per pompam. ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris cæduntur, qui autem cædebant, *lorarii* servi dicebantur; quorum officium erat aliquem ex conservis jussu Domini aut vincire, aut loris cædere. & loris cædebantur crudeliter sancti Martyres.

Lapidationes. quod tormentum passus est beatus Stephanus, qui lapidibus obrutus, rogans pro lapidantibus spiritum Deo reddidit; & adulteræ & blasphemo pœna erat imposita in testamento veteri. de hoc lapidationis supplicio Apulejus libro decimo. fuit tamen inusitatum Romanis, nisi populus ira concitus in aliquem lapides jaceret, ut ait Simocatta lib. 8 Historiæ, cap. 4: *Lapidibus infestabantur Imperatorem.* Tertullianus vero in Apologet. cap. 48 dicit: *Christianos resurrectionem carnis prædicantes lapidibus à populo exigi.* & tumultus popularis lapidibus ordinarie armatur in adversarios. sic Philostratus in vita Apollonii, loquens de tumultu Atheniensium. Martyres etiam non solum ictibus lapidum cædebantur ad mortem, sed lapidibus aliis cædebantur tormentis; primo ligato ad collum lapide prægmagno, præcipitabantur in flumen; secundo lapidum magni ponderis globi, vel longitudinis oblongæ, habentes annulum ferreum cui immittebatur funis, qui ligabatur ad pedes Martyris penduli medio laqueo ex arbore, si vir erat; vel, si mulier, capilli oblongi pro laqueo deserviebant; sic summo dolore discruciabantur, compage membrorum dissoluta, & juncturis ossium dimotis à naturali unione. Hujus tormenti crudelitatem scribit Iosephus lib. de Machabæis, sic: *Orbiculare* (saxum: sic enim visuntur hæc lapidea pondera in multis Romæ Ecclesiæ: in aliquibus Hispaniæ vidi) *afferri in medium jubet, hinc cum pedibus una cum manibus deorsum colligati fuissent, sanctum quoque chorda orbiculari ventrem circumcingente, in altum usque contrahit, nec mora separatur à sede sua dorsi junctura, crura cum brachiis extrahuntur, ejiciuntur humeri; sicque singulis nervis districtis, solvitur Martyr invictus.* hæc Iosephus. antiquitus etiam non pro crimine, sed pro debiti solutione debitores in carcerem mittebantur, illis pondera appendebantur ad nutum creditorum. de quibus Aulus Gellius lib. 20. cap. 1. sed horum ponderum immissionem pro debitis vetuit Constantinus leg. 3. C. de exactor. 30. lapidationibus ora martyrum contundebantur usque ad dentium contritionem, incredibili doloris cruciatu. ut enim ait Polybius lib. 6. hoc erat unum ex suppliciis militaribus, quod passi sunt 40 milites die 9 Martii. quorum facies lapidibus contusæ fuere, usque ad malarum & dentium expulsionem.

Manuum pedumque præcisio; supplicium etiam militare fuit adversus milites desertores, inventum ab Avidio Cassio Tyranno, qui dicebat majus exemplum esse viventis miserabiliter criminosi, quam occisi. sed hoc non est Christianis ignominia, sed triumphus victoriæ, ut testantur acta sancti Aniceti Martyris. *Manicæ*, etiam tormentum fuit non parvum, quo strictissime ligantur manus; hæ vel erant ferreæ, quas nos dicimus *esposas*, vel ex lino aut corio confectæ. de manicis Virgilius 2 Æneid.

— *Manicas, atque arcta levari*
Vincla jubet Priamus —

Nervus, proprie est instrumentum animalibus ab auctore naturæ datum, à cerebro & spinali medulla ortum, principium motus & sensationis in animali. Ovidius:

— *Sed rupti vulnere nervi*
Deficiunt, motumque negant, viresque volandi.

Sed nomen ad multas alias notiones translatum est, quas vide apud Passaratium, ad rem tamen nostram, est vinculi genus quo pedes aut cervices impediuntur. ex quo ortum facetum dictum Platonis: *fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque purpura.* Plautus in Aulul.

Nervos, catenas, numellas, pedicas, boias. Et alibi:
Perfidiose captus, eo ædepol nervo cervices probat.

Simi-

Similem ſignificationem tribuit huic voci ſanctus Iſidorus lib. 9 Originum. hoc tormento agitatus eſt ſanctus Celerinus Martyr, de cujus valentia in ſufferendis omnium tormentorum differentiis plura narrat Cornelius Papa Epiſtola ad Fabianum Antiochi. Fungebatur apud Cyprianum munere Tabellarii, Portatoris literarum ad alios Epiſcopos.

Numella vinculorum lineorum, quæ parabantur ad noxios diſcruciandos, in quibus collum & pedes immittebantur. De quibus Varro lib. 2 de re ruſtica capite nono pro maſuefaciendis canibus. & Columell. lib. 6. cap. 12. pro bobus & aliis magnis animalibus. ſed quæ eſſet hujus vinculi forma ut collum & pedes illi immitterentur, non inveni.

Oleum fervens; durum fuit cruciamenti genus, quod immittebatur ſupra Martyrum nuda corpora, pice & reſina commixtum; quod paſſus eſt ſanctus Ioannes Euangeliſta, qui juſſu Domitiani in olei ferventis dolium (non ſolum ut vult Stellarius, contrà quem pugno degreſſione de coronis & tonſuris) immiſſus eſt.

Paratilmus, παρατιλμὸς ἀπὸ τοῦ παρατίλλεσθαι, quod evelli ſignificat; unde Paratilmus eſt evulſio pilorum è pudendis; pœna admodum ſenſibilis, lata in eos qui in adulterio deprehendebantur, teſte Paſſaratio.

Puteus locus in quo ſunt aquæ concluſæ, in quem velut incarcerem mittebantur Martyres, ut ibi aquarum fœtore & luminis defectu ſuffocarentur: in puteum enim demergere Martyres quos ſæviſſime puniebant, conſueverunt Tyranni, ut de Beato Papa Calixto narrant ejus acta 14 Octob. extatque hodie Romæ Puteus in quo fuit ejectus. ſimili pœna utebantur Antiqui in noxios, ut conſtat ex Rhodigino lib. 10 lection. cap. 5. & loco carceris in puteum injiciebant ſontes. ſic intelligitur locus ille Pauli 2 ad Corinthios 11. verſ. 25. die ac nocte in profundo maris fuit, Græce ἐν βυθῷ, quod teſtes Theophilo intelligitur de puteo, cui à profunditate nomen erat Bythus. Baronius tom. 1 Annal. anno 58. ex Beda intelligit *profundiſſimum & teterrimum omnium carcerem Cyzenum (in quem conjectus fuit Paulus,) qui eo quod altiſſimus eſſet, adeoque deorſum depreſſus, merito profundum maris ſit dictum; illi ſimilis qui erat Athenis famoſiſſimus carcer, Barathrum appellatus, vel qui Syracuſis Latomia nominatus, & qui Romæ nominatus eſt Tullianus.* Hactenus Baronius.

Præcipicium Martyrum ſupplicium fuit crudeliſſimum, quod paſſus eſt ſanctus Iacobus, *Iuſtus* dictus, & primus Epiſcopus Hieroſolymitanus, quem ob confeſſionem Chriſti adoleſcentes Iudæi à pinna templi præcipitem dederunt, & tandem lapidibus, & Fullonis vecte fuit interemptus. Circumcelliones Donatiſtæ, qui martyrium falſo ambibant, & dum occiſores non inveniebant, ipſi ſe præcipitabant, ut ait Auguſtinus, & nos ſupra diximus in digreſſione de Canonibus Eliberitanis. Fuit etiam apud Romanos locus deſignatus ad præcipitandos criminoſos, dictum Saxum Tarpeium, quem ſic deſcribit Aurelius Fuſcus apud Senecam lib. 1 declam. controverſ. 3. *erat præruptus locus, & immenſæ altitudinis ſtat moles abſciſſa in profundum, frequentibus exaſperata ſaxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro gravius impellant, inhorrent ſcopulis enaſcentibus latera & immenſæ altitudinis triſtis aſpectus, electus potiſſimum locus ne damnati ſæpius ejiciantur.* hæc Aurelius. unde leg. 12 Tabularum cautum erat: *qui falſum teſtimonium dixerit, Saxo Tarpeio dejicitur.* Apulejus in ea oratione qua ſe purgat de crimine Magiæ, dicit: *ô mirum commentum! ô ſubtilitas digna carcere & robore!* Ex quo conſtat Magos ſolitos præcipitari. quis dubitat complures Chriſtianorum (cum à gentibus venefici haberentur) eo mortis genere accepiſſe coronam Martyrii?

Rotæ tormentum crudeliſſimum fuit, quo uſi fuerunt Antiqui, ubi teſtatur Rhodiginus lib. 10. cap. 5. & illius memoratur ſanctus Baſilius Homilia in quadraginta Martyres. hoc enim ad quadruplicem modum reduco. Primus eſt dum reus ligatur rotæ, & vivus contunditur malleo, qui apud aliquas etiam Chriſtianorum reſpublicas hodie perſeverat in criminibus atrocioribus & Læſæ Majeſtatis humanæ, & ego vidi Neapoli in Campania, & eo uſos fuiſſe Tyranno, in fideles non dubito. Secundus modus eſt ut Martyr circulari & veloci Rotæ motu diſrumperetur in fruſta. de quo Ioſephus lib. de Machabæis ad Polyb. ſic fatur: *illi ergo mola pedibus apperſa, atque innecti rotæ jubetur Machabeus, ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut ſolutis hinc inde viſceribus, veniſque diſſentis, dolores ipſius & pœnæ creſcerent.* Tertius modus inrotandi erat ad diſtendendum Martyris corpus, quem modum enucleat idem Auctor infra poſt verba citata. ſic *Rotæ poſtmodum affigitur, nec tendi magis jam poterat.* Rotæ tormentum paſſi ſunt quamplurimi Chriſti milites ſancti, Felix, Fortunatus & Aquileus Diaconi miſſi ad prædicandum à ſancto Irenæo. Quartus modus: erat enim ſervile ſupplicium ad Rotam alligari & flagris cædi apud Athenienſes, & alios Græcos. unde ab Apulejo lib. 10 *Græcum* appellatur, apud Gallos etiam, unde *Gallicula* dicitur. & abſolutæ Rotæ tormentum adeo crudele eſt & immane, ut Iuvenalis Satyra 13 referat inter inferorum ſupplicia:

Nec Rota, nec furiæ, nec ſaxum aut vulturis atri
Rena. ——

Et Claudianus lib. 2 in Rufin.

—— *Dubito tibi pendula rupes*
Immineat lapſu, volucer te torqueat axis. & in Hiſpania loco Rotæ ſervi verberandi alligantur ad ſcalam. ac dum aliquis aliquo gravi erat reus crimine, antequam morte plecteretur, illata in carcerem rota miſere illa torquebatur, ut ait Plutarchus in vita Phocionis. & Plautus, ut immanitatem tormenti explicaret, de adoleſcente qui amore laſcivo agebatur dicit, *in amoris rota verſari.*

Securis inſtrumentum ad ſecandum inventum (cujus Inventrix fuit Pentaſilea Amazon, quapropter Amazones *ſecurifera* dictæ) unde Demoſthenes Phocionem orationum ſuarum dicebat *ſecurim.* Romanorum Regibus ſecures & virgas prælatas aliqui volunt, ut cum vitiorum aliqua ſint ſanabilia, alias inſanabilia, Virgis corrigerentur qui emendari poſſint, ſecuribus autem plecterentur immedicabiles. quare inter faſciculos Virgarum ita obligatas eſſe ſecures, ut ferrum in ſummo extaret faſce, ad ſignificandum Magiſtratus iram non eſſe ſolutam, ut oſtendit in Problemate Plutarch. vel ut ſolutio faſcium ad exerendam ſecurim, quæ fuit paulatim, moram injiceret iræ. unde tam apud Romanos quam apud Græcos animadverſionis & pœnæ capitalis fuit indicium. & ſic Lydiæ Reges loco ſceptri ſecurim deportabant, & in nummis ſecurim ponebant ad denotandum mortis ſupplicium, ut conſtat apud Tenedios. unde Cicero lib. 2 Epiſt. ad Quintum Fratrem. *Tenedoriorum libertas, ſecuri Tenedia præciſa eſt.* Hinc ni fallor ortum duxit quod aliquando fuit intermiſſus ſecuris uſus ad enecandum, niſi viros nobiles: nam ignobiles alio inſtrumento cædebantur, utpote cum ſecuris eſſet inſignia Regalis auctoritatis. tamen multi Martyres ſecuri cæſi ſunt, ut conſtat in eorum actis, & in tabulis Eccleſiæ.

Troch'ea

Trochlea, Proprie juxta Latinitatis Auctoris significat instrumentum cum orbiculis, ad sublevanda & dimittenda onera; vel rotula striata è ligno vel ære, qua aquam haurimus fune ductario & hydria. ita Lucretius & Budeus teste Passaratio, quamvis Budeus tam Rotulam, quam axiculum Rotæ trajectum, & ductarium funem, ut in puteis videre est, Trochleam dicat: sed Tyranni ad cruciandos Christicolas hac machina sæpe usi sunt. de qua Baronius in notis ad diem septimam Decembris, ubi Tabulæ Ecclesiasticæ sic de Beato Servo occiso in persecutione Wandalica: *qui fustibus dejectissime cæsus, trochleis frequenter in sublime elevatus, atque illu celeri super silices pondere corporis demissus & lapidibus acutissimis perfricatus, Martyrii palmam adeptus est.* ad quæ verba notat Cardinalis litera C. *Describitur à Victore Viticensi illud ipsum torquendi genus (quod falsi nonnulli dicunt torquere fidiculis) cum fune reus, revinctis post terga manibus, alligatur, ac in sublimi tollitur, rursumque impetu deorsum mittitur. Trochlea enim proprie est rota continens rotam volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. ejusmodi itaque tormentum dictum reperitur elevatio ad Trochleas; diversum tamen est illud quod dicitur extensio ad trochleas. de quo genere torquendi Gregorius Turonen. libro quinto, de historia Francorum 49. extensus* (ait) *ad trochleas cædebatur fustibus, virgis, ac loris duplicibus.* Hæc ibi apud Baronium.

Sed existimo idem esse tormentum elevationem ad trochleas, & extensionem: est enim trochleæ tormentum supplicium militare quod vocamus. *trato de Cuerda*, & fit eo modo quo Viticensis describit, quæ & dicitur elevatio, quia in sublime fertur fune ductario reus; dicitur etiam extensio quia brachia dimoventur à loco suo, & sic extenduntur. quod eleganter expressit Prudentius in Hymno de sancto Vincentio:

Vinctum retortus brachiis
Sursum ac seorsum extendite,
Compago donec ossium
Divulsa membratim crepet.

Tunica ardens, de qua Tertullianus lib. ad Martyres c. 5. loquens de his qui animi affectatione, & inanis gloriæ cupiditate omnia tormenta conculcabant; *quot otiosos* (ait) *affectatio armorum ad gladium locat? certe ad feras ipsa affectatione descendunt, & de morsibus & cicatricibus formosiores sibi videntur. jam & ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardenti conficerent. Hæc benedicti, non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ aliis affectaverunt pro vanitate in perditionem.* Egregia admonitio ad veros Christianos, qui pro veritate fidei pati debent omnia tormentorum genera: nam Hæretici etsi patiantur pro suis opinionibus, nôn est *prout oporret* pro veritate *in salutem*, sed pro vanitate *in perditionem*.

Tunicæ ardentis tormentum passus est Beatus Erasmus 2 Iunii. erat enim hæc tunica pice & bitumine illita, quam induebant qui erant igne cremandi. de qua meminit Seneca epistola quatuor decima: *illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam*, quam *molestam* dicit Martialis libro decimo, Epigrammate vigesimo quinto. & vere molestissimum tormentum. Hæc de tormentis, quibus Martyres Tyranni cruciabant, sub Anacephalæosi dicta sufficiant; omnia enim referre & molestum esset, & pene impossibile, cum tormenta multiplicarentur juxta genium & sævitiam Tyrannorum. Hæc enim quæ retuli, magis fuerunt in usu; quare ad Martyres concludo verbis Tertulliani ubi supra capite quarto: *Timebit forsan caro gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis. sed & spiritus contraponat sibi & carni acerba licet ista à multis tamen æquo animo excepta, imo & ultro appetita famæ vel gloriæ causa, nec à viris tantum, sed etiam à fœminis.*

DISPVTATIO

De tormentis & quæstionibus inter Christianos.

PVlchre satis Tertullianus in Apologetico, capite 2. de Iudicibus torquentibus reos ad veritatem eruendam, loquitur, cujus verba mihi dederunt ansam ad præsentem disputationem. *Suspecta sit vobis ista perversitas* (ait) *ne qua vis lateat in occulto, quæ vos adversus formam, adversus naturam judicandi contra ipsas quoque leges ministretur*, (vel ut aliis legunt *infestetur*) *nisi enim fallor leges malos erui jubent, non abscondi, confessos, damnari præscribunt, non absolvi. Hoc Senatus consulta; hoc Principum mandata definiunt; hoc imperium cujus ministri estis. Civilis, non tyrannica damnatio est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud vos soli quæstioni temperantur*, (id est mensura est sola quæstio;) *vestram illis servate legem usque ad confessionem necessariam etiamsi confessione prævenientur, cessabunt. Sententia opus est: debito pœnæ expungendus est non eximendus. Denique nemo illum gestit absolvere, non licet hoc velle, ideo nec cogitur quisquam negare.* in qua elegantissima verba sequentia excitabo dubia. sed prius advertenda egregia explicatio Ioannis Ludovici de la Cerda ibi numero septimo sic loquentis: *lectio quam repræsentavi verissima est. Indicat enim eos* (scilicet Iudices) *agitari à malis Dæmonibus, & ab insinceris spiritibus, ad eruendum aliquid contra ordinem judicandi & formam; dicit enim non esse credibile homines sapientissimos ita furere spretis legibus, nisi vis aliquas Dæmonum in occulto penetrasset.* hæc eruditissimus vir, quæ notare debent Iudices Christiani, Catholici, ne tormenta in pœnam adhibeant; sed quæstioni temperent; alias phrasi Tertulliana *agitantur à malis Dæmonibus*, cum faciant extra modum & formam judicandi. Igitur dubia ex verbis Africani desunt quæ resolvam, non agens Iudicem, sed Theologum.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum ad quæstiones tormenta licite adhibeantur inter Christianos.

DE errore humanorum judiciorum, & de ignorantia Iudicum cum veritas in judiciis latet, graviter conqueritur Augustinus lib. 19 de Civitat. cap. 6, *Iudicia hominum de hominibus, quæ civitatibus, quantalibet pace manentibus, deesse non possunt, qualia putamus esse, quam misera, quam dolenda, quandoquidem hi judicant, qui conscientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt? unde sæpe coguntur tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem veritatem. Quid, cum in sua causa quisque torquetur, & cum quæritur utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur: & quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque si fieri posset fontibus lachrymarum, cum propterea Iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, & ut tortum & nocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat. si enim secundum istorum* sapien-

sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta, quod non commisit commisisse se dicit. quo damnato & occiso utrum nocentem, an innocentem occiderit Iudex, adhuc nescit, quem ne innocentem nesciens occideret, torsit, ac per hoc innocentem ut sciret torsit & dum nesciret occidit.

Propter, quæ verba Augustini, condolentis humanam ignorantiæ miseriam, Ludovicus Vives ad præfatum caput sensit, (quamvis correctus jam sit commentarius decreto sancti officii, & hujus Auctoris sententia obliterata & abolita) tormenta, quibus à reis & testibus Iudicis eruunt veritatem, charitati & mansuetudini Christianæ, imo omni humanitati repugnare, & explicat sanctum Doctorem loqui de gentilibus, & cum gentilibus, cum tormentorum necessitas nec utilis sit Reipublicæ Christianæ, & sine ipsius damno publico tolli possit. Hujus commentatoris, alias eruditi & sui ævi numini secundi, sunt aliqua fundamina: Primum, quia multi metu tormentorum confitentur delicta, quæ nunquam perpetrarunt, alii viribus vegetiores vim tormentorum superantes negant, quæ commiserunt & abeunt impune; & sic tortura non est accommodatum medium ad eruendam veritatem, cum ista occulta semper maneat & sæpe apertum mendacium, & sæpissime nocentes fugiunt pœnam & innocentes illam luunt. Vnde egregie Cicero lib. 2 Rhetor. ad Heren. *eis enim* (ait) *qui torquentur credi non oportet, quod ex tortura veritas laboret, fitque minus tuta, quod varia sunt ingenia hominum, varii affectus, varia tolerantia.* & I C. Vlpianus libro octavo de officio Proconsul. & habet leg. 1. §. 23. D. de quæst. sic fatur: *quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam constitutionibus declaratur. etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; Alii tanta sunt impatientia, ut quævis mentiri, quam pati tormenta velint. Ita etiam fit ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verum etiam alios commemorent.* hactenus Vlpianus. Hinc illud Fabii: *mentietur in tormentis qui pati potest, mentietur qui pati non potest.* qualis fuit Iuvenis ille adulterio insimulatus in Historia, quam ex Hieronym. epistola 49 ad Innocentium, dedi supra in digress. sectio ultima. alia exempla adducit Valerius Maximus lib. 8, cap. 4. de quæst. *quibus* (inquit) *aut creditum non est temere habita fides.* & legendi sunt Simancas de Catholic. institut. titul. 65. & Majolus tom. 1. dierum canicul. cap. 4. ubi plura adducit.

Secundum, quia ad quæstiones tormenta introducta sunt, ut crimina impunita non relinquantur, & sic sontes & criminosi insolescant, grassenturque contra pacem & quietem publicam, crescente audacia, non punitis criminibus. atqui multoties permittuntur crimina manere impunita, ad vitandum majus inconveniens, ut ne quis à famæ & honoris possessione dejiciatur, quando est occultum quod crimen commisit. ergo cum sit periculum valde proximum quod innocens doloris impatiens mentiatur in tormentis, & sic occidatur sine culpa, ut multoties contigit leg. 1. D. de quæst. minus inconveniens videtur, & magis conforme pietati Christianæ quod omittatur tormentum, quam inculpatus vitam amittat.

Tertium, quia D. Thomas in tota 2. 2. nihil agit de tortura, nam q. 65. art. 3. solum dicit licere aliquem incarcerare secundum ordinem Iustitiæ. & quæstio. 67, ubi agit de Iudice, nec verbum dicit de quæstionibus ad torturam, sicut nec quæstione sexagesima quinta, ubi agit de reo solum enim ad caput decimum Iob. lectio 1. circa medium: *contingit* (inquit) *quandoque quod aliquis innocens falso apud Iudicem accusatur, judex ad exquirendam veritatem eum tormentis subjicit, secundum justitiam agens; sed hujus rei causa est defectus cognitionis humanæ,* &c. quam doctrinam cum non confirmaret in sua Theologia morali, non videtur approbare. sed ibi loquebatur ut expositor, sequens vulgi opinionem apud Iudices plausibilem, quia videtur sanctum Doctorem judicasse minus charitati conforme subjicere torturæ hominem, & ipsum constituere in proxima occasione, ut dolore coactus dicat fecisse quod non fecit, & sic ipsum innocentem condemnare propter suum solum testimonium, quo innocens seipsum occidit; nec enim licitum est ponere scandalum proximo, ut sit sui homicida. Vnde est diversa ratio dum quis falsis testibus condemnatur, quamvis Iudex agnoscat evidenter eorum falsitatem, quia in tali casu testes sunt occisores, & Iudex tenetur sententiam ferre secundum eorum testimonium, quod verum reputatur secundum allegata & probata, ut late probo alibi in Commentariis ad summam Cajetani.

Quartũ, quia ratio naturalis dictat, & est per se evidens, quod pœna non datur nisi pro culpa & delicto. atqui tortura gravissima pœna est, & gravior utriusque manus abscissione, ut notant Doctores ad Authent. Vt nulli Iudices. §. finali. & ad legem Divus. vers. 2. & 3. D. de quæst. Parides de Puteo tractat. de syndicat. verbo tortura. cap. 10. Bossius tit. de tortura num. 12. Rolandus consil. 12. num. 41. volum. 3. Iulius Clarus in pract. quæst. 64. vers. præterea. quos sequitur Farinac. quæst. 42 de Indiciis & tortura, unde inferunt quod pro delictis, quibus sola pœna pecuniaria est ordinaria posita à lege, nullus torqueri potest, cum omnis pœna corporalis, quamvis parva, major sit qualibet pœna pecuniaria l. in servorum. D. de pœnis. ergo ad eruendam veritatem delicti nondum manifesti, de quo quis indiciatus est, torqueri nequit, cum tortura sit pœna determinata, executa in illo de quo non constat delictum determinate ab ipso patratum, & *quod pro incerto crimine certissimas pœnas luat*, ut ajebat Augustinus ubi supra. & sic non videtur charitati & pietati Christianæ, quod quis rigide torqueatur, sicut neque pro indiciis dumtaxat utraque vel una manus abscindatur. unde in lege Hebræorum à Deo data mentio non est de tortura, sed delicta testibus probabantur.

Sed his nullo modo obstantibus, certissima sententia est licita esse tormenta legibus Principum Catholicorum statuta, in subsidium eruendæ veritatis delictorum. Contrarium vel est error, vel temeritas maxima in fide, & contra Ecclesiæ Patres, & fere omnes scriptores tam Theologos, quam utriusque juris peritos. Tertullianus loco citato id expresse fatetur, ubi dicit: *Apud Tyrannos tormenta esse loco pœnæ; sed apud civilem potestatem soli quæstioni temperantur*, id est, sola veritatis inquisitio est tormentorum mensura; quare juxta Tertulliani sententiam, veritatis Inquisitio per torturam jure gentium, & ex vi potestatis civilis est introducta. unde leg. Divus Pius D. de qq. & leg. Quotiens. C. eodem. dicitur: *Si aliis probationibus veritas illuminari vel inveniri non possit, nisi per tormenta, licet habere quæstionem*; & sic Gothofredus ad legem Quæstionis. D. de pœnis, utens hoc Tertulliani testimonio dicit: *Interdicitur ut quis pœnæ causa torqueatur: quæstio enim non ad pœnas, sed ad eruendam veritatem inventa est. Tertul. in Apolog. &c.*

Sequitur Augustin. qui expresse hujus fuit sententiæ, capite sexto citato: postquam enim ignorantiæ humanæ miseriam exaggeravit, sic concludit: *In his*

tenebris vitæ socialis sedebit ille Iudex sapiens, aut non sedebit? sedebit plane. Constringit enim eum & ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit. Hoc enim nefas non ducit quod testes innocentes in causis torquentur alienis, quod hi, qui arguuntur, vi doloris plerumque superati & de se falsa confessi, etiam puniuntur innocentes quum jam torti fuerint innocentes, quod etsi non morte puniantur in ipsis, vel ex ipsis tormentis moriuntur. quid quod aliquando & ipsi qui arguunt, humanæ societati fortasse ne crimina impunita sint prodesse cupientes. & infra: *hæc tot & tanta mala non deputat esse peccata. non enim hæc facit sapiens judex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi: & tandem, quia cogit humana societas, necessitate etiam judicandi.* Hactenus sanctus Doctor. quo nihil illustrius; ponit enim hujus veritatis & fundamentum & fundamenti radicem. quare parvi pendenda est Ludovici interpretatio, quod loquatur inter gentiles: loquitur enim ex vi humanæ societatis quæ ad hoc cogit propter necessitatem nesciendi, ne crimina maneant impunita, concluditque non esse peccatum etsi innocens torqueatur, etsi doloris vi impulsus fateatur fecisse quod non fecit, quia *hoc non facit judex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi.*

Et quidem tormentis uti ad veritatem eruendam, determinat Eusebius Papa, epistola 1 ad Episcopos Galliæ, cujus verba referuntur cap. illi qui. 5. q. 5. *Hanc* (veritatem) *diversis cruciatibus religiosus tortor exigere debet, ut, dum pœnis corpora subjiciuntur, quæ gesta sunt fideliter & veraciter exquirantur.*

Fere similia habet Ennodius in Apologia pro Synodo: *Veritatem diversis cruciatibus è latebris suis religiosus tortor exegerat, vel dum pœnis corpora solverentur, quæ gesta fuissent noverat anima, non celaret.*

Pelusiota lib. 1, epistola 116 ad Ausonium Correctorem: *Cum sapiens veritatis inventum habeas multiplicem tormentorum machinam; timore ad judicium utere, quandoquidem te terrorem improbis divina lex constituit.*

His concinunt sanctus Gregorius lib. 1, epist. 6 ad Narsum, ex qua desumpta est regula, *in contemplatione, de regulis juris*, quæ evidenter supponit licitum usum tormentorum ad eruendam veritatem. sanctus Ambrosius libro de Cain & Abel, cap. 14. eandem approbat consuetudinem, quam imitatur Hieronymus epistola 49 ad Innocentium. Sequuntur Philosophi Arist. lib. 1 Rethor. cap. 14. Quintilianus senior passim in suis declamationibus. Estque titulus tam in Digest. quam in Cod. *de quæstionibus.* quem titulum approbant & sequuntur omnia Principum fidelium consistoria; Summi Pontificis tribunalia, inter quæ sanctissimæ Inquisitionis consessus in causa fidei, tortura utitur, magna cum utilitate Catholicæ Religionis, contra Hæreticos & cæteros illius desertores. Quare jure optimo ego secutus doctissimum Magistrum Dominicum Banez 22. quæstio 70. art. 2. dubio 2 dixi, *negare*, licitum esse usum tormentorum ad inquirendam veritatem, *erroneum esse aut certe temerarium in fide.* quam veritatem egregie concludit Cyprianus lib. ad Demetrianum Africæ Proconsulem, post medium: *In quæstionibus torquentur rei qui se negant crimine, quo accusantur, teneri, ut facinoris veritas quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur.*

Quæ doctrina adeo vera est, quod, quamvis judex ut privata persona certo sciat indicia & præsumptiones in contrarium sufficientes ad torturam falsas esse & falsitate niti, qui certo novit alium fuisse crimines patratorem, & accusatum esse innocentem, si alias omni diligentia adhibita nequit ipsum liberare, tenetur ipsum torquere juxta suæ regionis leges, sicut & tenetur ipsum morti tradere, ut late cum Divo Thoma, & ejus schola alibi latissime probo in commentariis citatis. id enim expresse docet sanctus Doctor 22. quæstio 67, att. 2. (quidquid dicat Sylvius ibi, alias doctissimus Thomista.) Fundamentum articuli nobis enucleavit Cajet. §. *ad hoc deducitur.* Quia judex de quo loquimur, qui scilicet omnem suam prudentiam, solicitudinem, scientiam, potestatem, &c. adhibuit ut liberaret innocentem: *Constat* (inquit) *quod non intendit ex privata auctoritate occidere, mutilare, & breviter, injustum facere; sed tale injustum constat sequi ex hoc quod intendit uti publico officio, & utitur illo. unde non est injustitia ex hoc actu quod judex faciat injustum innocenti, cum hoc non intendat privata aut publica voluntate. Sed videndum restat si forte esset injustitia ex hoc, quod teneretur non uti publico officio in tali casu propter talem in sui officii actione eventum præmissum, scilicet mortem innocentis. Sed si diligenter consideremus persona, quæ est judex, tenetur uti officio suo, parte & populo instante: quoniam sibi incumbit cura utendi potestate publica, & plus tenetur curam habere publici officii suæ curæ commissi, quam vitæ alterius, cujus vita non conspectat ad ipsum, nisi sicut ad judicem. Et quemadmodum superius in quæstione de homicidio per hanc rationem conclusum est, quod defendens se non tenetur omittere actum defensionis propriæ per hoc, quod videtur ex ipso sequi mortem alterius etiam impœnitentis, quia scilicet sibi magis incumbit cura sui, quam proximi; eadem efficacia potest hic concludi, quod quia personæ judicis incumbit cura ut utatur officio publico, & non cura proximi, nisi ratione publici officii, ideo non tenetur abstinere ab usu publici officii propter damnum consequens proximi, cum persona judicis jus habeat utendi publico officio secundum leges & jura, & allegata, & probata. & sic per se non facit damnum alicui utendo jure officii sui; cum sit secutum per accidens.* legatur in §. *ratio autem allata pro parte contraria.*

Quod fundamentum adeo efficax est, quod jure optimo dixerit Bañes ad præfatam articul. 2, dub. 1. quod opinio Divi Thomæ non solum est probabilior omnibus aliis, sed *est veritas demonstrata moraliter.* Ea autem quæ adducunt Sylvius ubi supra, Lessius lib. 2 de Iustitia, cap. 29, dubitat. 10. ex præfato fundamento arietino facillime corruunt: procedunt enim ex his quæ per accidens contingunt; at sententia Thomistica ex principiis per se scientiæ moralis. quæ si bene adverterent contrarii, non ita stomacharentur contra sententiam verissimam Thomistarum. & quidem sicut Lessius & Sylvius docent in criminalibus minoris momenti, & in civibus judex potest & tenetur judicium facere secundum allegata & probata, & tamen judicium injustum non est formaliter, sed solum materialiter, quamvis judex scientia privata contrarium certum sciat, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo pervertatur: & sic potest statuere ex hac justa causa, quod judex contra scientiam privatam sententiam ferat in innoxium. atque manifeste idem sequitur etiam si sententia ferenda sit capitalis, quia respectu boni publici & communis per accidens innocens occiditur, ut constat in destructione civitatis per ignem, in qua scitur esse plures innocentes qui perituri sunt, quia hoc est per accidens respectu boni communis: magis enim interest Reipublicæ, quod judiciorum forma non corrumpatur, quam quod aliquis innocens reipsa probatus nocens, secundum allegata deficiat; forma enim recti judicii publici est ut manifestetur veritas facti, quantum in judicio publico, secundum media ad id civiliter instituta, manifestari potest, non

vero ad manifestandum veritatem, secundum quod est aperte rei, neque hoc exigit semper prudentia politica humana. Sed quod publice, per media, jure gentium statuta, manifestetur ad sententiam ferendam in eum qui reus convictus est per talia media, quamvis scientia particularis judicis sit de contrario; quia ista occulta est, illa publica sunt, & particularis cognitio non aufert obligationem officii publici à Republica instituti ad judicandum secundum principia publicata & probata, qualis non est scientia particularis personæ quæ probari nequit; unde siquis judex non damnaret hominem secundum allegata reum majestatis divinæ aut humanæ (quia ipse scientia particulari agnovit innocentem) dubio procul talis Iudex se excusans à ferenda pœna ordinaria taxata secundum leges, mortis pœnam lueret, quia suo officio publico non satisfecit. Quare sicut Iudex iste nequit hunc, de quo loquimur, reum innocentem declarare juxta suam particularem scientiam secundum quam innocens est; quia probationes publicæ pro veris habitæ id non permittunt, ut tenent Auctores contrarii; ita tenetur eum condemnare quia vim harum probationum publicarum non enervat scientia particularis innocentiæ rei. alias via aperiretur multis judicum fraudibus; & enervaretur fides debita actis publicis, quæ jus gentium præsumit esse vera. quam præsumptionem non evacuat scientia particularis personæ, cum sit juris & à jure. Legatur doctissimus Didacus Covarruvias lib. 1 variarum, cap. 1. ex num. 32. versicul. ex opposito, & seqq. dicens ex numero quinto: *Quod ex contraria sententia omnia jura prorsus evanescerent, quæ tempus & locum, quibus instrumenta judicii exhibentur, proinde statuerunt; nam aliter producta instrumenta publicam fidem*, ex qua Iudex tenetur *jus dicere, nequaquam assequuntur.*

Ex qua doctrina clare deducitur, quod si Iudex habet ea indicia, & probationes sufficientes ad torturam, eam debet exequi, quamvis sit innocens apud ipsum qui torquetur, quia sua scientia particularis non evertit vim, efficaciam & energiam probationum publicarum, & officii sui publici, quod mediis præfatis, allegationibus & probationibus debet exercere vires suas in hominem probatum reum publicè. verum est quod totum quod est arbitrarium judici in exequenda tortura, debet Iudex facere in favorem hujus innocentis.

Ex dictis corruunt fundamenta inducta pro contraria sententia. ad primum respondetur: quod illis non obstantibus inconvenientibus, quæ per accidens sequuntur prudentissima & Catholica tribunalia, magna convenientia adinvenere in tortura, qua sæpius eruunt veritatem à reis, aut purgant indicia & probationes contra ipsos inductas.

Ad secundum respondetur: quod crimina, de quibus non præcessit infamia, aut nulla, aut levissima sunt indicia, impunita manent: quia Respublica non judicat de occultis, sicut nec etiam pro occulto omnino crimine quæstionem in tormentis facit, nisi præcedant indicia probata.

Ad tertium, quod apud me magni est ponderis, respondetur: quod licet D. Thomas in Summa, nec alibi agens ut Theologus Moralis, aut Politicus Christianus, ut in libris de regimine Principum, de tortura non fecerit expressam mentionem, vel verbum aliquod de tormentis & quæstionibus in ipsis non protulerit, tamen ea expresse non reprobavit, sed implicite approbavit; eo ipso quod concedit Iudici legitime interrogare reum, & quod potest ipsum incarcerare & inclusum retinere ad veritatem eruendam, & sic implicite approbat omnia media subsidiaria ad hunc finem consequendum, quale est tortura.

Ad quartum respondetur: quod tortura non est pœna, nec ut talis adhibetur à Christianis, sed à Tyrannis, ut ajebat Tertullianus, & est expressum in leg. quæritur. D. de pœnis. sed dolor inflictus tormentis sumitur ut medium ad eruendam veritatem, ad quod nequit assumi manus aut alicujus membri præcisio, quia si Tortus immunis à culpa evadit, esset sine culpa punitus, & mancus aut claudus, quod non patitur lex naturalis. quod enim in lege scripta non inveniatur à Moyse tortura constituta, hoc ideo fuit, non quia sit contra pietatem; sed quia ita placuit legislatori, quod crimina probarentur testimonio duorum vel trium, & noluit aliis mediis veritatem eruere, quod placuit aliis legislatoribus, & Rebuspublicis.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum Tortura in criminalibus sit necessaria ad judicium ferendum.

FRanciscus de Torreblanca Villalpando in Epitome delictorum, in quibus aperta vel occulta invocatio Dæmonis intervenit lib. 3, cap. 19, an. 5. usque ad 44. sentit, quod Tortura non est necessaria judicii, sed quod in omni eventu potest Iudex in criminalibus, etiamsi sit delictum læsæ Majestatis, divinæ aut humanæ, sententiam ferre ad condemnandum & absolvendum sine quæstione & tortura, quod longo discursu probat, quem ad breviorem summam reduco sic: Quia aut reus est convictus, & sic, etsi diffiteatur, potest damnari pœna ordinaria; ut tenent Clarus in Pract. §. finali, quæstio 64. & Maschardus lib. 3 de probat. conclu. 1385. num. 3. est enim tortura remedium ad inquirendam veritatem subsidiarie inventum, & ita non est adhibendum nisi quando veritas aliter nequit haberi, leg. Divus Pius. D. de qq. quam legem intelligunt Doctores de quacumque persona quæ torqueri possit, & in quacumque causa etiamsi lex loquatur de servis torquendis pro causa pecuniaria. Rursus torqueri quis non debet ut confessus in tormentis non possit uti remedio appellationis, ut dicitur leg. observare. C. quorum appellationes non recipi. nam hac lege non obstante reus convictus, aut confessus, appellare quit, ut ex multis probat Antonius Gomez lib. 3 vari. cap. 13. ex numero vigesimo. Fatuus enim est Iudex qui torquet reum ut confessus delictum voce propria non audiatur appellans, ut tradunt Angelus de malef. verbo Fama publica. nam si in tortura negasset delictum de quo erat convictus, non solum indubitata indicia elideret, sed etiam plenas probationes annullaret. Covarr. in practicis cap. 23. num. 5. Sarmiento lib. 1. select. cap. 1. nec juvat Iudici protestatio facta reo probationes in suo robore reservari, ut optime Antonius Gomez ubi supra.

Si vero reus convictus crimen fatetur, sed cum qualitate ipsum excusante, torquendus non est; sed condemnandus, nisi probet qualitatem. quæ probatio incumbit reo: Iudex enim non cogitur stare dicto rei. Bartho. in leg. Aurelius. §. idem. num. 2. D. de libert. lega. Baldus lege unica. C. de confess. Felinus cap. cum venerabilis. de exceptio. num. 12. Boerius decis. 164. si tamen delictum constet ex sola rei confessione, hæc accipienda est ut facta à reo & cum eadem qualitate, & sic sine tortura liber dimittendus.

tendus. Ita Antonius Gomez num. 26, & alii. quod etiam in crimine hæreseos faciendum, quia quando testimonium de conscientia alicujus requiritur, cuique de seipso creditur leg. Theopompus. D. de dote præleg. leg. finali. C. ad leg. Iuliam repetund. cap. finali. de Voto, & aliis communiter.

Si tamen reus non convictus crimen de plano fateatur, sine tortura statim damnandus. leg. 1. C. de confess. ubi omnes etiamsi processus sit invalidus. cap. Pisanis. de restit. spoliat. nec est de complicibus torquendus, quia qui seipsum non pepercit de aliis interrogari non debet, ut dixit Pontifex cap. 1 de Confess. & Iurisconsultus in lege, repeti. D. de qq. *is qui de se confessus est in caput aliorum non torquebitur*. Similia habentur leg. finali. C. de accusatio. excipe crimen hæresis, & crimen falsæ monetæ & læsæ Majestatis. leg. unius. §. testes. D. de qq. leg. 1. C. de falsa moneta. Rojas singulari. 50. & 183.

Si tamen reus sit confessus, non tamen constet de corpore delicti, non est torquendus ut ostendat, sed liber dimittendus, cum non sit sanus mente qui temerarie insanit contra propriam vitam Bart. leg. Divus. D. de milit. test. Bosius tit. de delictis. à numero quindecimo. non enim est in alicujus potestate facere delictum ubi non est, ut optime Gigas lib. 2 de crimine Læsæ Majestatis q. 1. num. 5. nisi sit crimen hæresis, quod, cum sola perficiatur voluntate ex ista ore manifestatione damnatur quis; Baldus lege si quis. C. de Episcopis & Clericis. Albertinus de agnosc. assert. q. 25. Mascard. lib. 2 de probat. conc. 859. num. 1.

Quod si reus nec confessus nec convictus testibus, de visu, sed indiciatus; si præsumptiones & indicia sint indubitata, & legitime probentur, non debet reus torqueri, sed tanquam ex concludenti probatione convictus damnari, ex Menochio lib. de præsumptionibus. quæstio. 91. n. 1. Osasco decis. 19. num. 6. quod intelligitur nisi reus aliqua exceptione tueatur, ita ut delatoris intentum dubium reddatur, quod tunc liber est dimittendus. Bart. leg. non solum. §. sed ut probari. D. de novi. oper. nuntia. Decius capite, præsentiam. num. 2 de probation. Felinus cap. significasti. de homicidio, & quando actus duobus modis valet intelligi torquendus non est reus, quia factum præsumitur à lege aut minus aut nullum continens delictum, & interpretandum in favorem rei. lege. hodie (cum aliis) D. de pœnis. cap. cum dilicti. de accus. & quando aliquid multiplicem habet sensum & intelligentiam, veritas determinata ignoratur, & sic talis reus sine tortura dimittendus est liber, etiam in crimine hæresis, ut Albertinus. ubi supra. quæstione 29. num. 19. & quæstione 34. num. 48. & de hæretic. lib. 6. quæstione 13. num. 19. Rojas de hæret, p. 1. num. 201. & num. 306. Hæc sunt fundamenta quæ ponit hic Auctor.

Hæc sententia sic absolute prolata mihi omnino insupportabilis est contra praxim fere omnium Christianorum Principum, Tribunalium, utriusque fori, & judicum Catholicorum, qui ne plura delicta impunita maneant, necessario judicant faciendas esse quæstiones in tormentis, torturamque esse omnino necessariam ad eruendam veritatem delicti, de quo est juridice indiciatus reus, & contra ipsum vel est semiplena dumtaxat probatio unius testis de visu omni exceptione majoris; vel sunt indicia ex præsumptionibus orta, quæ non sufficiunt ad condemnationem rei. quare ad istius causam rite examinandam & justam ferendam sententiam necessarium est adhibere torturam, ne crimina sine pœna maneant. Ita omnes utriusque Iuris Interpretes, quos lata manu refert doctissimus Farinacius in Practic. crim. p. 1. tomo 2. lib. 2 de judiciis & tortura, per totum, maxime à quæstione trigesima septima usque ad quæstionem 42 inclusive.

Quare omnino tenendum est torturam eo modo, quo jus civile & Canonicum eam introducunt, omnino esse medium necessarium ut eruta veritate judicium & sententia absolutoria si innocens, vel condemnatoria si nocens inveniatur reus. hæc conclusio manifeste deducitur ex multis quæ in jure & apud Doctores indubitata sunt.

Primum est, quod tunc est torquendus reus quando indiciatus est talibus indiciis, quæ in genere suo sint talia quod sint aptissima ad persuadendum Iudicem plane & indubitate, quod reus sit indiciatus de crimine, non tamen sufficiant ad condemnationem, quia nondum veritas juridice prolata est in processu; quare ut eruatur in publicum judicium, adhibetur medium subsidiarium ad illam eruendam. quod omnino necessarium est secundum jus, & attendendo ad satisfactionem societatis humanæ & commercii civilis, ne crimina impunita ex defectu medii ad ea probanda augeantur in Republica. & hoc est quod dicebat Augustinus libro decimonono de Civit. cap. 6. quod Iudex, sapiens inquirens veritatem ignoratam tormentis, dicens: *constringit enim eum ad hoc, pertrahit humana societas, necessitate etiam judicandi*. ergo ex sententia Augustini tortura res est necessaria judicii. cujus evidentem rationem subministrat, quia *cogit humana societas*, & cur cogit? nisi quia in Republica indiciatus, si nocens & impunitus, non evadat; & si sine culpa, absolvatur.

Hoc idem manifeste docet jus Canonicum cap. illi qui. 5. q. 5. ubi Eusebius Papa dicit, *diversis cruciatibus Religiosus tortor exigere debet*. atque ita tenetur Iudex veritatem tortura & cruciatibus indagare. Vnde Pelusiota ad Ausonium correctorem monet, ut *utatur multiplici tormentorum machina ad inveniendam veritatem*.

Ius etiam Civile manifestum est in hac parte, lege 1, D. de qq. ibi Vlpianus vers. 1 refert & approbat epist. D. Adriani Imperatoris ad Sennium Sabinum, in qua dicitur: *ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cum suspectus est reus. & aliis argumentis ita probationi admovetur ut sola confessio reorum deesse videatur*. & num. laudat Imperator consilium Iudicis qui torsit servum, qui ne ad Dominum reverteretur, falso dicebat occidisse hominem, & tamen in tortura confessus est veritatem. leg. sum cognitionaliter. C. de quibus determinatur. quod si mulier accusetur quod maritum suum veneno necaverit; se præstita fuerint ex tanto scelere argumenta ut videantur accedere verisimilia, ipsa quoque mulier torquebitur. & leg. milites. C. eodem. §. oportet. sic determinant Imperatores Diocletianus & Maxim. *His* (argumentis verisimilibus) *veluti certis indiciis ducti* (Iudices) *de investigandæ veritatis gratia ad tormenta putaverint esse deveniendum, tunc idem facere debebunt si personarum conditio patiatur*. hæc ibi; dubitandum igitur non est quod tortura sit res necessaria judicii, ut præcedentibus dumtaxat aut semiplena probatione, aut certis indiciis, aut suspicione juridica, sententia competens feratur. legi possunt ex Neotericis Iurisconsultis, qui Antiquos citant Mænochius de arbitrar. qq. lib. 2. casu 270. num. 5 & 6. Mascardus de probation. lib. 3. conclus. 383. n. 20. Rorandus à Velle. consi. 24. num. 31. volum. 4. Bursat. consilio 336. num. 16. & consilio 316. à num. 8. volumen 3. Honde consilio 186. anno 69. & innumeri

meri alii quos adducit Farin. num. 3. & non vidi.

Secundum est, quod ad eruendam veritatem à reo suspecto de crimine in delictis difficilis probationis, ut quæ de nocte & clam committuntur, ne impunita maneant atrocia delicta (ut sunt Simonia, Sodomia, venenum, falsa moneta, partus suppositus, Hæresis, & similia) leviora sufficiunt indicia ad torturam, quæ nullo modo sufficiunt ad condemnationem; & sic tortura omnino est necessaria huic judicio ut sententia judicis proferatur. ita Farinacius n. 150. Thomas Sanchez tomo 1. opusc. libro 3, cap. uni. dub. 12, n. 4. Gregorius Lopez tomo tertio Variarum, cap. 12, n. 26. Antonius Gomez. in partit. 7, tit. 1, leg. 26, vers. *duda*. qui dicunt, quod quando adsunt indicia contra reum sufficientia, in criminalibus, tenetur Iudex torquere, & non potest dare pœnam extraordinariam. Bossius in practic. titulo de indiciis ante torturam num. 170 & 174. Clarus quæstione 164. vers. & ideo. ubi testatur esse communem sententiam.

Tertium, id ipsum manifestum fit, quia Assasinus qui aliquem occidit, constans de assasinatu & occisione ab ipso facta, torquendus est à judice, ut declaret mandantem occidere. est textus expressus. lege. Etsi certus. D. ad Syllani. ubi Paulus Iurisconsultus sic determinat: *Etsi percussor certus sit, tamen habenda quæstio est, ut cædis mandator inveniatur. utique autem ipse maxime quæstioni dabitur, quamvis & cæteri puniantur.* hæc ibi. dubitandum igitur non est torturam rem esse necessariam judicii. Plures alias doctrinas omitto, ex quibus idem manifeste deducitur, ne in re ita nota immorer. Si enim tortura, quando solum reus est indiciatus indiciis Iuridicis, non est adhibenda; damnatur praxis Pientissimi, Iustissimi & Rectissimi Tribunalis sanctæ Inquisitionis in quo passim rei torquentur. hoc autem asserere impium est & erroneum; & quidem si quæstiones in tormentis, præcedentibus dumtaxat indiciis, non est res necessaria judicii, non video quomodo pietas Christiana ipsas introduxerit; & sic opinio Ludovici Vives approbari videtur, quæ ut supra vidimus dubio 1. erronea est vel temeraria in fide. Vt enim rectissime dixit Farinacius quæstio 29 de Tortura, num. 39. *Quod D. D. Inquisitores servant, & quod ipsi servaverint, pro certo teneas foro & juri, & æquitati, ac Summi Pontificis Canonibus & constitutionibus consonum.*

Radix autem hujus veritatis est, quia humana & Christiana societas tam civilis, quam Ecclesiastica, in quibus sunt judices designati, non permittit delicta manere impunita, tum ad emendationem, tum ad aliorum concivium exemplum. Vnde in omni Politia rationi naturali conformi fuit aliquod medium ad cognoscendam veritatem delicti, de quo quis erat verisimilibus argumentis insimulatus, & indiciatus, ut se purgaret & veritas erueretur. Vnde judices ex vi officii sui tenentur ea media adhibere, quæ sua civilitas instituit ad inquirendam veritatem & è tenebris ipsam facere splendescere; quia quamdiu manet in occulto, nequit judicialem ferre sententiam, & sic obligatur ex officio torturam ad quæstionem adhibere; & sic ista, quando veritas non est in propatulo, in criminalibus est adhibenda necessario.

Verum enimvero quamvis tortura sit necessaria res judicii ad ferendam justam sententiam, ut vidimus, tamen ut ex Iulio Claro quæstio 64, citata notat Farinacius quæstio 38. num. 33. est in arbitrio judicis modus, & qualitas tormenti intra limites tormentorum, quæ in sua regione permittunt leges & consuetudines. Vnde Foller. in pract. verbo Tortura n. 16. *Circa modum torturæ* (ait) *non posse dari certam & determinatam regulam, cum hoc totum dependeat ex gravitate delicti, ex qualitate indiciorum nunquid levia aut urgentia sint, & an plura vel unicum, item ex qualitate personæ torquendæ, an sit robustus & fortis, an debilis & delicatus, minor aut major, senex an juvenis, sanus an infirmus, an timidus, an versutus, & his similia.* Quæ adnotant practicæ criminales, & valde notanda à judicibus; agitur enim de re pretiosissima, qualis est vita rei. quare arbitrium judicis non siti sanguinis reorum, aut vanæ & ambitiosæ crudelitatis, sed pietate rationabili attemperandum est.

Cæterum quamvis hic torquendi modus sit in arbitrio judicis, tamen non est illi arbitrarium quod pœna ordinaria medianda sit, si reus in tortura non fuerit confessus; siquidem in quæstione probationes & indicia omnia purgavit, & sic liber est omnino dimittendus; quare ex probationibus & indiciis medianda pœna non est judicis arbitrio (perniciosum enim valde est, ut quod lege statutum est arbitrarium faciant judices.) Ita dixit Marcellus Iurisconsultus lege 1. §. 1. D. ad Senatusconsultum Turpilianum. Nam ut Papianus respondet: *Facti quidem quæstio in arbitrio judicantis est, pœnæ vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.* Hæc ibi satis ad rem. adstipulatur manifesta ratio, quia factum ipsum prorsus impartibile, nec mediari potest, quare vel Petrus occidit Ioannem, aut non occidit. Sunt enim contradictoria. si occidit, puniendus est pœna occisoris, quæ non est arbitraria respectu judicis particularis. si non convincitur quod occidit, nulla pœna est plectendus, sed liber dimittendus; quia si in ipso facto non est medium, nec pœna media est constituenda, respectu illius delicti, quod reus non est confessus in tortura; imo potius per quæstionem se ab indiciis, & aliis probationibus purgavit, & illas inefficaces reddidit & inutiles ad informandum animum judicis, ut exerat vires propter illud delictum, pro quo est tortus ad inferendam pœnam: etenim ex delicto argumentum sumimus ad inferendam pœnam, illi delicto taxatam, cap. Non afficiamus 24, quæstio 1. & docent Bart. in leg. Levia. D. de accusat. Decius Consilio 65, n. 5. glossa ad legem. Si quemquam. C. de Episcopis & Clericis. ex probatione enim majori vel minori, vera vel præsumptiva, non est majus vel minus delictum, ex parte delinquentis. aut enim clare & luce meridiana constat Petrum occidisse Ioannem, & sic Petrus occidendus. aut non constat clare de occisione, & sic est absolvendus à delicto homicidii. si enim non ita clare constat, dubium est an sit commissum delictum, & standum pro accusato reo, & absolvendus: satius enim est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari, ait Vlpianus leg. Absentem. D. de pœnis.

Quare si tortura facta secundum jus, aut constat clare, delicto, quia reus confessus est, & sic pœna ordinaria plectendus; aut non constat clare, & sic pro isto delicto pro quo torquetur, omnino est liber declarandus, nec potest pro illo, quia non clare probatum, mitiori pœna puniri. textus est expressus in lege Servus. C. ad legem Iuliam de vi pub. ubi Iudex gravi infamia dicitur notatus si hoc fecerit. Si enim probatio delicti, quia purgata est in tortura, non est sufficiens ut occidatur; nec erit sufficiens ut pro illo delicto detur pœna ad triremem, quia in pœnis corporalibus requiritur liquidissima & clarissima probatio. leg. finali. C. de probatio. ibi. *Sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis*

tis & luce clarioribus expedita. Vnde fit quod si reo negante delictum, cum indicia & probationes obscurentur & enerventur, nequit reus alia mitiori pœna puniri pro delicto, quod se commisisse negavit; sed liber dimittendus est. quare optime Farinacius quæstio 40 de Tortura ex Albe. n. 2, dicit, *Quod totus mundus servat per torturam purgari omnia indicia, etiam urgentia & indubitata, etiam plenas probationes*, etsi à num. 8. aliquas ponat limitationes.

Sed non gravabor ponere hic verba Farinacii, limit. 2, n. 11. ex Paride de Puteo tract. de Syndic. verbo Tortus, cap. 10. *Latro* (ait) *famosus, contra quem populi publica vox & fama, quod talis sit maxime urget, si cunctis aliis particularibus indiciis & verisimilitudinibus, quæ isto casu illum pene convictum reddunt, fuerit diutissime tortus, & nihilominus in tortura persliterit, licet propter talem persistentiam non possit de jure in pœnam sanguinis condemnari, quia tamen Iudex habet animum ita bene informatum, quod sit malus, & quod si eum liberaret deteriora committeret, poterit propterea illum vel relegare tanquam hominem malæ famæ, vel ad opus publicum condemnare, ut civitatem malis hominibus purget, juxta leg. congruit. D. de officio Præsidis.* hæc ibi. quod observant Senatus Neapol. Mediolan. Romanus, Hispanus, & omnes fere judices. videatur omnino Farinacius, ubi supra an. 13. ubi egregie ut assolet, & prudentissime loquitur.

Circa quæ operæ pretium est adnotare quod reus, qui in tortura purgavit indicia, & probationes delicti pro quo torquetur, & punitur pœna corporali exilii aut triremium, aut ad castellum conclusum, vulgo *Fronteras*, non punitur pro delicto à quo liber est factus in tortura; sed pro mala fama, pro societate facinorosorum hominum, pro mala vita & scandaloso Reipublicæ argumento. ex lege Congruit, citata. leg. is qui. C. de Sicariis, est textus expressus leg. vim passam. §. mulierem. D. ad legem Iuliam de adult. & cap. inter solicitudines. de purgat. Canon. ubi Innocentius Tertius ad Episcopum Senonens. rescribens ait: *Purgatione vero recepta beneficium ei restituere non postponas. in pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis habuisse dignoscitur, illum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur, ita ut publice familiaritatem hæreticorum abjuret*, &c. Ecce ubi clarissime Pontifex eum quem à crimine hæresis absolutum declarat, propter communicationem cum hæreticis, quæ est aliud ex quo orta est infamia contra ipsum, & scandalum, punitur pœna alia diversa ab ordinaria debita hæresi, à qua declaratur liber; similia habentur cap. Quam sit. de excessibus Prælat. ut videndi sunt Simancas de Cathol. institutio. cap. 11 & cap. 54. ex num. 10. Abbas extra de judiciis, cap. at si Clericus. legatur omnino Dominus D. Franciscus Sarmiento lib. 1 select. cap. 1, qui rem hanc enucleatissime edisserit & digerit.

Ex dictis Respondetur unico verbo ad ea, quæ pro se adducit Torreblanca, quod licet in aliquibus casibus eorum, quos adducet, non sit tortura res necessaria judicii, de quibus in sequentibus examen fiet; tamen in aliis quos enumeràmus, tortura necessaria est ad sententiam ferendam, ex praxi fere omnium Tribunalium Catholicorum, quæ civiliter, non tyrannice judicant.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum Rei possint torqueri à judicibus, si juridice sint convicti de delicto.

NOtanter dixi juridice, & intra judicium: nam si quis extrajudicialiter dicat se commisisse delictum, ut homicidium, furtum, adulterium, poterit puniri, quia de delicto gloriatur, ut tenent Farinacius in praxi p. 3. quæst. 81, n. 182. Belletus Disquisit. Cler. p. 1. tit. de favo. Cleri. person. §. 14. n. 8. & egregie Hieron. Fernandez de Ottero. Roman. Lucubratio disp. 29. confessio enim, facta coram non judice competente, neque extrajudicialiter aliquem producit effectum in ordine ad delictum confessum. Antonius de Butrio n. 28. Barbatius n. 14. Felinus num. 5. Abbas num. 14. ad caput etsi Clerici de judiciis. Socinus Reg. 62. Bossius in praxi tit. de confess. n. 47. Iulius Clarus §. ult. quæstio 55. vers. propterea. Alderet. de Religiosa disciplina lib. 2, cap. 4, n. 26. Mascardus de probat. conc. 251. n. 1. Tiraquel. de constit. p. 3. limit. 7. num. 19. unde si adsunt indicia & præsumptiones, de quibus infra dub. 6. potest iste confessus torqueri, ut delictum extra judicium confessum in quæstione fateatur; quare dubium solum est de reo juridice interrogato ultro fatente delictum, an iste possit torqueri?

Et quidem mihi indubitata est regula: *Reus in judicio convictus de crimine, licite torqueri nequit.* est omnium Patrum quos citavi dubio 1. Tertulli. August. Ennodii, Pelusiotæ, Cypriani, qui dicunt torturam esse remedium subsidiarium ut eruatur veritas, qua agnita juridice, non est locus torturæ, quæ ex sua institutione inter Christianos, qui potestate civili non Tyrannica utuntur, quæstioni temperatur; nec pietati confert si Iudicis ignorantia est exclusa cognitioni veritatis, ut torqueat reum: sic enim civilem potestatem in tyrannicam convertit, & tormentum ante sententiam adhibet in pœnam, non in subsidium veritatis eruendæ; qua eruta uti subsidio, ex vi publicæ potestatis ad eruendam ordinato, crudelitas est, non civilis jurisdictio. Vnde cautum est leg. Divus Pius D. de qq. *Si aliter veritas inveniri non possit nisi per tormenta, licet habere quæstionem*, ut Divus Severus & Antoninus rescripserunt. hæc ibi (ubi obiter contra Barladorum tomo 2. differentia 113. nota in jure idem esse tormentum & quæstionem.) unde doctissimus Covarruv. Practi. quæst cap. 23, n. 5 dicit: *Ob frequentem quorumdam Iudicum in puniendis criminibus audaciam, ne dicam sævitiam temerariam, non audere omnino Baldi sententiam probare, quæ falsa est & manifeste iniqua; cum Index non alia ex causa torquet convictum, quam ut appellationis auxilium auferat.* hæc ille sapientissimus & pientissimus concivis meus. Eandem regulam ut certam firmarunt Cæsar Carena tract. de officio sanctissimæ Inquisitionis p. 3. titul. 11. §. 24. Peña in Directorio p. 3. comm. 110. vers. rursus ibi: *Regulariter non deteniuur ad torturam, nisi in defectum aliarum probationum; est enim tortura subsidium quoddam extremum ad inveniendam veritatem, quamvis hodie de sanguinariorum quorumdam judicum consuetudine, facile, non expectatis aliis probationibus, ad torturam protinus accedatur, in quo gravissime erratur. Angelus leg. final. n. 4. C. de qq. Bonius decis. 163. Marsil. leg. 1, n 7. D. de qq. ubi hanc fatetur esse communem quam & cæteri Canonistæ uno ore sequuntur.* hæc ille. sequuntur Antonius Gomez Variarum Resolut. lib. 1, cap. 13, num. 20. Iulius Clarus §. finali, q. 64. Farinacius quæstio 40. n. 4. addens num. 5. quod *Iudex aliter faciens punitur, & tenetur de syndicatu.*

Ampliatur I. Quod nec Iudex Ecclesiasticus, nec civilis potest torquere reum juridice convictum de crimine, in criminibus enormibus, ea intentione ut deneget appellationem, & ipsum condemnet illustrissima & æquissima sententia. ita multis citatis tenet Farinacius ubi supra num. 10. dicens quod nec Mediolani, nec in Francia contrarium observatur.

Franciscus Perso. tract. de indiciis & tortur. dicens quod judices ignari servant practicam contrariam Baldi in q. 2 ad legem Observare curabis. C. Quorum appellatio. num. 6. & consil. 364. n. 3, lib. 3. quam opinionem ab aula recessisse testatur Rota lucens decis. 13. num. 61. & Flamm. Cartarus tract. de exequenda sententia capto bannito cap. 1. à num. 87. ubi dicit ipse, nunquam servasse, nec servari vidisse in Ecclesiastico statu practicam torquendi convictum, ut confessus nequeat appellare. nec etiam scio, ait Farinacius, illam servare à judicibus qui vere juris scientiam habeant. & si aliquis reperiretur Iudex qui practica Baldi uteretur derideretur apud nos. Ratio est perspicua; quia reus juridice convictus de crimine, & sic jam tenetur veritas; unde non est locus torturæ, quæ in subsidium extremum eruendæ veritatis est introducta jure civili, ut ex juribus & Patribus citatis constat. ergo torquere ne reus possit appellare, quia proprio ore confitetur delictum, est manifeste contra rationem & primariam institutionem torturæ: & Iudex sic torquens non civili, sed tyrannica utitur potestate: & torturam non ut medium ad eruendam juridice veritatem, sed ut pœnam infert reo, cum veritas jam sit in propatulo, & ipse Iudex sit evidenter informatus quod reus commiserit crimen; quare in atrocibus etsi reus appellet non est admittenda appellatio, cum sit frivola & calumniosa, & solum ad differendam sententiam, ut multis citatis etiam circa decretum torturæ tenet Farinacius quæstion. 38. num. 29.

Ampliatur 2. etiam in crimine hæresis, quod convictus de hoc delicto non potest torqueri ne appellet, quia jam veritas delicti errore intellectus & contumacia voluntatis juridice est manifesta. quare non est subjiciendus torturæ, sed condemnandus. ita Carena & Pena ubi supra. verum est quod cum hæresis consummetur & perficiatur interius intentione & voluntate, non ita convincitur quis de hæresi quin torquendus sit de intentione & voluntario errore intellectus. quare nisi ipse ultro confiteatur suum errorem, potest subjici quæstioni. legatur Lanardus in summa divinorum præceptorum tomo 2. cap. 94 de tortur. in causis fidei, num. 14. unde male Torriblanca ubi supra num. 9 dicit quod confessus potest appellare. hoc enim omnino falsum est, quia si delictum plene & juridice est confessus, non auditur appellans, ut determinant Imperatores Constantius & Constans leg. Observare. C. Quorum appellationes non recipiuntur. dixi plene: nam si fateatur factum non tamen facti qualitatem, & potest torqueri & ejus appellatio recipitur, ut jam dico.

Ampliatur 3. Si Reus juridice confessus est delictum voce propria & non per interpretem, torqueri nullo modo potest. hæc ampliatio indubitata est, & constat ex lege, Observare, citata; estque veritas omnino & quantum potest humanis conjecturis patefacta; unde puniendus est pœna ordinaria. sed continet hæc ampliatio plura notatu digna quibus limitatur. Prius tamen ea subjiciam, quantum ad effectum de quo loquimur, aliud esse aliquem juridice ultro fateri ante torturam, factum, vel dictum criminosum; aliud aliquem esse convictum de eodem, quod etiam confessus est. quam distinctionem tradunt Farinacius de hæresi. quæstion. 179. ex numero 60. Diana p. 4. tract. 7. Resolut. 34. Carena. ubi supra. p. 1. tit. 1. §. 20. licet iste distinctius loquatur & melius quam Diana. Igitur tam circa convictum de crimine, quam circa eum qui ultro, juridice tamen, confessus est delictum, sequentia tenenda sunt: Primum ille qui confessus est simul, & convictus juridice, torquendus non est, ut vidimus in superioribus, quia jam finis judicii est consecutus, scilicet veritatis certa & juridica cognitio; torqueri tamen poterit pro alia veritate eruenda de qua indiciatus est Reus. Ita determinavit Pius Quintus loquens de Hæreticis confessis, & convictis de una hæresi.

Secundum, qui juridice confessus est confessione qualificata qualitate minuente delictum, ut qui confitetur homicidium, sed factum in sui defensionem. Bartol. leg. Aurelius. §. autem quæsivit. D. de liberatio. legata. quem sequuntur communiter Doctores Iuris civilis. quibus adjunge doctissimum Inquisitorem Cantera. in qq. crimin. cap. 1. 18. Sousa in Aphoris. lib. 2. cap. 20. vers. 28. dicunt, quod promotor fiscalis acceptat confessionem homicidii; rejecta qualitate defensionis quam tenetur probare reus. in hoc enim omnes conveniunt quod Reus tenetur probare qualitatem additam suæ confessioni, ad sui defensionem adjectam. Sed est inter Auctores dissidium an si reus deficiat in probatione qualitatis adjectæ, sit puniendus pœna ordinaria. affirmant Fachinet. lib. 1. cap. 2. Sarmient. lib. 1. select. cap. 1. num. 11. sed alii dicunt locum esse pœnæ extraordinariæ. Abbas ad caput auditis. num. 33 de præscriptio. Farinacius de reo & confesso, quæst. 81. num. 157. Cantera. ubi supra. Iacobus Ayrer ad leg. ut vim. D. de justitia & jure. 1 p. num. 371. Baldus tamen leg. 1. num. 45. vers. si tamen Iudex. D. de confessis. Bossius, eodem titulo in praxi num. 27. Maschardus de probationibus, conclus. 867. numero 13. quod talis confessus cum qualitate torquendus est, ut sine qualitate respondeat. sed eruditus Carena p. 3. titul. 8. num. 5. dicit, quod aut qualitas est in verisimilis, & à communiter accidentibus habet præsumptionem contra se; aut licet talis qualitas adjecta in defensionibus habeat præsumptionem contra se, attamen à communiter accidentibus est verisimilis. In primo casu est puniendus reus pœna ordinaria, quia nullus aut fere nullus reus fatetur delictum quin addat qualitates minuentes delictum. Quare si istæ non probatæ sufficerent ad vitandam pœnam ordinariam mortis, omnes fere rei eam evaderent, ut bene Fachineus. In secundo casu Iudex potest practicare sententiam Abbatis, quæ vere communis est eo modo quo dicam.

Sed ego sentio Baldi, Bossii, & Maschardi, sententiam verissimam esse, qua utuntur fere omnia tribunalia Catholica, quam sequuntur Grammat. voto 2. crimi. num. 4 & 16. ubi dè Regno Neapolit. Ioseph. Ludovic. decisio. 19 in fine. Boerius decis. 164. num. 3. & decisio. Pedemont. 13. Cantera de hæresi. cap. 1. num. 58. & in tribunali sanctissimæ Inquisitionis passim servatur in praxi opinio Baldi. in quo est veluti canonizata. Vnde si in tormentis persistit in illa qualitate defensiva, in Tribunali sancti officii abjurat de levi aut vehementi, juxta qualitatem suspicionis, & punitur pœna extraordinaria juxta dicta dubio 2. in aliis Tribunalibus pœna triremium, exilii aut pecuniaria. Vnde Grama. refert de quodam qui fassus est hominem occidisse, sed in sui defensionem, post torturam in qua perstitit, damnatus est ad triremes, & Mastrillus decisio 246. p. 3. refert, quod in Regno Siciliæ quædam mulier, quæ fassa est se cudisse falsam monetam, sed jussu mariti sui, post torturam quam sustinuit, damnata est ad exilium unius anni.

Cæterum advertere maxime licet quod in crimine hæresis, propter ejus immanitatem & damnum quod infert magnum Reipublicæ, numquam tortura plene purgantur indicia & præsumptiones, quas semper

per

per Domini Inquisitores propter summam tribunalis pietatem & clementiam habent, valde urgentes priusquam Reum quæstioni tormentorum subjiciant, præterquam quod ex eisdem motivis pietatis & clementiæ in sancto officio, nisi in dogmatizante, tortura in tribunali hoc non est ita acris & dura, sicut in Tribunali Laico, ut notat Massana in praxi sancti officii p. 3. quem citat & sequitur Carena p. 3. titul. 8. §. 1. num. 15. Sanchez tomo 1. consil. lib. 3. cap. unico, dubitatio 12. num. 9. dicens hoc esse communi usu receptum, quod maxime verum tenet in Tribunali nostro sancti officii, & sic sæpius consultus respondi.

Ex quo deduco, quod si quis fateatur dictum vel factum hæreticale, blasphemum aut Apostaticum, dicat tamen non habuisse intentionem hæreticam aut blasphemam, aut Apostaticam, torquendus est super intentione ista. ita servatur in Tribunalibus sancti officii Italiæ, & in supremo Eminentissimorum Cardinalium, & in Hispania in multis criminibus. Ita Peña p. 2. directo. com. 55 versic. *quod si non compareant* & 3. p. comm. 110. versic. *ad hæc*. Simanc. de Catholica institutione tit. 65, num. 52. Genuensis in praxi Neapol. cap. 68. num. 8. in novis quos citat, & sequitur Carena p. 2. tit. 1. §. 20. num. 105. addens & optime quod in omni tribunali Inquisitionis observatur, ex Farinac. q. 179. de hæres. nu. 54. quod in sortilegiis, abutens sacramentis si negat intentionem torquetur. Dixi quod in Tribunalibus Inquisitionis Hispanæ hoc practicatur in multis criminibus & factis hæreticalibus; nam in illo qui dicit simplicem fornicationem non esse peccatum, propositionem hæreticam dubio procul diceret; at Tribunalia Hispaniæ indicant hoc asseri non ex errore intellectus, sed ex aliis motivis; quare non punitur pœna ordinaria hæreticorum, nec si confiteatur delictum, torquetur de intentione. sicut fit etiam de illo qui plures simul habet uxores sibi junctas ex matrimonio, & dicitur Polygamus; & ille qui celebrat sacrificium Missæ, & audit sacramentales confessiones, cum non sit sacerdos, quos suspectos de hæresi nulli dubium, maxime post Bullam Gregorii Decimitertii quæ incipit, Officii nostri, quæ in Bullar. est hujus Pontif. 21, & aliam Pauli Quinti, & Vrbani Octavi aliam, quas omnes adducit Scortia. in Bullas Pontif. epitom. 162. Theore. 403. quarum Bullarum rigorem non admisit Inquisitio Hispana; Quare Polygamus & multi alii solum abjurant de levi, sicut & confessarius solicitans, quia judicant Domini Inquisitores in his Regionibus ex aliis motivis, & non ex errore contra fidem hujusmodi delicta hæreticalia dimanare. quare non pœnis hæreticorum puniuntur, sed alia extraordinaria juxta qualitatem probationum & personarum. legantur Sousa. lib. 2 Aphorism. cap. 32. juncto cap. 33. numero 13. Castro Palao, tomo primo, tract. 4. disputatio 8. punct. 16. cap. 9. à num. secundo. in Romana tamen, & Itala Inquisitione Bullæ Pontificiæ executioni mandantur, & rei abjurant de vehementi.

Si tamen de his verbis & factis hæreticalibus sit reus convictus, non est locus Torturæ super intentione & animo, quo ea protulerint aut fecerint, sed puniendus est. ita Farinacius de hæresi quæstio. 179. §. 4. num. 6. Simanchas de Catholicis institutionibus tit. 13. num. 17. & 19. & in Enchiridio tit. 52. num. 27. Rojas de hæreticis p. 1. num. 184. & *ab hac* (inquit Farinacius) *opinione non crederem recedendum*, quam sequuntur Turrecremata libro quarto de Ecclesiast. cap. 4. Albertinus de agnosc. assertio. quæstio. 32. num. 17. & quæstio. 34. num. 53. & quæstione 36. numero 18. Ananias in cap. ex comm. §. credentes. de hæret. numero 11. Palao tomo primo, tractat. 4. disputatio. 4. punct. 3. quos etiam sequitur Diana p. 4. tract. 7. Resolutio 34.

Ratio hujus est 1, quia aliàs omnes Hæretici & Apostatantes à fide vitarent pœnam ordinariam, dicendo se protulisse verba Hæreticalia, & facta præstitisse, absque intentione pertinaci & errore intellectus; quod magnum est absurdum & intolerabile. 2. quia talia facientes quæ hæretici & infideles, tanquam ritus & cæremonias suæ sectæ faciunt, præsumptione Iuris sic convicti sunt pro hæreticis, & infideles habentur: præsumptio enim Iuris liquidissima est delicti probatio, glossa. lege si tutor. C. de pericul. tutor. Baldus Rubrica de præsumptio. num. 5. eam enim Religionem quis observat quibus cæremoniis & ritibus utitur. cap. filii, cap. contra Christianos de hæreticis, in 6. ubi videndus Barbosa ad primum. num. 1. ad secundum num. 2. Peña p. 2. comm. 69. unde cum quis talia fecisse confitetur, de quibus alias legitimis probationibus est convictus, juridice etiam si pravam intentionem neget, relaxandus est & tradendus curiæ seculari.

Contra hanc receptissimam sententiam tenet Carena. p. 2. tit. 1. §. 20, à num. 106. distinguens duplex factorum genus. Primum eorum quæ clare hæresin significant aut infidelitatem, ut adoratio Idoli, Mahumeti veneratio, Rejudaizatio, & similia, quæ non ob aliud facta intelliguntur nisi ob errorem intellectus. & de his factis procedit sententia Farinacii & aliorum, quos citavimus. Alia sunt facta ad quæ aliquod vitium Catholicorum inclinat, ut solicitatio in confessione, ad quam inclinat luxuria; comestio carnium in diebus vetitis, ad quam inclinat gula; retentio librorum hæreticorum ad quam inclinat curiositas vana, & in his dicit, etiamsi reus confiteatur & sit convictus talia fecisse, locum esse torturæ ut eruatur intentio: non enim statim est ut negativus relaxandus, ut observant omnia tribunalia Romana & Hispana sancti officii. & idem proportionaliter dicit hic Auctor de verbis Hæreticalibus, aliàs convictus de blasphemia tradendus esset ut hæreticus negativus Brachio seculari, *quod*, inquit, *absurdissimum esset*, & vere est contra praxim sanctæ Inquisitionis.

Verum hæc non sunt tanti ponderis ut virum alias satis doctum à communi praxi & modo judicandi sancti officii dimoverent, quia hujusmodi facta & verba non sunt propria solius hæresis & infidelitatis, & sic non sunt facta quæ ex sua impositione & usu significant falsam Religionem, sed sunt adiaphora. quare ex illorum exercitio, etiamsi quis sit de illo convictus, non venatur juridice error intellectus circa fidem, sed delictum vel malum voluntatis vitium, quod stat sine errore intellectus; tamen actus ipse externus semper usurpatur ut significativus falsæ sectæ & erroris intellectus.

Limitatur 1. Regula posita quod in aliquo casu extraordinario & delicto atroci, cujus punitio ut statim fiat, valde expedit Reipublicæ & satisfactioni populi scandalizati, licet reum convictum juridice torquere ut confiteatur delictum de quo est convictus, ut sic non audiatur appellans (quia confessus & convictus etsi appellet, non est admittenda appellatio, ut teste Covarr. modo citando, tenent omnes leg. cum speciali D. de appellationibus, ut late probat Ludovicus Carrerius, in Pract. crim. num. 180. leg. 2. C. Quorum appellationes non sunt recipiendæ) & sic statim puniatur pœna ordinaria legis. limitationem

tionem expresse tenent D. Covarr. tom. 2. practica quæstio. cap. 23, num. 5. circa medium ibi: *Nihilominus fateor, quandoque etiamsi raro convenire publicis sceleratissimorum hominum punitionibus, Baldi opinionem caute admitti, præsertim in his criminibus quæ enormia & gravissima sunt, ut scribit Mathæus de Afflictis in constitut. Neapol. lib. 1. rubric. 27. n. 59.* hæc ibi. quam limitationem tenet Dominicus Banez 22. quæstio 70. articul. 2. dub. 2. conclusio 2.

Ratio hujus limitationis esse potest, quia licet de convicto & non confesso sit veritas patefacta ex legitimis probationibus, tamen non est omnimodo eruta in judicium, ut juxta juris dispositionem omnis tergiversatio præcludatur Reo, qui etsi convictus, potest secundum jus appellare. quare necessarium est ad hoc, ut ipse reus voce propria fateatur delictum, de quo est convictus. ad quod datur illi tormentum, non præcise ex hac intentione ut non appellet, sed ut omni modo juridico eruatur veritas, scilicet per propriam confessionem. qua posita, sequitur secundum jus quod non audiatur appellans; & hoc exigit bonum commune ut satisfiat Reipublicæ, puniendo sceleratissimos homines quam celerrime. Sed melius (meo videri) faciet judex hujusmodi pessimos homines, convictos de scelere gravi, non admittere ad appellationem, sed statim sententiam latam executioni mandare, quia sic expedit bono communi.

Limitatur II. ut reus convictus de uno crimine, si adsunt indicia, potest torqueri ad ulteriorem veritatem eruendam. Ita decrevit Pius Quintus die 28 Iulii anno 1569, in quo decreto sic habetur: *Inhærens decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ Quarti, Sanctissimus Dominus Noster Pius Quintus decrevit omnes & quoscumque reos convictos, & confessos de hæresi, pro ulteriori veritate habenda, & pro complicibus, fore torquendos arbitrio judicum.* quod sequuntur Vmbertus Locatus in judicial. Inquisit. verbo hæreticus, num. 45. & verbo judicium n. 33. & post ad finem ponit decretum hoc authenticum. Simancas de Catholicis institutionibus tit. 13. n. 21. & tit. 43. n. 27. Zanchinus tractat. de Hæreticis cap. 9. Didacus Cantera de Hæreticis cap. 1. num. 57. Paramo de Origine Inquisitionis lib. 3. quæstio 9. num. 182. Petrus Binsfeld. de confessione maleficar. memb. 2, dicens, *peccare mortaliter judicem, non interrogando in hoc crimine de sociis & complicibus, quos tenetur propalare reus, si eos non correctos sciat certo.* Martinus Delrio lib. 5 disquis. sect. 3. vers. *secundum indicium.* Carena p. 2. tit. 12. §. 25. & tit. 1. §. 19. non tamen debet Iudex in tortura de aliqua persona nominatim percontari. alias non esset interrogatio juridica, sed suggestio diabolica. ita Peguera. decis. crim. 5. à num. 20. Menochius de arbitr. casu 473.

Sed circa hanc limitationem nota, quod si quis confessus est & convictus Hæreticus, Calvinista, vel Iudæus, non est torquendus ut alios errores fateatur: nam semel quod confessus est se esse Calvinistam, vel Iudæum, omnes Calvini & Iudaismi errores fatetur, quibus ita adhæret pertinaciter ut omnes alios abjuret, nisi sit juridica probatio quod ante Calvinismum amplexatus est Lutheranismum; vel ante Iudaismum aliam Sectam infidelitatis, nisi confessus & convictus sit Atheista: iste enim amplexatur in externo convictu & humana societate quascumque sectas quæ sibi conveniunt, ut ipsius status conservetur: & ita convictus Atheus torqueri potest, ut manifestet quas alias hæreses amplexatus est. Vnde si reus est homo malæ famæ, & diffamatus quod alia commiserit delicta, ut insignis latro, viarum grassator, & facinorosus valde, potest sine aliis indiciis torqueri ad eruenda alia delicta, præter illud quod est confessus, & de quo est convictus; si vero non præcesserit talis mala fama aut diffamatio, non potest torqueri ad eruenda alia delicta sine indiciis probatis, sine quibus potest torqueri de sociis, si sit dogmatizans, aut si sit latronum Dux, aut furtum & delictum tale sit quod unus solus illud perficere nequeat; quod tenet verum etiamsi reus ultro fuerit delictum confessus. Ita Angelus de maleficiis verbo Quod fama publica, num. 120. Bossius in praxi titul. de judiciis à num. 137. & plures alii.

Quæ probatio requiratur ut convictus & confessus de uno crimine quæstionetur de alio, de complicibus & sociis criminis, non solum hæresis, sed aliorum, late Auctores citati Farinacius de indiciis, & tortura, quæstio 43. à num. 68. Genuensis in praxi cap. 68. n. 12. Fachineus consil. 12. num. 10. & 11. volum. 3. unde fit regula quod in criminibus, quæ sunt difficilis probationis, in quibus veritas raro eruitur è tenebris in lucem juridicam, nisi per socios, quamvis de istis non sit semiplena probatio aut indicia probata, si communiter sine sociis non exercentur, ut sunt hæresis, sortilegium, magia Dæmonica; ut ait Vmbertus in praxi, verbo Hæreticus. §. Hæreticus convictus. & ita observat praxis Romana ex Decreto Pii Quinti citato, & sequitur Diana p. 7. tract. 6. Resolutio 27. versi. *Sed quia supra dictum decretum.*

Sed contra hanc doctrinam est argumentum desumptum ex Bulla Pauli Tertii, quæ est 44, & incipit: Ad onus. §. 7, ubi sic dicit: *Iidem judices captum pro uno crimine super aliis, de quibus indicia aliqua non habent, nullo modo interrogare præsumant, sed tam in his, quam aliis in omnibus occurrentibus juris communis dispositionem observare teneantur & debeant.* hæc ibi. quam dispositionem Pontificiam ad minus servare debent omnes judices Ecclesiastici, & maxime delegati summi Pontificis, quia hac Bulla quæcumque consuetudo in contrarium derogatur, ut advertit Carrer. in sua practica lib. 4, cap. 1, num 93. quare quod negativus, vel confessus hæresim & alia delicta enormia, ut torqueatur *in caput alienum* ad inquirendum de sociis, debeant præcedere indicia probata, aut semiplena probatio, tenent communiter Doctores, ut magis juri conforme. ita Cantera in praxi, cap. 2. q. 1. num. 52. Farinacius ubi supra, dicens: *Quod multi rei, etiam ultro confitentes suum delictum, plurimum curant socios occultare; etiamsi seipsos manifestent.* Piguera in praxi cap. 12, §. 5, num. 19. Lessius lib. 2, cap. 29, n 152. Simancas de Catholicis institutionibus titul. 65, num. 6. Peña 3. p. directo. comm. 110. versi. *Primum ergo dicit.* Quare decretum Pii Quinti intelligendum est juxta Bullam Pauli Tertii, secundum dispositionem juris communis, secundum quam nullus torquetur nisi præcedentibus indiciis probatis circa illam veritatem, ad quam eruendam quæstionatur Reus. ut autem praxis Romana defendatur & teneatur, id quod sine dubio verum est, notanda est doctissima Peñæ doctrina ubi modo, qui sic loquitur circa illa verba Eymerici, posita in septima regula: *Propter solam infamiam neminem esse in hoc crimine hæresis torquendum.*

Quæ sententia vera est & communis: nam sola fama vel infamia in criminalibus non facit indicium ad torturam Bartolus in leg. Milites. C. de qq. Antonius de Butr. & communiter Doctores in capite veniens. *El primero.* de testibus. Abbas cap. 1, num. ultim. de purg. cano. & hanc vocat communem opinionem Marsil. singular. 97. & cæteri quos refert

refert Petrus Dueñas Regula 300, fallentia 4. Verum hæc communis opinio quandoque fallit, nam primo sola fama seu infamia sufficere dicitur ad torturam quando est vehemens. ita expresse concludit Bartol consil. 191. quod sequitur Baldus in cap. 1. §. injuria. de pace juramento firmanda. Felinus cap. veniens 1. n. 15. de test. Marsilius in practic. §. diligenter. num. 19. & consilio 3, num 6. & consil 49, num.65. singul 97, num 205. Thomas Gramm. decisio 34, num. 52, & alii plures quos refert Dueñas reg 301. & infra: *Ergo si à fide dignis personis orta sit, si frequens sit, si eb id quis viciniam amicosve, & viros probos, & plures scandalizavit.* & post: *Sola fama indicium præstabit ad torturam, cum reus de quo mala fama invaluit, alias erat malæ opinionis, famæ & malæ vitæ, & malis moribus præditus*, &c. quibus consonat doctissimus Farinacius de tortura quæstio 37, n. 172. ubi postquam dixit nullum simplicem delinquentem confessum, & convictum torqueri sine indiciis pro eruenda veritate, & sociis aut complicibus, sed famosos & diffamatos, subdit: *Prædicti famosi delinquentes torquentur, si sunt sic diffamati non sine aliquibus indiciis, prout Bulla* (Pauli III.) *loquitur, sed cum aliquibus indiciis quibus tacite Bulla videtur contentari, quia publica diffamatio isto casu succedit loco indiciorum.* hæc ille. ex quibus fit quod latro famosus & grassator viarum, etsi confiteatur unum delictum, est diffamatus de aliis, pro quibus potest torqueri. Similiter qui commisit crimen, quod ordinarie non fit sine sociis, est diffamatus circa illos, & potest torqueri ut manifestet, quia semel juridice probato delicto in genere sunt diffamati socii.

Nota II. quod si reus convictus & confessus quæstionetur pro alia veritate eruenda, vel pro sociis, complicibus, fautoribus, receptoribus, &c. debet fieri à reo protestatio citra præjudicium probatorum, unde interrogari juridice nequit de delicto confesso; qua supposita protestatio remanet fisco jus suum salvum, ut reus puniatur pro delicto confesso pœna ordinaria. sic observat praxis Inquisitionis; estque communis, ut testantur Boerius decisio 163, num. 13. Bossius de indiciis ante torturam in praxi reorum. Quevedo lib. de indiciis, & tortura cap. 1, n.8. Delrius libro quinto Disquis. sectio 9, §. cæterum. Farinacius de indiciis, & tortura q. 40, num.19. qui optime addit num.20. quod hæc protestatio sortitur effectum conservandi jus fisco super delicto de quo est convictus reus, quando non est contraria facto, id est, fit de principali delicto confesso aut convicto, vel de qualitatibus illi necessario annexis. & hanc sententiam dicit verissimam, & communem per Doctores receptam, quorum plures citat ibi; unde si reus in tormentis neget, purgat delictum de quo ante torturam est convictus. quare nescio quid sibi velit Diana tract. 6. citato, Resolut. 32. quod hæc protestatio non est facto contraria, quando Iudex interrogat in tortura de delicto convicto, sed ore tenus & non scribente Notario: nam si Notarius non scribit, non interrogatur juridice, nec est ad hoc necessaria protestatio, quod non advertit Doctus Pater.

Fateor valde probabilem esse sententiam eorum, qui asserunt quod si reus juridice convictus est, & torqueatur, & neget in tormentis delictum de quo est convictus, etiamsi Iudex non faciat protestationem nihilominus potest puniri, nec probationes eliduntur. ita doctissimus Covarruvias cap. 13 citato, num 5. vers. Hic vero. cujus rationem reddit: *Quia si legitimis probationibus quis convictus est, & poterat ex his justa pœna ordinaria damnari; non erit ex hoc absolvendus, quod aliqua ex causa tormentis & quæstionibus fatigatus noluerit crimen confiteri: etenim hoc nullibi in jure probatur; atque adeo hanc opinionem veram esse censent Isernia in capite primo §. Publici latrones. de pace tenenda. Paris de puteo tract. de syndi cap. Quidam latro. Matthæus de Afflictis in constitut. Neapolit. lib. 1. rub. 10, num 28* hæc ille. quem sequuntur Gundisalvus Suarez de Paz in Praxi tomo primo p. 5, cap. 13. §.12, num.10. Antonius Gomez tomo tertio variar. cap.13, num.20. Avendaño indictio. juris, litera T. n.12. sunt enim multi ita fortes ut facillime tormentis resistant, & cum sint facinorosissimi, pœnam ordinariam fugerent in magnum Reipublicæ nocumentum, & contra Fisci jura.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrum judicibus Christianis liceat variis modis tortura uti, si non sint introducti lege aut consuetudine, vel abierint in dissuetudinem.

Repetam, priusquam procedam ulterius, verba Ludovici, posita limine disputationis, explicantis verba Tertull. *Indicat enim,* (judices, deditos variis tormentorum modis) *agitari à malis Dæmonibus & ab insuetis spiritibus, ad eruendum aliquid contra ordinem judicandi & formam: dicit enim non esse credibile homines sapientissimos ita furere spretis legibus, nisi vis aliqua Dæmonum in occulto penetrasset.* hæc ille. videant ergo homines judices alias sapientissimi, crudelitati in tormentis ad formam & opinionem acquirendam incumbentes, quod non aguntur spiritu eruendæ veritatis, sed ab insueto spiritu contra ordinem, & formam judicandi statutam à lege, vel introductam consuetudine; & eorum judiciaria potestas, etsi ut à Principe sit civilis, ut ab ipsis exercetur Tyrannica, est à malis Dæmonibus agitata.

Et quidem judicibus criminalibus, antequam ad specialia descendam, propono doctrinam ab omnibus fere scribentibus Christianis receptam, quam advertit Simancas de Catholicis institutionibus, titulo sexagesimo quinto, num. 52. quod considerare debent qualitatem personarum, criminum, & indiciorum: aliter enim torquendi sunt servi, quam liberi; fortes, quam timidi; juvenes, quam senes; robusti, quam debiles; humiles, quam honesti; nobiles, quam ignobiles: illi enim clementius, isti durius torqueri debent. unde observant multa Christianorum Tribunalia, ut dum torquetur reus adstet expertus chirurgus, ut indicet judicibus qualitatem torti in viribus, & robusticitate naturali, juxta quam temperetur quæstioni tortura, quæ ita debet adhiberi, ut tortus remaneat salvus, illæsus, & non amittat vitam vel aliquod membrum. leg. quæstionis modum. D. de quæstio. ibi: *Quæstionem habere oportet ut servus salvus sit, vel innocentiæ, vel supplicio. Lege De minore. eodem. Tormenta adhibenda sunt non quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant.* argumento ex lege unica. C. de emendatione servorum.

Ex quo colligit Suarez de Paz ubi supra, si Iudex ex actis processus invenerit ad torturam pervenire posse, tunc cavere debet ne novas & inusitatas species exquisitas tormentorum imponat, sed illa quæ magis in usu versantur. nam licet varia sint genera tormentorum, quæ congerunt Hippolytus leg. 1, num.27, D. de qq. ibidem Marsilius Locatus in opere judiciali, verbo Tortura, num. 38. & contra judices contrarium facientes egregie insurgit doctissimus Peña

Peña p. 3. comm. 110. *tractatio de novis tormentis excogitandus carnificum est potius & crudelium, quam Iurecconsultorum & Theologorum.* Et infra: *Vehementer reprehendo sanguinarios Iudices, qui ut vanam & inanem nescio quam gloriam aucupentur, nova genera tormentorum contra jus & fas misellis reis imponunt, ita ut prae saevitia aut deficiant intortura, aut membra rumpantur, ita ut in perpetuum reddantur inutiles. id quod graviter etiam reprehendit Antonius Gomez libro tertio variar. cap. 13. n. 7. Vsitatus ergo modus nec periculosus in tormentis retineatur, & Christiani Iudices habeant illa Iurisconsulti verba ante oculos in lege, quaestiones. D. de qq. itaque quaestionem habere oportet ut servus salvus sit, vel innocentiae, vel supplicio. quod recte quoque admonet Panormitanus cap. cum in contemplatione quaestio. 3. n. 4. extra de regulis Iuris.* Hactenus solide Peña.

§. 1. *De gradibus torturae, & quomodo illis utendum. Vbi de cudente falso monetam.*

EX hac regula, quae indubitata est apud Christianos Iudices, aliqua sunt colligenda ad praxim valde utilia, utinam & proficua sint ad sedandam quorumdam modernorum Iudicum saevam & Tyrannam sitim sanguinis reorum, qui, ut nomen crudeli aucupent, obliviscuntur verba Vlpiani leg. 1. §. quaestioni. D. de quibus. quae semper memoria tenere deberent & considerare: *Quam res fragilis, quam periculosa & veritatem fallat quaestio in tortura.* Colligitur ergo primum cum Magno illo & eruditissimo criminalista Farinacio, quaestio 38. n. 49 de tortura. (ubi, postquam in praecedentibus à n. 40. cum communi sententia quinque torturae gradus distinxit, quos alii comprehenderunt in tortura levi, gravi, & gravissima,) loquens de quinto gradu qui est gravissimum tormentum, sic fatur: *Quando reus in tortura suspensus pertinaciter negat* (loquitur de tormento de la garrucha) *& torturam ipsam parvi pendere videtur, Iudex ultra ictus & quassationes, de quibus in praecedenti gradu mandat, in ejus pedibus ligare vel compedes ferreos, vel aliud simile pondus, & ad istud tormenti genus quod saevissimum est, & ex quo corpus dilaniatur, membra dissolvuntur, & quandoque à corpore evelluntur, ita quod torti rei ut plurimum magis mortem expetant quam talem crudelem torturam sustinere, Iudices devenire non solent nec debent, nec ultra requisita in praecedenti quarto torturae gradu; nisi crimina non solum sint atrocia sed atrocissima, utputa haeresis* (ego dicerem dogmatizantis illam) *laesae majestatis, eversionis status, ac similis proditionis, ubi de patriae aut multorum salute tractatus, ingentis Assassinii, enormissimi homicidii alicujus sacrae personae, videlicet Cardinalis aut alicujus Magni Principis, vel contra Maleficum aut Mathematicum, ut comprobat Ghirlandus Foller, qui propterea admonet Iudices ut hoc crudelissimo tormenti genere (ex quo propter immensum cruciatum & dolorem, nonnulli coguntur quandoque confiteri ea quae non fecerunt) non utantur passim & indistincte in omnibus criminibus, prout dixit facere quosdam suo tempore judicantes, quia eorum animae sepeliuntur in inferno. quod etiam repetit in 3 p. versic. & sic confitebuntur n. 69. ubi post Paridem de Puteo, quem allegat, dicit quod non debent Iudices magna pondera pedibus applicare, nec aquam frigidam in dorso pendentis in tortura adhibere, nisi in gravissimis & atrocissimis criminibus.* Haec ibi.

Iuxta quae moderanda sunt ea quae dicit Suarez de Paz. ubi supra, dum loquens del tormento de la garrucha docet, quod à pedibus rei torti *Sean puestas y colgadas cien libras de Hierro o piedra poco mas omanos.* Et quod dicit del tormento de las Tablillas, in quibus sunt foramina in quibus ponuntur digiti tum manus tum pedis utriusque. *Y conuñas se van apretando.* de quo tormento quod antiqui digitarias & pedarias nominarunt supra fecimus mentionem; & est ita rigidum, maxime si premantur, ut vix sit qui sustinere illud possit & non fateatur vel id quod non fecit. quare illo uti non debent Iudices nisi in atrocissimis & gravissimis criminibus, ut dicebat Farinacius leg. 3. C. de Episcopa. Audient. & tradit Gregorius Lopez leg. 1. tit. 30. p. 1. glossa penultima.

Sed numquid in reo cudente monetam, utpote pro atrocissimo crimine, possit Iudex uti rigido hoc quinto gradu torturae: ego quidem ut ingenue fatear quod sentio: distinguo, quod aut iste, cum moneta sit justi valoris & ponderis, decurtat pondus; aut valorem materiae aufert, ponendo aes deauratum pro auro; aut stannum pro argento; & hoc crimen atrocissimum est & Reipublicae perniciosissimum, unde in Hispania igni traduntur istiusmodi falsificatores; & sic ad eruendam veritatem juxta gravitatem & indubitationem Indiciorum, potest reus torqueri hoc quarto torturae gradu; aut iste nec decurtat pondus, nec supponit falsam materiam aurichalci, aut stanni, vel similium non habentium eum intrinsecum, valorem quam habet moneta vera. Sed cum alias moneta ex Regis Imperio, quae urgentibus necessitatibus Reipublicae non habeat valorem intrinsecum, reus est indiciatus quod talem monetam ipse faciat, ipsam antiquam sigillando falso sigillo, ut valorem adscititium, quem Rex posuit sibi, acquirat, & quamvis hoc sit magnum crimen & dignum gravissima poena, quia ad minus Regi furatur, quod sibi competere debebat ex justa causa pro Regni & fidei defensione, (aliter enim Rex Catholicus id non faceret, nisi ex consilio Theologorum & Iurisconsultorum,) tum etiam sigillum Regium falsificat, quod est gravissimum delictum non secus ac falsificare subscriptionem Regiam.

Caeterum ne ita atrox appareat Iudicibus hoc delictum, referam ea quae illustrissimus Nicolaus Oresmius Episcopus Lexovii. & Caroli Quinti Francorum Regis cognomento Sapientis Magister, qui vixit anno 1378, proponit tractatu illo eruditissimo de mutatione monetae, ex quo plura sumpsit Pater Mariana in simili tractatu. Igitur illustrissimus pariter & doctissimus Oresmius advertens inconvenientia manifesta, quae ex mutatione monetae, maxime si auferatur intrinsecus valor: ut Princeps capiat lucrum & emolumentum quantumlibet, sic fatur cap. 17, *Praeterea sibi incumbit falsos monetarios condemnare. quomodo igitur potest satis erubescere, si reperiatur in eo quod in alio deberet turpissima morte punire? rursus magnum scandalum est, quod moneta Regni nunquam in eodem statu permaneat, sed de die in diem varietur. & sic rei, quae debet esse certissima, nulla est certitudo, sed potius incerta & inordinata confusio in vituperium Principatus.* Haec ibi. quod & experientia ipsa demonstrat, cum omnium rerum pretia alterantur, in magnum commercii publici detrimentum. quamvis enim lex sit rigidissima quod non alterentur, tandem tamen frigescit & non exequitur ejus poena, quia aliter necessaria victui non suppetunt. & cap. 19 ita: *Princeps per tales versificationes monetarum dat malis occasionem faciendi falsam monetam; aut quia non nimis est contra conscientiam eorum ipsam falsificare, ex quo apparet eis quod ista faciat Princeps; aut quia nimis est contra conscientiam eorum, quod falsitas non ita cito comprehenditur, & possunt facilius & plura mala his stantibus perpetrare*

pertrare

petrare quam si semper curreret bona moneta. Praeterea istis sta tibus quam innumerabiles perplexitates, & obscuritates, errores, & inextricabiles difficultates accidunt. Hæc ille satis conforme his temporibus. & cap. 16, *Si vero Romani tales mutationes finaliter fecerunt, sicut videtur ex quadam prava moneta veteri quæ reperitur in campis, hoc fuit forte una de causis quare eorum nobile Dominium devenit ad nihilum. & sic patet quod hujusmodi mutationes monetæ tam malæ sunt, quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ.*

Fateor gravissimum esse & doctissimum tractatum Illustrissimi Præsidis, qui vigens summa prudentia & Politia peripatetica, omnia incommoda, quæ ex mutatione monetæ & adscititio ejus valore sine intrinseca præstantia vidit, prædixit, & Regibus intimavit, eosque valde reprehendit quando has monetarum mutationes faciunt, ut inde sibi lucrum & emolumentum percipiant, exhaustis bonis civium, indeque sequuntur avaritia Regum, illæ perplexitates, obscuritates, errores, & inextricabiles difficultates, eaque inconvenientia quæ in toto libro accumulat; Ast quando Rex Catholicissimus, has mutationes & in circulum transmutationes monetarum faciens, hæc omnia inconvenientia quæ sequi videmus devorat; hoc facit utens Dominio alto, quo pollet in utilitatem boni publici, non in proprium commodum & sui Thesauri incrementum; cum videamus ob defensionem Regni, & fidei Catholicæ, omnia vectigalia & jura impositionum vendidisse, ita ut quasi in extremam devenerit Regiam indigentiam, humeris suis sustentans fere toto orbe tot contra Rebelles & Hæreticos exercitus, ut suum conservet Imperium & nos ab incursibus inimicorum defendat. Quid ergo faciet Rex in talibus constitutus circumstantiis & angustiis, nisi uti Dominio alto, & eo suaviori modo quo possit eruere pecunias à vasallis, ut ipsos defendat; non enim decet ingredi eorum domus, & vi & vi armata eorum bona eripere; sed suavitate possibili, ut minus sentiant bonorum amissionem, elicere.

In cujus rei confirmationem elegans Divi Thomæ testimonium adducam, etsi aliquantulum longius, quia mihi videtur sanctum Doctorem his temporibus & angoribus Monarchæ nostri respexisse. Obsecro tamen Regios Ministros ut ea sale condita, ne tumultus fiat in populo, utantur, & sic attendant & bono communi, & conscientiis propriis. Sic namque loquitur Angelicus Magister lib. 3 de regimine Princip. cap. 11. *Per quod habemus, quod Principes suis debent esse contenti stipendiis, nec subditos suos gravare possunt in bonis eorum, & rebus, nisi in duobus casibus, videlicet ratione delicti, & pro bono communi sui regiminis.* Et infra: *Quod pro bono Reipublicæ possit exigere, sicut pro defensione Regni, vel pro quacumque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune sui Domini: ratio est in promptu, quia supposito quod humana societas sit naturalis, ut probatum est supra, omnia necessaria ad communem conservationem dictæ societatis erunt de jure naturæ: hoc autem est in proposito. Sic igitur supposito Dominio regali, potest Rex exigere à subditis quod ad bonum ipsorum requiritur. Præterea ars imitatur naturam in quantum potest, ut Philos. in 2. Physic. tradit; sed natura non deficit in necessariis, ergo nec ars. sed inter omnes artes ars vivendi est melior & amplior, ut tactum est supra, & probat Tullius in Tuscul. quæst. eo quod cæteræ artes ordinantur ad ipsam. sic & in necessitatibus Regni quod pertinet ad conservationem socialis humanæ vitæ. Rex, qui est artifex Architectus dictæ societatis, non debet deficere, sed omnem defectum supplere cum ipsa societate. & ideo concludendum est; quod isto casu possunt legitime exactiones & talliæ, ac census sive tributa imponi, dummodo non transcendant necessitatis metas. Unde Aug. de verbis Domini exponens illud Matthæi: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Igitur* (inquit) *quod Cæsar præcipit ferendum est, quod imperat tolerandum. Sed fit intolerabile dum prædam exactores accumulant.* Hæc S. Magister.

Sequitur juxta hanc angelicam doctrinam, quod cum Rex noster tot sustineat labores pro defensione Catholicæ fidei, & sui Regni tutamine, si jam non superest aliud ex quo exactiones accipiat quibus prompte subministrat argentum belligerantibus, potest exactiones extrahere monetæ nigræ, hoc est æneæ mutatione. sicut enim ratione delicti & vitam & rem familiarem aufert, ita & multo majori ratione, ratione defensionis Regni; & vasalli hoc tenentur sufferre quamvis doleat pecuniarum amissio: manus enim naturali inclinatione se supponit ne feriatur caput, & pes abscinditur, ut tueatur cor à cancro, quamvis utrumque fiat maximo manus & pedis dolore. ita propter bonum commune, quamvis dolorificum sit, quis debet sufferre quod res familiaris auferatur. Quare Ministri Regii, & Theologi, quorum consilio Rex mutationes & alterationes monetarum facit, diligenter attendere debent quid magis præmat, an fugere obscuritates, errores, perplexitates, & difficultates quæ in societate humana contingunt ex talibus alterationibus, an succursus ad defensionem Regni & fidei. & si hic non subsistit sine monetæ alteratione, quamvis illæ perplexitates & inconvenientia sequantur, alteratio monetæ, quantum sufficiat præsenti necessitati, consulenda est, quia bonum commune & Regni defensio quid divinum est, in ordine ad quod cætera inconvenientia particularia sunt, respicientia commoditates civium, quibus magis expedit in paupertate vitam degere, quam quod bonum commune deficiat, quod Religio minuatur, quod invadatur Regnum à Rebellibus & Hæreticis. Vnde Rex non impeditur à Pontifice ne monetam mutet, cum tam gravi causa, sicut ait Divus Thomas lib. 1 ejusdem opus, cap. 13, *graviter Rex Arragonius reprehenditur ab Innocentio Papa, quia numisma mutaverat diminuendo in populi detrimentum. propter quod & filium, obligantem se per juramentum dictam servare monetam, à dicto absolvit juramento, eidem mandans, ut ipsam ad pristinum statum reformaret.* hæc ibi. quod ideo fecit Pontifex, quia illius Regni moneta fuit alterata sine gravissima & urgentissima boni communis necessitate, sicut Rex Noster fecit; quare hujus monetæ mutatio est quædam exactio Regia.

Vnde non currit argumentum factum ab Oresmio. Rex enim tanta & tam urgenti necessitate, motus, non dat occasionem vasallis monetam cudendi; nec eorum conscientias inquietat quod Rex monetam mutet, cum id faciat ex Dominio alto propter bonum commune. Vnde Rex nullatenus dicendus quod contrarius naturæ & gentium mutet & alteret monetam, cum id faciat ad societatem humanam conservandam in pace & quiete, quod est de jure naturæ, ut ait Divus Thomas & obligans magis quam præceptum de non alteranda pecunia; quod motivum nullus civis habet, & dum cudit & sigillat monetam verissime falsarius est, ponens sigillum Regis & illo abutens, & in damnum totius communitatis furatur à Rege id quod exigit in defensionem Regni & fidei.

Verum est quod hæc monetæ sigillatio falso & adulterino sigillo, non ita grave crimen est sicut falsificatio in pondere & vero intrinseco valore, tamen

etsi

etsi pœna mortis, non tamen ignis punitur. quare non debet delicti veritas ultimo gradu torturæ expiscari, maxime quando vasalli in tam gravi necessitate sunt gravati tot vectigalibus & gabellis. quare, quantum patitur justitia, debent mitigari tormenta, nec ita communiter pœna mortis est infligenda, si multum crevit delictum, ne populus angustiis prematur & oriatur scandalum, quod maxime attendere debent Iudices ad hoc deputati. sic enim fecit & consiliavit Trajanus Plinio Iuniori, qui ab ipso est percontatus quid facere teneretur de Christianis qui quotidie augebantur, & respondit quod eos non perquireret, sed si inveniret, puniret. ita habetur apud Plin. epist. vulg. epist. 98. cum enim secundus scripsisset Imperatori epistolam 97. de incremento Christianorum: *multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus & vocantur in periculum. & vocabuntur: visa enim est mihi res digna consultatione, propter periclitantium numerum.* cui respondet Imperator quod Christiani in tanto numero aucti *conquirendi non sunt, si deferantur & arguantur, puniendi sunt*, hæc ibi. multitudo ergo delinquentium motivum est ne ita severè puniantur, quæstionentur, occidantur.

§. 2. *Iudex, si modum torquendi excedat, punitur & tenetur de Syndicatu.*

IVrisconsultus Vlpianus leg. quæstionis modum. D. de qq. dicit: *quæstionis modum magis est judices arbitrari oportere*, ex quibus verbis & practicatur & ab omnibus edocetur quod modus torturæ est Iudici arbitrarius, attentis variis rei torti, legis, consuetudinis circumstantiis, de quibus supra ex Farinacio diximus, qui à numero 34. quinque gradus torturæ, juxta varias Iurisperitorum sententias, distinguit, quibus Iudex Christianus justus & pius suum arbitrium regulare debet. non enim in reis torquendis adhuc in supremo Principe Christiano & pio est pro ratione & arbitrio voluntas, sed eam regulare debet legibus, consuetudine & praxi antiquorum qui ipsos in sua regione præcesserunt. ita Palao tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 9. num. 7. Menochius de arbitra. Centu. 3. casu 270. num. 5. Carena p. 3. titul. 10. §. 5. loquentes de arbitrio judicum respectu indiciorum; alias non Iudex rectus & justus dicetur, sed sanguinarius & crudelis tyrannus. Vnde Franciscus Personal. tractat. de indiciis & torturæ, n. 15 dicit, quod Iudex debet inclinare in mitiorem partem. & vers. *ex quo senex.* arbitrium hoc judicis intelligitur de discreto & de indiscreto, & numero 16 dicit, quod *Iudex in torquendo reum, conscientiam ad Deum, non autem ad aliquam pompam directam habere debet.* sciat tamen judex quod eadem mensura qua intra terminos justitiæ mensus fuerit misellum reum, eadem sibi remetietur in hac, & in altera vita, nisi de crudelitate egerit pœnitentiam.

Arbitrium etiam circa torturæ tempus moderandum est juxta consuetudinem Regionis, & criminis gravitatem, & indicia. Vnde torquendus est reus ita ut non excedat dimidiam horam, si fiat ad eruendam veritatem intentionis, ut dixit Genuensis in praxi. cap. 68 in noviss. num. 8. in aliis autem delictis horæ spatium non debet excedere, & contrarium non vidisse testatur Porrus ad Ambrosium lib. 4. cap. 3. & quod ita in praxi servatur dicit Carena. p. 3. tit. 10. §. 22. num. 171. & Farinacius num. 54 ait: *ut verum fatear, in quocumque enormissimo crimine apud nos raro vidi torturam adhibitam ultra horam, & si fuit exhibita ultra horam, non excessit quartam partem secundæ horæ. Vnde Paulus tertius in Bulla citata, §. captum vero. prohibet judicibus reum in tortura detinere per longum temporis spatium unius aut plurium horarum, quod intelligitur in aliis tormentis præter quam vigiliæ, ubi est consuetudo illa torqueri.* Vnde advertit & optime Farinacius num 58, quod Iudex in omnem eventum semper abstineat se ab eo tormento sive novo sive insolito, per quod rei carnes scinduntur: si enim hoc tormenti genere utetur, non solum faciat contra expressam legis prohibitionem. leg. unica. de emendat servo. quæ etsi loquatur de Domino contra servos, idem tamen est in Iudice contrarios, quia valet argumentum isto casu à potestate Dominica ad potestatem Iudicis, ut bene ibi adnotat Baldus. sed etiam *ex merito poterit appellari carnifex justitiæ, ut in alio proposito judicem talia facientem appellat Paris de Puteo, in tractatu de Syndicatu, verbo Tortura. El tercero cap. 4. num. 5.*

Ex hac regula, quæ certa & indubitata est apud Christianos & pios justosque Iudices, qui Deum habentes in prospectu reos torquent, colligitur 1. quod judices excedentes in modo torquendi, juxta arbitrium discretum aliorum judicum peccant, & tenentur restituere damna sequuta reum ex immoderato modo torquendi, ut si maneat mancus aut claudus & impeditus laborare. Ratio est perspicua, quia in isto modo excedens non solum est crudelis, sed peccat contra justitiam, ex qua tenetur juxta leges & consuetudines ex vi officii sui rationabiliter & discrete torquere, cum potestas sua civilis sit; non tyranna. legendi sunt ad propositum ubi supra. glossa finalis, Antonius Gomez cap. 13 citato, num. 6. Simancas de Catholicis Institutionibus tit. 65. num. 1. Suarez de Paz num. 64 & 65. quamvis enim rigor in modo varius sit, juxta gravitatem delicti & qualitatem indiciorum, tamen semper tam vita, quam membra rei sunt illæsa servanda.

Colligitur 2. quid sentiendum de opinione Covarr. cap. 23 citat. num. 5, ubi sic loquitur: *illud sit certissimi juris teneri reum legitime convictum sub mortali culpæ reatu, si à judice interrogetur etiam in tormentis respondere an crimen commiserit. nam etsi inique torqueatur juste tamen interrogatur, & ideo tenetur respondere juxta Innocentium, & communem in cap. 2 de Confess. Sanctus Thomas 22. q. 69. art. 1.* hæc ibi. Fateor certissimi esse juris quod reus non solum convictus, sed cum semiplena probatione interrogatus à judice juridice tenetur fateri veritatem, ut de convicto omnes tenent, & cum semiplena probatione docent communiter expositores D. Th. Iuristæ utriusque Iuris & Summistæ. verbo Reus. ut alibi latius ostendo.

Ast quando reus est convictus & torquetur, (nisi in casu de quo supra) non interrogat Iudex juridice, cum non secundum jus, ut intellectum ab omni fere schola Iuristarum, ut vidimus dubio 3. & ita reus convictus non tenetur sub mortali respondere Iudici interroganti in tormentis delictum, de quo est convictus. Hoc est contra Sanchez tom. 2. consilio. lib. 6. cap. 4. dub. 3. num. 4. Salcedo in praxi cap. 116. Trullenc. in expositio. Decalogi lib. 8. cap. 1. num. 2. vers. at si inique. ratio est quia fatuus est, ut dixi Iudex reum convictum torquendo. Vnde fatue interrogat, & sic reus respondeat *stulto juxta stultitiam suam, ne sapiens esse videatur*; quare juste negat in tortura se commisisse delictum de quo est convictus, ut sic evadat ordinariam pœnam mortis, juxta probabilissimam sententiam. tanta est enim vis torturæ, ut in ea persistens negando, puram veritatem dixisse præsumatur. ut enim ait Cicero in Topicis ad Trebatium: *Verberibus torti & igne fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas dicere*, &c. unde Gram. decisio 8. num. 1 & 9. & decisio 89. n. 10. dicit quod *homo persistens in tor-*

in tortura me lier reputabitur quam ante accusationem reputabatur. quod dictum communiter amplexantur criminalistæ. legendus omnino Farina.quæstio 40. de Tortura.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum Reus rigide tortus, possit sibi falso crimen imponere, ad vitandum tormentorum rigorem, si ex tali crimine sit morte plectendus.

EMinentissimus Dominus Cajetanus in Summa, verbo detractio. num. 4. sic fatur: *detrahere sibi ipsi (hoc est diffamare se ipsum) peccatum est mortale, ex suo genere gravius quam detrahere proximo, quanto magis tenetur diligere famam suam propter Deum & commune bonum, quam proximi: nec excusatur à peccato mortali propter metum aut tormenta quoniam sicut nullus metus nullumque tormentum excusat à vulneratione aut occisione sui, ita nec ab infamatione sui. Quamvis enim pati detrimentum famæ propriæ sit in proprio arbitrio constitutum, si in aliorum malum non redundat, sicut pati vulnera & mortem; inferre tamen sibi damnum famæ criminosum est, sicut vulnerare aut occidere se. & si in judicio propter tormenta hoc fit, duplicatur iniquitas quia adjungitur mendacium in judicio perniciosum.* hactenus ibi, quam doctrinam vere admirabilem prius dixerat 22. q. 73. artic. 2. §. circa detractationem, ubi ponit fundamenta solida. & §. ad objecta. sic altissime & profundissime loquitur: *exponendo divitias fit sola privatio rerum; in infamando vero non solum fit privatio famæ, sed appositio infamiæ. aliud est enim sustinere privationem famæ propter tormenta, aliud apponere infamiam, quod facit infamans seipsum. unde non potest excusari à pernicioso mendacio, cum sit mendacium læsivum proximi, seu totius in magno bono Et pro quanto est contra se ipsum, est plus quam injustum: est enim contra charitatem propriam, qua quilibet non minus se ipsum, quam proximum tenetur diligere. Et sicut teneatur plus diligere propriam vitam, quam propriam famam, & magis curam habere de privatione vitæ, quam de privatione famæ. tenetur tamen magis curam habere ne apponat sibi infamiam, quam ne auferatur ab eo vita, & integritas, & sanitas, & quies, & libertas: quoniam hoc consistit in mala pati, quod non est malum; illud vero est male facere, quod est malum.*

§. 1. *Qua ratione homo sit vel non sit dominus suæ famæ.*

O Admirabile & solidum Cajetani ingenium lorica veritatis ita indutum, ut vix possint adversariorum tela ipsum ferire, quantumvis coadunentur, ut adunati sunt contra hanc doctrinam quam plures recentiores, convenientes in unum adversus eminentissimum Cardinalem, tutantes non esse peccatum mortale quod quis ad evadenda gravissima tormenta sibi falsum crimen imponat, etiamsi mortis supplicio sit afficiendus. Ex Thomistis ita Soto lib. 5 de justitia, quæst. 10. art. 2. & tractat. de ratione tegendi secretum memb. 1. q. 3. & memb. 3. quæst. 4. conclusio. 10. Bañez 22. quæst. 73. art. 1. dub. 2. Malderus tract. 7. dub. 11. Amicus disp. 27. sect. 7, num. 92. Valentia disputat. 5. quæst. 17. punct. 2. §. atque ita. Lessius lib. 2, cap. 11. dub. 6. & 7. Ægidius Trulon ac. in decalogum. l. 7. dub. 6. 7. & 8. Petrus Navarra lib. 2 de restit. cap. 4, n. 128. Bonacina disp. 2. de restitutione, quæst. 4. punct. 10. num. 7. Sayrus in clavi. lib. 11, cap. 3, num. 41. Turrianus de justitia & jure, disput. 54. dub. 1, n. 20. Fillucius tract. 40, cap. 4, num. 115. Toletus, lib. 5, cap. 66, num. 5. summistæ. verbo Detract. ubi Silvester quæst. 3. Angelus, num. 4. Sa emendatus verbo infamare. Balleus verbo Detract. 1, num. 9. Fagundez, lib. 8 in decalogum, cap. 9, num. 2. Gaugericus Hispanus in adnotatio. ad summam Cajetani verbo Detract. litera C.

Horum omnium fundamentum in hoc disjuncto comprehendit Amicus. quia nisi ad evitanda gravia tormenta, non potest quis sine peccato mortali sibi falsum crimen imponere, etiamsi propter ipsum sit morte plectendus; aut esset quia seipsum graviter infamaret; aut quia sibi esset causa moralis mortis aut mutilationis: Non primum, quia homo est perfectus dominus suæ famæ, non minus quam divitiarum, ut præter citatos tenent Molina tract. 4. de justitia, disp. 2. Silvius 22. quæst. 66. art. 1. quæst. 7. conclus. 7. Adrianus in 4. quæst. de restitutio. famæ. Navarrus in Manual. cap. 18, num. 27, 28. & 46. & ratio est, 1. Quia homo est dominus eorum quæ proprio labore acquirit, ac conservat propriis actibus. Hoc autem est certum; fama autem talis est: homo enim actibus bonis, ea facit ex quibus apud homines bonos nata est oriri bona existimatio. 2. Quia homo potest disponere de bona fama & nomine sicut de divitiis. Vnde Divus Thomas quæst. 63. art. 4. ad 3. docet, *hominem posse licite detrimentum suæ famæ & honoris detrimentum pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum;* & sic cum merito possumus a nobis abjicere famam propter aliquod bonum virtutis: verbi gratia, humilitatis. sic fecerunt sancti, Ambrosius, ut constat ex ejus vita. Hieronymus Epistol. lib. 43. & 50. Augustinus in libris confession. passim, & Raynaudus satis longa eruditione in Hoplotheca contra ictum calumniæ, plures sanctissimos viros congerit, qui merito non parvo, passi sunt per calumniam famæ propriæ & honoris detrimentum, quod licite non facerent si non essent famæ & honoris Domini.

Non secundum; quia non tenetur quis sub mortali famam conservare cum tam gravium tormentorum perpessione, *si non est tanto dolore digna salus*, ut ille alius dicebat, nec fama quæ non est magis æstimabilis quam vita & salus, si Medici affirmant alicui se moriturum nisi pes aut manus cum ingenti dolore abscindatur, non tenetur ad abscissionem. 2. Quia non est causa moralis suæ mortis, quia non intendit quod pœna mortis damnetur; ad hanc enim ejus falsa confessio non tendit, sed ad declinationem gravium tormentorum, quamvis ex tali confessione Iudex cogatur ad ipsum capite plectendum; sicut omnes fatentur, quod licet occidere invasorem non intendo ipsum occidere, sed se defendens, etsi hæc defensio non fiat sine occisione 3. ait Amicus n. 94. *licite potest quis optione sibi data brevem mortem sibi eligere potius, quam diuturnis tormentis cruciari; potest quis ne ab hoste capiatur, in medios hostium cuneos se injicere, ubi certo mactandus. potest quis, inter duos latrones positus, à quorum uno cum ingenti cruciatu foret in membris mutilandus, ab altero capite plectendus, ad interfectorem potius quam ad mutilatorem accedere, si alia via utrumque malum evadendi non supersit. Potest honesta Matrona aut honesta Iuvenis, ut sui corporis abusum vitent, ad alium confugere à quo esset certo necandi; ergo pariter poterit quis saltem citra mortale brevem mortem sibi ex confessione falsi criminis inferendam eligere potius, quam diris tormentis diu torqueri, commutando brevem mortem cum acerbis & diuturnis tormentis. confirmatur, quia si huic propositum esset à judice, nunquam esse tormentis liberandum, donec tale crimen fateatur, posset tam acerba tor-*

menta

menta brevi morte commutare, falsum crimen confitendo propter quod esset capite plectendus. Hactenus Amicus. & tandem Fagundez quia sicut homini quod sit vitæ suæ jus tribuitur, ut illam promerendo stipendio in bello periculo exponat, ita etiam jus tribuitur, ut pro vitandis arduis tormentis possit eam mortis periculo exponere, imponendo sibi falsum crimen.

Sed cum tanta Recentiorum turma hoc unum fateantur, quod ista tormentorum vi impulsus sibi falsum testimonium imponat ad fugiendam illorum immanitatem, etsi non peccet mortaliter, tamen veniale peccatum committat; contra sentit Ioannes Sanctius select.46, num.16. ibi: *Ad vitanda gravia tormenta excusabitur quispiam etiam à veniali labe falso sibi imponendo, licet ob illius confessionem morte esset plectendus*; & infra: *& sane, si solum tormentum patiens à mortali, & non à veniali excusaretur, parum favorabilis hæc opinio misero esset, eo quod tunc à confessario consuli minime posset falso delictum sibi imponere ob torturam fugiendam: nullo namque fine peccatum veniale committendum esse suaderi aut consuli potest ex cap. super eo. de usuris & cap. siquis. ad te 22. q.2. & infra ostendit contra Sotum & alios mendacium illis fore perniciosum & mortale (si mendacium est.) Nam*, inquit, *cum mendacium illud circa materiam gravem versetur, utpote circa mortem patientis torturam, dum ex illius confessione sit morte plectendus, ut supponimus; si falsa criminis impositio à mendacio veniali non excusaretur, neutiquam à mendacio mortali excusatio intercedere potest.* Hæc ille, qui prius dixerat, *quod mendacium etiam leve excusatur æquivocatione in mente retenta, scilicet crimen commisisse non re, sed solum, ut fateatur judici, ad evitanda tormenta.*

Verum enimvero, quamvis hæc tantorum virorum sententia satis plausibilis sit, & propter eorum auctoritatem probabilis: Cæterum nunquam animo arrisit, & semper placuit, tam in speculatione, quam in praxi opinio Domini Cajetani, quæ dubio procul verissima est in solidis nixa fundamentis; pro cujus soliditate clare conspicienda notandum, quod homo non est absolutus dominus suæ famæ, sicut est absolutus dominus divitiarum; ad hunc intellectum, quod sicut licet expendere divitias, etsi in magna quantitate, pro conservatione vitæ, & integritatis, & sanitatis corporis, in quo nulli facit injuriam secundum se, nec pervertit, immo servat rectum ordinem; ita liceat se infamare: exponendo enim divitias, fit sola privatio rerum externarum, in infamando vero non solum fit privatio famæ, sed appositio infamiæ, aliud enim est sustinere privationem famæ propter tormenta, aliud est apponere infamiam, quod facit infamans seipsum, & sic excusari non potest à pernicioso mendacio, cum sit mendacium læsivum proximi, sive totius Reipublicæ in magno bono; & sic facit manifestam injuriam toti, cujus est pars; atque ita nullus est ita dominus suæ famæ, quod possit seipsum infamare, apponendo sibi falsum testimonium.

Hæc suppositio est ita expressa Divo Augustino lib.1 de Civitate Dei, cap.20. ut mirer, si contrarium in mentem alicui venerit. Verba sancti Doctoris sunt: *Nec enim frustra in sanctis canonicisque libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendive mali causa nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: non occides; præsertim, quia non addidit proximum tuum, sicut cum falsum testimonium vetaret; falsum* (inquit) *testimonium non dices adversus proximum tuum. Nec ideo tamen si adversus seipsum quisquam falsum testimonium ab hoc crimine seperaverit alienum. Porro, si falsi testimonii non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quasi adversus proximum hoc faceret; cum in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur, possit quis non recte intelligentibus videri non esse prohibitum, ut adversus seipsum quis falsus testis existat, quanto magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere, cum in eo quod scriptum est, non occides, nihil deinde addito, nullus nec ipse utique cui præcipitur, intelligitur exceptus.*

Hoc Augustini illustre testimonium me victum & vinctum tenet: in eo enim Sancti Doctoris fundamenta firmissima ponit pro hac sententia. Primum, quia falsi testimonii reus non minus est, qui de seipso falsum fatetur, quam adversus proximum suum hoc faceret. atqui si adversus proximum testimonium dicit, contra charitatem & justitiam peccat, quia famæ proximi homo non est dominus. ergo etiam si contra seipsum. consequentia est evidens, quia Augustin. eodem modo comprehendit in præcepto octavo, *non falsum testimonium dicis*, sive sit adversus proximum, sive adversus seipsum; sicut intelligit præceptum quintum, quod quis nec seipsum, nec alterum potest occidere. secundum, quia in præcepto *non occides*, ipse, cui imponitur, respectu sui ipsius comprehenditur, quia nullus seipsum potest occidere: ergo in præcepto non falsum testimonium dices, etiam est prohibitum, ne adversus seipsum quisquam falsus testis assistat; ex quibus subsumit D. S. *nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendive mali causa nobismetipsis necem inferamus, vel adversus nos ipsos testes falsi simus ergo*, &c.

Rationem à priori hujus solidæ doctrinæ desumo ex Cajetano ubi supra, & ex Divo Thoma locis modo citandis. quia non minus tenetur quis ex charitate se diligere, quam proximum; & non minus ipse est pars Ecclesiæ & communitatis, quam proximus. unde sicut infamans proximum mortaliter peccat, ita & infamando seipsum; unde sicut malitia mortalis homicidii desumitur ex una capite, quia dum quis occidit seipsum, injuriam facit communitati, quia, ut ait Divus Thomas 2.2. quæst.64. art.5, *Quælibet pars id quod est, totius est, quilibet autem homo est pars communitatis, & ita id quod est, communitatis est. unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit, ut ait Arist. lib.5 Ethic. cap. ult.* Ita cum quis se infamat, injuriam infert communitati, cujus est fama civium, & semper ea indiget ad sui rectam gubernationem. divitiæ autem particularium non semper sunt necessariæ Reipublicæ, maxime quia transeunt de uno in alium, & sæpius adventitiæ & transitoriæ sunt. unde Proverb.22, vers.1. *melius nomen bonum, quam divitiæ multæ.* id est, juxta lectionem Hebræam Vatab. Pagnini, Chaldæi, Aquilæ & Theodot. *fama præferenda est cunctis opibus.* & sanctus Cyrillus lib. 11 in Ioan. *melior est existimatio nominis, quam divitiarum splendor.* & Isocrates ad Nicoclem lumine naturali ductus, hujus egregiam reddit rationem: *magis* (inquit) *expetendum duco, ut liberis tuis honestam famam, quam opes magnas relinquas: nam hæ mortales sunt, illa immortalis. pecuniæ acquiri possunt, fama pecuniis emi non potest. opes etiam improbis contingunt, gloriam vero parare non possunt, nisi virtute præstantissimi.* Vnde Ecclesiast. 41, vers. 15, dicitur: *curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* quod etiam lumine rationis Plautus agnovit in Mostell. *ego si mihi bonam famam servabo, sat ero dives.* & Rabbi Salomon in sententiis Patrum cap.4. *tres sunt coronæ, legis, imperii, & sacerdotii. Verum corona bonæ famæ illustrior longe*

longe & pretiosior his omnibus est. Hinc est quod Augustinus lib. de bono viduit. cap. 2. & habetur tom. 5 dicit: *Non sunt audiendi sive viri sancti, sive fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua per quam fit ut in malam veniant suspicionem, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes*. & infra: *Duo sunt conscientia & fama. conscientia est necessaria tibi, fama proximo tuo. qui confidens conscientiæ negligit famam suam, crudelis est*. Vnde Plutarchus in Alcibiad. egregie dixit: *Contemptio boni nominis vitium est, cum impudentia & insania quadam conjunctum*. & Poëta Ovidius:

Omnia si perdas famam servare memento,
Qua semel amissa postea nullus eris.

Et Horatius serm. lib. 1. sat. 2.

— Non illud quidq; id ubique
Officit, evitare? bonam deperdere famam.

Hinc est quod apud sacram Scripturam, Patres, Philosophos, Poëtas, & prudentes viros invenies scriptas has propositiones. Prima est: *Quod pro fama acquirenda, & bono nomine conservando & tuendo, omnes divitiæ & thesauri sunt contemnendi*. Secunda, *quod bona fama homines ad immortalitatem inducit*. quæ intelliguntur de bona fama actibus virtutis acquisita. Vnde Pelusiota lib. 3, epistola 142 egregie dixit: *Bona existimatione passim se diffundente, ac terram & mare perlustrante, melius ac præstantius nihil est*. hujus veræ doctrinæ rationem a priori nobis subministravit Divus Thomas quæstio 73 citat. art. 3. in corp. dicens: *Quod fama præeminet divitiis, eo quod propinquior est spiritualibus bonis*. horum autem non habemus absolutum dominium, & ita nec famæ bonæ, propter majorem istam propinquitatem: nam supremum infimi attingit infimum supremi; fama autem est supremum inter exteriora bona, ut omnes quotquot sunt fatentur, & ita attingit dignitatem infimi ordinis spiritualis.

Quare quod homo non sit dominus absolutus suæ famæ & honoris, ita ut possit seipsum infamare denigrando vitam suam, est fere omnium Antiquorum. Armilla verbo detractio. num. 4. Alexander de Ariostis. 2. p. summ. in octavo præcepto agens de mendacio peccati mortalis ibi, *Si ipsius infamiam mentitus est*. pro quo citat Richardum in 3. distinctio 38, art. 1, quæstio 3. Major in 4. distinctio 22, quæstio 5. Paludanus dist. 21, quæstio 2, art. 3, conclusio 4. Antoninus p. 2, tit. 2, cap. 3, §. 3. Panormit. cap. ex parte num. 2, de sepultur. Felinus cap. 1, de Test. cognit. Lupus tractat. de Regno Navarr. 3 p. §. 2. Socinus cap. ad audientiam de homicidio. Hinc est quod in jure honor & vita æquiparantur, leg. justa causa 9. D. de manumissis vindicta, ibi: *Iusta causa manumissionis est, si periculo vitæ infamiæve servus dominum liberaverit*. & leg. Sed iste quidem. 8. §. 2. D. quod metus causa. fama & vita similiter æquiparantur.

Ex quibus colligitur fundamentum profundissimi discriminis, quod posuit Dominus Cajetanus inter hoc, quod aliud est sustinere privationem famæ, aliud apponere infamiam; quod facit infamans seipsum; quia hoc est malum facere, quod est malum; illud vero consistit in mala pati, quod non est malum: sicut aliud est pati privationem honoris, aliud sibi contumeliam inferre; nullus enim sibi licite contumeliam falsam infert in honore, quamvis illam in aliquo casu ab alio illatam pati possit, ut ait Divus Thomas quæstio 72, art. 3. unde S. D. data opera quæst. 73, art. 4 ad 1, dixit: *Quod si detractiones contra aliquem factæ, ad notitiam ipsius aliorum relationibus perveniant; tunc sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum; non tamen est sui arbitrii ut patiatur detrimentum famæ alterius. & ideo in culpam ei vertitur, si non resistat cum possit resistere*. Vnde aliud est, quod homo sit dominus suæ famæ, quantum ad hoc quod est patienter sufferre ejus detrimentum illatum, propter aliquod motivum supernaturale, vel ad evitandum majus malum; & hoc verissimum est: quod multi sancti fecere, ut de sancto Petro Martyre ordinis Prædicatorum, qui sustulit infamiam falso crimine, quod fœminas in cella secum haberet; & sancta Marina, quæ inter Monachos degens ut vir, cum esset fœmina, passa est infamiam sibi impositam quod fœminam oppressisset, ut constat ex eorum vitis. aliud vero quod sibi per falsum testimonium irroget infamiam; hoc autem omnino falsum existimo, cum D. Aug. sicut est omnino falsum, quod quis in aliquo casu possit occidere seipsum: cujus ratio est manifesta, quam tradit Divus Thomas quæstio 73, art. 2, quia *Auferre alicui famam valde grave est. quia inter res temporales videtur esse fama pretiosior, per cujus defectum impeditur homo a multis bene agendis, si notabiliter fama lædatur; præcipue in his quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis*. Quæ ratio manifeste currit, etiam dum quis eisdem verbis falsi testimonii infamat seipsum ac proximum, cum verba ipsa ex genere suo habeant rationem peccati mortalis.

Vnde homo solum habet dominium suæ famæ, quoad exercitium, quia potest pati infamiam sibi illatam ex motivo honesto, maxime quando non redundat in detrimentum aliorum; non tamen habet dominium quoad specificationem, quod per mendacium se infamet. quia sic se infamando falso testimonio sibi imposito, contra rectam rationem sibi aufert rem pretiosiorem inter omnia bona externa, ut vidimus, aufertque sibi vitæ honestatem. quod ex genere suo magnum, & gravissimum est peccatum, non solum contra charitatem, qua tenetur se diligere virum honestum; sed etiam contra Ecclesiam, cujus est membrum, cui facit injuriam si falso se fateatur hæreticum, cum reipsa sit fidelis: & contra Rempublicam si se fateatur homicidam cum non sit. Sicut fur dum furatur non solum injuriam facit illi, à quo invito aufert rem suam, sed etiam Reipublicæ. Vnde quamvis Dominus remittat furtum, tamen Respublica punit furem, sicut & homicidam, quamvis pars remittat homicidium; unde si quis per contumeliam, quæ probari possit in judicio, alicujus famam læderet, aut per detractionem, non solum satisfacit restituendo injuriam parti, sed etiam debet habere remissum à Republica, quæ etiam passa est injuriam denigrando famam membri sui. Si tamen contumelia, aut detractio, non est deducta ad judicium Reipublicæ, satis fit restituendo famam læso, quia Respublica etsi reipsa sit offensa non tamen exigit satisfactionem, illius nisi in judicio in quo etiam fit satisfactio; quare si quis occulte & sine scientia juridica Reipublicæ, opes suas mittat in mare, quamvis Respublica habeat dominium altum in divitias civium, & contra hoc dominium peccet qui ita facit, ut omnibus debet esse in confesso, & indubitatum, tamen Respublica hoc non punit (cum possit justissime) cum ipsa invita auferatur id quod est suum ratione dominii alti, (quod est ita perfectum, ut ratione illius magis proprium sit aurum, argentum & omnes possessiones, quam ipsorum civium; quia ratio naturalis dictat, quod quidquid est partis, magis est totius quam partis) quia juridice id

 ignorat.

ignorat. quam profundissimam doctrinam noluit advertere eminentissimus Cardinalis de Lugo lux fulgentissima Ecclesiæ, de justitia & jure, disput. 14, sectio 10, à num. 153.

§. 2. *Vtilia ad praxim.*

EX quo colligitur, quod per se loquendo est peccatum se infamare, veniale vel mortale ratione materiæ levis vel gravis de qua infamatur; ut constat ex doctrina tradita, quia reipsa fecit damnum in honestate vitæ & Reipublicæ, quæ tota intendit habere in suis membris honestatem in modo vivendi, ad quæ tot media ponit per leges, per præmium virtutis & pœnam vitii, unde tota Respublica secundum se est honesta. quare si aliquod ipsius membrum denigratur per ablationem famæ, injuria fit honestati totius corporis mystici.

Dixi per se loquendo, quia aliquando per accidens, & ex motivo altiori quam sit fama, licitum est se infamare dicendo de se delicta; gravia, etsi occulta, ad se confundendum, & humiliandum. Sic sanctus Augustinus in libris confession. passim de se aperit peccata, ne tanti haberetur. & sanctus Anselmus deplorat suam amisisse virginitatem. & sanctus Hieronymus peccata sua manifestat mundo, & multi alii Sancti idem fecere. Vnde Gregorius de Valentia 22. disputatio 5, quæstio 17, punct. 2. quamvis conclusio 1, dixerit, *Quod infamare seipsum sit ex genere suo peccatum mortale, quod probat, tum quia bona fama est quoddam bonum maxime homini necessarium, tanquam stimulus ad honestatem vitæ, & exercitia virtutum; & sic qui seipsum infamat, per se & ex genere suo violat charitatem erga seipsum, & sic mortaliter peccat.* Cum qua doctrina qua ratione cohæreat id quod dixit quæstio 10, punct. 1. quod quis sit absolute Dominus suæ famæ, non ita facile quis inveniet, & ad me non interest invenire. dicit tamen quod *sancti, qui se infamarunt, non id fecerunt sine rationabili causa* (hoc est ex motivo superiori, quam sit bona fama) *quam præcipue intendebant. denique peccata propria literis prodere attenta ratione vitæ alicujus, & aliarum circumstantiarum non est se infamare, sed humilitatis præclaro argumento famam potius propagare, & commendare posteris, sicut & confessiones Divi Augustini magnum illi sanctitatis nomen pepererunt.* Nullus tamen Patrum seipsum infamavit, dicens contra se falsum testimonium, ut male audiret & sic humiliaretur apud homines. quamvis enim finis esset bonus, medium tamen est intrinsece malum, mortiferum mendacium; quomodo & optime intelligit Cardinalis de Lugo num. 160. Locum Augustin. supra adductum ex libro primo de civitate Dei, cap. 20.

Colligitur II. nulla lege humana sanciri & stabiliri posse, quod Religiosi obligentur ad manifestandos defectus culpæ gravis superiori, etiam ut Patri, extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Sotus lib. 4 de justitia & jure, quæstio 6, artic. 2. versiculo præter damna. dicens: *Contrarium nulla probabilitate sustineri posse.* Salaz de legibus, disput. 15, sectio 2, num. 39. Rodriguez tom. 2, quæstio 18, artic. 3. Bañez 22. quæstio 11, artic. 4, dub. 2, §. Respondetur: *Ad hoc argumentum.* Basilius Legionens lib 5 de matrim. cap. 34, num. 10. nemo enim tenetur extra Sacramentum detegere turpitudinem suam leg. 2. §. Divus. D. de jure fisci, cap. si peccaverit 2, quæstio 1. est enim contra jus naturæ quod quis obligetur ut reum se prodat, & infamet. Vnde Sa. emendatus, verbo præceptum, num. 2, dicit: *Præcipi non potest ut subditus sibi membrum abscindi patiatur ob sanitatem, nec ut revelet peccatum suum omnino occultum.* Si tamen quis faceret votum de manifestandis culpis gravibus superiori extra confessionem, validum & laudabile esset votum, & signum progressus in vita spirituali, quidquid dicat Ioannes Sanchez ubi supra num. 26, §. est itaque; qui male dicit hoc esse turpe votum, & impeditivum majoris boni; quamvis enim sit arduum, non tamen de materia impossibili aut minus bona, imo maxime perfecta, sicut votum castitatis quis dubitat quod sit arduum? & tamen est honestissimum. an vero posset quis renunciare Asiæ juri & subdere se legi, quæ ordinat ut sua crimina pandat superiori, ut Patri extra confessionem, non est hujus loci.

Colligitur III. quod quando ex mei infamatione sequitur aliquod magnum commodum Reipublicæ aut communitati Religiosæ, aut impeditur aliquod damnum futurum, ut quod fiat aliquod matrimonium inter consanguineos in gradibus prohibitis, licite propalo turpitudinem meam, ex qua sequitur mea infamia; ita Valentia ubi supra versic. jam sit secunda, conclus. hoc enim manifestum est ex cap. Præterea. 13 de sponsalibus, ubi quis turpitudinem suam propalat, ut impediatur matrimonium: deinde quia ex hoc non intendit quis suam infamiam, sed commodum Reipublicæ, & evitare damnum quod præponderat magis quam sua infamia. Sed nunquid tenebitur quis ad hoc? affirmat idem Valentia & Sanchez lib. 3, disputatio 13, num. 2. negat Basilius ubi supra, asserens quod siquis Clericus habuerit filium ex una, & filiam ex alia, ipsis nescientibus, si velint ambo contrahere matrimonium, non tenetur Clericus obedire denuntiationibus declarando impedimentum. at mihi verior videtur opinio Sanchez, quia juxta communem interpretum juris Canonici intelligentiam id declaratum est ex facto cap. Præterea, citato. etenim non revelando sequitur majus damnum Reipublicæ, quam ex infamatione propria. neque illatio ista est, contra doctrinam pro tuendo Cajetano traditam, quia membrum alicujus totius tenetur operari contra propriam inclinationem, ad vitandum majus malum totius.

Colligitur IV. quod licet Respublica habeat Dominium altum in famam membrorum, sicut habet in divitias; tamen si sine necessitate boni communis aliquem infamaret injuste, teneretur restituere illi famam; sicut si sine necessitate boni publici auferret divitias, teneretur ad restitutionem, quia Respublica non potest exercere vires Dominii alti, nisi in ordine ad bonum commune, ut bonum publicum defendat & conservet, ut est indubitatum.

Colligitur V. quod multis in casibus licitum est propalare crimen quod verè quis commisit; non tamen est probatum in judicio juridice 1. ut defendatur innocens, qui secundum allegata est probatus nocens, cum ego commiserim crimen. si tamen ego fui causa per falsum testimonium, quod ille condemnaretur, teneor sub mortali declarare me fuisse criminis Auctorem; nisi crimen sit infamatorium sanguinis, & familiæ quæ maneret infamis, & exclusa à dignitatibus & officiis publicis. in tali casu non possum manifestare crimen quod commisi, quamvis innocens, probatus nocens moriatur. ratio est quia mea familia est puritate sanguinis gaudens, & habet jus ad omnes præeminentias Regni, & hujus puritatis habeat immemorialem possessionem; unde habet jus ne manifestetur crimen occultum conspurcans suam puritatem, quamvis per accidens sequatur innocentis mors infamis; nisi hic etiam habeat familiam honorificam, quæ etiam conspurcabitur

bitur, quia in æquali damno innocens, & ejus familia, habet fortius jus. 2. ut quis amicum, aut consanguineum in primo & secundo gradu, à morte liberet potest crimen occultum suum propalare. 3. si fiat inquisitio de occisore potest quis se offerre judici, confitendo homicidium, ut pœnas crimini debitas luat, & aliis similibus de quibus passim Doctores.

Colligitur 6. quod si quis mortaliter peccavit infamando se, vel quia fama sua erat necessaria aliis, vel infamia in alios redundavit, vel quia existimationem suam apud alios existentem notabiliter denigravit, peccatum hoc non solum est contra charitatem, sed etiam contra justitiam; unde tenetur ad restitutionem. hoc corollarium quoad duas partes communiter recipitur ab omnibus. Ita Sayrus in clavi Regia lib.11, c.3, n.35. Lessius lib.2, c.11, n.31 & 33. Suarez de fide, disp.24. sect.4. Covarr. l.1 variarum, c.2, n.8. Ravellus de obligatione just. lib.8. quæst.5 & 6. Azor. p.3. lib.13. c.6. Sotus lib.5 de just. Cardinalis de Lugo ubi supra, num. 161, ubi satis bene sic loquitur: *De Prælato qui tenetur impedire suam infamiam, quoniam hæc redundat in damnum subditorum, solum videtur manere difficultas pro casu quo non posset renuntiare, nec aliunde supplere defectum idoneitatis provenientem ex infamia. quo casu locum haberet sententia Soti, & peccaret contra justitiam, cum redderet se impotentem ad dignam sui muneris administrationem quam subditis debet. quando vero renuntiare potest, vel aliter suo muneri satisfacere non peccabit contra justitiam, cum muneris retentionem ex justitia non debet.* hactenus Cardin. ex quibus clarescit pars tertia Corollarii, quam tenet D. Cajet. quia fama, juxta Canonistas, est *illæsæ dignitatis status, vita & moribus comprobatus.* Vel melius juxta Theologos, *communis & clara opinio & æstimatio bonæ & inculpatæ vitæ, voce manifestata, quam de aliquo habent homines.* Ita Sotus lib.5 cit. q.9. art.1. Salon. 22. q. 62. art. 2. post cont. 12. & admittuntur hæ definitiones ab omnibus. Vnde egregie Arag. 22. q. 62. de Dom. pag. mihi 142. §. ad primam difficultatem, *fama non est in illo qui famosus est, sicut nec honor est in honorato, sed in honorante: & sic fama est in illo qui habet bonum existimationem de aliquo, ob merita & egregia facinora.* Ad quam bonam existimationem, conceptam de aliquo, debet jus strictum, fundatum in ipsa rerum natura, quod bona existimatio debetur egregie & virtuose operanti, ut ipsum lumen naturæ dictat; & ita ille qui peccando defectus morales sibi falso imponit, vel manifestat quando non debet manifestare, peccando mortaliter in ipsa manifestatione peccat contra justitiam, cum se reddat incapacem, ut de ipso cæteri bonam conservent existimationem; ad quam habendam jus habent, non secus ac subditi habent jus ut recte gubernentur. contra quod peccat Prælatus qui se infamat, injustitia tamen ista & injuria non fit tantum respectu infamati, sed respectu aliorum, qui jus habent ad habendam & conservandam bonam existimationem semel conceptam. & in hoc fundatur Dominus Cajetanus dum dicit, quod quis non est absolute dominus suæ famæ, sicut est absolute dominus divitiarum; nullus enim habet jus speciale, ut ego conservem divitias, sicut habet jus, ut conservem fundamentum bonæ existimationis quam semel de me concepit; quare non possum me infamare, auferendo fundamentum semel positum bonæ existimationis de me conceptæ.

Totum hoc confirmatur satis efficaciter, quia ex communi & certa sententia contra Petrum de Navarra Toletanum lib. 2 de institutione, cap. 4. num. 121. si quis fateatur de se crimen, infamiam generans respectu sanguinis & puritatis familiæ, sive crimen hoc sit verum, occultum tamen, sive sit falsum, peccat contra justitiam, quia successoris familiæ læditur bona æstimatio, ad quam illæsam conservandam, non habent minus jus quam Progenitor, qui se infamat manifestando crimen. quod ex eo fit evidens, quia si homo est absolutus dominus famæ sicut est divitiarum, ergo sicut istas expendendo non peccat contra justitiam in filios, attento juræ naturæ, ut est communis sententia quam tuetur Fagundez lib. 8 in decalog. cap. 8. nu. 7. etiam non peccabit contra justitiam filiorum si seipsum crimine infami deturpet, ex quo consequenter deturpatur puritas sanguinis. quare egregie intulit Toletanus, quod semel dato quod quis sit dominus famæ sicut est divitiarum, non peccat mortaliter contra justitiam qui se infamat. ideo ergo peccat contra justitiam quia non est absolutus dominus suæ famæ, cum Respublica habeat jus speciale conservandi bonam existimationem quam semel concipit de aliquo, qui contra jus istud speciale facit, qui manifestando crimen occultum, aut imponendo falsum, tollit fundamentum hujus existimationis ad quam illæsam conservandam est jus speciale Reipubl. quod læditur; cujus non est dominus infamans seipsum, quamvis sit dominus operarum & facinorum suorum, quibus bona illa existimatio congenita est, quæ jam à suo Dominio non pendet.

Ex quo fit quod si quis sit convictus de hæresi, aut crimine læsæ Majestatis humanæ, propter quod est morti tradendus, sive sit familiæ & sanguinis suspectæ quia de origine nationis Hebrææ; sive sit alias bene opinatæ & puritate primogenitorum perspicuæ, confitendo crimen non se infamat notabiliter: non enim facit contra jus Reipubl. quia eo ipso quod fuit convictus de crimine, ablatum est fundamentum bonæ existimationis, cum jam apud Rempublicam est criminosus, cum solum attendat ad merita processus secundum quæ criminosus est. quod etiam tenet verum, etiamsi crimen sit illi falso impositum. unde confitendo crimen non se infamat, sed mentitur & est perjurus, si cum juramento confessio erigatur; nec concurrit ad suam mortem, qua plectendus est sive confiteatur, sive non, & est puniendus ut negativus & convictus de crimine læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ.

Colligitur 7. an possit quis renuntiari juri naturali de conservanda bona fama & nomine apud alios, ita ut quilibet, qui sciat aliquod peccatum grave occultum, possit illud cuilibet propalare, si non ut judici, saltem ut Patri; & quidem mihi videtur indubitatum neminem posse cedere juri naturali, quod habet ad conservandam famam suam, ita ut quilibet de Republica possit illius crimen cui voluerit impune dicere & manifestare; & in hoc non potest esse difficultas: esset enim nimia dissipatio rei pretiosioris, tum etiam quia non est dominus absolutus suæ famæ, sed vel custos, vel administrator. & tandem quia juri naturali, quo quis gaudet ut bonam sui existimationem custodiat & conservet, non potest quis proprie renuntiare, cum sit propriæ naturæ rationali concessum ad conservandam honestatem vitæ socialis. Iura autem concessa principaliter toti naturæ ita universaliter nequit aliquis particularis proprie renuntiare, argumento ex capite si diligenti. de foro competenti; imo nullus potest acceptare hanc renuntiationem ita ut liber sit ab obligatione præcepti naturalis, quo tenemur fratrem emendare cum minori famæ detrimento quo possimus. quare illius juris (quod ego habeo ad hoc) non possunt universaliter facere renunciationem, esset enim famæ & existimationis perniciosa diffusio & dilapidatio, ut egregie Pater Suarez infra citandus c 9. n.6. asserentis:

tis: *quod absoluta renuntiatio juris famæ sine fine melioris correctionis esset prodiga, & contra propriam charitatem.*

Si tamen specialius loquamur de aliqua communitate, in qua est constitutio approbata à sede Apostolica, quod quis renuntiet juri quod habet in illa communitate, ut bona existimatio ipsius & fama conservetur; ita ut quilibet (non facta correctione fraterna prius, juxta ordinem à Christo institutum) deferat defectus graves superiori tanquam Patri, ut ipsos secreto emendet, corrigat, arguat, quantum conveniens fuerit profectui subditi, & ad ipsius emendationem, & boni communis illius communitatis augmentum & conservationem. An inquam ob hæc motiva, juri de conservanda fama possit aliquis renuntiare, ita ut quilibet de tali communitate possit crimen omnino occultum deferre superiori; non disputo modo, solum dico quod in eo sensu in quo approbata est à sede Apostolica, in eo eam veneror, & suscipio, & laudo; quis autem fuerit sensus in quo est approbata à sancta Sede, alibi dico latius.

Modo tamen duo in hoc puncto valde notanda sunt contra Fagundez, num. 19, ubi asserit, quod *superior qui ex delatione secreta agnovit subditi delictum tanquam Pater, potest secreto monere, arguere, reprehendere, terrere minis, vigilare circa illum, mutare loco, & licentias negare, non admittere secreto ad aliquod officium, ab eodem illum amovere, si quod habet, quæsito aliunde colore.* Hæc doctrina valde temperanda est. Quamvis enim semel quod quis consensit ex vi constitutionum sui ordinis, quod non præmissa correctione fraterna ejus delictum deferatur superiori tanquam Patri, iste potest delinquentem secreto monere, reprehendere, vigilare circa illum continuas licentias domo exeundi denegare, & similia, quæ non ita in publicum exeunt; tamen illum ab officio amovere quod jam possidet, illum extra Religionem ejicere nimis durum & exasperans remedium judico. nam ex secreta omnino revelatione devenitur ad publicam revelationem delicti, saltem indirecte, respectu cujus nullatenus jus conservandi publice famam non renunciavit; quod vero sit publica revelatio, constat quia alias, cum subditus iste sit bonæ famæ publicæ in sua Religione & apud seculares, eo ipso quod auferatur ab eo officium publicum, omnes alii judicabunt hoc factum propter aliquod grave delictum à se commissum, quia hoc est juxta suam gubernandi formam, quam bene norunt; & sic ex tali amotione delictum grave saltem in genere publicatur. Non descendo ad particularia incommoda quæ ex hac doctrina sequuntur, ne aliquis existimet me alio fine, quam proponendæ veritatis, ea typis dare: protestor enim me nunquam aliquid scripsisse intentione detrahendi de aliqua communitate approbata à Sede Apostolica, de qua semper publico sanctitudinem in modo vivendi, & quantum juvaminis sit, assumpta in partem solicitudinis Episcoporum & Ecclesiæ, nunquam ejus sanctum institutum momordi, aut mordere curavi; etsi aliquantula acrimonia in aliquos alumnos insurrexi (Deus scit) quod non animo malevolo, nec censurandi eorum opiniones, sed aliquas eorum opiniones impugnando, quia ita mihi visum est ad veritatem doctrinæ, qua semper debet Ecclesia ornari, non novitatibus adinventis, quæ semper & jure optimo animum provocant, & ob ipsas viri prudentes stomachantur. quod si aliqua exempla adduxi aliquorum qui minus decenter vixere, hoc testor Deum, quod non fuit animo Religionem vel in minimo injuriandi, sed in exemplum doctrinæ quam tradebam: nec enim fit injuria Collegio Apostolico, quod referatur in eo fuisse Iudam traditorem; nec sanctissimæ Religioni Augustinianæ, quod ejus alumnus fuerit Lutherus.

Secundum quod valde est notandum, male in confirmationem suæ doctrinæ adducere Fagundez id quod dicit Iulius II, in confirmatione statutorum Franciscanæ familiæ, *damnandum esse dogma nonnullorum imperfectorum Religiosorum, criminis socium non teneri denunciare suum socium superiori tanquam Patri.* & in constitutionibus generalibus Farinarii Ordinis Min. cap. 7. refertur, statum factum à Sancto Bonaventura in quodam capitulo generali his verbis: *Nullus frater dogmatizet vel teneat, quod cum aliqui sunt socii in crimine, non teneatur alter alterum revelare ei qui potest & debet prodesse, & animarum periculis præcavere.* Hæc enim omnia, nisi aliud exprimatur, intelligentur præmissa correctione fraterna, quod fieri debet si est spes lucrandi fratrem, priusquam deveniatur ad delationem criminis, si quid videt prodesse juxta præceptum Christi Domini. Vnde Divus Thomas 22. quæst. 33. artic. 7. ad 3. cum tractaret hanc eandem difficultatem, quod si Prælatus præcipiat vel communiter omnibus, vel alicui specialiter, ut si quid est corrigendum, ei dicatur. Respondet quod, *Prælato non est obediendum contra præceptum Domini, secundum illud Actor. 5. obedire oportet Deo magis quam hominibus. & ideo quando Prælatus præcipit, ut sibi dicat quod quis se sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum sane, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter; sed si Prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens. Vnde non esset ei obediendum*, &c. à sic etiam statuerunt Monasticæ vitæ Orientis & Occidentis duo fundatores, Basilius in epistol. ad Canonicam, & in Regulis moralibus regula 52. cap. 2. & 4. & infusius disputatis, regula 46. Benedictus cap. 23. sanctæ Regulæ. Augustinus etiam in sua regula idem statuit. Vnde in Concilio Aquisgran. 1, cap. 135. de subdito delinquente dicitur: *Hic primum, secundum Domini præceptum non solum semel, sed secundo, ac tertio, quin imo crebrius admoneatur.* Vnde eos omnes Auctores quos adducit P. Suarez loco infra citando, cap. 6. intelligendi sunt vel de aliquo casu qui cedit in damnum tertii, vel communitatis, vel in quo non est certa spes quod monitione fratris sit corrigendus. nam ferre de hoc præceptum aut legem, aut statutum nisi supposita renunciatione juri famæ, non licet; nec est, nec fuit in Ecclesia aliqua Religio quæ tale statutum habeat, quod crimen occultum grave deferatur superiori, ut Patri, sine præmissa correctione fraterna, ut jam dico.

Video sapientissimos Professores sancti instituti ad hæc omnia respondere, suæ regulæ & præcepto naturali & Christi Domini diversam esse materiam; nam regula præcedit supposita renuntiatione juri famæ, quam quilibet facere potest, tum quia Dominus illius, tum quia unusquisque potest renuntiare proprio favori, cap. si de terra in fine. de privilegiis. Hanc autem renuntiationem faciunt omnes antequam professionem post novitiatum emittant. Ast materia utriusque præcepti, naturalis & Christi, est de non manifestando crimine illius qui juri famæ expresse non renunciaverit. Ita sapientissimus Pater Suarez, tom. 4. de Religione, lib. 10. de regimine, cap. 7, num. 18. Admitto doctrinam renunciationis, cum ergo in ea Religione omissio correctionis fraternæ & Euangelicæ monitionis fundetur, ut in angulari lapide in renuntiatione juris famæ, sine ista expressa renuntiatione, non erit licita in aliqua alia

alia Religione criminis occulti, manifestatio facta superiori etiam ut Patri, si alias est spes moraliter certa, quod frater emendabitur observato ordine admonitionis, qui fuit explicatio facta à Christo præcepti naturalis de conservanda fama proximi: an vero quis absolute possit mutare materiam præcepti naturalis, & illius explicationis factæ à Christo, renuntiando absolute juri suo de fama tuenda, sine melioris correctionis? alicui posset videri quod non; quia melior correctionis modus esse nequit, quam ille quem posuit Christus Dominus & proposuit suis Apostolis, qui vitam Apostolicam & religiosam rectissime gubernatam introducturi erant in Ecclesiam. quare nullus modus potest esse convenientior illo quem Christus Dominus præcipit observari, nec homines possunt materiam illius immutare apponendo contrariam, etiam renunciando absolute juri suo de fama tuenda, quod in favorem totius naturæ, & totius Ecclesiæ concessum est. & sic Divus Thomas quodlib. 1. art. 16. agens de Religiosis expresse fatetur, quod ordo à Christo præceptus in corrigendo debet observari in Religionibus, dicens, *quod multo magis peccaret Prælatus si subditum induceret ad pervertendum ordinem Euangelii.* Si ergo Religio sua lege inducit eos qui in ea volunt professionem emittere, ut juri famæ renuntient, ut sic possint deferri ejus crimina gravia superiori, ut Patri, lex ista videtur ordinem Euangelii pervertere; siquidem per illam omittitur correctionis fraternæ ordo, præceptus à Christo, qui illo præceptum naturale explicuit. Cæterum quamvis hoc non sit parvi momenti; statutum societatis cum sit approbatum à Sede Apostolica veneror, & captivum facio intellectum in obsequium Sedis Apostolicæ.

Plura alia omitto corollaria ne metas hujus disputationis nimis transgrediar.

§. 3. *Nullus potest sine lethali culpa, ad fugienda etiam crudelissima tormenta, sibi falsum testimonium affigere, si mors inde est secutura.*

HÆc assertio mihi, opposita, probabilior & certior est, quidquid scriptores hujus ævi contrarium sentiant; quam tenent Dominus Cajetanus 22. quæst. 73. artic. 3. & in Summa, verbo detractio. sequuntur ex antiquis Armilla & Sylvester verbo detractio. num. 4. D. Antoninus 3. p. tit. 8. cap. 4. §. 1. versi. primo modo. Covarruv. lib. 1. varia. cap. 2, num. 8. versi. secundum etiam solvitur. Molina. tom. 5. de justitia. tract. 4. disput. 37. conclus. 15, num. 18. Valentia 22. disputat. 5. q. 17. punct. 2. Eminentissimus Cardinalis de Lugo de justitia, disputat. 14. sectio. 10, num. 174. & 175. Aragon. 22. quæst. 62. de Dominio. pag. mihi 144. versi. dico. 3. pro qua citat Abbatem, Felinum, & Palacios. Rubeum sequitur Samuël Lumblimus in Summa, verbo fama, num. 23. pro qua citat Conradum l. 2. quæst. 80. Sylvius 22. quæst. 66. artic. 1. quæst. 7. conclus. 7. §. falsum autem crimen. Vbi de contraria sententia dicit: *nobis tamen hæc sententia non videtur usquequaque tuta.* Intellige in ptaxi quod antea dixerat, quod erat probabilis. Navarrus in Manuali cap. 28, num. 29. & quidem hoc ad minus sensisse Aug. lib. 1 de civit. cap. 20 manifeste constat ex ipsius verbis, quæ §. 2. dedi; & ipsum interpretatur & sequitur doctissimus Leonardus Coqueus in Commentar. illius, cap. num. 3. & eruditus vir Pater Theophilus Raynaudus lib. contra ictum calumniæ, sectio. 3. cap. 1. q. 2. Hujus sententiæ fundamina nobis breviter subministravit Dominus Cajetanus, & Illustrissimus Covarruvias.

Primum sumitur; quia tale mendacium & falsum testimonium non est officiosum, sed valde perniciosum non secus ac si illud de proximo diceremus, & ita peccatum mortiferum; antecedens probatur satis docte à Patre Molina, & defenditur ab Eminentissimo Lugo. *quamvis enim homo* (ait Molina) *non teneatur cum tanto cruciatu, quantus est qui vi tormentorum infertur, conservare propriam vitam adhibendo remedia, quæ tantos cruciatus afferant & efficiant quantos tormenta efficiunt, possitque homo licite potius mortem permittere quam talia adhibere remedia; Nihilominus aliud est non conservare vitam eis remediis, illaque non adhibere quibus conservetur; aliud longe diversum est præbere causam objectivam meritoriam mortis, illam confingendo cum non sit, unde potestas publica juste (juxta eam confessionem falso sibi exhibitam) moveatur mortis pœnam imponendam executionique mandandam. quod est non conservare præcise vitam, sed est causam destructionis illius vere apponere. Hoc autem nec ad fugienda tormenta potest esse licitum, neque ex tormentorum fuga cohonestatur, non solum quatenus mendacium est, quod est intrinsece malum, nullaque ex causa honestari potest; sed etiam quatenus est oppositio directa causæ objectivæ meritoriæ mortis, (quæ cum sit pœna ordinaria delicti, non potest non Iudex illam ponere,) cooperatioque causæ mortalis per se influentis ad propriam mortem injuste (materialiter loquendo) illatam, cum sit mors innocentis qui se ipsum nocentem fecit. Hinc sapienter Hieronym. epistola 49 ad Innocentium, de illo juvene qui coactus vi tormentorum sibi falsum adulterium impegit, dicit: Infelicissimus juvenis, volens compendio mortis longos cruciatus vitare, in suum mentitus est sanguinem, & cur infelicissimus? nisi quia mentitus in suum sanguinem, & mortem suam proprio influxu acquisivit, & sic infelicissime peccavit in seipsum.*

Vnde est valde diversa ratio de illo, qui vi tormentorum pulsus, coactus est confiteri verum crimen propter quod capite est plectendus. in quo discrimine reddendo multa consumit Cardinalis de Lugo, & tandem venit ad probandam doctrinam Molinæ, quia iste, qui confitetur crimen verum, non concurrit proponendo medium illicitum suæ mortis, sicut proponit qui falsum testimonium: uterque enim concurrit ad mortem influxu morali, sed qui verum fatetur crimen influxu licito, quia mors illi juste tam formaliter quam materialiter infertur à potestate publica. at vero qui falsum crimen sibi impingit, potestas publica illum formaliter morte plectit juste, at materialiter omnino injuste, quia est mors innocentis, cujus adæquata causa moralis illius damni est qui sibi falsum testimonium imponit. Qui enim est causa per se alicujus damni, quamvis materialiter inferatur ab aliquo, qui in illo exequendo non peccat; tamen peccat ille qui prævidet damnum materialiter inferendum ab aliquo, & est causa moralis quod iste talis damnum materialiter inferat. quod est apud omnes certum.

Sed rem explico duobus exemplis cum sint innumera. siquis sollicitet quod aliquis occidat alium, quamvis iste materialiter occidat, & sine peccato, quia non habet libertatem; tamen solicitans peccat mortaliter, & tenetur ad omnia damna. similiter si quis hostiam non consecratam proponat publice, adorandam à populo qui consecratam judicat, & ut talem illam Latria adorat, populus non peccat idololatrando materialiter, imo meretur apud Deum, & tamen sacerdos lethali eoque gravissimo peccato

maculatur, quia est causa moralis proponens objectum, ut dignum Latria cum non sit. ita qui sibi falsum imponit testimonium proponit objectum, ut dignum pœna mortis falsum, circa quod cum merito exercetur justitia judicis, confessio falsi criminis est adæquata causa ignorantiæ judicis, ut ferat sententiam in illum qui re ipsa est innocens & seipsum nocentem facit. Quod secus est de illo qui interrogatus à judice, interrogante contra juris formam & dispositionem, fatetur verum crimen propter quod punitur morte illata. iste enim non concurrit ad sui occisionem per medium illicitum ex parte sua: medium enim illicitum ponit Iudex, scilicet vel excessum tormentorum, vel interrogationem non juridicam, in quo mortaliter peccat; tamen reus verum crimen dignum morte fatetur, & sic ipse ad sui occisionem illicite non concurrit, sed licite propalando verum crimen.

Ad hoc argumentum, quod revera, ni fallor, rem evincit, Auctores contrarii respondent, quod iste qui timore tormentorum sibi falsum crimen imponit, non intendit sui occisionem, sed solum fugere immanes cruciatus; mors autem non est ab ipso intenta, sed secuta, sicut dum quis invaditur ab inimico, ut seipsum defendat si occidat non peccat, quia occisio invasoris non est intenta, sed solum propria defensio, mors autem sequitur, quia aliter defensio propria non subsisteret. Sed contra manifeste objicio: Licet, quando cum periculo mortis non est ipsa mors secutura certo & necessario, posset quis intendere periculum & causam non intendendo effectum, & sic cum subest rationabile motivum, licite qui amat periculum & causam non sit causa moraliter influens in mortem, ut multis exemplis constat. quorum plura inducit doctissimus Covarruvias, ubi supra, num. 9. per varia & satis erudita corollaria: potest enim quis inservire peste infectis, quamvis sit periculum infectionis mortiferæ. potest etiam se injicere in medium ignem, ut patrem, amicum, & infantem eruat. potest se exponere mortis periculo, ut moribundum audeat in confessione; quia omnia ista non sunt causæ infallibiles mortis inferendæ. at confessio falsi criminis est causa infalsibiliter connexa cum morte, quæ est pœna taxata à lege. ergo qui sibi falso imponit crimen, est causa per se moralis illicita suæ mortis; homo autem ex vi præcepti, Non occides, non solum tenetur sibi non auferre immediate physice vitam, sed neque moraliter dando causam determinatam, ex qua infallibiliter sequatur mors injuste illata; alioquin sine authoritate disponeret de re non sua, qualis est vita, cujus in omnium Catholicorum doctrina non sumus domini, sed custodes, & sic quamvis possimus pati mortem ab aliquo illatum, non tamen possumus in illam active moraliter influere, ut causæ per se. quam doctrinam contrarii non adverterunt. quando autem quis se defendendo occidit invasorem, defensio non est per se connexa cum morte occisoris, sed per accidens; ast confessio falsi criminis est per se & determinate connexa cum morte inferenda per judicem.

Secundum fundamentum sit, quod posuit Covarruvias lib. 1 variarum, cap. 2, num. 8. in fine, cujus valentissima verba me non pigebit transcribere. Loquitur enim, ut doctissimus Theologus, sic: *Ipse discrimen constituo inter actus directe, & immediate ex propria natura tendentes ad mortem & actus indirecte, mediate, & ex accidenti ad mortem opertunos & proximos. primi quidem actus sunt se ipsum gladio, vel haustu veneni, vel inedia, aut fame occidere. & hi meo judicio nulla ex causa liciti possunt esse, imo semper illiciti & reprobi sunt censendi, utpote mortale crimen inducentes ex cap. si non licet. 23. quæst. 5. Divus Augustinus lib. 1 de civit. cap. 20 & 21. Sanctus Thomas 22. quæst. 64. artic. 5. (imo & Arist. lib. 3 ethic. ad Nicom. cap. 6. non modo non fortes, sed & ignavos, & abjecti animi habendos pronuntiavit eos qui mortem sibi consciscere potius quam acerbum malum, aut grave aliquid perpeti malint, quod & Hercules apud Euripidem in Hercule furioso constanti tandem animo asseverat:) cum enim actus hi in malum directe tendant ex propria eorum natura, nec ullum possint habere finem utilem aut bonum licitum, sequitur eos nullo casu posse reddi licitos sicut Divus Thomas & alii frequentissime probant. alii vero actus, cum immediate non vergant in crimen & delictum in sua propria natura, possunt sane ex aliquo bono fine, aut ex aliqua causa esse liciti; sicut non fugere à loco ubi mortis periculum imminet, aut pergere eo quo mortis corporalis periculum adest, & quidem maximis conjecturis verosimile. Nam cum hi actus directe ex sua vi & natura immediate ad mortem & sui ipsius occisionem propriam non ordinentur, sed ex accidenti adjuncta aliorum opera, peccato, vitio, aut malitia, possunt aliqua ex causa ab agendi exerceri liciteque fure.* Hujusque solide & vere Illustrissimus Præses supremi Consilii Castellæ.

Ex qua doctrina, quæ certissima est, quamque rursus exemplis manifestis ex communi sententia confirmabo, ego deduco. atqui confessio criminis falsi, cui ex lege imposita est pœna capitalis, pertinet ad primum ordinem actuum, qui directe, immediate & ex natura sua ordinantur ad mortem Innocentis. ergo nullatenus etiam pro vitandis crudelissimis tormentis licite exerceri quit: quando enim actus ex natura sua & ab intrinseco malitiam intrinsecam imbibit, nulla causa quantumvis honesta illam malitiam extrahere valet, ut in mendacio, & fidei abnegatione, odio Dei, & aliis constat. & talis est actus qui immediate & directe mortem respicit Innocentis, cujus vitæ solus Deus est Dominus; quod vero confessio falsi criminis, cujus pœna ordinaria est mors, immediate & directe mortem respiciat evidens est, quia respicit pœnam ordinariam taxatam à lege, pro qua exequenda quæstionatur reus, ut satisfiat Reipublicæ & crimina emendentur; atqui pœna ordinaria est mors, & ita talis confessio immediate & directe ex natura sua mortem respicit. quod enim homo non intendat nisi fugere tormentorum violentiam & efficaciam, non aufertur à confessione criminis falsi quin immediate respiciat mortem innocenti inferendam. intentio enim bona non immutat malitiam imbibitam ab intrinseco ipsi actui.

Rem explico manifestis exemplis. si quis ex pio motivo imitationis Christi, sine ipsius peculiari inspiratione, velit per quadraginta dies nullo cibo aut potu uti, si inedia moriatur, dubio procul seipsum occidit; nec malitiam actus evacuat bona intentio piumque motivum. Deinde siquis juste damnatus ut fame pereat, mortaliter peccat, si oblatos sibi cibos non vult sumere, quia, ut ait Divus Thomas 22. quæst. 69. artic. 4. *non sumere esset seipsum occidere:* & Dominus Cajetanus ibi. §. ad octavum, *quod non sumere & uti alimento habito est occidere seipsum, non minus quam se ipsum gladio transverberare. unde tenetur comedere, ut jus naturæ servet*; quod etiam tenent Aragonius ibidem. pag. 514. vers. *mihi ex his.* Cardinalis de Lugo disput. 10. sect. 1, num. 27, ubi id optime probat, quia homo non solum dicitur se interimere quando ferro se occidit, sed etiam quando mediis communibus vitam non conservat. ut,

ut, si quis obstinate non vult comedere, ex quo moritur, dubio procul seipsum occidit; neque hoc excusat, quod faciat ex motivo se conformandi justæ sententiæ: nam, si quis condemnaretur ad sumendum venenum, ut se isti sententiæ conformaret, posset illud bibere, ut apud Athenienses fuit in usu dare in supplicium veneni potum, quo occisus fuit Socrates. similiter, si quis damnatus esset juste ad præcipitium, posset ex Imperio judicis seipsum in præcipitium dare, ut se conformaret justæ sententiæ; &, siquis juste damnatus esset ad ignem, posset se igni committere, ut sententia justa in ipso exequeretur. quæ omnia sunt contra communem & receptam sententiam. quamvis enim quis posset esse instrumentum Dei volentis ipsum (ut est Auctor & Dominus vitæ humanæ) interficere; at nequit esse instrumentum judicis ipsum damnantis ad mortem, nec Iudex potest hæc præcipere, quia esse sui occisorem nullus nisi solus Deus potest præcipere. ergo nec potest quis ex motivo fugiendi tormenta, quantumcumque crudelia & ferocia, sibi falsum testimonium imponere, ex quo, ex natura rei & justæ sententiæ, sequitur mors, ut pœna ordinaria per se statuta à lege.

III. Fundamentum est Domini Cajetani, quod optime premit Pater Molina ubi supra conclus. 16, num. 19. quia hac fraude & mendacio deludit publicas potestates & judicia in maximum damnum Reipublicæ, dum illis subjicit seipsum tanquam nocentem, cum sit innocens. unde mendacium est maxime perniciosum; tum respectu Reipublicæ, (cum pervertat ordinem & rectitudinem judicii, quæ maximum bonum est Reipublicæ: ideo enim ex hac ratione reus juridice interrogatus tenetur propalare veritatem sub mortali, ne pervertat judicii ordinem, dum peccata manent in Republica impunita: & ex eadem radice tenetur non imponere sibi falsum crimen, ut cum sit innocens ut nocens puniatur, cum sequatur non minus nociva perversio judicii, ut sine culpa pœna capitis aut mutilationis membri innocens plectatur) tum respectu sui ipsius, cum seipsum injuste occidat. Vnde bene dixit Ioannes Sanchez ubi supra, quod si metu tormentorum gravium quis imponit sibi falsum crimen, hoc mendacium non est officiosum & leve, sed perniciosum & gravissimum, cum ex ipso sequatur majus damnum quod potest hominem sequi in naturalibus, ut mors, quæ prævidetur: damnum enim prævisum, etsi expresse non sit intentum, vitiat actionem juxta sui gravitatem, ut omnes quotquot scripsere, docent cum D. Thom. 1.2. quæst. 37. artic. 8. cum autem ex hoc mendacio prævidetur mors, quæ ex ipso sequitur per se; sequaturque judicii publici perversio in re gravissima, utrumque damnum secutum ex tali mendacio facit ipsum valde perniciosum, & sic mortale.

Vnde Episcopus Malderus in re morali acerrimi judicii vir. 22. tractat. 7, cap. 2. dub. 11. postquam rem hanc bene disputatione ventilavit, concludit dicens: *Hæc dicta sunt veritatis eruendæ causa; sane cum per se illicitum sit mendacium, & indubie peccatum sit mortale, quando quis sine causa mentitur crimen propter quod sit occidendus, prudentis erit judicare, num hic & nunc sufficientem habeat causam præ tormentorum perpessione mortem eligendi: si enim habeat eo quod vel omnino, vel fere mors æquiparatur tali malo, non erit lethale mendacium; si vero non habeat, erit ex hoc capite lethale.* Hæc vir ille prudentissimus. sed male quidem, quia nullus tormentorum cruciatus, quantumvis maximus & crudelis in rei veritate æquiparari valet morti, quæ est omnium terribilium terribilissimum malum. Vnde Arist. ubi supra, ignavos appellat, qui ad effugiendum magnum malum mortem sibi adsciscunt. Vnde Divus Thomas ibi lectio. 15, *Quod aliquis moriatur sibi ipsi manus injiciens, vel ab alio mortem illatam libenter patiens ad fugiendam quidquid est aliud quod ingerit tristitiam, non pertinet ad fortem, sed ad timidum, quia non sustinet mortem propter bonum honestum, sed fugiendo malum tristabile.* Ratio hujus est manifesta, quia nullum bonum, quo privant cruciatus, æquiparatur bono quo privat mors, quod est vita, ut eliganter explicat Divus Thomas 22. quæst. 124. artic. 4. ostendens quomodo mors sit de ratione Martyrii, quia, *quamdiu homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere: consueverunt enim homines & consanguineos, & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent. Vnde & Satan contra Iob induxit, pellem pro pelle, & cuncta quæ homo habet dabit pro anima sua, id est, pro vita sua corporali.* Hæc Divus Thomas. unde homo propter effugienda tormenta, etsi pellis cruciatibus & fidiculis disrumpatur, vitam amittere non debet, sed peccat peccato homicidii in seipsum, non secus, ac si in aliquem tale testimonium diceret, ex quo sequeretur mors. Vnde in Prudentum æstimatione dolor cruciatum, etsi crudelissimorum, æquari non potest dolori mortis.

Quartum fundamentum sit ex dictis §. 4. ubi, ni fallor, efficaciter est probatum, hominem non esse absolute Dominum suæ famæ, ita ut seipsum infamare possit, maxime imponens sibi falsum crimen quando alias nullatenus est de illo insimulatus, nec alii falsum testimonium imposuerunt, ita ut illorum dictis sit convictus, ex vi cujus convictionis, tanquam negativus est morti tradendus, quia tunc assentiendo non se infamat, sed patitur infamiam ab aliis illatam; at non convictus, solum ad fugienda tormenta gravia, sibi falsum crimen impingere non potest absque peccato mortali, cum sit res preciosissima fama, & infamia malum grande, maxime si generetur ex gravibus & reprobatis delictis, ut sunt hæresis, sodomia, adulterium, furtum, &c. ex quibus in judicio probatis propriæ dignitatis status vilipenditur, conspurcatur, & contemnitur persona infamis, & sententia lata in ipsum manet incapax dignitatis & beneficii, fitque irregularis, quæ sunt ingentis ponderis mala, multo magis quam cruciatus tormenti, & sic mendacium est perniciosum. quare, sicut non potest proximum per falsum testimonium infamare in re gravi, ita nec se ipsum, quia hoc ex suo genere est mortale, ut vidimus loco citato.

§. 4. *Occurritur fundamentis pro contraria sententia adductis.*

MAximam vim & mirabilem energiam assument nostræ sententiæ fundamenta, si ea quæ pro contraria adduximus diluamus, quod præstare facillimum erit, nec injucundum. ad primam partem disjunctivæ, quam faciebat Amicus, Respondetur. negando, quod homo sit absolutus Dominus suæ famæ, ut satis superque & probavi & enucleavi §. 4. ad primam impugnationem respondetur, quod, quamvis homo propriis actibus generaverit in aliis sui bonam existimationem semel genitam, non est in suo absoluto Dominio facere actus ex quibus generetur infamia. Ad II. Respondetur, quod homo

ex

ex motivo superiori, ut ibi dicitur, potest pati quod ab aliis infametur, immò & facere actus, ex quibus subsit periculum infamiæ, sicut fecerunt multi sancti; tamen directe se infamare, imponendo sibi falsum grave crimen, nec ullus sanctus legitur fecisse, nec est licitum.

Ad secundam partem ejusdem disjunctivæ, respondetur: verum esse quod quis non tenetur vitam servare cum tanto dolore, & sic potest pati mortem ab alio inferri, tamen non potest ipse agere in occisionem suam seipsum infamando, quia hoc est intrinsece malum. Ad II Respondetur, quod falsa ista confessio ex natura rei eo tendit, ut confitens falsum crimen pro eo morte plectatur, ut in superioribus satis abunde monstravi; & discrimen dedi de eo, qui ob defensionem propriam occidit invasorem. Ad tertium Respondetur, quod si in tormentis vita est finienda, potest quis brevem mortem eligere, secus vero si non est cruciatibus moriturus; & idem de casu illo chimerico, de homine posito inter duos latrones, potest etiam quis se exponere periculo satis proximo mortis, non tamen potest mortem ipsam eligere. & idem judicium de aliis probationibus, qua nihil aliud emungunt, nisi quod quis ex causa magis vel minus gravi potest se exponere periculo mortis, non tamen esse causa suæ occisionis. Sicut potest quis ob causam ponere se in occasione peccandi, ut late ostendi tom. I. moral. tract. I, non tamen ob quamcumque causam, id quod est intrinsice malum, potest quis illud licite facere.

§. 5. *Alia Corollaria ad praxim valde utilia, & nostram Resolutionem egregie confirmantia.*

EX præcognitis in superioribus principiis facile quisque poterit multas & varias consectarias ex ipsis conclusiones, & non inutilia corollaria inferre; ego tamen in exemplar aliqua ad praxim conducentia adducam. I. sit, quod non solum scriptori Historiographo licet aliorum crimina publica referre, ex quibus sequitur infamia alicui personæ aut familiæ; etsi quæ publica sunt in una Civitate, Provincia aut Regno, in aliis longinquis talia crimina infamatoria fuissent ignorata, non, inquam, solum huic Historiatori, sed etiam cuilibet scriptori licitum est eadem peccata & crimina, prout ratio & materia de qua scribit expostulat, propalare, & typis dare, ad aliorum terrorem & ad conservandam memoriam veritatis; tum in exemplum gravissimi lapsus, occasionati ex aliqua mala doctrina, ut quis eam fugiat saltem timore infamiæ; unde, ut ait Sotus lib. 5 de justitia quæstio 10, art. 3. *Hoc non est vitio vertendum, sed officio scriptoris tribuendum.* in hanc doctrinam conspirant omnes Scriptores. Molina tract. 4, tom. 5, disputat. 33. Valentia ubi supra punct. 2, quæsit. 4. Salom. 22, quæstio 73, artic. 2, conclus. 2. Layman tom. I, lib. 3, tract. 3, p. 2, cap. 3, num. 13. Sa emendatus, verbo Infamare, num. 4. vel si vis (ut dicit Cardinalis Lugo) non sunt verba Sa, sed Victorelli. ipse eminentissimus Lugo de justitia & jure, disputat. 14, sect. 6, num. 88. Azor. p. 3, lib. 13, cap. 3, dub. 9. Malderus 22, tractat. 7, cap. 1, dub. 8. Navarrus in Manual. cap. 28, n. 26. Cajetanus tom. I opusc. tract. 31. respons. 9, in fine. Navarra de restitut. lib. 2, cap. 4, n. 155. quod enim, qui crimina publica infamatoria personæ, & indecorantia familiam, nisi expresse explicat hæc referre in vituperium familiæ, aut in communitatem quam intendit infamare, non præsumitur id ea intentione referre; quia nunquam præsumitur delictum, ubi licite excusari potest.

Et quidem quod non solum Historico scriptori, sed cuilibet etiam scriptori hoc sit licitum probat Cardinalis de Lugo sic: *Nam sicut Historico licet notitiam criminis patrati evulgare ad aliorum terrorem & exemplum, sic quilibet ob bonum eundem finem poterit ad loca remota transmittere notitiam criminis, quod in hac urbe publicum est, ut apud alios terrori & exemplo sit.* & infra: *Nulla ergo ratio justificaret evulgationem criminis per Historias, quæ non justificet cum propositione evulgationem criminis absque Historia; quia omnia bona, quæ historia affert apud lectores, affert etiam & brevis fama criminis apud Auditores, ut constat. non est ergo cur major licentia Historico concedatur, quam aliis.* hæc ibi; nulla enim familia jure conqueri potest, quod crimen publicum, aut publicos defectus notorietate facti notos, aut notorietate juris, ad alios mittat, & ejus notitiam omnibus proponat ob motiva, præcipue quod communitas Religiosa non acriter infamatur, cum alias sancte, pie, & religiose vivat, quod aliquis alumnus ob crimen nocivum Reipublicæ publice puniatur: imo valde Religiosa politia ipsa communitatis suæ alumnos sic delinquentes defert judicibus fidei, ut Dominicana & Franciscana familia, & aliæ multæ in multis casibus fecerunt, ex quo non infimam sunt consecuti gloriam apud Deum & totam Ecclesiam: membrum enim quod scandalum generat corpori, jure optimo igni traditur; vel judicibus fidei, ut condignam habeant pœnam. Vnde egregie Cardinalis de Lugo disputat. 14 cit. sect. 5, num. 6, dixit: *Quando defectus publici facti sunt, ad bonum commune non parum conducit, quod de his loqui possint homines.* (adde tu & scriptis tradere) *ut ad notitiam veniant aliorum, nimirum, ut unusquisque absque errore cognoscatur qualis revera est, & singuli pro meritis honorentur, ne forte aliquis ob suam ignorantiam privatam erret honorando, & plurimi faciendo eum, qui apud ceteros communiter merito despicitur & contemnitur. quæ communis utilitas præponderat damno quod ex ampliori publicatione defectus, jam publici, singulis potest advenire.* & infra: *Quia communis sensus aperte ostendit, in ipsa naturali æquitate fundamentum habere licentiam illam loquendi de publicis defectibus, etiamsi grave & novum detrimentum famæ sequatur ex ulteriori illa publicatione.* hæc ibi. quæ maxime sunt notanda contra quorumdam querelas.

II. Me non posse pro liberando patre, consanguineo, amico etsi strictissimo, à crimine, sive vero sive falso imposito, mihi imponere falsum testimonium pro quo sum capite plectendus. Est contra fere omnes Auctores primæ sententiæ; & amplectuntur omnes secundæ. ratio est perspicua, quia, etsi possim me offerre mortis periculo valde proximo, & maximis conjecturis verosimili, pro liberando patre aut amico, ut latius probo infra Resolut. . . . de illo qui cum periculo contagii inservit peste correptis. tamen falsum testimonium criminis, cui debeatur ut pœna ordinaria mors, mihi imponere non solum lex pietatis erga parentes, sed & lex amicitiæ non patitur pro ipsis liberandis, imo nec pro liberanda Republica, cum hoc sit intrinsice malum. tum etiam quia sic mentiendo in proprium sanguinem ordinem judicialem perverto cum ingenti Reipublicæ damno; siquidem nocens impunitus manet, quantum est ex se paratus ad iterum nocendum, quia *qui semel est malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali*, & innocens condemnatur sine culpa. Quamvis enim finis sit heroicus patrem aut amicum à morte liberare, etiam cum periculo mortis

mortis propriæ, & quando subest causa rationabilis se huic periculo exponere, & forsan tunc mendacium non esset mortale, quia non est perniciosum, cum subsit causa periculo se exponendi, quod fit in voluntarium ex causa honesta; tamen mendacium ex quo sequitur infallibiliter mors, omnino est illicitum, illique irrepit & obrepit mortalis malitia. nunquam finis est heroicus & honestus, quando medium est intrinsice mortaliter malum, cum certior sit sententia, quod mala electio vitiat bonam intentionem: quando enim mors est infallibiliter secutura mendacium ex suo objecto, & occisio fit materialis, omnino perniciosum est; nec est dabilis causa propter quam quis mortem eligat testimonio falso sibi imposito.

III. Improbabile esse omnino, quod dicit Ioannes Sanchez supra relatus, quod non solum non est peccatum mortale præ tormentorum acrimonia sibi falsum testimonium inferre, etiamsi morte sit plectendus; sed neque esse veniale, cum non sit, neque mendacium, si reus sciat uti restrictione mentali: nam, dum fatetur crimen commisisse, intelligat æquivocatione mente retenta *crimen commisisse, non reipsa sed ut fateatur Iudici ad evitanda tormenta.* quod verum esse dicit, etiamsi interveniat juramentum, quod facere debet eadem restrictione mentali, & sic evadet perjurium. quod enim excusat à mendacio, etiam excusat à perjurio, ut est indubitatum. Verum enimvero, etsi vir iste doctus sit, & in materia morali non parum eruditus & versatus; tamen semper admiror in multis ejus audaciam in resolvendo, ut in præsenti admiranda venit. nullus enim Auctorum, qui usque ad præfatum Ioannem Sanchez sua scripta prælo mandavit istum, qui præ tormentorum eximio dolore sibi falsum testimonium imposuit, à veniali excusavit per æquivocationem mente retentam. Immò P. Lessius (qui primus invexit puram restrictionem mentalem, ut digressione ultima ostendo) lib. 2 de just cap. 11. dub. 7. Non est ausus hunc actum à veniali excusare per æquivocationem. Ratio est perspicua, quia, ut dixi tom. 2. Moral. tract. 7. resolutio 4. n. 83. dum superior, sive laicus, sive Ecclesiasticus, juridice interrogat, tenetur reus aut subditus veritatem propalare absque æquivocatione & restrictione mentali. Id de quo etiam conveniunt omnes restrictores mentium, ut latius ostendo digressione ultima. Vnde dubio procul si falsum testimonium in caput suum quis juramento confirmet, coram Iudice perjurus erit.

IV. An sit consulenda miseris reis opinio, ut ad effugium tormentorum sibi falsum crimen impingant. cum vero opinio istæc probabilis sit tot R R. D D. authoritate munita, non videtur dubium, quin consiliari possit, ut misero sit solatium aliquod, quod tuta conscientia amittit vitam, ut fugiat tormentorum immanitatem. Ita Sanchez & Lugo dicit, quod potest sequi in praxi, & videtur idem teneri fateri Auctores primæ sententiæ: Fagundez, Malderus, & alii citati. id enim quod probabile est, & multorum calculo obfirmatum, reus amplecti potest, & confessor consiliari; immò tenetur sententiam rei sequi, ut ipsum absolvat, ut est communis & indubitata sententia. Cæterum ego existimo, quod ille, qui falsum testimonium sibi imposuit, tenetur retractare quod dixit ante mortem, sive retractatio sit profutura in re, sive non: ad hanc enim facundam nihil refert quod proficiat ad liberandum à morte, vel non proficiat. Ita tenent Sylvester verbo, detractio. num. 4. quæst. 3. ubi secundum Panormit. in cap. ex parte el. 2. de sepult. per illum textum & per cap. si non licet. 23. quæst. 5. tenetur saltem in extremo publice revocare, quod tormentorum metu falso confessus est. aliter est in periculoso statu. & clarius Felinus de testibus cogen. cap. 1. Socinus, in repetit. super cap. ad Audientiam de homic. & Archidiac. 2 p. tit. 2. cap. 2. §. 3. Hæc ibi. ratio est, quia non est dominus vitæ suæ aut membrorum, ut est indubitatum inter Catholicos cap. si non licet citatum. Solum enim Deus hoc dominium sibi reservavit, atque ita nullus mortalium potestatem habet se morti determinatæ tradere ad fugiendos quoscumque corporis dolores aut molestias, ut liquet ex dictis, & constat ex lege liber homo. D. ad legem Aquiliam. ibi: *quoniam nemo dominus membrorum suorum* (multo minus vitæ) *esse videtur.* Quare solum est custos & administrator. quam administrationem & custodiam dedit nobis Dominus in ordine ad bonum honestum, & sic illis possumus uti in ordine ad id quod recta ratio dictat; & sic ad conservandam vitam possumus membrum abscindere, & vitam possumus exponere periculo ad ipsam tuendam vel alteram, quæ nobis vel Reipublicæ est necessaria. at vitam ipsam amittere, & eam morti directe tradere, nunquam licet, quia hoc nunquam potest esse medium necessarium ad salvandum in homine aliquid præstantius vita: hæc enim præstantior est quocumque alio naturali, & sic nunquam est licitum ad fugienda enormissima tormenta per falsum testimonium sibi impactum se tradere pœnæ ordinariæ mortis, quia dat quod non est suum, & sic mortaliter peccat, & tenetur, quantum est ex parte sua, illud reddere si non potest efficaciter se à morte liberando, saltem inefficaciter retractando factum suum. quæ retractatio est animi plenitudo, & præparatio ad restituendum, si posset. Sicut qui non est solvendo & restituendo, quia non potest, tenetur habere animi præparationem, quod restitueret, si posset, quam si non habet, est in statu damnationis. Tum II, quia quantum est de se aufert scandalum à fidelium animis, quod generatum est ex tali confessione publica. Tum III, quia, si profutura est retractatio, tenetur quis illam facere, ut fatetur Molina tom. 5. tract. 4. disputat. 37. num. 21. Ergo etiam si non sit profutura cum effectu, quia tenetur facere quantum in se potest, & ex parte sua ponere totum, quod potest contrarium dicto falso quod prius dixit, ratione cujus infallibiliter morti traditur. Quare mihi non dubium, quod ad patibulum debet se retractare. Nec video, qua ratione possint confessarii contrarium consiliari, cum hoc securius sit & tutius ad animi salvationem, & ad tollendum fidelium scandalum; cum audientes publicam retractationem plures rationabiliter judicabunt retractationem, in articulo mortis factam ex obligatione conscientiæ, esse ligitimam prolem, præteritam tamen ex tormentis ortam adulterinam.

Si tamen quis vi tormentorum coactus, in alios falsum testimonium injecit, propter quod capite plectuntur, existimo cum Molina ubi supra §. atque hoc maxime. quod, etsi teneatur restituere damna illis & suis hæredibus secuta; tamen, si jam lata est sententia definitiva ultima, quoniam jam non prodest retractatio, non tenetur illam juridice facere, quia nil damnatis profutura, & sibi nocitura est, cum iterum caperetur & traderetur ab Inquisitoribus brachio seculari (quod ipse pati tenetur, si alteri sunt eruendi à morte & infamia) si tamen ipse est morte plectendus simul & alii, ipse non tenetur retractare juridice. quod maxime advertant confessarii sancti officii.

V. Sit,

V. Sit, nullatenus licitum ad evadenda tormenta gravia, alteri falsum crimen imponere, etsi iste nullum aliud detrimentum patiatur, nisi famæ propriæ, & ille alter mortem effugiat. ita Molina ubi supra n. 20. §. quod autem hoc loco. Cardinalis de Lugo disput. 14. num. 98. Fagundez cap. 5, lib.8, n. 3. & omnes fere contra Lessium lib.2,cap.11.num 56. vers. quæ sententia. citatur si Sylvester verbo detractio. quæstio. 3. & Navarra lib. 2 de restitutio. cap.4. num.131. dum modo postea qui tali imposuit crimen falsum, retractet impositionem, quia hæc retractatio famæ nocumentum, quod impositione causabatur, purgat; si tamen aliud damnum sequatur, ait Lessius, nullatenus potest sine mortali tale falsum crimen proximo innocenti imponere. Sed, quod diximus, pro indubitato omnes, qui serio & prudenter rem moralem tractarunt, habent.

Quod ratione probatur,quæ est Cardinalis Lugo, qui ex Molina ubi supra. Quia innocens habet jus ne sibi fama auferatur, quam veris virtutibus tum suis, tum suorum progenitorum acquisivit, & sic invitus nequit sua fama privari; invitus autem rationabiliter est, quia, quod ipse facere non tenetur, immò neque potest, ut vidimus, per falsum testimonium sibi impositum aliquem liberare vel à tormentis, vel à morte, habet jus justitiæ, ut nemo id faciat contra ipsum, etiamsi fit ut liberetur ab eisdem damnis quod ipse non tenetur facere. quamvis etiam talis falsa criminis confessio, facta tormentorum vi, non sit valida, nec sufficiens ad condemnandum innocentem, ex cap.1. 15. quæstio. 6. sicque non inducat infamiam juridicam, tamen inducit infamiam facti, quod est gravissimum damnum inter homines. quis non aspiciat, quod, si quis vi tormentorum molestatus dicat de homine, cujus de fama acquisita veris virtutibus, & heroicis facinoribus suis & progenitorum, quorum sanguis purissimus à labe infidelitatis infamis, quod est proditor Reipublicæ, quod læsit fidem ab illa decedendo; vel aliquo alio crimine infami notatus, falso tamen, quod illi non faciat & inferat maximum nocumentum? etsi postea retractet, & retractatio non abstergit ultro omnem labem injectam. atque ita ipso invito aufert id quod pretiosissimum, margaritam famæ, & ante porcos projicit injuste, & invito domino. & sic est diversa omnino ratio de jure famæ, & de jure divitiarum: istæ enim, etsi divisæ sint pro diversitate subjectorum, tamen in earum divisione hoc jus impartitum mansit, quod quis ad evadendam extremam necessitatem, & impediendum majus damnum quam divitiarum, potest istis uti, & sic potest illis uti extreme indigens quamvis sint in alterius possessione, ratione Dominii alti, quod reservatum est quando partitæ sunt divitiæ. Ast famæ jus est unicuique proprium jure ipso naturæ, nec jus famæ partitum est, sicut jus divitiarum. unde, me invito fama auferri nequit, præcipue per falsum testimonium impositum, etiam ad evitandam mortem.

Sed antequam rationem Molinæ subjiciam, non possum non advertere; quod si verum est quod habent Lugo & alii R R. quos supra induxi, hominem esse absolutum dominum suæ famæ (cujus contrarium cum Cajet. docui) non video cur, si ex falso testimonio illi imposito non sequatur mors aut membri mutilatio, (cujus non est dominus,) invitus sit rationabiliter quod per falsum testimonium facto ipso infametur ut proximus liberetur à morte, aut notabili corporis læsione, aut rigidis cruciatibus: semper enim vita altioris ordinis est, quam fama alicujus. quare, si ista cadit sub dominio proprio, non video, cur rationabiliter sit invitus quis, quod pro tuenda vita alius eam sibi auferat; cum ad liberandam rem altioris ordinis semper sit reservatum dominium altum rei inferioris, si hæc sit in proprio dominio alicujus; quod secus est, si sub proprium dominium non cadat: neque enim ego possum, aut teneor manum abscindere, ut vita proximi salvetur; quamvis mendacium, quod intervenit, semper sit illicitum, venialiter tamen non perniciose.

VI. Sit, quod prudenter satis sic concludit Molina ubi supra n. 16. his verbis: *Quando aliquis imponendo sibi tale crimen, evaderet quidem gravia tormenta, cæterum condemnandus esset de Hæresi, aut Apostasia à fide, confiscandaque ei essent bona; si vero non cen, teretur id crimen illud sibi imponendo, sed tormenta sustineret, nihil horum ei esset eventurum, sed solum esset condemnandus de suspecto in fide, tunc lethaliter peccaret id crimen sibi imponendo, ut gravia fugeret tormenta, idque præsertim, si filios, aut nepotes haberet. Conclusionem hanc mihi omnino persuadeo, quoniam mendacium istud esset proximis perniciosum, dum cum scandalo multitudinis condemnandus esset de Hæresi, aut de Apostasia à fide esset item injuriosum fidei, ac Religioni Christianæ, dum non vereretur imponere sibi notam defectionis à fide, religioneve Christiana, tanquam qui aliquando crediderit falsam fidem, veramve non esse Religionem Christianam, &c.* Idque confirmat ex damno & infamia illata familiæ suæ, quæ non cedit juri suo de conservanda fama cum tam notabili detrimento. Caveant ergo confessarii, ne consilium dent hujus farinæ hominibus, ut sibi falsam defectionem à fide, ad fugienda etiam gravissima tormenta, imponant.

VII. Ad vitanda urgentissima tormenta,vel aliud majus damnum,licitum est propalare secretum quod mihi simplici commissione traditum est sub naturali sigillo, vel crimen occultum proximi, etiamsi dicatur quod traditur sub sigillo confessionis & signo crucis facto, dummodo revera non fiat sacramentalis confessio; ut tamen hoc corollarium, quod valde necessarium est, recte percipiatur, omissis variis causis ex quibus fama generatur, quas enumerat Adrianus quodlib. 11. quæst. 1. notandum est, quod famæ jus duplex habet fundamentum I. Verum & subsistens, nitens veræ bonitati & actibus virtutum & heroicis facinoribus, quæ per principia intrinseca generat sui bonam in aliis existimationem. Vnde qui gaudet hac fama ex his principiis generata, quam qui habent, existimationem potiuntur sibi jure proprio ex propriis acquisito. II. Fundamentum est bonitas apperens, & existimata genita ex principiis extrinsecis, cum principia intrinseca, scilicet crimina occulta, potius sunt infamatoria, quæ non licet publicari propter commune bonum, pacem, & tranquillitatem Reipublicæ, nisi in circumstantiis in quibus ad eandem pacem, tranquillitatem, & bonum commune vitæ humanæ magis expediret publicari. Vnde jus famæ, nitens hunc fundamento bonitatis & probitatis apparentis, limitatum est, nec tam strictum quod transgredi non possit multis in casibus tam à Iudice, quam à privatis personis; cujus ratio est manifesta, quia hoc jus, etsi vere subsistat, tamen nititur fundamini apparenti & falso, quod non teneor cum notabili meo detrimento tueri & occultare, quod cederet in maximum Reipublicæ detrimentum,atque adeo possum ad vitanda gravissima tormenta, illud fundamentum apparens revelare, pariter & secretum quod simplici commissione mihi traditum est, quia pro sic tradito nullus cordatus judicat, quod debeam pati magna incommoda, in vita, in fama, & divitiis, ne illud revelem; nisi ex revela-

revelatione sequatur majus damnum ei, cujus crimen aut secretum revelatur, quam revelanti, ut optime Molina num. 11. hoc relinquens prudentis arbitrio. Legatur Sotus lib. 1 de justitia, quæstio. 10. art. 2. con. 2.

Hoc corollarium limitatur 1. à Molina, num. 10. in fine, ubi ita: *si is, cujus secretum revelaretur, ea lege illud acceptaret, ut nec ad mortem evadendam (aut gravissima tormenta) detegere illud posset, sane licitum esset tale pactum, meritoque revelans, velle posset non aliter revelare illi id suum secretum, quod tanti sui referat servari, nisi cum eo onere; quare tunc qui ita illud acceptaret, de justitia teneretur illud servare, etiamsi, ut illud servaret, propriam amitteret vitam peccaretque lethaliter, teneretur ad restitutionem omnium damnorum ex revelatione illius, ut ea ratione mortem evaderet, subsecutorum, si illud revelaret*; hactenus ibi. ego tamen existimo hoc pactum licitum esse, si paciscatur quis non revelare secretum etiamsi tormenta atrocissima patiatur, similiter ponere vitam mortis periculo, & perdere divitias, patique suæ personæ infamiam; ast si mors certo est secutura, ex lege existimo tale peccatum nullum esse, quia ponit inter conditiones humanam vitam, quæ longæ altioris ordinis est. quare esset pactum prodigum & non obligans: solum enim ad servandum sacrum secretum sacramenti pœnitentiæ ex jure divino ad hoc teneor, propter magnum detrimentum quod fidelibus infertur; fieret enim sacramentum formidabile.

Limitatur II. quando quis injuste & injuria facta proximo, secretum agnovit, ut si cum injuria aperiat literas aut scripturam in qua crimen à se factum habet signatum, est communis limitatio hæc Soti. ubi supra. Thomas Sanchez lib. 6 consil. cap. 6. dub. 2. num. 4. cum Molina disputat. 37, num. 13. Fagundez. cap. 8. num. 12. qui, & multi alii, dicunt, quod si damnum, quod ex revelatione sequitur, est majus quam quod mihi imminet, non possim illud revelare, etiamsi urgentissima patiar tormenta; secus vero si non est magnum damnum, & quod mihi imminet multo est acerbius, & perniciosius mihi, & posteris; tunc enim non teneor celare secutum, sicut nec teneor restituere etiam quæ furatus sum, & ex delicto sunt debita, cum longe majori detrimento proprio, quam alieno; quare hæc sit regula: quando illud secretum in meam venit notitiam, in tali statu me constituto, quod ad liberandum me à periculo gravissimo quod patior, possem etiam dolo & vi illud extorquere, possum etiam illud manifestare scitum quacumque via; secus vero si non sim in tali angustia: tunc enim non possum illud revelare, etiamsi patiar gravissima tormenta, hanc regulam ponit Cardinalis de Lugo, num. 101. explicans exemplo in bonis fortunæ, quæ qui potest sibi arripere, ad extremum periculum fugiendum potest sibi retinere, etiamsi prius fuerint furto sublata. sed dubito de veritate hujus regulæ nam si is à quo subripio est in simili periculo & damno imminenti, non licet subripere, ut est certa sententia, quia possessio illi maxime juvat. quare magis arridet fundamentum Molinæ & aliorum, addo quod si quis literas inveniat, quas quis habet pro derelictis, ut eas legat, ut potest absque peccato, ibique inveniat secretum aut peccatum occultum, de eo est loquendum, ac si via licita illud secretum norit, quod potest manifestare juxta regulam positam in corollario.

Limitatur III. in ministris Regiis tractantibus negotia Reipublicæ, quibus communicantur & committuntur gravissima secreta, à quibus pendent regimen pacis & belli. similiter Duces belli, & alii officiales, capti ab inimicis exploratores, vulgo *spias* secretas exercitus, etiamsi gravissima tormenta, etiamsi mortem patiantur, gloriose ea sustinent pro bono publico, pro quo tuendo ea tenentur sufferre, ne secretum, quod in detrimentum magnum boni communis vergit, prodant. ita communis & indubitata sententia cum Molina ubi supra, num. 9. ad hoc enim secretum ita rigide observandum potest obligare Respublica, ut de facto ita obligat, ob ipsius conservationem recte administrandam, sicut potest obligare cum periculo manifesto mortis ad alicujus legis observationem. Eandem obligationem habent Consiliarii, Iudices, Tabelliones ad servandum secretum litigantium, ex cujus manifestatione sequitur parti litiganti amissio alicujus status, civitatis aut oppidi ad quod habet manifestum jus quam vis subeant mortis periculum, & magnas molestias, quia hoc exigit eorum officium ex vi cujus Respublica illis inducit tam arctam obligationem. quod si damnum non est ita certo eventurum, aut non est magni momenti ad vitandum magnum detrimentum sibi imminens, potest licite revelare; nunquam tamen licet secretum revelare ob magnum donativum, sibi à parte contraria promissum.

Limitatur IV. nisi persona, cujus secretum aut delictum revelatur, non sit valde necessaria Reipublicæ, sive in pace, sive in bello: tunc enim eodem fere modo discurrendum est, ac de secreto Reipublicæ. quare quis etiam mortem, si necessarium fuerit, tenetur pati potius, quam revelare. ratio est perspicua, quia persona ista est medium ad tutamen boni communis necessarium. ergo sicut possum & teneor me sini interfici, ne ille occidatur, ita, ne prodatur, teneor pati urgentissima tormenta. excipio tamen, nisi crimen sit proditorium Reipublicæ, aut crimen læsæ Majestatis divinæ, aut humanæ, tunc enim teneor etiam cum periculo vitæ, famæ, & amissionis omnium bonorum illud revelare ad evitandum damnum imminens.

Ampliatur tamen I. corollarium hoc septimum, quod, etiamsi periclitetur vita ejus, cujus celo secretum, non teneor illud servare, imo potius teneor referare ad tutandam vitam filii, uxoris, amici & aliorum innocentum; imo ut isti evadant urgentissima tormenta. ita Molina ubi supra, num. 10. quia communiter secretum non committitur, nec acceptatur servandum cum tanto detrimento proprio aut suorum, in quorum emolumentum non detegitur; sed vel levitate animi detegentis, vel in ipsius commodum aut alicujus tertii, nullusque ne exprimat, cum tanto onere illud servandum acciperet, imo quamvis acciperet cum damno proprio, non tamen potest illud accipere cum damno filii aut uxoris, amici & aliorum. potest enim quis renuntiare juri quod habet ad tuendum se ex motivo honestatis servandi secretum, non tamen potest renuntiare juri quod alii habent ut defendantur, maxime si sint innocentes, quod addo tenere verum, etiamsi secretum illi sint commissum consilii, aut consolationis, aut forsan remedii causa.

Ampliatur II. in illo qui sine injuria crimen & secretum agnovit ab illo, qui injuriose illius notitiam habuit: non enim tenetur gravia tormenta pati, ita Lugo, num. 105. ubi nimis speculative loquitur, quod in rebus ad mores pertinentibus minus utile est. hujus ampliationis ratio est perspicua, quia ille qui per injuriam factam secretum aut delictum occultum novit, invenit secretum obseratum & tectum in occulto domini sui. qui jus suum, ut oc-

cultum maneat, non amisit, quia per injuriam ejus notitia est comparata, & actio injuriosa non aufert jus proprium; ille autem, qui sine injuria scivit, sed alius illi revelavit, aut scivit injuriam factam, & sic tenetur cum eadem obligatione illud secretum servare. & in hoc egregie Molina, tom. 5. tractat. 4, disputat. 5. num. 3. versic. ratio autem. nam sciens injuriam proximo factam in cognitione sui secreti, si illud manifestat judici etiam juridice interroganti per quæstionem & tormenta, nihil aliud erit quam extensio & ampliatio injuriæ & injustitiæ factæ à primo iniquo detectore. quare sub eodem transiit ad secundum, ac erat in primo, & idem jus habet secreti Dominus respectu utriusque, sicut qui emit à latrone equum quem scit furatum. Vnde sicut primus detector peccat contra justitiam & charitatem, secretum crimen detegens, ita secundus. si tamen iste ignoret injuriose acquisitam fuisse notitiam, & alteri secretum dixit sub obligatione tegendi illud, iste, quamvis ignoret injuriam, tenetur sub mortali illud obseratum custodire; nec potest nisi juxta dicta etiam judici juridice interroganti illud referare.

Ampliatur III. contra Molinam disput. 5. nu. 6. quod si mihi Ioannes revelavit secretum, quod sub sigillo naturali commisit, quod ipse fuerit occisor Pauli cujus mors imputatur Petro innocenti, qui morte plectendus est, non teneor servare illi secretum, quia, quamvis Ioannes non teneatur se ipsum tanquam nocentem propalare, ut defendat Petrum, etiamsi iste sit pœna capitis puniendus, quia nemo tenetur se prodere ad defensionem innocentis cum æquali damno; tamen ille, qui scit nocentem, tenetur illum manifestare, ut innocentem defendat. nec sigillum secreti in hoc casu obligat: nam si non esset hoc traditum sub secreto, tenor ad defensionem innocentis manifestare, ut ipsemet Molina fatetur, num. 3. disputat. 24. secutus Navarrum ad caput Inter verba, num. 702. in antiquis; at sigillum secreti non aufert jus ab innocente, ut ejus innocentia tueatur; nec dat jus nocenti, ut contra innocentem occultetur, in damnum boni communis; quod magnum patitur detrimentum si innocens occidatur & non defendatur. quare si ego interroger à judice, dubio procul teneor manifestare secretum, cum multo magis præponderet rectitudo judicii publici & innocentis propalatio, quam occultatio nocentis, etiamsi secretum commissum sit sub secreto naturali. si autem non interroger à judice, etiam teneor propalare ob eadem motiva. verum est quod teneor admonere nocentem, ut tuto loco constituatur, sicut ipse loco tuto positus tenetur manifestare Petrum nocentem non fuisse. plura alia documenta ampliantia hoc septimum corollarium videri possunt apud Molinam multis disputatio. tract. 4. tom. 5. & apud Eminentissimum Lugo disputat. 14. citata tota sectio. 7.

Vnum solum advertam circa ea quæ dicit, nu. 109. ubi sic habet: *Quando agitur de conferendo beneficio alicui indigno, vel de contrahendo matrimonio, licitum esse detegere indignitatem personæ, vel impedimentum occultum; quia præponderat utilitas communis ne fiat beneficiarius indignus, & etiam bonum sacramenti ne fiat matrimonium irritum*, (in his bene & vere;) *propter eandem causam quando agitur de admittendo aliquem in collegium aut Religionem, licebit detegere defectum ejus occultum natalium vel generis, propter quem non debet admitti.* Hanc doctrinam sic absolute prolatam veram non existimo. si enim defectus natalium vel generis ita obsoletus est & ab hominum memoria excisus, quia defectus sanguinis puritatis à multis seculis contigit ex malitia alicujus progenitoris, & omnes ab illo descendentes sunt in possessione bonæ famæ & puritatis sanguinis, idque multis actibus positivis confirmata, & sic non solum habent famam facti, sed juris, quod jus acquisierunt bonis actibus de fide Christiana bene meritis; qua conscientia poterit unus vel alter qui scit sanguinem à multis annis infectum fuisse, cum jam sit purificatus, defectum hunc detegere ad impediendum canonicatum, ordinem militarem, aut collegium? lædit enim bonam famam totius familiæ, cujus defectus jam obliteratus est. Legantur Toletus lib 5 Summa cap. 65. vers. secunda conclus. & Fagundez, lib 8. in Decalog. c 4, num. 4 & 6. quare, si infectio ista sanguinis probari manifeste. & absque ulla tergiversatione per scripturam authenticam, aut alia testimonia juridica non potest, existimo mortaliter peccare, qui illam manifestat inquirenti pro Collegio, aut Religione Militari, aut Ecclesia, quæ habet statum de puritate sanguinis; cum enim vivi bona fama gaudeant, & infamia mortui sit abolita, quia, ut suppono, juridice probari nequit; infamiam emortui publicare est vivorum bonam famam detrahere, & injuste totam familiam infamare. sed de his alibi latius.

VIII est, licitum esse (seclusa excommunicatione aut formali præcepto) viris illis Ecclesiasticis & Religiosis, quos sancti officii tribunal convocat, ut in tribunalis loco sententiam pronuncient in sacerdotem secularem aut regularem solicitantem in confessione, aut alium virum alias honesti nominis, suspectum in fide, licitum inquam, est sententiam hanc aliis patefacere, qui illic non adstiterunt; imo si persona valde nota erat in Republica, & publicum quod fuerit à sancto officio capta propter delictum, quod etiam notum fuit, in civitate, poterit ubique id publicare in aliorum exemplum & terrorem. ita Diana. p. 4. tract. 5. resol. 44. Freitas. in addit. ad Acuñam, quæst. 24, num. 9. & Cardinalis de Lugo. Idem tenet, si persona nota est ob nobilitatem, dignitatem, doctrinam, & alia munia publica. quamvis enim pientissimum tribunal, nolit in publico theatro sententiam illam proferre, ne familia nobilis, aut Religio, statusve Ecclesiasticus pudorem patiatur, dum persona sui instituti coram populo exhonoretur, in illum pronuntians sententiam infamatoriam; tamen eo ipso quod sententia juridice profertur in reum, iste in nullo habet jus ut bona fama illius conservetur; nec tribunal intendit, quod infamia juridica non extendatur extra cancellos tribunalis, quia eo ipso, quod juridice aufertur, ubique gentium aufertur juridice: quamvis enim infamia facti intendat sacrum tribunal quod non transiliat septa sua, tamen hoc est insufficiens, (nisi ad id obliget) ut quis teneatur jure famæ servandæ sub mortali, quia eo ipso, quod Iudex pronuntiat sententiam, vult diffundi ejus publicationem, & omnibus eam audientibus potestatem committit publicandi; nisi expresse id prohibeat ob bonum publicum, cui expedit ne aliqua sententia omnibus propaletur, ne apud omnes infamia facti laboret reus: nam semel prolata sententia non est in potestate judicis, quod publicitas juris non sit universalis & simpliciter juridice, ut non bene judicavit Cardinalis de Lugo. quare nulla est obligatio simpliciter celandi sententiam, nisi expresse id prohibeatur; erit tamen aliquando obligatio ex charitate.

DVBIVM VI.

Vtrum Princeps supremus possit aliquem quæstioni tormenti subjicere, sine aliquo omnino Iudici?

IN superioribus determinatum relinquimus torturam inter homines civiliter viventes fuisse introductam, ad veritatem delictorum (quæ, quanto graviora & atrociora, tanto sic tectiori modo & obscuriori tenebra perpetrantur) eruendam in lucem juridicam, ne cum ingenti Reipublicæ damno impunita manerent, & homines ob spem impunitatis animosiores fierent ad ea sæpius pro libito repetenda. & sic hoc subsidiarium remedium invenit ipsa judiciaria civilis potestas, ex lege Hoc edictum. & aliis toto titulo D. & C. de quæstionibus. cæterum, etsi humana sit torturæ inventio, introductio tamen, cum inventa fuerit inter Christianos & civiles communitates ad juridicam veritatem inveniendam, non ad puniendum, sed deducendum in lucem nocentem conveniunt omnes, quotquot scripserunt aliquod indicium delicti in persona, quæ quæstioni subjicitur debere præsupponi. dubium vero est, an hoc requiratur ex mero jure humano, ita ut Princeps supremus possit utens de plenitudine potestatis in illa dispensare ita, ut, Principe dispensante, possit quis subjici torturæ.

§. 1. *Statuitur & roboratur Regula certa.*

SIt Regula indubitata & omnino certa: *Nullus Princeps, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, potest tuta conscientia etiam utens plenitudine potestatis, torquere aliquem sine aliquo omnino indicio quod crimen commiserit.* hæc regula ita certa est apud omnes, ut contraria sit ad minus temeraria & impia. Eam docent omnes Iurisperiti, tam criminalistæ, quam civiles, quos longa manu refert Farinacius quæst.20 de tortura, num. 74. & sic respondet Gramm. voto 32, n. 9. Cardinalis Columnæ pro Rege Neap. & Afflictus Regi Frederico. Iulius Clarus in praxi q. 94. vers. dixi quoque. Lolandus consilio 12, à num.47, volum.3. Carena p.3, tit.10, §.18, n.118. Vnde Farinacius: *In illa* (ait) *gravissima causa subreptionis annuli Piscatoris, scio adesse Chirographum manu sanctissimi Domini nostri Sixti Papæ Quinti signatum, quo datur judicibus potestas torquendi reos pro habenda ulteriori veritate, & complicibus etiam denegata copia indiciorum, addita tamen clausula quatenus sufficientia præcedant indicia judicis arbitrio. Non enim ignoravit summus iste Pontifex, quantum à juris ratione discrepet reos sine indiciis torquere.* Itaque non solum est contra jus, sed etiam contra juris rationem, quæ illuminata nobis est lumine naturali, contra quam nullus supremus legislator humanus potest disponere.

Hujus certissimæ regulæ multiplex & efficax ratio subsistit 1. quia contra jus naturæ manifestum non valet humana, etsi suprema dispositio. atqui jure naturæ manifeste quis jus habet ad famam suam conservandam illæsam, contra ictum calumniæ & infamiæ. ergo, nisi hoc jus clarum turbidum faciat aliquod indicium, sive rumor quod ab aliquo commissum sit delictum, nec Princeps supremus aliquem quæstionare & torturæ subjicere potest, etiamsi constet de corpore delicti; alias etiam, si non constaret de corpore delicti, posset quem voluerit torquere ad indagandas ejus actiones occultas. quod abhorret lumen naturæ.

II. Quia Principes etiam supremi & non recognoscentes superiorem, in ordine ad politicam societatem & convictum humanum in pace conservandum, solum habent potestatem civilem in actus externos, & eos, qui aliquo modo sunt eorum Dominio subjecti. atqui quando quis non est aliquo modo indiciatus, saltem remote, vel aliquatenus diffamatus de aliquo actu, actus iste non subest potestati civili. ergo ista nequit civiliter exercere vires suas ad torquendum aliquem sine aliquo omnino indicio. quare non Princeps civilis, sed Tyrannus, si sic faciat, censendus erit.

III. Quia ita se habent indicia ad torturam, sicut testes de delicto, aut rei confessio ad pœnam inferendam. atqui sine sufficienti juridica probatione delicti, nequit Princeps, civiliter operando, aliquem damnare ad mortem in pœnam delicti. ergo sine omnino aliquo indicio nequit aliquem torquere; sicut enim in condemnatione ad mortem agitur de vita hominis, ita in tortura agitur de salute ejusdem, ut consideravit Baldus consil.259, n.4, volum.1. & consil.515, num. 4, lib. 5. Riminaldus consil. 361, num.67, volum.4. & nec vitæ, nec salutis est absolutus dominus Princeps, etsi omnino absolutus, & soli Deo immediate subjectus: solus enim Deus hujusmodi Dominium habet, & ipse solus, & aliis ex ipsius certa revelatione aut miraculo patrato, potest torquere sine aliquo omnino indicio, vel diffamatione proxima, vel remota; quæ omnia latius enucleantur in sequentibus ampliationibus, limitationibus & corollariis.

IV. Ex Divo Thoma 22. quæst. 67, artic. 3. qui ex Aristot. 5 Ethic. cap. 4 docet, quod Iudex juridice procedens (& idem est Rex & Princeps absolutus) est quædam justitia animata, quæ dicit jus, & facit æquitatem, quæ necessario est ad alterum, & ita non potest in judicium & quæstionem adversus aliquem descendere, nisi ab isto moveatur, vel ab alio loco accusatoris, vel inquirendo contra illum. atqui jure naturæ dictante, nisi aliquis sit diffamatus ita, ut fama vel rumor moveat Principem, contra ipsum Princeps cæco modo procederet, non ex aliqua notitia quam habeat contra ipsum. quod totum est contra jus naturæ, non enim in hoc casu valet id quod dicitur: *sit pro ratione voluntas.*

§. 2. *Regulæ ampliationes.*

AMpliatur I regula præfata: quod si indicium requisitum, ut potestas civilis Principis exerat vires suas, non influit proxime vel remote in personam tanquam delicti patratricem, non potest Princeps illam torquere, ut constat ex ratione legis 1, D. de quæst. & leg. similis. & leg. cum conditionaliter. C. eodem. ratio est perspicua, quia, si indicium non influit determinate in personam: verbi gratia Petri, ista habet ex jure naturali actionem in suam famam, in cujus possessione pacifica vivit, à qua solus Deus, qui scrutator est cordium, vel Angelus, qui intuetur actiones externas, etsi occultas, potest illum excludere. Vnde ea quæ accidentaliter eveniunt, & sunt adiaphora ad bonum & malum, ex vi actionis externæ non sunt indicia quæ influunt in foro externo in personam. Ita Mascardus de probationibus lib. 1, conclus.223, an. 3. Menochius consil. 283, an.5, volum.3.

Ampliatur II. quod, nisi hoc indicium etiam remotum non sit probatum legitime, saltem per unum testem omni exceptione majorem, vel per plures testes qui alias sunt inhabiles, nequit Princeps,

etiam potestate absoluta, aliquem torturæ subjicere, etiam in causa hæresis & aliis atrocioribus: quia, nisi fama personæ sit in foro externo læsa, rationabiliter contra ipsum nequit civilis potestas exercere vires suas.

Ampliatur III. quod si testes sunt inhabiles, & admittuntur, non sufficit, quod sint singulares, sed debent esse contestes. alias illæsam relinquunt famam, & sic Princeps nequit ad torturam sic indiciatum applicare; testes enim singulares non conjunguntur ad faciendum ad torturam indicium, quod influat in personam ut contra ipsam procedatur, ut late Carrer. in pract. tract. 2, §. quæ autem an. 4. usque ad 10. nisi testes ita sint (etsi singulares) multi, ut fama personæ læsa sit. Vide Farinacium num. 38. nisi in criminibus atrocibus, & quando persona est malæ famæ. id quod dixi de tortura, intelligitur quod Princeps, etiam sine ullo omnino indicio (idem multo majori ratione intelligitur de aliis administrantibus justitiam, Principe supremo inferioribus) nequit minari aliquem ad torturam; sive minitatio sit verbalis, sive per facta, ipsum spoliando, ligando, & ponendo in equuleo, aut portando ad locum tormentorum. ita Farinacius ubi supra an. 96. quia metus torturæ æquiparatur ipsi torturæ. intelligitur etiam Resolutio sive torquendus sit homo liber, sive sit servus. ita idem Farinacius num. 106. quod bene probat, & explicat quod servus in aliquibus casibus, sine plenis & sufficientibus indiciis, ut in adulterio, homicidio & uxoricidio, non tamen sine ullis prorsus indiciis, potest subjici torturæ.

§. 3. *Regula secunda.*

POtest Princeps absolutus, utens plenitudine potestatis suæ, facere quod quis subjiciatur sine sufficientibus indiciis eâ sufficientiâ quam exigit jus positivum. hac regula limitatur præcedens; procedit tamen in delictis difficillimæ probationis, & quæ sunt gravissima. Probatur 1, quia sic concessit expresse Leo X, in Bulla edita anno 1514, incipit *Etsi pro cunctarum*. §. 2. sequitur Parisius, sic intelligens Bullam, & Rota apud Seraphinum decis. 290. n. 18. dicens, quod gubernator Urbis procedere potest nullis servatis terminis substantialibus, ex vi hujus Bullæ Leonis. Quam sic etiam intelligit Cherubinus Iunior in comp. Bulla 8. hujus Pontificis, scholia 1.

II. Quia licet id, quod apud jure naturæ sanctum, nequeat aliquis homo substrahere aut abolere: Clement. Pastoralis de re Iudic. unde nullus Princeps, quantumcunque absolutus, per suum rescriptum mandatum, aut statutum humanum id possit evertere: Angelus lege. Si sic D. de leg. 1. Felinus cap. dilectus de except. & omnes scribentes in utrumque jus: Cæterum Princeps absolutus potest tollere totum id, quod jus positivum humanum in modo procedendi contrarium concedit. L. Quoniam Alexandrum C. de adulter. Ancaranus cap. 1 de rescript. in 6. & ad Clement. Pastoralis cit. n. 22.

Quare hanc regulam ut certam amplectuntur omnes illi, qui affirmant, quod in delictis atrocissimis licitum est jura transgredi, requisitas solemnitates non adhibere, & quod *ordo est ordinem non servare*, consulto Principe ut hæc transgressio fiat. Ita Marsilius, Menochius, Ioannes Maria, Montisellus, Iulius Clarus, Rolandus, Mascardus, Tiraquellus, & multi alii, quos citat Farinacius, quæstio 37. citata. anno 85, & 90. eosque intelligit, quod transgressio, liceat consulto Principe & annuente. alias nullatenus licere judicibus, sine sufficientibus indiciis, ad torturam procedere, & si procedant teneri de syndicatu, nisi Princeps nimis distans sit, & crimen sit nimis atrox & Reipublicæ valde nocivum, & multum expediat quod quanto citius puniatur, in terrorem aliorum & ut succindatur cancer, qui serpere incipit contra Religionem Christiani & pacem publicam: tunc enim prudenter judicabunt Iudices alicujus tribunalis, & Magistratus ex implicita Principis concessione ipsis licere procedere ad torturam, sine sufficientibus ex jure constitutis indiciis. quam implicitam licentiam ad transgrediendum jura non habent quilibet Iudices, sed Magistratus majores, quibus concessa est plena facultas in omnibus causis, ut testantur Marsilius singular. 244. Rolandus à Valle consil. 7. num. 43. volum. 1. Franciscus Personalis tract. de indiciis & tortura, n. 26. Conradus in practica, tit. de Prætoris institut. §. 1. n. 9. Vnde Iudices inferiores tenentur, si Princeps longo distet, consulere Magistratus majores, ut transgressionem istam faciant, nisi sit evidens periculum in mora.

§. 4. *Corollaria ex præfatis Regulis.*

EX dictis Principiis utriusque juris licet aliqua deducere non injucunda, nec vulgaria ad praxim conscientiæ Principum & aliorum Iudicum. 1. Sit, si solus Princeps secreto novit, quod quis fuerit alicujus gravis delicti patrator, qui nullo alio omnino indicio est notatus, potest, utens plenitudine potestatis, ipsum torturæ subjicere. est mihi hoc indubitatum, quia Principi danda est fides, & ipse potest dispensare in aliis solemnitatibus & formatione processus, & sic incipere à tortura contra leg. 1. D. de quæstio. & leg. maritus eodem. & leg. milites. §. oportet. C. eodem. ibi: *Oportet autem Iudices, nec in his criminibus, quæ publicorum Iudiciorum sunt, ad investigationem veritatis à tormentis initium sumere.* à qua lege & potest, & debet in præfato casu dispensare, & sua notitia motus torquere, quem evidenter scit reum. & Iudex, si Princeps præcipiat ut quæstioni subjiciat aliquem, dicens ei sibi constare tale commisisse crimen, tenetur illi fidem dare, quamvis sibi non constet ex processu, quia constat ex dicto Principis dantis causam, quod est omni processu majus, quia eo ipso, quod Princeps dicat sibi constare talem esse reum, facit semiplenam probationem, & judex tenetur Principi obedire, juxta dicta per Cevallos. commun. quæstio. 529. num. 2. Molinam de primogen. lib. 2. cap. 8. n. 32. Menoch. lib. 2. præsump. 10. à num. 52. & alios scriptores ad leg. qui testamentum. D. de probatio. Vnde si Princeps certo sciat aliquem commisisse crimen, & alius innocens secundum allegata & probata probatus sit nocens, tenetur in conscientia eum, quem reum agnovit, torturæ subjicere, & interponere fidem suam, & si opus fuerit juramentum quod talis probatus nocens est reipsa innocens, & eum à pœna mortis liberare, quia Princeps est solutus legibus, quibus ligantur alii Indices ad ferendam sententiam secundam veritatem juridicam, quæ attenditur, non ad id quod est in re, sed ad id quod est in processu, quamvis alias sciant non esse re ipsa verum. Princeps autem est absolutus, & sic, si sciat veritatem in re subsistentem, ad hanc attendere tenetur, non ad veritatem juridicam.

Totum hoc confirmatur, quia licet partis citatio ut se defendat, maxime in criminalibus, sit de jure naturæ, quam Princeps tollere à nullo potest. cap.

susceptis,

susceptis, de causa possess. & proprietat. Clement. Pastoralis de sententia & re Iudic. glossa verbo Quo minus. leg. ult. C. de legibus, ut tenent omnes teste Covarruvia pract. cap. 29. n. 6. ita ut nec Hæreticis denegetur Repertorium inquisitorum verbo Citatio. Carcrius in tract. de hæret. n. 82. immò nec diabolo negaretur, ut dicunt speculator 3 p. tit. de Inquisit. §. finali. Abbas cap cum contingat n 27. de foro competenti. & quamvis hoc jus ita sit strictum, tamen existente justa causa, & ex gravibus motivis potest Princeps procedere contra non citatum, etiam in criminalibus, quia licet citatio, quatenus datur à natura ut quis se defendat, à nullo homine possit impediri, tamen concurrentibus motivis, quæ absorbeant rationem justæ defensionis, potest Princeps in aliquo extraordinario casu citationem omittere, & pœna mortis plectere eum, quem scit reum, judicans quamcumque defensionem frivolam esse. ita in casu præsenti cum Princeps scit aliquem reum, quamvis iste ex jure naturæ habeat quod indicia præcedant ut torqueatur, scientia Principis absorbet jus quod reus iste habet ut præcedant indicia.

II. Constat etiam ratio, cur Doctores dicant ad torturam in aliquibus criminibus posse Iudices procedere sine legitimis indiciis. Casus sunt: Primus, cum reus carceratus non vult respondere Iudici legitime interroganti, vel saltem non præcise respondet, iste potest torqueri, ut respondeat. sic practicatum fuisse Romæ in sanctæ Inquisitionis tribunali dicit Carena §. 18 citato, num. 119. Secundus, dum reus simulat furorem. Tertius in Assassino, de quo non est dubium, quod talis sit, ut detegat mandantem occidere. Quartus est, quando bannitus debet sententia debita plecti, sine legitimis indiciis torquetur, ut dicat de aliis criminibus, complicibus, & receptatoribus. Quintus in custode bonorum, ut sunt, caupones, & ejus servi & ancillæ, quia sunt viles personæ, de quibus omnibus Carena ubi supra, ex Farinacio ubi supra, anno 176. ubi erudite de his tractat per varias limitationes & ampliationes satis conformes dictamini rationis, quas ex auctoritate Scribentium confirmat. igitur, quod quis torqueatur præcedentibus legitimis indiciis, est de jure communi sanctum. Hi autem casus, & similes, excipiuntur ex consuetudine legitime introducta, Principe vidente & consentiente, tacite dispensante, ut sine legitimis indiciis probatis in processu ad torturam deveniatur, quia personæ prædictæ sunt viles, malæ famæ & opinionis, quod probatum est, tum ex officio, tum ex delicto probato; & ita est sufficiens indicium ad torturam multo efficacius, quam semiplena probatio.

III. Quod non solum Princeps, sed nec Iudices Principe inferiores possunt torquere reum, nisi præcedant legitima indicia etiam consentiente ipso reo, tenet Farinacius, ubi supra num. 109. cum multis quos citat. ratio est, quia nullus est suæ vitæ aut membrorum dominus, leg. liber homo. D. ad legem Aquiliam. quare nemo potest exponere se periculo, ut membrum amittat, nisi subsit causa qualis hic non adest rationabilis, non præcedentibus legitimis indiciis. unde oblationes & pactiones, quæ solent intervenire inter accusatum & accusantem, quod velint mutuo stare ad torturam, unus ut tueatur accusationem, & alius ut defendat innocentiam suam, admittendæ non sunt à Iudicibus, sed prorsus rejiciendæ, ut tenent contra glossam in leg. interdum. §. qui fuerem verbo Damnato. D. de furtis. Mantica Cent. 2. n. 12. Marsilius leg. quæstionibus num. 8. D. quæstionum. & constat argumento ex toto titulo canonico de purgat.

IV. Quod confessio expiscata à Principe aut alio judice (si Princeps non dispenset juxta dicta) non legitimis præcedentibus indiciis, est nulla & prorsus invalida, etiamsi millies sponte sit ratificata. Ita Hippolytus Riminal. consil. 88. n. 54. volum. 1. Antonius Gomez Variarum tom. 3. cap. 13. n. 25. & est communis & indubitata sententia. Caveant ergo Iudices, ne ex confessione sic extracta reum puniant: est enim gravissimum peccatum contra justitiam, & tenebuntur ad damnorum restitutionem, & in syndicatu gravissime punientur.

DUBIUM VII.

De legitimis & juridicis indiciis.

Latissimus se offerebat campus discurrendi; sed recludam me intra cancellos brevitatis, quia alia me expectant magis Theologo propria. Prius tamen quam summa indiciorum præstringam verba duorum Luminum Dominicanæ familiæ inducam, quibus generalis doctrina indiciorum comprehenditur. Primum qui est Sylvester Pieras. in Summa, verbo indicium, ubi sic loquitur num. 1. *Indicium dictum est ab indicando, seu notificando: est medium intellectuale veritatis eliciendæ, ex aliqua singulari circumstantia in'urgens. C. de rei vindic. leg. indicia. & melius in lege finali C. de probatio. indicium autem plenum secundum Bart in leg. ea quidem C. de accusat. est divinatio rei per signa sufficientia, per quæ animus aliquo modo tanquam vero acquiescit, & plus investigare non curat, ut dicta leg. indicia. Semiplenum vero est præsumptio fortiter movens animum ad aliquid credendum, vel dicendum, de quo leg. cum probatio. D. de probation. pro quo nota quod triplex est indicium, scilicet leve abjiciendum, violentum quod probationem facit, & probabile quod mediat inter hæc, & facit præsumptionem, & sufficit ad torturam: Adde secundum, Paridem de Puteo in suo tract. de Syndicatu, quod indicium, cum frequenter contigit abesse veritatem, est leve argumentum. leg. non homo. C. unde cogn. est vero grave, si frequenter veritatem contigit adesse, & æquiparatur præsumptioni juris, ut notatur per Cynum in lege metum. D. de dolo.* Hactenus ibi.

II. Est Eminentissimus Cajetanus 2. 2. quæst. 69. in comm. art. 1 & 2. §. 3, ubi sic Commentator egregius: *Quod Auctor dicit indicia non qualiacumque sed manifesta, quod ad tria referri intelligo. Primo ad factum cujus est indicium, ita quod manifeste indicit tale factum. Secundo ad personam, ita quod indicent, quod ipsa perpetraverit tale facinus. Nam sicut præcedens infamia de crimine, non intelligitur de crimine absolute, sed de crimine hujus personæ, ita quod persona sit diffamata de crimine ita ut indicia personæ criminosæ appareant. Tertio, ad processum itaque indicia hujusmodi manifestentur reo, ut sciat se esse in tali articulo constitutum, quod tenetur obedire Iudici præcipienti & exterquenti veritatem. alioquin cum ipse reputet se esse occultum, & ista indicia non sint juris, sed facti, ignorantia facti, quod latet ipsum, nisi judex illi manifestet, excusabit eum. Debent quoque ei manifestari, ut possit se ab illis purgare vel illis opponere rationabiliter, quemadmodum cum præcessit infamia manifestatur ei, quod diffamatus est super tali crimine.* Hactenus Cajet.

Quibus adeo clara illucescit veritas circa quid sit indicium, quotuplex, aut quale debeat esse, ut in his duabus doctrinis omnia fere quæ criminalistæ late tractant contineantur, si recte & profunde verba inducta penetrentur. Farinacius enim, qui larga

manu de indiciis tractavit lib. 2 de indiciis ann. 27. usque ad 60. quem secutus est Carena pag. 3. tit. 12. quæ tamen indicia ad torturam sufficiant longa est disputat. à qua hîc supersedeo, remittens lectorem ad præfatos & ad Thomam Sanchez, tom.2. consil. lib.6, cap. 3.

Solum adverto I. quod multoties visum est & expertum, quod è cadaveribus occisorum ad præsentiam eorum qui vel occiderunt, vel mandarunt occidere, & aliquo modo voluntarie influxerunt, suntque rei mortis, quod vix est Senatus in orbe, apud quem non sit hoc allegatum indicium: in Hispania testatur Antonius Gomez, tomo 3 variarum, cap. 13, n. 15. in Gallia Thesaurus Pedemont. decisio 163, num.4 & num. 5. in Venetiis Farinacius de Indiciis, quæstio 52, num. 154. & Gilhausen in sua arbore judiciali cap.6, p.7, sectio 2, num.78 & 79. qui refert ex Heurico Ranzovio, Christiernum Daniæ Ducem fuisse passum hunc in suo Ducatu modum inquirendi cædium Auctores. & in Picardia Magistratus id passim observare testis est Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. 2, cap.7. & Sesse. volum. 1, decis. Regni Arag. decisio 111. per totam hoc indicium examinat ea eruditione juridica qua solet, & refert casum particularem, qui contigit in quodam oppido illius Regni, quod ad præsentiam rei occisus brachium dextrum levavit, & digito monstravit omnia vulnera, ex quibus illico sanguis exivit, & eodem digito monstravit reum ibi existentem.

Verum enimvero cum hoc à multiplici causa possit provenire, examinandum est hoc diligentius, ut judices prudentes possint dictamen formare quando ex hoc indicio possunt juridice procedere. Et quidem effectus iste extraordinarius, & à Natura, & à Dæmone, & à Deo mediis Angelis dimanare potest. quod à Dæmone possit provenire nulli dubium, sicut & ab Angelo bono sic imperante Deo, ad aliquid occultum revelandum. Sed quomodo judicandum, esse ab Angelo bono, vel à malo, ex circumstantiis occurrentibus quas Theologi & viri prudentes considerabunt, venandum est juxta ea quæ dixi tom. 1. Moral. tract. de delictis generantibus suspicionem in fide. Resolutio 40, §. 8. Vbi de discretione revelatio disserui. quod vero à natura possit provenire, testis est Eusebius Nieremberg. part. 2. curiosæ Philos. lib. 1, cap. 51. Valuacensis in speculo Histor. naturalis lib 4, cap. 13. Majolus tom. 1. durum colloq. 1. Mengus lib. 3 Miscellean. cap. 5. Martinus del Rio lib. Disquis. cap. 3, quæst. 4. §. sexto. ubi in margine se refert idem docuisse in notis ad Senecam vers. 127. & Lucretius insignis Medicus, Philosophus & Poëta ait:

Namque homines plerumque cadunt in vulnus,
Emicat in partem sanguis, unde jacimur ictu.

quare hoc negare & casu id contingere dicere, protervize adscribendum indico. Theologi enim ut Ægidius Romanus quodlibeto 5, quæstio 25. Major. in 4, distinctio 15, quæstio 14. Bartholomæus Sibilla peregrinar. qq. Decade 3, quæst. 6. Iurisperiti omnes. Paris de Puteo tractat. de Syndicatu, verbo tortura: dicens id contigisse in cæde Cardinalis sancti Marci. Hippolytus Marsilius in sua praxi, verbo tortura, vers. diligenter, num. 81. & alii quos citat & sequitur Farinacius de indiciis, quæstio 51, num 20. quibus adde Hieronymum Maynum, qui de hac re accuratam & eruditam fecit decisionem, quæ est inter alias 1731. Medici etiam nullo discrepante, quamvis discrepent in reddenda ratione, admittunt, & omnibus his antiquior Plato in Dialog. de leg. 9 admittitur.

Multiplex hujus admirandi eventus assignatur ratio. plures variæ sunt, & superstitiosæ. duplex mihi modo occurrit inter cæteras probabilior I. est, quia *sanguis* (ut ait Valesius de sacra Philosophia, cap. 5, circa finem.) *non animatur anima rationali, sicut nec semen, est tamen animæ instrumentum, in quo anima est modo quodam divinori quam ullo alio instrumento, non quidem per informationem, aut per præsentiam, sed per potentiam aut operationem, quia nulla in re manifestius, quam in eo operatur; quin potius videtur ipse sanguis animæ proprias operationes operari, esseque veluti quædam anima corporalis, & manifesta exprimens suis actionibus illam primam & veram animam, quæ per se est nobis incognoscibilis.* hactenus ibi. Igitur sanguis est animæ instrumentum, in quo vis animæ residet ad eos motus quos causat dum anima informat corpus; non quidem motus cognitionis & appetitus, quos causat anima mediis potentiis cognoscitivis, quibus non remanentibus, non remanet aliqua cognitio aut appetitio; sed motus quidem localis, quos in virtute animæ causabat medio calore. in motu enim iræ movetur sanguis ad cor; in pudore progreditur ad faciem; & sic in multis affectibus contingit. quare, quamdiu calor productus ab anima remanet in sanguine misto, manet virtus motiva animæ, sicut quamdiu manet spiritus ille subtilis in semine, istud operatur in virtute animæ, cujus est instrumentum separatum, & illo emortuo non manet semen animæ instrumentum; ita sanguis quando manet calor animalis, in illo est animæ instrumentum separatum, unde ad præsentiam occisoris, tanquam inimici motus ille, quem sanguis erat facturus ad actum iræ, si anima ibi esset, facit; &, cum cor non possit sanguinem continere, exit sive per nares, sive per os, sive per vulnera; sed unde agnoscit sanguis ibi adesse inimicum & occisorem? utique non est necessaria cognitio, sed præsentia occisoris, cujus spiritus præsentes plusquam aliorum sanguinem excitant & commovent occisi, ut foras exeat per motum, quem alias virtute animæ, sibi durante, facturus erat ad iram & iracundiam in inimicum, si anima ipsa informaret corpus. hanc ratione mihi subministravit Augustinus Buccius peritissimus Medicus & Philosophus in disputat. de spiritu animæ vital. cap. 2. sic loquens fere: *rationi consentaneum videtur, ut quemadmodum viri mutuo irato & efferato animo intuentur se hostes & afficiuntur adversus alterum; sic natura, cædes hominis adversante in cæsi & occidentis spiritibus maxima quædam naturæ dissensio contrahatur, cujus efficiens principium in occisoris superstite sanguine ac spiritibus, mestque patibile & susceptivum in occisi cadavere tanto, quanto sanguinis in eo vestigia formantur. Itaque si casu Auctor cædis in cadaver cæsi oculis incurrat, ab eis & universo corporis ambitu tenuissimis vaporibus ad cadaveris meatus, qui circa cutim sunt, productis, horum vi & efficacitate relictis in eo sanguinis vestigia è venis prodeunt.* hæc fere ille, quæ maxime confirmantur per ea quæ dixi in meo Præcursore Philosopho de fascinatione naturali & physici, quæ fit per emissionem spirituum infectorum qualitate maligna, qui sufficiunt ad alterandum totum sanguinem & alios humores hominis fascinati, lege me ipsum ibi, disputatio 2 de sensibus internis, controvers. 4, digress. 2. ubi plura non injucunda de fascinatione invenies, satis conducentia ad rem præsentem.

II. Ratio hujus eventus est, sive homo sit occisus gladio, sive laqueo, sive suffocatione, aliove modo patrata, quia occisor eo ipso, quod ab alio vitam aufert, in ipsum odium, iram, & displicentiam ipsius concipit, ipsumque sigillat sigillo malevolo suæ actionis

actionis mortem inferentis, quæ præcipue signatur in sanguine, in quo præcipue residit vita ut in suo præcipuo fundamento, cui occisor impulsum occultum communicavit vitæ oppositum; non secus ac mulier menstruata res externas sibi objectas maculat & inficit, imo & flores herbasque arefacit, si tangat. hæc autem qualitas impulsiva sanguini impressa excitata à præsentia occisoris facit per meatus sanguinem exire, qui, impulsus ad præsentiam suæ causæ, fervescere facit sanguinem & quasi ebullire; & sic foras exit per naturalem antipathiam, genitam ex vi actionis malevolæ inter occisum & occisorem. quæ antipathia, sicut & simpathia, in multis aliis rebus naturalibus, ne ad Dæmonis interventum reducamus, necessario est admittenda: cum enim casus iste multoties contingit, ex natura rei provenit, si adsint illius efficacis causæ. quod si semper non contingit, non arguit innocentiam in occisore, sed vel quia sanguis cito fuit corruptus, vel quia spiritus, quem mittit occisor est minus efficax, vel quia sanguis occisi nimis gravis, & ita non facile mobilis. Hanc rationem tradidit Petrus Aponius in problemata Arist. p. 7. proble. 6. qui Aponius (non Aristoteles, ut male intellexit Carena, citans Aristotelem, cum ibi Aristóteles nihil dicat) sic loquitur: *aut quia ex vulnere recenter interfecti, jam constricto sanguine fluxus sanguinis denuo excitetur ab interfectoris præsentia, ex eo quod accedit ex motu impresso ab interfectore ad interfectum, virtute suæ fortis imaginationis & furiæ: dicunt enim impressisse eum spiritus inimicitiæ succensos in interfectum tempore interfectionis, qui ad præsentiam interfectoris moveantur ex interfecto suo ad interfectorem suum, unde exierunt; propter quod causatur motus in corpore interfecti, & vulnera sic sanguinem emittunt.* Hæc ille ex quo Boërius decisio. 166 num. 1.

Ex quibus concludo I. quod hoc indicium, si contingat ut oportet, id est, quod aliquis indiciatus alias leviter, & captus à satellitibus justitiæ, præsentetur cadaveri hominis interfecti, & ilico hoc sanguinem emittat sive per vulnera, sive per aliud corporis orificium, est verum indicium, ut de eo fiat inquisitio specialis, & aliis adminiculis, subjiciatur quæstioni & tormentis; cum enim ad præsentiam aliorum sanguis non ebulliat & exeat foras, bene tamen ad interfectoris præsentiam, hoc ideo est, quia natura, cædi humanæ adversa, non patitur, quod occultus maneat occisor, sed occisi sanguis clamans exit de corpore contra ipsum, testimonium perhibens de illo, & indicans mirabiliter, & ostendens viam, ut veritas eruatur: sic enim millies factum est, ut ille, ad cujus præsentiam sanguis ebulliit & scaturivit, à judico ad quæstionem positus confessus sit veritatem. quare ex tot innumeris exemplis informatus Iudex, non faciet contra juris ordinem, nec tenebitur de syndicatu, si ita faciat, torturæ subjiciens hunc de quo loquimur. Ita Boërius Blanchet, Carrerius, qui dicit se hoc indicium expertum. Menochius de arbitrariis, Mascardus de probation. & de præsumption. Hieronymus Magius, Bertanzol. & Claudius qui optime probat ex Levino Lemnio quos citat Farinacius quæst. 51. num. 154. ipse tamen num. 156. dicit, quod est sufficiens indicium ad inquirendum. *si tamen* (inquit) *Iudex essem, cum Antonio Gomez*, tom. 3. variarum, cap. 13, num. 15. (ubi casum singularem narrat) *nunquam ex hoc solo indicio reum ponerem in tortura.*

Ego vero resolutorie existimo I. quod Iudex non debet, nec prudenter faciet, præsentando interfectorem ad cadaver interfecti, ut inde sumat experimentum effusionis sanguinis, quia cum hæc effusio naturaliter fiat, & causæ naturales ex occurrentibus circumstantiis, vel ex debilitate virtutis, non semper efficaciter influant in effectum qui non semper ex aliquo defectu provenit, unde quod sanguis non exeat non est indicium innocentiæ occisoris. II. Existimo, quod semper cum contingit hujus sanguinis effusio, ad minus est sufficiens indicium ut consulto Principe torturæ subjiciatur; indicia enim arbitraria sunt, maxime respectu Principis supremi, qui prudenter determinavit motus tot D. D. placitis & tot experientiis. III. Existimo, quod si occisio contigit alicujus personæ magnæ dignitatis & excellentiæ, & hæc sanguinem fundat ad præsentiam interfectoris, iste, ne tale crimen impunitum maneat, potest subjici torturæ, ut contigit Romæ in occisione Cardinalis Sancti Marci. IV. Existimo, si adsint alia adminicula; ut fama, inimicitia, & similia hoc indicium esse sufficientissimum ad torturam, & sic intelligo Doctores citatos, & tenent expresse Novel. in pract. in principio, num. 64, & Regula. 184. Maschardus lib. 2 de probation. 867, num. 24, in fine.

Concludo II. quod si occisus est aliquis & post sex aut septem horas (intra quarum spacium sanguis potest incorruptus conservari) sanguinem profundat per corporis foramen aliquod, ut contigit in casibus, de quibus Sesse decisione citata, & Marsilius ubi supra, num. 181. qui narrat puerulum à matre occisum post octo dies ad matris præsentiam sanguinem effudisse, & alium mortuum duobus post mensibus exhumatum sanguinem ex plagis homicida super eum transeunte emisisse; & in alio de quo Gomez ubi supra, hoc indicium proximum est & sufficiens ad torturam. est enim hoc indicium valde verosimile, magnum & valde credibile, sufficiens ad informandum animum judicis, ut credat talem fuisse interfectorem; quia, quod corpus mortuum sanguinem ebullientem emittat post multum temporis, ut in casibus relatis, existimo esse opus miraculosum & præternaturale, quod Deus operatur in bonum publicum, ne crimen atrox impunitum maneat, sed puniatur in exemplum & terrorem aliorum. Cum enim post multum temporis sanguis corruptus sit, evanuit vis illa relicta ab anima ad motum, & etiam corrupta est vis illa impulsiva impressa ab interfectore. Vnde non est principium in natura quod faciet motionem illam, humoris sanguinei; sed miraculose generatur, effunditur, egreditur extra corpus: quamvis enim Dæmon hoc idem facere possit, sicut per incantationem Magi Pharonis à quam converterunt in sanguinem, Exodi 7, vers. 22. tamen in præsenti, si non adest præsumptio rationabilis quod sit opus Dæmonis, semper judicandum quod fiat ab Angelo bono, ex imperio & impulsu Creatoris ad detegendum criminosum ne impunitus relinquatur.

Deus enim multoties vel ad ostensionem suæ justitiæ, vel manifestationem æstimationis quam de Sanctis Martyribus & aliis confessoribus habet, ut à fidelibus venerentur in terris sicut ipse honorat & æstimat in cœlis, facit quod ex vulneribus antiquissimis, ex ossibus aridissimis sanguis recens, & ex cadaveribus liquor & manna ad infirmitates curandas, tanquam ex vivis corporibus emanet. De sanguine exemplum est in Sancta Cæcilia, cujus corpus per multos annos madidum purpureo sanguine est inventum, ut referunt Sigibertus in Chronol. anno 821. ubi late Baronius. & extat epistola Paschalis Papæ, in cujus Pontificatu inventio Sanctæ Martyris, ubi refertur hoc idem miraculum: & nostro seculo anno 1629 reperta sunt ossa plurimorum cade-

daverum Argonæ alias Vrgabonæ, oppido inter Accitanam & Giennens. urbes, *Guadix y Jaen*, ex quibus sanguis effusus est in magna copia. & ego apud me habui os magnum papiro involutum plenum sanguine, & papirus ipsa sanguine madefacta, quod mihi vir gravissimus & omni exceptione major testis donavit; hæc ossa Martyrum esse, & miraculum, ostendit & late comprobat Historia de hoc eventu conscripta, jussu Eminentissimi Cardinalis Sandobal, tunc temporis Episcopi Giennens.

Concludo III. quomodo intelligendi sunt Doctores, dicentes hoc indicium non esse sufficiens, nec ad inquisitionem contra prætensum reum, quanto minus ad torturam, Carena ubi supra, num. 193. nisi sanguinea effusio fiat modo supernaturali. quæ doctrina moderanda est juxta dicta; si enim naturali modo sanguis emanat, existimo esse indicium sufficiens ad inquisitionem; & si inveniatur interfectorem esse inimicum interfecti, & ipsum minitasse, sitque de hoc fama, sufficit ad torturam; & si consideratis omnibus circumstantiis, est supernaturali modo facta sanguinis profusio, sufficit ad torturam; & si persona occisa gravis sit, vel modus occidendi atrox, consultandus est Princeps, si circumstantiæ sint dubiæ. Verum est quod tam in hoc judicio quam in aliis Iudex magis debet excedere in pietate & clementia quam in crudelitate & atrocitate; majorem enim honorem consequitur absolvendo, quam condemnando. Ancharr. consf. 23. Decius consf. 189, in fine. Bald. consil. 403. volum. 3. arg. ex lege metalla. §. si plures. D. ad legem Aquiliam. textus in cap. alligant. 36. quæst. 6. ibi: *si Deus est benignus in misericordia, ejus minister non debet esse tenax.* cap. vera justitia. 45. distinction. cap. plerumque. §. illi enim. 2. quæst. 7. *qui de sua justitia præsumunt & misericordiam negantibus negandam putant, à Domino percussi intereunt, quia judicium sine misericordia erit illis qui noluit facere misericordiam delinquentibus, cui per Salomonem dicitur, noli esse nimium justus.*

Adverto in hoc dubio generaliter II. quod apud omnes est indubitatum, semiplenam probationem, quæ fit per unum testem omni exceptione majorem, sufficiens esse ad torturam, & ut Iudex possit & teneatur Reum juridice interrogare de crimine ut illud manifestet, quod est semiplene probatum juridice; hoc ut dixi, omnes quot sunt scriptores, tam Theologi quam utriusque Iuris interpretes tutantur & defendunt. ex quo principio deducebam solide & cum certa sententia tom. 2. Moral. tract. 6. c. 3. num. 26. quod reus tortus tenebatur ad propalandam veritatem, quod latissime ibi probavi & ad præfatum locum remitto lectorem, ubi hanc veritatem clarissime enucleatam inveniet.

Adverto III. quod indicia quæ sufficiunt ad torturam debent esse probata juridici per duos testes; alias injuste procedit Iudex subjiciendo Reum quæstioni. hoc certum est apud omnes scriptores, quos larga manu refert Farinacius, quæst. 37. anno 13. quamvis sit inter ipsos dissidium an testes isti debeant esse omni exceptione majores, id affirmantibus multis; an inhabiles sufficiant, quod multi alii dicunt; ipse tamen Farinacius, num. 25 & 26. dicit quod testes à jure inhabiles deponentes de indicio remoto, sufficiunt ad inquirendum contra reum, non tamen ad torquendum. Ego existimo I. quod juxta delicti qualitatem, ut si esset proditio civitatis, machinatio in Principem, sive secularem, sive Ecclesiasticum, sufficiat ad torturam quod indicium sit probatum testibus inhabilibus; similiter consulto Principe absoluto, ut dispenset inhabilitate testium. Existimo II. quod in causis sancti officii attinentibus ad fidem; vel suspicionem in fide sufficit quod indicia sint probata per testes jure inhabiles: isti enim universaliter in hoc sancto tribunali in fidei favorem admittuntur, quod late probat Castro Palao tom. 1. tract. 4. disputat. 8. punct. 15. §. 1. qui autem sint hi testes inhabiles qui in sancto officio admittuntur, non est hic locus aptus ad inquirendum. Legantur Farinacius de hæresi, pag. 188. Peña p. 3. directo. commen. 119.

TRACTATVS SEXTVS.

De persecutore requisito ad Martyrium proprium.

DE Martyrio ipso, & de dispositione ex parte Martyris requisita, egi in superioribus, modo de conditione extrinseca agendum, qualis est persecutor, an iste exigatur ad verum Martyrium, ita quod hujus propria ratio non subsistat, nisi Tyrannus persequens in odium fidei, aut alicujus veritatis supernaturalis, quantumvis minimæ, & ut explicatum relinquimus, adsistat.

RESOLVTIO XXXVI.

Vtrum persecutor sit essentialiter requisitus ad proprii Martyrii rationem?

PErsecutorem requisitum non esse ad veram martyrii proprii rationem plures hæretici sensere, quorum primus fuit Petilianus Donatistarum Episcopus (de quo plura Augustinus in libris contra ipsum scriptis, qui, quamvis ille hunc errorem explicite non tribuat, cæterum, cum communis animi conceptio apud suos Asseclas Donatistas hæc fuerit, & ipsum Petilianum huic fæci immissum non dubito) qui, ut dicit Castro verbo Martyrium, hæresi 2. asserebat *eos, qui se pro peccato interimunt, debere Martyres nuncupari pro eo, quod puniunt in se, quod dolent commisisse. sed hic error convincitur ex facto Iudæ, qui dolens de peccato quod commiserat se suspendit. quod autem de peccato dolens hoc fecerit, Matthæus testatur, cap. 27. qui ait: tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus fuisset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum & senioribus, dicens: peccavi tradens sanguinem justum. Iudam autem fuisse damnatum nullus Catholicus dubitat, cum tam apertum sit testimonium scripturæ Propheta, namque de Iuda loquens ait: cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter. quæ verba de Iuda intellexit Beatus Petrus in ea oratione quam ad reliquos condiscipulos habuit post Christi in Cœlos ascensionem, loquens de subrogatione alterius in locum Iudæ.* Hæc Castro, cui consentit Prateolus in catalogo, verbo Petilianus.

Alia fuit pestilentior & truculentior hæresis circumcellionum, de quibus aliqua in superioribus degustavimus, & de crudeli in seipsos ambitiosa Martyris rabie plura Augustinus de Hæresibus, ad quod vult Deus, c. 69. & epistola 50 ad. . . . & lib. 2 contra

contra epistolam Petiliani cap. 83. *Cum enim perquirentes isti circuliores, venientes ad paganorum solemnitates (in quibus ingentia turbarum agmina conveniebant) idolorum cultores, à quibus interficerentur, quos si non invenirent, jam per abrupta præcipitia, per aquas & flammas occidere seipsos quotidianus ludus illis fuit*, (ait Augustinus.) *Hæc enim eos tria mortis genera diabolus docuit, ut mori volentes, quando non inveniebant quem terrerent*. Rabidos Circumcellionum mores, & pseudomartyrii feralia vota, & insania desideria ad vivum exprimit sanctus Optatus Milevitanus lib. 3 contra Parmenidem. hos sanctus Augustinus enarrat in Psalmo 132. *Agonisticos* appellat, propter agones, quibus ambitione martyrii pugnabant; & sanctus Hieronymus lib. de hæresibus Iudæorum *Corispitas* nominatos dicit; & Philiastes *circuitores* appellet, quia aucupatione mortis sibi inferendæ varia circuibant loca.

Verum enimvero, hanc insanam pseudomartyrii ambitionem esse contra inclinationem, qua quælibet res naturaliter se ipsam diligit, & suam conservationem curat; contra charitatem in se ipsum; contra communitatem, cujus est pars; & contra Deum, cujus homo servus est, egregie ostendit D. Th. 22. q. 64, art. 5. ex Augustino lib. 1 de Civit. cap. 20. qui intelligit decalogi præceptum: *Non occides, nec alterum*, (inquit) *ergo nec te*.

III. Hæresis fuit eorum, qui dicti sunt flagellantes, de quibus sic Castro verbo Aqua, hæresi 2, *Hi circa tempus Gregorii Papæ decimi surrexerunt in Italia, atque inde in Germaniam & Galliam procurrerunt. qui ad quadraginta annos, vel circa, seipsos flagellando per mundum transierunt, & ita ab eorum opere nomen sortiti, ut flagellantes sese appellarent, quoniam nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant, dicentes, quod hæc flagellatio potior sit ad delenda peccata, quam quæcumque confessio; imo comparabant ipsam martyrio, vel præferebant, quoniam ultro ipsi (ut dicebant) sanguinem proprium fundebant, Martyres vero ab aliis hoc pati cogebantur*. Hæc ille.

Sed Sanderus lib. 7 de Visibili Monarch. n. 365. hunc errorem refert ad tempus Ioannis XXII, & Ludovici Imperatoris anno Christi 1320. & subdit: *Quæ hæresis, etsi prius aliquanto in Italia dicatur exorta, in Vngaria & Alemania percrebuit*. demum circa annum Domini 1350, auctore Trittemio in Chronico, tempore Clementis VI, & Caroli IV, quorum tempore secta ista de medio sublata est. & Ioannes Gerson. tom. 1, tract. contra se flagellantes, testatur, quod *Ecclesia Christi hanc sectam postquam insurgere videbatur in diversis partibus mundi reprobavit, tam in Lotharingia, quam in Alemania & Francia*.

Igitur hujusmodi flagellantes cum circuitoribus conveniebant in hoc, quod ad rationem veri & proprii martyrii dicebant non requiri persecutorem, sed quod ipsi seipsos proprii sanguinis effusione veros Martyres efficiebant, contra quos & Sanderus & Castro recte procedunt; ille ex eo quod proprium sanguinem ex præcepto fundere, propriis manibus illato vulnere à crudelitate imperatis, intolerabile est præceptum, cum circumcisio propter ejus intolerabilitatem, etsi parvo vulnere fieret, ablata sit & abolita in lege Euangelica, etsi ab altero infligenda; isti vero magis ad rem, quia sanguinis effusionem, quæ Baptismi locum tenere meretur, talem esse oportet, ut ab alio sit illata, quam ipse patienter tolerans efficit, ut Baptismi vicem tenere possit. verum, cum quis sibi ipsi infert mortem, aut læsionem corporis talem, ex qua corpus circa vitam periclitetur, ut impii flagellantes fecisse dicuntur, non solum non tenet Baptismi vicem, sed valet ad gehennam

Et quidem persecutorem in causa pietatis requiri ad rationem veri & præcisi martyrii, indubitatum est apud Ecclesiæ Patres, & omnium usque ad hæc tempora fidelium sensum & consensum. Sanctus Gregorius Magnus: *Mori* (inquit) *à persequente, martyrium in aperto opere est*. Cyprianus epistola 56 ad Tiberitanos requirit ad verum martyrium, dicens: *Grassatur & sævit inimicus, sed statim sequitur Dominus passiones nostras vindicaturus*. & de exhortatione martyrii ad Fortunatum: *Nisi quis variis modis in persecutione exerceatur, difficulter Christi Martyr esse poterit*. idem habet lib. de laude martyrii, & passim alibi. Chrysostomus homil. de Adam & Eva: *Tolle persecutores, & non erunt Martyres*. plura habet ad idem, sermone in sanctum Iuventum & Maximum. & hom. in 1 epistolam ad Corinthios. Augustinus sermone 1 de uno Martyre: *In cujus glorioso agone duo sunt præcipue consideranda: sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur*. Bernardus de passione Domini. Cardinalis Damianus sermone 30 de sancto Apollinari: *Qui pro testimonio veritatis supplicia passi fuit, Martyres nuncupantur*. Sanctus Basilius homil. in quadraginta Martyres: *Venerare igitur ingenue eum, qui martyrium passus est, ut sis Martyr voluntate, ac demum sive persecutione, sive igne, sive verberibus ac plagis, eodem cum illo præmio dignus habearis*. quem locum citat Anastasius in Synodo 2 Nicena, actu 4. Nazianzenus oratione 20 in laudem Basilii, n. 14; & oratione 10 in laudem Cæsarii fratris, n. 15. ubi Billius & Cretensis. Origenes tomo 28 in Ioannem. Athanasius lib. de fuga sua. Clemens Alexandrin. lib. 4 Stromat. ubi Herbetus n. 50. Laurentius Iustinianus sermone in festo sanctorum Innocentium, dicunt de *ratione* & *lege* martyrii esse, quod ad sit Tyrannus aut persecutor, cum quo causa fidei certemus, aut quem martyrizare curantem fugiamus, aut coram quo fidem profitentes occumbamus. & sic Christus Matth. 5 dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* fidei, ut omnes explicant de martyribus. unde apud Patres martyrium, id est, quod testimonium confessionis fidei coram Tyranno. id quod egregie præstat Clemens Alexandrin. ubi supra, pagina mihi 514, adducens plura testimonia Euangelii ad probandum, quod confessio coram Tyranno est de ratione hujus testimonii, quod est martyrium, ut concludat contra Basilidem, Martyrium non esse supplicium pro criminibus commissis in hac vita, vel in alia, in quam anima Martyris transmigrata est. legatur ibi pagina 521. Herbetus litera K.

Huc spectat quod ille alius sapienter cecinit, ut etiam adduxi:

Sanguine mundata est Ecclesia. sanguine cœpit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Quia videlicet sanguine fuso à persecutoribus Christi mundata est Ecclesia, & sanguine Abel justi fuso incœpit, crevit persecutionibus Romanorum & aliorum gentilium, & tandem persecutione magna Antichristi gloriosus finis erit; non ergo concipi potest verum martyrium, quale agnoscit Ecclesia Catholica Romana, sine persecutore, & ab ortu Euangelii usque ad consummationem seculi persecutionibus clarissima fuit, & clarior indies evadet ejus veritas, & inconcussa fides. ut enim egregie Chrysost. homil. 25 in Matth. loquens de Martyrum persecutoribus, ait: *Sicut qui ignem obligat, in vestimento quidem non extinguit, vestem autem comburit, ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac seipsos colligebant, illos quidem ex his omnibus reddebant clariores,*

clariores, *se autem omnino prodebant*. unde Deus persecutiones Tyrannorum permisit, ut Martyres faceret, sicut, ut nos salvaret, permisit Christum pati. & sic, etsi actionem persecutoris nolit, voluit tamen Martyrum passiones, sicut & Christi. unde Lactantius lib. 5, cap. 23 ait: *Quomodo potest imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem? Deus autem, quia repugnari non potest, ipse adversarios nomini suo excitat, non qui contra ipsum pugnent, sed contra milites ejus, ut fidem suorum vel probet, vel corroboret*, &c.

Et quidem gloriam veri & proprii martyrii à persecutione Tyranni ortum duxisse & natalem, manifeste constat ex utroque testamento: Genesis 4, ✝s. 8. Abel persequitur à fratre. Machabæi ab Antiocho 1 Machab. 1, ✝s. 33, & lib. 2, cap. 5, ✝s. 16. Christus in toto Euangelio à nativitate usque ad mortem. Innocentes persequitur Herodes Matth. 2, ✝s. 16. Baptistam cap. 14, ✝s. 10. Iacobum Actorum 1, ✝s. 12. Iudæi beatum Stephanum cap. 6, ✝s. 12. Danielem & tres pueros Chaldæi Danielis 6, ✝s. 16. & cap. 14, ✝s. 30. unde ad Philippenses 1, ✝s. 28. *In nullo terreamini ab adversariis* (id est gentilibus, qui Christianos persequuntur, ut explicant omnes Patres) *quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis: & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eo credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me qui sum in vinculis.* quare ubi non est certamen & agon cum adversario perscrutore, verum martyrium non est. Martyres enim Athletæ sunt Christi, quos ipse passim in Euangelio exhortatur dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* quod de Martyribus 1. intelligunt omnes Patres, id est, beati, qui pro Euangelio, & fidei veritate confitenda, tuenda & amplianda persequuntur usque ad sanguinis effusionem. ex quo satis ad rem Optatus Milevitanus lib. 3 contra Parmenidem ait: *Persecutionem esse bellum Christianorum*, quod videlicet in eos excitatur & infertur propter fidei confessionem, quod est certamen, de quo Paulus in adducto testimonio, & ad Hebræos 11, ✝s. 20. dum ait de martyribus, *fortes facti sunt in bello.*

RESOLVTIO XXXVII.

Vtrum mors, quæ martyrium proprium constituit, debeat esse opus alienæ violentiæ?

POsuimus Resolutione præcedenti firmum fundamentum cui nititur Ecclesia ad suos Martyres veros celebrandos, quos publicat & concinit in cœlis laureola martyrii condecoratos esse, quia passi sunt, Tyranno persequente propter Christum in bello, illato à Dæmone per suos ministros contra fidem. quod fundamentum adeo solidum putavit sanctus Optatus Milevitanus Episcopus lib. 3 citato aliquantulum à fine, qui habetur tomo 4 Biblioth. veterum Patrum, ut ex illo ut principio certo & indubitato, colligat, apud Donatistas non esse veros Martyres Circumcelliones illos, qui se præcipites dabant è montibus altis, sufficiabantur in fluminis torrente rapido, & igni voraci se cremandos nullo persecutore dabant, martyrii occupata ambitione. contra hos enim arguit sanctus Episcopus premens locum Isaiæ 22, ✝s. 2, juxta versionem Septuaginta: *Mortui in te, non mortui in bello. quare debetis* (inquit) *attendere, ne temerarium sit eos Martyres appellare, qui Christianorum nullum senserunt bellum: non enim aliquid tale factum aut dictum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est: quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit: prima fuit ut Leo, hæc erat persecutio sub Decio & Valeriano, secunda ut Vrsus, alia persecutio quæ fuit sub Diocletiano & Maximiniano. Quo tempore & fuerunt impii judices, bellum Christiano nomini inferentes.* hactenus Optatus. quo nihil illustrius ad præfatum fundamentum consolidandum. quamvis enim ibi sit sermo contra circuitores nundinarum gentilium, quærentes sui occisores, aut contra eos qui temere se occidebant, vel contra eos qui à ministris publicis non in fidei odium, sed in scelerum castigationem morte multabantur, hos omnes Martyres dicit non esse, quia non mortui sunt in bello & persecutione. & dicere quod qui non moriuntur in bello Christianorum, sunt veri Martyres (ait Optatus) *esse temerarium*. & jure optimo, cum in re gravissima sit contra omnes Ecclesiæ proceres, qui sic notionem proprii martyrii sanctorum sanguine rubricati intellexerunt. hoc ergo posito indubitabili principio, quid sentiat Raynaudus enodemus.

§. 1. *Raynaudi opinio proposita.*

POstquam Pater iste p. 2, cap. 1. plura de persecutore (qui se habet veluti agens ad passum respectu martyris, qui à persecutore patitur: implicat enim quod sit passum sine agente, sicut & mobile sine motore) statuisset, vere quidem tanquam certa in doctrina Patrum, ut quod persecutor debet esse alius à Martyre, cum nemini sit licitum se occidere: in præsentiarum enim notio persecutoris restringenda est ad eum qui vexat inferendo mortem, saltem in causa illam ex vi sua necessario & secluso miraculo inferente, qua persecutione seclusa, quantacumque sit efficax patiendi ardens voluntas & vividum desiderium, veri martyrii ratio non subsistit.

Dicit 2, n. 11. quod mors ista à persecutore illata debet esse in odium fidei, vel directe & immediate fidem insectando, ad extorquendum à fidelibus illius abjurationem aut divinæ legis violationem; odium fidei dicitur quando quis persequitur ob opus ex Christi doctrina necessarium, ut sanctus Thomas Cantuariensis, qui cæsus est pro sui officii & jurium Ecclesiæ defensione. intelligitur etiam odium fidei insectatio ob exercitium operis ex se boni, tendentis aliquo modo ad fidem propagandam, tuendam, aut illustrandam, prohibiti tamen iniqua lege humana: sic Apostoli *ibant gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, cum prohibebantur lege iniqua docere Euangelium Christi, pro cujus iniquæ legis transgressione pœna propria non debetur, cum ista culpam supponat quæ non relucet dum lex injusta non observatur. quare persequebantur Apostoli, sed ob observatam religionem, quam sua prædicatione illustrare & augere sancto zelo satagebant, quæ vexatio si ad mortem usque pertingeret, sufficiens titulus veri martyrii erat, cum qui tale exercens opus voluntariæ pietatis, putans ad Dei gloriam, fidei decus, augmentum & tutelam conferre, si occidatur, occidetur non ut malefactor, sed ut Christianus, & sic efficitur Martyr. alium casum ponit Abulensis q. 20 in caput 13 Matthæi, dicens: *Si infideles oderint aliquem fidelem quia multos de ipsis convertit ad Christum, & propter hoc illum occidant, nec liberari possit etiamsi vellet negare Christum, Martyr est*, &c.

Addit & bene n. 14. quod si persecutor aliquo ex dictis mediis in odium fidei fidelem occidat, non est curan-

curandum quod causa ex qua Tyrannus mortem infert subdole ab eo tegatur, & alia falsa obtendatur: inde enim nihil decedet veritati martyrii. multi enim persecutores fidelium ad fugiendam crudelitatis notam, sive ad emolliendos Christianorum animos obscurato martyrii splendore, à quo putabant eos maxime impelli ad subeundam tam alacriter mortem, revera in fidei odium vexantes populum Dei, ficta crimina conquirebant quibus illum onerarent, idque studiose annitebantur, ut persuaderent sibi in animo non esse Martyres facere, vel in fidei causa cuiquam negotium facessere, sed illorum criminum insimulatos sanctos insectabantur & occidebant. ita scribit sanctus Hilarius lib. contra Constantium Augustinum, fecisse Arrianos, & ipsimet Imperator cum Arrianus esset faciebat, eundem ob eandem fraudem compellat Lucifer Calagar. lib. quod sit moriendum pro Dei filio. & Constantii Patruelis Iulianus Apostata eadem calliditate & fraude Ecclesiam impetiit, ut adnotat Nazianzenus oratione 3. quæ est 1 in Iulian. & oratione 31. idem advertit in Valente & ipso Ariano. similia obtendicula criminum prætendunt Hæretici contra Catholicos, ut obscurent in illis martyrii gloriam. quod *singularis stultitiæ* est, ut ait Nazianzenus oratione 3 citata. *Sufficit enim ad testimonium martyris sui, testis ille qui probat Martyres & coronat*, ut ait Cyprianus epistola 56.

Hæc cum verissima sint, ipsa sine fundamento evertit p. 3. cap. 6. num. 3. asserens non esse de ratione veri & proprii martyrii violentiam alienam, sive Physicam, ut dum quis jugulatur, transfoditur, capite plectitur amputato; sive moralem, ut dum quis comprehensus à satellitibus Tyranni, Spiritu Dei actus, vel ipse ultro in ignem mittitur, ut 300 illi qui dicti sunt mazæ candidæ, aut è præaltis locis in solum aut flumen se præcipitarunt, ut multæ fecere fœminæ, quas Martyres agnoscit Ecclesia. pro quo citat Abulensem ubi supra, in quo nec verbum in hujus novellæ opiniunculæ favorem dicit, sed potius in contrarium ut jam ejus verba supponam.

Concludit igitur Raynaudus: *Illatio autem violentiæ ab externa causa morali, tum demum est ad martyrium necessaria cum mortis oppetitio non esset alioqui honesta. Nam si quis citra noxam immò cum laude posset in mortem pro Christo ruere, ex eo ipso motivo ex quo alienam violentiam excipit cum fructu martyrii, esset haut dubie Martyr habendus, quamvis violentiæ externæ exors omni modo, quia illa ultronea mortis aditio honesta & sancta, honeste suppleret defectum alienæ violentiæ ne moraliter quidem adhibitæ. Deus enim ad coronandum Martyrem eam violentiam non attendit, nisi quatenus mors inhoneste quæreretur ac cum scelere; si autem mors ab ipso homine aliquando absque culpa adiri possit, vel, ut castius loquar, si homine discrimen apertum mortis honestæ adeunte contingat mortem consequi, quamvis absque extrinsecus illata violentia, nihil erit cur ad veritatem martyrii, ei morte vindicandam, desideretur vis externa mortem inferens, quia satis est quod ex parte passi omnia laudem, & coronam promerentia, in quæ Deus intendit, & scilicet mors honestam illam discriminis aditionem consequens interveniat.* Hactenus ille.

§. 2. *Raynaudi opinio rejecta.*

Verum enimvero Theophilus iste aquilas Ecclesiæ noctuis jungit. cum enim, ut vidimus, Patres & Doctores Ecclesiæ tanquam perspicaces aquilæ, verum martyrium à violentia aliena illatum viderint sole aperto, ipse veritatem martyrii noctuis objicit, conspiciendum quod ad radios solares expositum aspicere satagunt, sed cæcutiunt & aspicere nequeunt: nihil enim apud Catholicos Scholasticos in 4. dist. 49. ubi omnes Magistri expositores, magis tritum, quam quod laureola martyrii debeatur propter insignem victoriam, reportatam ex pugna cum Tyranno persequente & inferente mortem in odium nominis Christi. accipite S. Thom. ibi q. 5. art. 3. q. 2. *Sicut inest quædam pugna contra passiones interius illatas, ita inest homini quædam pugna contra passiones exterius illatas; unde sicut perfectissimæ victoriæ qua de concupiscentiis carnis triumphatur, scilicet virginitati, debetur specialis corona quæ laureola dicitur, ita etiam perfectissima victoria quæ habetur de impugnatione exteriori; perfectissima autem victoria de exterioribus passionibus consideratur ex duobus: primo ex magnitudine passionis*, inter omnes *autem passiones illatas exterius præcipue locum mors tenet, sicut & in passionibus interioribus præcipuæ sunt venereorum concupiscentiæ. & ideo quando aliquis obtinet victoriam de morte, & de ordinatis ad mortem perfectissime vincit, &c.* quæ transcripsit fere ad verbum Abulensis ubi supra: *Virgini debetur laureola, sed est magis esse Martyrem quam esse Virginem, ut dicit Augustinus libro de Sancta Virgin. datur autem laureola pro operibus perfectis habentibus rationem excellentis victoriæ, secundum quod homo valde conformatur Christo. hoc autem est in martyrio, quia ibi est pugna gravissima, &c.*

Deinde S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 2. ad rationem veri martyrii, quod est excellens actus fortitudinis, qui elucet maxime in bello, pugnam, certamen, & bellum particulare exigit: *Manifestum est* (inquit) *quod in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem & justitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminent. unde Cyprianus dicit lib. 2 epistola 6 ad Martyres. vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen, & in prælio stetisse servos Christi, mente correpta virtute divina. unde manifestum est, quod martyrium est fortitudinis actus, & propter hoc de Martyribus legit Ecclesia: fortes facti sunt in bello.* Hæc ibi. ad martyrium ergo proprium aliena violentia, qua in bello particulari infertur mors, exigitur. Legatur Dominus Cajetanus §. *ad hujus.* quod ipsum sensere omnes quot hucusque de laureolis tractarunt. legantur Paludanus in 4. dist. 49. q. 8. art. 2. Gabriel q. 4. Major q. 22. Cartusianus q. 8. Sotus q. 5. art. 2. Altisiodor. lib. 3. cap. 6. q. 4 Alensis 3 p. q. 12. membro 3. Valentia tom. 4. disp. 11. q. 5. punct. 2. Salas. 12. tract. 2. disp. 8. sect. 3. Viguerius cap. 14 Instit. §. 3. Enriquez de ultimo fine, cap. 37, §. 6. Iacobus Granados 3 p. controvers. 13. tract 3. disp. 8. sect. 2. unde D. Thom. in additionibus q 98. art 12. dicit, *Illa Eminentia quæ attenditur ex parte pugnæ, est essentialior laureolæ, quia laureola secundum propriam rationem, respicit victoriam & pugnam.*

Et quidem martyrium proprium esse opus alienæ violentiæ innuit Christus, dum Matthæi 5. ultimam beatitudinem, quæ aliarum est complementum, ut ait D. Thom. explicat, dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* quæ verba omnes fere Patres & expositores de Martyribus intelligunt. ast ubi non est aliena violentia, à qua mors inferatur, non est persecutio quæ ponitur beatitudo à Christo Domino. sententiam Christi sic enucleat Beatus Lucifer Calerit. lib. *quod moriendum est pro Dei Filio.* & habetur tom. 4. novæ Bibl. veterum Patrum: *non dixit beati qui persecutionem faciunt, Christiani scimus ad hoc nos Christi factos*

factos milites, ut in justo à te indicto belli, campo ducem nostrum confessi quo possumus, victoriam triumpho potiri, &c. satis pulchra.

Quod eleganter probat aliquanto ante verba relata, explicans illud Sapientiæ 3. ℣f. 12. ait: *Tormentis namque Martyres Dei consecrari, & ipsa passionis probatione coronari aperiunt ita Sacræ Scripturæ: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum, etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; & in paucis vexati, in multis bene disponentur, quia Deus tentavit illos, & invenit eos dignos, se tamquam aurum in fornace probavit eos, & quasi holocausta hostiæ accepit eos, &c.* sine tormentis illatis ab aliena violentia, & carnificina Tyranni, non est vere Martyr consecratus.

Et infra circa finem libri: *Interest* (inquit) *ex qua causa, non ex quo pendeam stipite, quid dicis Rex stultissime, inique in ista supplicia in hujusmodi pœnam mittor à te, an juste? si inique, tua figentis erit crux, non mea quem fixeris; si juste, culpa mea me criminis mei, non pœna tua torquere incipiet; cæterum, quantum ad exitum, nihil interest clavo per te, an lancea moriar; restrictus post terga manibus, an porrectus sparsisque; utrum pronum, curvum, an rectum & editum, nihil refert; utrum quiescentem in lectulo me occidas, an cervicem mihi adstanti incidas, gladio an securi caput auferas; an ad palum me, an ad crucem alligas, igne torreas, an humo vivum condas, saxo præcipites, an in mari mergas, labandagine magnis viribus conatus:* uno vastissimo ictu longe *à me meum caput excutias, an omni subtilitate subtilior sagitta dimissime figens in meo corpore ludas; centum millia licet formas pœnarum crudelitas tua faciat, &c.* Egregia, quibus manifeste docet, nullum esse Martyrium quod à crudelitate Tyranni, aliena violentia non ducat originem.

Verum enimvero ne locus adductus ex cap. 3 Sapientiæ, quo mirifice nostrum confirmatur intentum, præteritus videatur, ipsum promere operæ pretium duxi. & præterquam quod Ecclesia solum de Martyribus illud concinit in Missa plurimorum Martyrum, ex Sanctis Patribus enucleamus, ut luce clarius constet non esse verum martyrium Catholicum, ubi aliena violentia extrinsecus illata non intervenit. Audiamus Cyprianum epist. 81 ad Sergium Rogatianum, ubi sic loquitur: *Vbi loquitur scriptura de tormentis, quæ Martyres Dei consecrat & in ipsa passionis probatione sanctificabat: etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est, & in paucis vexati in multis bene disponentur, &c.* Similia habet lib. de exhortat. ad martyrium, cap. 12; & lib. 3 ad Quirinum anno 17. ubi ad idem plura congerit Sacræ Scripturæ testimonia. & lib. de laude martyrii anno 24. egregie concludit adversus novellam Raynaudi opinionem.

Sanctus Ioannes Chrysostomus idem expresse & rigidius sentit, siquidem tom. 1. homil. de Adam & Eva: *Omni ratione servit Deus futurum irreparabilem casum ejus, scilicet Angeli, sicut servit quanta bona futura essent de malo ejus: nam tolle persecutores & non erunt Martyres, &c.* Si autem persecutoris violentia extranea necessaria non esset ad martyrium, non ex sublatione illius hoc auferret.

Sanctus Bernardus lib. de passione Domini, cap. 3. de circumfossione vitis: *Veniamus ad Martyres, terreantur licet Martyres, rident, feriuntur & gaudent, occiduntur & ecce triumphant. quare? quia morte charitatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo tanquam insensibiles, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt.*

Sequitur Petrus Damianus in sermone omnium Sanctorum, explicans qui sint veri Martyres, dicit: *Si persecutionem patiamur pro justitia, & resistamus usque ad sanguinem, vel usque ad mortem, & hoc est quod subsequitur: beati qui persecutionem patiuntur, &c.* Idem dicit serm. 3. de S. Apollinari. Legatur Rupertus Abbas ad cap. 2 Naum, ad illa verba: *velociter ascendunt muros ejus.* ubi de Martyrum victoria & pugna contra Reges, Principes, Tyrannos & Imperatores. & egregie lib. 6 de operibus Spiritus Sancti cap. 3, *Post insignes Ducum, id est Apostolorum, triumphos sequuntur bella Martyrum, magna ira diaboli, magna fortitudine Spiritus Sancti, magna strage corporum, magna glorificatione animarum.* & cætera valde pulchra quæ ibi sequuntur & capitibus sequentibus 14 & 15.

Accedat Prudentius doctissimus Poëta Catholicus, & de martyrii ratione satis eruditus qui in Physeo, sic canit martyrium proprium definiens tom. 4 novæ Biblioth. V. P P.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos:
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit nec tegmine cingi;
Pectore sed fidens valido, membrisque retectis
Provocat insani frangenda pericula belli.

In eandem sententiam ait Theodoretus in Canticum, ad illa verba, cap. 5. ℣f. 8. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem, percusserunt me & vulneraverunt me.* Et ad literam intelligit de Ecclesia jam sponsa, quam Magistratus & Tyranni oppugnaverunt, & victoria illustres Martyres pallio ablato necaverunt.

Hilarius in Psalm 65. ad illa verba, *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti,* &c. *tentationum autem genera & diversas Martyrum victorias continentes, scimus quibus modis anima ponatur in vitam, cujus contemptu desævientibus pœnarum ingeniis à fidei gressu & testimonio non movemur.* & relatis variis & violentis tormentis, concludit: *percurrit ergo per hæc pœnarum genera, ex persona Apostolorum, & Euangelistarum, & Martyrum Propheticus sermo, dicens, igne nos examinasti, &c.* Eam expositionem tradit Sanctus Epiphanius lib. 1 contra Hæreses cap. 64. referens verba Methodii: *Duo sunt chori Martyrum, qui pulchras victorias tulerunt.*

Philippus Abbas, Sancto Bernardo synchronos, epistola 10 ad Radul. approbata à doctissimo Francisco Sylvio Duaci, anno 1617, die 2 Novembris, in qua videtur Sanctus Abbas spiritu prophetico impugnasse Raynaudi novitatem: agit enim de proprio, & vero Martyrio ad petitionem Radulphi, cui scribit epistolam: *Exegisti ut de quovis Martyre, vel de Martyribus tibi aliquid scriberem, tanquam & ipse non legeris illorum agonem, plenum laboribus & sudore, & coronam triumphalem, gloria præditam & honore.* & paulo inferius definit martyrium, dicens: *Martyr verbum Græcum est, & Latino eloquio testis interpretatur, testis qui aliquid attestatur, cujus testimonio verum esse quod verum est, & falsum esse quod falsum est affirmatur; & tamen non omnis, qui hoc agit, Martyr inter Ecclesiasticos appellatur, sed tantum qui propter Deum id facere, & interficiendus illatam mortem perpeti comprobatur.* Et infra: *In martyrio qui carnem spiritui, futuris præsentia non præponit, qui minas minis, verberibus verbera non reponit, qui occurrente gladio devotam patientiam anteponit, qui urgente adversario, tandem animam suam ponit, iste victor judicio sane sapientium invenitur.* & aliquanto post: *Vnde constat verum esse quod ajunt; quia Martyrem non pœna facit, sed causa. quia videlicet Martyr non est omnis, quem petivit gravis occasio, sed cujus passionem sana commendat*

merdat intentio, qui sibi ullo modo inferre mortem ultimam non præsumit, sed illatam ab alio tanquam levatis in cœlum manibus sic assumit, ut tota sit ejus intentio ei solum modo complacere, quem novit Martyribus salutari gratia præsidere. de qualibus Ioannes: vidi (ait) sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant. non omnes igitur interfecti, sed propter Dei verbum & testimonium interfecti, martyrio vel martyrii præmio coronantur.

Et in fine epistolæ sic concludit: *Qui propter Christum non solum minas & verbera tolerat persequentis, sed consummato cursu manum gravissimam sustinet occidentis, qui, etsi antea Christum non cognoverit, vel pro eo nihil grave pertulerit, si tamen ad ultimum propter ejus testimonium occidatur, nimirum Martyr esse cunctorum judicio prædicatur; si tamen à converso prius inventus fuerit multum Christo detulisse reverentiam, mortem primam, qua transitur ad justitiam, satis gravem & diutinam pertulisse, ad obtinendam vero retributionem, & æternum beneficium præmii gratioris, tandem quieto fine sine manu transeat occisoris, iste apud homines gloriam & nomen martyrii non assumet, sed quod ita sit & apud Deum affirmare temere quis præsumit? Quis contendit, quod mors justi, vel prima. qua transit ad justitiam, vel qua transit ad præmium mors secunda, tam apud Deum, quam apud homines sit martyrii penitus infœcunda, si cum illa graves nonnunquam & diutinas cogatur molestias hominum sustinere, in hac inveniantur illi manus occulto Dei consilio continere. etsi enim longe abest hostis furor, & furens gladius occidentis, adest tamen propius securis & ascia invidentis, cum scilicet gravi morbo Deus, & gravissima vi doloris transire justum facit ad.*

Quibus verbis beatus Abbas manifeste & nostram sententiam de martyrio improprio, dum quis non moritur aliena violentia ob fidei confessionem, confirmat, & novellam Raynaudi de martyrio vero, dum quis moritur gravi morbi infectus ob servitium quod impendit pestilentia infectis, rejicit; quia tamen, dum quis gravi morbo, & gravissima vi doloris correptus, moritur, non esse ejus mortem martyrii infœcundam concludit, timore sancto actus (quia contra communem sensum Ecclesiæ aliquid insinuaret:) *Sed, quia non est meum omnia supernæ altitudinis consilia penetrare, non debeo, nec audeo quicquam tibi de talibus affirmare, ad illos te remittens, qui, majoris intelligentiæ gratiam consecuti, incerta & occulta divinæ sapientiæ sunt locuti.* Quam doctrinam, si Raynaudus secutus fuisset, non diverteret in novi martyrii introductione à doctrina Ecclesiæ.

In ejusdem veritatis egregiam confirmationem extant duo sermones sancti Ephrem Syri tom. 3. *Encomium in omnes Sanctos Martyres, qui in toto mundo martyrium sunt passi.* In quibus martyrium verum solum agnoscit in morte sufferenda, à violentia aliena illata, ut manifestum est: si enim agnovisset martyrium verum in his, qui contagio infectis serviunt, non tacuisset, dum de peste & ejus curatione tractat tom. 1. sermone *ne decipiamur gentium erroribus.* tum præcipue, cum ipse hospitalitatis fuerit insignis professor, inserviens infirmis tempore famis, ut de ipso referunt sanctus Gregorius Nyssenus, in ejus vita, Palladius, Sozomenus lib. 3 Histor. cap. 15. Calixtus lib 8, cap. 14.

Confluunt in eandem sententiam omnes fere Patres, Basilius oratione in quadraginta Martyres. Nazianzenus oratione 20 in laudem Basilii, n. 14. ubi Billius & Cretensis. & oratione 10 in laudem Cæsarii Fratris, n. 15. Origenes tom. 28. in Ioannem, Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromatum pagina mihi 514. ubi Herbetus erudite num. 50. Beatus Laurentius Iustinianus oratione omnium sanctorum. & egregie Abulensis tom. 4. in Matthæum, ad 13. q. 20. Augustinus serm. 47. Ambrosius epistola 17. Sanctus Asterius in sermone enconomastico de Sanctis Martyribus. Sanctus Fulgentius serm. de eisdem. & omnes fere, ut dixi, nuncupant Pugiles Christi, Agonothetas, milites, victores, athletas, & eorum passiones certamina, agones, bella, Sanctorum Martyrum pugnas, quæ omnia sine violentia aliena subsistere nequeunt. valeat ergo Raynaudus novellam opinionem introducens. utinam ut *mus piscem degustet, alias Margues erit.* cum enim alias eruditione valde scitus & egregius sit, *sed caveat obsecro thoracem, & frenet linguam*, ne voces petulanter emissæ, per jugulum maximo dedecoris dolore exeant. etsi enim colore pietatis, & dulcedine charitatis ductus, hanc protulerit sententiam, tamen in apes irruit, quæ Ecclesiastico aculeo circumvolantes ipsum impetunt & etiam fugientem insequuntur.

RESOLUTIO XXXVIII.

Vtrum sit vere & proprie Martyr, qui affligitur ab alio usque ad mortem, ex eo quod non velit omittere executionem alicujus actus virtutis, à quo posset absque peccato cessare.

MAgister ille Ioannes Andreas Pazo oppidi de Balibo (hic est Ioannes Baptista Poza oppidi de Bilbao transmutato nomine per anagramma) in Prælectione summaria (quod omnes canones Ecclesiastici doctrinales, &c. sint de jure naturali, vel divino, &c.) subreptitie typis data, postquam plura dixit vera falsis mixta (quæ hic impugnare erat extra metam divertere) in appendicibus num. 6. sic fatur: *Quicumque gravibus afflictionibus continuis usque ad mortem premitur ab aliis, vel moritur pro implendo præcepto, sive in materia justitiæ, sive religionis, sive alterius cujuscumque virtutis supernaturalis, verus est Martyr, etiamsi oppressor sit Christianus, aut bona fide sibi videatur procedere, putans se obsequium præstare Deo. hoc tritum est & commune, addimus id quod non minus certum est: qui ab aliis usque ad mortem continue affligitur, vel occiditur ex eo quod non velit omittere executionem alicujus actus virtutis, à quo posset absque peccato cessare, verus est etiam & proprius Martyr.*

Ideo Ecclesia in Martyribus propriis numerat plures virgines, quæ, ne nuberent mori voluere, cum tamen possint matrimonio copulari, aut licite quæ voto erant obligatæ dispensationem impetrare, ut Sancta Pelagia quarto Maji die, ideo candente bove est inclusa, quod primum filii Diocletiani, deinde ejusdem Diocletiani uxor esse noluit. Sancta Tecla innumera perpetitur, ne nubat Thamiridi. ex Ambrosio lib. 2 de Virginibus. Sancta Fel'cula 13 Iunii, & Sancta Irene die 4 Maji, & Sancta Barbara Dec. 4. & aliæ plures idcirco ut Martyres ab Ecclesia celebrantur, quod noluerunt maritari. interdum Tyranni, ut sævitiam dissimularent, prætextus illos aut magiæ, aut religionis proponebant. similiter, qui, ut opinionem magis religiosam exercerent, & ne eam omitterent, sunt occisi, ab Ecclesia Catholica inter proprios Martyres numerantur. Putabant plurimi cum Tertulliano, lib. de Idololatria. non licere Christianis artificibus idola fabricare, aut thura vendere pro pretio Idololatris sacrificaturis, & Martyres declarantur ab Ecclesia. octavo Novembris die Claudius, Nicostratus & alii, quia pro hac opinione mortui sunt, etsi oppositam confirmare potuissent, quam etiam multi nunc Theologi probabilem arbitrantur, exempla sunt hujus generis plurima. similem gloriam meretur, qui mereretur, ne

ne opinativa hæreticorum placita sectaretur præponendo opiniones Patrum, etsi non desinuas, &c. Hæc ille de quo proverbium apud Aristophanem in ranis:

Sunt ista folia, & stulta blateramenta
Musæa hirundinum, artis ac subversio.

Et quis non videat, quod iste Ioannes Andreas, ut sua folia tueatur, blateratur, & lusciniæ magis insidens immodice sua indiscreta eruditione delectatur. Sed de his alibi oportunius; modo ad impugnationem novellæ opiniunculæ accedo. scatet enim doctrina allata mille absurdis; prius tamen quam ea inferam à priori eam ut improbabilem impugnare operæ pretium est.

Et quidem firmum fundamentum contra hanc imaginationem posuit Sanctus Thomas 2.2. p.124. artic. 3. quia *Martyr Catholice dicitur, qui testis est fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebræos 11. ad martyrium ergo pertinet, ut homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat*, &c. unde Dominus Cajetanus artic. 2 ejusdem pag. §. ad hujus evidentiam, quem fere omnes sequuntur, ad rationem martyrii dixit *quatuor concurrere; primo ipsa testificatio exterior, quoniam oportet quod sit testimonium de natura sua coram hominibus, quibus so'a exteriora certa sunt. secundo, species facti assumpti, ad testificandum scilicet sustinere mortem. tertio, id de quo testimonium redditur, puta veritas fidei. quarto is in cujus favorem testimonium redditur, puta Deus, qui per filium suum veritatem fidei revelavit.*

Ex qua inconcussa, uti usque Thomæ doctrina impugnata, corruit imaginatio Pozzæ; quasi quis juste & secundum allegata & probata cogitur à judicibus ad deponendam & rejiciendam opinionem aliquam, quæ, etsi præ se ferat speciem pietatis in Deum, Virginem Matrem & Sanctos, tamen est digna censura vel improbabilis, quia sic censurant homines cordati, pii, & literati, quorum qualificationem secuti sunt Patres sancti officii, nam non est actus virtutis aut cultus in sanctos talem opinionem defendere, & sic ejus defensio non est fidei protestatio exterior, quæ fit aut verbis, aut actibus virtutibus supernaturalibus quibus se habere fidem aliquis ostendit, juxta illud Iacobi 2, *ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* & sic Beatus Ioannes Baptista (in cujus die hæc scribo) veneratur proprius Martyr, quia non pro neganda fide, sed pro justa reprehensione adulterii mortem subiit.

Et quidem si judices fidei decernant aliquam opinionem indefensabilem practice. non esse actum virtutis ab illo non cessare, nec esse Martyrem qui pro illius defensione tribulationes, carceres, & tormenta sustinet ad mortem usque, evidens est. quia judices fidei in suo decreto juste procedunt secundum allegata & probata, & secundum qualificationes Doctorum. ergo tenetur quis abstinere ab illius opinionis defensione; & sic non est actus virtutis eam defendere, sed grave peccatum, nisi evidenter constet decretum fuisse injustum, quod nunquam est præsumendum, nisi probationes luce meridiana essent clariores, alias omnis politica jurisdictio & determinatio patent mille cavillationibus, & in hoc omnes Doctores conveniunt. si enim in sententiis pecuniariis, quamvis ante sententiam latam, sint diversæ opiniones ambæ probabiles cui debeat adjudicari materia litis, tamen latæ sententiæ pars, quæ damnatur nequit, tergiversari, nec uti occulta recompensatione, quia altera pars habet pro se sententiam judicis sibi rem adjudicantis, nisi, ut dixi, evidenter & luce clarius injuste damnatum fuisse constet.

Deinde hujus opinionis absurditas ex eo liquet, quia si verum ejus fundamentum, quis posset esse vere & proprie Martyr pro defensione cujuscumque opinionis probabilis. quod quam sit absurdum ex se patet: etenim nullus defendit opinionem probabilem, maxime circa cultum & venerationem, quin prudenter judicet ita esse defendendum. prudentia autem actus virtutis est, quæ requiritur in defensione cujuscumque opinionis probabilis. & sic, si quis usque ad mortem patiatur pro defensione hujus opinionis, erit proprie Martyr, quod quidem non solum est ridiculum, sed omnino absurdum; & Pozza id dixit ut Martyrem se faceret, quia patiebatur juste ut sua figmenta desereret, & noluit cum posset, judicans potiorem esse suam particularem prudentiam, quam prudentiam publicam sancti officii supremæ Inquisitionis tam Romæ, quam Hispaniæ. sed iste suo obscurato cerebro in vincula in extricabilia se conjecit, & adhuc *in vinculis Camelus saltat*, (ut satis apte de Helvidio illo, homine Hispano, dicebat Hieronymus,) *Helvidius*, quia *virginem hæretico deprimebat.* Pozza vero, quia imprudenter ipsam exaltat. unde nullus est proprie martyr pro defensione cujuscumque opinionis, etiamsi sit communis & securior, nisi sit ab Ecclesia approbata, vel, nisi opposita sit ex communi sententia improbabilis & digna censura *ex officio.* quare, ne mortem subeat, debet abstinere ab ejus defensione, & contrariam deserere, nisi tyrannus in contemptum aut prudentiæ, aut cultus religiosi ipsam imperet deseri; tunc enim adest fidei protestatio per actus virtutis prudentiæ & religionis.

Vt autem clarius eluceat hujus doctrinæ veritas, notare operæ pretium est intelligentiam genuinam illius Angelici Doctoris sententiæ, asserentis *quod fidei protestatio fit tum verbis, tum factis, sicut negatio hujus fidei protestationis, & fit verbis, & factis, juxta illud ad titulum 1. confitentes verbis se nosse Deum, factis autem negant.* unde concludit sanctus Doctor: *ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & secundum hoc possunt esse causa Martyris.*

In quæ verba Dominus Cajetanus ibi art. 5. §. *ad horum.* vers. *& ad primum dicitur. quod sive sit parva, sive magna necessitas aut utilitas, nihil refert ad hoc quod est licite subire martyrium propter opus virtutis, si tamen tunc est virtutis integraliter, est tamen ex hoc differentia, quod teneri ex præcepto vel ex consilio, & rursus ad id teneri ex obligatione contra vel præter præceptum ad martyrium, quando autem opus imminet cujus oppositum est morta'e peccatum, tenetur sub præcepto ad martyrium; quando vero oppositum esset peccatum veniale, tenetur quidem ad Martyrium sic, quod præter, non contra præceptum facit si peccat venia'iter, ut non moriatur. quando autem ta'e opus est, quod est integre bonum, si tunc fiat, & nihilominus si prætermitteretur, nullum peccatum esset, tunc martyrium est de consilio.*

Vtriusque Thomæ doctrina extricatione indiget, ne ensem ex mala ejus intelligentia arripiat contrarius in veritatem insurgendi. nos autem resolut. 25. per varios. §§. extricavimus illud Patrem commune proloquium: *Martyrem non facit pœna, sed causa.* & contra Martinum de Magistris ostendi quemlibet actum virtutis exercitæ loco, & tempore & aliis circumstantiis requisitis ad veritatem moralem esse fidei protestationem, & sic est causa Martyrii, & ad

ad hunc locum remisi hujus veræ doctrinæ intelligentiam, quæ ex principiis Theologiæ moralis valde dependet, quæ profunde satis nobis obtulit Cajetanus ex Divo Thoma, ex quibus notandum:

I. Quod aliud est pati pro defensione cujuscumque virtutis moralis, etiam minimæ, ut eutrapeliæ & affabilitatis, quatenus ordinantur in Deum auctorem supernaturalem, & sunt media consequendi vitam æternam; aliud est pati pro exercitio virtutum hujusmodi, quod secundum omnes circumstantias est exercitium virtutis, & medium ad beatitudinem, & ad contemnenda visibilia pro invisibilibus gloriæ cælestis nobis promissæ pro bonis operibus. & quidem pati pro defensione horum mediorum dubio procul constituit verum & proprium Martyrium, ut apud omnes est in confesso, cum quis sustineat mortem pro defensione mediorum, quæ talia sunt secundum fidem ad vitam æternam de congruo, vel de condigno promerendam. & de hoc nullus Catholicus potest dubitare, semel dato quod sit actus virtutis ordinatæ in finem ultimum supernaturalem; sed qua ratione pro hujusmodi virtutum exercitio pati sit causa martyrii, jam explico.

II. Notandum, quod cum, ut ait sanctus Doctor artic. 3. quæst. 124. mortem tolerare non sit laudabile secundum se, sed solum secundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, quam quis testificatur per mortem illatam: ideo namque mors ista est bona, quia est propter bonum cui attestatur, & sic finis bonificans mortem pati est bonum veritatis divinæ, quam opere virtutis testificatur, qui vitam parvi pendens pro illa actu exercendo, à quo potest quis prohiberi aut juste, aut injuste; primo modo, si ex aliquo motivo justo superior prohibeat: secundo modo, si tyrannus aut Princeps malæ vitæ, etsi Christianus, prohibeat aliquem ex odio, & mala voluntate vel in populum, & pauperes, vel in ipsum qui se vult in talibus exerceri, ne se exerceat, vel in prædicatione, aut operibus misericordiæ publicæ, aut privatæ.

III. Notanda sunt verba aurea Domini Cajetani artic. 5. *§. ad horum evidentiam.* verficulo *tertium vero.* ubi sic fatur: *ex his deducendum est, quod, cum duæ sint partes justitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum; & vitare malum culpæ nulla egeat circumstantia, ad hoc quod sit bonum morale, nisi circumstantia finis, scilicet virtutis amore, juxta illud: oderunt peccare mali formidine pœnæ, &c. quoniam negativa præcepta divini vel naturalis juris obligent semper, & ad semper, ideo vitatio mali culpæ ex circumstantia imminentis mortis numquam desinit esse bona; ac per hoc facere contra vel præter præcepta negativa divini vel naturalis juris, numquam fit bonum aut non malum moraliter ex timore mortis, quamvis, ut in 3 Ethicorum Aristoteles dicit, quandoque sit venia dignum. & ex hoc habes, quod nunquam dicere verbum otiosum, aut mendacium ex quacumque circumstantia sit licitum, quia negativa sunt præcepta de non mentiendo, de non dicendo verbum otiosum.*

Facere autem bonum, quod per præcepta affirmativa præcipitur, multis eget circumstantiis, quæ, quoniam singularia sunt multipliciter variantur, & quoad hoc verum & indubitatum est, quod circumstantia imminentis mortis potest facere de opere quod alias esset bonum, tunc non bonum, imo malum: verbi gratia, si persona valde utilis Ecclesiæ, exosa esset Tyranno, adeo quod credatur quod si coram illo compareret, occideretur ab illo; & advenienti die solemni, quo Missarum solemniis Tyrannus interesse debet, persona illa deberet ex officio cantare Missarum solemnia, imprudenter faceret, si celebraret coram Tyranno propter imminens periculum mortis: quia potest per alium sine scandalo Missam celebrare, & Ecclesiæ sanctæ sua persona conservari, & sic uti officio suo. nam, quod alias esset sanctum, tunc ex hujusmodi circumstantia efficeretur imprudens, & per hoc malum moraliter, & in promptu hujusmodi & similium ratio est: quia præcepta affirmativa non obligant pro semper, sed pro loco, tempore, circumstantiisque aliis. Hactenus Eminentissimus.

Ex dictis sequitur I. quod si aliquis Tyrannus sive Catholicus sit, sive infidelis, in odium virtutis: eutrapeliæ, verbi gratia, aut misericordiæ, actus & exercitia prohibeat persecutionibus, incarceratione, inedia & aliis similibus usque ad mortem inclusive, quod qui talia patitur & mortem subiit, quamvis alias possit cessare ab hujusmodi virtutum actibus, quorum exercitia hic & nunc non obligant ex aliquo præcepto, est vere & proprie martyr. hæc est mens utriusque Thomæ, contra Martinum de Magistris, ut supra resolut. 25 explicui.

Colligitur II. quod si Tyrannus, Catholicus tamen, non in odium virtutis, sed in odium personæ ipsam occidat, aut detineat in carcere usque ad mortem, quia non vult desistere ab exercitio alicujus virtutis, verbi gratia misericordiæ, à qua potest absque peccato se abstinere, si moriatur, non est vere Martyr. Hoc corollarium est directe contra Andream Pazo oppidi de Balibo. & ostenditur clare ex dictis, quia actus iste, ut suppono, non cadit sub præcepto; alias cum non prohibeatur in odium virtutis, tenetur quis se abstinere ab illius executione ad tuendam vitam; & imprudenter faceret, si, cum adsit mortis periculum, se immisceret tali operi, cum nullum detrimentum, aut publicum, aut privatum sequeretur, nullave in honoratio fidei aut illius protestationis ex omissione talis actus, qui solus esset opus virtutis in genere, non perfectum & adæquate vestitum omnibus circumstantiis requisitis ad adæquatam bonitatem moralem, cui est postponenda vita & quodcumque aliud visibile, utpote altioris ordinis divini.

Et quidem, quod in tali casu imprudenter quis faceret, actum misericordiæ exercendo cum periculo mortis; & per consequens non esset vero Martyr; probatur, quia persona ista exosa est isti Tyranno Catholico, non quia Christiana, non quia virtuosa, sed quia ex odio in ipsam non vult, quod in civitate sua tale opus virtutis exerceat, verbi gratia, misericordiæ in pauperes, qui, ut suppono, non indigent necessario tali persona, & sic tenetur se abstinere propter mortis periculum. hujusmodi enim circumstantia facit non bonum actum moraliter: bonum enim morale tunc est vitæ anteponendum, quando ejus omissio est peccatum mortale aut veniale, aut quando ex ejus executione sequitur fidelibus exemplum, aut in virtute confirmatio; alias esset vitæ profusio, quod non licet. hinc est quod multi Patres existimarunt esse præceptum Christi fugere in persecutione Tyranni, quia, licet esset licitum secundum se, & meritorium pati mortem pro Christo; tamen non urgente necessitate defensionis fidei, magis conformis erat fuga rationi, tum ad tuendam vitam, tum ad evitandam occasionem Tyranno peccandi, ut constat ex Clemente Alexandrino, Athanasio, Chrysostomo, quorum verba dedi supra.

Hujus ratio à priori est: quia, quando malum, quod opponitur bono morali, non est ita intrinsece malum, quod ex nullo motivo possit bonificari aut auferri malitia, ut est mendacium; aut quoniam actus qui exequitur, ita est bonus quod sit præceptus, aut exequitur propter bonum Reipublicæ, aut alicujus

communitatis, propter quam licitum est vitam contemnere, semper vita est conservanda ex præcepto naturali, cui potest quis cedere propter vitam spiritualem proximi, quæ pluris æstimatur, quam vita corporalis propria: extra hos enim casus potius est eligenda omissio actus virturis, quam mors inflicta à Tyranno Catholico, qui in odium personæ prohibet executionem actus honesti secundum se, quia in hac occurrentia non habet actus iste omnem circumstantiam ad perfectam & completam moralitatem; quia, ut ait Cajetanus, actus virtutis, qui est causa martyrii, *debet esse virtutis integraliter*; & circumstantia imminentis mortis potest facere de opere, quod alias esset bonum, tunc non bonum, imo malum.

II. Quia materiæ plurium virtutum moralium honestas regulatur, hic & nunc in ordine ad charitatem, qua quis tenetur seipsum diligere, ita, ut si adsit proximum periculum mortis, materia illa *hic & nunc* non habet honestatem moralem adæquatam & perfectam; & illud periculum subire nemo potest, nisi adsit gravis causa; ut magna utilitas proximi; ut dum quis se dedicat ad curandos peste infectos cum proximo mortis periculo: & gloria Dei; & fidei exaltatio. unde sanctus Thomas 22. q. 124, art. 3 ad 1, dixit: *Est aliquis casus in quo martyrium perferre non est de necessitate salutis, puta, cum ex zelo fidei & charitate fraterna multoties leguntur sancti Martyres sponte se obtulisse martyrio.* ubi autem non est hujusmodi zelus non debemus alteri occasionem dare injuste agendi, ut ex Patribus docet idem sanctus Doctor art. 1 ad 6. ut autem ex bonis nostris actibus detur occasio Tyranno injuste agendi, urgens causa exigitur, quamvis non necessaria, tamen justa & honesta: ut major gloria Dei, ut ex Sanchez retuli supra Resolutione 34. qui optime explicat quomodo martyrium cadat sub consilio. at quis non videat, quod quando Tyrannus Catholicus in odium personæ, non virtutis, aliquem occidit, aut mittit in carcerem usque ad mortem, non attenditur major gloria Dei, neque is patitur pro actu virtutis bono, secundum totum esse morale, & ita non est Martyr proprie, imo mortaliter peccat, dans occasionem Tyranno exercendi odium in suam personam.

III. Quia, quando dantur duo præcepta obligantia simul, & quæ simul observari non possunt, illius præcepti obligatio currit, quæ major est *hic & nunc*, ut est apud omnes certum. ergo quando occurrunt præceptum naturalissimum, quo quis tenetur amare seipsum, & non se exponere morti aut mortis periculo sine causa urgenti, quæ superioris sit ordinis quam vita propria, & consilium de opere virtutes exequendo, à quo quis potest se abstinere absque scandalo, & absque detrimento fidei & virtutis, cujus exercitio impeditur mortis timore ab aliquo, non in odium virtutis, sed in odium personæ, si occiditur, quia non vult desistere, non est vere Martyr, nec ut talis venerari debet: verbi gratia, si quis nobilis vir alicui virgini sub promissione matrimonii signaculum abstulit virgineum, postea vult adimplere promissum ex honestate virtutis justitiæ aut fidelitatis, à qua tamen potest se abstinere remunerando virgini alia via, non tamen vult, sed se illi jungere matrimonio promisso, à quo impeditur à parentibus vel à Principe, non in odium virtutis à qua movetur, sed in odium personæ, vel ex amore familiæ, ne tali matrimonio inhonoretur, propter quod usque ad occisionem viri pervenitur, quia constans est in proposito, quis sapiens dicet, quod iste talis sit vere martyr. nullus certe, nisi desipiat.

Hujus exempli sunt innumera alia similia. quare absurda est absque dubio, ne dicam temeraria, sententia Ioannis Pazo, quod si quis occidatur ex eo, quod non velit omittere executionem alicujus actus virtutis, à quo posset absque peccato cessare, verus est & proprius martyr. Si enim quis volens ex virtute amicitiæ pro amico, & consanguineo mortem pati (quod licitum esse communiter docent Doctores, ut videre est apud Valentiam tomo 3, disp. 3. q. 4, punct. 3. Bañez 22. q. 16, art 4, dubitat. 3. Solonium & Aragonium q. 64, art. 4 & 5.) si pater aut Princeps Christianus in odium amici, & non virtutis, ipsum in carcere detineat usque ad mortem, aut occulte occidat, ne publice pro amico occidatur, quis somniavit talem esse Martyrem verum, nisi qui aliud martyrium vult in Ecclesiam introducere.

Quare, ut quis sit vere Martyr pro exequendo opere virtutis à quo licite potest se cohibere, quia de illo solum est consilium, debet, qui prohibet illum, prohibere ex odio practico illius virtutis, à qua quis non vult se abstinere. hæc est omnium Doctorum mens, qui dicunt esse martyrem, qui patitur pro opere virtutis exercendo, ut legenti ipsos constabit. Divus Thomas 22. q. 124. art. 3 ad 1. Cajetanus ibi Sylvester verbo martyr n. unico. Sanchez lib. 2 Summæ, cap. 34, n. 15, & alii. cujus ratio est perspicua, quia, qui patitur martyrium propter fidei defensionem, est vere Martyr, quia in odium fidei & veritatis revelatæ illi infligitur mors, nisi abjuret eam. ergo qui patitur mortem pro opere virtutis exequendo, à quo potest se abstinere, in tantum est vere Martyr, in quantum patitur ne protestetur fidem opere, sicut alii Martyres protestantur verbo. at dum non patitur in odium virtutis, sed in odium personæ, vel ob alia motiva temporalia, non patitur quia protestatur fidem opere. ergo non est vere Martyr. Sicut si quis Christianus occidatur à Turca, non quia Christianus, sed quia raptor virginis, non est Martyr, quia non occiditur ut Christianus, sed ut raptor: ita iste qui in odium personæ occiditur, ne exerceat actum virtutis *hic & nunc*, non occiditur ut virtuosus, sed ut exosus Tyranno, vel ob aliud motivum temporale: non enim Tyrannus odio prosequitur virtutem, ut supponi, sed quod, *hic & nunc*, in tempore & loco, ab isto sibi inimico & exoso exercetur.

Hæc dixerim, ut luce clarius constet, mentem fuisse Ioannis Pazæ se facere proprium Martyrem, quia à sacris tribunalibus vere piis, vere Catholicis, & fidem Catholicam zelantibus, prohibitus fuit exercere actum misericordiæ, ut ipse existimabat, docendi deliramenta inaudita pietate, in lucem edita in elucidario, & aliis tractatibus. dicit enim hoc esse verum, quamvis oppressor sit Christianus, & procedat bona fide, putans se obsequium præstare Deo. Mira hominis obstinatio, cum contra fidei tribunalia effrenato ore effutiat. Hoc enim non solum falsum est, quando proceditur à tribunali justissimo & sanctissimo secundum allegata & probata, sed etiam si procedatur à Tyranno Christiano, tamen qui in odium personæ, non doctrinæ, non vult quod quis doceat aut prædicet. quod si quis in tali casu moriatur non erit verus Martyr, imo tenebitur à docendo & prædicando se abstinere, si non adsit præceptum sed solum merum consilium.

Dixi si Tyrannus sit Catholicus: nam si sit infidelis, aut hæreticus, & prohibeat Catholicum & Christianum in odium personæ ne exerceat aliquem actum virtutis etiam minimæ, præsumitur rationabiliter id facere in odium religionis, & quia Christianus & Catholicus est, & sic mortem sustinens verus

verus Martyr est, nisi manifeste constet in odium personæ individuæ & non quia Christiana, Catholica, aut Religiosa est: verbi gratia, vadit aliquis vir titulo conversionis infidelium ad fidem, ad Indos, Iaponios aut Sinenses, & ibi negotiatur, tractans secularia negotia emptionis & venditionis, & aliorum humanorum contractuum, propter quæ Princeps illum expellit aut occidit, iste talis Martyr non est. quare Missionarii maxime attendere debent, ne se immisceant negotiis secularibus & contractibus etiam ad vitæ sustentationem, ne scandalizentur pusilli, & negotium salutis animarum perdant, & ipsi vitam forsan absque fructu, imo cum damno vitæ æternæ proprio & alieno.

§. *Vnicus. Explicatus sanctus Eulogius Cordubensis.*

COlligitur III. id quod supra Resolutione 27 tetigi, & huc remisi latius disquirendum, qua ratione liceat se offerre Tyranno ad martyrium. quod licitum esse omnino certum est, cum ex zelo fidei & charitate fraterna id perficitur, ut docet sanctus Doctor 22. q.124, art.3 ad 1. & ibidem explicat ea gravitate, & ingenio quo solet Dominus Cajetanus. Sed adnotandum est maxime, quod licet ex motivis & causis honestis & bonis moraliter ex omni circumstantia, licitum sit se offerre Tyranno aut abjurando ejus infidelitatem, vitium publicum; & crudelitatem, & coram illo in propatulo se constituere fidem Catholicam confitendo: at nunquam licet viro Catholico petere à Tyranno ut ipsum occidat propter fidem Christi, quia nunquam est licitum ab aliquo petere id quod sine peccato exequi nequit. ut non possum licite petere ab idololatria ut sacrificet coram idolo, aut usurario, ut sub illicitis usuris mutuet pecuniam, quamvis si ipse petat ad redimendam vexationem qua premor, possem reddere. & hæc est vera & genuina intelligentia verborum Divi Thomæ art. 1 ad 6, q. citata, ubi loquens de martyribus se martyrio ingerentibus dicit: *Non debet homo occasionem dare alicui injuste agendi, sed si alius injuste egerit, ipse moderate tolerare debet.* Quia scilicet non debent provocare ad afflictionem & mortem inferendam, sed si illam inferat Tyrannus, quia fidelis in propatulo prædicat aut facit fidei externam confessionem, ex qua sequitur major gloria Dei, Christi & fidei, aut aliorum innocentium liberatio. non provocat directe ad mortem, quod numquam licet, sed exercet actus honestos, ex quibus irritatur Tyrannus injuste ad occidendum & affligendum, ut latius explicui Resolutione 27 citata, adductis multis auctoribus.

In prædicta Resolutione in fine sententiam sancti Eulogii Presbyteri Cordubensis, & Electi Archiepiscopi Toletani, in libro qui inscribitur Memoriale Sanctorum Martyrum, & in alio quod Apologeticum eorundem dicitur, & habetur in Biblioth. Agrippina nova Veterum Patrum tomo 9, adduxi. qua invehitur in quosdam qui solo nomine Catholici dicebantur, asserentes non esse veros Martyres qui sponte se offerebant martyrio, sed potius esse homines temerarios & imprudentes, siquidem non interrogati de fide, nec impediti ab exercendo opere virtutis, in ipsius virtutis odium seipsos Tyranno offerebant, quorum auctorum sententiam errorem appellat sanctus Martyr, & jure quidem optimo, cum ab initio nascentis Ecclesiæ, tam in Latina, quam in Græca, publice lectoris alta voce recolantur dies natales plurium sanctorum utriusque sexus Martyrum, qui zelo fidei perfidiam infidelium increpantes, sponte se obtulerunt judicibus & Tyrannis, fidem prædicantes aut confitentes virtutem, & Ecclesiæ jurisdictionem tuentes, quamvis certo scirent se morti dandos omni spe vita semota. Quod notat Baronius tomo 8, ab anno 850, usque ad annum 854. unde sanctus Eulogius cap. 19 Memorialis sic fatur: *Sunt autem plerique fidelium, & heu proh dolor! etiam Sacerdotum, temere horum Confessorum gloriam admere non verentes, qui jubent eos non recipi in Catalogum sanctorum, insultatum scilicet ac profanum asserentes hujusmodi martyrium, quippe quos nulla violentia præsidialis fidem suam negare compulit, nec à cultu sanctæ piæque religionis amovit, sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob superbiam suam ita dicuntur interemptæ, suarum parricidæ facti sunt animarum.* infra tamen ponit aliud argumentum, ut probet hos non esse Martyres veros: *Qui dicunt* (ait) *verum non videbatur esse martyrum, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum.*

Hæc argumenta erant illorum Sacerdotum de quibus conqueritur sanctus Martyr, qui ad instantiam Recafredi Episcopi, à fide Catholica in Mahumetanam sectam transfugæ & Apostatæ, incoram Concilio Cordubensi facto, coram Habdarrahgman Rege sanxerunt non esse veros Martyres qui se propalabant, & non interrogati nec quæsiti blasphemabant Maurorum sectam, confitentes Christi fidem; fuit tamen, ut ait Baronius ubi supra, *non Concilium, sed conciliabulum, Satanicusque conventus, quem minister Satanæ indixisset. fuit conventus iste non Concilium in Spiritu sancto legitime congregatum, sed consilio perfidorum, jussu Regis impii, hostis Christianorum, collectum; in quo nec quod placitum esset tractatum vel definitum fuit. Sed Pseudo-Episcoporum unanimi conspiratione, facta cum Principe Saracenorum, vetitum est martyrium, erecta est perfidia, atque depressa confessio.*

Verum enimvero non omnes qui huic Concilio interfuere, Pseudo-Episcopi & Pseudo-Presbyteri fuerint, sed multi fuere qui vere Episcopi & Presbyteri legitimi extitere, qui pace palliata consilio Recafredi, jussu Regis à carceribus ejecti, postea in consilio aut muneribus allecti aut minis impulsi in sententiam Recafredi, & placitum regium convenerunt, determinantes non esse veros Martyres, qui sponte præsidibus se offerunt, ut inde occasionem arripiant occidenti propter Christianismum, tum quia in tali oblatione suarum parricidæ facti sunt animarum, tum quia in illa nullum ostentarunt miraculum ad confusionem incredulorum & fidelium roborationem, & sic ipsos damnarunt, & à Catalogo sanctorum objecerunt, tanquam Circumcelliones propriam vitam profundentes. propter quæ argumenta, hujus temporis non ignobiles Theologi aliquorum recentiorum occisorum in partibus Indiarum, Martyrum cultum impugnarunt & abjecerunt.

Fateor quod in casu, de quo sanctus Eulogius, & quem refert Baronius, argumenta ista nullius sunt ponderis & efficaciæ, ut idem sanctus Martyr dissolvit: non enim absolute ad verum martyrium requiritur ejusdem comprobatio per miraculum (ut dicam infra Resolutione 44, §. 14. ubi id ex professo discutio) & dum quis se offert Tyranno non se interimit, ut ex dictis liquet, quia antiqui illi Martyres id faciebant ex ardentissimo, & ferventissimo fidei zelo; pure respicientes majorem Dei gloriam, & fraternam charitatem quam fovebant. Ast hodie non illico ac quis apud Indos & infideles occiditur ac moritur carcere inclusus, missus ad prædicandum Euangelium, est venerandus ut Martyr, & ut talis

depingendus, & publice proponendus, ut dulia, sanctorum imaginibus debita, adoretur, ut declaravit sancta congregatio Inquisitionis generalis Romæ die 13 Martii, anno 1625. quod decretum ad verbum refert Barbosa de potestate Episcopi, alleg. 97, in fine. & extat bulla 37 Vrbani VIII, tom. 4 Bullarii, de quo infra dum de veneratione Martyrum instituatur sermo. Legantur Felix Contelorius de canonizatione Sanctorum, cap. 22, n. 19. Trulench. lib. 1 in decalog. cap. 9, dubio 6, an. 26. Sed de S. Eulogio & sententia Episcoporum Hispanorum, quam acriter impugnat, infra Resolut. 42 latius dicam.

Et sic his temporibus priusquam quis declaretur verus Martyr constare debet de miraculis, quæ intervenere in ejus martyrio, aut post mortem ad ejus sepulchrum, & invocationem: aut de zelo ardenti fidei & moribus, quibus erat ornatus dum Euangelium seminaret; nisi enim summo Ecclesiæ Pastori juridice de his constet, non declarabit aliquem Martyrem, sicut sine prævio examine vitæ sanctitatis virtutum & miraculorum non canonizabit, aut beatificabit aliquem Confessorem, ut bene Contelorius ubi supra. unde hæc est notanda differentia, de qua iterum infra Resol. . . . 5. . . redibit sermo, inter Martyres & Confessores; quod isti canonizantur Canonizatione universali, qua proponitur toti Ecclesiæ colendus, & Litaniis publicis invocandus; & Canonizatione Catholica & universali, quæ est idem quod beatificatio, qua quis declaratur dignus cultu & veneratione, non in una Ecclesia, sed in aliqua regione, regno, civitate, aut Provincia; at Martyres non sic, qui eo ipso quod declarantur à sede Apostolica veri Martyres, proponuntur colendi toti Ecclesiæ, & canonizantur Canonizatione Catholica & universali, quia Martyres declarantur tales, quia passi sunt pro confitenda fide Catholica & Ecclesiæ defensione. & sic cum causa martyrii omnibus fidelibus & toti Ecclesiæ competat, ita eo ipso toti Ecclesiæ proponitur colendus & venerandus; unde sacra Rituum congregatio sub die 30 Iulii 1616. ut refert Aldana in Compend. Canon. Resol. lib. 1, titulo 18 de sanctis n. 8. concessit Martyrologium de novo imprimi, cum additione Sanctorum canonizatorum, non vero Beatificatorum, quia isti non proponuntur toti Ecclesiæ venerandi, in qua legitur publice Martyrologium, sicut proponuntur Martyres eo ipso, quod veri Martyres declarentur.

Colligitur IV. Resolutio cujusdam difficultatis non ignobilis, qua ratione multi sancti martyrium desiderarunt, ejusque laureolam & palmam à Deo enixe expostularunt, & ex hoc desiderio se coram Tyranno sistebant, ut morti pro Christo traderentur, multique Tyrannos solicitabant ut ipsos torquerent. sic beatus Laurentius dicebat: *Assatum est, jam versa & manduca*, &c. & sic carnifices videbatur provocare ad actionem torquendi malam ab intrinseco; & sic isti sancti formaliter intendebant & procurabant Tyrannorum & carnificum peccatum: qui enim intendit efficaciter finem aliquem, & medium remotum eligit ad illius consecutionem, non potest non intendere eligere medium proximum omnino requisitum, ut electio medii remoti optati finis executionem ponat; cum ista sit impossibilis sine tali medio proximo. atqui voluntaria oblatio coram Tyranno non aliter deservit ad martyrium intentum & desideratum, nisi quatenus ad eam sequitur occisio à Tyranno, quæ est peccatum, & intrinsece mala. ergo qui ex intentione martyrii se sistit coram Tyranno, ut Martyr fiat, vult actionem peccaminosam ab intrinseco.

Huic difficultati Cardinalis de Lugo tom. 1 de Iustitia, disputatione 10, sect. 1, n. 44 & 45, dicit duo. I. quod Martyr seclusa ignorantia non potest se offerre ex intentione martyrii determinata, seclusa inadvertentia invincibili, sed debere intendere aliquid saltem indeterminatum, quod non necessario dependeat à peccato Tyranni. dicit II. quod intentio martyris fertur & dirigitur non ad martyrium determinate, sed ad disjunctum aliquod ex martyrio vel ex conversione Tyranni, aut aliquo bono simili quod disjunctum est bonum & appetibile. potest itaque Martyr dicere: volo me sistere Tyranno, & profiteri meam fidem, eamque illi prædicare, quia vel ipse mea prædicatione convertetur & cessabit persecutio, aut non convertetur, sed irritabitur contra me, & tunc lucror palmam martyrii. & sic non se offert Martyr Tyranno ut peccet, sed ut consequatur bonum illius disjuncti, quod potest sine peccato obtineri, quamvis simplici affectu magis velit martyrium, quam placationem & conversionem Tyranni.

Hæc responsio in utroque deficit, quia prius defecerat Cardinalis in materia de prædestinatione, negans posse esse permissionem peccati effectum prædestinationis, assentiens in hoc Patri Vasquez 1 p. disputat. 89. & Patri Suarez lib. 3 de prædestinatione, cap. 8, an. 13. negantibus posse Deum præfinire pœnitentiam ante absolutam præscientiam peccati. alias cogeretur Deus velle peccatum, quod necessario & essentialiter supponitur ad pœnitentiam. & ita cum ad martyrium proprium requiratur necessario Tyranni peccatum, non potest Deus intendere martyrium determinate, nisi præviso Tyranni peccato; & ita multo minus poterat homo determinate ex desiderio martyrii se offerre Tyranno.

Verum enimvero, hujusmodi doctrina in nullo arridet Thomistis, & per consequens nec mihi. existimo enim, quod quamvis sit valde probabile quod gloria ut corona præsupponat merita ante præcisa, ut late dixi in materia de prædestinatione: non enim agnosco diversa decreta in Deo, intentionis & executionis; puto tamen, quod Deus possit ante prævisa merita virtualiter efficaciter in volitione formali alicujus medii ordinati ad gloriam istam velle, quia potest Deus ante prævisionem absolutam peccati aut materiæ pœnitentiæ velle pœnitentiam efficaciter, neque ex hoc adstringitur velle peccatum, sed solum ponere permissionem illius: qua posita infallibiliter ponetur peccatum. & sic volitio virtualiter efficax pœnitentiæ non frustrabitur. sed de his latius ibi. & sic Deus non potest efficaciter velle martyrium determinate, quin præviderit malitiam Tyranni; sicut non voluit efficaciter Christi mortem antequam prævideret Iudæorum peccatum; immò ex vi voluntatis efficacis mortis Christi voluit permittere peccatum Iudæorum, at non crurifragium ipsum: cum enim hoc clarissimum sit, & ex illo facillimo negotio intelligantur sacra Scriptura & Patres, ad quid attinet confugere ad illa disjuncta, ad quæ nos vult reducere Eminentissimus Cardinalis.

Ex quibus manifeste satisfit difficultati propositæ, quod viri sanctitate conspicui ardenter desiderabant martyrium, & tormentorum diversa genera sustinere pro Christi nomine & fidei confessione; & quamvis ipsis summum gaudium foret, quod Tyranni converterentur ad fidem, tamen hoc ipsi non intendebant primo & per se, sed mori pro Christo, ut dicebat Paulus, quod talis mors erat sibi *lucrum* ad

Philip. cap. 1. vs. 21, *mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* & Christus, Lucæ 22, vers. 52. coarctabatur mortis desiderio. ista ergo, quamvis, ut sit consummatio martyrii, necessario exigatur tortoris incorrecta malitia, tamen non tenetur Martyr illam desiderare, quamvis desideret martyrium; imo illam odio prosequitur. igitur objectum honestum desiderii martyrii solum est mors passa pro Christi amore & fide, supposito quod Tyrannus furat in sanctos in odium Christi, & attendens hujusmodi honestatem se offert martyrio, non provocans Tyrannum; sed intendens palmam & gloriam martyrii, bene utens Tyranni peccato, quod non tenetur velle, sed supponere ortum ex mala ipsius in Christianos voluntate: hoc enim Tyranni peccatum non est medium quod eligi debeat à martyre, cum non cadat, nec cadere possit sub electionem, sed est quid requisitum non ex parte Martyris, sed præsuppositum, sicut præsupponitur Tyrannus ipse in sua infidelitate & odio in virtutem obstinato.

Ad fundamentum Ioannis Andreæ Pazo positum in principio, respondetur: quod sancti ibi relati fuere veri Martyres, & ut tales ab Ecclesia publica veneratione coluntur; tum quia in odium fidei, tum in odium virtutis persequebantur, & quamvis possent ab actu virtutis desistere, tamen succensi zelo fidei mortem sustinebant pro amore Christi & virtutis, ut latius explicui Resolutione 27.

RESOLVTIO XXXIX.

Qualis debeat esse Tyrannus, cujus violenta manus Martyri mortem inferat.

IN superioribus satis superque ostensum est, Persecutorem Tyrannum diversum in persona debere esse ab eo qui martyrium patitur, ne in Circumcellionum & aliorum hæreticorum (qui seipsos dicebant licere occidere martyrium sibi inferentes) errores incidamus. modo superest disquirendum de hujus persecutoris qualitate & motiva; & quidem debere esse in odium fidei & virtutis, & non sufficere, quod moveatur ad inferendam mortem ex odio inimicitiæ in personam, constat ex his quæ diximus resolutione anteriori.

Et quia ex jactis fundamentis multa scitu digna colligi possunt, ea breviter perstringemus I. ad verum & proprium martyrium non requiritur, quod Persecutor sit infidelis, aut hæreticus formaliter, sat est si petat aliquod injustum, aut quod exequatur aliquid quod sit contra Dei legem, aut Ecclesiæ potestatem, aut libertatem, pro cujus defensione à Rege Christiano & Catholico Sanctus Thomas Cantuariensis gladiis impiorum Martyr occubuit. hoc est omnino certum & indubitatum.

II. Quod omnis Tyrannis violentam inferens mortem, quæ, passa pro Christi nomine, constituit martyres veros, semper id præstat in odium fidei, quæ aut speculative revelat veritates supernaturales, & mysteria abscondita in divina sapientia & veracitate, aut practice illuminat ad recte operandum exercitia virtutum ordinatarum ad finem supernaturalem ipsius fidei, ut egregie hæc duo munera fidei agens de vero martyrio distinguit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 124. artic. 5. & in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. q. 2. ad 9: & in epistolam ad Romanos 1. 8. lect. 7. circa medium, dicens quod quolibet actu virtutis non politicæ, sed infusæ (quæ finem habeat Christum) aliquis testis Christi efficitur, in quantum opera, quæ in nobis Christus perficit, in testimonium veritatis ejus, sicut pro virginitate quam servare volebant, & in solutione ad 10. egregie loquitur dicens, *quod veritas fidei habet Christum pro fine vel pro objecto, & ideo confessio ipsius laureolam meretur, si pœna addatur, non solum ex parte finis, sed ex parte materiæ. sed confessio cujuscumque alterius veritatis non est causa sufficiens ad martyrium ratione materiæ, sed solum ratione finis, utpote si aliquis prius vellet occidi, quam quodcumque mendacium dicendo contra ipsum peccare.* & sic in solutione ad 1. dicit: *quod cum quis propter bonum commune non relatum ad Christum, mortem sustinet, laureolam non meretur; sed si hoc referatur ad Christum, laureolam meretur, & martyr erit, utpote si Rempublicam defendat ab hostium impugnatione, qui fidem Christi corrumpere moliuntur, & in tali defensione mortem sustineat.*

Ex qua egregia doctrina fit, quod omnis qui infert mortem violentam, ex cujus passione quis fit verus martyr, hoc facit in odium fidei, aut revelantis mysteria supernaturalia, aut practice illuminantis ad recte operandum prout oportet; & sic fit in odium Christi, qui finis est omnium mediorum supernaturalium; qualia sunt virtutes infusæ, aut acquisitæ, si debeant esse materia Martyris. verum est quod, ut supra dixi, non exigitur quod quis sit hæreticus aut infidelis, ut mortem inferat in odium fidei prout operans est: omnis enim peccat, si contra præcepta supernaturalia operetur contra fidem, prout est operans & practice illuminans ad recte operandum prout oportet.

Vnde odium fidei in præsenti, ut notat, & bene, Raynaudus p. 2, cap. 1, num. 11. *intelligitur in primis* (verba sunt ipsius) *directa & immediata fidei insectatio, ad extorquendum à fidelibus veræ fidei negationem, aut divinæ legis violationem*, juxta illud Optati lib. 3. *nulli dictum est nega Deum, nulli dictum est incendi testamentum, nulli dictum est aut thus pone, aut basilicas dirue: istæ enim res solent martyria generare.* similiterque Hippolytus oratione de consum. mundi, tractans quodnam futurum sit signum illud aut character Antichristi, de quo Apocalyp. 13. sic scribit: *dicimus fortasse scripturam illius sigilli esse ἀρνοῦμαι, id est nego. Nam antea quoque ille hostis adversarius opera ministrorum suorum (hoc est, idololatrarum, Christi Martyres hortantium) negato ajebat, Deum tuum crucifixum. tale erit tempus illius honestatis omnis osoris: dicens nego Creatorem cœli & terræ, nego Baptismа, nego adorationem à me Deo præstari solitam, tibi adhæresco, in te credo.*

Præterea nomine odii fidei intelligitur insectatio alicujus, ob opus ex Christi doctrina necessarium. qua ratione Sanctus Thomas Cantuariensis habetur Martyr, quamvis cæsus pro sola tuitione jurium Ecclesiæ, ad quam ex munere Episcopi adstringebatur. quod cum tempore cædis patratæ non censeretur ad martyrium sufficere, & clerici pro defuncto canere aggressi essent, cohibiti sunt ab obstrepentibus beatorum spirituum choris, qui Missam de uno Martyre, cujus est initium Lætabitur justus, &c. cecinerunt, ut refert Turrerem. in quæstionibus in Euangelia, ad ejus festum.

Denique nomine odii fidei intelligitur quoque insectatio ob exercitum operis ex se boni, & aliquo tandem modo ad fidem sive propagandam, sive tuendam, sive illustrandam tendentis, lege autem humana iniqua prohibiti. qua ratione Apostoli percussi, quod non paruissent legi qua vetabantur in Christi nomine docere, ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. & tamen non fuerant verberibus multati, nisi quia transgressi erant Pontificum præceptum, quo jussi fuerant, ne docerent in Christi nomine, ut habetur Actor. 4 & 5. Cum igitur Apostoli intelligerent se ob eam causam cæsos

vere nihilominus cæsos esse pro Christi nomine, haut dubie etiam intellexerunt, si castigatio illa ad mortem usque inferendam pertigisset, veri martyrii decore cariturum non fuisse. enimvero supponimus legem humanam, de qua agitur, iniquam esse unde cruciatus irrogatur violanti legem, & mors ad cruciatum consequens, non est vera pœna illius, quia pœna supponit culpam, quæ legis iniquæ violatione non admittitur. Est igitur vexatio non ob violatam legem, sed ob observantiam, aut propagatam vel illustratam religionem ac fidem, qui est apertissime idoneus ad verum martyrium titulus. & verissimum quidem est plerunque abstineri absque culpa posse exercitatione operum hujusmodi lege vetitorum, sive quia non cadunt sub aliquo Dei aut Ecclesiæ præceptum, sive quia vigor legis affirmativa, ex qua mandantur, molliri ac remitti solet in necessitate gravi & imminentibus non vulgaribus periculis. si tamen quis prudenter judicet (voluntariæ licet pietatis) ad Dei gloriam & fidei decus, vel augmentum aut tutelam conferens, à se honeste usurpandum, non obstante iniqua lege, & illi exercendo incumbens occidatur, profecto cum non occidatur ut malefactor, sed ut Christianus, & quod glorificet Deum in isto nomine, nec dubitetur esse vere Martyr, qui sic confitens Christum, & pro Christi causa est obtruncatus. hæc eruditus vir.

Ex quibus manifeste liquet, quod omnis Tyrannus, qui occasio est confitendi fidem, ut martyrii palmam adipiscantur, dum illos obtruncat, vel usque ad mortem insectatur, debet esse fidei osor aliquo modo odii ex annumeratis. Vnde qui à tribunali sanctæ fidei, secundum allegata & probata, aut igni traditur, aut lege & sententia justa ex allegatis qualificationibus, quia corrigi non vult reus, carceri detruditur usque ad mortem, nullo modo est iste martyr verus dicendus, quamvis re ipsa innocens sit. & contrarium affirmare omnino temerarium est. caveant ergo confessores reorum qui legitime damnantur à judicibus ipsos Martyres dicere, quamvis ipsorum conscientias liberas à crimine inveniant, cum ex processu constet nocentes esse. & sacrum tribunal horum linguas coërcere debet.

Vnde placuit aliud frustum libelli Raynaudi ubi supra adducere. Vbi enim à communi sententia & Patrum sensu non recedit, egregie sapienter loquitur. sic enim num. 12. dicit: *nisi enim persecutor aliquo ex propositis Christi aut fidei odiis, ad inferendam martyri mortem, agatur, poterit quidem mors illata ad meriti & virtutis segetem pertinere, non tamen sufficiet ad martyrium, falsusque est, aut fallere voluit ethnicus scriptor Ammianus Marcellinus lib. 27, cum dixit, apud Christianos quosvis quacumque ex causa injuste necatos martyrum loco habitos. quod Dioclis cujusdam & Diodori consiliis aut alio contortis exemplis confirmat, sed perperam. Nam Ecclesiæ sensus contrarium semper tulit. & ita ex parte significatum est vulgari illo effato: Martyrem non facit pœna, sed causa: quod ex Sancto Cypriano laudat Sanctus Gregorius lib. 2, epistola 36. universis Episcopis per Hiberniam indictione 10. quatenus enim illud quasi effatum expectat ad inimicum & ultorem, ad eum inquam, à quo testi Christi mors impenditur attendere monet, qua ex causa persecutor mortem inferre fixum habuerit; & si ex ea, qua dixi, causa odii fidei impulsus sit ad cædem, frustra cædes decorabitur martyrii nomine, quamvis possit ad magnum innocentis eam patienter excipientis meritum pertinere. sic cum Sanctus Eduardus moreretur artibus cæsus, ut est apud Surium 18 Martii, quia non est trucidatus ob fidem, sed ut regnum alteri obtingeret, non habetur martyr, quidquid Angli quandoque senserint. idem diserte, quo ad mortem per Vandalos non ex Christi fideive odio, sed ex sævitia & rapacitate fidelibus irrogatam, censuit Afer quidam Episcopus, ut refert & quoad hoc approbat Divus Augustinus epistola 180 ad Honoratum Episcopum sub initium.*

Eademque ex causa Lanfrancus de Sancti Elphegii Cantuariensis Episcopi vero martyrio dubitavit, quod tantum cæsus diceretur, quia noluit appenso ingenti litro vitam redimere: hoc enim ad verum martyrium non sufficere recte censebat Lanfrancus, ut refert Edinerus lib. 1 vitæ Sancti Anselmi, qui addit idoneam martyrii causam in Sancto Elphegio fuisse quod cæsus esset, quia Pastorali solicitudine oves suas contutans, paganos ab Ecclesiæ violatione & multis sceleribus prohibere, atque ad Christum adducere conatus esset. Optime idem nodum istum propositum expedivit consultus à Lanfranco Sanctus Anselmus, ut refert Edinerus. dixit enim idcirco vero martyrem haberi debere Sanctum Elphegium, quia pro justitia occubuit, quatenus idcirco negavit immoderatum illud lytrum, ne ditandis latronibus suos degluberet. at si occisus fuisset tantum ne perderet aurum, justissima fuisset Lanfranci dubitatio, planeque dicendum fuisset, Sanctum Elphegium non fuisse Martyrem, quamvis potuisset iniqua esse cædes ejus, & homini innoxio irrogata.

Interdum quidem verum martyrium censetur mors à fidei hoste illata, dum Christianos urgens ad redemptionem, videtur sibi non satis optimam prædam nancisci, expostulatque fraudari, absconditis opibus quibus abundare fideles arbitratur: tamen in eo eventu postrema sævitiæ radix est, & odium fidei. Hostis enim ille concitatus est in Christianos odio fidei; tum illectus spe lucri obtulit redemptionem, quam non nactus satis pinguem & qualem expectatum devorarat, cohibitæ eo veluti freno sævitiæ habenas laxat, finitque eam ex primo illo motivo ex quo concitata erat effundi. atqui ita qui sic cæduntur merito inter Martyres numerantur, cujusmodi fuere plurimi in Africa sub Vandalis, in quibus dimicasse contra innocentiam, cupiditatem furoris, & avaritiam crudelitatis, ut & animas perderet, & substantiam harpagaret, scribit Victor Vitensis lib. 3 obiter, plene autem in lib. 1. in ipso fere Principio, referens Prælatos, pluresque Pontifices, & nobiles sacerdotes, diversis pœnarum generibus extinctos esse, ut traderent si quid auri vel argenti proprium vel Ecclesiasticum haberent. & dum hæc quæ erant urgentibus pœnis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores urgebant, autumantes quandam partem, non totum esse oblatum, & quando plus dabant, tanto amplius quempiam habere credebant. alii palorum vectibus ore reserantes, fœtidum cænum ob confessionem pecuniæ faucibus ingerebant, nonnullos in frontibus & tibiis, nervis remugientibus, torquendo cruciabat. Horreo vel legere, quæ in omnem sexum & ætatem ab iisdem corporatis dæmonibus immanissime admissa ex proposita causa refert consequenter Victor, in quibus omnibus veritas martyrii quæ nutaret, (si in cupiditate corradendi multam pecuniam sisteretur,) commode defenditur. hactenus Theophilus.

Sed non video cur occisos à Vandalis apud Augustinum martyrii decore privet, & occisos apud Vticensem ab eisdem Vandalis Martyres veros pronuntiet, cum in utrisque etsi proximum motivum cædis inferendæ sit cupiditas auri & argenti, tamen prima radix sævitiæ contra innocentiam Christianorum odium erat Christi & fidei; unde occidebantur, quia æstimabantur Christiani divites, à quibus & fidem & aurum harpagere conabantur. Nec Augustinus rescribens ad Honoratum affirmat contrarium, solum agit quando sit licita fuga instante persecutore Barbaro. & hanc dicit licere his, qui non sunt ministri, *& quos Ecclesiastici officii non tenent vincula. nam qui cladis hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines nec fieri, nec vivere Christiani, majorem chari-*

charitatis invenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus, non negat Christum suscipitque martyrium. unde steriles passiones, illatas à barbarico & hostili incursu, Episcopus ille Afer nuncupabat quæ inferebantur non aliquo ex propositis odiis Christi & fidei.

Videat ergo Ioannes Andreas Pazo, qua fronte dicat loco citato Resolutione anteriori, esse verum Martyrem qui persecutionem usque ad mortem sustinet ab oppressore, etiamsi sit Christianus, ac bona fide sibi videatur procedere, &c. si non vult omittere actum virtutis à quo possit absque peccato cessare: si enim hanc oppressionem non facit ex aliquo ex enumeratis odiis Christi aut fidei; nullatenus verus Martyr est censendus, sed si à potestate publica, quæ secundum allegata & qualificationes virorum timoratorum prohibeatur talem actum exercere, non verus Martyr, sed obstinatus dicetur. Cum enim, tempore Magni Gregorii, Episcopi Hiberniæ Summo Pastori scripsere, dicentes, se gravem pati persecutionem, his rescribit Summus Pontifex epist. 36 citata, dicens: *Persecutio, dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam profuit ad salutem: nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. debetis enim scire, sicut Beatus Cyprianus dicit, quia Martyrem non facit pœna, sed causa. dum igitur ita sit, incongruum nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime provehi.* Et infra: *Nam in Synodo, in qua de tribus capitulis actum est, aperte liquet, nihil de fide convulsum esse; sed sicut scitis de quibus illic solummodo personis est actitatum, quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injuste damnata est.* Dicere autem quod scripta Pazo non sunt juste damnata, temerarium est; si autem juste, cur se Martyrem vult facere, glorians se de persecutione, cum sit justissima punitio, cum qua etiam incorrigibilem se monstrabat continuis furtivis scriptis, quibus *Rho* semper mussitabat adversus sacros judices.

III. Quod infertur est (id quod supra etiam delibavi,) quod multi sunt Sancti Martyres, qui ab Ecclesia publice ut tales coluntur, quia Tyrannis re ipsa in odium fidei aliquo ex dictis modis sunt occisi, licet Tyranni aliorum criminum prætextum occidendi sumpserint, veteratoriam alterius delicti obductionem ex invidia gloriæ Martyrum prætendentes. ita fecit Constantius Augustus hæreticus Arrianus, ut libro contra ipsum refert Sanctus Hilarius, dicens: *Plus debere Ecclesiam Neroni, Decio & Maximiano: Diabolum enim per eos vicimus, sanctus ubi beatorum Martyrum sanguis exceptus est. at tu omnium crudelissime, damno majore in nos & venia minori desævis, subrepis nomine blandienti, occidis, specie Religionis impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis.* Idem contra eundem prosequitur Lucifer Calaritanus lib. *quod moriendum sit pro Dei filio.* Et contra Iulianum Apostatam Constantii Patruelem, eundem prætextum occidendi Christianos prætendentem, ne martyrii gloria succensi fidem tuerentur. invehitur Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 3. in Iulianum. & contra Valentem Arrianum Imperatorem orat. 32. anno 15. & contra Hunerium Vandalum Victor Vticensis lib. 3. qui Sanctos Episcopos occidebat eo pretextu, quod perduelles essent. & Sanderus lib. 2 & 3 de schismate Anglicano, & Franciscus de Padilla in Historia Eccles. Hisp. centuria 3. cap. 2. n 6. plures referunt Angliæ martyrio coronatos à ministris detestabilibus illius impiæ Elizabethæ, sub prætextu criminis læsæ Majestatis, cum reipsa esset in odium Capitis Ecclesiæ, Romani Pontificis, & Sacramentorum, quamvis Rex Iacobus ore tenus fateatur, ut persecutoris nomen effugiat in apolog. pag. 18 & 23. *Constanter* (inquit) *assevero, neminem sive meis, sive defunctæ Reginæ temporibus conscientiæ ac Religionis causa affectum esse supplicio, sed perduellionis & conjurationum causa.* Sed hæc, ut ajebat Nazianzenus, est *veteratoria delicti obductio*, & palliatio odii in Pontificios fideles, quia ejus obedientiam usque ad sanguinis effusionem defendunt & tuantur, & injustitiam apertam velamine justitiæ & fractionis legum cooperit, cum sit *lacus hians* in Catholicorum sanguinem, quia Summo Ecclesiæ capiti obediunt & obsequuntur.

Placuit tamen advertere Domitium Vlpianum I. C. cujus extant in digestis quamplurimæ leges, inimicum acerrimum fuisse Christianorum, qui cum tempore Alexandri Imperatoris anno Christi 225 Præfectus esset Vrbis, sub prætextu aliorum criminum plurimos Christianorum interfecit, ut colligitur ex Lactantio lib. 5, cap. 11 & 12. & explicat Cardinalis Baronius Tomo 2. circa annum dictum, sic dicens: *perfacile autem fuit, velamento justitiæ aliisque prætextibus honestissimis ex mille propemodum occasionibus comparatis, iis qui prudentissimi ac pariter æquissimi haberentur, quorum apud Principes & alios summa cum fide esset existimatio, lacessere etiam absque christianitatis titulo ad libitum Christianos, cum præsertim Princeps pene puer esset, cui ea recta justaque videri potuissent, quæ tot virorum insignium una sententia confirmasset, ac potissimum quod Vlpianus cæteris æqui amantissimus visus ardentius ingessisset. sed Deo ulciscente haut sævo debitas pœnas dedit, quippe qui à prætorianis militibus, qui eum noctu invaserunt, (ut auctor est Dio) occisus fuit.* Hactenus Baronius. & ita Deo sic disponente fere omnes Tyranni, qui hujusmodi prætextus ponebant ad Martyres occidendos, mala morte vitam finierunt. quare ad hoc propositum intelligo ego Cyprianum epistola 56 ad plebem Tiberi consistentem. sufficit ad testimonium Martyris sui, *testis ille, qui probat Martyres & coronat.*

IV. Quod infertur, est, qualis debeat esse persecutio, ut, si ex illa sequatur mors amore Christi passa, martyrii palma condecoretur: persecutio enim à persecutore dimanat; & cum finis operantis speciem moralem actui tribuat, (est enim finis actionis forma) finis primus operantis vexationem attendi debet, qui dignoscitur ex modis quibus finem intentum exequi vult. igitur si persecutoris finis non sit in destructionem, vel mutationem Catholicæ Religionis, aut diminutionem potestatis Pontificiæ, & jurisdictionis Ecclesiæ, vel in tota Ecclesia, vel in aliqua ejus parte, quamvis vexetur populus aut regnum Christi in ordine ad dominium temporale tyrannicè occupandum; ex qua tyrannide oriuntur multa temporalia Christianorum nocumenta, ex rapinis bonorum, vitæ dispendio, & multis in filiis, uxoribus, injuriis, si hæc tantum in appetitu temporalis dominii & imperii sistant, nec ultra progrediantur in contemptum & eversionem Religionis Christianæ Romanæ, cum per istam non vexentur viri, quatenus fideles, sed quatenus cives politici, non persecutio Christiana & spiritualis, quæ conscientiam & fidem respicit, sed temporalis & politica censenda est. nam vexatio Christiana debet esse propter Christum, & ejus fidem, & ex ipsius odio. si vero in istum finem tendat persecutio, quibuscumque mediis exequi intendatur, erit persecutio Christiana & spiritualis; sicut à contrario qui favet Christianis, quia Christiani sunt, recipiet mercedem suam, ut dicitur Matth. 10. ℣. 19. unde egregie Augustinus lib. 1 de

de sermone Domini in monte, explicans illud Matthei cap. 5. dicit, *Tunc aliquem propter Christum pati, quando secundum veram fidem & Catholicam disciplinam Christianus vocatur, & ideo vexatur.*

Vnde Pater Suarez lib. 6 contra Regem Angliæ, cap. 10. num. 6. triplicem distinguit persecutionem. Prima est, contra bonos mores per violentiam & potestatem humanam aliquem pravum morem in Republica introducendo, & eos graviter affligendo qui resistunt, vel pro veritate quovis modo pugnant. quæ vexatio quamdiu inter hos limites continetur, quia in omni regno etiam mere humano & gentili esse potest, ideo non tam Ecclesiastica persecutio, quam gubernatio iniqua, & tyrannica vocari solet. existimo tamen, quod si quis pro prædicti mali moris prohibendo moriatur defendens veritatem, etsi Politicam, si ipsam ordinat ad Christum, sit vere & proprie Martyr, ut expresse Sanctus Doctor 2. 2. q. 124. art. 4. ad ultimum, & in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæst. 2. ad 9. dicit, unde ex parte finis Ecclesiastica, & Christiana persecutio dici potest.

II. Persecutio est, quando Princeps Christianus fit schismaticus, scindens Ecclesiæ unitatem, & fideles schismati non consentientes vexantur ex hoc solo fine, quia schisma non approbant, sed impugnant. & hæc proprie est in aliquo gradu persecutio Ecclesiastica; & sic, qui unitatem Ecclesiæ defendens & schisma abjurans occiditur, vere Martyr est: & plures ob hoc motivum Martyres coluntur in Ecclesia, & pluries Sanctus Cyprianus de hujusmodi Martyribus sermonem facere, quamvis rara schismaticus sine Hæresi, saltem contra potestatem Papæ, repeiatur, &, ut ait Hieronymus in epist. ad Titum c. 3, *Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Legendus Augustinus epistola 164 ad Emeritum.

III. Persecutio est consummata, quando ejus finis est fidei mutatio, aut Religionis Christianæ imminutio, ad quem finem persecutores cultum in Ecclesia evertunt, templa destruunt, imagines concremant, monasteria, vasa sacra, & supellectilem Ecclesiæ in profanos usus convertunt, ut faciunt gentiles & Hæretici. ut de Donatistis referunt Optatus Milevitanus lib. 6, Augustinus lib. 3 contra Cresc. cap. 59. Victor lib. 1 de persecutione Vandali. aliud medium quo finis hujus persecutionis exequitur, est ferendo leges fidei contrarias, quibus sub gravi pœna cogatur abjurare fidem, aut illam manifestare, protestando aut hæresim, aut cultum idoli, aut dissentire fidei & cæremoniarum Ecclesiæ regulis antiqua traditione confirmatis; alia media his similia solent apponere, & in omnibus his vexationibus semper imbibitur aliquod odium fidei Christianæ, ex his quæ supra adduxi: unde cum multa ex his mediis Parlamentum Anglicanum utatur contra Pontificos fidei Romanæ sectatores, vere persequitur persecutione consummata Ecclesiam Christi, quamvis alios quærat prætextus, & conqueratur Rex Iacobus, quod inauditus declaretur à Summo Pontifice Persecutor Ecclesiæ; & Christi fidem Christi mendax Prædicator extinguit, ut de Constantio dicebat Hilarius ubi supra.

V. Quod infero est, verissime dictum fuisse supra resolut. 25. *Martyrem non facere pœnam, sed causam.* Causa autem est, quod mors inferatur in odium fidei, pro tuenda illius veritate vel speculative revelata, vel practice operata. unde Augustinus sermone 117 de diversis: *Martyres* (inquit) *veraces sunt, quia pro veritate mortui sunt.* veritas autem ista veritas est fidei, quæ solum invenitur in vera Christi Ecclesia, cujus caput visibile est, & regula credendorum unus Summus Pontifex, Romanæ Ecclesiæ Episcopus, & omnium fidelium Pastor & Rector, ut supra ex Horantio monstravi.

Quare Augustinus lib. de patientia (vel quicumque est ejus auctor) cap. 26 & 27. duplicem distinguit in schismatico aut hæretico patientiam, & mortis & tribulationum sustinentiam: unam ne deserat errorem suum aut schisma; & hæc patientia non solum est insufficiens ad verum martyrium, sed est actus malus, & ingens temeritas in re ipsa, sicut si Turca mortem sustineret pro Mahometo defendendo: alteram, ne deserat Christum, & ut confiteatur esse verum Deum verumque hominem in una persona verbi; & hæc patientia, quamvis laudabilis sit & bona moraliter, ac Dei donum, tamen non est donum filiorum & fidelium *prout oportet* ad consequendam palmam martyrii, quia iste talis carens vera fide, quæ extra Romanam Ecclesiam non est, caret etiam charitate, sine qua nihil prodest corpus etiam ad incendium tradere. macula enim hæresis nec sanguine effuso abluitur: est enim inexpiabilis culpa, ut dicunt Augustinus lib 4 de Baptismo, cap. 7, & Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ paulo post initium.

Vnde egregie sanctus Augustinus lib. de sermone Domini in monte, cap. 5 dixit: *Multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur; sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non tantum dictum est: beati, qui persecutionem patiuntur, sed additum est, propter justitiam. ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia. Nec schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia, &c.* Legatur liber de vera Religione cap. 6. unde, etiamsi in odium Christi hæreticus, patiatur persecutionem pro aliqua veritate fidei, cui assentitur Calvinus aut Lutherus quin sequitur, non patitur pro Christo, sed pro Calvino aut Luthero. quod pulchre dixit Augustinus tract. 6 in Ioannem circa finem, ubi introducit Donatistam se jactantem, *ecce nos multa patimur.* Cui respondet sanctus Doctor: *Hæc si pro Christo pateremini, non pro honoribus vestris. audite quid sequitur: jactant se enim aliquando, quia eleemosynas multas faciunt, sed pro Donato, non pro Christo. Vide quomodo pateris: nam si pro Donato pateris, pro superbo pateris. non es in columba, si pro Donato pateris. non erat ille amicus sponsi: nam si amicus esset sponsi, gloriam sponsi quæreret, non suam.* Hæc Augustinus. pulchre sane. si Calvinista aut Lutheranus eleemosynas facit, si sustinet tormenta pro Christi incarnatione, non pro Christo patitur, sed pro Calvino aut Luthero, cujus authoritate nixus credit mysterium, non quia Deus dicit, & Ecclesia Catholica proponit. quare, etsi Tyrannus in odium Christi persequatur, tamen Lutheranus aut Calvinista non patitur pro Christo, sed pro honoribus suis, & propriis dictaminibus tuendis.

TRA-

TRACTATVS SEPTIMVS.

De fructibus & honoribus Martyrii in via.

PLures effectus Martyrio proprio debentur. alii ante terminum vitæ, dum adhuc Martyres viatores existunt; alii dum regnant cum Christo in patria & illius Regni proprii. de omnibus sigillatim & breviter agendum. prius tamen de his quæ secludi à gratia possunt, deinde de gratia ipsa viatrice, postea de gratia consummata, quæ aurea dicitur, postea de laureola Martyrii, & de utraque antea & post resurrectionem.

RESOLVTIO XL.

Vtrum in Baptismo sanguinis infundatur character?

CArdinalis Petrus Areolus Archiepiscopus Aquensis in 4. dist. 4. q. 2, art. 1, pagina mihi 55, §. *de charactere* dicit, quod in Baptismo sanguinis & flaminis infunditur character, non quidem ante instans mortis, sed in ipso mortis instanti, ut Ambrosius (dicit) exponens illud Hierem. 4. *ventrem meum doleo*, de catechumeno: existimat enim hic auctor ibi q. 1, art. 3. §. *secunda propositio. pagina* 50. quod character non est aliud, quam quædam species animæ infusæ, quæ sit similitudo Christi animæ, qua specie non cognoscimus Christum, sed illi assimilamur. juxta illud Pauli 1 ad Corinthios 15, vs. 49, *Portavimus imaginem terreni*, (scilicet Adami) *portemus & imaginem calestis*, (Adami Christi) & sic sanctus Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2, p. 3, *Characterem esse numen quoddam quo signamur, & efficimur Christo conformes & similes.* & clarius Damascenus lib. de fide 4, cap. 10. vocat *characterem sigillum, simulacrum, ac figuram.* sicut enim ex creatione anima habet imaginem & similitudinem Dei creantis, ita ex redemptione habet imaginem & similitudinem Dei redimentis, quam acquirit medio Baptismo; ratione cujus conformamur Christo morienti & redimenti, & illius sigillum & simulacrum acquirimus, ut egregie ibi explicat, non secus ac qui adscribuntur militiæ & civilitati Ducis & Principis accipiunt simulacrum & arma, ut illius protestentur adhærere vexillo, cui conformantur. sic ratione characteris baptismalis homines assumuntur ad Christi familiam, & sic debent habere sigillum & similitudinem, quæ sit quædam qualitas absoluta, quæ fideles similes & conformes faciat Christo, Principe, & Capiti. cum autem per Baptismum sanguinis clarius, expressius, & excellentius Martyr conformetur Christo, ut probat D. Thom. 3 p. q. 66. art. 12. cum ratione Baptismi sanguinis conformemur Christo per imitationem operis, in Baptismo tamen aquæ per figuralem repræsentationem. quare potiori vere martyri imprimitur character dum Martyr efficitur, scilicet in mortis instanti. similiter & catechumeno, ut in gloria illi non deficiat perfectio & distinctivum Christianitatis, sicut illi infunduntur scientiæ acquisitæ, quamvis illis non indigeat, ne illi deficiat ornatum animæ connaturale, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 4.

Ex quo constat non hallucinatum fuisse Cardinalem, ut Raynaudus putat p. 2. cap. 6. quod juxta sua principia satis probabiliter locutum, cum consequenter eodem modo philosophetur de Baptismo sanguinis & flaminis, quæ imprimat uterque characterem in instanti mortis, cum baptizati hujusmodi baptismatibus in gratia decedant nihil illis defecit ordinis supernaturalis, quod Christianis debetur, maxime quod distinctivum à non Christianis, quale est baptismi character; similiter quod debetur militi Christiano, quale est character confirmationis; character autem ordinis solis debetur ordinatis & ex Christi institutione; non omnes Christiani debent ordinari ut est de fide, & sic non omnibus beatis character ordinis in instanti mortis imprimitur.

Quare hoc est discrimen inter Baptismum aquæ ex una parte, & alia duo Baptismata ex alia; quod Baptismus aquæ in hac vita & pro hac vita imprimit characterem, qui, ut ait Divus Thomas 3. p. q. 63, artic. 1, datur fidelibus deputatis ad cultum divinum, & sic consignari debent, sicut milites qui consignantur ad militiam: prima autem consignatio est per Baptismum aquæ, quo in hac vita fit homo capax receptionis omnium aliorum Sacramentorum, cum sit prima consignatio ad cultum divinum per conformitatem figuralem ad Christum: at alia Baptismata imprimunt characterem, non pro hac vita, sed pro alia, ut in Purgatorio, aut cœlo gaudeant de consignatione Christianitatis, & de designatione ad cultum divinum in alia vita. & sic existimat, quod si quis Martyr aut Catechumenus decedens in gratia resurgat, baptizandus sit, ut adimpleat præceptum Christi de Baptismo aquæ, qui omnibus fidelibus imperatus est nullo excepto; non tamen causabit characterem quem jam habebant, sed augmentum gratiæ viatoris. quantum vero ad infusionem gratiæ, amotionem peccati, & remissionem pœnæ æternæ, paria sunt hujusmodi duo Baptismata, sed excellentissimo modo Baptismus sanguinis, ut in sequentibus explicabimus. Baptismus autem flaminis, etsi infundat gratiam, amoveat culpam, & remittat pœnam æternam, tamen relinquit pœnas temporales, cum solius Baptismi aquæ sit proprium pœnalitates relinquere, non sub ratione pœnæ, sed ad exercitium virtutum, ut dicit Trident. sessione 6, cap. 14; & Divus Thomas 3. p. q. 69, art 2 & 3.

Sed quamvis hæc sententia Aureoli probabilitate non careat, ut explicata relinquitur, tamen opposita sententia, quod solus Baptismus aquæ imprimat characterem, & non sanguinis & flaminis, mihi magis arridet, utpote communior apud omnes Scholasticos in 4 dist. 4. & expositores D. Thomæ 3. p. q. 66, art. 11 & 12. unde sanctus Doctor in 4. dist. 4 q. 1, art. 4, q. 3 ad 1 dicit: *Quod Baptismus sanguinis non habet efficaciam Sacramentalem, sed solum meritoriam, & ideo ibi non confertur potestas spiritualis ad actiones Hierarchicas, nec character, sicut in Baptismo fluminis, quod est Sacramentum.* Et ratio est, quia characterem solum agnoscunt Patres imprimi tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmationi, & Ordini; nec aliam causam illius introducere fas est. cum autem Baptismus sanguinis & flaminis Sacramenta non sint, ut est ita certum ut contrarium affirmare non liceat, ut constat ex Divo Thoma q. citata, art. 11 ad 2. antecedens constat ex Patribus Græcis, Basilio in exhortatione ad Baptismum, Cyrillo Hierosolym. in præfatione catechescor. Nazianzeno oratione 4 in sacrum Baptismum, Chrysostom. homilia 2 in epistola ad Ephesios, Damasceno lib. 4 de fide, cap. 10. ex Latinis Ambros. lib. 1 de Spiritu sancto

tu sancto, cap. 6. Augustino lib. 6 de Baptismo, cap. 1. & lib. 1 contra Cresconium, cap. 3. & epistola 50 ad Bonifacium. Primasius ad caput 1 ad Ephesios, & similiter ad caput 4. ejusdem epistolæ Gregorius Magnus lib. 2, epistola 31. & lib. 12, epistola 32. Anselmus ad caput 1 ad Ephesios, Guillermus Ambernicus antiquus auctor, qui vixit anno 1230. Ricardus de Mediavilla, qui vixit anno 1280. in 4. dist. 5. q. 4, art. 2. Lyra ad caput 4 ad Ephesios, explicans illud *in quo signati estis*. Sotus in 4. dist. 6. q. 8. Augustinus triumphus de potestate Ecclesiæ q. 58, art. 7, idem docent. quorum egregia verba invenies apud Iodocum Coccium in Thesauro Catholico lib. 5, artic. 3. quibus omnibus conformantur Concilia Oecumenica Trident. sessione 7, Canone 9. & Concilium Florentinum in decreto unionis utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ. unde fit, quod nullum antiquarum legum Sacramentum characterem imprimebant.

Ex quo colligitur verum esse, quod Martyri & Catechumeno decedenti cum contritione imprimitur character, dum accipiunt gratiam consummatam, non quidem ex vi Baptismi sanguinis & flaminis, qui non sunt Sacramenta, sed quia debetur gratiæ consummatæ. sicut habentur aliæ virtutes, quamvis in patria non sint habituri suum primarium actum, ut docet sanctus Thomas 1. 2. q. 67, art. 1 & 2, & in 3. dist. 33. q. 1, art. 4, dicens: *Quod hujusmodi virtutes morales manent in patria, non quoad actus quos habent in fine adepto, qui est à passionum tumultibus quietari.* quod desumpsit ex Augustino 13 de Trinitate, cap. 8 & 9. & egregie enucleat sanctus Doctor q. 5. de virtute, art. 4, in corpore. & 1. p. q. 90. art. 3. Loquens de primo homine in statu innocentiæ. cum autem character secundum duplicem definitionem, quam enodat sanctus Thomas in 4. dist. 4. q. 1, art. 2, q. 1 & 2. una desumitur ex Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia, qua dicitur, character *est signum sanctum communionis fidei, & sanctæ ordinationis, datum divina beatitudine à Hierarcha.* quæ verba non reperiuntur apud Dionysium, sed sequentia quæ habentur p. 3. illius cap. §. 3. juxta divisionum Corderii, *Divina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recipit, & proprio lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem.* ex quibus aliqualiter desumpta est ab antiquis præfata definitio, quam enucleat D. Thomas ibi in ordine ad passiones, & actiones Hierarchicæ Ecclesiæ militantis, quas participant fideles à Hierarcha, hoc est, ab Episcopo.

Aliam definitionem, quam *Magistralem* nuncupat sanctus Thomas q. 2, quæ talis est: character est *distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali, secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti & recreanti, & distinguens à non configuratis secundum statum fidei: quæ definitio* (inquit) *excedit priorem, quia datur per causas magis proximas, & ideo,* inquit, *charactere indigetur ad distinctionem faciendam: est enim signum distinctionis, & propter ipsum hominem qui suscipit, & propter alios homines qui eos admittunt ad spirituales actiones,* &c.

Ex quo manifeste colligitur, quod sicut character non manet in patria secundum id quod exprimit prima definitio, scilicet exercitium actionum Hierarcharum, quod solum reperitur in Ecclesia militante; sed solum secundum id quod exprimit secunda definitio, quod sit similitudo qua distinguuntur oves Christi, quibus imprimitur hoc simulacrum Trinitatis creantis & recreantis: ita in beatitudine imprimitur character quoad hoc exercitium distinctionis, ut in patria fiat unum ovile & unus Pastor, & omnes oves signatæ sint signo Christianitatis. hoc enim signum pertinet ad divitias gloriæ quas acquisierunt sancti ex fide Christi; quare omnes justi veteris Testamenti, qui salvati sunt ex fide unius Redemptoris, ex vi gratiæ consummatæ characterem Baptismi & confirmationis acceperunt, ratione status beatitudinis, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus eorum, quæ ad statum cujuscumque pertinent. Et ad statum Christianorum pertinet, saltem in alia vita, characterem distinctionis in se habere. & hæc dicta intelligantur juxta opinionem Cardin. Aureoli.

RESOLVTIO XLI.

Vtrum actus martyrii sit inter cæteros humanos actus viatoris perfectior.

VT martyrii fructus clariores evadant, hanc Resolutionem huc servavi. quanto enim perfectior est causa, tanto perfectiores producit effectus. igitur Martinus de Magistris tract. de martyrio q. 2. acriter impugnat D. Th. quem male intellexit q. 124 citata, dum ait, quod *martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundum genus suum, quasi maximæ charitatis signum, secundum illud Ioannis 15. majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* in quam veritatem pluribus impetit Martinus ille I. Quia virtus eliciens proxime martyrium, aut elicit tolerantiam mortis secundum se, & hoc non quia, ut ait sanctus Doctor, *tolerare mortem non est laudabile secundum se.* aut elicit tolerantiam mortis per comparationem ad primum motivum ejus, scilicet fidem & charitatem. ergo per comparationem ad virtutem elicientem martyrium, non est inter omnes actus humanos perfectissimus, & non solum in quantum imperatur à charitate.

II. Quia quod sit martyrium signum perfectissimæ charitatis, non arguit quod sit ab intrinseco perfectissimus actus; sed solum extrinseca denominatione. sicut quando musca creatur ex nihilo, est signum perfectissimæ potentiæ creativæ; at musca ipsa non est perfectior equo generato, nisi solum extrinsece, quatenus est terminus perfectissimæ actionis.

Sed nihilominus sententia Divi Thomæ & verissima & profundissima est, & unum ex præcipuis fundamentis hujus materiæ de martyrio, quam egregie intellexit & sequitur Dominus Cajetanus §. in eodem. tertio articulo. & secutus est Abulensis ad caput 13 Matthæi, q. 20. §. ad 3. ut autem hoc recte & clare conspiciatur, operæ pretium est adnotare, quod martyrium ex sua ratione consistit in mortis tolerantia pro Christo & ejus amore, unde: *Mortem tolerare non est laudabile secundum se*, sed secundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod præponatur bono conservationis vitæ, ad quam conservandam tenetur homo ex charitate, qua tenetur diligere seipsum. unde tolerare mortem, ut refertur ad fortitudinem, non est secundum se laudabile, sed prout tolerare mortem bonificatur ab aliqua bonitate fidei & charitatis. quare prius est, quod hæc materia fortitudinis, quæ est mortis tolerantia, referatur ad virtutem fortitudinis, bonificatur ab honestate fidei & charitatis. & sic actus fortitudinis elicitur à fortitudine virtute morali, & ab intrinseco imperatur à charitate. quam doctrinam egregie enodavit Cajetanus art. 3. citato §. ad hoc dicitur: *Quoniam actus* (ait) *dependet ex objecto, consequens ut fortitudinis actus forma-*

formatus ex bonitate objecti dependeat, ut à materia circa quam. & propterea in litera dicitur, quod tolerare mortem, ut est actus fortitudinis, non est secundum se laudabile. ut Ly. secundum se, denotat præcisionem à bonitate materiæ circa quam, quoniam seclusa per intellectum conditionalem saltem bonitate materiæ, circa quam est tolerare mortem, quantumcumque ad fortitudinem referatur non est laudabile; ista siquidem conditionalis est vera, si fortis toleraret mortem non bonam secundum finem materiæ circa quam non esset laudabilis. Intendit igitur Auctor, quod martyrium relatum ad fortitudinem dependet ex bonitate bonificante mortem illiusque pericula, ita quod sine tali bonitate materiæ martyrium non est laudabile.

Vnde claret discrimen inter materiam aliarum virtutum moralium, & tolerare mortem ejusque pericula: quod aliarum virtutum materia, ratione & prudentia regulata, absque ordine ad alium finem, habet honestatem naturalem aut supernaturalem secundum regulas quibus metitur. at tolerare mortem, quantumcumque referatur ad fortitudinem, si non referatur ad aliquod bonum quod consistit in actu virtutis, puta ad fidem, & ad dilectionem Dei, non est laudabile, nec est actus virtutis infusæ. rursus cum actus fidei sit actus virtutis intellectualis, ipse ex se solo, nisi per dilectionem operetur, non tribuit huic materiæ, quæ est tolerare mortem & ejus pericula, honestatem fortitudinis, nisi adsit charitas: *Nam si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, ut ait Apostolus 1 ad Corinthios 13, vers. 2. unde circumstantia objectivæ honestatis hujus objecti, quod est *tolerare mortem*, est ordinatio ad fidem & charitatem, quæ est primum motivum honestatis fortitudinis circa hanc materiam, quæ est tolerantia mortis ex imperio charitatis formali vel virtuali: quia materia illa accipit honestatem laudabilem ab honestate charitatis, & pro Christi fidei passione.

Ex qua doctrina vera intelligentia illius propositionis sancti Thomæ, quod martyrium, qui est actus perfectus fortitudinis, est perfectior inter cæteros actus humanos, tam interiores, quam exteriores, cum nullum universalis excludat. Sicut hujus martyrii super omnes actus excellentia limitatur, per illa verba: *secundum genus suum.* quod dupliciter potest intelligi, primo cum Cajet. §. *in eodem el fegundo.* quod scilicet secundum genus operis, martyrium est actus præponens Deum rei maximæ amatæ, scilicet vitæ, & hoc non solum voluntate & verbo, sed opere executionis consummato. quo dilectionis actu secundum genus suum, nullus alius invenitur aut inveniri potest perfectior, juxta illud Christi: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis*, &c. quamvis si attendamus ad gradum charitatis ejusque fervorem, perfectior actus fuit actus quo diligebat Deum beata Virgo, quam martyrium sancti Petri, & hoc, quam martyrium sanctæ Barbaræ Martyrium tamen Christi perfectius fuit etiam secundum gradum dilectionis, quam charitas Beatæ Virginis, qui ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati; & sic secundum suum genus, & secundum gradum fuit simpliciter perfectior inter omnes actus humanos, etiam possibiles. *& merito sic esse debuit* (ait Cajetanus) *ut supremum genus actuum humanorum, quod est martyrium, habeat sui supremum, hoc est martyrium Christi, quod est supremum simpliciter inter omnes actus humanos: hoc enim ordo universi expetere videtur.*

II. Et est explicatio prædicti modi Eminentissimi Cardinalis, quod martyrium secundum genus suum est perfectior inter omnes actus humanos; hoc est ratione materiæ honestæ circa quam versatur, quæ est tolerantia mortis pro amore Christi, pro ejusque fide tuenda. itaque materia fidei non est tolerantia mortis quomodocumque, sed quatenus illa tolerantia bonificatur ab amore Christi, & charitate, & fidei defensione. Est enim Divi Thomæ phrasis, secundum quam materiam actuum humanorum appellat genus, juxta illud commune axioma Peripateticum: *genus desumitur à materia, & differentia à forma*; at specifica ratio sumitur in ordine ad honestatem specificam alicujus virtutis. Legatur Sanctus Doctor 1.2. quæst. 18. artic. 7. itaque tolerantia mortis & habet honestatem charitatis, quæ est quasi genus quoddam commune ad martyrium, & ad cæteros actus exterioris charitatis; & secundum hoc genus perfectior actus est martyrium, quam omnes alii actus humani, sicut charitas in genere virtutis perfectior est quacumque alia virtute. rursus hæc honestas, quam tribuit charitas tolerantiæ mortis, reducitur ad specificam, respectu honestatis fortitudinis per ipsam virtutem, ratione cujus fortiter sustinet mortem Martyr pro Christi amore. & ratione hujus specificæ honestatis, quæ est fortiter mortem sustinere, non est martyrium perfectior actus inter humanos, cum sint aliæ virtutes perfectiores fortitudine.

Quod declaratur ex doctrina Sancti Thomæ 2.2. quæst. 31. artic. 1. ubi inquirit, an beneficentia sit actus charitatis? & respondet, *quod beneficentia nihil aliud importat, quam facere bonum alicui. Potest autem hoc bonum considerari dupliciter, uno modo secundum rationem boni; & hoc pertinet ad communem rationem beneficentiæ, & hoc est actus amicitiæ & per consequens charitatis. nam in actu dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico, ut supra habitum est, quæst. 23. artic. 4. & quæst. 27. artic. 2. voluntas autem est effectiva eorum quæ vult, si facultas adsit. & ideo ex consequenti; bene facere amico ex actu dilectionis consequitur, & propter hoc beneficentia secundum communem rationem est actus amicitiæ & charitatis. si autem bonum quod quis facit alteri accipiatur sub aliqua speciali ratione boni, sic beneficentia accipiet specialem rationem, & pertinebit ad aliquam specialem virtutem.* hæc ibi satis ad rem. tolerantia mortis secundum genus suum & materiæ honestatem communem, pertinet ad charitatem, quæ bonificat materiam illam, & sic est actus charitatis, quia *majorem charitatem nemo habet, &c.* tamen si tolerantia mortis fortiter sustineatur, quæ est specialis ratio honestatis, ad fortitudinem pertinebit.

Ex quibus colligitur manifestum discrimen inter imperium charitatis, respectu multarum virtutum moralium, & respectu fortitudinis: quia imperium respectu aliarum virtutum non tribuit illis honestatem supernaturalem genericam; at imperium, respectu fortitudinis Martyris, materiæ fortitudinis communicat honestatem communem. unde non incongrue dici potest, quod in Martyrio honestas fortitudinis continetur sub honestate dilectionis Christi, tamquam species sub genere, juxta Doctrinam Divi Thomæ 1.2. quæst. 18. art. 7. de qua latissime ibi. & legi possunt Gregorius Martinez, ibi *dubio unico.* ubi egregie id explicat, & Reverendissimus Pater Magister Ioannes à Sancto Thoma, disput. 9. artic. 5. §. de pluribus moralitatibus subordinatis. Arauso dubio unico conc. 4, num. 37. *nec ex hoc sequitur, quod actus Martyrii eliciatur à charitate, sed solum quod imperetur quatenus actus fortitudinis ordinatur ad primum motivum charitatis, bonificantis intra lineam specificam fortitudinis hoc, quod est tolerare mortem, quod secundum se non erat laudabile.*

Ad I. oppositum Respondetur, quod martyrium, ut respicit materiam circa quam versatur fortitudo, est perfectior actus inter omnes humanos, quia ut sic ab intrinseco exigit imperari à charitate; cæterum non est perfectior, quatenus circa illam materiam versatur sub specifica materia, scilicet fortiter.

Ad II. Respondetur, quod Martyrium non est purum signum dilectionis & charitatis, sed est operatio charitatis, ex natura rei illam significans sicut signum naturale, ut operatio est signum virtutis. unde ab intrinseco illa perficitur & completur. & exemplum muscæ, ut adnotat Cajetanus, non est ad rem, quia musca non est operatio, sed effectus operationis. Verum tamen est quod creatio est perfectissima operatio, quia est signum naturale perfectissimæ virtutis operativæ: effectus tamen, quamvis sit signum causæ, non est immediate & ratione sui, sed ratione operationis qua ponitur in esse. unde operatio est immediatum signum virtutis causæ.

RESOLVTIO XLII.

De primo fructu sancti martyrii, gratia sanctificante, reatus & peccati totali abstersione.

Sanctus Eulogius Cordubensis electus Archiepiscopus Toletanus, Martyr & Martyrum gloriæ acerrimus defensor contra Sarracenos, qui vixit anno 850, de quo Cardinalis Baronius in notis ad diem 24 Novembris, loquens de ejus scriptis, dicit: *omninoque hujusmodi ita scripta sunt, ut in pixide Spiritus Sancti calamum intinxisse Sanctus Eulogius videatur.* Hic igitur tantus scriptor in apologetico sanctorum Martyrum, quod habetur Tomo 9 Biblioth. P P. Agrippinæ, p. 1. refert errorem quorundam sui temporis, asserentium (ut Regi Cordubæ Mahometano complacerent & assentirentur) tria: I. ut sui temporis Martyribus palmam auferrent, & gloriam derogarent.. *quod Martyres gentilitatis tempore, quæ simulacrorum cultibus dedita, variisque imaginum sacrilegus occupata milleno extitit idolorem portento subacta, & quot mundialium mirata est species rerum, tot sibi instituit formas Deorum.* & infra: *cujus errore decepta crudeli persecutione resistentem, ac adversantem sibi Christianam vexabat militiam, diversis generibus tormentorum, sperans à cultu Religionis revocari posse suppliciis animas, quas spirituali conflictu introrsus jam eruditas noverant, etiam facillime materiales debellantium vincere pugnas, sic dum invictissimam perfectissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoque miraculorum ostentis obstupescens, insultat, Dæmonicis deputando præstigiis; quia cæcata mente pietatis nequibat effectum advertere, eamque, ut apud plura legimus exemplaria, beatorum occasiones convertendi ad Christum prodigia ipsa signorum. Nam isti Tyrones, & nostrorum temporum confessores, ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam furentum acerbitatem perpessi Tortorum, non sub diutinum desudarunt stimulum.*

II. Assertum horum hæreticorum gravioribus verbis refert lib. 1 memorialis, in medio, dicens: *sunt autem plerique fidelium, & (heu proh dolor!) etiam sacerdotum, temere horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui jubent eos non recipi in catalogo sanctorum, in usitatum scilicet atque profanum asserentes hujusmodi Martyrium, quibus nulla violentia præsidialis fidem suam negare compulit, nec à cultu sanctæ atque piæ Religionis amovit, sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob superbiam, (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interemti, suarum parricidæ effecti sunt animarum.* ita docuerunt Episcopi, & multi de clero in Concilio convocati, ut refert idem Sanctus Eulogius lib. 2, cap 15, *Plurimi etiam qui pridem nobiscum sano sensu victorias Martyrum prædicabant, constantiam efferebant, laudabant trophæa, extollebant agonem, tam ex sacerdotibus, quam ex laicis, sententias mutant, aliter sentiunt, judicant indiscretos quos hactenus felicissimos asserebant.* & infra: *& quamquam metu compulsi, seu metropolitanorum judicio, qui ob eandem causam tunc è diversis provinciis à Rege (Habdarrahgman) fuerant adunati, aliquid commentarentur, quod in ipsius Tyranni ac populorum serperet aures: inhibitum esse martyrium, nec licere cuiquam deinceps. ad palæstram professionis discurrere, præmisso Pontificali decreto ipsæ literæ nuntiarunt. Eademque scheda minime decedentium agonem impugnans, quod futuros laudabiliter extolleret milites, percipitur. Verum tamen allegorice edita, nisi à prudentibus adverti non poterat; non tamen inculpabile illud fuisse putamus simulationis consultum, quod aliud gestans, aliud sonans, quasi à discursu materiali plebem compescere videbatur. Quinimo, nisi legitimi satisfactione saltem pro plebe, nullatenus remittendum esse confitemur.*

III. Assertum. *ideo Tyrones & illorum temporum Confessores, non esse consimiles Martyribus temporis gentilitatis, quia ab hominibus Deum colentibus, & cœlestia jura fatentibus compendiosa morte perempti sunt. unde satis eis est, si præteritorum curationem adepti sunt criminum, quos non torsit catenarum stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diversa pœnalitas persequentis.*

Contra quæ asserta mirifica eruditione insurgit Sanctus Martyr: *hæc* (inquit) *vana parvi pendentium adinventio congrua necesse est legum authoritate retundatur, & quantum Deus juverit veridico assertionum ariete impellatur, ut mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis discat ex veritate, novitios sicut priscos venerari patronos, quos generali devotione per mortem gloriosam ire cernit ad cœlos.*

I. Assertum sic impugnat eleganti discursu: *quid enim celere militibus sanctis excidium officit, per quod id cursim pervenit, quod per varia olim catalogus; quando, ut scriptum est, justus quacumque morte præoccupatus fuerit anima ejus, in refrigerio erit: aut quid ob est utrum per longa cruciamina, an subitaneo obitu decedant? quando una eademque res est, quæ utrosque coronat, zelus scilicet Dei, & amor Regni perpetui.* & paulo post: *quid inter universa supplicia cruentius morte? quid terribilius quam micantem ante oculos cernere gladium, cervicibus confitentium protinus illapsurum? aut quid per longa certamina, nisi mors, sanctis Martyribus quæritur? illa utique mors, de qua Psalmista canit, & dicit: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: non enim diu patienti, sed vincenti corona præmittitur, & feliciori pertinacia beati agonis terminum præstolans de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur, dicente Domino, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. sive autem dilationibus, sive fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus, propera seu tarda mors occurrat, hoc solum advertendum est*, si causam fidei passiones excipiant, *si propter Christum coronatorem Martyrum, ut in æternum salventur, animas perdere anhelant. nam etsi culpis obnoxii maneant, & ex qualibet forte vitiorum infecti ad Martyrium veniant, nihil impedit, cum omnibus materiali trophæo deletis ad Christum coronandi accedant.*

Et infra aliud ponit veritatis fundamentum, sic: *Frustra ergo zelo Dei accensus ob bravium festinaret miles egregius, & casso conatu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo quod in procinctu & in ipso belli auspicio palmam de Tyranno obtinuit; neque jam*

diutina

diutina & laboriosa consflictatione conquisivit, aut per multimodum concertationis discursum adeptus est. illis utique laboriosis vexationibus, & non expeditæ victoriæ corona debetur, si magis prolixitas pugnæ, quam festinatum trophæum pensaretur. qualitas itaque, non quantitas intentionis observanda est discurrentis ad præmium, cum quoquomodo rei desideratæ capiatur effectus. Quid enim latroni Euangelico obstitit quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit? aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscavit, qui (ut ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis, prædisque exegit? & tamen sub unius confessione momenti tanto scelere non solum eruitur, verum etiam dignus comitatui Redemptoris, primus Paradisi possessor habetur, dicente Domino: hodie mecum eris in Paradiso.

Et postea alio fundamento nititur probare, & satis egregie probat, quod miracula non exiguntur ad verum martyrium, dicens: *Miraculorum vero insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, ut prodigiorum virtutibus, vel mitigaret furentum insaniam, quæ beatorum constantiam fatigabant, vel incredulum genus ab infidelitatis errore converteret, qui cælestium jura scripturarum obduratis præcordiis respuebant. eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscare virtutum, quoniam rudem per ævum diffusum Christianismum nunc instructione virorum, nunc exercitatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus fidelium populorum, sicut scriptum est: euntes per universum mundum, prædicate Euangelium, & cætera quæ sequuntur. hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt, harum exercitatione virtutum quasi lactentium parvulorum auspiciis teneritudo & confota est & nutrita, ut ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel corroboraretur fides credentium, ac veluti quædam ferramentorum instrumenta fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentove, torques scilicet, monilia, Regumque diademata componenda, aptanda & compingenda formata sunt.*

Et post: *nec magnopere de prodigiorum insignibus confitendum est, quæ plerumque ab infidelibus exequuntur. & in Exodo scribitur: Fecerunt & malefici per incantationes, sicut & Moyses (de qua quæstione sufficienter, ut opinor, in illo memoriali Sanctorum opere disputatum est:) sive enim Dei testes miraculis emicant, sive absque prodigiis beatum certamen expediunt, nihil interest, cum ab eis hoc cælestis auctor solummodo expectat, ut usque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consumment, quo in æternum catalogis adunati sanctorum de perpetuitate salutis exultent, dicente Domino: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

III. Assertum erroneum & Hæreticum sic impugnat: (nam de secundo postea) *Dicunt enim, quod ab hominibus Deum & legem colentibus passi sunt, nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei invitati, peremti sunt; & ideo non ut priorum Martyrum horum martyria veneranda sunt. Deum ergo, & legem isti vanitatis cultores nullo modo habere credendi sunt, qui Euangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solum non credunt, verum etiam omni zelo perversitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt? exosum & iniquum putantes Christum verum Deum & verum hominem credere. Ac sic irrisione nefaria quotidie Dei fortem infamantes, ritum sanctæ Religionis ubique lacessunt, irrident & maledicunt, spem credulitatis & fidei suæ in cujusdam pestilentiosi ac Dæmoniosi homunculi divinationibus collocantes*, &c. Et postquam vitam & mortem Mahometi protulit, & libro manu scripto, quem reperit Pampilone in Cœnobio Legerensi, concludit dicens: *Ecce qualibus præstigiis deditum vulgus, quasi taque impietatis Ducem plerique non metuunt sub nomine piæ Religionis censeri. Asserentes, quod ab hominibus Deum colentibus & legem habentibus isti Tyrones nostrorum temporum milites occisi fuere. nulla discreti prudentia, & saltem provido cogitamine advertant, quia, si talium cultus aut lex vera dicenda est, pro certo vigor Christianæ Religionis infirmabitur.* hæc ille. Ex quibus liquet, hujusmodi assertiones defendentes Christianos fuisse.

Sed accedamus jam ad secundi hujus erroris asserti impugnationem, quam apposui supra Resolutione 27 & 38, nec judico repetendam. solum superest dubium, an decretum illud Concilii Cordubensis, quod *subtile dicit* Auctor Biblioth. ad marginem, in quo Episcopi edendo usi sunt æquivocatione, quæ nota erat doctioribus, etsi incognita pusillis & rudioribus. quamvis enim, ut ait Sanctus Eulogius, decretum fuerit, quod nullus voluntarie se offerret martyrio, tamen non dixerunt, quod si quis ita occurrens occisus esset, non esset Martyr: ejus enim agonem non impugnat decretum. quare videtur ad evitandam majorem persecutionem, Episcopos coactos metu viri constantis, tali æquivocatione licite usos, ut Regi & Magnatibus satisfacerent, & morem gererent.

Ambrosius Moralis in notis ad illud caput 15. num. 5, circa illa verba, *inhibitum est martyrium*, sic fatur: *Hæc quæ sequuntur ad finem usque periodi, decretum à Concilio editum continent, subobscure tamen; consilium ergo præsulum in Concilio fuit (ut misere laboranti ac periclitanti Ecclesiæ hac ratione prospicerent) edicere & præcipere quod Regi, quod proceribus placere posset leviter intuentibus. Cæterum cum vererentur quispiam docere, quod Dei summi Majestatem & Christianam Religionem offenderent, ita decreti verba temperarunt, & consulto quasi fabrefecerunt, ut nihil impium, si quis impius rimaretur, assererent. hoc est quod in sequentibus prosequitur Dominus Eulogius.* hæc ille, quibus satis innuit Episcopos & Metropolitanos non peccasse contra Religionem in hujusmodi decreto condendo, sed peccasse contra charitatem, pusillos scandalizando, id quod intendit Sanctus Eulogius, dicens: *non tamen inculpabile illud fuisse putamus simulationis consultum; quin imo, nisi legitima satisfactione saltem pro plebe, nullatenus remittendum esse confitemur.* in quæ verba sic idem qui supra Moralis: *necesse fuit profecto imbecillibus satisfacere, ne edictis scandalizarentur, si forte id tantummodo quod ab Sarracenis volebat Concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergo his imbecillibus inquam, & pusillis satisfieret, tum legitima interpretatione ad eos, & propter eos adhibita, tum etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum formare compulissent.* hæc illi. Novimus enim in Concilio Eliberitano multa edidisse Patres decreta ad evitandam violentiam Tyranni, ne acrius desæviret in Christianos, ut plura dixi supra digressione 1. & hæc de hoc errore, negante Martyribus modernis martyrii honores, quibus venerantur antiqui.

Igitur vero Martyrio gratiam completam quoad omnes sanctitatis effectus, & omnium remissionem culparum infundi, esseque plenariam indulgentiam omnium pœnarum, quæ peccatis debentur, certissimum est apud Catholicos, ex indubitata Patrum doctrina, apud quos invenitur multiplex propositio. *prima est, quantum ad effectum gratiæ, & indulgentiam omnis reatus & pœnarum, martyrium est verior & perfectior baptismus.* Ita Clemens Romanus lib. 5 constitut. cap. 5. *qui martyrio habitus est dignus, etsi catechumenus sit, recedat ad Deum lætus: cruciatus enim, quo est propter Deum affectus, erit ei verior baptismus, quod*

is quidem experientia ipsa mortis commoritur Christo. Similia & propter eandem rationem expressit Rupertus lib. 7 de divinis officiis, cap. 5. & sanctus Cyprianus epistola 73, n. 71. ubi martyrium appellat *gloriosissimum & maximum Baptismum.* & in præfatione libri de exhortatione martyrii ad Fortunatum sic fatur: *Nos tantum qui, Domino permittente, primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes & docentes hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius: Baptisma, in quo Angeli Baptizant, Baptisma in quo Deus & Christus ejus exultant, Baptisma post quod nemo jam peccat, Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissio; in sanguinis corona virtutum.* hactenus Cyprianus. sanctus Eucherius Lugdun. homil. de sancto Romano, & sancto Martiali, qui, ut refert Barthius lib. 45 adversario, cap. 2; dicunt *quod per Baptismum aquæ facti domestici Dei, ac servi in ejus familia transcribimur; per Baptismum vero sanguinis multo sumus apud Deum gratiosiores, ita ut etiam amici nominemur & simus.* Horum Patrum sententiam secutus est Divus Thomas 3. p. q. 66, art. 11 & 12.

II. Patrum propositio est communior apud ipsos, *quod Martyrium est alter Baptismus, qui adæquate supplet quantum: ad gratiæ infusionem & plenariam tam culpæ, quam pœnæ remissionem.* Sanctus Basilius oratione in sanctos quadraginta Martyres. Ambrosius sermone 90 de beata Emerentiana. Cyprianus epistola 73, n. 72, qui desumpsit ex Tertulliano libro de Baptismo. Augustinus lib. 4 de Baptismo, cap. 21. & libro 13 de Civitate, cap. 7. Hilarius in Psalmo 118, ad illa verba: *Vivam & servabo sermones.* Bernardus epistola 77 ad Hugonem de S. Victor. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 3. sanctus Prosper epigramma 87. & *quidquid sacri fert mystica forma lavacri, id totum implevit gloria martyrii.* Origenes luculenter satis tract. 12 in Matthæum. Sanctus Maximus homil. 1 de sancto Cypriano. Sanctus Lucifer Calaritanus lib. quod moriendum sit pro filio Dei, qui habetur tom. 6 Biblioth. Patrum Agrippinæ.

III. Eorundem Patrum est propositio, quæ est ex duabus præcedentibus conclusio & illatio: *Quod homo martyrio coronatus, & sanguinis martyrio ablutus, omni sorde purgatus, & nitela perfectissima mundatus, statim cœlo advolat, Deum intuetur, & æterno jungitur amoris vinculo.* Tertullianus lib. de resurrectione cap. 43: *Nemo* (inquit) *peregrinatus à corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativa paradiso, non inferis diversurus.* & lib. de patientia cap. 13, ubi Pamelius n. 90. Cyprianus epistola 52 ad Antonianum, n. 59. *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo cruciatum dolore mundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione mundasse; aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.* Legatur Pamelius ibi n. 59. & lib. de martyrio n. 7. *Considerare utique debetis quantæ sit gloriæ, vitæ quamlibet maculam, & sordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe emerita contagia. tantoque temporis tractu mundi crimen excepti unius ictus remedii expiare, quo & augeri merces, & crimen posset excludi. unde omnis consummatio & status vitæ in martyrio est collocatus. Hoc est fundamentum vitæ, vinculum libertatis & honoris,* &c. Plura ad propositionem illustrandam ingerit beatus Lucifer Calaritanus, Primas. lib. cujus titulus moriendum esse pro Dei filio, qui habetur tomo 4 Biblioth. novæ Agrippinæ, aliquantulum à principio, dicit: *Tormentis Martyres Deo consecrari, & ipsa passionis probatione coronari, aperiunt ita sacræ Scripturæ: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* & multo post: *Alloquens Imperatorem, invenies quod mors tua fragili illata potestate integriorem reparet vitam, quod hæc magis ducat ad gloriam. per ignes, per gladios, per catenas, ac feras, tutante Deo, non modo non extinguimur, sed magis ac magis vivificamur.* Et infra: *sanguine nostro patefit cœlum, sanguine nostro gehennæ extinguitur ardor.* & multa alia egregia ad propositum, in illo eruditissimo opusculo sparsa passim, invenies. in eadem est sententia sanctus Basilius explicans illud Psalm. 115, *pretiosa in conspectu Domini.* Sanctus Eulogius in Apolog. *etsi culpis obnoxii maneant, & ex qualibet sorde vitiorum infecti, ad martyrium veniant, nihil impedit, cum omnibus martyriali tropheo delectis ad Christum coronandi accedant.* quod desumpsit ex Clemente Alexand. lib. 4 Strom. cap. 5. Augustinus sermone 6 de verbis Domini, Epiphanius hæresi 70 contra Audianos. & egregie auctor lib. de singularitate Clericorum num. 117, & n. 118, ubi Pamelius: *Nonnulli de contemporibus nostris,* (ait Pseudo-Cyprianus) *similiter feminas habentibus in domibus, martyrium consecuti sunt, ut illorum innocens conscientia probaretur. Sæpius & mœchi, & sanguinarii, & ebriosi, & omnium scelerum rei reperta pugnæ occasione conversi meruerunt ad martyrii veniam* (vel, ut vult Erasmus,) *palmam pervenire.* sanctus Hieronymus epistola 65 ad Pamachium & Occanum, n. 27, ubi loquens de sancto Pamphilo Martyre, qui opusculum scripsit apologeticum in favorem Origenis ab Arrianismo, faciens ipsum Nicenæ Synodi defensorem, dicit sanctus Doctor: *Quod hoc opusculum fuit Pamphili nondum Martyris, & quomodo inquies martyrio dignus fuit? ut martyrio deleret errorem, ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. quanti ergo in toto orbe Martyres antequam cæderentur variis subjacuere peccatis!*

Huic propositioni accedit non illepida confirmatio aliquorum Patrum, asserentium de latere Christi ideo fluxisse, eo jam mortuo, sanguinem & aquam, ut duplicis Baptismi esset certum prænuntium, quo lavarentur crimina & pœna qualibet abstergeretur, quod eleganter expressit Hierosolymitanus Cyrillus catechis. 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet præter solos Martyres, qui vel sine aqua regno cœlesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per crucem & in latere vulneratus sanguinem & aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore aqua baptizentur, alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus baptizentur. quod vero etiam is recte Baptismus vocatur, vide Salvatoris testimonium, qui dicit: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; & Baptismo, quo ego baptizor baptizari?* Similia ex eodem testimonio docet catechis. 13. Quamvis enim D. Thomas 3. p. q. 62, art. 5. in fine corp. dicat, quod aqua fluens de latere Christi significat Baptismum, & sanguinis Eucharistiam, quod repetit super Ioannem cap. 18, lect. 5, litera D; tamen satis congrua est Cyrilli explicatio, comprehendens utrumque Baptismum, sanguinis & aquæ, quibus in lege Euangelica janua cœlestis absque ullo prorsus impedimento detentionis aperta est.

Ex dicta Patrum sententia his propositionibus comprehensa, manifesta deducitur ratio ad intentum veritatis inductæ. quam esse rationem omnium Scholasticorum, præcipue Durandi in 4. dist. 4. q. 8. n. 6. fatetur Raynaudus cap. 6 citato, n. 8, cujus hæc sunt verba: *Non minus operatur passio Christi ad salutem ejus, qui Christo passo conformatur secundum realem perpessionem passionis, quam is, qui Christo tantum conformatur,*

formatur. quo ad typicam & figuralem perpessionem. atqui Martyr conformatur Christo passo quoad realem passionis susceptionem; qui vero baptizatur non conformatur Christo, nisi in adumbratione quadam & typo Sacramenti, quo Christo intra aquas commoritur & consepelitur, ut Apostolus sæpe loquitur. ergo martyrium non minus conducit ad salutem martyris Baptismo non tincti, quam Baptismus aquæ ad salutem ejus, cui admovetur.

Quæ ratio, qua etiam Divus Thomas utitur 3. p. q. 66, art. 11: *Probat manifeste, quod Baptismus sanguinis, & martyrium uberiorem gratiam conferat quam Baptismus aquæ, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Sicut ergo martyrium & Baptismus aquæ, quia sunt expressiones mortis Christi, acceperunt ut in eis conferatur gratia; ita martyrium, quia est luculentior expressio, majoris gratiæ ferax esse est consentaneum.* Hæc omnia fere Theophilus ex Divo Thoma & Durando.

Verum, dicit esse extra rem, rationem qua utitur Durandus. qui n. 10 sic fatur: *Illud præeminet in collatione boni, in quo confertur abundantius gratia, quæ est principium merendi, & in quo clarius relucet opus majoris meriti, & quod perducit celerius ad donum majoris præmii. sed ista sunt in martyrio, respectu aliorum duorum. Ergo. Minor probatur, quia in martyrio datur abundantior gratia quam in Baptismo vel pœnitentia, si Martyr illam prius non habebat. vel augetur amplius, si eam habebat; alioquin Deus deficeret in necessariis, cum major gratia sit necessaria ad actum difficiliorem gratia autem & charitas commensurantur, cum sit idem, vel inseparabiliter comitentur se. ad martyrium autem requiritur maxima charitas. dicente Domino Ioannis 15, majorem charitatem, &c. Ergo requiritur major gratia. Relucet etiam in eo opus majoris meriti, tum quia est de se difficilius, quia finis terribilium mors. 2 Ethicorum; tum quia procedit ex majore charitate, ut statim allegatum est. Perducit etiam ad donum majoris præmii, quia per martyrium homo statim evolat; non sic autem per Baptismum & pœnitentiam, &c.*

Quæ ratio, cum sit stillata ex Patrum sententiis supra relatis, non video cur Raynaudo non arriserit, & dicat esse extra rem, cum sit valde luculenta & efficax ad propositum. etsi enim ad difficultatem operis supernaturalis vincendam satis sit gratia efficax, ex Dei efficaci decreto ante omnem scientiam mediam dimanans; tamen quando opus est dilectio Dei super omnia, quæ est virtualis quædam legis adimpletio, vel requiritur gratia habitualis ex parte principii, vel ad victoriam illius maximæ difficultatis prædicto operi intrinsecæ, sequitur necessario tanquam terminus, ut omnes expositores tradunt 1. 2. q. 109 art. 3. ubi Vasquez, Montesinus Martinez, Malderus, & cæteri. Suarez tomo 1 de gratia, lib. 1, cap. 35, n. 17. rursus ad martyrium omnino requiritur dilectio Dei super omnia, quæ connaturaliter exigit promanare a gratia habituali & charitate, ut in materia de justificatione latius dixi ad 1. 2. q. 113. non ergo est extra rem Durandi ratio, sed valde accommodata præsenti instituto, & ex solidis principiis orta: quando enim Durandus consentit Divo Thomæ, egregie loquitur & Colophonem addit.

RESOLVTIO XLIII.

Qui sint in hac vita alii veri Martyrii fructus.

EX fructu gratiæ sanctificantis sanctis martyribus collatæ, veluti ex Alpha literarum Principe, multi alii fructus derivantur, quos sigillatim expendere operæ pretium est, sed non absque Theseo: multum enim mihi subdit ad hos fructus carpendos Reverendus Pater Theophilus Raynaudus p. 4. sui tractatus, dum enim bene, satis bene loquitur: *non ut Bombilius verba & rumores tantum importat: expellit enim multa arte, super quæ induxit amussim.* est namque *homo factus ad unguem*, dum non discedit à communi certaque sententia.

§. 1. *Gratiæ habitualis quantus gradus martyrio debitus.*

RESolutio 31, conclus. 3. late ostendi martyrium receptum & Baptismum sanguinis ex opere operato gratiam causare; martyrium vero elicitum, hoc est, actum fortitudinis ex charitate imperatum, causare meritorie gratiam & gloriam; gratiam de condigno, si fuerit Martyr ante martyrium sanctus & justus, sive ipso martyrio sanctificetur, gratiam impetrabit, & gloriam merebitur de condigno. sed quantitatem gratiæ certo determinare & definire nequimus viatores; solum asserere licet esse magnam. unde Augustinus lib. de sancta virginitate, 45 cap. agens de gradibus quibus Christus gratiarum portiones distribuit Matth. 13, vs. 8. & Marci 4, vs. 7, *de trigesimo, sexageno atque centeno*, hunc ultimum ex priscis Patribus martyrio adscribit. cui consentiunt, Abulensis ad caput 13 Matth. q. 26. D. Th. ibi: *triplex est* (inquit) *perfectio, major, minor & media, ita quod centesima Martyrum, sexagesima Virginum, trigesima conjugatorum.* Paschasius Corbezensis lib. 7 in Matth. aliquantulum post principium. Cyprianus lib. de habitu virginum, n. 78, ubi Pamelius dicit hanc Græcorum sententiam. sed audi iterum August. lib. qq. Euangelic. q 9. tom. 4. *Centesimum assero esse Martyrum propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis: sexagesimum virginum, propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis. solet etiam otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas: tricesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium.* hoc idem asserunt quotquot dicunt laureolam martyrii perfectiorem esse simpliciter laureola virginitatis, & quidem jure optimo, cum martyrium sit actus perfectissimus charitatis, quæ est primum principium merendi præmium essentiale. propter quod Cyprianus ubi supra sic fatur: *Primus centenarius Martyrum fructus est; secundus sexagenarius vester est,* (virgines) *ut apud Martyres non est carnis & seculi cogitatio, nec parva & levis delicata congressio, sic & in vobis, quarum ad gloriam merces secunda est, & virtus ad tolerantiam proxima.*

Sed cum supra ex Patrum sensu & consensu diximus, martyrium esse quoddam sanguinis Baptisma, ex opere operato ut naturalis causa gratiam causans in anima, juxta dispositionem patientis, non secus ac Baptismus aquæ, philosophandum sicut de isto, quantum ad æqualitatem vel inæqualitatem gratiæ, quam ut instrumentum divinæ virtutis producit. Igitur de Baptismo aquæ duplicem habeat propositionem quam fere omnes sequuntur 3 p. q 69, art. 8. prima est: *Cum omnes pueri æqualiter se habeant ad Baptismum, (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ Baptizantur) omnes æqualem effectum (qui est per se talis respectu Baptismi) participant in Baptismo.* 2 propositio: *Adulti, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, ideo quidam plus, quidam minus de gratia accipiunt.* Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem diffundat.

Ex his duabus propositionibus isthæc sequuntur loquentes de Martyrio qui est Baptismus sanguinis. omnes pueri ante usum rationis Baptismo sanguinis abluti, si habent originale quod non fuit ablutum circumcisione, nec lege Euangelica per aquam & Spiritum Sanctum, æqualem gradum gratiæ accipiunt. omnes etiam qui prius circumcisi aut aqua baptizati, æqualem gratiam accipiunt. Sed habent gratiam intensiorem quam priores. ratio prioris partis est, quia omnes æqualiter respiciunt causam gratiæ. Quia in fide Parentum in lege veteri, in fide Ecclesiæ in nova justificati sunt, & sic æqualem habent effectum. ratio posterioris est eadem, quia pueri baptizati habent omnes æqualem dispositionem, & Baptismus æquale causat in eis gratiæ & virtutum incrementum.

Sed dicit Raynaudus n. 22. quod si adultus, existimans invincibiliter se non habere peccatum mortale, cum reipsa habeat, subeat martyrium cum sola attritione, non habebit æqualem gratiam cum parvulo baptizato qui occiditur propter Christum, quia in isto gratia habitualis acquisita ex Baptismo est melior dispositio, quam attritio. sed non bene Theophilus, quia adulto in martyrio debetur gratia juxta intentionem attritionis, quæ potest esse multo major, quam gratia habitualis data parvulis in Baptismo. unde cum adultis tam in sacramento, quam in martyrio detur juxta dispositionum quantitatem, cum hujus intensio nobis non constet, nec constabit certus gradus gratiæ illis collatus. Duo sunt certa, quod adulti, ex amore Christi morientes, in martyrio insignem gratiæ fructum percipient: cum habeant excellentiorem actum secundum genus, scilicet maximam charitatem, deinde si sit in gratia, præter gratiam quæ datur ex opere operato per martyrium, dabitur etiam gratia debita, ut præmium charitati ex qua mortem subeunt. nec enim actus iste gratiæ meritorius, ex conjunctione ad Baptismum, præmio suo privabitur.

§. 2. *De gratia martyriali data martyri.*

DIvus Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæst. 5. & 3 p. quæst. 62. art. 2. in corpore, duo dicit. 1. Quod Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem, quam nuncupat gratiam virtutum & donorum, residentem in essentia animæ, tanquam in subjecto cui adhæret; virtutes vero & dona insident potentiis ad actus supernaturales ipsarum exercendos. II est, quod huic gratiæ sanctificanti addunt Sacramenta ex opere operato aliam gratiam sacramentalem, quæ datur ad quosdam effectus speciales Sacramentorum, distinctos ab illis ad quos dantur virtutes & dona, necessarios tamen in vita Christiana. ut Baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Christi, & confirmatio, ut homo in vita spirituali habeat robur per augmentum virtutis, ut possit resistere diabolo & ejus ignea tela extinguere. & sic enumerat effectus gratiæ Sacramentalis, prout distincte à gratia donorum & virtutum 3 p. q. 65. art. 1. Sed quæst. citata in corpore dicit, gratiam Sacramentalem (quæ non habet speciale nomen, sed illud sortitur à sua causa) effluere à gratia habituali, quæ est in essentia animæ quatenus connotat Sacramentum aliquod, sicut effluunt virtutes infusæ & dona Spiritu Sancti. quod repetit q. 27 de veritate, art. 7. sed an hujusmodi sacramentalis gratia sit habitus, vel auxilium, Cajet. art. citato. §. circa hanc doctrinam. sentit quod non sit habitus, sed auxilium, quod expresse dicit Sanctus Doctor in fine corporis: *gratia sacramentalis addit supra gratiam, communiter dictam, quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* Quare mihi dubium non est, quod gratia sacramentalis non sit proprie habitus: existimo tamen esse aliquid permanens in anima & potentiis, ratione cujus homo ratione Baptismi dicitur permanenter *regeneratus*, & ratione Confirmationis *robustus* & *valens*, & ratione Eucharistiæ *nutritus*, & sic de cæteris, ut operetur, & *ut regeneratus, ut robustus*, & *ut nutritus*. si autem velis hoc auxilium extensionem dicere, cum Domino Cajetano non contendo.

Cum autem supra resolut. . . . . diximus Baptismum sanguinis & martyrium causare gratiam habitualem ad modum Sacramenti juxta dispositionem adulti recipientis: consequens videtur, quod illi ut proprius effectus correspondeat gratia, distincta à gratia donorum & virtutum, ratione cujus Martyr realiter conformatur Christo passo pro nobis, pertingatque ad summum gradum obedientiæ, qua quis fit obediens usque ad mortem, ut dicitur de Christo ad Philipp. cap. 2. quæ gratia datur Martyri à principio passionis usque ad mortem, simul cum aliis gratiis auxiliorum ex se efficacium.

§. 3. *Martyres Christo perfectissime configurantur.*

ETsi supra resolut. 32. §. 4. Christum Dominum in uno sensu proprie Martyrem dixerimus; & in alia nominis notione, & vulgari usurpatione cum Pamelio & Divo Thoma, negaverimus Christum Martyrem; cui laureola debeatur, sistamus in utroque asserto: placuit tamen prius iterum examinare propter Raynaudum. est tamen Christus Dominus antonomastice Martyr, & prima victima Ecclesiæ Dei, oblata in altari in odorem suavitatis, quod eleganter expresserunt Nazianzenus orat. 3, quæ est prior contra Iulianum invectiva, ubi num. 72 sic fatur: *Tune adversus Christi sacrificium, cum tuis piaculis? Tu adversus illum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? Tune bellum adversus Pacem? Tune manum adversus eam, quæ pro te, & propter te clavis transfixa est? Tu adversus fel, gustum tuum? Adversus crucem & trophæum? Adversus mortem, oppressionem? Adversus resurrectionem, irresurrectionem? Adversus Martyrem ne Martyres quidem?* quasi dicat, ait Elias Cretensis: *Adversus Christum, qui in genere Martyrum primus est, nec Martyres quidem consentis nominare, obscurans martyrii gloriam & honorem confictis aliis cædium causis, ne diceretur pro Christo & ejus fidei confessione, sicut multi alii Tyranni fecere*, ut supra . . . . . ex Hilario & aliis Patribus induxi. quæ interpretatio Nizetæ genuina est, & magis congruens aliis propositis à Nazianzeno. quare Bilii explicatio mihi non arridet, quod scilicet dicat Sanctus Doctor, Iulianum habuisse quidem aliquod, etsi impium, quod opponeret operibus Christi, at Christo Martyri non habuisse Martyres quos opponeret. hoc, inquam, interpretamentum displicet, quia opponitur manifeste intentioni sancti Doctoris, ut legenti constabit.

Igitur Christum verum Martyrem præconizant Patres tam Græci quam Latini. Augustinus in Psalmo 63. initio & serm. 48. de Sanctis Damascenus lib. 4 de fide, cap. 10. Irenæus lib. 3, cap. 12. & multi alii.

Quare sicut primum in uno quoque genere est causa cæterorum, sicut ignis omnium calidorum quæ calorem ab igne participare dicuntur, ut à prima causa uni-

sa univoca caloris, & omnia entia creata à primo ente entitatem emendicant; ita à martyrio Christi, qui est primus in genere Martyrum, omnes Martyres martyrium meritorium & Baptismum sanguinis accipiunt; alias Christi martyrium inane esset. Quod non solum tenet verum de Martyribus legis novæ, sed etiam legis naturæ, & Mosaicæ. sicut enim in fide Christi salvi facti sunt, alias Christus gratis & inaniter mortuus esset, ut sæpe infert Augustinus contra Pelagium & ejus reliquias, ita verum eorum martyrium à vero Christi martyrio derivatum. sicut enim est primum principium gratiæ, ita est primum principium martyrii, cujus influxus ad Martyres antecedentes se extendit, alias non esset in illa ætate verum martyrium. quod non obscure innuit Sanctus Methodius apud Theodoretum dialog. de provid. 3. dicens: *Adeo admirabile & tanto studio expetendum est martyrium, quod ipse Dominus Iesus Christus Filius Dei, se id honorare testatus est*, id est, martyrium subire voluit, illudque subeundo honorare. & sicut jure optimo S. Augustinus serm. in Psal. 63. ѷſ. 2. Christum appellat caput Martyrum, à quo omnes Martyres martyrii laudem emendicant, illi se conformantes, sive sint Martyres Euangelii, sive anterioris legis, quod eleganter expressit tract. 84 in Euangel. Ioannis, explicans illa verba: *Majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. fit* (inquit) *ex hoc consequens, quod idem iste Euangelista Ioannes in sua epist. 1. cap. 3. ѷſ. 10. dicit, ut quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debeamus pro fratribus animas ponere, diligentes utique invicem sicut ipse dilexit nos, qui pro nobis animam posuit.* Et infra: *hoc Beati Martyres ardenti dilectione fecerunt.*

Cæterum cum ad martyrii gloriam multi possint tituli concurrere, ut defensio fidei, & virginitatis tuitio, ut in multis conspicere licet virginibus; in Christo etiam duplex titulus sui excellentissimi martyrii congreditur (ait Raynaudus p. 4. cap. 4. n. 2.) primus est quem posuit multorum sententia, quam sequuntur Bilius ex Nizeta ad orationem 18 Nazianzeni, & Cretensis Elias ad orationem 3 citatam: *Quia interemptus est, cum ob traditas plerasque veritates morales, tum quia constanter prædicavit illam nostræ fidei magnam veritatem, qua Patrem suum dicebat esse Deum. quam externam fidei confessionem fassus est coram Pontio Pilato, ut dicit Paulus 1 ad Timoth. cap. 6, ѷſ. 13.* quem locum interpretantur Chrysostomus, & Theophilus ibi, Christum Martyrem & Ducem Martyrum fuisse, quia bona & præclara confessione coram Pontio Pilato totoque Consilio Matth. 27. ѷſ. 20, & Ioann. 18. ѷſ. 37. confessus est se esse Messiam Regem Iudæorum, missum in mundum ut testimonium perhiberet veritati, & ut doceret homines veram moralem, & supernaturalem doctrinam bene & pie vivendi, prout oportet ad salutem æternam consequendam. quem titulum luculenter enodavit Rupertus Abbas lib. 1 in Apocalyp. *Christus vere testis, qui Græce dicitur Martyr, quia & natus ob testificandam veritatem, & mortuus est pro testificanda veritate, quemadmodum ipse Pilato dixit: ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* & subdit: *quod & Pater & S. Spiritus testimonium hoc dederint, sed Christus est sola persona quæ pro testimonio veritatis mortem sustinuit. unde & digne solus hic idem solus dicitur testis.* Et hic titulus adæquatissimus est pariter & verissimus.

II. Titulus ex Raynaudo n. 4. cur Christus sit vere Martyr, dicitur ex eo quod, pro nobis à captivitate redimendis & reconciliandis cum Patre, sanguinem suum fuderit, tandemque vitam sanctissimam abjecerit. hunc titulum veri martyrii in Christo agnoscunt (inquit) Scripturæ & PP. à quibus passim ea mortis per Christum exceptæ causa traditur, ut bono nostro consuleretur, & destructis peccati nexibus à captivitate exolveremur, quem titulum martyrii Christi agnovit (ait) Clemens Romanus lib. 5 constit. cap. 5.

Verum enimvero in hoc titulo martyrii Christi declarando, non se monstrat nimis Theologum Raynaudus. quamvis enim Christus pro nostra Redemptione, & salute mortem acerbissimam subjicit, mors ipsa passa sub hoc motivo etsi sit eximiæ fortitudinis & charitatis actus, non inde concluditur quod ex hoc capite sit verum martyrium, cum ex illo primo & per se non sit testimonium veritatis fidei. hæc enim tam confessio ipsius, quam tuitio usque ad mortem est verus, unicus, & adæquatus veri & proprii martyrii titulus. Etenim notante Sancto Thoma 3 p. q. 47. art. 2. Christus passus est ex obedientia ad Patrem, & ex obedientia implevit præceptum charitatis moriendi pro hominibus. mors autem Christi & ejus sanctissima passio causavit nostram salutem, & reconciliationem cum Patre per modum meriti, quatenus Christo data est gratia non solum sicut singulari personæ, sed in quantum est caput Ecclesiæ, ut ex ipso redundaret in membra. Manifestum est autem, quod quicumque in gratia constitutus propter justitiam patitur, ex hoc ipso sibi meretur salutem. Christus tamen per suam passionem non solum meretur sibi gloriam corporis, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem. ita fere Sanctus Doctor q. 48. art. 1. Itaque Christus, quia passus est propter justitiam & veritatem, fuit Martyr pro nobis, quia, ut dicitur ad Galat. 2. ѷſ. 8, *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* sed præcise, quia ex charitate tradidit se pro me, non est verum martyrium hujusmodi traditio, sed actus exterior excellentissimæ charitatis, qui subiit martyrii veri rationem, quod consistit in debita sustinentia passionum injuste inflictarum pro confessione & testimonio veritatis supernaturalis. & sic ad rationem veri martyrii pertinet, ut aliquis firmiter stet in veritate & justitia contra persequentium impetus. & ablato hoc motivo non adest titulus ad verum martyrium, etsi adsit, ut dixi, actus excellentissimæ charitatis, dum quis pro amico se exponit mortis periculo, in quo se conformat Christo patienti pro amicis & inimicis. tamen non se conformat Christo Martyri, nisi pro confessione fidei patiatur, & pro testimonio veritatis tuendæ. unde egregie Sanctus Thomas 2. 2. q. 124. art. 4. dixit, quod ad martyrium pertinet, quod homo testificetur fidem, &c. ubi autem non est hujusmodi testificatio, vera martyrii ratio non subsistit. hæc enim est genuina, vera, antiqua, primordialis & usitata apud Patres & Ecclesiam notio martyrii; & quæcumque alia introducatur fictitia & novitia est, & sic prorsus explodenda.

Declaratur, quia diversus modus causandi nostram salutem est in Christi passione, modus satisfactionis exhibens Deo offenso id quod æque, vel magis diligit quam oderit offensam, ut fecit Christus. similiter modus operandi per modum sacrificii, quatenus se ipsum obtulit Deo ad ipsum placandum: similiter modus operandi per satisfactionem, quatenus fuit Christi passio pretium superabundans per quod liberati sumus à debito culpæ & pœnæ. Ergo modus causandi nostram salutem per martyrium, distinctus est à modo quo per dilectionem. quamvis iste sit quasi genericus imbibitus in omnibus relatis modis. quare nec Patres, nec Sacra Scriptura verum marty-

rium agnoscunt, in hoc præcise quod Christus sanguinem suum fuderit pro reconciliandis hominibus, quia hoc opus ex pluribus motivis, ut vidimus, ortum duxit, & motiva confundenda non sunt.

Ex quibus clare colligitur, quod Martyres, qui passi sunt pro veritate fidei confitenda & tuenda, conformantur Christo Martyri perfectissime, cum passio Christi operetur in illis per imitationem operis. & sic Sanctus Clemens lib. 5, cap. 1, agens de Catechumenorum martyrio: *Testimonio* (ait) *passionis, ac societate sanguinis ipsius conformantur morti Christi.* Id quod late prosequitur sanctus Bernardus serm. 61 in Cantica, ubi satis pie & melliflue de hoc assumpto. & sanctus Cyprianus sub finem libri de laudibus martyrii, dicens de Martyribus, quod *socio Christi cruore decorantur.*

Vnde jure optimo præclusus est liber Theophili Raynaudi à fidei Patribus, vel ex eo quod sit ausus dicere, cap. 4 citato, num. 7. illustrius & expressius Martyres veros (quos vero fingit, & introducit in Ecclesiam, Martyres charitatis nuncupat) configurari Christo martyrii Principi, quam Martyres quos solum novit Ecclesia, & passi sunt pro confessione fidei. hoc enim audacter dictum est, utpote dignum gravi censura, inventumque ex suo cerebro absque auctore & doctore. *Diphthera* enim loquitur, cum hoc nec Historicorum & scriptorum literis extet, nec in hominum memoria aliquando est versatum, quod ille qui inserviens contagio affectis, illustrius & expressius configuretur martyrio Christi, quam qui pro confessione fidei occubuit; & quod illius mors dicatur cedere aliquatenus in remissionem peccatorum alienorum, non quidem pro eis lytrum appendendo, sed tamen curando, ut impensa pro eis à Christo redemptio cassa non evadat, sed intentum à Christo exitum fructumque consequatur. Hæc inquam næniæ sunt, & auctor iste *os sibi sublinit.* & quidem satis pessime, cum in materia tam gravi exorbitet à Patrum & Doctorum sensu. quod infra id clare ostendam, dum probem falsum esse hos Martyres charitatis veros Martyres asserere.

§. 4. *Martyres ex utriusque gloriæ objectu firmantur. enucleatus Angelicus Doctor.*

Sanctus Paulus ad Hebræos, cap. 12. vers. 2. excitans illos ad certamen & luctam exemplo plurium Martyrum veteris Testamenti, sic fatur: *aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: alludit Paulus* (ait Chrysostomus) *ad pictores, qui, ut ex prototypo paragogum, & exemplari imaginem exprimant, prototypum ipsum & exemplar semper intuentur & respiciunt, ut imago, quantum fieri sit possibile, conformetur exemplari; sic proponit Christum passum & prototypon martyrii fidei, ut illud assiduo intuentes exemplari in passionis tolerantia conformentur. Christus enim proposito sibi gaudio æternæ vitæ pro præmio sustinuit crucem*, ait ibi Divus Thomas lect. 1. *crucis confusione contempta. cujus exemplo Sancti Martyres* (ait Cornelius ibi) *pro proposito sibi gaudio sustinuerunt crucem suam.* sic Sanctus Vicentius irridens Daciani tormenta: has epulas (inquit) ego semper desideravi, nunquam aliquis adeo bene servivit mihi sicut tu. conformabatur enim reipsa Christo, qui ex passione gaudium capiebat sibi ab Angelo in agonia positus in horto propositum, ex sui corporis gloria, ex nominis exaltatione & hominum liberatione à captivitate diaboli, sic Martyres in ipso agone & conflictu cum tyranno gaudium accipiunt ex objectu utriusque gloriæ, animæ & corporis, quo firmantur in passione, & leonibus ferisque terribiliores evadunt contra tortores.

Quod egregie expressit Augustinus in Psalm. 127, dicens: *quanta mala passi sunt Martyres, quanta exitia, quanta tormenta! ista omnia passi essent, nisi, nescio quid, viderent quo tenderent, quod ad hujus seculi felicitatem non pertinet?* quod prosequitur sanctus Laurentius Iustinianus in sermone de sancto Laurentio: *unde Martyribus tam gloriosa victoria, atque inexpugnabile robur? non utique aliunde, quam illuminatione fidei & veritatis agnitæ scientia certa.*

Propter quæ Divus Thomas q. 13. de veritate, artic. 3. ad 9. dicit: *quod Martyres in tormentis percipiebant aliquid de divina gloria, non quasi eam in suo fonte videntes, sicut illi qui Deum per essentiam vident, sed aliqua illius gloriæ aspersione refrigebantur.* quæ doctrina, cum videatur opponi aliis Sancti Doctoris locis, in quibus constanter dicit, quod divina essentia sine abstractione à sensibus clare intueri nequit, ut probat eodem articulo in corpor. & ad 4. & q. 10 de veritate, artic. 11 ad 1 & 11. quæ loca ut concordet Petrus Bergomensis in concordantiis dubio 847. se remittit ad dubium 486, ubi dicit, *quod Paulus & Moyses viderunt clare divinam essentiam, non quidem per lumen gloriæ datum per modum permanentis, sicut lux est in igne, carbunculo & stellis, sed per lumen gloriæ datum per modum passionis transeuntis, sicut lux est in aëre, ut dicitur 2. 2. q. 174. art. 3. ad 2.* unde ex sententia hujus Doctoris Martyres in tormentis viderunt essentiam Dei, sicut Moyses & Paulus in raptu. alias non solveret dubium 847. sed insolutum relinqueret.

Verum enimvero fallitur hic auctor omninq, quia in Principiis S. D. *Deum nemo vidit unquam* etiam per modum transeuntis, nisi cum abstractione à sensibus, quæ in Martyribus non habet locum. alias non sentirent continue tormenta, quod dici nequit. quare planus est Divi Thomæ sensus, quod Martyres accipiebant aliquid de divina gloria, altissimam scilicet fidei illuminationem, & veritatis agnitæ certam scientiam, & quandam practicam evidentiam de veritate pro qua certabant. qui est gradus eximius fidei, quam appellat aspersionem gloriæ, qua in tormentis refrigebantur. & quamvis hic gradus fidei & veritatis agnitæ certa scientia propria sit viatorum, tamen est supremum quod inveniri potest in viatoribus; & sic attingit ultimum supremi comprehensorum, & sic est horum gloriæ aspersio quædam, sicut discursus æstimativæ in homine est aspersio quædam intellectus. quam phrasim desumpsit ex Augustino tom. 3, lib. 12. de Genesi ad liter. cap. 25, ubi dicit Sanctus Doctor: *ibi enim in suo fonte beata vita vivitur; unde aspergitur aliquid humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus sæculi temperanter, fortiter, juste, prudenterque vivatur.*

§. 5. *Martyres habentne suæ charitatis infallibilem certitudinem? ubi de distinctione veri & falsi Martyris.*

Concilium Tridentinum sessione 6, cap. 9, certo statuit & determinat, *quod quilibet, dum seipsum suamque infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* sed contra hanc Catholicam veritatem insurrexit Catherinus in assertionibus de certitudine

titudine gratiæ ad sanctam Synodum Tridentinam, asserens, quod quis potest esse certus certitudine fidei divinæ, quod sit in gratia. quod, cum multis confirmasset argumentis in articulis anterioribus, ad idem probandum inducit argumentum ex Sanctis Martyribus, art. 12.

Summa omnium argumentorum ejus hoc continetur, quia ut conclusio Theologica & explicata vel est de fide divina, ut vult Vasquez, p. 1. disputat. 12. & sequuntur alii; vel est ita certa, ut contrarium sit erroneum, ut tenet communis & indubitata sententia. sed certitudo de propria gratia justificante est conclusio Theologica. est ergo de fide, vel ita certa, ut contrarium sit error. probatur minor hoc discursu Theologico: omnis contritus est in gratia, vel omnis qui patitur martyrium propter Christum, est in gratia. ego sum contritus, vel patior ex amore Christi martyrium. ergo sum in gratia. quæ conclusio non potest sub esse falso, major enim est de fide. minor est moraliter certa, saltem in insigni viro sanctitatis, ut clare determinant Patres. Bernardus tractans in terminis propriis dubium, serm. 68. in Cant. Sanctus Leo Papa serm. de Epp. 8. Sanctus Gregorius lib. 1 dialog. cap. 1. & plures, quos late inducunt expositores Divi Thomæ, in 1.2. q. 108. sed ad propositum. de Martyre multa & non inefficaciter, sed magna energia posita inducit Catherinus: *quia* (inquit) *martyrum agones & horrenda supplicia in quavis ætate, & sexu, & qualitate personarum, non nisi à divina charitate queunt procedere, & de ipsa charitate intus inhærente certissimum reddunt testimonium, & in suis cordibus certissimo experimento sentiebant qui illis tormentis cruciabantur, etiam pro illis qui cruciabant, orantes. in quibus enim tantus charitatis ignis fervebat, ut alios incenderet, qui fieri potuit, ut ipsi illum non sentirent, Deificati charitate ipsa. ut enim ait Beatus Chrysostomus homil. 38 in Math. fieri minime poterat, ut, qui homines essent, hi infinitas mortes tolerarent. agnoscebant ergo Martyres se ex vera charitate pati pro fide Christi.*

Et quidem quod hæc tolerantia mortis pro confessione veræ fidei, faciat certitudinem fidei divinæ in Martyre, multis probatur. I. Quia, ut Sanctus Augustinus & Sanctus Thomas, adducti §. 4. dicunt, Martyres dum cruciabantur pro Christo, nescio quid videbant quo tenderent, & gloriæ aspersione refrigebantur. quod absque certitudine fidei divinæ contingere nequibat. II. Quia verus Martyr distinguitur à Martyre, quia, licet uterque extrema mala patiatur, tamen distinguuntur primo & per se, quia ille prudens & sanæ mentis compos, eligit mortem in testimonium divinæ veritatis, ab Ecclesia propositæ, libenter & cum gaudio interno Spiritus Sancti, pacatus animo, & amore Dei propter Christum. at Martyr falsus, ethnicus aut hæreticus, non prudens, nec animo pacatus, nec interno Spiritus Sancti gaudio, sed suæ prudentiæ humanæ nixus, quæ non est vera prudentia, sed similitudinaria, & non ratione probata, sed à proprio cerebro conficta. & sic agitur impulsu diabolico, è contra Martyr verus agitur Spiritu Dei, & impulsu Spiritus Sancti.

III. Quia cum uterque sit testis, differunt maxime ex parte testimonii de veritate quod ferunt: verus enim Martyr attestatur vero; alius falso, quasi vero existente. unde ille sic attestatur vero quod novit perfecte esse verum, alias si quis forte non credens, aut in fide dubius & non firmus velit attestari pro veritate fidei, quia in hac fide natus, aut ut ostenderet fortitudinem suam propter gloriam hominum, non esset rectum testimonium; sed vel leve aut temerarium, insipiens & vitiosum, & ita non esset verus Martyr, quia sibi ipsi attestaretur, non Christo; nec esset testimonium fide dignum, quia non ex scientia. sicut si quis attestaretur cuivis veritati, si non vere illam noverit & plene, sed auditu forsan, tametsi magno spiritu videatur attestari tanquam certo sciens, non tamen legitimus est testis, cui omnino credendum est; ita homo non habens plenitudinem lucis, qua plenius & certius noscat ea quibus attestatur, non potest esse verus Martyr, nisi superaddatur de luce. Deus enim vult testes qui sciant, hoc est, qui sint certiores quam ferat communis imbecillium fides.

Quare Christus dixit Petro & in ipso omnibus Apostolis: *quo ego vado non potes me sequi modo, sequeris autem postea.* Petrus autem dixit: *quare non possum te sequi modo? animam meam ponam pro te: & similiter dixerunt omnes.* & quare non poterant Christum modo sequi, hoc est ad crucem ire & ad mortem? quia, licet haberent fidem & dilectionem, tamen non perfecte credebant, nec perfecte amabant: non enim habebant charitatem robustam & victricem, qualem habent veri Martyres. unde ut Christus faceret Apostolos testes omni exceptione majores, eos implevit Spiritu lucis & ardoris, & voluit, ut plenissime scirent veritatem, de qua illaturi erant testimonium irrefragabile. & sic dicit Actor. 1. vers. 30, *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes*, &c. primo enim dicit *accipietis virtutem*, & postea, *eritis mihi testes*; quia videlicet ab illa virtute illuminativa veritatis accipiebant vim testificandi. unde verus Martyr attestatur veritati, quam certo percipit ex scientia orta ex fide, & ita certo, ut nec dubitet, nec in ea luce valeat dubitare, quamvis mille tormentis agitetur, quia videt fidem suam, quam credit esse à Deo, & Deum ostendere certa luce testimonia sua esse credibilia nimis. ast falsus Martyr, cum non attestetur veritati, quomodo absque hæsitatione nosse potest se attestari veritati, quamvis id sibi videatur? sed ut quis sit testis omne exceptione major, non satis est, ut sibi videatur attestari veritati, sed requiritur, ut certo id sciat.

Est enim magnum discrimen inter videri sibi scire, & vere scire; quia, qui videtur vere scire, non conquiescit in suo videri. at qui vere scit quiescit in sua scientia, & quamvis in hæretico apparentia sua eundem pariat effectum ac vera scientia in Catholico, quare ille persistit in sua apparentia pertinax ex imperio voluntatis, non tamen certus ex cognitione intellectus, sicut persistit verus Martyr, qui habet pro se contra vanam hæreticorum persuasionem sententiam suam propositam ab Ecclesia, credibilem factam nimis ex tot motivis, quæ faciunt illam evidenter credibilem, quæ non habet persecutio hæreticorum. quod discrimen egregie nobis explicuit Sanctus Bernardus serm. 66 in Cant. his mellifluis verbis: *Mirabantur aliqui, quod non modo patienter, sed & læti, ut videbantur, ducerentur ad mortem, sed qui minus advertunt quanta sit potestas diaboli, non modo in corpora hominum, sed etiam in corda quæ semel permissus possederit. nonne plus est sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere? hoc autem in multis potuisse diabolum, frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt.* & aliquanto post: *nihil ergo simile habet constantia Martyrum & pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur.*

IV. Differunt, quia cum verus Martyr certo sciat

sciat se pati pro Christo, ideo quasi præsentem spe certissima videt coronam, juxta Domini promissionem: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* At falsus Martyr, à Beato Apostolo subversus & proprio judicio condemnatus pronuntiatur. unde concludit Catherinus: *Stet igitur certissima sententia opus externum veri martyris, utpote certissimum divinæ charitatis effectum, certissimum signum esse divinæ gratiæ atque justitiæ. alioquin stulte & insipienter obtulissent se neci tot Martyres, si ignorassent se illud facere ex charitate, ac propterea de præmio essent incerti.*

Cæterum, ad hæc argumenta quæ certe inermia non sunt, responderunt aliqui, quod sancti Martyres non habuerunt quidem suæ charitatis infusæ infallibilem certitudinem, sed hoc habuerunt ex particulari revelatione, cui non poterat falsum subesse: contra quod insurgit Catherinus hoc potius ex voluntate, quam ex ratione & authoritate dimanasse: *Quare indignum esse* (ait) *nos ob hujusmodi commenta esse solicitos, cum Martyrum testimonia, qui aperte se propter Deum & Christum morti occumbere ex conscientia, non ex speciali revelatione, testabantur, confutent humana hæc commenta. item ratio ipsa manifesta: si enim jubemur propter Christum animam ponere, quis unquam rationabiliter ponet, qui ignoraret, an propter Christum illam ponat? nullus ergo, nisi temere hoc præceptum impleret. Dicunt autem satis esse, ut probabiliter & opinative existimet se ponere animam propter Christum. Ergo hoc exigit à nobis Deus, ut in opinione quiescamus, idque in ipso vero & non opinativo dispendio vitæ & periculo animæ? ô miseram! iterum, atque iterum dicam: ô miseram Christiani hominis conditionem ac militiam, si sic veritas se haberet!* Ita ille.

II. Pro Polito sic conficio. quando major propositio est de fide, ut inferatur conclusio de fide non est necessarium, quod minor propositio sit evidens Metaphysice, sed sufficit, quod sit certa certitudine morali, de qua dubitare prudenter non licet. verbi gratia quod hoc Concilium sit legitime congregatum, verbi gratia Trident. non habet nisi certitudinem moralem, quam solum habet sanctitas Beati Francisci, & tamen ex conjecturis & indiciis humanis, quæ solum possunt generare moralem certitudinem, infertur conclusio de fide, ut quod Concilium Tridentinum non potuit errare in definitionibus, nec Ecclesia in canonizatione Sancti Francisci; ita quod quicumque id negaret, puniretur ut hæreticus, quia, ut ait Sanctus Thomas, quod lib. 9, art. ultimo, ita Spiritus Sanctus assistit Summo Pontifici, ut non erret in legitimatione Concilii, & in Sanctorum canonizatione, quamvis hoc ortum ducat ex humanis motivis, quæ solum generant certitudinem moralem. Ergo cum sit de fide, quod est beatus *qui persecutionem patitur propter justitiam*, & martyr certo moraliter sciat non pati propter inanem gloriam, sed pro fide Christi, quam robustissimam experitur, dubio procul cognoscet cognitione infallibili, cui non possit falsum subesse, se esse in gratia & charitate.

Et quidem illa propositio de fide, quod sit beatus, *qui persecutionem patitur, &c.* videtur primario revelata, nec habet alium finem, nisi ut conclusio illata, quod iste, verbi gratia, Sanctus Laurentius est justus & beatus, quia passus est propter justitiam, certo & infallibiliter inferatur; & sic ad illius infallibilem certitudinem habendam assistit Spiritus Sanctus, ut Martyr non erret, sicut assistit Pontifici ut non erret in canonizatione Sancti Francisci, immò & Deus alicui sancto eximio confessori, de quo loquitur Bern. serm. 68. citato. ex signis moralibus evidentibus moraliter assistit speciali instinctu & revelatione, ut glorietur in Domino se esse in gratia. quam certitudinem infallibilem habebit quidem in conscientia, sed ex revelatione promanantem. hæc autem manifesta indicia non habent omnes contriti, & sic nec habent evidentiam moralem suæ gratiæ. & hoc est Concilii Tridentini intentum, definiens cap. 9, contra inanem hæreticorum fiduciam.

III. Quia multi Martyres divino instinctu acti & impulsi, ne cogerentur fidem negare seipsos in ignem, in flumen, & præcipitia dedere, quos veros Martyres esse docet Divus Thomas ex Augustino 2. 2. q. 124. art. 1. ad 2. instinctus autem divinus est aliquod imperfectum, licet pertinens ad genus prophetiæ divinæ, & est quædam implicita revelatio quam interdum patiuntur nescientes humanæ mentes, ut expresse docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 171. art. 5. ex Augustino lib. 2 de Genes. ad lit. 17. de quo instinctu loquitur ipse Augustinus lib. 6 Confess. cap. 13, quando asserit, quod sancta mater ejus Monica quodam sapore interno, quem verbis non poterat explicare, discernebat inter Deum revelantem, & animam somnientem. de quo sapore late Sanctus Gregorius homil. 1 in Ezechielem. sed hujus instinctus Prophetici naturam extricavit Divus Thomas q. 12. de verit. art. 12. in corp. dicens: *Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed judicium tantum supernaturale; & sic solus intellectus illustratur sine aliqua imaginaria visione. & talis forte fuit Salomonis inspiratio in quantum de moribus hominum & naturis rerum quæ naturaliter accepimus divino instinctu cæteris certius judicavit.* & q. 174. art. 3. in 22. *Magis autem proprium est prophetiæ cognitio, quam operatio. & ideo infimus gradus prophetiæ est, cum aliquis ex interiori instinctu movetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samson dicitur Judicum 15. quod irruit Spiritus Domini in eum; & sicut solent ad ardorem ignis ligna comburi, ita & vincula quibus ligatus est dissipata sunt & soluta.* & q. 22. citata, art. 13. dicit: *infimus gradus prophetiæ est in eo, in quo invenitur quædam audacia, vel promptitudo ad aliquid dicendum vel faciendum, sine hoc quod ei revelatio fiat. sicut judicamus aliquem gradum prophetiæ fuisse in Samsone largo modo accipiendo prophetiam, secundum quod omnis supernaturalis influxus ad prophetiam inducitur.*

II. Sententia quam tuetur Raynaudus p 2. cap. 6. n. 26. secutus Sotum lib. 3 de natura & gratia in fine. Vega lib. 9 in Trident. cap. 43, est negantium Martyrem certo infallibiliter non cognoscere se esse in gratia. & præter argumenta quæ fieri solent, quod nemo est certus de sua gratia certitudine quæ non possit subesse falso, est hoc peculiare quod facit Raynaudus, quia gratia debita Martyri est ex divina infallibili promissione, quia pro causa fidei moritur. atqui gratia ex hoc titulo Martyri debita, quando illi impenditur, jam Martyr non est rationis compos, sed est extra tempus merendi, aut demerendi, ut qui illo tempore solas vitæ fæces hauriat; & sic non potest de gratia ex vi martyrii accepta certum efformare Iudicium. quando autem est compos sui Martyr Christi, nondum est gratia martyrio repensa, nec quod rependenda sit potest certo statui, quia fortassis deerit perseverantia, quæ in quibusdam mollito animi robore defecit post lethalia vulnera.

Inter has duas oppositas sententias media via incedendum mihi videtur. assero ergo, primum omnes Martyres adulti, qui sui compotes arbitrii mortem pro Christo & ex ejus amore obiere, habuerunt instinctum divinum, cui reipsa non potuit defraudari quod erant veri Martyres Christi, & quod pro ejus amore

amore obibant mortem & subibant tormenta. cujus signum est illa tanta alacritas & sancta animositas in tormentis expetendis, immò & solicitandis, immò & irridendis, & morte calcanda generositas. hanc conclusionem probant 1 & 3. argumentum factum in favorem primæ sententiæ. itaque Martyres habebant Iudicium practicum certum, infallibile & supernaturale, quo illustrabatur eorum intellectus, ut certitudine supernaturali judicarent se esse veros Christi Martyres, patique pro ejus amore supernaturali, sicut viri illustres sanctitate certo infallibilique sapore interno discernunt veras à falsis revelationibus. quis enim dicat, nisi desipiat, quod, dum Sancti Martyres se injiciebant in flumina & in ignem, ne cogerentur fidem abjurare, hoc fecisse motos ex cogitatione quæ posset de facto commisceri falsitate, & non ex instinctu prophetico, quo judicabant infallibiliter Christi amore, & charitate Dei super omnia, se tanquam oves gladio offerri, & mortem appetere: nec enim ad hoc cognitio opinativa impellit, nec illius ratione dicitur Spiritus Sanctus in Martyres irruere, ut opus eximium charitatis exequantur, vitam pro Christo dando. quare sicut viri eximiæ sanctitatis habent ex divina gratia instinctum divinum, qui est infallibilis regula, qua discernunt inter veras & falsas revelationes, sibi factas à Deo & à dæmone, ita Sancti Martyres similem instinctum habebant, quo judicabant certo se verum martyrium subire.

II. Assertum. nullus justus, nedum Martyr, secluso miraculo habet certitudinem fidei, quod non possit subesse falso, quod sit in gratia & amicitia Dei, si loquamur de cognitione speculativa, quæ nitatur divinæ revelationi & veracitati, aut sit conclusio Theologica, cujus veritas nitatur testimonio divino (loquimur etiam seclusa revelatione particulari, qua multis sanctis notum fuit evidenter se esse in gratia & amicitia Dei, ut Beato Francisco, sic referente S. Bonavent. in ejus vita, Beatæ Gallæ, ut dicit Sanctus Gregorius lib. 4 dialogorum cap. 13. & Protomartyri Stephano, ut in Actis Apostolicis) hæc est post Tridentin. certissima sententia contra Catherinum. Ita Sotus in Apolog. contra Catherinum cap. 5. Vega lib. 9 in Trident. cap. 30. Medina 1.2. q. 112. art. 5. ubi Cajet. Curiel. lorca. Vasquez, Martinez, Montessinus, & Malderus. Martyr Rophensis art. 10 & 11 contra Lutherum. Castro de hæresibus, verbo gratia hæresi. 3. & omnes Scholastici in 1. dist. 17. & in 2. dist. 28. ubi D. Thom. Scotus & alii.

Vt tamen hoc assertum, quantum præsens patitur locus, clarius percipiatur, notandum est 1. quod docuit egregie Sanctus Thomas in 3. dist. 26. q. 2. art. 4. & 2. 2. q. 18. art. 4. quod certitudo proprie & essentialiter est in intellectu, & est ejus firmitas adhæsionis in suum cognoscibile. unde omnis motus & operatio rei in suum finem consequendum, certo & infallibiliter ortum ducit à certitudine cognitivæ potentiæ dirigentis. & sic dicitur quod natura operatur sagaciter & infallibiliter, quia hoc habet ex determinatione divinæ sapientiæ instituentis naturam, quæ, quantum est ex determinatione divina infallibiliter ordinat in finem. & hoc modo, ait, spes est certa infallibiliter, non quidem certitudine essentiali, sed participata à fide, qua certitudine consequatur finem, nisi adsit impedimentum peccati; ex quo fit, quod certitudo ultra determinationem intellectus ad unam partem, quæ potest in opinionibus reperiri, cum aliqui ita adhæreant suis opinionibus & erroribus, sicut alii suis scientiis, ultra in quam, hanc determinationem & adhæsionem ad unam partem requirit intellectus firmitatem, in illa parte ex vi motivi quo assentitur. motivum autem hoc aut est evidens, & sic certitudini jungitur evidentia; aut ex aliquo motivo extrinseco, cui nititur ad cognoscendam rem obscure propositam & non visam. hoc autem motivum aut est divinum, quod habet fides Theologica, aut est humanum. illi non potest subesse falsum; isti vero, quantumvis irrefragabili, potest utique falsitas admisceri, saltem de potentia Dei absoluta.

Sed pergit Divus Thomas, & tradit elegans discrimen inter certitudinem essentialem, quæ est in intellectu speculativo; & certitudinem participatam, quæ est in intellectu practico, & in affectu. *Primo, quod certitudo fidei est intellectus, certitudo spei est affectus. Secundo, quia certitudo fidei non potest deficere, sed certitudo spei per accidens deficit. Tertio, quia certitudo fidei est de complexo, certitudo autem spei est de incomplexo, quod est appetitus objectum. Quarto, quia certitudini fidei opponitur dubitatio, certitudini autem spei opponitur diffidentia, vel hæsitatio.*

Ex qua doctrina oritur manifestum discrimen inter instinctum divinum, & divinam revelationem, quod ista pertinet ad certitudinem intellectus speculativi, at instinctus divinus pertinet ad certitudinem intellectus practici, cujus veritas pendet ab affectu. propter quod elegantissime Dominus Cajetanus 2.2. q. 171. art. 5. circa illa verba Sancti Doctoris, *Quod instinctus est quoddam imperfectum in genere prophetiæ*, commentatur: *revelatio divina multiplex, cum sit prophetia in responsione ad 2. præcedentis articuli posita, est quid imperfectum in genere divinæ revelationis. Hic autem instinctus propheticus ponitur imperfectum quid, non in genere divinæ revelationis, sed in genere prophetiæ.* ubi videre potes quantum à divina distet revelatione instinctus propheticus, ut non meruerit etiam ut imperfectum quid in illo admitti genere; quia videlicet, licet instinctus divinus sit judicium supernaturale, tamen est in ordine ad operandum vel loquendum, ut ait Divus Thomas q. 12 de veritate, art. 13. unde pertinet ad intellectum practicum, cujus certitudo est participata à certitudine intellectus speculativi, cui fit proprie revelatio; & sic non est in genere revelationis essentialis, sed certitudinis participatæ, & imperfectum quid in genere prophetiæ, quatenus prophetia est omnis supernaturalis influxus, ut expresse Sanctus Doctor *ubi supra*. quare, qualis fuerit certitudo essentialis antecedens instinctum in intellectu speculativo, talis erit certitudo participata ipsius instinctus.

Vnde quadruplex certitudo potest illum instinctum anteire. Prima est revelationis divinæ specialis, facta alicui quod sit in gratia & amicitia Dei; & sic instinctus similem participabit certitudinem ab intrinseco infallibilem. Secunda est certitudo conjecturalis, quæ, licet excludat dubitationem alterius partis, & sic distinguatur ab opinione, non tamen excludit formidinem actualem. & hanc certitudinem debemus habere omnes de gratia propria, cum debeamus non esse indeterminati ad utramque partem. Tertia est excludens omnem formidinem ac metum humanum actualem, secundum rectam rationem, non tamen excluditur potentia ad formidandum. Quarta est quando excluditur etiam potentia ad formidandum, nisi quis sit obstinatus & protervus. & hæc habetur per evidentiam credibilitatis; sicut si quis non vidit Romam, cum tamen sit evidenter credibile Romam esse ex testimoniis quæ excludunt omnem formidinem, non solum actualem, sed

sed etiam potentiam ad deliberate formidandum, tamen ex vi sui motivi certitudo ista non est infallibilis.

His notatis manifestum est assertum propositum, & explicatio præcedentis. probatur tamen (omissis locis Patrum & sacræ Scripturæ, quæ videri possunt in auctoribus citatis: ea enim quæ in contrarium adducit Catherinus, ne sibi contrarius existat, manifeste intelliguntur de instinctu divino, non de cognitione intellectus speculativi, quæ omnem excludat formidinem ex suo motivo) quia vel hæc fidei certitudo est fidei Catholicæ, & hoc est hæreticum quod asserebat Lutherus, & Concilium Tridentinum definir contrarium contra hanc inanem hæreticorum fiduciam, contra quam late Doctores citati, & Bellarminus egregie lib. 2 de justificatione. & Suarez tom. 3. de gratia lib. 9, cap. 9. ubi latissime id confirmat; aut est certitudo fidei divinæ, nitentis speciali revelationi. & hoc etiam ridiculum est, quia non est aliquod indicium, aut probabilis conjectura, quod Deus cuicumque justo revelet, quod sit in gratia & amicitia ipsius. etenim omnes promissiones factæ justis de remissione peccatorum, & martyribus de consecutione regni cœlestis, & confessione coram Patre si ipsi confiteantur filium coram hominibus, omnes sunt conditionales, si ipsi fecerint quod præcipitur, prout oportet. atqui nulla est revelatio quod ipsi amaverint Deum, aut contriverint de peccatis *prout oportet*. ergo non habent certitudinem, cui non possit subesse falsum, de sua gratia & justitia.

Quod autem non habeant certitudinem conclusionis Theologicæ, quæ infallibiliter inferatur ex præmissis, ita ut contrarium inferri non possit salva certitudine fidei, manifestum est: quia, licet ille qui pro amore Christi contemnit vitam, habeat actum charitatis excellentissimum, & per consequens sit de fide quod sit in gratia & amicitia Dei, & hæc major sit certa certitudine fidei Catholicæ, utpote contempta in sacra Scriptura; tamen minor, quod hic Martyr habeat hunc charitatis actum *pro ut oportet*, non habet, nisi certitudinem fidei humanæ, cui ex suo motivo non repugnat falsitas. ergo conclusio illata non potest habere majorem certitudinem, quia est omnino certum, quod conclusio quæ infertur, quantum est ex vi illationis, sequitur debiliorem partem. quod autem minor non habeat, nisi motiva fidei humanæ, manifestum est, quia non habet motivum fidei divinæ, scilicet revelationem; sed solum effectus dilectionis, ut alacritatem in patiendo, irrisionem tormentorum, & animositatem ad patiendum mille mortes pro fide Christi, & similia quæ faciunt evidenter credibile se habere dilectionem Dei super omnia perfectissimam. sicut & alii justi habent alios effectus, qui eandem evidentiam credibilitatis suæ salutis faciunt; at hæc evidentia credibilitatis non facit certitudinem infallibilem, sed, ad summum, certitudinem moralem humanam, cui ex suo motivo potest subesse falsum; atque ita seclusa revelatione divina nullus etiam martyr habet certitudinem infallibilem, cui non possit subesse falsum, quod sit in charitate & gratia Dei.

Martyr igitur dum animosus se offert pro Christi fide ad martyrium, sicut habet evidentiam credibilitatis de veritate fidei pro qua patitur, cujus veritatis habet certitudinem infallibilem ex motivo cui nititur; quamvis totum quod antecedit sit certum certitudine dumtaxat humana, ut ex motivo suo potest falli, quamvis de facto nunquam fallatur, ita ut implicet falli, sic Deo disponente sua gratia & providentia. sicut sapienter asserit Pater Suarez disp. 6. de fide, sectio 8. an. 12. judicium de credibilitate mysteriorum fidei, quod antecedit actum fidei, est naturale quoad substantiam, generatum ex discursu naturali intellectus, supposita experientia signorum & motivorum fundantium talem credibilitatem. quod indicium, etsi, quantum ad evidentiam credibilitatis, non possit deficere, tamen quantum ad evidentiam rei, non habet motivum infallibilis certitudinis cui non possit subesse falsum; unde ut hoc judicium sit infallibilis norma actus supernaturalis credendi rem revelatam à Deo, adjungitur illuminatio Spiritus sancti, quæ, simul cum judicio evidenti credibilitatis, proponitur voluntati honestum esse credere Deo dicenti & revelanti. qua illuminatione consolidatur illud judicium, ut non deficiat in judicando rem revelatam esse à Deo.

Ita contingit in Martyre, (qui etiam habet aliquid amplius,) habet enim evidentiam credibilitatis, quod habeat fidem & amorem Dei super omnia; cum pati mortem pro Christo, & ejus fide, sit evidentissimum signum charitatis inhabitantis, & gloria ipsorum est testimonium propriæ conscientiæ; ex qua evidentia generatur certitudo moralis humana, quod sint in gratia & charitate. huic autem morali certitudini conjungitur instinctus divinus, & illuminatio Spiritus sancti, ex qua de sua sanctitate certus evadit, agnoscens absque dubio, & non solum absque hæsitatione, se habere Deum inhabitantem. Etenim quicumque hujusmodi est, habet evidentissima signa habere Deum habitatorem & rectorem suum, ut dicunt Leo Papa ubi supra, & sanctus Gregorius lib. 2 dialog. cap. 2. quare instinctus iste martyrum facit illationem conclusionis infallibilem, ita ut implicet contrarium inferri, aut falsum subesse. & sic certitudine infallibili sunt certi de sua charitate & gratia; quamvis in sensu diviso illa conclusio non repugnet ex suo motivo falsam esse. quare instinctus divinus martyribus datus est æquipollens quædam revelatio particularis, qua certificantur de sua charitate & gratia inhærente, & inhabitante Spiritu sancto.

Hoc ipsum sentit Catherinus Politus ubi supra assertione 13. ubi postquam dixit Concilium Tridentinum sibi nec ulli Catholicorum esse contrarium, ut declararunt Legati Apostolici, & in actis Concilii memoriæ est mandatum: agit enim contra inanem hæreticorum fiduciam, ut titulus capituli indicat: subdit Reverendissimus Pater hæc verba: *Quis autem inanem fiduciam ausit illam asserere, quam scriptura & sancti Patres commendant atque præcipiunt? verba autem ipsa decreti plane indicant de ea fide loqui Patres, cui non possit subesse falsum, quæ est Catholica fides. Nos autem non certitudinem fidei Catholicæ in proposita quæstione defendimus, certitudinem tamen & quæ valeat, & debeat nonnullis auferre omnem dubitationem & formidinem, Spiritu sancto contestante interius cum eodem spiritu. Proprie autem fides, cui non potest subesse falsum, Catholica fides est, cui ratione communis & probati objecti per Ecclesiam subesse falsum non potest. Hoc ergo objectum, quod ego vel ille simus adepti gratiam, est particulare objectum, nec ab Ecclesia probatum, sed fide particulari suscipitur, circa quod potest homo falli, quia huic objecto potest subesse falsum.* hactenus satis polite Politus.

Quæ cum sit explicatio manifesta suæ sententiæ, clare colligitur nullatenus opponi decreto Concilii Tridentini; nec aliquid valent ea, quæ contra ipsum congerunt Vega & Sotus, nisi fingant Leonem mortuum, quem feriant. ipse enim clare suam mentem Catholice enucleat & extricat, ut nihil male sonans apud

apud illum inveniatur: nihil enim aliud sentiunt quam sentit Sotus, Vega, Ruardus, Tapper. & Suarez lib.9 de gratia cap.11. Valentia, & Vasquez dicentes, *Quod Iustus tantam potest habere suæ charitatis certitudinem, ut omnem formidinem excludat, motus ex efficacia motivorum, quæ ita efficaciter determinant, mentemque pacificant, ut moraliter excludant actualem considerationem de possibilitate falsitatis; & sic prudenter excluditur omnis actualis formido & dubitatio, & per consequens omnis hæsitatio.*

Immò Sotus addit, quod tanta potest esse horum motivorum perfecta consideratio ex illustratione Spiritus Sancti, quod justus sit certus de sua justitia, sicut homo est certus de hac propositione *Roma est*, quam negare nisi proterve non potest, quamvis ex vi motivi sit possibile aliter se habere. & hanc certitudinem existimo habuisse omnes Martyres se esse in gratia, dum se ex amore Christi parvi pendebant, vitam & mortem alacriter obibant; immò addit Suarez n. 13. posse aliquem justum ad illum statum virtutis ascendere, in quo non minus certo credat remissa esse sibi peccata actualia, quam originale.

Cæterum advertendum discrimen inter veros Martyres ex una parte, & cæteros justos eminentis virtutis, qui habent certitudinem moralem suæ justitiæ, quia istorum certitudini non jungitur instinctus divinus propheticus ex quo simul cum certitudine illa speculativa inferatur conclusio Theologa infallibilis, sed ista in illis manet cum eadem formidine ex vi sui motivi, quam habet certitudo illa moralis, & adhuc ut illata potest subesse falsum. at Martyres habent instinctum divinum, qui est quædam æquivalens revelatio, quod sint veri Martyres, & quod patiuntur pro vera fide, quæ in ipsis per dilectionem Dei super omnia operatur excellentissimum charitatis actum. quare conclusio illis omnino indubitata est, ita ut implicit falsum subesse ex vi illationis; & ex vi, cujus in aliis justis quantumcumque egregiis, conclusio non infertur infallibilis, sed ex vi antecedentis potest subesse falsum, & ex vi illationis ex antecedenti, in quo seclusa revelatione speciali non ponitur instinctus divinus, sicut ponitur in sanctis Martyribus, qui aspersione gloriæ, quam certissime sperant, refrigerantur.

Quamvis Sancti Martyres certi sint de præsente gratia & charitate in ipsis inhabitante, ut vidimus, sed non ita certi sunt de sua perseverantia usque ad finem: multi enim etiam post lethalia vulnera propter Christum, cujus amore suscepta, in portu naufragaverunt, ut constat de illo Cappadoce, qui cum quadraginta Martyribus in frigidissimum locum immissis fuisset annumeratus, tandem frigoris impatiens, fidem abjuravit, & ibi mortuus traditus est æterno igni, aliis vero triginta novem eorum usque in finem perseverantia revelata est, in cujus signum illis angeli custodes triginta novem coronas de cœlo portavere, & unicuique suam capiti imponebant. quod videns janitor, ad fidem conversus, cum illis martyrium sumpsit, ex quo sancte Concilium Tridentinum sessione 6. canone 16. dicit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Quare nec sancti Martyres eam habent, dum sunt sui arbitrii compotes & expediti, moralem certitudinem de perseverando usque in finem, sicut habent de sua gratia præsenti, à qua ne cadant semper habent justum timorem; quamvis simul habeant robustam & firmissimam spem eam in Dei auxilio collocantes & reponentes: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet: semper enim cum timore & tremore suam operantur salutem.

Verum est, quod sancti Martyres majorem conjecturam, & certiorem faciunt suæ perseverantiæ, quam cæteri alii Sancti, qui habent moralem certitudinem gratiæ præsentis; & rariores fuerunt Martyres qui defecerunt à tormentis, quam Iusti, qui à justitia semel accepta corruerunt. Martyres enim hanc certiorem conjecturam faciebant à timore Dei sancto, & à desiderio & zelo gloriæ, cujus aspersione inundabantur à luce magna clarissimorum operum, quæ faciebant in Deo & propter Deum, cum quo ambulabant dum cruciabantur, ut stercora æstimantes omnia mundalia, etiam propriam vitam, peregrinantes in hoc mundo, & aviditate summa tendentes in patriam. quæ omnia inducebant Deum, ut illis fere semper donum conferret perseverantiæ, quod non temere conjectabantur & firmissime absque hæsitatione credebant, quod scilicet essent de numero prædestinatorum.

Ex dictis facilis est solutio argumentorum utriusque sententiæ. Ad primum & tertium respondetur, veram doctrinam primi asserti nostri confirmari. Ad secundum respondetur, eodem etiam probari idem secundum assertum, quod scilicet Martyr habet conclusionem Theologicam deductam ex certitudine morali humana juncta instinctui prophetico divino, qui æquivalet revelationi. pro quo adverto, quod duplex est judicium practicum, supernaturale, antecedens conclusionem Theologicam, quam habent Martyres. 1. Est practicæ practicum, ortum à prudentia, quo judicatur ab hac virtute simulque imperatur, operationem esse faciendam; aliud est practicum dumtaxat, & est vera cognitio de convenientia operationis, & antecedit primum judicium practice practicum, quod forsan non est cognoscitivum, sed imperativum & executivum, ut dixi 1. 2. q. 16. de imperio. & in hoc judicio non consistit instinctus propheticus, de quo sumus locuti usque adhuc, sed est judicium supernaturale, practicum quidem in ordine ad aliquid faciendum vel loquendum, ex quo certificatur Martyr, quod ex charitate infusa & supernaturali movetur ad se offerendum morti propter confessionem fidei; & propter hoc sæpe dixi, quod, licet instinctus iste non sit proprie revelatio, æquivalet tamen revelationi particulari, unde implicat, quod talis instinctus falsum subeat.

Ad fundamentum Raynaudi respondetur, ipsum non intellexisse argumentum Catherini, qui non loquitur de gratia danda in martyrio, sed de gratia & dilectione charitatis, quam habet, dum sustinet mortem, & tormenta propter Christum patitur: gratia enim quam causat martyrium, ex opere operato causatur in instanti mortis, ut supra cum Cajet. dixi, quæ non est principium actus martyrii, cum sit illius effectus & terminus. loquimur ergo de gratia & charitate, ex cujus imperio venit martyrium. & sic Raynaudus pro hoc martyrium fructu invexit *Azanæa mala.*

§. 6. *Martyres faciunt evidenter credibilia Mysteria fidei nostra.*

MYsteria fidei Catholicæ esse evidenter credibilia nullus Catholicus negat, sed omnes fatentur *credibilia facta esse nimis* ex tot motivis & argumentis, ex quibus comparatione facta ad alias sectas istæ credibiles non sunt, sed hominum inventiones ad ventri & luxui indulgendum, unde multa

contra legem naturalem approbant. at nostra religio nec minimum mendacium, aut otiosum verbum saltem in alia vita impunitum relinquit, sed de omni reddenda est ratio in divino tribunali. quare prudentissime August. lib. contra epist. Firmamenti, cap. 4, dixit: *Multa sunt, quæ in Ecclesia me justissime tenent, consensio populorum, & gentium auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita*, &c. quæ faciunt mysteria fidei nostræ evidenter credibilia. quod latissime in primordiis Ecclesiæ præstantissime concludunt Tertullianus in Apologetico, & in simili Iustinus Martyr, disputans contra gentes pro Christianis. Arnobius in illo opere insigni, & Eusebius Cæsariensis in opere de præparatione Euangelica. quos imitati sunt Divus Thomas 3. p. q. 42, & 43. & 1. contra gentes cap. 6. & Scholastici in prologo sententiarum, ubi egregie Scotus q. 2.

Inter motiva vero quæ evidentiam credibilitatis generant, sunt sancti Martyres, quorum sanguine rigata Ecclesia crevit, & aucta est per totum mundum diffusa, ostendens magis palmites suos usque ad terminos orbis terrarum, quo plura amputabantur Martyrum capita. audi Tertullian. cap. 49 apolog. sic fantem: *Sed hoc agite boni præsides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. ideo nos hæc pati Deus patitur: nam & cum proxime ad lenonem damnabis Christianam, quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. nec quicquam tamen profuit exquisitior quæque crudelitas vestra. illecebra est magis sectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est sanguis Christianorum. nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est, quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? quis non ubi requisivit accedit? ubi accessit pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.* Quid illustrius ad intentum? Conceptum Tertulliani secutus est sanctus Leo Magnus, sermo 1 de sanctis Petro & Paulo, & ante sanct. August. lib. 18 de Civit. cap. 50. cujus fidissimum discipulum sanctum Prosperum Aquitanum lib. 2 de Vocatione Gentium in medio duco, sic loquentem: *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant Reges, & potestates contradicebant. superstitiones & totius mundi reluctabantur errores. sed de resistentibus, furentibus, persequentibus populum suum Christus augebat, & per vincula & supplicia mortesque sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas; perque universum mundum Dominici agri segetis multiplicabatur ubertas, tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui, cum & qui cruciabantur vehementius inardescerent, & qui sæviebant eandem quam persequebantur flammam concipiebant.* Hæc ibi. huc accedat insignis authoritas libri de duplici martyrio apud Cyprianum, parum à principio, ubi sic dicit: *Ergo quanquam omnis priorum vita Martyri suo glorificat Deum & Christum filium ejus, nullum tamen est illustrius testimonium apud homines, quam sanguinis, hoc est, vitæ propter Deum contemptæ, & mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt & miracula testimonium divinæ potentiæ, præsertim apud incredulos, sed semper efficacius fuit sanguinis profusi testimonium. Quot morbos insanabiles verbo sanarat Dominus? quot cæcos illustrarat? quot exanimes ad vitam revocarat! & tamen pauci credebant in eum, & audiebat: in Belzebub ejicit Dæmonia. Cæterum ubi ventum est ad sanguinem, ibi dejectum est Satanæ regnum, ibi subactus est mundus*, &c. Est ergo martyrium præcipuum testimonium augmenti fidei, & quod ejus mysteria reddit evidenter credibilia. unde sanctus Iustinus Martyr in primo Apologetico pro Christianis, ad populum Romanum fatetur: *Se ex hoc motivo habuisse evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, & ad ipsam fuisse conversum.*

Huc accedit, quod ita ardenter Martyres hujusmodi evidentiam suo sanguine rubricabant, quod ignavi & parum firmi roborabantur, & tanquam leones fortes martyrium obibant. ita eleganter Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio, cap. 8. quod pulchre docuit sanctus Maximus homilia de sanctis Martyribus Taurinensibus: *Licet universi sancti ubique sint, & omnibus prosint, specialiter illi pro nobis interveniunt, qui & supplicia pertulerunt pro nobis. Martyr enim cum patitur non sibi tantum patitur, sed & civibus: sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum; sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem. exemplo enim eorum didicimus Christo credere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter torquetur, ut alius salvetur; alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret. Nam ideo Dominus per totum mundum diversis in locis Martyres pati voluit, ut tanquam idonei testes nos præsente quodam fidei exemplo suæ confessionis urgerent.* & sanctus Ambrosius de fide resurrect. ait: *morte Martyrum religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata.* & eleganter ad idem sanctus Ephrem Syrus in posteriori sanctorum Martyrum encomio: *Intuiti* (inquit) *sunt sapientes hujus seculi immensam stragem vestram, & in stuporem tota sapientia illorum conversa est, attonitique ad se invicem ajebant: Vere magnus & potens est Deus Christianorum, in quem sui discipuli ita crediderunt, ut nullis minis, nullisque tormentis ab ejus fide divelli potuerint.* similia habet Nazianzenus oratione 18. n. 6.

Duo sunt contra dicta argumenta. I. quod multi hæretici pro suis erroribus mortui sunt, affirmantes se mori propter Christum ejusque doctrinam, ut de Massilianis affirmat Epiphanius hæresi. 89 de Anabaptistis. Bernardus serm. 66 in Cant de Donatistis epistola 65. Verum huic argumento facilis est solutio. ut enim ex Apollinari refert Nicephorus lib. 4 Hist. cap. 23. *Plures hæreses de suis martyribus gloriantur, non tamen propterea in earum sententias imus.* quia, ut ait Augustinus de sermone Domini in monte, cap. 5, *Multi hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur; sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non propter Christum patiuntur; ubi enim vera fides non est, non potest esse justitia.* huc accedit, quod Martyres veri sunt in multo majori numero, sunt fere innumerabiles, ut constat ex historiis. 2. Quia nostri summa lætitia & ingenti alacritate mortes & tormenta subibant. 3. quia in omni ætate fuerunt utriusque sexus qui paterentur. 4. ex signis prodigiisque, quæ in verorum Martyrum passionibus intervenere. vide Suarez ubi supra n. 6.

II. Est, quia multi in tormentis defecerunt, & fidem abjurarunt. non ergo tormenta & martyrium mortes omnino faciunt mysteria fidei evidenter credibilia. Respondetur, quod lapsorum ruina nihil fortium robori derogat, ut causet hujusmodi credulitatis evidentiam. quod enim aliqui in bello deficiant, non obsistit victoriæ, si cæteri fortes persistant: nam illorum defectus ignaviæ & mollitiei adscribitur, non quia obsistat crudelitatis evidentiæ, quam aliorum Martyrum innumerabilium inducit: qui

enim tormentis cessit, ait Cyprianus lib. de Lapsis. n. 50. & D. Nazianzenus orat. 18, num. 22. *Diaboli illecebræ, viæ ad Deum tendentis impedimenta animos lapsorum emollivere*; non vero evidentiam credulitatis mysteriorum enervarunt aliquatenus.

§. 7. *Pro martyre Catholico nullatenus orandum, nec publice nec privatim.*

TRiplex est Augustini celebre testimonium, quo hæc veritas comprobatur. huc accedit decisio Innocentii Papæ III. in cap. cum Marthæ, de celebratione Missarum, dicentis: *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. sic enim loquitur Pontifex, comprehendens firmum fundamentum conclusionis, & omnia fundamina opposita evertens: proposuerat enim Ioannis Archiepiscopus Lugdunensis quæstionem, quare fuerit mutatum quod insecuta Beati Leonis secundum antiquiores codices continetur, sic videlicet: *annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, cum in modernis sacramentis habeatur: annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oratio. Super quo respondemus, quod, cum sacræ Scripturæ dicat authoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de aliis sanctis sentiendum; quia orationibus nostris non indigent pro eo, quod cum sint perfecte beati omnia eis ad vota succedunt. sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos (cum miseri simus) undique mala nostra conturbant. Unde, quod in plerisque orationibus continetur, prosit vel proficiat huic sancto vel illi, talis oblatio ad gloriam & honorem ita debet intelligi, ut hoc prosit quod magis ac magis à fidelibus glorificentur in terris; licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari; & ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare.* hactenus Pontifex. circa cujus testimonium duo noto.

I. Circa id, quod dicit, quod sacra Scriptura dicit injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre, non est intelligendum quod ista verba sint expresse & formaliter in sacra pagina, cum ibi nullibi inveniantur, sed quod sint æquivalenter & virtualiter, illis scilicet locis, in quibus certo promittitur Regnum cœlorum, vita æterna, & confessio Christi coram Patre, illi qui moritur pro fide Christi. & quamvis Confessoribus sancte viventibus, ex quorum sanctitate mota Ecclesia illos canonizans declarat esse in cœlo, tamen sancti Martyres evidentius testimonium præbent moriendo pro Christo & charitate Dei. & ita Pontifex ut certum supponit, Martyres non indigere orationibus nostris, & ex ratione consimili arguit ad Confessores.

II. Circa id quod gloria sanctorum usque ad diem judicii augetur. quod illa maxime roboratur sententia Divi Thomæ id expresse asserentis, 1 p. q. 62. artic. 9. ad 2. & 22. q. 13. artic. 4. ad 2. & in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. q. 6. cujus sententiam communitur sequuntur Thomistæ. sed addit sanctus Doctor in 4. dist. 11. q. 2. artic. 1. q. 2. *quod gaudium accidentale beatorum crescit eis de omnibus benefactis, pro eis præcipue de gratiarum actione.* quæ doctrina egregia est pro sanctis Martyribus quibus gratias agimus pro eo quod evidenter fecerunt credibilia mysteria fidei, suo sanguine Ecclesiam irrigantes, ut multiplicarentur fideles. verum est quod, ut ait idem Angelicus Magister 1 p. quæst. 62. artic. 9. ad 3. & in 4. dist. 45. quæst. 2. artic 2. quæst. 4. ad 3, *quamvis Sancti qui sunt in patria ac omnibus bonis nostris gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris gaudiis eorum gaudium augmentetur formaliter secundum rationem objecti sui. ratio autem gaudendi in Sanctis de quibuscumque gaudent, est ipse Deus, de quo non possunt magis vel minus gaudere, quia sic essentiale eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc quod de Deo gaudent. unde ex hoc quod bona multiplicantur ac quibus gaudendi ratio est Deus, non sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant. & ideo non sequitur quod operibus nostris juventur.* & in solutione ad I. refert quasi eadem verba Innocentii III, probaverat enim manifesta ratione in corpore articuli, Sanctos non indigere suffragiis nostris: *quia suffragium de sui ratione importat quandam auxiliationem, quæ non competit ei qui defectum non patitur. nulli autem juvari competit, nisi in eo in quo indigens est. unde cum Sancti qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunes, inebriati ab ubertate domus Dei, eis juvari per suffragia non competit.* ex quo fundamento clarescit, cur fiat Martyri injuria, dum pro ipso oratur, quia injuria fit ei qui dicitur defectum pati, dum est perfectionis sibi debitæ plenitudine decoratus, ita ut nihil illi deficiat.

Et ad hoc tendunt imo cogunt etiam Augustini testimonia. I. sit ex tractatu 84 in Ioannem: *hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo ipsi saturati sunt, ac mensam Domini accedimus, oportet, ut, quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. ideo quippe ad mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus, quia impleverunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit non posse esse majorem.*

II. Sit ex serm. 17 de verbis Apostoli: *perfectio* (ait) *in hac vita nulla est ad quam sancti Martyres non pervenerunt. ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt cum Martyres recitantur eo loco ad altare Dei ubi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. injuria enim est Martyris pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem.*

III. Ex serm. 107, cap. 2 de diversis: *unde Martyres magni, unde excelsi, unde cæteris hominibus multo florentius coronati? unde quod norunt fideles quod distincti à defunctis loco suo Martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur? unde hoc? nisi quia mors quam pro Dominica confessione elegerunt suscipere quam Christum negare, utique amare est.*

Et quidem sanctus Augustinus imitatus Cyprianum, qui perpetuus fuit in hac doctrina epistola 34 ad Presbyteros, Diaconos & plebem num. 11. *veri & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt, sacrificia pro eis semper ut meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* ubi offerre sacrificia non est per modum suffragii, sed per modum celebritatis, & gaudii, & actionis gratiarum, quia Christi confessione & diabolum constraverunt, & palmas à Domino illustri passione acquisiere. quod manifeste constat ex doctrina ejusdem epistola 16 ad Moysem & Maximum, num. 18. *beati satis qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes jam de seculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei ad complexum & osculum Domini ipso gaudente venerunt.* quod epistola 37 ad Presbyteros appellat *consummatam Martyris gloriam.* unde præcipit dies eorum qui decedunt annotare, *ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* & num. 9, *significate mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mor-*

tis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum.

Quare si qui Patres innuunt pro Martyribus esse offerenda sacrificia, ut Chrysostomus homil. 21 in Act. Apostolorum, & in Liturgiis Græcorum id passim invenitur, intelligendi sunt, ut explicat Cyrillus Hierosol. in una suarum catechesium: *hoc sacrificium* (inquit) *tibi offerimus, ut memores simus primum eorum qui dormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus & intercessionibus eorum nostram deprecationem suscipiat.*

Ex qua doctrina Catholica colligitur, illum esse verum & Catholicum Martyrem, cui fit injuria si pro illo oretur per modum expiationis & suffragiis; à contrario illum non esse verum & Catholicum martyrem, cui non fit injuria, sed suffragium si pro illo oretur, & pro delictis suis orationes & sacrificia offerantur. quod argumentum evidentissimum est contra Raynaudi imaginationem de vero martyrio per pestem. quod infra tractatu ultimo magis urgebo.

Sed contradicta sunt duo argumenta quæ diluere opus est. I. quia nil vetat, quod Martyr decedat cum affectu ad veniale peccatum, atque adeo portare ex hac vita aliquid reatus ad pœnam luendam in purgatorio, à qua per suffragium fidelium possit liberari; & sic pro martyre orare licebit. antecedens satis insinuat Ambrosius epistola 27, dicens, *quod si Episcopus sibi falso impingeret factum, ob quod, si morte plectatur, Martyr evadet.* & sic verum martyrium cum macula levis mendacii compatitur. tum insuper non videtur repugnare quod verus Martyr, dum it ad martyrium, venialia aliqua committat, saltem ea quæ oriuntur ex motibus secundo. primis non habentibus plenam deliberationem ad mortale, bene tamen sufficientem ad veniale.

Respondet Theophilus p.2, cap. 6. concedendo Martyres posse infici venialibus culpis, cæterum purificari in excessu è vita omnem hanc minutiarum peccati rubiginem, incensissimo charitatis camino in anima Martyris nunc flagrante, ex eoque omnino Deo per condonationem extrinsecam citra quodcumque ejus meritum nostraque suffragia id concedente, per privilegium martyrio annexum; sed non video, ad quid intervenit in præsenti extrinseca condonatio, quando fervori excellentissimæ charitatis, quam habet Martyr, totum id jure tribui potest. Melius respondet Dominus Cajetanus, cujus verba dedi supra resolutione 30 in fine, quod martyrium in hoc efficacius est aquæ Baptismo. unde per ipsum plenissimam remissionem, etiam illius peccati, cujus habet quis actualiter virtualem complacentiam, consequitur ex natura ferventissimæ charitatis, in exitu animæ à corpore exercitæ. in quo exitu implicat, quod habeat actualem complacentiam venialis culpæ. quare martyri dimittitur omnis reatus culpæ & pœnæ, *quoniam dilexit multum*; & ideo non indiget suffragiis nostris, sed absque transitu purgatorii evolat in cœlum *in osculo Domini.*

II Argumentum. Non minus est in termino æternæ mortis damnatus, quam in termino vitæ æternæ beatus: & sicut isti non juvant suffragia, quia illis non indiget, ita nec damnato prosunt, cum *nulla* sit *in inferno redemptio*, aut auxiliatio per orationes vivorum. atqui damnatus aliquando fuit liberatus orationibus vivorum. ergo beatus potest in beatitudine crescere per suffragia & orationes alicujus viri eximiæ sanctitatis. minor constat ex historia, quæ communiter circumfertur de anima Trajani idololatræ Imperatoris, quæ damnata ab inferno est erepta precibus sancti Gregorii, &, exomologesim faciens, veniam impetravit peccatorum, & salutem æternam est consecuta. quam Historiam latissime defendunt Alfonsus Chacon à Dominici familia in speciali tractatu de salvatione Trajani precibus Beati Gregorii. Martinus Polonus in Chronico in vita Trajani folio 151. Bernardus Britus 2. p. Monarchiæ Lusitanæ lib. 5, cap. 12. à folio 60. Ioannes Diaconus in vita Beati Gregorii lib. 2, cap. 44. & quod pluris est Divus Thomas in 5. dist. 45. q. 2. artic. 2. quæst. 1. ad 5. sic fatur: *de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna. sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose à mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras & damnatos fuisse. de omnibus enim similiter oportet dici, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem justitiam propriorum meritorum; secundum autem superiores causas, quibus providebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter disponendum.*

Quæ doctrina non solum est à censura libera, sed est probabilissima & sanissima; & quidquid sit de autoritate illius orationis quæ Damasceni circumfertur, & est post libros de fide orthodoxa, omnino improbabile est, quod dicit Valle de Moura in opusculo de ensalmis, lib. 1. sect. 2, cap. 2, num. 69. *errorem esse in fide, asserere aliquem damnatum ad ignem æternum, sive postquam lata est sententia in particulari judicio igni traditus est, sive antequam traditus sit, sive antequam lata sit sententia, dummodo tamen anima ejus realiter in peccato mortali à corpore separata sit, esse liberatum; contrariumque, licet per impossibile aliquid veritatis contineat, esse ut minimum scandalosum portamque gehennæ mortalibus aperire, non tam ut eos ab ea extrahat, quam ut eos in illam introducat, ansam præbendo nimiæ fiduciæ morumque dissolutioni.*

Sed hæc censura, si feratur loquendo de potentia ordinaria, & secluso miraculo, vera est, & amplectenda; si tamen loquamur de potentia absoluta & miraculo interveniente, sententia hujus Doctoris est hæretica. contra articulum de omnipotentia Dei, & censura est temeraria, scandalum viris doctis generans. & quidem quod sententia sit contra articulum omnipotentiæ & absolutissimi Dominii divini manifestum est, cum non minus sit irrefragabile reduci à vita comprehensoris ad vitam viatoris, quam educi ab inferno ad vitam mortalem. utrumque enim æternum est, vita æterna in comprehensore, & mors æterna in damnato. atqui de facto multi per resurrectionem carnis traducti sunt à vita æterna gloriæ, ad vitam viatoris mortalem. ergo etiam poterit, miraculo interveniente, transmitti damnatus ad vitam in qua possit mereri & salvari. utrunque enim æque continetur intra sphæram activitatis divinæ omnipotentiæ. minor ostenditur mirabili & admirabili historia sancti Petri consecrati primi Episcopi Bracharensis à Sancto Iacobo Apostolo, Hispaniarum *unico Patrono*, qui ipsum à mortuis suscitavit annis sexcentis postquam obdormivit in Domino, ut eruditissime ostendit Franciscus de Vivar in commentariis Dextri ad annum Christi 37. comm. 1, n. 2. id quod docet sanctus Athanasius Episcopus Cæsaraugust. ipsius sancti Petri condiscipulus Apostoli, & sequitur sanctus Celidonius Episcopus Bracharensis in vita sancti Petri, scripta ante annos 1350. venit enim ad Hispaniam sanctus Petrus cum duodecim tribubus missis à Nabuchodonosor in hanc regionem, & dictus est Samuël junior, vel Malachias senior.

senior. quare de hac sancti Petri resurrectione, non quatriduana vel duaria, sed sexcentenaria, prudenter non licet dubitare. quid ergo fecit? ubi est demorata anima sancti Petri? in quo receptaculo fuit detenta? in quocumque fuerit jam habebat sententiam latam vitæ æternæ, aut æterni mortis, extra viam merendi aut demerendi, & tamen translata est ad statum viatoris, ut mereretur coronam martyrii.

Deinde rationes Divi Thomæ id esse possibile manifestissime convincunt I. de mortuis idololatris, qui, cum finierunt vitam in mortali peccato, miraculose resurrexere, & sancte vivendo ex Apostolica instructione, vitam sunt consecuti æternam. Huic argumento, quod mihi evidens est, respondet Moura, num. 73. ex Soto in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 1. conclus. 1. §. fateor tamen. pagina mihi 487. Salmeronio tom. 6. tract. 24. folio 204. quod Apostoli virique Apostolici nullum suscitarunt à mortuis qui decesserit in peccato mortali, & qui non habuerit fidem implicitam Christi, cum qua gratiam sit consecutus. Verum hæc solutio inanis est & divinatoria: nam, ut ait Cardinalis Bellarminus de purgator. lib. 2, cap. 8. quid respondebit Soto Ambrosio qui sermone 90. & Maximo, qui sermone 2. dicunt Beatam Agnetem suscitasse filium præfecti, quem diabolus necaverat, cum voluisset ipsam virginem sanctam stuprare? & quidem facilis est solutio. concedendum mortuum in peccato mortali posse iterum remeare ad vitam, vel ut convertatur, vel ut plenius puniatur post vitam. recurrere ad solutiones insolitas, indignum est viris doctis; sicut & indignum est pietate Christiana asserere aliquos à sanctis fuisse resuscitatos qui vere mortui non erant, sed apparenter tantum. hoc autem relinquamus resuscitatis ab infidelibus.

II. Quia, ut est doctrina certa & indubitata, cum S. Thom. 2. 2. quæst. 171. artic. 6. ad 2. aliquid est dispositum secundum causas inferiores, cujus oppositum est dispositum secundum causas superiores. sicut Ezechiæ dictum est cras morieris, & tamen in divina præscientia aliter est dispositum, tot tamen verissime dixit Isaias Regi: *Cras morieris & non vives.* quia dispositio corporis ad mortem ordinabatur crastinam: juxta exigentiam causarum secundarum. ita Trajanus secundum præsentem justitiam juxta exigentiam suorum demeritorum, perpetuo erat damnandus, & ut damnatus puniebatur in inferno. tamen secundum altiorem divinæ sapientiæ dispositionem non erat finaliter pœnæ æternæ deputatus: & ita precibus sancti Gregorii ad vitam reductus pœnitentiam egit, & salutem æternam est consecutus. & idem dicendum de aliis peccatoribus, qui precibus alicujus sancti revixere, & fuerunt salvati. & hoc est quod tandem dicit Bellarminus ubi supra, eos qui sunt exitati cum merentur pœnas æternas non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & iterum punitos secundum præsentem injustitiam; intellige suspensam sententiam finalem & ultimam, à qua non est appellatio aut intercessio; non tamen fuisse omnino omnem sententiam suspensam, quia data fuit illis sententia secundum præsentem injustitiam. & quamvis Historia Trajani falsa sit, ut late probat uterque Cardinalis Bellarminus ubi supra, & Baronius tom. 8 Annalium, folio mihi 188. tamen doctrina quæ defenditur verissima est & tutissima, quam non calluit Moura dum excessit in censura.

Et ut clarius id videant, si sunt aliqui ejus in Portugallia defensores, addo quod, licet sit data ultima sententia damnationis, & sit decreta efficaciter, & in executione sit data alicui gloria æterna, nihilominus ita infinitum est divinum Dominium, ita inexhausta ejus omnipotentia, quod in illa ultima determinatione semper est imbibita conditio, nisi aliter Deo placuerit. potest enim de potentia absoluta omnes beatos exspoliare gloria, & ad dolores æternos deputare, & omnes damnatos liberare à pœnis, & visione suæ essentiæ condecorare, quia in Deo sua voluntas est sua ratio, & hæc est sua voluntas. Cæterum hoc non faciet secundum legem ordinariam & providentiam suavem, ad quam attendunt orationes & suffragia vivorum, ut bene notavit Soto ubi supra. & sic non est orandum pro damnatis, nisi hoc fiat ex particulari instinctu & revelatione divina, ut fecit Beatus Gregorius, si vera est Trajani historia.

§. 8. *De Martyrum canonizatione.*

MArtyrum præcipuus honor, à quo cæteri scaturiunt, est canonizatio Pontificia. ut enim ait sacra Rituum congregatio die 12 Martii 1631, *Nihil est in tota Ecclesia majus & augustius beatificatione & canonizatione Sanctorum.* quam sic definit Innocent. III, cap. audivimus. de reliquiis & veneratione Sanctorum: canonizatio *est canonica & regularis institutio quod aliquis pro sancto habeatur.* Quam definitionem amplectuntur ibi Canonistæ & Summistæ, verbo canonizatio. ubi Sylvester num. 1. Tabienna, & Angelus Armilla & alii. Sed Cardinalis Bellar. lib. 1 de sanctorum Beatit. cap. 1. ex Bullis canonizationis sancti Francisci de Paula, sancti Didaci Complutensis aliam descriptionem clariorem collegit, dicens: canonizatio *nihil aliud est, quam publicum Ecclesiæ testimonium de vita & sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, & simul judicium & sententia, qua determinantur illi honores qui aliis sanctis debentur.*

Hoc autem publicum testimonium triplex est, quantum ex scriptoribus colligere potui; quo aliquis declaratur sanctus incipiens, proficiens, & perfectus (nam de testimonio quo aliquis dicitur venerabilis infra dicam.) Testimonium aut canonizatio *incipiens* est; quando summus Pontifex incipit ferre testimonium de alicujus viri sanctitate jam vita functi, & concedit facultatem; ut beatus dicatur, non tamen ut in honorem illius Missa celebretur aut recitetur officium. sic fecit cum Beato Ludovico Gonzaga, ut refert Turrianus 2. 2. disp. 17. disp. 4. §. tertio conveniunt: *Appellatio beati concessa à Pontifice aliquis cultus est. solet enim hæc concedi etiamsi non concedatur, ut de tali beato Missa celebretur & officium recitetur. Luyso nostro Gonzaga ea appellatio concessa est, & tunc non fuit concessa facultas recitandi officium de illo, vel celebrandi Missam.*

II. Testimonium est *proficiens*, & dicitur de quibusdam non incongrue canonizatio particularis, quando videlicet non solum aliquis dicitur beatus, sed etiam conceditur facultas personis alicujus civitatis, provinciæ aut Regni, aut certæ Religionis, etiamsi sit per totum orbem diffusa, ut illi beato publicum cultum deferant, officium recitando in illius festivitate, & de illo Missam celebrando; non tamen conceditur hæc facultas universali & Catholicæ Ecclesiæ. unde Rituum sacra congregatio die 30 Iulii anni 1616. concessit denuo imprimi Martyrologium cum additione Sanctorum canonizatorum, non vero Beatificatorum, quia isti nondum sunt propositi toti Ecclesiæ, cui proponitur Martyrologium.

III. Testimonium est *perfectum* & omnino completum, & ultima sententia definitiva data à summo Pon-

Pontifice, respectu totius Ecclesiæ universalis, quod aliquis sit in gloria sanctorum, illis annumerandus, & ut talis ab universis fidelibus venerandus; non quod obligatur universalis Ecclesia recitare de illo officium, aut Missam celebrare: non enim de omnibus canonizatis ad hoc tenemur; possumus tamen quamlibet ponere in Letaniis, & Martyrologiis quæ publice leguntur ad Primam, & in Ecclesiis eorum imagines cum diademate & splendoribus, templa in eorum honorem ædificare, reliquias venerari ubique locorum. unde Summus Pontifex hoc testimonium perfectum, ultimamque definitivam sententiam de gloriæ possessione, explicat per verbum *decernimus* & *definimus*, & per verbum *declaramus* & *mandamus* sanctum haberi firmiter & fideliter ab omnibus. unde præcipit universæ Ecclesiæ, ut illum tanquam sanctum publice & privatim colant fideles. ita constat ex Bullis canonizationis sancti Francisci de Paula, sancti Bonaventuræ, sancti Didaci Complutensis: verum illud verbum, *definimus*, non est idem ac quod de fide facimus. multi enim putant non esse de fide. quam esse communem sententiam docet Bañez 2.2. q. 1. art. 10. dub. 7. sed idem est quod decernere, sententiam dare, & decretum facere. quod hic homo sit in gloria; unde temerarium esset & scandalosum id negare, sicut esset hæreticum negare in Summo Pontifice potestatem canonizandi & beatificandi sanctos. quod est indubitatum contra hæreticos, & constat ex cap. 1 & 2 de Relig. & veneratione sanctorum.

Hujusmodi autem tria testimonia de sanctitate & gloria alicujus sancti in aliquibus conveniunt, & in multis differunt. conveniunt 1. quia nullus alius potest testimonium ex istis aliquod publicum & juridicum ferre, nisi solus Pontifex argumento ex cap. 1. de reliq. & venerat. sanct. ubi Pontifex id affirmat, Sedi Apostolicæ reservans testificari de sanctitate alicujus, ut jam dicam.

II. Conveniunt, quia nullus sine temeritate & scandalo majori, vel minori juxta qualitatem testimonii, potest negare beatum esse in gloria, quem Pontifex aliquo ex his testimoniis sanctum & beatum dixerit nuncupandum. est enim quodlibet ex his testimoniis omni exceptione majus, & sic temerarium & scandalosum erit illud in dubium revocare.

III. Conveniunt, quod quilibet de quo Pontifex tulit testimonium aliquod, ex dictis tribus potest depingi ut beatus in illis locis, & ab illis personis, quibus sic loqui concessum est. si enim plena voce publice possunt illum beatum dicere, cur non possunt pingere cum diademate beato debita, & aliquibus splendoribus? decretum enim Vrbani VIII, editum die 13 Martii 1625, loquitur de illis qui neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sunt ab Apostolica Sede. & sic consultus respondi Romæ anno 1627. unde cuilibet, de quo Sedes Apostolica fert publicum testimonium, potest deferri aliquis cultus publicus, etsi non universalis, nisi canonizato testimonio Papæ perfecto.

Sed differunt I. quia testimonium primum & secundum non est ultimum decretum Sedis Apostolicæ, nec ultima sententia aut declaratio gloriæ hominis jam defuncti. quod constat ex stylo curiæ & modo quo supplicatur: petitur enim in beatificationis supplica ut beatus nuncupari valeat & debeat, donec effectualiter ad canonizationem ejus deveniatur, ut in numerum sanctorum referatur, quod totum habetur in canonizatione perfecta.

II. Differunt, quia per ultimum testimonium perfectum non limitatur cultus ad locum & personas, neque quoad modum cultus, sed est secundum se universale pro tota Ecclesia; non sic autem in primo & secundo testimonio.

III. Valde differunt, quod in beatificatione primi & secundi testimonii non ponitur aliquod verbum, quo insinuetur decretum aut definitio, quod homo defunctus sit in cœlo, aut præceptum sive mandatum quod habeatur pro sancto aut beato; sed in decreto Beatificationis solum dicitur aliquos petiisse à Summo Pontifice, quod talis homo defunctus possit nuncupari Beatus, & officium de illo recitari certo die in aliqua provincia aut religione. quod remittit Pontifex ad congregationem sacrorum Rituum, quæ habita matura & diligente discussione respondet, Summum Pontificem posse eam facultatem concedere. quod decretum congregationis laudat Pontifex, & facultatem concedit ut petitur; quod secus contingit in testimonio perfecto, & canonizatione universali. unde non est ita certum Pontificem non posse errare in duobus prioribus, ac in posteriori, licet sit temerarium & scandalosum, licet magis in posteriori.

IV. Differunt, quia post Beatificationem primam & secundam, priusquam deveniatur ad tertiam, fiunt novæ & rigorosiores infamationes, ut aliquis homo defunctus proponatur toti Ecclesiæ publice colendus, & canonizetur publicis cæremoniis à Summo Pontifice & eminentissimorum Cardinalium collegio executis, quas non faciunt in primo & secundo modo Beatificationis. nunquam tamen contigit, quod qui à Summo Pontifice primo, vel secundo testimonio approbatus fuit Sanctus, tertio testimonio sit reprobatus, dixi à Summo Pontifice, quoniam contigit, quod qui ab Episcopis est approbatus beatus, & à populo veneratus, à Summo Pontifice est inventus Ebrius. cap. audivimus. de reliquiis & veneratione sanctorum. id quod colligo ex glossa singularissima ad caput unicum de eodem in 6. verbo Sedis, ibi: *Propter multorum Episcoporum simplicitatem populum decipi contingat supra eodem titulo, cap. 1 & 2. Episcopi enim, non multum experti & sagaces, ad aliquorum persuasionem aliquem defunctum beatificabant, & sic populus decipiebatur venerando sanctum, qui sanctus non erat. ad quam deceptionem auferendam Pontifex canonizare & beatificare sanctos sibi avocavit privative.*

Hoc autem publicum Pontificis testimonium de sanctitate alicujus hominis defuncti, ad duo genera defunctorum extenditur, quia aut defunctus fuit ob fidem Christi occisus, aut mortuus Confessor. & ad utrumque personarum genus canonizandum aut beatificandum requiruntur exquisitæ diligentiæ, & testium examinatio semel, & iterum de vita & moribus, & fama publica sanctitatis, exercitio virtutum maxime theologalium, humilitatis, & patientiæ, si fuerit Confessor, de quo examinantur miracula & cætera, quæ remissioralibus exquirenda continentur. in martyribus autem, ut conveniunt omnes, non fuit miraculorum inquisitio, & multo minor diligentia adhibetur; solum inquiritur fortitudo & charitas, ex qua motus mortem subiit quam intulit Tyrannus in odium fidei, juxta dicta in superioribus; causa tamen, quæ Martyrem facit, diligentissime est inquirenda, ne ista negotiationibus implicata deturpetur, sed quod solum fuerit Euangelii propagatio, fideique confessio, & mortis passio ex charitate Christi & Dei. unde egregie sanctus Hieronymus in Psalmo 115 sic loquitur ad illa verba, *calicem salutaris*, in Hebraico ita habetur: *calicem Iesu acci-*

accipiam. quis est iste calix Jesu? potestis calicem meum bibere? & continuo sequitur: calicem quidem meum bibetis. hoc autem quare dixit? ut intelligamus calicem passionis martyrium esse. grandis res est martyrium. & quomodo grandis? quoniam tribuit Domino. quod accepit à Domino. Christus pro eo passus est, & ille pro nomine ejus patitur: quoniam diximus quod Martyr nihil aliud habet quod retribuat Domino, & Dominus computet illi pro qualitate, quoniam vidit servum suum nihil aliud habere, quod retribuat ei quid est simile. Deus pro hominibus passus, Dominus pro servo. quæ æqualitas? sed quoniam nihil aliud habet servus quod retribuat, Deus clemens pro æquali accipit martyrium. & ad verba, *dirupisti Domine vincula*, ait, *quicumque sanctus moritur sua morte, licet sit sancta, qui misericordias operatus sit, fecerit signa, Dæmones ejecerit, non vadit ad Dominum securus; horrescit ejus conscientia, quando videt Dominum. Martyr tamen, etsi post Baptismum peccaverit, tamen secundo martyrii baptismate ablutus, securus vadit ad Dominum. dirupisti vincula mea catenis suorum peccatorum unusquisque constringitur, sed in martyrio meo dirupisti vincula peccatorum meorum, & de vinculis plicasti mihi coronam victoriæ, tibi sacrificabo hostiam laudis. post martyrium ubi sacrificat? in regione vivorum.*

Ex quo fit, verum esse quod dicebamus, ad Martyrum canonizationem non requiri necessario miraculorum probationem; id quod supra ex beato Eulogio in apologetico & in Memoriali pro Martyribus probavimus, & tenent Canonistæ ad caput primum de Reliquiis, & veneratione sanctorum. Hostiensis n. 6. Ioannes Andreas n. 4. Flavius Cherub. Scholio 2. ad bullam 4. Alexandri III. & scholia 1. ad Bullam 2. Innocentii IV. quos citat & sequitur Carena tract. 17. de officio sanctissimæ Inquisitionis §. 12, n. 42. Turrianus 2.2. disp. 17. dubit. 4. & late §. 14. enucleabo.

Cæterum advertendum est, quod ex confessoribus, ut ex facto constat, primo beatificantur & postea canonizantur, licet hoc non sit semper necessarium: potest enim sanctus aliquis solemniter canonizari, etsi prius non fuerit beatificatus. Multi enim antiquitus fuat primo canonizati, antequam publicum testimonium beatificationis dederit Apostolica Sedes, ut sanctus Bernardus canonizatus ab Alexandro III, ut constat ex bulla 2. quæ incipit: *contigit.* anno 1164, die 15 Kalend. Februarii. Sanctus Dominicus à Gregorio IX. Bulla 8. incipit: *fons.* nonis Iulii 1234. & sancta Elisabetha Vngariæ, ab eodem anno sequenti 1235. & Henricus Imperator ab Eug. III. Bulla 1 incipit, *sicut.* idibus Martii 1152. & Hugo Episcopus Gratiopol. ab Innocentio II. Bulla 1, incipit, *divinus.* Kalendis Maji 1134. & in aliis multis videre est. quando enim Summi Pontifices causam canonizationis sibi privative ad omnes alios reservarunt, canonizatio dumtaxat erat in usu, sed postea re mature considerata prudentissime sanxere, quod per gradus deveniatur ad ultimum, & perfectum testimonium de alicujus hominis defuncti sanctitate ferendum, quos gradus non observabant antiquitus in martyribus, sed comprobata causa martyrii statim ferebatur ultimum testimonium, quod sit in gloria summo honore coronatus. Aut hodie etiam hos gradus in martyribus observat Pontifex, ut primo beatificentur, & postea canonizentur canonizatione universali, ut constat ex duabus Bullis editis ab Vrbano VIII. una 14 Septembris anni 1627. in favorem fratrum Minorum, altera 15. ejusdem mensis & anni, in favorem Societatis Iesu, pro celebranda Missa, & recitando officio divino in honorem sanctorum Martyrum Iaponensium, qui passi sunt die 5 Februarii, anno 1597. in quibus Bullis Summus Pontifex dicit, quod concedit prædictarum religionum Sacerdotibus, ut de istis Martyribus Missas facere & officium dicere possint, donec ad solemnem eorum canonizationem deveniatur; quamvis alias Rotæ auditores, & eminentissimi Cardinales, quibus id commisit censuerint constare de martyrio & miraculis, ideoque ad actualem canonizationem quandocumque deveniri posse. quamvis hoc sit discrimen inter beatificationem Martyrum & Confessorum, quod in illa non fit nova diligentia aut informatio, si semel constat de vero martyrio, sed solum devenitur ad solemnes cæremonias canonizationis generalis; at in beatificatione Confessorum post illam fiunt novæ informationes, & exquisitiones diligentiæ, ut deveniatur ad canonizandum.

His positis, ut breviter per singula discurramus, quæ in hac materia latissime tractant. Felix Contelorius, Angelus Pocca, Malutius, Castellinus in specialibus tractatibus, Bellarminus de beatitudine sanctorum, cap. 7 & 8. Baronius in notis ad Martyrologium, die 4 Martii, litera D. Torres 2.2. disp. 17. Franciscus Peña vir omnigena eruditione plenus, in speciali tractatu quem edidit Romæ, ubi erat Auditor sacræ Rotæ, & Cardinalis Bellarminus in responsione ad illum. & utrumque prælo dedit Torres in selectis p. 1, disp. 33 post dubium 5. Carena in tractatu de officio sanctarum Inquisitionum, tractatu 17. §. 12, ea quæ isti accumulant breviter perstringam, ostendens ea in quibus conveniunt, & in quibus differunt, addamque aliqua quæ ipsi ommisere.

Igitur conveniunt omnes I. quod in Ecclesia Dei semper fuit mos & firmissima consuetudo, ut nullus ut Martyr veneraretur, antequam publica auctoritate legitimorum judicum esset receptus, & approbatus. ita egregie Cardinalis Baronius ubi supra: *Constat enim* (inquit) *pervetustum morem fuisse in Ecclesia Catholica, ut nullus, nec Martyr quidem, absque aliqua prævia discussione & approbatione, inter sanctos recenseatur, quos pietas Christiana more majorum colere consuevit. est de ea re egregius locus Optati Milevitani, lib. adversus Parmenianum, cum de Lucilla potenti ac factiosa fœmina, Donatistarum Patrona, hæc ait: cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum & potum os nescio cujus, Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati, correpta cum confusione irata discessit. quibus plane Optatus significat nefas fuisse venerari reliquias Martyris alicujus non vindicati, hoc est, nondum probati & recepti. prout etiam optime observat Balduinus in scholiis ad Optatum. Moris enim erat, ut, cum aliquis martyrio occubuisset, Episcopus sub cujus ditione id accedisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum, à quo mature adhibitis in consilium collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus. cujus rei ritum & ordinem satis monstrant ea, quæ sanctus Augustinus scribit. in Brevi. collat. die 3, cap. 13. referens factum quod contigit Secundo Tigisitano Episcopo, qui de hac materia rescripsit Mensurio Primati Carthaginensi; qui quibusdam ex causis, quas ibi refert Augustinus, negavit quidem Martyris honorem publicum. hinc est, quod in primordiis nascentis Ecclesiæ Clemens Anterus & Fabianus Summi Pontifices magna prudentia determinarunt, ut sanctorum Martyrum agones à septem notariis scriberentur, & res gestæ ab ipsis annotarentur ad futuram perpetuam memoriam, & ut quis esset verus Martyr, publico testimonio agnosceretur. hæc autem inquisitio de martyribus tunc temporis permaxime necessaria fuit, quoniam & ha-*

& hæretici atque schismatici aliquando pro Christi nomine tormenta pati videbantur & mortem, & quidem ipsis fere nascentis Ecclesiæ & fidei exordiis cum omnia Martyrum sanguine redundarent, ut scribit Eusebius lib. 4 Hist. cap. 14. & lib. 5, cap. 15, & lib. 8, cap. 20, & sanctus Augustinus de Donatistis sæpe testatur, quos omnes, ut alienos à fide & communione Catholica, Dei Ecclesia respuere consuevit; cum ex sententia Cypriani & Augustini omniumque Orthodoxorum, quidquid aliquis extra Ecclesiam patitur, non martyrium censendum, sed dicenda sit pœna perfidiæ. Sed dubitabis, an quando sunt opiniones probabiles, quod sit, vel non sit aliquis sanctus canonizatus, possit coli cultu religioso & publico, dicendo officium, & celebrando sacrificium Missæ in ejus honorem. verbi gratia, est opinio pro utraque parte probabilis, quod Lucifer Primas Calaritanus est sanctus, & canonizatus canonizatione particulari, utpote qui maximos labores, ærumnas, exilium pro fide Christi exantlavit. quam opinionem acerrime defendit illustrissimus Doctor Ambrosius Machin in Apologica defensione dicata ad Vrbanum VIII, ubi id erudite comprobat. at contra Cardinalis Baronius tom. 4. anno Christi 362. pagina 87. secutus multos Historiographos antiquos, præcipue Græcos, sentit Luciferum fuisse schismaticum & auctorem schismatis Luciferianorum, sicut Eusebius Eusebianorum, in schismate mortuum. quæ opinio, cum sit Baronii & tantorum virorum, negari nequit quod sit probabilis; & sic eo ipso quod probabilis sit, non est infallibile quod Beatus Lucifer sit in cœlo, & gloria fungatur æterna, & sic non potest venerari cultu publico.

Fateor argumentum difficillimum esse, cum sanctus, qui ut canonizatus veneratur, non potest stare ejus sanctitas sub opinione probabile ex utraque parte, sed veritas debet stare ita pro affirmativa, ut implicat stare pro alia negativa: implicat enim, quod Summus Pontifex & Apostolica Sedes consentiat aliquam opinionem esse probabilem contra determinationem & definitionem, quod aliquis Sanctus sit in cœlo, & interea canonizatus in universa Ecclesia.

Existimo ergo Beatum Luciferum canonizatum non esse in universa Ecclesia à Summo Pontifici, per consensum implicitum, sicut sunt canonizati multi sancti, ex eo quod sunt positi in Martyrologio Romano, ex vi cujus coluntur ab universa Ecclesia, ut dicam infra. Lucifer autem non luxit toti Ecclesiæ infallibiliter, sed solum suæ Diœcesi & Sardiniæ Regno, cujus fuit Primas, in quo fuit canonizatus canonizatione particulari, quæ, ut dixi supra, potest subesse falso, & ratione hujus particularis canonizationis eriguntur templa, conceduntur indulgentiæ, imagines depinguntur, pro illo dumtaxat Regno & Provincia in qua Missa dicitur, & officium recitatur. unde non ponitur in Martyrologio Romano aucto & emendato jussu Gregorii XIII.

II. Conveniunt quod hæc publica potestas & jurisdictio vindicandi Martyres, ipsorumque martyrium verum approbandum, prius fuit in Episcopis & Primatibus, postea simul cum Episcopis in Conciliis Provincialibus & Nationalibus. Ita Waldensis de Sacramentalibus tit. 14. cap. 122. & D. Cyprianus epistola 36. n. 12. dicit: *Quod ad se scribatur dum aliquis martyrium patitur, ut quotannis eo die natalis ejus celebretur.* plura Concilia refert Turrianus dub. 2. & ex ipso Carena n. 4. & hæc authoritas multis seculis in his judicibus conservata est ad discernendum veros Martyres à falsis, sicut multis seculis Episcopi fuerunt Inquisitores contra hæreticos, & utrumque munus acceperunt ex vi officii, quo tenentur dirigere fideles in vera fide, veroque cultu, & ab hæresi & falso cultu removere.

Sed numquid vindicatio & approbatio martyris, facta ab Episcopo illis temporibus, à Primate vel Concilio Provinciali, erat infallibiliter vera? Torres ubi supra dub. 5. §. *Sed notandum*, dicit, *si sermo sit de beatificatione aut canonizatione particulari, facta olim ab Episcopis, dicendum est, Episcopum in ea beatificatione posse errare, quia non habet infallibilem authoritatem ad hunc actum, sicut neque ad definiendum aliquid de fide cum Provinciali Concilio aut sine illo.* Hæc ille & bene, sed addo, qui Martyrem vindicatum in Concilio, vel ab Episcopo, negaret verum Martyrem, esset temerarius & scandalosus, quia contra determinationem factam à viris prudentibus & suo Pastore, tergiversatur.

Dubitabis II. an omnes sancti Martyres & Confessores, qui sunt in Martyrologio Romano, quorum sanctitas non est vindicata à Sede Apostolica expresso testimonio, sint infallibiliter judicandi Martyres? nullus quem viderim hoc tractat expresse, & est dubium scitu dignissimum.

Reverendissimus Pater Doctor Franciscus de la Peña, in illo suo scripto quod sine nomine auctoris Romæ edidit, in fine primæ conclusionis sic fatur: *Præterea illud omnino certum est & exploratum, probatos tantum ex publica authoritate Ecclesiastica Martyres & Confessores fuisse in catalogo sanctorum, & in Martyrologio Ecclesiæ Sanctæ Romanæ relatos; & consequenter minus probabile videtur, quod asseruit Dominus Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 1 de sanctis, cap. 8, videlicet sanctos veteres cæpisse coli in Ecclesia universali non tam lege aliqua quam consuetudine, cum nullus unquam sanctus fuerit aliquando in Ecclesia receptus, & cultus sine certa lege & legitimo decreto, ut vere existimavit & probavit Dominus Cardinalis Baronius, in notis ad Martyrologium die 4 Martii. & late etiam prosecutus docuit Ioannes Molanus in lib. de Martyrologiis.*

Huic objectioni respondet satis docte Bellarminus in sua responsione ad tractatum anonymi; & postquam distinxit duplicem canonizationem, particularem & universalem, ut distinxerat cap. illo 8. dicit se nunquam dixisse, aut sensisse canonizationem particularem aliquando fuisse in Ecclesia sine ullo Episcopali judicio & decreto, id quod docuerunt Optatus, Augustinus, & Baronius: *De universali autem canonizatione docui (ait) plurimos veteres sanctos non certa lege, sed consuetudine universalis Ecclesiæ, non sine expressa, vel tacita Summorum Pontificum approbatione canonizatos fuisse. integer ergo sensus verborum meorum est: eos sanctos, qui celebrantur in particularibus locis decreto particularium Episcoporum, cæpisse paulatim coli in Ecclesia universa, non certa aliqua lege & decreto, sed consuetudine à Summis Pontificibus consensu tacito approbata.*

Et subdit id, quod ad præsens dubium conducit; dicens, *Quod quidem verissimum esse non dubito, nec video omnino quid contradici possit. quæro enim quis fuerit ut sanctus Martinus, sanctus Nicolaus, sanctus Hilarius, & innumerabiles alii, qui in universali Ecclesia publice coluntur, ut nefas sit de eorum sanctitate dubitare; id enim Summos Pontifices fecisse decreto certo, neque Bulla canonizationum, neque Historiæ ullæ testantur. Episcopi autem particulares neque seorsim in Sedibus suis, neque in Conciliis congregati toti Ecclesiæ legem dare possunt, neque illorum judicium certam fidem facit, nisi accedat illius confirmatio, ut Dominus ait: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Quærat igitur solidum fundamentum, si ei non placet universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ S. August. in hujus- modi

medi obſervationibus pro lege ſemper fuit, ut videre eſt in epiſtolis 118, 119, 120. quærat inquam ſolidum fundamentum ſuper quo nitatur fides, quam de certa atque indubitata beatitudine habemus veterum ſanctorum, qui non leguntur à Summis Pontificibus nominatim canonizati.

Quod enim auctor dicit in explicatione ſuæ primæ concluſionis, Epiſcopos potuiſſe canonizare antequam Summi Pontifices id ſibi reſervarent, novum eſt & periculoſum: vera enim & abſoluta canonizatio, quæ toti Eccleſiæ ſanctos colendos proponit, & quæ certam fidem facit, nunquam ad Epiſcopos particulares pertinuit; nec id ſibi Summi Pontifices reſervarunt, ſed ad eorum poteſtatem proprie pertinet, cui pertinent omnes aliæ cauſæ majores, & qui contra ſentit, ut certe videtur auctor ſcripti ſentire, vel dubiam reddit canonizationem ſanctorum, vel Epiſcopos pares Summis Pontificibus facit. Hactenus Bellarm.

Vt autem res iſta, quæ graviſſima eſt, in hac materia mature diſcutiatur ut par eſt, altius repetendam judico ex Martyrologii Romani authoritate, à qua pendet conſenſus implicitus Sedis Apoſtolicæ, proponendi toti Eccleſiæ colendos Martyres, quos Martyres declaravit aliquis particularis Epiſcopus in ſua Diœceſi, qui, ut optime Bellarminus, non poteſt legem univerſalem ferre, cujus contrarium nullus Catholicus ſentire poteſt.

De hoc aſſumpto latiſſime Ioannes Molanus Doctor & Theologus Lovanienſis, in libello de Martyrologiis, & eruditiſſime Cardinalis Baronius in tractatu præambulo ad Martyrologium Romanum, ubi totum hoc negotium ab incunabulis eruit, tractat, determinat: originem martyrologiorum, quis primus compilator, quis primus auctor Martyrologii Romani; ſed non enodat quantæ ſit authoritatis, quamvis ex ibi dictis ego inferam.

Igitur Martyrologium Romanum (quicumque fuerit ejus primus auctor, de quo Baronius ubi ſupra cap. 4 & 5. Bartholomæus Gavantus in commentariis Rubric. Breviarii ſect. 5. cap. 21. qui dicit in Breviariis antiquiſſimis manuſcriptis dici Datarium Kalenda.) habere irrefragabilem authoritatem, & ſine ingenti temeritate & ſcandalo graviſſimo Sanctos ibi contentos, Martyres & Confeſſores univerſali Eccleſiæ eſſe colendos cultu publico & univerſali, propoſitos ex approbatione expreſſa Summorum Pontificum, qui illos univerſaliter decernunt, dum ordinant Martyrologium in univerſa Eccleſia legi ad primam, & olim fiebat ad Miſſæ ſacrificium, ut conſtat ex Auguſtino ſerm. 17 de verbis Apoſtolorum, cap. 1, ſed non univerſe, ſed in aliquibus Eccleſiis, ſed à tempore Divi Gregorii Martyrologium Romanum univerſæ Eccleſiæ erat propoſitum. ſic enim ait lib. 7, indict. 1. epiſtola 29 ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum: *nos pene omnium Martyrum diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum venerationem Miſſarum ſolemnia agimus; non tamen eodem volumine, quis, qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantum locus & dies paſſionis ponitur. unde ſit, ut multi è diverſis terris & provinciis per dies, ut prædixi, ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. ſed hæc habere vos beatiſſimos credimus.* Hæc Gregorius primo, & poſtea Gregorius XIII. idem Martyrologium approbavit proprio diplomate anno 1584, die 14 Ianuarii, Pontificatus ſui anno 12. & tamen Vrbanus VIII, ut notat Gavantus ubi ſupra n. 7. juſſit, ut augeretur Martyrologium ex Sanctis denuo canonizatis, non tamen Beatificatis, uti cenſuit S. Rit. congreg. ſub die 30 Iulii anno 1626. unde Martyrologium Romanum correctum à Baronio, & toti Eccleſiæ ex juſſu Summorum Pontificum, & ſanctitas Martyrum & Confeſſorum ab omnibus veneratur, & quædam Apoſtolica conſtitutio, qua omnes illi canonizantur canonizatione univerſali, quæ infallibilis eſt: enim lecto illo Martyrologii, quæ fit ad primam ex mandato Pontificio, quidem cultus eſt univerſalis, ſiquidem fit in tota Eccleſia.

III. Conveniunt omnes, hanc poteſtatem ferendi publicum teſtimonium de vero martyrio, & de ſanctitate alicujus viri vita functi, hodie ſolum eſſe apud Romanum Pontificem *privative*, quoad omnes alios etiam Concilium generale, conſideratum ſine Papa, etiam Legatum à latere, etiam ſi canonizatio ſit particularis, quæ dicitur, Beatificatio. ſic determinat Innocentius III. cap. audivimus de Reliquiis, & veneratione Sanctorum. & tenent omnes Canoniſtæ ibi, & Theologi cum Divo Thoma 2. 2. q. 1. art. 10. & ita dixit Innocentius III. cap. citato, *Quod non licet aliquem venerari pro ſancto abſque authoritate Romanæ Eccleſiæ, etiamſi per ipſum miracula fierent.* gloſſa tamen ad caput unicum, eodem in 6. hujus veritatis multiplicem tribuit rationem: I. *Quia iſta eſt una de majoribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponi poſſit, & ſic eſt ad Sedem Apoſtolicam deferenda, capit. Majores de Baptiſmo.* II. *Quia miracula tribuuntur fidei. hæc igitur quæſtio, cum ſit de fide, præcipue eſt ad Sedem Apoſtolicam referenda.* III. *Quia ad Papam ſpectat declarare dubia Scripturarum. Ergo multo fortius dubia ſanctitatis, quia circa majora majus periculum vertitur.* IV. *Ne propter multorum Epiſcoporum ſimplicitatem populum decipi contingat. ſupra cap. 1 & 2. eodem titulo 5. ne in infinitum contingat ſanctos multiplicari, & ſic devotionem frigeſcere, & ſanctitatem vileſcere.* hactenus gloſſa, comprehendens breviter quid alii dixere.

Dubitabis, quando incipit Pontifex Summus auferre ab Epiſcopis poteſtatem canonizandi in ſuis diœceſibus, & ipſe ſolemniter cœpit canonizare, Innocentius III fuit primus, qui conſtitutione Apoſtolica abſtulit ab aliis ſibi & Sedi Apoſtolicæ inferioribus hanc poteſtatem cap. audivimus citato. & idem fecit Alexander III, quantum ad venerationem reliquiarum, & hoc Pontifices fuiſſe Primos qui prohibuerunt, ne aliquis coleretur ut ſanctus, ſine licentia Summi Pontificis. ex tunc enim Epiſcopi non potuerunt aliquem canonizare, etiam particulari canonizatione. verum ante ipſos Ioannes XV, circa annum 993, incepit id determinare bulla quæ incipit, *cum conventu* 3. ad nonas Februarii, apud Laërtium Cherubin. in bullario novo tomo 1. pag. 9. alias pag. 43. & Cœleſtinus III, conſtitutione quæ incipit, *Benedictus*, nonis Martii 1193, ſtatuit canonizationem ſanctorum conſulto eſſe procraſtinatam.

Sed quis fuerit Summus Primus Pontifex, qui peculiari bulla ſolemniter canonizaverit? exiſtimo quod non fuerit Innocentius III, cum Innocentius II anno 1134, decimo Kalendas Maji, canonizaverit Hugonem Epiſcopum Gratiopoli, bulla quæ incipit *divinis*. & ante ipſum Paſchalis II canonizavit Petrum Epiſcopum Anagni. bulla quæ incipit, *Dominum*, 2 *nonis Iulii* 1110. & poſt Alexander III canonizavit ſanctum Bernardum Abbatem, bulla quæ incipit., *contigit*, 15 Kalend. Februarii 1164. anno 1161 canonizavit idem Alexander ſanctum Eduardum Regem Angliæ, bulla quæ incipit, *Illius*, & poſtea anno 1198, undecimo Kalend. Ianuarii, Innocentius III. canonizavit Homobonum Cremonens. exiſtimo igitur Innocentium III, & Alexandrum III, fuiſſe primos, qui prohibuerunt Epiſcopos canonizare, & reliquias venerandas populo proponere ſine authoritate Summi Pontifices, quamvis

quamvis ante ipsos Præfati quos numeravimus canonizaverunt canonizatione generali, & ante hos annos 800 Leo III. canonizavit S. Gibertum.

Dubitabis 2. Poteſtne Pontifex delegare alicui Martyrum canonizationem & beatificationem confeſſorum? Reſpondetur abſolute non poſſe, quia poteſtas definiendi infallibiliter ſoli ſedi Apoſtolicæ eſt conceſſa, & illi eſt promiſſa aſſiſtentia Spiritus Sancti, ita ut non erret aut non poſſit errare in decreto, & determinatione pro tota Eccleſia. ita Aragon 2. 2. q. 1. art. 10. tractatu de Conciliis, §. tertia concluſio Bañez dub. 4 §. qua propter, & in præſenti materia Caſtro de juſta hæreticorum punitione lib. 1, cap. 6. Contellorius in additionibus ad Caſtell. de canonizatione q. 3. art. 2. n. 4. Angelus Poſius de canonizatione cap. 4, qui duo addunt, quod neque Concilium generale ſine interveniente Summi Pontificis ſpeciali auctoritate. exiſtimo tamen, quod Concilium provinciale, aut nationale ex eadem auctoritate ad ipſum poſſet: multa enim ſunt Concilia provincialia auctoritate Pontificis confirmata & congregata, quæ res definiverunt de fide, aſſiſtentibus Legatis Apoſtolicis cum ſpeciali Summi Pontificis inſtructione ad illas definitiones faciendas. certum tamen mihi eſt, ut tradidi in materia de Conciliis, quod ſi Pontifex ſpecialem delegationem non fecerit ad aliquem Sanctum, vel Martyrem canonizandum, id non poſſe Concilium etiam generale, etiam cum Legato Apoſtolico congregatum; quia in his rebus legati & Concilium non poſſunt ultra inſtructionem & delegationem expreſſam quam habent, & ita ſi eam non habuerunt ad canonizandum, non poterit Concilium id præſtare.

An vero Pontifex poſſit errare in canonizatione, vel Sanctorum prima & ſecunda beatificatione, vel ſaltem ex ignorantia, vel an ſit de fide quod ſanctus canonizatus ſit in gloria, vel homo publice damnatus à Pontifice ſit de fide, quod ſit in inferno, ſicut Origenem damnavit Gelaſius Papa, cap. ſancta Romana diſt. 16. non eſt hujus loci & tractatus. Legantur Divus Thomas quodlib. ult. art. ult. Bañez, Aragon, Torres locis citatis. unum tamen adverto, quod in prima ſpecie beatificationis, qua nominatur dumtaxat quis *Beatus*, non poteſt dici de ipſo ab aliquo officium aut Miſſa, quia indultum hoc non extenditur ultra id quod exprimit, & non exprimit, niſi quod nominetur *Beatus*, non vero quod de ipſo fiat publicum officium aut celebretur Miſſa; & qui contrarium fecerit, non ſolum peccat mortaliter, ſed poteſt graviter puniri, an vero iſta teſtimonia publica differant ſubſtantialiter, vel ſolum accidentali cæremonia, non pertinet ad rem præſentem, & alibi latius contra Torres dixi ſubſtantialiter differri.

§. 9. *De ſanctorum Martyrum imaginibus.*

ICONOMACHORUM hæreſis omnem omnino imaginem tam Dei, Chriſti, Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, tam Martyrum, quam Confeſſorum venerari cultu religioſo negavit; contra quam ſemper pugnavit ſancta Mater Eccleſia, ſanciens & definiens ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum dulia ſancta eſſe venerandas, Chriſti & Dei latria, Beatæ Virginis hyperdulia, ut tenent omnes Scholaſtici & expoſitores. Divus Thomas 3 p. q. 25. art. 3 & 4. ubi docte Vaſquez, Suarez, Magiſter Lorca, & ſatis erudite & compendioſe Ioannes Molanus in Hiſtoria ſanctarum imaginum & picturarum lib. 1, cap. 2 & 3. ubi de origine & primo auctore hujus hæreſis, quam pertinaciter ſequuntur hujus temporis novatores; contra quos omnes à tempore Conſtantini uſque in hodiernum diem, per varia Concilia & decretales epiſtolas veritas catholica ſtabilita eſt. & ſic ſacroſancta Tridentina Synodus ſeſſione 25. in decreto de ſanctis imaginibus ſic determinat: *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia ſit in imaginibus figenda veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudines gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicenæ Synodi decretis, contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.* Quibus verbis tota doctrina Catholica de ſacrarum imaginum cultu graphice, adæquate tamen & vere, continetur. id autem quod in contrarium objicit Calvinus ex auctoritate Concilii Illiberitani, jam ſupra digreſſione prima abunde diluimus ſectio 5.

Solum adverto, quod quamvis eodem motu adorationis tendamus in imaginem & prototypon, ut egregie enodat ſanctus Thomas ubi ſupra art. 1. & ibidem Dominus Cajetanus, tamen præter iſtum motum eſt alius in imaginem, non terminatus ad prototypon directe, primo & per ſe; ſed ad ipſam imaginem, quatenus eo ipſo quod ſignificat & repræſentat prototypon, eſt dicata & ordinata ad divinum cultum, & ſic ei debetur quædam reverentia quæ ad Deum refertur, ut ait Divus Thomas 2. 2. q. 99. artic. 1. quam reverentiam imaginibus exhibitam ſeptima Synodus act. 2, 3 & 4. appellat *honorariam adorationem*, quæ longe inferior eſt quam quæ debetur imagini ratione prototypi, quando ſimul cum illo unico motu adoratur. & quidem quod hic honor datus imagini terminanti motum honorationis, debeat dici adoratio, conſtat ex ſeptima Synodo, actio. 4. ubi refertur ſententia Anaſtaſii Epiſcopi Theopoleos: *Quid aliud eſt quam honoris alicui exhibiti, veluti emphaſis adoratio?* ex qua ſententia colligit Taraſius: *Omnes igitur qui ſacras imagines venerari confitentur, adorationem autem recuſant, a ſancto Patre tanquam Hypocritæ redarguuntur.* de quo egregie Suarez, ubi ſupra diſp. 64 ſect. 5 contra Vaſquez tractatu de adoratione.

Hæc generalis doctrina certa cum ſit, deveniendo ad ſanctorum Martyrum imagines, antiquiſſimum fuit in Eccleſia Catholica, eorum martyria & agones pingere (nullius tamen, niſi vindicati & probati pro vero Martyre ea approbatione quæ tunc temporis ſufficiebat, epiſcopali ſcilicet, ut ex Baronio ſupra edixi.) ita liber de Romanis Pontificibus in Sylveſtro, & lib. de munificentia Conſtantini, ſanctus Paulinus Nolanus epiſtola 22 ad Severum. Auguſt. de conſen. Euang. lib. 1. cap. 10, & lib. 22 contra Fauſtum cap 73. Baſilius oratione in ſanctum Barlam. Niſſenus oratione in Theodor. Prudentius Hymno de ſancto Caſſiano. Evodius Vzelens. lib. 2 de miraculis ſancti Stephani; immò non ſolum de Martyribus jam vita functis imagines pinxiſſe, ſed etiam ipſis viventibus imaginibus honoraſſe conſtat ex Baronio tomo 1, ad annum Chriſti 61, pagina mihi 630. Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ipſis viventibus imagines coloribus effigiaſſe, quod teſtatur Euſebius lib. 7 Hiſt. cap. 14, his verbis: *Nos*

Petri

Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatasque aspeximus, idque propterea, sicut verisimile est, quod majores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem quam proximi accedentes, eos, qui tanquam salvatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidii obtulissent, apud se honore in hunc modum afficere consueverant. Hæc Eusebius.

Et sanctus Paulinus, qui, ut ipse fatetur epistola 6 ad Severum, cum esset Barcinone, vi multitudinis correptus Presbyteratu initiatus, in illa civitate, & alibi in Hispania (ubi diu versatus fuit) imaginibus martyrum refertas plures erexit Ecclesias, ut ipse fert testimonium epistola 12 ad eundem. & in 7 Synodo, act.6. tom.1, sic fatur Epiphanius: *Christianorum cœtus divina æmulatione ducti, templa construxerunt partim Christi nominis gratia, partim sanctorum martyrum causa. atque illi quidem Historiam humanæ Christi dispensationis in illis pinxerunt, hi vero martyrum gestis effigiandis operam collocarunt, alii id tabulis expressere quo martyrum memoriam in oculis perpetuo ferrent.* & sane evidenter hæc ad nostra usque tempora ostenduntur, durabuntque per secula, quamvis amaritudine & bili hæreticorum linguæ contra Ecclesiam & sex Synodos universales flagrent. Infra adducam Patrum testimonia. imo tam hodiernus, quam antiquissimus mos fuit effigies & imagines sanctorum Martyrum & Confessorum, ut eorum devotio magis ac magis incresceret, in monetis insculpere; sic in moneta argentea Romana Iuliorum & testorum, ponuntur effigies sancti Petri & sancti Pauli, in Vrbinate sanctus Franciscus. & antiquitus, mortuo Lucifero Calaritano Primate fuit cusa moneta & numisma antiqui metalli, ex una parta hæc habet verba *B. Lucifer. S.* ex alia Aquilam insculptam, & in circulo, *felix Calaris.* quod numisma egregie extricant D.Ioseph. Maria Suaresius Episcopus Bassionensis, id confirmans ex multis numismatibus, in quibus sanctorum Martyrum & Confessorum erant imagines. Horatius Quarunta Societatis Iesu, specialibus lucubrationibus de hac re editis, & relatis à Machin p.1. Apolog. pro sancto Lucifero. cap. 37. & 38. & Molanus infra citandus lib. 2. cap. 63. plus quam triginta numismata diversarum civitatum & Regnorum adducit, in quibus sancti Martyres & Confessores erant sculpti ad venerationem.

Circa aliquas sanctorum Martyrum, Christi Domini, & Deiparæ imagines & picturas multa erant hic adnotanda, nisi majori ex parte adnotasset doctissimus Ioannes Molanus, in Historia sanctarum imaginum & picturarum pro vero earum usu, contra abusus. toto lib.2. 3. & 4. duo tamen vel tria adnotabo. Primum. Concilium Tridentinum sessione 25 decreto citato, post medium, sapienter adnotare: *in has autem sanctas & salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus cupit vehementer, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur,* &c. Et jure quidem optimo, & sancto zelo Patres Tridentini hoc ardens habent desiderium abolendi imaginum abusus, sicut sancta Mater Ecclesia simile vehemens desiderium habet omnes mali dogmatis libros à filiorum manibus auferendi. quid enim differunt picturæ ab scripturis? quid est aliud scriptura quam picta scriptura? unde etiam Græce ζωγραφία, hoc est, viva scriptura dicitur, ut adnotat Beda, tom. 8. lib. de templo Salomonis, cap. 19. unde picturæ dicuntur laicorum & idiotarum libri. quod doctis sunt libri, hoc legere non valentibus sunt picturæ & imagines.

II. Notato, quod, ut sanctorum Martyrum imagines adorentur, tam adoratione honoraria illis propria, quam adoratione Prototypi, non est necessarium, quod sacro oleo ungantur, aut Chrismate, aut aliquo modo benedicantur ab Episcopo, aut alio quovis ministro Ecclesiæ. quamvis enim in sacerdotali p. 2. cap. 7. & 8. sint speciales benedictiones imaginis Crucifixi, Virginis matris, & aliorum sanctorum; unde Adrianus I. in epistola ad Carolum Magnum, quæ habetur tom. 3 Concilior. dicit p.2. sect. 1. cap. 39. *fideliter & veraciter dicimus & probamus, quia usus sanctæ nostræ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fuit & est, quando sacræ imagines vel Historiæ pinguntur, ut prius sacro chrismate ungantur, & tunc à fidelibus venerantur.* hoc, inquam, non obstat, quia, ut optime Sanderus lib. 2 de honoraria imaginum adoratione contra Centuriatores, & docuit Divus Thomas 2. 2. loco citato, imagines sanctorum absque omni benedictione & unctione sanctæ sunt & sacræ, quia res sanctas & sacras significant. quod de imagine & figura sanctæ crucis ex sententia Epiphanii dixerat Synodus Nicena secunda, actione 6, *Multa enim* (inquit) *quæ apud nos sacrata sunt, sacram precationem non accipiunt,* &c. id est, *unctionem*, quia ex sua significatione sacra sunt. Tempore tamen Adriani imagines benedicebantur, & chrismate ungebantur ex cæremonia tunc in viridi observantia existente, ad occludenda hæreticorum ora, ne viderentur imagines & picturæ, à manibus artificis ortæ, ad honorariam adorationem transferri, sed jam veritate patefacta, ut imagines sic adorentur hac unctione non indigent, sed significatione ad prototypum elevantur & hujusmodi veneratione sunt capaces.

III. Moto, ita Deo placuisse Martyrum picturas & imagines, quod multas de cœlo miserit, & prototypa è cœlo venientia similitudinem cum picturis expressisse. de imagine sancti Stephani narrat synchronos Aug. Evodius Vzalensis Episcopus, & habetur tom.10. Augustinus in Appendice & actione 4. septi. Synodi. visi sunt sancti Cosma & Damianus Medici tremendi. & in sancti Athanasii templo idem sanctus apparuit simillimus suæ imagini, & multa alia exempla in Historiis Ecclesiasticis passim invenies. unde sanctus Basilius orat. 18, quæ est de sancto Barlam, sic loquitur: *O clari athleticorum recte factorum pictores exurgite, obscurius à me corona dignum virum adscriptum coloribus artis vestræ lucidum & splendentem facite, in ostendendis præclaris facinoribus Martyris victrix habeat pictura? gaudeo in hoc certaminis genere me vobis esse inferiorem. Videam manus exactissimum opus, quo certamen pingitur. Videam clariorem pictum in vestræ imagine pugilem: Lugeant Dæmones claris Martyris facinoribus per nos ostensis attoniti.* Et sanctus Gregorius Nyssenus oratione de Theodoro Martyre, elegantissime sic fatur: *Induxit pictor flores artis in imagine depictos fortia facta; Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes Tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem, beatissimam consummationem athletæ, certaminum Præsidis Christi humanæ formæ effigiem, omnia tanquam in lib. quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens certamina atque labores, Martyres nobis expressit, ac tanquam pratum amœnum & floridum templum exornavit.* Quid ergo garriunt hujus temporis hæretici, contra tam manifesta & antiqua Patrum & Historiarum testimonia?

Molanus lib. 2. cap. 28. (id dico obiter propter devotos) dicit: *erronea pictura est, & quidem nimis crassa, quæ exprimit Salvatorem coram Patre suo orantem, genibus flexis super patibulum crucis.* talem habemus nos in

in hac nostra Hispalensi Domo satis apprime depictam. id probat ex Nazianzeno oratione 36, quæ est 4 de Theologia, dicente: *Paraclitus Iesus non supplicantium servorum more ante pedes Patris pronus volvitur ejusque genibus accidit. Apage hanc vere servilem & spiritu indignam cogitationem. Neque enim hoc deposcere Patris est, neque filii in se admittere. Orat quidem Christus Patrem, sed neque humiliando se, neque supplicando*, &c. Sed hæc imago, cum apud doctos & pios in usu sit, non est cur dicatur erronea. Christus enim in horto genibus flexis ad patrem orationem fundens in universa Ecclesia depingitur. neque authoritas Nazianzeni obstat: loquitur enim contra hæreticos, qui Christum purum hominem & servum purum faciunt. Non enim servorum more petit à Patre, sed filii amore supplicat pro nobis, ostendens vulnera & mortis instrumenta, quæ pro nobis tulit. oravit enim Christus ad Patrem, & modo etiam proprie pro nobis orat.

§. 10. *De Martyris non vindicati imagine & cultu.*

Circa sanctorum Martyrum imagines duo sunt vitanda extrema: I. ne Martyris vindicati pictura aboleatur & prohibeatur, nisi maturo adhibito consilio superiorum, cui incumbet videre, an scandalum inde pusillorum & infirmorum sequatur. quare in corrigendis circa imagines ac picturas abusibus nihil est privata auctoritate attentandum, sed zelus discretione est condiendus. neque enim cujuscumque Parochi ita est prudentia probata sicut Ezechiæ Regis, qui 4 Regum 18. vers. 20. serpentem æneum à Moyse jussu Dei fabricatum confregit, de quo extat elegans epistola sancti Gregorii Magni lib. 9. epist. 9 ad Serenum Episcopum Massiliensem; quam ad verbum refert Molanus lib. 2, cap. 24. II. extremum vitandum est, ne alicujus Martyris vel Sancti nondum vindicati & approbati imago & pictura veneretur cultu Religione. utrumque extremum nobis proposuit fugiendum Concilium Tridentinum sessione 25. in decreto de veneratione Sanctorum & imaginum I, illis verbis: quod *si aliquis dubius aut difficilis abusus sit stirpandus, vel omnino aliqua de his rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet; ita tamen, ut nihil inconsulto Romano Pontifice novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

II. Proposuit ibidem his verbis: *Postremo tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut præpostere & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Hæc, ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel in Ecclesia, etiam quomodo libet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Hæc ibi: circa utriusque extremi vitandi verba videndi sunt Bellarminus. ibi in observatione doctri. Barbosa in Collectan. D D. anno 4. Majolus Episcopus Vulturanus, in tractatu de sacris imaginibus dicatus ad Sixtum V.

Cæterum circa hoc extremum Vrbanus VIII, se conformans Concilio, edidit publicum decretum in generali Congregatione sanctæ Romanæ & Vniversalis Inquisitionis, anno 1625 die 7 Octobris, in quo sic habetur: *S. D. N. sollicite advertens abusus qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum sanctitate aut martyrii fama vel opinione defunctis: qui, etsi neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in oratoriis atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis ac radiis seu splendoribus proponuntur, miracula & revelationes aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum narrantur, & ad eorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur; volensque proinde hujusmodi abusibus pro debito officii Pastoralis occurrere, tamen cum Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & mature considerata ac discussa declaravit, statuit & decrevit.*

I. *Ne quorumvis hominum cum sanctitatis ac martyrii fama (quamacumque illa sit) defunctorum imaginis aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem & cultum præferens & indicans, in oratoriis aut locis publicis seu privatis, vel Ecclesiis tam secularibus quam regularibus, cujuscumque religionis, ordinis, instituti, congregationis aut Societatis, apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ apposita sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.*

II. *De cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui sanctitatis sive martyrii fama vel opinione, ut præfertur, celebris è vita migraverint, gesta, miracula, sive revelationes, sive quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continenetes. sine recognitione atque approbatione ordinarii, qui in his recognoscendis Theologos aliosque pios & doctos viros in consilium adhibeat; &, ne deinde fraus aut error aut aliquod novum ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. revelationes vero & miracula aliaque beneficia supra dicta, quæ in libris horum hominum vitam & gesta continentibus, hactenus sine recognitione & approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.*

III. *Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit Tabellas atque imagines ex cera aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas atque sculptas appendi seu affigi, & lampades, sive alia quæcumque lumina, sine recognitione ab ordinario omnino facienda, Sedique Apostolicæ referenda ac probanda.*

IV. *Declarat, quod per supra dicta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia sanctæ Apostolicæ vel ordinarii coluntur.*

V. *Vt præmissa diligentius observentur, universis & singulis tam Ordinariis quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, districte præcipit, ut in sua quisque diœcesi vel provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant, & assignat pœnas contra transgressores, sive regulares sint, sive seculares, contra impressores, pictores, sculptores, cæterosque artifices, vel contra eos qui affixerint, vel contra dicta qualitercumque deliquerint.*

VI. Determinat, *quod hujusmodi decretum, vel ejus exemplar ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum urbis affixum omnes proinde arctet & afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.*

VII. Declarat, quod, *sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem receptionemque tabellarum & imaginum hujusmodi, ita ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum & decer-*

decernit, ut, quoties ad aliquam Ecclesiam, vel oratorium locumve publicum alium, secularem seu regularem tabellas, vel imagines aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrasse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum locorumve prædictorum curæ Præpositis tabellas & imagines, sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque qui conscii fuerint, attestationibus recipere, atque approbantibus ordinariis, ad quos referre omnia statim teneatur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia, loco, custodire, ibique jam amota collocare & asservare, ut, si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent cujuscumque sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscumque non obstantibus, &c. cujus decreti authenticum exemplar invenies apud Barbosam de potestate Episcopi, allegatio 97. & ad cap. cum ex eo, de reliquiis & veneratione Sanctorum.

§. 11. *Notanda circa Decretum Vrbani Octavi de pingendo & venerando Martyre non vindicato.*

Et quidem tanquam basim & fundamentum dicendorum adnotandum est, decretum hoc & constitutionem Vrbani admissam esse in Hispaniarum Regnis à supremo Inquisitionis consilio, particulari sanctione facta ab illustrissimo Domino D. Antonio de Soto major, generali Inquisitore anno 1633, die 29 Octobris. ubi inter alias constitutiones ad sacrum Tribunal sancti officii hoc decretum & constitutionem admittit, mandans quod quotannis in universis Religionibus Catalogus harum constitutionum legatur in capitulis feria 6. post Octavam Assumptionis, ut prius decreverat Vrbanus Octavus die 14 Aprilis 1633, incipit *Sanctissimus*.

Numero I. dicit Pontifex, quod nihil quod cultum præ se ferat aut indicet, Martyri aut Confessori nondum vindicato per Sedem Apostolicam deferatur. duplex cultus notatur ab Auctoribus ad caput primum de reliquiis, & veneratione Sanctorum: publicus & privatus; sed quomodo differant non est eadem omnium sententia. & quidem Thomas Sanchez lib. 2 Summæ, n. 3 dicit, secutus Bellarminum lib. 1 de sanctis, cap. 10. Augustinus de Ancona in Summa, q. 19, art. 5. sentiunt, quod dicitur publicus & solemnis cultus, non eo quod coram aliis exhibeatur, sed ille qui totius Ecclesiæ nomine, & tanquam ab ea institutus, exhibetur ad colendos sanctos vindicatos, & probatos à Sede Apostolica. cultus autem privatus est vel qui fit secreto, vel qui non est specialiter institutus ab Ecclesia ad honorem sanctorum, de quibus tulit publicum testimonium, quod sint in beatitudine. quare cultus privatus erit, qui, licet fiat coram multis & à multis, fit quasi singulariter à quolibet, quia ex Ecclesiæ ordinatione non conveniunt in unum ad colendum talem virum, quem sanctum judicat quilibet judicio particulari, non publicæ potestatis, sed cujuscumque devotionis, quæ si in multis de civitate & regno reperiatur, & generat famam publicam, & ex illa sumitur ansa & occasio canonizandi & beatificandi publico & irrefragabili Ecclesiæ testimonio. & quidem quod coram multis possit aliquis verum vocare Martyrem, quem ex relatione habet mortuum pro Christo, & sanctum nominare, constat ex Nazianzeno in vita sancti Athanasii, Divo Hieronymo in vita sanctæ Paulæ, & Divo Bernardo in vita sanctæ Malachiæ, sancti ab illis dicti ante canonizationem etiam Episcopalem.

Quod verò id possint multi præstare, constat ex Francisco Patavino in oratione pro canonizatione sancti Leopoldi, Austriæ habita coram Innocentio Octavo, anno 1484. ex Innocentio Tertio in Bulla canonizationis sancti Homoboni, & ex Innocentio Quarto in literis remisionalibus ad effectum canonizationis sancti Stanislai, & constat ex constitutione Vrbani VIII. supra n. 7. si enim fama est quod quis est Martyr aut Sanctus, licitum erit uti privatim hoc nomine. unde tam Vrbanus quam antiquiores Pontifices, Innocentius Tertius, & Alexander Tertius, solum prohibent sancto Martyri non vindicato cultum publicum, hoc est, ab Ecclesia institutum ad colendos Martyres. ita Carena §. 12 citato, n. 48 & 49. Azor. p. 1, lib. 9, cap. 8. q. 8. Torres 22. disp. 17. dub. 9. & Summistæ verbo Canonizatio. ubi Sylvester, Angelus, Tabiena, & alii Canonistæ cum glossa; cap. unico. de reliquiis & veneratione Sanctorum. in 6. verbo *Sedis*. Quare, quando Vrbanus Octavus prohibet quidquid cultum præ se ferat aut indicet Martyri non vindicato, loquitur de cultu publico, & ab Ecclesia instituto.

Ex quo constat, quod, si cultus sit publicus, neque in loco privato & secreto, potest sancto non approbato publice ab Ecclesia deferri. ita expresse in decreto Vrbani, ibi, in locis publicis aut privatis. sic contra Bellarminum tenent Carena n. 50. & alii; & Sanchez n. 6, dicit: *se id non audire affirmare.* & nondum viderat decretum Vrbani id prohibens, quod nec vidit Molfesius consilio 45. an. 33. & sic non est audiendus. hæc enim imago cum radiis est signum institutum ab Ecclesia, ad denotandum aliquem esse Sanctum & Martyrem judicatum publico testimonio Pastoris Summi. quod enim secreto retineatur, est per accidens, cum per se sit publicum testimonium Ecclesiæ ad hoc institutum.

Colligitur II. non licere ponere in altari imaginem Martyris non vindicati, simul cum imagine Sancti approbati, in memoriam beneficii ab illo recepti, vel ad ornatum altaris simul cum aliis imaginibus. est contra Sanchez n. 6. quod probat n. 17. ex verbis Iurisconsulti leg. & si non sunt. §. perveniamus. D. de auro & argento legato: *semper cum quærimus quid cui cedat, illud spectamus quod cujus rei ornandæ causa adhibeatur, ut accessio cedat principali.* ubi Bartol. n. 1. & Doctores colligunt, *cum unum est propter aliud, id solum propter quod est considerari, quia, ut ait Philosophus, ibi est unum tantum.* Sed si altare publicum est in Oratorio aut in Ecclesia situm, id nullatenus licet ex decreto Vrbani Octavi n. 7. ubi id expresse prohibetur. si tamen sit altare instructum devotionis causa, & imago sit sine radiis & diademate, puto id non prohiberi, quia Pontifex loquitur de loco publico; in hoc tamen privato altari non licet habere imaginem Martyris non vindicati, etiamsi in illo non celebretur, si tamen imago sola sit (& nulla alia sancti approbati) cum lampade & luminariis per se ad illam illuminandam positis. ita decretum Vrbani n. 1 & 3. si enim ad corpus sancti non vindicati prohibet lampades & luminaria accendi, multo magis ad eorum imagines. accensio enim lampadis & luminarii coram aliquo, signum est publicum cultus & reverentiæ, etiam apud prophanos Auctores.

Colligitur III. non licere Episcopis publicum diem festum instituere pro aliquo Sancto non vindicato.

dicato. quamvis enim decretum Vrbanum nihil de festo dicat, & in capite finali de feriis, & cap. 1 de consecratione, distinct. 3. permittatur Episcopo diem festum instituere; ast communis sententia, quam defendit Sanchez, hanc permissionem intelligit de sancto Vindicato per beatificationem aut canonizationem, non tamen per canonizationem ratione nominis solius, sed si sit per beatificationem simul cum recitatione Officii & Missa, pro aliqua Provincia aut religione, potest solum festum indici pro illa religione, oppido aut civitate, &c.

Colligitur IV. contra Sanchez num. 8. non esse obligatorium votum, si quis voveat jejunare aut à servilibus abstinere, recitare coronam virginis, Missamve audire in honorem & venerationem alicujus Martyris aut Confessoris non vindicati. ratio est perspicua: quia votum non est de re secundum se indifferenti, sed semper debet esse de re in his circumstantiis meliori. quare debet esse de re quæ secundum se sit bona, & cedat in cultum determinatum Dei, quem respicit religio, cujus actus est votum. atqui sanctitas hominis non vindicata ab Ecclesia non mihi constat certo ita esse. ergo in ejus honorem & cultum non possum me obligare voto, etsi possim privatim in illius memoriam preces fundere: preces enim habent suum particularem effectum, etiamsi sanctitas illa non subsistat; at votum, cum sit lex quædam particularis, lex ista non obligat, nisi constet de ejus materia. non autem constat sanctitas non vindicata testimonio Ecclesiæ. quare nec potest quis sibi festum constituere, ita ut mortaliter peccet, si non abstineat ab operibus servilibus in memoriam sancti non vindicati.

Colligitur V. nullum cultum publicum nec in secreto posse deferri sancto non vindicato per Sedem Apostolicam. ita toto titulo de Reliquiis & veneratione sanctorum. & capite unico. in 6. eodem titulo, duplex est solemnis cultus, alterque exigit ministrum Ecclesiæ publicum, ut sacrificium Missæ, consecratio altaris; & juste nec in secreto potest deferri Martyri non vindicato, ut omnes conveniunt, & est ita certum, ut contrarium sit error. Alius est cultus publicus, qui talem ministrum non requirit necessario, ut sunt Litaniæ & Horæ canonicæ. & istæ, ut dispositæ ab Ecclesia, non possunt dici etiam secreto in honorem alicujus sancti non canonizati aut vindicati ab Ecclesia; quia istud officium, ut ab Ecclesia dispositum, est cultus publicus, qui ex omnium sententia deferri nequit Martyri non approbato. ita Torres ubi supra, dubio 12. qui addit unum aut alterum Psalmum non secreto ordine Ecclesiæ in officiis Sanctorum posse dici in honorem & memoriam sancti non vindicati. ego dico, quod totum Psalterium Davidicum, sicut potest integrum Rosarium.

Sed numquid aliquod oppidum, civitas aut Regnum poterit instituere aliquam festivitatem non Ecclesiasticam, sed civilem, ut ludum taurorum, cannarum, & similem in memoriam beneficiorum, quæ judicat accepisse ab aliquo Martyre aut Sancto nondum vindicato? hæc enim festivitas non est cultus publicus ab Ecclesia institutus, quem solum esse prohibitum exhiberi Sancto non approbato, diximus ex communi sensu Doctorum. non vidi aliquem disputantem hoc punctum; existimo tamen salva meliori sententia id fieri non posse: quia, etsi cultus iste sit civilis, tamen est publicus, exhibitus intuitu religionis & sanctitatis, quæ nondum est vindicata, quæ saltem indirecte publice significatur.

Circa numerum secundum ejusdem decreti Vrbani notandum, quod, etsi ea quæ ibi referuntur scripta per modum Historiæ, imprimere non liceat, nec impressa habeant authoritatem approbativam, tamen possunt imprimi per modum memorialis ad SS. D. N. Summum Pontif. ut ea perquiri faciat & verificari.

Circa numerum III noto, antiquissimum fuisse morem in Ecclesia, ad Martyrum sepulchra vota, lampades, luminaria, & alia pretiosa ornamenta, quibus honorabilissima, & quasi immortalis reddebatur eorum memoria. ad quod elegans testimonium induco Theodoreti lib. 8. de curatione Græcarum affectionum. ubi postquam præmisit quod sepulchra Xerxis, Darii, Alexandri, Augusti, Vespasiani, & similium, aut omnino ignorantur aut obscura sunt, subjungit: *Martyrum vero templa conspicua cernuntur, magnitudineque præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quodammodo pulchritudinis suæ late fundentia: quicumque homines prospera sunt valetudine, conservari eam à martyribus petunt; qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt: insuper viri & mulieres dari sibi filios petunt; qui vero parentes sunt, integra sibi & prospera custodiri, quæ consecuti sunt dona. Item qui peregre abibi proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces; qui vero jam sospites redierunt, gratias agunt acceptum beneficium confitentes, non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquam divinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum advocent ac precentur; pie vero fideliterque precatos testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt ex argento auro ve confecta. gratissime namque accipit eorum Dominus qualiacumque sunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cujus ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis oblata.* hactenus Theodoretus. alii *depictam tabellam testem miraculi relinquunt*, ut in vita Theodori ait Metaphr. die 22 Aprilis. simile habetur in vita Danielis Stylitæ apud eundem 11 Decembris. id quod passim invenietur in Historia Ecclesiastica.

Quare vilipendendus venit Calvinus, hæc vota & donaria simul cum luminibus ad sepulchra Martyrum impugnans, contra quem late Dominus Ferdinandus de Mendoza pro confirmando Concilio Illiberitano lib. 3, cap. 42. Bellarminus tom 1. lib. 2 de Purgat. capite ultimo. & ego supra in digressione I. pro canonibus Illiberitanis, ubi late & genuine enucleavi canonem 34, quo se gloriatur Calvinus victoriam contra usum Ecclesiæ deportasse, sed in vanum: sensus enim Concilii Catholicus est pro illis temporibus, ut manifeste probavi.

Sed modo superest dubium, an hujusmodi donaria, vota, & lumina, lampadesve liceat ponere ad sepulchra Martyris, aut Confessoris nondum vindicati testimonio Sedis Apostolicæ. affirmant Torres dubio 10. Biguerius in institutionibus Theologicis folio 119, pagina 2. Molfesius consilio 45, an. 33. probatur 1, quia devotio fidelium tepesceret, & gloria ejus occultaretur, qui fortasse sanctus est. ex hujusmodi enim fidelium devotis demonstrationibus solet sumi argumentum ad confidentius petendam Canonizationem tam particularem, quam generalem. & in processu sancti Raymundi productæ sunt in Rota anno 1596. literæ Concilii Tarraconensis ad Nicolaum Papam Tertium, quibus commendatur vir iste: *ex eo, quod post ejus obitum illius sepulchrum magna reverentia colebatur, frequenti populi visitatione*

tatione, multiplicis luminis illustratione, cerarum multitudine, & in remissionalibus ad probationes de sanctitate alicujus articulatur super hoc.

II. Quia hic videtur usus Ecclesiæ, ut ad sepulchra Sancti non vindicati lumina & cerei accendantur, ut deducitur ex Antonin. tertia parte Hist. tit. 23. §. 4 in fine, & ex Innocentio IV, in Bulla Canonizationis sancti Petri Martyris. dicere autem, quod nihil horum fit, nisi præmissa Episcopi summaria informatione de fama publica sanctitatis & bonis moribus, est contra praxim quæ in Rota observatur in processu, ubi nulla fit mentio hujus summariæ informationis, præterquam quod quia hoc negotium pertinet ad solum Papam privative, ad omnes etiam Episcopos, Legatos à latere & Concilia etiam generalia.

Verum hæc sententia hodie post decretum Vrbani in praxi defendi nequit. ita Felix Contelorius in additionibus ad Castellanum q. 9. de Canonizatione Sanctorum art. 1, n. 26. quem sequitur Barbosa in collect. ad cap. cum ex eo. de Reliquiis & veneratione Sanctorum n. 6. Carena n. 49 & 50. & expresse totum hoc est prohibitum à Sede Apostolica in præfato Decreto, ut videre est in ejus verbis n. 3 relatis. quam prohibitionem declarat. num. 7 dicens, *non fuisse suæ intentionis prohibere, sicut nunquam prohibuit, oblationem receptionemque Tabellarum & imaginum hujusmodi.* sed solum ponit modum quo prudentialiter, ne tepescat fidelium devotio, & ne gloria & sanctitas prædictorum obscuretur. modus autem clarus est & observari debet ab universa Ecclesia.

Quare, licet antiquitus hujusmodi donaria, vota, & tabellæ appendi possent ad sepulchrum Sancti non vindicati, ex consensu saltem implicito Ordinarii non repugnantis, & hic usus per aliquot annos duraverit in Ecclesia, de hoc interrogetur in remissoriis, & inquiritur, & examinetur in processu ab Auditoribus Rotæ; hodie tamen, post Decretum Vrbani, neque ponitur in remissoriis, neque inquiritur aut examinatur, an sint hujusmodi donaria ante sepulchrum, sed an sint collecta eo modo, quo disponit Pontifex in sua constitutione: antiquitus enim Episcopi poterant in suis Episcopatibus canonizare, & hodie non possunt, quia id prohibuit Sedes Apostolica, sicut prohibuit hæc de quibus loquimur, poni ad sepulchrum Sancti non vindicati.

Ex quibus diruta manent fundamenta oppositæ sententiæ, quæ hodie in regnis, ubi recepta est Bulla & decretum Vrbanum, probabilis non est. si tamen in aliquibus Indiarum remotis locis proposita appenduntur ad sepulchrum alicujus hominis defuncti, vita & sanctitate ex celebri fama illustris, erga quem ingens est populi Christiani devotio ut cohiberi nequeat, ne ad hujusmodi demonstrationes externas deveniat sine timore tumultus & inquietudinis publicæ, possunt Inquisitores & D. D. Episcopi permissive se habere, & certiorem facere Summum Pontificem, ut determinet quid faciendum.

Deinde mos fuit etiam à primordiis Ecclesiæ, Martyrum sepulchra violis & diversi generis odoriferis floribus ornare. ita Nicephorus lib. 2, cap. 22. Gregorius Turon. lib. 7, cap. 12. Sanctus Paulinus natali 6 Sancti Felicis. & in quodam lapide Ravennate legitur hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant. Veteres enim ad extinctorum tumulos varios flores inducere consuevere, ut Ambrosius in oratione funebri de obitu Valentiniani. Hieronymus epistola ad Pamachium de obitu uxoris dicunt.

Sed an modo ad sepulchrum Martyris aut Sancti non vindicati possint flores & rami adduci? de hoc reverentiæ genere nil expresse decretum Vrbani, attamen implicite illud videtur excludere illis verbis: *& quodcumque aliud venerationem & cultum præ se ferens & indicans.* quare existimo hodie id non licere, maxime si publico in loco fiat. floribus enim ornare sepulchrum, ex communi fidelium usu cultum & venerationem indicat; nec licet ad sepulchrum ponere epitaphium versu aut prosa confectum, in quo nomen Sancti aut Beati illi applicetur.

§. 12. *De Reliquiis Martyris vindicati venerandis.*

MArtyris veri & approbati reliquiis, & non solum animæ glorificatæ, insignem honorem exhibitum à primis Ecclesiæ incunabulis certum omnino est, & fide sanctum. ita quod anima & spiritus respectu gratiæ, quæ divinæ naturæ est participatio, per se & propter se honorentur; Reliquiæ vero, utpote insensibilia corpora, non propter se, sed propter spiritus, quorum fuerunt instrumenta, & ad quos ordinem sunt consecuta, & similem spiritus ipsi conservant in cœlis, ut in resurrectione commercium gloriæ habeant. ita Divus Thomas 3. p. q. 25. art. 6 ad 2. ubi omnes expositores & Catholici ex Conciliis Niceno 2. actio. 3 & 7. Lateranen. sub Innocentio Tertio, canone 61. Tridentin. sessione 25. in decreto de Veneratione & Reliquiis Sanctorum.

Et quidem universa Ecclesia in primordiis suis priorum seculorum, vix memoratur aliquarum reliquiarum nisi Martyrum vindicatorum, qui Christo passo conformati sunt in passione. Vix enim tunc temporis sancti Confessoris æstimabantur Reliquiæ, nisi Martyris, qui pro Christi confessione sanguinem suum fudit. hic enim sanguis fusus animos in devotionem & venerationem fidelium rapiebat, ita ut locus non videretur relictus ad Confessorum sanctitatem (quæ multorum tunc temporis etiam erat illustris) venerandam.

Quare de Martyrum vindicatorum Reliquiis venerandis, extant omnium fere Patrum insignia testimonia, ita quod mirer & admirer hæreticorum hujus temporis impudentiam, Reliquiarum reverentiam blasphemantium eam imprimis (omitto exempla sacræ Scripturæ tum veteris, tum novi Testamenti, quibus id manifeste probatur, & ostenditur sanctarum Reliquiarum efficacia.) Basilius homil. in quadraginta Martyres, Nyssenus oratione in sanctum Theodorum Martyr: *Quid si quis etiam pulverem, quo conditorium ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, & tamquam res magni pretii condenda terra colligitur.* Nazianzenus oratione 3, invectiva in Iulianum agens n. 30. de Martyribus: *Quorum* (ait) *vel sola corpora idem possunt, quod animæ Sanctæ, sive tangantur, sive honorentur.* Magnates Auctor eruditus, qui scripsit ante annos 1200. lib. 4 contra Theostenem: *Manifestum est* (inquit) *quod ossa Sanctorum non sunt mortua, sed plena virtute.* Emissenus homil. de sancta Blandina, *ubi sunt qui venerationem sacris Martyrum dicunt non esse deferendam corporibus.* Augustinus de Ecclesiast. dogm. cap. 73. *Sanctorum corpora, & præcipue Sanctorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra sincerissime honoranda.* unde lib. 22 de civitate, cap. 8. de Reliquiis sancti Stephani multa miracula operantibus plura dicit. legatur ibi Coqueus. & lib. 9 Confess. cap. 7. de Reliquiis sanctorum Martyrum

Gervasii & Protasii. & Hieronymus adversus Vigilant. cap. 2. de Reliquiis sancti Andreæ. & sanctus Ioannes Chrysostomus lib. contra gentiles, de Reliquiis sancti Babylæ Martyris & homil. 66: ad populum. Sanctus Ambrosius epistola 85. & serm. 92. *Quod si dicas mihi, quid honores in carne martyris jam resoluta atque consummata? De qua jam Deo nulla cura est? Et ubi est illud charissimi, de quo ipsa veritas loquitur per Prophetam, pretiosa, inquit, est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* & paulo post: *Honoro ego in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam, perennitatem virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres; cur autem non honorant corpus illud fideles, quod reverentur & Dæmones, quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnavit in cœlo.* Hoc egregie sanctus Doctor, in quibus proposuit nobis omnia fere Catholica motiva, quibus nitimur ad Reliquias sanctorum venerandas. quare, ait Augustinus, cap. 73 de Ecclesiasticis dogmatibus: *Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunominianus & Vigilantianus creditur.*

Hanc Martyris vindicati reliquiarum venerationem ex multiplici vetustæ Christianitatis consuetudine manifeste ostendo: I. Ex speciali cura præ cæteris aliis fidelibus, qua sanctorum Martyrum corpora curabantur, ut sepulturæ darentur. quæ specialis diligentia ex speciali cultu & veneratione erga illa, tamquam sanctarum animarum domicilia, in quibus dum viverent specialiter Spiritus Sanctus inhabitavit. de quo argumento late Origenes lib. 5 & 8 contra Celsum. & Augustinus lib. 1 de Civit. cap. 13. & denique omnis apparatus curationis mortuorum fidelium, lotiones, unguenta, candida lintea adhibebantur Martyrum corporibus, quæ diligenter abluta, multis delibuta unguentis, ac nitente linteo convestita, ex decreto Eutychiani Papæ, quod refertur in libro Athanasii de Romanis Pontificibus, amicienda erant purpurato colobio. est autem colobium vestis sine manicis, ut dicunt Isidorus lib. 19, cap. 22. Alcuinus lib. de divinis officiis cap. quid significant vestimenta. Onufrius lib. de vocibus Ecclesiasticis §. de generibus sacrarum vestium. quod colobium Sylvester Papa in Dalmaticam vertit, latas manicas addendo, & in sacrificiis altaris portandam instituit cap. Diaconi, 93 dist. & corpora sanctorum Martyrum sic specialiter condita, & venerationis ergo vestita & ornata portabantur ad cœmeteria, quæ solum Romæ fuerunt 43. variis nominibus dicta, quæ refert Onufrius de Christiana sepultura cap. 12. cœmiteria autem, ex sua primæva fundatione, extra Vrbem sita fuerunt ad Martyrum corpora condienda; postea religiosa ducebantur, quod ibi etiam fidelium corpora sepelirentur. quod statuitur leg. 2. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. unde, ut refert Chrysostomus homil. 26. in 2 ad Corinthios, Constantinus Imperator magno duxit honori fieri sanctorum Martyrum Ostiarius. & Eusebius lib. 4 de vita Constant. cap. 60. refert Imperatorem Testamento ordinasse sepeliri in vestibulo templi sancti Petri, in quo Martyres plerique quiescebant. qui mos irrepsit ad cæteros fideles ut in templis sanctorum Martyrum sepelirentur. quod multis rationibus commendant Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1 & 5. Paulinus carm. 15. Sanctus Maximus sermone de sanctis Taurinensibus. Chrysost. homil. quod Christus sit Deus. Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum Ostiarii Reges. quod ex reliquiarum sanctorum Martyrum veneratione profluxisse clarum est, & constat ex Iacobo Maronis discipulo, qui apud Theodoretum in Philotheo cap. 21, collegit varias sanctorum Martyrum reliquias, ut apud eas sepeliretur, tanquam in extrema paupertate peregrinus apud divites mercatores.

II. Sit visitatio perseverantiæ & vigiliæ, quæ in cœmeteriis, & ad cryptas, ecclesiasque Martyribus dicatas, in quibus reliquiæ erant repositæ & reconditæ, à fidelibus factæ. sic Augustinus epistola 137. Ambrosius serm. 93. Nyssenus orat. 2 de sanctis quadraginta Martyribus. Paulinus natali 6. Sancti Felicis. Isidorus Pelus. lib. 2, epist. 5. Chrysostomus lib. 1 de providentia. & homil. 65. in Sanctos Martyres, quæ habetur tom. 5. Basilius in Psalmum 115. Theodoretus lib. 9 contra Græcos. qui Patres dicunt Martyrum Reliquias, quantumvis parvas, & in capsis & templis reconditas, esse bonorum omnium fontes uberrimos. Hinc orta illa consuetudo, quod fideles januas & fores templorum Sanctorum Martyrum ex ceremonia devotionis osculabantur religiose. Prudentius in Sanctum Laurentium Hym. 11. (in cujus die hæc scribo) Apostolorum & Martyrum exosculabantur limina. Aratus lib. 11 Historiæ Apostolicæ. Chrysost. hom. 30. in 1 ad Corintheos. Fortunatus lib. 4 de vita sancti Martini, & Gregorius Turon. lib. 4 de eodem, cap. 14, dicunt, *limina osculari & lambere*.

Ex quo ortum duxit consuetudo, quæ hodie viget in Ecclesia ex bulla Sixti V. anno 1585, qua tenentur omnes Episcopi aliquoties adire ad limina Apostolorum Petri & Pauli, ad illa scilicet veneranda per se; vel nuncium certum, si ipse sit impeditus, juxta ea quæ tradit Gavantus in Manual. Episcor. verbo Limina Apostolorum. Hinc peregrinatio ultramarina ad Romam & ad Compostellam, gratia visitandi corpora Apostolorum, tot privilegiis est munita, & gratiis condecorata à Summis Pontificibus; & quidem qui voluerit mira legere circa peregrinationem, ad corpus sancti Iacobi situm Compostellæ in Hispania, ad quod totius orbis gentes concurrunt, legat Dominum Michaëlem de Arce lib. 2 de adventu sancti Iacobi in Hispaniam p. 2. tract. 3. cap. 4, ubi summa eruditione & pietate erga patriam suam plura congerit scitu dignissima, ex quibus colligitur Summa Reliquiarum Martyrum veneratio.

III. Sit ex natalitiis diebus sanctorum Martyrum summa veneratione habitis à fidelium turma. est enim dies natalis Martyrum, quando per martyrium mortem commutarunt in vitam; ut enim dicunt Bernardus, sermone de sancto Ioanne Baptista: *diem mortis Martyrum, non nativitatis, solemnizat Ecclesia, mortem tamen eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. tunc enim cœperunt de morte nasci ad vitam, cum vitam deposuerunt pro vita.* desumpsit ex Augustino sermone 113 de diversis. agens de natali sancti Cypriani. hujusmodi Martyrum natalitii dies à primis temporibus in magna veneratione habuit Ecclesia, ut colligitur ex Clemente Romano lib. 8 const. cap. 39. Tertull. Magistro lib. de corona militis cap. 3, & Cypriano discipulo epistola 34 & 37. ex quibus Nicolaus Papa ad consulta cap. 5, negat jejunandum, vel à carnibus abstinendum in natalitiis præcipuorum quorundam Martyrum, si sexta feria inciderint; cujus rationem reddit: *Quia eorum solemnia non funebria, tanquam morientium, sed utpote in veram vitam nascentium natalitia vocitentur. quod si de eorum nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis,*

stinentiis, non denique ullis debet ipso vacare die meritoribus. unde Chrysostomus homilia de Machabæis, & Nyssenus in oratione pro quadraginta Martyribus p. 2. dicunt: *Dies natalitios Martyrum splendidiores & micantiores illucescere.*

Dies autem isti incipiebant à primis vesperis, & in nocte pervigilabant fideles ad Martyrum sepulchra, ut constat ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ de usu Vigiliarum. de quo satis erudite Durandus de ritibus Ecclesiæ Catholicæ lib. 3, cap. 4, ubi vigilias defendit, confirmat & acerrime tuetur contra Vigilantii somnolentum errorem, & ostendet nunquam fuisse speciali lege abrogatas. quod etiam probat Baronius in Martyrologio die 5 Ianuarii, litera A. legendi sunt Hieronymus epist. 7 ad Lætam, & lib. contra Vigilantium cap. 4. Concilium Aquisgranense cap. 130. verum est, pietate frigescente vigilias nocturnas laicorum in desuetudinem abiisse, ut dicunt Belet. de divinis officiis cap. 11. & Durandus in rationali lib. 6, c. 7. & loco illarum Sedes Apostolica indixit jejunium pro aliquibus festivitatibus Christi, Beatæ Mariæ Virginis, & Apostolorum; non tamen Martyrum, nisi solius sancti Laurentii, in cujus vigilia jejunium observatur. cujus rationem reddit Cardinalis Baronius die 9 Augusti ex pristina illa fidelium observatione, qui pro pensiori studio ad corpus tanti martyris vigilare cœperunt, ut ejus acta testantur: inquiunt enim cum tradidissent sepulturæ sanctum Laurentium, jejunantes celebrarunt vigilias noctis triduo cum multa Christianorum frequentia, nec cessarunt à luctu & lacrymis; quod triduanum jejunium pro uno die retinuit Ecclesia. quid vero vetuerit Illiberitanum, dixi in digressione 1. sect. 6.

In hujusmodi autem vigiliis & natalitiis Martyrum in cœmiteriis vel Ecclesiis, in quibus condita eorum corpora aut Reliquiæ venerabantur, Agapis & conviviis factis, quæ, dum moderate & religiose fiebant, placita erant Deo, & Sancti per illa venerabantur, quia erant signa charitatis & unionis fraternæ, ut Tertullianus in Apologet. cap. 39. Cyprianus lib. 3 ad Quirin. cap. 3. Augustinus lib. 20 contra Faustum, cap. 4 & 20, & epistola 64. ubi explicat quomodo hujusmodi Agape, & convivium cedat in Martyrum honorem, & quo modo sint improbandæ comessationes, & ebrietates in cœmeteriis. de Agape bene edisserit Ioannes Valterius de triplici cœna Christi, cœna 3. cap. 56. ubi cum Tertul. cap. 7. Apolog. Athenagora oratione pro Christianis; Origene lib. 7 contra Celsum; Theophilo lib. 3 ad Autolicum, Christianos liberat à crimine infanticidii quod patrare illis imponebant gentiles in sua Agape & Synaxi, ut refert Cæcilius in Octavium, apud Minutium Felicem. an vero Agape fieret ante, vel post Eucharistiam sumptam: Cornelius à Lapide dicit, quod tempore Pauli Apostoli fiebat non post, sed ante Eucharistiam, licet paulo post illa prima Ecclesiæ primordia detracta fuit ob Eucharistiæ reverentiam, quod hæc non nisi à jejunis sumeretur, & sic Agape post synaxim fiebat.

IV. Consuetudo, quæ hodie etiam adservatur in Ecclesia Catholica, quod nullum templum, nullum altare sive fixum sit, sive portatile, consecretur ritu solemni & pontificali, quin ibi collocentur Martyrum Reliquiæ, quod est ipsorum summa veneratio, quæ fieri potest à fidelibus. unde Augustinus explicans illud Apocal. 6. vers. 6. *Vidi animas interfectorum sub ara*, sic ad propositum explicat: *videte* (inquit) *quem locum Martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt: dicit enim Scriptura Sacra Apocalyp. 6. vidi sub ara Dei animas occisorum recte sub altari justorum animæ conquiescunt, quia super altare corpus Domini offertur; nec immerito illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus sanguis Christi effunditur.* Vnde ad Sanctorum sepulchra & super ossa Martyrum altaria erigebantur, ut notant Hieronymus adversus Vigilant. cap. 5. Prudentius Hymno 2. de sancto Hippo. Paulinus epistola 11 ad Severum.

Hinc est quod sapienter Sacra congregatio Episcop. die 10 Iunii 1586, & iterum 13 die mense Septembris 1593. determinavit, quod corpora Sanctorum non canonizatorum non reponantur sub altari, nec Reliquiæ non approbatorum in altari ponantur. & Sacra rituum congregatio 8 Novembris 1598 determinavit, quod altaria non sunt consecranda sub quibus sepulta manent corpora mortuorum, nisi illis remotis: hic enim honos solis sanctis Martyribus, primo servatus est ab Ecclesia. nunquam enim Basilica solemniter consecratur, nisi in illa Martyrum reliquiæ ponantur. Ita Ambrosius epist. 85. & de hort. ad Virgin. Augustinus sermone 256. Paulinus epistol. 11 ad Severum. Ioannes Diaconus in vita sancti Gregorii, lib. 2, cap. 30. & quidem altaria non esse consecranda sine reliquiis Sanctorum, determinant Concilium Carthag. 5. cap. 14. relatum canone, placuit. de consecratione dist. 3. ubi altaria, in quibus nullæ sunt Martyrum reliquiæ, everti jubentur. quod determinat etiam Concilium Africanum cap. 50, & in septima Synodo cap. 7, dicitur: *Qui templum consecrat sine sanctis Reliquiis deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit. ubi autem non sunt Reliquiæ ponatur pars corporalis, in quo sacrificatum sit.* Vt refert Panormitanus cap. 1 de consecratione Ecclesiarum, fecisse Leonem Papam, non vero debet poni corpus Christi, ut refert Hostiensis se consuluisse Innocentium Papam; qui adhibito peritorum consilio, ita respondit, *Quia non licet corpus Domini recondi in altari.*

An vero Reliquiæ Martyrum sint de substantia consecrationis Ecclesiæ, vel altaris, negat Suarez, tom. 3. in 3 p. disp. 81. sect. 6. asserens nunquam fuisse hoc præceptum de adhibendis Reliquiis Martyrum in Ecclesiis consecrandis. sed fallitur omnino, ut clare constat ex septima Synodo, dicente, *Quod deponatur, qui templum consecrat sine sanctis Reliquiis, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.* propter quod antiquitus Ecclesiæ vocabantur martyria, Basilicæ Martyrum, memoriæ Martyrum; & sic primis seculis excepta B. V. nulla fuit dicata Ecclesia, nisi Martyribus, quorum corpora aut reliquia notabilis existebat ibi. existimo ergo, quod altaris portatilis consecratio sine reliquiis fieri non possit, ut constat ex usu Ecclesiæ hodierno, ut contra recentiores Societatis probat Bonacina disputatione 4. de Eucharistia q. ultima, punct. 9. n. 13. nisi Summus Pontifex dispenset, quidquid dicat Cardinalis Lugo disputatione 2 de Eucharistia, sect. 3. n. 73. quare multo minus neque altaris fixi, nec Ecclesiæ consecratio rite fieri possit, sine Sanctorum reliquiis sed de his alibi. Legantur Durandus, in rationali lib. 1, cap. 7, n. 25, & Durantus lib. 1, cap. 25, num. 8. D. Thom. 3 p. q. 83. art. 3. ad secundum.

Sed inquires, quid nomine reliquiæ sancti Vindicati intelligitur in præsentiarum? Respondetur, intelligimus quidquid ad corporis intrinsecam compositionem pertinuit, dum viverent, os, caro, sanguis, & similia, & quod ad ornatum corporis, vestimenta, sandalia, & quod in sepulchro corpus ejus tetigit, ut pulveres, lapides, etiam pœnalia instrumenta,

menta, quibus Tyrannus vitam abstulit, vel alligavit, ut funes, catenæ, de his enim passim invenies apud Patres venerari. Concludo honorem exhibitum sanctorum Martyrum Reliquiis, verbis Augustini sermone 9. de sancto Vincentio, inter 17. additos denuo in novissima impressione tom. 10. appellans *magnum testimonium datum à Deo testibus suis, cura nimirum Sanctorum cadaverum, multis sæpe supra naturam circa ea patratis.* & concludit: *Vere pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quando nec terra carnis vita deserente contemnitur, & invisibili anima de domo visibili discedente habitaculum servi cura Domini custoditur, & in gloriam Domini à conservis fidelibus honoratur. quid enim agit Deus mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, nisi testimonium perhibet sibi non perire quod moritur, & ut hinc intelligatur in quali honore secum habeat animas occisorum, quando caro exanimis tanto affectu divinitatis coronatur: sicut enim, de membris Ecclesiæ loquens Apostolus, similitudinem adhibuit de membris corporis nostri: quoniam quæ inhonesta sunt nostra his abundantiorem honorem circumponimus. Ita providentia Creatoris cadaveribus Martyrum tam præclara miraculorum testimonia præstando, abundantiorem honorem exanguibus reliquiis hominum circumponit, &c.*

Inquires II. quanta debeat esse Martyris Reliquia, ut in ejus honorem aut fundetur Ecclesia, aut erigatur altare, & de ipso Missa celebratur, recitetur divinum officium? Barbosa in collectaneis Apostol. Decis. verbo Reliquiæ n. 11 & 12. quem sequitur Gavantus in Manuali Episcop. eodem n. 45. sic loquitur: *Reliquia insignis dicitur corpus, caput, brachium, & ea pars, non pauca tamen, in quia Sanctus passus est martyrium, Sacra Congreg. Rituum, die 8 Aprilis 1628, de qua meminit Ant. Riculus lib. 1 Ecclesiast. lucubrat. cap. 36. n. 1. Reliquia Sancti ut de eo possit celebrari, debet esse insignis, videlicet corpus integrum, caput, &c. & sit ex sanctis approbatis, & positis in Martyrologio; & tunc celebrari debet tantum in Ecclesia, ubi est reliquia servatis Rubricis Breviarii. & si talis Ecclesia sit Cathedralis non præterea debent se aliæ Ecclesiæ in hoc conformare cum illa Sacra Congreg. Rituum in Calagur. 1 Septembris 1611. & in causa urbis Theatinorum 3 Iunii 1617. & in Conchens 12 Martii 1618. apud Sellium in selectis cap. 58. n. 7. si vero reliquia non sit insignis, non licet, nec est alterandum officium, sed recitandum, prout in Breviar. Roman. eadem Sacra Congreg. in Viterb. 1 Sept. 1612.*

§. 13. *Adnotantur aliqua circa decretum Tridentinum de veneratione Reliquiarum.*

SAcrosancta Tridentina Synodus, sessione 25. sic loquitur: *Circa Reliquiarum venerationem nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit.* quæ verba plura continent documenta moralia scitu digna.

I. Est, quia Innocentius III, cap. cum ex eo. de Reliquiis & veneratione dicit, non posse novas Reliquias venerari sine auctoritate Sedis Apostolicæ; Concil. vero Trident. dicit, Episcopum posse admittere nova miracula & proponere novas Reliquias venerandas, præsupposito examine de consilio Theologorum, triplicem concordiam invenio hujus Antilogiæ. Barbosa de potestate Episcopi. allegati 96. n. 1, habet quod textus cap. cum ex eo. derogatus est per Trident. II. Est Contalorii, qui dicit, quod Concilium Lateranense loquitur de Reliquiis & miraculis Sancti non vindicati. III. Est, quam adhibet congregatio Concilii anno 1626. mense Ianuarii, ubi Augustinus Barbosa: *Dubium proposuit, an hæc Concilii dispositio, quæ videtur admodum universalis, intelligenda sit de miraculis personæ etiam non canonizati, an vero de miraculis Sanctorum canonizatorum dumtaxat.* Sacra congregatio Cardinal. Concil. Trident. interpretum respondit: *de omnibus esse intelligendam.* quam authenticam declarationem refert, idem Barbosa ad caput cum ex eo. citato n. 4. & est verissima interpretatio, cum universaliter loquatur Concilium.

Verum est notandum singulare discrimen inter miracula vindicati, & non vindicati, quia miracula illius ex approbatione Episcopi, de consilio Theologorum possunt publicari & veneranda proponi, & illa prædicari & solemnizari cum cantico, cymbalis, & organo, & omni genere Musicorum, & solemnitate sine consultatione Summi Pontificis, aut alterius superioris: ast miracula Sancti non vindicati, etsi illorum requiratur recognitio, & approbatio Ordinarii de consilio Theologorum, & aliorum piorum hominum doctrina & prudentia pollentium, tamen non possunt publicari. nam totum negotium recognitionis & approbationis instructum ad Sedem Apostolicam transmitti debet, ejusque responsum expectari, ut expresse dicit decretum Vrbanum §. 10. n. 2. adductum, quo explicatur Cardinalium declaratio, & ad concordiam suavem reduci possunt auctores citati.

II. Est examinatio novarum Reliquiarum alicujus Sancti canonizati, cum sit quædam illarum vindicatio, ratione cujus proponuntur publice venerandæ, & in hoc possit contingere deceptio cur à Tridentino remittatur Episcopis de Concilio Theologorum, non tamen remittatur canonizatio & vindicatio particularis alicujus hominis defuncti cum publica fama & opinione sanctitatis: aperitur difficultas, quia in approbatione alicujus Reliquiæ multoties contigit deceptio, vel quia desumpta est ex cœmiterio, in quo fuerunt plura corpora fidelium, non Martyrum nec Confessorum, sepulta, & imponuntur nomina sanctorum Martyrum, quorum non sunt Reliquiæ, ut mihi residenti Romæ contigit cum quodam proxineta Reliquiarum, qui adhibebat Notarios venales ad falsa testimonia danda propter pecunias, & postea hujusmodi Reliquias passim approbant Episcopi & publice venerandas proponunt. cur ergo Episcopi non poterunt inquirere de sanctitate alicujus, qui mortuus est cum publica sanctitatis fama aut martyrii, & illum in sua Diœcesi venerandum proponere sicut proponunt Reliquias novas.

Dicere autem, quod Reliquia sancti vindicati examinata ab Episcopo, & proposita publice veneranda, quamvis re ipsa non sit illius sancti, tamen quia veneratio ultimo refertur ad sanctum, quem esse in cœlo publicum testimonium tulit Ecclesia, ideo non est approbatio Episcopo deneganda; sicut denegatur canonizatio etiam particularis, quæ est quoddam publicum testimonium alicujus quod sit in cœlo. si autem re ipsa non ita est, sed quod sit in inferno, ultimo ad ipsum tenderet adoratio quod dici nequit. contra est, quia, sicut pie creditur, quod non erravit ordinarius in declaratione reliquiarum, itaque credi potest, quod non erravit in probatione sanctitatis alicujus defuncti cum opinioni & fama virtutum & miraculorum. II. Quia, licet de facto ille qui

qui declaratur sanctus ab Ordinario,non sit in cœlo, vel sit in inferno, cum veneratio sit actus voluntatis tendens ad sanctitatem prudenter propositam ab intellectu, & veneratio sit etiam actus virtutis, non requiritur, quod re ipsa sit in illo, sed sufficit, quod prudenter judicatur inesse; sicut rusticus, qui edoctus à suo Parocho, quod in Christo non sit duplex voluntas, prudenter judicat ita esse, quamvis falso, & licet non credat fide divina, quia hæc proponit duplicem voluntatem, tamen actus voluntatis,qui est pia affectio, est ex gratia, & meritorius.

Fateor hoc non modicam ingerere difficultatem. verumtamen consiliares determinationes Pontificias nos Catholicos enixe defendere justum & obligatorium reor; quare disparitas tradita optima est. ad primam impugnationem respondetur, quod non est ita firmum fundamentum ad pie credendum, quod Ordinarius non erravit in ferendo publico testimonio de sanctitate alicujus, sicut quod non erravit summus Pontifex,huic enim promissa est assistentia infallibilis Spiritus Sancti in rebus attinentibus ad totam Ecclesiam, sicut attinet testimonium publicum de sanctitate alicujus. ad II. Respondetur, quod ille casus est rarus & attinens ad personam particularem; at testimonium de sanctitate publicum est, & ita illud ferre non debet, cui non est promissa assistentia Spiritus Sancti, ut in illo ferendo non erret. esset maximum inconveniens, quod ad hominem qui cruciatur in inferno, & Dei inimicus est, veneratio publica deferatur.

III Est quod Reliquiæ venales non debent proponi. quod universaliter decisum est cap. cum ex eo citato,& in jure civili leg. nemo. la.2.c. de sacrosanctis Ecclesiis. quod dupliciter fit (ait) Panormitanus, primo verè vendendo, secundo eas passim exponendo causa quæstus, eas locando, & quoquo modo fiat est Simonia, ut est certa omnium sententia apud Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. de Simo. lib.4, cap.14, num.24. Sanchez lib. 2 Summæ, cap. 43, num. 22. Sylvester verbo Reliquiæ, num.1. Tabun. num.3. Azor. p. 1, lib.9, cap.8. quæst.7. & sic Trident. ubi supra, omnem quæstum circa imaginis & sanctorum Reliquias excludit. sed quid intelligatur causa quæstus, quando Reliquiæ vel in capsis, vel extra monstrantur ex fine principali,qui sit acquisitio majorum eleemosynarum, quia est Simonia juris divini exercere spiritualia pro stipendio & quæstu temporali, tamquam pro fine principali & motivo. Fagundes verò lib. 1. ad 1. Ecclesiæ, cap.4, num.29. dicit, quod etiamsi intendatur lucrum principaliter, tanquam stipendium sustentationis, vel tanquam eleemosyna gratis oblata, non incurritur Simonia ex ostensione Reliquiarum extra vel intra capsam; sed ad summum erit veniale peccatum, ut etiam quantum ad hoc tenet Sanchez, ubi supra. sed,,me quidem judice hallucinatur Fagundes; aliud enim est quod res temporalis sit finis motivus exercendi rem spiritualem, ut ostendendi sacram Reliquiam, & sic dubitari nequit, quod sit Simonia, nam pro temporali do spirituale; neque enim necessarium est quod dicam vendo, aut emo, sed sat est quod velim ex motivo adæquato temporali rem spiritualem dare aut exercere. sic enim ex motivo voluntatis non gratis do,quod gratis accepi, ut egregie D.Thomas 2.2. quæst. 100. artic.1. aliud est quod intendam rem temporalem,tanquam justum stipendium aut eleemosynam gratis oblatam: sic enim non moveor à re temporali, sed impellor. & sic est finis impulsivus ad exercendam actionem spiritualem, cujus motivum est spirituale; quamvis, quia sum minister addictus altari, & altaris ministerio debeo sustentari & accipere eleemosynas gratis oblatas in altaris servitium, & divini cultus augmentum & splendorem. & hæc omnium fere antiquorum vera sententia, quam Recentiores confundunt ut Simoniam & usuram eliminent, & solum nomina usuræ, & Simoniæ relinquant.

IV. An in aliquo casu liceat emere aut vendere aliquam insignem Reliquiam, aut corpus Sancti alicujus jam vindicati & approbati; & quidem, ut notat Raynaudus p. 4, cap.6, num. 6. primitivi Christiani corpora Martyrum magno emebant à Tyrannis pretio, ut ab illis redimerent, ne male etiam post mortem tractarentur, & ipsi sepulturæ honorifice tradiderint. sic etiam licitum est, si Reliquiæ sint apud infideles, ubi non tractantur ea reverentia & cultu quo apud fideles, eas emere aut furari absque sacrilegio aut Simonia, quia hic solum redimeret vexationem injustam quam patitur Sanctus, ut bene Sanchez ubi supra ex Philiarco de officios sacerdot. tom.1. p.2, lib.3, cap.38, num.1.

Sed num erit Simonia vendere & emere aliquam Reliquiam insignem, quia singularis & peregrinæ, ut velum Beatæ Virginis, pars coronæ spineæ Domini, instrumentum vero rarum, quo torquebantur Martyres & similia? scio aliquando Matriti fuisse hoc disputatum, & pro utraque parte fuisse Auctores, quos ego non vidi. existimo tamen Simoniam non esse valde probabile, quia hic non venditur res spiritualis & sacra, sed ejus antiquitas & raritas, sicut calix consecratus apprime fabrefactus ab artifice antiquo, cujus sunt rara opera; unde & artificium & rara antiquitas emitur, ut contingit in multis metallis, quæ in valore intrinseco parum valent, & tamen pluris æstimantur propter varietatem: motivum enim voluntatis vendendi aut emendi non est Reliquia quatenus sacra: sic enim in capax est cujuscumque contractus; etiam transactionis & locationis, sed quatenus rara & singularis, quamvis ad illam emendam impellat quod sit Reliquia Christi, aut Virginis.

V. An venditio aut emptio Reliquiæ alicujus sancti non vindicati sit licita, verbi gratia: alicujus hominis defuncti cum fama & opinione publica sanctitatis, hoc nou vidi apud aliquem disputatùm. existimo, quod, etsi ex aliis capitibus sit injusta, tamen non erit Simonia, quia nondum per testimonium publicum & juridicum Ecclesiæ homo iste inter sanctos & sacros homines est deputatus, atque ita ejus Reliquiæ non sunt res sacræ.

VI. An sit mortale sacrilegium oblatio Reliquiæ sacræ invito Domino cujus est? absolute affirmant Sanchez num. 23 & Fagundez, num. 20. qui alios citant. ille addit, quod non est spectanda parva quantitas ad judicandum an sit mortale, sed æstimatio & earum raritas: iste vero dicit non esse mortale ex multitudine reliquiarum, quæ permixtæ sunt, & non inclusæ & clausæ in thecis argenteis aut ex alia materia, parvam reliquiam furtive accipere, non quia non æstimetur à Domino, sed quia abundantia quam habet in causa est ut rationabiliter judicetur non esse invitum. quod si invitus fuerit, videtur irrationabiliter esse invitus, nisi tamen furata Reliquia sit unica alicujus Sancti notabilis, verbi gratia: Ioannis Baptistæ, aut similis.

Ego quidem existimo hoc totum esse verum, quando ille qui aufert nullum habet jus prætensum ad talem Reliquiam aut Sancti corpus, vel quia erat civis alicujus oppidi, vel quia antiquitus fuit illius loci,& bellorum occasione ibi translatum tantum se-

curitatis causa, aut quia commodato fuit datum aut furto sublatum, & multis aliis titulis potest licite surripi secreto, & seclusa populi commotione, corpus sancti aut reliquia insignis, ut postliminio revertantur ad suos; nunquam enim datur præscriptio Reliquiarum justa. Respublica enim, quæ legem præscriptionis præfixit, non respicit res spirituales: & summi Pontifices loquuntur de præscriptione in beneficiis & aliis hujusmodi; non vero in Reliquiis, quæ non habent aliam æstimationem, nisi spiritualem.

VII. Iuxta decretum Tridentini, Episcopus ad approbandas reliquias ut publice venerentur, tenetur & debet adhibere in consilium Theologos & alios pios viros. Vnde Sanchez ubi supra, num.43. Fagundes, n.4. & alii dicunt, quod Theologi isti in reliquiarum approbatione non habent votum decisivum, sed solus Episcopus decidit & approbat auditis Theologis. sed ego contrarium judico probabilius, quod Theologi habeant votum decisivum, vocati ab Episcopo circa Reliquiarum approbationem, vel Hic ad minus tenetur in conscientia sequi majorem & saniorem Theologorum partem. quod confirmo hoc discursu. Consilium in jure canonico & civili in rebus arduis quando exigitur, necessario est sequendum, ac si requiratur consensus. sed approbatio Reliquiarum res est, valide ardua & difficilis, ad quam requiritur summa prudentia & experientia: agitur enim de danda veneratione publica alicui. ergo, si requiritur Theologorum consilium, hoc idem est ac consensus; & sic habent votum decisivum. Antecedens communi Iurisperitorum calculo probatur. Ita Picteus lib. 3. decis. 92. Imola cap. novit. de his qui fiunt à Prælatis, num.8. Glossa, cap. venerabili. 37. verbo consilio de officio delegati. cap. cum in veteri, cap. ne pro defectu. de electio. leg. impuberibus. D. de suspect. Tutor. quod autem res ista sit ardua, legantur Bursutus, cons. 62, num.23. Prosetius in praxi 2.p. cap.2. anno 9. ibid. expresse dicit, *ne fraus, aut error, aut aliquid novum & inordinatum in re tam gravi committatur*, &c.

VIII. An sit aliqua excommunicatio contra furantes Reliquias ab Ecclesiis in quibus sunt collocata? de hoc videantur Sanchez, Fagundez & alii negative respondentes, quia de hac non constat in jure; sed an sit hujusmodi censura contra extrahentes reliquias Martyrum è cœmeterii cryptis, & catacumbis, intra vel extra urbem existentibus, Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 13. §. unico. affert excommunicationem latam ab Eminentissimo Cardinali Melino, dum esset Vicarius Summi Pontificis Pauli V, die 24 Augusti, anno 1614. contra illos qui extrahunt à prædictis locis reliquias *anchi in minima particella*, & contra impertientes auxilium & favorem illas extrahentibus, & contra eos qui accipiunt reliquias ex jam dictis locis extractas, à qua ex communione solum possunt absolvi à Papa. quo edicto ligantur non solum cives Romani & Romæ commorantes, sed etiam Romæ advenientes & brevi discessuri, cum certissimi juris sit quod delinquens in territorio legislatoris, subjicitur legibus & edictis universalibus ipsius.

Majus dubium est, an hoc edictum fuerit perpetuum, ita ut, etiamsi non renovetur, duret ejus obligatio; an vero expirarit vel mortuo Paulo V, aut saltem mortuo Cardinali Melino. Bonacina ubi supra, sentit esse perpetuum, quia latum est per modum legis vel statuti. Consequitur Cardinalis consimilia suorum prædecessorum edicta usu abrogata fuisse, ideoque illa confirmat & innovat, ut in futurum inviolabiliter observentur. Verum ego contrarium judico probabilius: existimo enim quod edicta Vicarii Romani Pontificis, etsi perpetui, etsi mortuo Pontifice non amittit jurisdictionem quo usque à successore auferatur, non sunt lata per modum legis perpetuæ, sed ad tempus suæ vicariæ, nisi à Romano Pontifice expresse delegetur ei authoritas ad leges ferendas. sin autem hoc non constet, semper edictum vicarii est temporale, quod finitur ejus morte, & sic finitur censura quæ lata est ab homine. unde si quis extraxit corpora sanctorum Martyrum è catacumbis in Sede vacante, in foro animæ non incurrit hanc excommunionem; nec etiam ille qui talia corpora accepit, nec illa tenetur restituere, maxime si publice sunt exposita de licentia Episcopi, & à populo magna veneratione coluntur.

IX. An liceat exponere crucem ornatam variis reliquiis Martyrum non approbatorum, aut quæ ipsæ non sint approbatæ à Papa, vel Episcopo. affirmant Diana, p.5. tract.5. Resol.35. §. notandum. Castro Palao tomo 2. tract.8. disput. 1. punct.6. num. 11. Sanchez ubi supra, num. 17. sed ego contrarium verius existimo cum Bonacina tom. 2. disput. 3. punct.4. num. 6. tum quia licet primo & principaliter Crux proponatur adoranda, tamen populus qui Reliquias in illa collocatas, & publice expositas videt, ex natura rei potest illas venerari, judicans esse approbatas, qui non est privatus cultus, sed publicus, cum ad reliquiam publice expositam feratur. II. Quia ut Palao num. 12. si Reliquiæ non approbatæ misceantur approbatis, non liceat eas proponere populo adorandas. id quod concedit Sanchez num. 12. quia esset manifestum periculum errandi, & adorandi Reliquias perditi hominis. quod periculum etiam est in casu proposito de cruce. III. Quia Martyris non vindicati, nullatenus licet exponere reliquias, lege Bonacinam.

RESOLVTIO XLIV.

Vtrum ad canonizationem Martyrum requiratur miraculorum probatio.

IN superioribus materia hujus Resolutionis aliquoties est exarata, sed cursim, & non profunde & ex professo, ut exigit. est enim gravissima & digna scitu & ad praxim valde utilis & necessaria. quare pro veritate ventilanda & discutienda.

§. 1. *Negativa sententia fundatur.*

NEgant requiri quod probentur miracula ad Martyrum canonizationem, sed solum causa quod ipsos Martyres facit; & quamvis in Martyrio sive ante, sive post mortem miracula contingant, hoc non esse ex prærequisitis per se, ut Ecclesiæ Caput ferat publicum testimonium quod Martyr sit in gloria. ita tenent Augustinus Triump. de potestate Ecclesiæ, quæst.16. artic.2. ad 2. Turrianus de fide disput. 17. dubio. 2. Flavius filius Cherubinus in compendio bullarum, quas Pater Laërtius tribus tomis collegit ad bullam 4. Alex. III. scholio 2. & ad bullam 2. Innocent. IV. scholio 1. Franciscus Patavinus in relatione canonizationis sancti Bonaventuræ. 2.p. artic.2. Petrus Rodulfus in vita ejusdem sancti Doctoris, lib. 1. folio 94. Angelus Rocca de canonicatione, cap. 34. Magister Lucas Castellinus in Elucidario de certitudine gloriæ Sanctorum, c.8. punct. 20. Petrus Galasinus de canonizatione sancti Didaci, p. 3. cap. 6. Auditores sacræ Rotæ, Ioannes Baptista

Baptista Coccinus Decanus. Alfonsus Mancanedo Patriarcha Hierosol. Philippus Probanus in relatione ab eisdem facta Vrbano VIII. pro canonizatione & beatificatione Martyrum Iaponensium. addentes Doctores Canonistas non sensisse contrarium ad caput *audivimus*. de Reliquiis & veneratione Sanctorum. Carena de sancto officio, p. 2. tit. 17. §. 12, num. 42. Cardinalis de Lugo tom. 1. de justitia & jure, disput. 10. sect. 1, num. 4.

Probatur I. ex locis Scripturæ, in quibus dicitur quod non est major charitas, quam pati pro Christo, & quod qui ipsum confitebitur coram hominibus, Christus vicissim confitebitur coram Patre. quare nihil aliud exigitur, quam mors pro Christo: hoc enim est evidentissimum signum charitatis in qua decessit Martyr, & cui correspondit gloria.

II. Probatur ex Hieronymo in Psalmo 115. explicans illud, Dirupisti Domine vincula mea. ubi ponit discrimen inter Confessores & Martyres, quod Confessor licet finierit vitam morte sancta, & misericordias operatus sit, fecerit signa, dæmones ejecerit, *non vadit ad Dominum securus, horrescit ejus conscientia, quando videt Dominum: Martyr autem, etsi post martyrium peccaverit, tamen secundo Martyrii Baptismate securus vadit ad Dominum.* hæc ibi. ergo quamvis non fecerit miracula, aliave signa, securus vadit ad Dominum. atque ita illorum probatio non exigitur, ut canonizentur publico Ecclesiæ testimonio.

III. Quia sanctus Eulogius Martyr ex professo tractavit in memoriali Sanctorum & in Apologetico sanctorum Martyrum, & habetur tom. 9. p. 1. Bibliot. PP. Agrippinæ. in quibus locis conqueritur de quibusdam Sacerdotibus & Episcopis asserentibus non esse veros & Catholicos Martyres, in quorum agone non intercessit aliquod miraculum ad confessionem incredulorum, vel roborationem fidelium. contra quos arguit sanctus ex authoritate sancti Gregorii Magni, qui refert quod in seculi fine & tempore Antichristi abierunt ab Ecclesia signa virtutum, & tamen erunt veri Martyres occisi ab Antichristo. deinde postquam dixit miracula & insignia facta in agone Martyrum Primitivorum, vel ut mitigaretur furentium Tyrannorum insania, vel ut infideles converterentur qui respiciebant jura scripturarum, concludit: *videsne (ô tu, quisquis ille est, qui contra assurgis) quod hæc omnia instrumenta fidei sunt & quasi clientulo famulati piæ Religionis subjecta: ut ex hoc nunc jam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei & professionis constantia excellentiores fieri Martyres.* & paulo post: *neque magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerunque ab infidelibus exeruntur, ut in Exodo scribitur: fecerunt & Malefici per incantationes sicut & Moyses. sive enim Dei testes miraculis emicent, sive absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest: cum ab eis hoc cœlestis Auctor solummodo expectat, ut usque ad finem constantiam spei suæ non deserentes viriliter agonem consumment, quo æternum catalogis adunati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent, dicente Domino, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* hæc ibi. quo nihil illustrius ad præsens, & ita certum existimat sanctus Martyr, quod contrarium dicat esse errorem.

IV. Et est argumentum ejusdem sancti in Apologetico. quia inferendo testimonio de gloria cœlesti Martyris solum per se attenditur, si causa fidei passiones excipiat, si propter Christum coronatorem Martyrum, ut in æternum salvetur, animam perdere anhelat, sicut scriptum est: *Si quis voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam. nam etsi culpis obnoxii maneant, & ex qualibet sorde vitiorum infecti ad martyrium veniant, nihil impedit, cum omnibus martyriali trophæo deletis ad Christum coronandi accedant.*

V. Ejusdem in eodem: ut quis canonizetur Martyr & sacro Martyrologio adscribatur, sat est ut generali devotione per mortem gloriosam ire cernatur ad cœlos. quæ generalis devotio, quæ publica fama solum debet inquiri & probari; cætera autem per accidens se habent.

VI. Ex cap. teneamus 1. q. 1. desumpt. ex Aug. tract. 3. in Ioannem dicente: *Teneamus fratres mei unitatem. Præter unitatem & qui facit miracula nihil est; in unitate erat populus Israël, & non faciebat miracula; præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi; populus Israël, ut dixi, non faciebat miracula. qui erant salvi apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apostolus resuscitavit mortuum; Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Christiani qui non poterant facere quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon. Sed unde gaudebant? quia nomina eorum erant scripta in cœlo.* ergo semel constituto de causa martyrii quod sit legitima & propter Christum, miraculorum probatio superflua videtur.

§. 2. *Sententia affirmativa fulcitur.*

QVod miracula sint per se requisita ut Summus Pontifex ferat publicum testimonium, de certitudine gloriæ alicujus Martyris tenent multi, quorum verba infra dabo. interim probatur 1. quia ita videntur determinasse Summi Pontifices, qui ex quo tempore prohibuere Episcopis ne sanctos vindicarent, sed hoc negotium tanquam unum ex majoribus & gravioribus, sibi privative quoad omnes alios reservarunt; non canonizarunt aliquem Martyrem, de quo non fiat mentio in bulla, aut in relatione, fecisse miraculum vel ante mortem, vel in morte, vel post mortem. quod est signum manifestum requiri miraculorum probationem etiam ad Martyrem solemniter Sanctum publicandum. antecedens constat in sancto Thoma Cantuariensi, primo Martyre à Pontifice canonizato ab Alexandro Tertio, quarto Idus Martii 1173. in bulla quæ incipit: redolet Anglia. in qua ponit Pontifex unum ex principalibus motivum, innumera miracula. Idem facit Innocentius IV, in bulla canonizationis sancti Stanislai Martyris, data Assitii 12 Kalend. Octobris, Pontificatus sui anno 11. qui simile motivum posuit in bulla sancti Petri Martyris, ordinis Prædicatorum, 9 Kalend. Aprilis, Pontificatus sui anno 10. idem motivum proponit Sixtus IV, in bulla beatificationis Martyrum Marrochorum, quam refert Fray Lucas Castellinus de certitudine gloriæ Sanctorum, cap. 8. ibi: *plurimis miraculis in ipsa morte, & post claruerunt.* & tandem Vrbanus VIII, die 14 Septembris anno 1627, & 15 ejusdem mensis, & ejusdem anni Pontificatus sui anno 5. loquens de Martyribus Iaponensibus Ordinis Minorum, & Societatis Iesu, dicit constare de martyrio & de miraculis. & sic utrumque requiritur tanquam forma, cum in omnibus bullis utrumque ponatur.

II. Ex Nazianzeno oratione 2 contra Iulianum, ut veros Martyres à Martyribus hæreticorum secerneret: *Et ab his* (veris Martyribus) *Dæmones pelluntur, morbi curantur, apparitiones & prædictiones quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.* & quidem sanctus Doctor universaliter loquitur

tur de Martyribus omnibus, ut legenti constabit: alludit enim ad illud Christi Marci ult. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* & ponens signa fidei eorum qui crediderunt, dicit: *Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent & bene habebunt, &c.* Quod testimonium extendit sanctus Doctor ad Martyres, qui post Apostolos & ante Apostolos extitere; & quidem hujusmodi signa vel similia faciunt evidenter credibile hunc esse verum Martyrem, siquidem hæretici qui pro suis erroribus moriuntur, miracula vera non faciunt.

III. Quia Gregorius IX, in bulla canonizationis sancti Antonii de Padua data anno 1232, cujus principium est: *Cum dicat Dominus.* §. *ut Sanctus,* dicit, *Vt Sanctus quis habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria: virtus morum, & veritas signorum; merita scilicet & miracula, ut hæc & illa sibi invicem contestentur; cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.* Hæc Pontifex, qui id probat ex illo Marci ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* quod argumentum valde efficax est: quamvis enim loquatur de Confessore, tamen doctrina ipsius etiam Martyres comprehendit. si enim non adest verum miraculum factum in confirmationem martyrii, Martyris constantia & fortitudo non plane sufficiunt ad perhibendum inter homines in Ecclesia militante testimonium veri martyrii. unde in Relatione canonizationis sanctæ Franciscæ Romanæ p. 3, art. 1. juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacrorum Canonum sanctiones ut per glossam cap. vineo. verbo Sedis Apost. versic. quærendum etiam de miraculis. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum in 6.

IV. Quia Pontifex non potest procedere ad aliquid definiendum infallibiliter, ita ut contrarium asserens pertinaciter puniatur pœna mortis, nisi vel contineatur saltem implicite & virtualiter in sacra Scriptura, ut sunt omnia fidei dogmata; aut per voces miraculorum, quibus contestatur sanctitatem alicujus hominis amici sui, juxta illud Pauli ad Hebræos 2. vers. 4. *Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus.* Sic sanctus Doctor lect. 1. fatur, postquam dixit: *Quod portentum refertur ad majora, ut suscitatio mortui: dicitur enim portentum quasi porro vel procultensum, quod scilicet aliquid in longinquum demonstrat,* subdit: *variis virtutibus. ut signa & portenta referantur ad ea quæ excedunt virtutem naturæ, & signum dicatur quod est præter aut supra naturam, non tamen contra; sed portentum est quod est contra naturam, ut partus virginis, suscitatio mortui; sed virtus referatur ad ea quæ sunt secundum naturam quantum ad substantiam facti, sed non quantum ad modum fiendi, sicut sanatio febris, quod utique possunt medici, licet non statim.* quibus verbis dilucide & sapienter omnes miraculorum modos comprehendit, de quibus dixerat, *sciendum est quod testimonium est per loquelam. loquela autem est signum sensibile. Deus autem duplici signo sensibili contestatus est: miraculis, & donis Spiritus sancti.* ergo nisi Deus loquatur Ecclesiæ per loquelam sensibilem miraculorum, ad contestandum sanctitatem alicujus hominis, sive Martyris, sive Confessoris, nequit Pontifex Ecclesiæ militantis caput ferre testimonium infallibile de martyrio vero; ut enim ait sanctus Gregorius lib. 4 Dialog. cap. 6, *Quemadmodum vita animæ in corpore existentis cognoscitur per motum membrorum, ita quoque vita animæ de corpore egredientis ex miraculis cognoscitur,* & alloquens cum Petro Diacono §. tu vero. agens de Martyribus dicit: *Ecce hi qui animas in mortem posuerunt, atque animarum vitam post mortem carnis esse crediderunt, quotannis miraculis coruscant.* quid clarius ad intentum? ad verum ergo martyrium vindicandum necessaria sunt miracula. unde sanctus Doctor in persona Petri Damiani concludit caput, dicens: *Nulla ut opinor huic allegationi ratio obsistit, in quibus rebus visibilibus cogimur credere quod non videmus.*

V. Quia, ut ait Divus Thomas 22. q. 178. art. 2. *Deus operatur miracula ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter: uno modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus. & hoc secundo modo non fiunt miracula, nisi à sanctis, ad quorum sanctitatem denuntiandam miracula fiunt, vel in eorum vita, vel etiam post mortem.* & Cajetanus ibi: *nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem falsæ doctrinæ.* addo & ego cum S. D. *neque ad confirmationem falsæ sanctitatis* unde egregie Medina 3. p. q. 43. art. 5. conclusio 2, dicit, quod miraculum est *sigillum Dei quo Deus ipse regulariter & ordinarie utitur in testimonium veritatis.* ergo ad procedendum rite & recte in vindicatione Martyris, probatio exigitur miraculorum, vel in ipso martyrio patratorum, vel saltem post mortem.

VI. Quia miraculum est signum magis certum, ad distinguendum verum martyrium à martyrio falso & putativo. ergo cum in martyris publica vindicatione, facta per Ecclesiæ Caput, declaret & definiret, hunc hominem esse verum Martyrem, ne se exponat periculo errandi, quod fieri nequit, debet examinari de miraculis. antecedens probatur ex Ioanne cap. 3, vers. 20, ubi Nicodemus dixit de Christo: *Scimus quia à Deo venisti magister.* cujus rationem dat: *nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis.* unde Cajetanus ibi dicit, *declarat Nicodemus unde sciat quod à Deo venerit, scilicet ex miraculis quæ faciebat.* & Ioannis 10, vers. 25, hoc idem dicit Christus, *opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* id est, *miracula demonstrant quod ipse est filius Dei:* ut interpretantur Augustinus ibi, sanctus Thomas ibi, & in Catena, Cajetanus & alii. unde colligunt Patres, quod neque Antichristus neque alius infidelis faciet vera miracula. hæc enim sunt testimonia irrefragibilia veritatis aut sanctitatis. sanctus Augustinus lib. qq. 83. q. 70. & lib. 22 de civit. cap. 9 & 10. Anselmus ad caput tertium epistolæ secundæ ad Thessal. ubi Ambros. & egregie uterque Thomas. Sanctus Doctor lect. 2. circa finem, Cardinalis in commentario. & hinc est ut supra dicebam, mos antiquissimus in Ecclesia quod sine examine miraculorum, saltem post mortem, nullus vindicetur sanctus Martyr. neque à tempore quo Summus Pontifex sibi hanc causam privative quoad omnes alios reservavit, non invenietur aliquis Martyr vindicatus qui non fecerit aliquod miraculum.

Quare hanc sententiam loquentes de vindicatione Martyris facta à Pontifice, tenent fere omnes antiqui, qui speciales tractatus de canonizatione edidere, nihil aliud tractantes, quibus plurimum est deferendum; alii etiam, qui speciales quæstiones fecere, qui omnes secuti sunt. ita docent Hostiensis in Summa tit. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum n. 5. ibi: *In Martyribus non fit tanta examinatio, sed quæritur tantum de miraculis, & causa propter quam passi sunt.* quæ verba transcripsere & approbarunt Ioseph. Mascardus tom. 1 de probat. conclus. 261. n. 9. Sylvester in Summa. verbo canonizatio, n. 1. q. 2. in fine. Rosela eodem verbo, versi. *vide quantum* Angelica n. 2. Azor p. 2. lib. 5. cap. 7. q. 7. vers. *si vero quis.*

ro quis. Auctor Candelabri Aurei in supplimento cap. 12. n. 12 & 13. Iacobus Castellanus de canonizatione Sanctorum q 5. vers. 6. ibi: *necessaria sunt miracula etiam in canonizatione sanctorum Martyrum.* Et idem tenet Archiepiscopus Florentinus 3 p. tit. de Reliquiis, Martinus Laudensis de canonizatione Sanctorum, §. quæ requirenda, n. 2. & §. si rescribant n. 3. Casaneus de gloria mundi. Petrus Gallasinus tractatu de canonizatione sancti Didaci p. 3. cap. 6. Dominicus de sancto Geminiano cap. 1 de Reliquiis & veneratione Sanctorum. ubi Ioannes de Lignano. quare merito Laudensis hanc affirmativam sententiam communem appellat, ut re vera est, quam in praxi sequitur Ecclesia.

§. 3. *Sententia quædam media rejicitur.*

QVidam Moderni, ponderantes utriusque relatæ sententiæ fundamenta, mediam introduxerunt, quæ fundamentis adductis comprobatur. asserunt igitur: quoties plane seu sufficienter constat aliunde de evidentia causæ, ob quam quis vere pro Christo patitur martyrium, tunc procul dubio, nullo pacto requiruntur, seu necessaria sunt miracula: & hoc probant argumenta primæ sententiæ. si tamen voluntarie adhibeatur miraculorum probatio, non erit superflua; quoties vero non plene constet de evidentia causæ martyrii, miracula sufficienter probata adhibenda erunt ad effectum canonizationis Martyrum, non solum tanquam valde utilia, verum etiam ut necessaria, & hoc probant argumenta sententiæ secundæ.

Cæterum sententia ista media medium rationis non attingit: nam seclusa revelatione plene & sufficienter constare nequit de evidentia causæ martyrii, quod sit ex charitate, & pro fide Christi, nisi adsit miraculorum probatio, saltem post mortem: ex hac enim præcipue ratione moti sunt, ut negent Hæreticis veros Martyres, quia inter illos nullus qui occisus est pro sua secta, vel post mortem aliquod est operatus miraculum, sicut Martyres Christi operantur. Ita Nazianzenus oratione 3. in Iulian. & in cygneis carminibus. Augustinus lib. 22 de Civit. cap. 8. Nyssenus in laudem Theodori Turonensis lib. 2 de miraculis sanctorum Martyrum, cap. 1, & lib. 3, cap. 12. Paulus Diaconus lib. 2 de gestis Longob. cap. 9. Theodoretus in Theophili cap. 21. Venantius Fortunatus lib. 4 in vita sancti Martini. Hieronymus contra Vigilantium, & notat egregie Baronius in proœmio ad Martyrologium cap. ultimo.

Et quidem cum Pontifex, caput militantis Ecclesiæ, in re gravissima & summe ardua procedat ferendo publicum & infallibile testimonium, quod hic homo, verbi gratia, sanctus Petrus Veronensis. sit verus Martyr, & ut talis proponatur toti Ecclesiæ colendus & venerandus, debet procedere per probationes luce meridiana clariores, ut est indubitatum. atqui si non adsunt vera miracula, non sunt probationes hujusmodi: nam, seclusis miraculis, fere omnes aliæ probationes non sunt concludentes, ut hic homo proponatur publice venerandus; cum, seclusis miraculis, non sit omnino certum in Ecclesia militante quod iste sit verus Martyr. & sic Cardinalis Baronius ad annum Christi 302. n. 20 & 21, adducens multa de miraculis verorum Martyrum, concludit satis prudenter, *non esse veros Martyres honore canonizationis condecorandos*, sed cum delectu.

Deinde, quia, ut optime Iacobus Castellanus tractatu de canonizatione Sanctorum q. 7. §. quæro qualiter. Negotium canonizationis justorum est non solum arduum & difficile, verum etiam est unum de majoribus, quod inter Christianos proponitur, ut glossa in cap. 1. de Reliquiis & veneratione Sanctorum in 6. & periculum vertitur, ne aliqui vanis & falsis figmentis decipiantur. quare Summi Pontifices summa diligentia de hoc inquisierunt. Ioannes XXII, in Bulla canonizationis S. Thom. D. Angel. sub datis Avenione, quinto decimo Kalend. August. Pontificatus sui anno 7. §. cæterum, dicit: *Non semel tantum, sed primo & secundo, non festine, sed mature inquiri fecimus de sanctitate vitæ & miraculis; inquisitionem hujusmodi exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto disquisitius inquisitum & examinatum existeret, in sic arduo difficilique negotio procedere valeremus.* & post pauca: *difficile namque existimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlo sunt, quis investigabit?* Quod totum verificatur in canonizatione Martyrum, de quorum vero martyrio judicat Ecclesia militans, hodie juridice & canonice, non constare sufficienter; nisi saltem post mortem aliquod verum miraculum intercedat, examinando testes de illo & de causa martyrii, eo modo quo sapienter dicit Castellanus, ubi supra.

Tandem, quia causa martyrii tam certo debet constare, ut Martyr vindicetur publico Ecclesiæ testimonio, ac constat sanctitas vitæ alicujus sancti Confessoris. uterque enim proponitur publice colendus à fidelibus, & in utroque est pars errandi periculum. atqui, nisi sanctitas vitæ probetur miraculis in vita & post vitam, non est sufficienter probata, ut omnes Relationes sanctorum canonizatorum à tempore primævo fatentur, & est certissimum apud omnes Canonistas cap. 1 de Reliquiis & veneratione Sanctorum. Ergo etiam hodie, nisi causa martyrii miraculis saltem post mortem probetur, non erit sufficienter probata ut Martyr hodie juridice vindicetur à Papa. quare, sicut Ecclesiæ ad excludendam omnem fraudem, & deceptionem non consuevit canonizare Confessores, sine operatione miraculorum probantium sanctitatem ipsorum non apparentem, sed veram esse, & hanc consuetudinem in praxi retinuit: sic ad excludendum similem fraudem, quæ potest contingere in probanda causa martyrii, adhibet in practica hodierna operationem miraculorum, saltem post mortem Martyris.

§. 4. *Iudicium Auctoris propalatur.*

EGo tamen, in negotio plane difficili propter utriusque sententiæ valida fundamenta, meum judicium expone sequentibus conclusionibus. I sit, quamvis antiquitus in primitiva Ecclesia, ordinarie contingeret aliquod miraculum, vel dum Martyr cruciaretur, vel post mortem, ut constat ex Historia Ecclesiastica primi, secundi, & tertii seculi; quod Deus faciebat ex motivis, quæ refert beatus Eulogius, adductus argumento tertio primæ sententiæ, & Baronius anno Christi 302 adducit; tamen in seculis posterioribus usque ad illud, in quo Summus Pontifex privative ad omnes alios, reservavit sibi Sanctorum canonizationem & Martyrum vindicationem, aliqui Martyres vindicati sunt ab Episcopis in suis diœcesibus, agnita solum causa martyrii, non facta inquisitione de miraculis, quos Ecclesia postea posuit in Martyrologio. ex vi cujus positionis manent canonizati ab universali Ecclesia, ex consensu tacito Summi Pontificis, cum de illis ut de veris sanctis

Sanctis vindicatis fiat Religiosa publica memoria, & ab universis fidelibus colantur, ut supra adnotavi, & post inveni expresse adnotatum, in Didaco Granados 22. controvers. 1. de fide tract. 7. disp. 3. sect. 3. n. 14, qui dicit: *Existimo verissimum cum doctis recentioribus quos consului.* hanc conclusionem existimo ego certam. & quam sanctus Eulogius intendit in Apologetico & in Memoriali Sanctorum, eandem & nil aliud probant argumenta facta pro prima sententia negativa. verum est semper in Ecclesia fuisse ad vindicandum Confessorem inquirere non solum de vita, & moribus Sanctis, sed etiam de operatione miraculorum, & virtutum, quibus contestetur Deus ejus sanctitatem.

II. Conclusio. Canonizatio aut vindicatio Martyrum, facta à Summo Pontifice per diploma & Bullæ expeditionem requirit necessario tanquam formam, quod fiat inquisitio miraculorum ad minus post mortem factorum à Martyre qui vindicatur. quod adeo certum existimo, quod Summus Pontifex sicut nunquam hucusque vindicavit Martyrem, nisi probatis ex ipso miraculis, ut constat ex primo fundamento secundæ sententiæ; ita nunquam vindicabit, nisi probentur de ipso & ad ipsius invocationem vera miracula. hanc conclusionem, me quidem judice, manifeste probant ea quæ adduximus pro prima sententia affirmativa; & ea quibus impugnavimus affirmativam mediam.

Sed ulterius probatur. I. Quia Pontifex Ecclesiæ visibilis Caput, dum Martyrem vindicat, ferens publicum & infallibile testimonium omnibus fidelibus, quod sit verus Martyr, unde definit & determinat quod sit in gloria, taliter quod affirmare contrarium sit ad minus erroneum; ergo tenetur adhibere omnem moralem diligentiam, ad inquirendum omnia media quibus moraliter sit certus de causa martyrii, sicut tenetur ad inquirendum in Confessore, ut sit certus de vita & Sanctis moribus, atqui nullum medium magis firmum ad inducendam hanc moralem certitudinem est, quam miraculum quo Deus loquitur contestans. Ergo sine illo nequit pro Ecclesia militante ferre hominibus testimonium de vera causa martyrii; ac per consequens nec Martyrem vindicare. atque ita ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, miracula sunt necessaria. videndus est Theodoretus lib. 8 contra Græcos, ad finem.

II. Quia, quando inducitur necessitas aliquid faciendi, hoc est de forma, ut notant Tiraquellus de retract. ligna. §. 36. glossa 2. n. 25. Barbosa Ariomate 100. n. 2. atque Pontifex Summus Gregorius relatus argumento tertio sententiæ affirmativæ. ut Sanctus quis habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria: *Virtus morum, & veritas signorum*, merita scilicet & miracula, ut hæc & illa sibi invicem contestentur; cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. atqui dum Martyr vindicatur, perhibetur inter homines testimonium veritatis. Ergo meritum martyrii sine miraculis non plane sufficit ad tale testimonium perhibendum.

§. 5. *Satis fit oppositis fundamentis.*

ARgumenta facta in favorem primæ sententiæ, jam diximus probare nostram primam conclusionem. pro quorum clariore solutione advertendum, quod aliud est Martyrem esse vindicatum secundum se, aliud quod sit vindicatus apud homines per publicum diploma Pontificium. ad prius non requiritur, nisi quod subsistat causa martyrii, & etiam ad hoc, quod antiquitus in aliqua provincia poneretur in catalogo sanctorum Martyrum, ut dies natalitius ipsius celebraretur. ad posterius tamen amplius requiritur ex praxi, ritu, & consuetudine Ecclesiæ, quod non vigebat tempore sancti Martyris Eulogii. quare primum & secundum argumentum probant, vindicationem Martyrum secundum se non requirere miracula; non tamen probant non requirere quoad homines.

III. Etiam idem probat duntaxat, ut constabit legenti cum attentione verba sancti Eulogii, qui loquitur de veritate martyrii secundum se, & probat locis Scripturæ & sancti Gregorii Papæ; vel etiam loquitur de vindicatione Martyrum in privata Provincia, & antequam vindicarentur per Apostolicum & universale diploma, & bullam Catholicam.

IV. Non est contra ritum, & consuetudinem hodiernam, secundum quam causa martyrii probatur per miraculum, quod magis necessarium est, quantum motivum, ex quo pendet bonitas & rectitudo causæ, est occultius.

V. Non probat etiam, quia generalis illa devotio hodie nobis non constat, nisi ex testimonio Pontificio, quod non fertur sine miraculis.

VI. Convincit, quod miracula sine meritis non plane probant, ut dicebat Gregorius IX, sed utrumque requiritur ad vindicandum Martyrem. Argumenta secundæ sententiæ jam dixi probare nostram conclusionem secundam, & sic non indigent speciali solutione.

Ad fundamentum sententiæ mediæ respondetur, quod hodie non sufficienter constat Summo Pontifici de causa, pro qua quis mortem subiit, nisi adsit miraculum: majora enim motiva & certiora requireret Pontifex ut vindicet Martyrem, quam requirebat Episcopus qui errare poterat, & aliquando erravit in vindiciis alicujus, quod dicere de Papa absonum est & erroneum.

TRACTATVS OCTAVVS.

De muneribus & honoribus Martyrum in alia vita.



POst mortem Martyres summis honoribus ab hominibus veneratos, veneratione & cultu vel minusculæ partis, non dico solum corporis, sed & cujuscumque alterius quod vel ipsos tetigit, Sancti ostendunt in multis ipsorum panegyricis, & Historiæ Ecclesiasticæ referunt mirabilia. qui autem summum de hoc solatium capere desiderat, legat Theodoretum ubi supra, sanctum Gregorium Turonensem, in opusculo illo celebri de gloria Martyrum, sanctum Eulogium Cordubensem in memoriali Sanctorum, sanctum Paulinum epistol. 2 ad Vitricium, & Tertullian. lib. ad Scapulam cap. 3. August. serm. 9. de sancto Vicentio inter 17 additos, Prudentium Hymno 5 peristepha.

RESOLVTIO XLV.

De honoribus exhibitis à Patre & Christo.

VT aliqua Patrum Elogia in ſanctos Martyres inducam, cum Raynaudo hanc pono Reſolutionem, cui anſam dedit Chriſtus Dominus, Matthæi cap. 10, verſ. 32. dicens: *qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* ad quæ verba ſanctus Thomas ibi dicit ita: *volo quod moriamini & patiamini. & quare? certe propter utilitatem veſtram, quia qui me confitebitur coram hominibus, confitebor illum cum habebo acceſſum ad Patrem.* Maldonatus ex Græco ſatis ad rem dicit: *qui gloriabitur in me coram hominibus, gloriabor & ego in eo coram Patre.* magnus honor Martyrum in cœlis, quod ſint motivum gloriæ Chriſti coram Patre. unde Baſilius homil. de quadraginta martyribus: *ô beatas linguas* (ait) *quæ ſacram illam vocem emiſerunt, quam aër quidem excipiens ſacer factus eſt, Angeli audientes plauſerunt, diabolus vero cum Dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus poſtremo in cœlum deſcripſit, in tabulis ſcilicet æternitatis,* quibus Deus Martyrum facta conſignat. quod elegantiſſime cecinit Prudentius:

Omnis notata eſt ſanguinis dimenſio,
Vt quamquam plagam ſulcus exaraverit
Altam patentem, proximam, longam, brevem;
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hinc in regeſtis liber eſt cæleſtibus,
Monumenta ſervans laudis indelebilis,
Relegendus olim ſempiterno judici.
Libramine æquo qui malorum pondera
Et præmiorum comparabit copias.

Hinc eſt, quod ſanctus Ignatius Martyr epiſtola ad Romanos nomine ſuo & aliorum Martyrum dicebat: *Non eſt in me ignis mundanæ, ſed cœleſtis materiæ, & aqua viva, quæ intus dicit, veni ad Patrem.* & Cyprianus lib. de exhortatione ad martyrium ait, *Martyrii inæſtimabilis gloria, infinita menſura, immaculata victoria, inæſtimabilis titulus, triumphus immenſus.* quare ſpeciali titulo, & munere in curia cæleſti ſancti Martyres, in conſpectu Throni Dei. *Apocalypſ. cap. 7, verſ. 14. hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine Agni. propter hoc ſunt in conſpectu Throni Dei, & qui ſedet in Throno habitabit ſuper illos.* alludit ſanctus Ioannes ad viſionem quam refert Eſdras lib. 4, cap. 2, verſ. 2 & 10, *hi ſunt, qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei; modo coronantur & accipiunt palmas. & dixit Angelo, ille juvenis quis eſt qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? & reſpondens mihi dixit: ipſe eſt filius Dei, quem in ſeculo confeſſi ſunt; ego autem magnificare eos cœpi, quia fortiter pro nomine Domini ſteterunt.* hæc ibi. quare Chriſtus coram Patre ſpeciali gaudio choreas ducit Martyrum, ipſos coronans & palmas in manibus tribuens. Vnde egregie Rupertus lib. 6. in Apocalypſ. explicans præfatum locum, dicit: *in illa tribulatione inſignius atque ſplendidius veluti aurum in camino ignis, Martyres de quibus fulſerunt, continuo ſubjungit, dicens: & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. nam, etſi univerſa Eccleſia ſanguine Chriſti mundata eſt ab omni delicto; multo magis iſti mundati atque candidati ſunt, qui adeo communicarunt ſanguini Chriſti, ut ſuum quoque ſanguinem funderent pro Chriſto.* & ſic Martyres ſunt candidati æternitatis, quia de ipſis ad literam intelligitur locus Ioannis, & ſic eos nuncupat Eſdras, & ſic ſpecialiſſimo titulo inſerviunt Patri & Agno. unde ſanctus Ephrem, poſteriori Martyrum laudatoria, ſic fatur: *Beatiſſimi Chriſti Martyres juxta ſolium gloriæ magnæ cum gloria atque fiducia adſtantes, oſtendunt vulnerum ſuorum, atrociumque cruciatuum ac verberum cicatrices in ſuis corporibus relucentes, ac ſolis ſplendorem ſua claritate ſuperantes.*

RESOLVTIO XLVI.

Martyres judicabunt?

OMnes homines Sanctos ſimul cum Chriſto judicaturos in univerſali judicio communis eſt ſententia, quatenus ſententia à Chriſto ſupremo Iudice & Domino vivorum & mortuorum lata manifeſtabitur bonis in præmium, & malis in pœnam. hæcque judiciaria poteſtas maxime conveniet pauperibus Spiritu, juxta illud Iob. cap. 36. & *judicium pauperibus tribuit.* unde gloſſa ad illud Matth. 19, *vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti ſunt Dominum, hi judices erunt.* quod probat Divus Thomas in 4. diſp. 47. quæſt. 1. artic. 2. q. 2. triplici congruenti ratione, cui conſentiunt cæteri. & ſic in hac univerſitate judicum etiam ingrediuntur Martyres, nec de hoc poteſt eſſe dubium; ſolum ſupereſt explicare, an aliqua ſpeciali ratione ſint ſancti Martyres judices, ex auctoritate Chriſti conſtituti in univerſali judicio.

Ego quidem exiſtimo partem affirmativam veriſſimam, quam docuit expreſſe ſanctus Cyprianus ad Martyres, quorum mirabilia elogia ex ipſius S. ſcriptis in unum collegit Cornelius à Lapide ad caput 10 Matth. verſ. 32, quæ placuit referre: *Martyr efficitur collega paſſionis Chriſti. Martyres præſtant magiſteria morum, Confeſſores initia virtutum. Martyres cum Chriſto futuri judices, Martyres ſine cunctatione Regnum cœlorum obtinent, Martyres fructum centenarium percipiunt. Martyrum triumphus glorioſus, Martyrum fides & fortitudo inexpugnabilis, Martyrum corona eo ſublimior, quo longior Martyrum oratio meretur à Deo exaudiri. Martyrum triumphis lætatur Eccleſia, Martyrum prærogativa poſſunt lapſi apud Deum adjuvari. Martyrum memoria paſſiones & dies anniverſaria ſacrificiis celebrari ſolita. Martyribus patent cœli, tempore perſecutionis. Martyrio ſtatim patet ingreſſus ad Regnum cœlorum. Martyrium per Baptiſma ſanguinis omnium excellentiſſimum. Martyrii initium ab Abel. Martyrii ſubeundi adjutor, teſtis & probator Chriſtus. Martyrium jam libenter appetunt, qui mortem contemnere dicunt:* hæc & plura alia encomia Martyrum, & veri Martyrii invenies apud Patres. quid ergo mirum, quod judices ſint cum Chriſto in extremo judicio? ad quod probandum ſuppetunt ſacræ paginæ teſtimonia.

I. Sit ex Sapientiæ cap. 3, verſ. 9. *fulgebunt juſti tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, judicabunt nationes, & dominabuntur populis.* quem locum de Martyribus intelligunt Patres. Cyprianus lib. de laude martyrii, num. 28. & epiſtola 81 ad Sergium ibi: *quando ergo judicaturos vos, & regnaturos cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis neceſſe eſt.* & de exhortatione ad martyrium cap. 12. ex quo deſumpſit Luciferus Calaritanus, in tractatu quod moriendum ſit pro Filio Dei, parum poſt principium tom. 4. Bibliot. Patres, Eulogius Alexander lib. 5 contra Novatianos apud Photium Codice 280 ſanctus Bonaventura ibidem, ubi gloſſa ordinaria & interlinealis: & quidem ad literam ſpecialiter loqui de Martyribus ſuſtinentibus pro fide Chriſti tormenta, clare conſtabit legenti.

II. Sit ex Apocalypſi cap. 20, verſ. 4, *& vidi*

sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, &c. quem locum Ribera, Vegas, Cornelius, & alii sic comentantur ad propositum. vidi sedes magnificas & augustas, & animas decollatorum, & sederunt hæ animæ super has sedes, & judicium datum est illis, quia à Deo creati & destinati sunt judices, ut cum Christi in die judicii judicent orbem. habent ergo nunc animæ decollatorum judiciariam potestatem, quasi in actu primo; sed ejus usum & actum secundum exercebunt in die judicii. hæc est genuina hujus loci interpretatio: nam ea, quam adducit Alcazar, extorta est & violenta.

III. Sit Matth. 19, vers. 27, ubi Petrus dixit ad Iesum: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël.* quæ sedes alludere videntur ad sedes in quibus sedebant animæ decollatorum, qui vere secuti sunt Christum. in quem Matthæi locum sic Venerabilis Beda in natali sancti Benedicti: *duo sunt ordines electorum in judicio futuri, unus judicantium cum Domino, de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & secuti sunt illum, alius judicandorum à Domino*, &c. atqui nullus vir quantumvis perfectus, omnia visibilia reliquit, sicut Martyr qui propter Christum etiam vitam reliquit. ergo in ordine judicantium constituendi sunt Martyres. qui enim vitam perdidere persecutionem patiendo propter justitiam, multo magis debetur judiciaria potestas. ut enim ait Hieronymus ad locum præfatum Matthæi: *non debetur judiciaria potestas illi, qui reliquit omnia: hoc enim fecerunt multi Philosophi, sed quia secuti sumus te, quod est Apostolorum atque credentium.* Martyres autem inter omnes viros perfectos secuti sunt Christum, morientes propter justitiam. & sic illis debetur post Apostolos judiciaria potestas, quia isti perfectius omnia visibilia contempserunt, ut ad invisibilia pervenirent, ut egregie sanctus Thomas 2. 2. q. 124. artic. 4. in corpore. quare Abulensis quæst. 205. ad caput 12 Matth. dicit, & bene, *quod paupertas voluntaria non est tantæ excellentiæ, sicut martyrium pro Christo susceptum, & virginitas pro eo servata, & ideo magis facit virginitas & martyrium ad merendum sedem judiciariam, quam paupertas voluntaria. & tamen tribuitur voluntariæ paupertati, quia ipsa est origo ad perfectionem per quam meretur quis sedem judiciariam. de virginitate autem & Martyrio non est dubium quin pertineant ad perfectionem per quam habetur sedes judiciaria. nam Christus dixit: sequere me, post abjectionem divitiarum. in qua sequela intelliguntur omnes modi perfectarum virtutum, de quibus sunt Virginitas & martyrium.* hæc Abulensis.

Et Augustinus epistola 89 ad Hilarium, quæst. 4. circa finem, locum istum de Martyribus elegantissime explicat sic: *divitias* (inquit) *ad quas vendendas parati non fuerant monente Christo, ad perdendas eas debent esse parati pro Christo, ne cum eis pereant perdito Christo. Habemus hinc utriusque sexus divites, clarissimasque personas, martyrii gloria sublimatas. ita multi, quos rerum suarum vindicatione piguerat, antea perfici, Christi imitata passione sunt repente perfecti*, de quibus dicit judicaturos cum Christo.

Divus Thomas 1. ad Corinthios 6. lect. 1. ad illa verba, *nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* sic dicit: *hoc tripliciter impletur: primo quidem secundum comparationem scilicet, secundum quod non solum boni judicabunt malos, & sancti mundanos; sed etiam secundum quod boni judicabuntur à melioribus, & mali judicabunt pejores, secundum illud Matthæi 12, viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. secundo judicabunt approbando sententiam judicis, scilicet Christi, & hoc erit proprie justorum. Vnde Sapient. 3. dicitur: judicabunt sancti nationes. tertio modo per sententiæ prolationem, & hoc erit Apostolorum & similium, qui, contemptis rebus mundi, solis spiritualibus adhæserunt. intelligitur autem ista prolatio sententiæ non vocalis, sed spiritualis, in quantum per superiores sanctos inferiores vel etiam peccatores spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ, & qualia præmia eis debeantur: sicut etiam nunc homines illuminantur ab Angelis, vel etiam inferiores Angeli à superioribus.*

Quam doctrinam desumpsit sanctus Doctor ex Ricardo de sancto Victore p. 1. tractat. de judiciaria potestate, ubi postquam distinxit judicium particulare, quod fit in uniuscujusque morte; & judicium ultimum & universale, quod erit usquequaque plenissimum, ita ut sufficienter respondeat conscientiis singulorum simul & omnium, tam in anima, quam in corpore. & explicans illud Ioannis in Apocalypsi cap. 20, vers. 13, *& judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*; dicit: *quid intelligimus per hos libros, nisi singulorum conscientias? Apertio igitur librorum est manifestatio conscientiarum his libris inscribitur quidquid ab eis memoria retinetur. in aliis ita hujusmodi libris continentur merita humana, in aliis vero etiam judicia divina: in aliis qualitas actionum, in istis qualitas etiam retributionum. unusquisque enim in corde suo quasi scriptum gerit, unde eum sua conscientia accusat vel defendit.* quod, qualiter fiat, eleganter explicat aliquantulum ante finem, his verbis: *Splendor quidam divini luminis de perfectorum cordibus radiabit, quæ unicuique universa quæ in corde suo bona vel mala latebant, manifesta visione denudant: cogita igitur, quomodo nunc ad hujus corporeæ lucis infusionem eorum quæ in domo tua sunt statim omnia circumspicit, & non solum quantitatem, sed qualitatem rerum sub uno & simplici aspectu deprehendit. constat autem lucem illam incorpoream multo præstantiorem, multo efficaciorem in genere proprio, quam ista sit vel esse possit in genere suo. parum itaque est quod dixi, quod radius ille incorporeus plene demonstrat singulis sibimetipsis, imo & sibi & aliis. videmus quomodo ad primum radium emergentis solis omnia, quæ omnium oculis cæca nox abduxerat, iterum omnium oculis reddat; quomodo statim omnia pateant quæ prius latebant. Vix adhuc montium cacumina lucis radium suscipiunt, & jam ex luminis reverberatione quam in valles diffundunt omnia quæ ibi sunt, omnia quæ ibi fiunt, omnibus patefiunt. sic, uti qui summi & perfecti viri perpetua stabilitate fundati, stupenda sublimitate magnificati, & vere montes æterni, radium divinæ sapientiæ immissum suscipiunt, & ex suscepta reverberatione, quam circumquaque diffundunt, omnia quæ pro judicii ratione manifestare oportet, sub temporis momento in lucem adducunt. Hinc est illud, quod audis in Psal. 75. illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Iam (ut arbitror) ex parte perpendis ista illuminatio à montibus æternis quam sit absque omni ambiguitate mirabilis. nam ex illo divini splendoris lumine, quod sancti suscipiunt ad inferiora refundendo judicandorum quibuslibet tam meritorum, quam retributionum qualitatem, aut dubia visione ostenduntur*, &c. satis pulchra quæ sequuntur.

Ex dictis colligere licet, quibus & quo ordine hæc judiciaria potestas conveniat. primo Deo Trino unique, à quo est omnis potestas in cœlo & in terra participata. secundo Christo Domino, qui, ut ait Divus Thomas 3. p. quæst. 59. artic 3, *in quantum homo Deus, eam habuit propter divinam personam, propter*

per capitis dignitatem & propter plenitudinem gratiæ habitualis. & tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut scilicet secundum Dei justitiam judex esset, qui pro Dei justitia pugnavit & vicit, & injuste judicatus est. unde ipse dicit Apocal. 3. ego vici & sedi in throno Patris mei. in throno autem intelligitur judiciaria potestas, secundum illud Psal. 9. sedes super thronum, qui judicas justitiam. ex quibus verbis clare colligitur, quod cum Martyres conformentur Christo Domino realiter pugnando pro justitia Dei, & vicerunt, & injuste condemnati sunt, habebunt secundo loco judiciariam potestatem post Apostolos, qui omnes immediatius quam cæteri, qui voluntariam paupertatem devovere à montibus illuminabuntur æternis, ad proferendam sententiam à Christo primo judice latam, eo modo quo explicat Ricardus. an vero corporea voce dicent: *ite maledicti in ignem æternum, & venite benedicti*, &c. utrumque probabile. postea sequuntur Virgines, & ultimo Religiosi, qui perfecte se abdicarunt à temporalibus divitiis, & salvi facti sunt. Legantur Granados tertia parte, tom. 2. controvers. 13. tractatu 4. à disputatione 2. Abulensis, qui late de hac materia quærit ad cap. 19 Matth. à quæst. 192, usque ad quæst. 207.

RESOLVTIO XLVII.

An Martyres liberabunt in die judicii eos, qui sunt ad sinistram, ut veniant ad dextram.

RAynaudus p. 4, cap. 6, num 24. tacito nomine refert scriptorem modernum, asserentem fuisse Patrum antiquissimam traditionem, tantam Martyrum prærogativam futuram in finali judicio, & tantam precum suarum energiam & efficaciam, ut penes ipsos sit futurum amplum privilegium à Deo sibi concessum, eximendi quos voluerint à damnatorum numero, & acri solvere supplicio, ut expresse Prudentius Hymno 6 de sancto Fructuoso, & Hymno 9 de sancto Romano:

Romanus erat, transfer hunc hædum mihi,
Sit dexter agnus, induatur vellere.

Et similia transcripsit Enriques Altisiodor. lib. 9 de vita sancti Germani:

Germanus poscit. non fas sprevisse precantem,
Hunc hædum niveos quam primum transfer in agnos.
Agnus eat dexter, decoretur vellere pulchro.

Hos imitatur Venantius Fortunatus lib. 4 de vita sancti Martini. & quod magis est, hanc imaginationem luculenter expressisse videtur Cyprianus lib. de lapsis, num. 36. dicens: *credimus quidem posse apud judicem plurimum Martyrum opera, & merita justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum seculi hujus, & mundi apud tribunal Christi populus ejus steterit.* Innuit tamen præfatus nuperus Auctor, hanc fiduciam in Martyrum meritis inanem esse & prorsus rejiciendam, eo quod sacra Scriptura proclamat oraculo, quo maledictus denunciatur homo, qui confidit in homine.

Exclusionem fiduciæ, & traditionis hujus, admittit Catholice Raynaudus, olfaciens subtiliter ex fundamento, quo nixus rejicit traditionem ad Lutheranismum declinare, & subolere hæreseos fermentum, quo Sanctorum communionem, qua mutuis orationibus juvemur, impetunt hæretici. de quo alibi.

Cæterum traditionem ipsam examinare non erit incongruum. & quidem, si loquamur de lege ordinaria, certum est, secundum fidem contra Origenem & sequaces, hædos qui ad sinistram, non posse transire ad dextram, nec transferri ad niveos agnos, qui ad dextram sunt collocati; nam certa fides docet, quod ubicumque ceciderit lignum, ibi in tota æternitate mansurum. Legantur sanctus Gregorius lib 34 Moral. cap. 11. Sanctus Thomas in 4. dist. 47. Lessius lib. 13 de divina perfectione, cap. 26. Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 48, num. 11. Moure de incantat. lib. 1. sect. 2, cap. 3, anno 34. & quidem cum damnati sint extra viam positi, culpam abjicere nequeunt, nisi reducantur ad viam in qua de illa conterant. non dimissa autem culpa, sed æterna perseverans, æterna perseverat pœna; & sic nihil juvat damnatis hædis suffragium oratiove Martyrum, ut ad *niveos agnos* transeant, tunc temporis quando erit dies illa tremendi judicii universalis, quod exequetur secundum tenorem sententiæ latæ in judicio particulari, à qua nulla precatio tam potens erit, ut avertat immutabile judicis decretum.

Si tamen instituatur sermo de potentia absoluta, juxta quam hoc privilegium Martyribus concessit, ut illud exequantur in die judicii, ut possint liberare quem maluerint, sicut dum in terris vitam agerent, simile privilegium concedebant lapsis, ut possent fideles cum illis communicare, quamvis de lege universali sine Martyrum communicatoriis non poterant, difficultas non parva est, quam nullus quem viderim tractat. De potentia absoluta miraculose, & non de lege ordinaria videntur loqui Patres illi citati; & quod magis D. Ioannes Damascenus in elegantissima illa oratione de fidelibus defunctis, quæ, si de potentia absoluta intelligatur, nulla est censura digna, nec monstra aliqua habet ut existimat quidam. intentum enim sancti Doctoris est confirmare traditionem Ecclesiæ de suffragiis pro animabus defunctorum, utilem valde esse & ab Apostolis introductam. hæc autem suffragia juvant animas justorum, qui aliquid purgandum habent juxta legem ordinariam à se sancitam. quam veritatem probat ex sacra Scriptura, & sancti Basilii, sancti Athanasii, sancti Gregorii Nazianzeni, & aliorum auctoritate. respectu tamen eorum quia sunt in inferno, suffragia & orationes non prosunt de lege ordinaria, possunt tamen prodesse miraculose, & de potentia absoluta. Quod probat ex Scriptura, his verbis: *hi sunt, (ut quidem mea fert opinio) quibus Christus in inferno salutem attulit: sic igitur à nobis juvante Christo demonstratum est in inferno quoque confessionem extitisse. nec vero hæc eo commemoranda duximus, ut prophetiam evertamus, sed ut planum faciamus, illum bonitate omni præstantiorem Dominum ab humanitate sua, clementiaque vinci; quemadmodum de Ninive dicit subvertetur, & tamen subversa ac deleta non est; verum judicii severitatem benignitas superavit. & in Ezechia: Dispone domui tuæ, morieris enim, & non vives; nec tamen morte abreptus est. Hic quoque rursus latam sententiam vicit. quemadmodum & in plerisque aliis judiciis, semperque usque ad extremum referendæ mercedis tempus superabit: nam tunc nundinæ solventur, nec ferendi auxilii tempus erit, sed unusquisque sarcinam suam gestandam habebit, nunc vero & opis ferendæ tempus est, & tempus negotiandi, & tempus contrahendi, & tempus laboris & ærumnæ.* & in principio orationis loca Scripturæ, quæ huic doctrinæ videbantur contraria, explicans, sic fatur: *quæ & his similia procul dubio de Creatoris adventu, & horrenda illius temporis sententia, atque hujusce mundi consummatione dicta sunt. tum enim ferendi auxilii nequiquam tempus erit, verum omnis deprecatio frustra adhibebitur: solutis enim nundinis negotiari jam, ac quæstum facere non licet. ubi enim tum pauperes existent? ubi Missæ? ubi Psalmorum cantiones? ubi beneficia & probæ actiones*, &c.

Igitur ut plenius intentum sancti Doctoris & Theo-

Theologi eminentissimi comprehendatur, notandum, ut paulo ante dicebam, orationis præfatæ scopum eo dirigi, ut probet suffragia per eleemosynas, Iejunia, Missas, Psalmorum cantus, & similia opera pia juvare animas defunctorum ut à peccatis solvantur, quod dicit ortum ducere ex Apostolica traditione. *quod* (inquit) *firme atque constanter, ac sine ulla controversia Catholica atque Apostolica Ecclesiæ, ab extremis finibus ad extremos usque fines ab eo tempore ad hunc hucusque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus hic erit, retinebit. nec vero inconsiderate ac temere & sine ratione hoc ab illis institutum: nec enim quicquam quod utilitate careat Christianorum religio, quæ ab omni errore aliena est, suscepit, fixumque semper ac stabile retinuit, &c.*

II. Notandum sanctum Doctorem loqui de suffragiis pro his, qui in fide Christi decesserunt: hi enim sunt in duplici differentia, alii sunt qui obierunt in fide formata, sed nondum omnino purgati, purgandi tamen in purgatorio, & de his principaliter intendit loqui contra quosdam hæreticos, qui negabant mortuos juvari suffragiis vivorum, negantes Purgatorium, ut fuerunt multi Græci & Armeni, quorum primus fuit Arrius Presbyter, contra quem Augustinus lib. de hæresibus ad quod vult Deus, cap. 55. & hic error revixit tempore Damasceni, & tempore Petri venerabilis Abbatis 9 Cluniacensis, qui claruit anno 1157. idem docuerunt Cerenes dicti Petrohusiani, contra quos eruditissime insurgit sanctus Abbas tractatu speciali contra ipsos, qui habetur tom. 12 Biblioth. P P. p. 2. & nostris diebus illum suscitavit Lutherus, quem sequuntur alii hujus temporis Novatores. Est autem sanctorum Patrum consuetudo, ut, dum aliquem hæreticum impugnant, ita se illi ex diametro opponere, ut in contrarium errorem videantur incidere. sic Augustinus ita dimicat pro gratia Christi efficaci contra Pelagium & ejus reliquias, ut liberum arbitrium videatur penitus evertere. & Patres Græci etsi Catholicam doctrinam de visione Dei in seipso docuerint, ut eruditissime demonstrat Epidius Lusitanus tom. 2 de beatitudine, lib. 12. q. 1. art. 4. contra Vasquez, tamen, ut se opponerent hæreticis, qui dicebant Deum naturaliter in seipso esse visibilem, in alium videntur extremum errorem declinasse, ut dicant nec Angelos videre Dei essentiam, sed quemdam ex ipsa dimanantem fulgorem. sic sanctus Ioannes Damascenus, volens probare contra hæreticos suffragia esse utilia mortuis, dicit, non solum mortuis in gratia; sed etiam mortuis qui decesserunt in mortali, sed cum hoc discrimine, quia illis prosunt suffragia de lege ordinaria, & ex vi præsentis providentiæ, & secluso miraculo; at istis non ex vi hujus providentiæ, quæ de facto est & secluso miraculo, sed illa acceptat Deus pro damnatis, tamquam *Deus miraculorum*. sic enim ipsum appellat aliquantulum post medium orationis. sic enim suffragium sancti Gregorii profuit Trajano.

Quod confirmat sanctus Doctor aliquantulum post principium, his verbis: *Quidnam autem est, quamobrem grave ac molestum hoc quibusdam videatur? An non ea quæ martyrio primo functa est, Falconillæ vita functæ salutem attulit? At dices fortasse hanc merito, quia Princeps Martyr erat, hoc consecutam esse, æquumque fuisse preces ipsius exaudiri. Recte inquam, ais eam primam Martyrem fuisse. velim hoc rursus consideres cujusnam causa postulabat? Nempe pro gentili & idolorum cultrice, prophanaque prorsus opifice, atque à Christo aversa. Hic autem fidelis pro fideli ad eundem Dominum preces fundit. Conferte rursus ab his ad alia ejusdem generis & facultatis, nimirum ad Lusiacam illam Palladii Historiam, in qua miracula à magno ac magnifico viro Macario edita verissime perscripta sunt; ubi ponitur responsum quod Eranium dedit Macario.* ad quæ verba *Iacobus Billius n. 9. hujus rei fit mentio in Græcorum Euchologio cap. 96, de mortuis & voluntate tua Falconillam primam Martyrem exaudisti, pro matre sua idolorum cultrice orantem, nec ipsius preces contempsisti: verum ut summe bonus, ac reconciliatu facilis veniam ipsi concessisti: ac rursum quemadmodum Trajanum per intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagro solvisti, exaudi etiam nos orantes, non pro idolorum cultrice, sed pro fideli servo tuo, &c.* ex quo constat quam bene sanctus Doctor dixerit de Trajani Historia: *Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, oriens totus atque occidens testatur.*

Dicit sanctus Doctor, quod Christus *descendens ad inferos omnibus his, qui vitæ curriculum honeste confecerint, servata cumulatiore postea mensura refertur; contra qui turpiter ac scelerate vixerunt, nihilque omnino quod cum virtute conjunctum esset, egerunt, nec semen ullum ac fructum habuerunt, verum & vita, & sermone, & fide prorsus aberrarunt, nec pluvia divina cælitus in eos fusa, ullum germen ediderunt, (neque enim, ut jam à me dictum est, sementem ullam fecerunt,) nec, ut prorsus steriles, illucescente gloriæ sole maturuerunt, his profecto nullo modo Christus profuit, nec lapsos, ut opinor, secum excitavit, ut qui salute penitus indigni essent; quin nec in ipsum quidem eos credidisse existimo. Primus enim ille ex superbia in tenebras lapsus draco, quem à prima ætate coluerunt, mentes eorum ac spirituales cordis oculos excæcavit, ut videntes non viderent, & intelligentes omnino non intelligerent; reliqui autem omnes qui semen susceperunt, illapsa pluvia germen protulerunt, atque exorto sole maturitatem contraxerunt.*

Itaque sanctus Doctor duplicem classem damnatorum existentium in inferno, quando Christus ipsum visitavit in triduo mortuis, posuit: 1. Eorum qui virtuose vixere, per difficilem, ærumnosam & angustam vitam incedentes, qui imperarunt perturbationibus animi, respuerunt voluptates, paupertatem & continentiam ad extremum usque coluerant, vigiliis se confecerunt; atque, ut paucis complectar, omnia virtutis munera, haud pie illi quidem, sed tamen expleverunt, Summæque providentiæ, ut quidem ipsis videbatur præstantissime, tametsi non sine erroris labe, cultum & venerationem adhibuerunt: & postea subdit eos, qui, etsi exilem & valde obscuram, habuerunt cognitionem Trinitatis, & incarnationis, & miraculorum à Christo factorum. & hi omnes pertinent ad primam classem existentium in inferno, quos Dominus, retibus divinis inclusos, in sublime traxit.

Quam sententiam amplexati sunt plures Patres Græci. Nazianzenus oratione 42, quæ est secunda de paschate, n. 59 ibi: *Si in infernum descendat* (Christus) *simul descende tum atque mysteria cognosce, quæ Christus illic designavit, quod duplicis descensus consilium, quæ ratio fuerit, utrum omnes sine ulla exceptione salvos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt.* ad quæ verba Billius sic fatur: *videtur hic alludere ad id, quod ait Petrus in priori epistola sua cap. 3. nempe Christum eis qui in carcere erant, prædicasse. ex quo loco suspicatur Nazianzenus Christum ita cum ipsis egisse, ut eos quidem, qui ad ipsius adventum fidem amplexi sunt, in cælum duxerit; eos autem qui fidem habere noluerunt in pœnis reliquerit.* & Nicetas: *Christus in infernum descendens non omnes, verum eos solos qui crediderunt, salvos fecit. Chrysostomus ipse affirmat neminem in inferno à Christo salutem accepisse, nisi qui salute dignus esset,*

esset, cum ex hac vita discessisset; & fortasse qui tunc crediderunt salute digni habiti sunt. cujusmodi quiddam de ethnico Platone, in Patrum Historiis circumfertur, &c.

Sententiam Damasceni secutus est Epiphanius hæresi 46 contra Tatianos: *Vnde etiam sanctum Adam Patrem inter vivos credimus, propter quem, & nos qui ab ipso sumus omnes, Christus venit, ut his quidem qui olim ipsum cognoverant, & ab ipsius deitate non aberrarunt, verum propter errores in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur; his quidem qui adhuc in mundo sunt per pœnitentiam, qui vero in inferno per misericordiam & salutem.* Hæc ibi, & loquitur de Christo descendente ad inferos.

II. Classem agnoscit sanctus Doctor, eorum qui in inferno remanserunt. dicere enim omnes qui fuerunt damnati, fuisse à Christo liberatos, est hæresis manifesta, contra quam Augustinus hæresi 79 in libro de hæresibus, ad quod vult Deus. Hi vero in inferno damnati, torquendi æternis doloribus, ex Damasceni sententia sunt qui ex mala sua, & perdita vita non fuerunt digni misericordia Christi.

Igitur, ut recte intelligatur mens Damasceni, notandum, quod sicut Christus dum vixit, opera miraculosa fecit, liberando oppressos à diabolo, ad vitam alios reducendo: ita descendens ad inferos miracula fecit liberando à pœnis inferni, utens sua potentia absoluta, eos qui in ipsum credidere. Itaque ex sententia Damasceni Christus, dum aliquos damnatos ex inferno inferiori liberavit, non est usus potentia & lege ordinaria Redemptoris, sed absoluta & extraordinaria, & tamquam *Dominus miraculorum*, sicut liberavit matrem sanctæ Teclæ, quia ut prima Martyr pro illa oravit, & Trajanum propter orationem sancti Gregorii Magni, post cujus tempora vixit Damascenus, tempore Gregorii secundi, ut probat Iacobus Billius in ejus vita. unde dubitandum non est, hanc orationem esse Damascenam, ut constat ex stylo, & gravitate, & reverentia, qua utitur in sanctos Patres, quos citat modo satis usitato apud ipsum.

Hæc dixerim in defensionem sancti Doctoris, (in cujus tempore satis plausibilia erant quæ dixi, ut explicavimus, quamvis hodie defendere non auderem, quod Christus de potentia absoluta, aliquem liberaverit ex inferno inferiori) ut videat non nemo qua veneratione uti debeat dum citat sanctos Doctores, qui sunt Patres nostri in doctrina sana. quare si quid durum protulerint suavificandum, & leniendum oleo rectæ intelligentiæ. quare tota prædicta oratio, ut à me extricata est, nulla est digna censura: non enim est de fide, Christum non liberasse aliquos de doloribus & pœnis inferni damnatorum miraculose, & de potentia absoluta: nam hoc esse possibile certissimum est, & quod de facto ita contigerit asserunt multi Patres, & graves Doctores. Legatur sanctus Petrus Venerabilis, in Dialogo contra Petro Housianos cap. contra id quod dicunt, vivorum beneficia nihil prodesse defunctis. ea enim argumenta quæ D. Thom. 3 p. q. 52. art. 6 & 7, solum probant de lege ordinaria Redemtoris.

Ex quo fit non esse licitum orare pro defuncto, quem certo & infallibiliter scio esse damnatum, nisi ex particulari instinctu, & revelatione motus id faciam. cum enim sine miraculo à pœna æterna liberari non possit, cum sine speciali instinctu non sit licitum petere miraculum, ita non est licitum orare pro damnatis.

Sed ut illuc revertatur sermo, unde digressus est, existimo Prudentium, & alios quos in principio adduxi, loqui de potentia absoluta. id quod insinuat Venantius:

Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna:
Nam scio posse reum, quemvis tibi cedere Christum.

Non quod ea usurus sit Christus in ipso die tremendi judicii universalis: tunc enim non est locus indulgentiæ, sed executionis sententiæ; sed quia sancti Martyres, ex nunc pro tunc orant Patrem, ut ille qui ut hædus erat in libris æternitatis conscriptus, sit Dexter agnus, & induatur vellere pulchro, sicque compareat in universali judicio. sic etiam intelligitur Cyprianus, estque genuina illius intelligentia. valent quidem apud judicem Martyrum merita, sed quantus sit ejus valor, manifestum fiet cum judicii dies advenerit. tunc enim clarescent eorum intercessiones, quantum profuerint, pro salvandis hominibus sibi devotis. aliam expositionem inducit Raynaudus, quam examinare non curo quia alia me expectant.

RESOLVTIO XLVIII.

Martyres in cœlo orant pro nobis Dominum.

Breviter etiam ab hac resolutione me expediam. Vigilantius, ut refert sanctus Hieronymus, in tractatu contra ipsum, qui habetur tom. 3. existimavit, quod dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus, & post mortem nullius oratio pro alio exaudienda, præsertim cum Martyres ultionem, sui sanguinis obsecrantes impetrare nequeant: dicunt enim Apocalyp. 6. ℣. 10. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, voce magna dicentes, quousque Domine (sanctus & verus) non judicas, & non vindicas, sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum*, &c. quem locum explicantes Augustinus sermone 11 de sanctis, & sanctus Gregorius Magnus lib. 2 Moral. cap. 4 dicunt, Martyres non impetrasse, quod petebant, usque ad adventum cæterorum Martyrum. hunc errorem secuti sunt Waldenses, in quorum verba jurarunt Wicleph, Ioannes Hus & Bohemi, Lutherus & Oecolampadius in commentariis ad Isaiam.

Verum contra ipsos sic argumentatur Hieronymus contra Vigil. *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post victorias, coronas & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam; & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Domino esse cœperint minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis qui in toto orbe suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit, meliorque Vigilantius canis vivus, quàm ille Leo mortuus?*

Deinde hic error manifeste rejicitur ex Zachariæ cap. 1. ℣. 8. ubi Angelus Beatus orat pro liberatione populi Iudaici. id quod innumeris aliis locis constat. si enim Hieremias, existens in limbo Patrum, *multum orabat pro populo*, ut dicitur Machab. 1. cap. 15. ℣. 18. ut Onias jam mortuus apparens Iudæ Machabæo revelavit, quanto magis Beati existentes in cœlo qui meruerunt existentes in terra, ut pro nobis deprecantes exaudirentur in cœlo, ut explicuit D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 11, ad 1 & 5.

Rejiciunt hæreticos Bernardus sermone 62 in Cantica, explicans illud, *Oratio justi penetrabit cœlos: sunt* (inquit) *cœli sancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui favorabili quadam pietate nostris se votis clementer inclinant, & insinuatis ad tactum nostræ devotionis affectibus, in sua nos recipiunt viscera, quoties digna ad eos intentione pulsamus: pulsanti enim aperietur. licebit itaque unicuique nostrum, etiam hoc tempore nostræ mortalitatis, cavare sibi, quacumque parte volet, cavernas supernæ Maceriæ, nunc quidem Patriarchas, nunc salutares Prophetas, nunc senatus immisceri Apostolorum, nunc Martyrum inseri choris*, &c.

Damascenus lib. 4 de fide, cap. 16, circa medium: *quid non laboris suscipies, ut Patronum quendam nanciscaris qui te mortali Regi efferat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? an non igitur hi honorandi sunt qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant*, &c. Egregia.

Sanctus Cyprianus epistola ad Cornelium Papam, quæ est 57, num. 14, sic fatur: *si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus, sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.*

His adjungo Theodoretum lib 8 de affection. Græcorum, ubi de orationibus Martyrum, Augustinum de sancto Cypriano. & lib. 7 de Baptismo cap. 2. Nectarium oratio. in Theodorum Martyrem, Nyssenum in eundem, D. Maximum oratione in Nazarium; & Celsum, sanctum Iacobum in sua Liturgia, quam ut suam agnoscit sexta Synodus canone 32. Synodus 7, canone 7. & innumeros alios ab exordio Ecclesiæ possem adducere; sed hi sufficiant.

Fundamentum Divi Thomæ idem convincit de omnibus Sanctis, & præcipue de Martyribus. Quia oratio, pro aliis facta, ex charitate originatur; & sic quanto Sancti, qui sunt in Patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui Sanctorum orationibus juvari possunt; & quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces. Habet enim hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aërem.

Sed insurgit difficultas non parva, quia si oratio, facta pro aliis, originatur à charitate, qua alios diligimus propter Deum. ergo cum diligamus Sanctos qui sunt Beati, possemus orare pro illis, vel ut detur gloria corporis quam ipsi expostulant, & pro qua orant saltem quoad temporis brevitatem; vel aliquod gaudium, & gloriam accidentalem non connexam necessario cum essentiali: quam accidentalem gloriam si ipsi sibi non possunt, possumus nos ipsis mereri saltem de congruo; tum etiam, quia quando dicitur quod fit injuria Martyri si pro ipso oratur, intelligitur ad remissionem alicujus pœnæ, aut consecutionem gloriæ essentialis.

Huic difficultati Pater Suarez tom. 2 de Religione, lib. 1, cap. 14, num. 4. ex Bellarmino lib. 2 de Purgatorio, cap. 18. dicit non apparere aliquid absurdi, si dicamus quod oramus pro beatis. sic enim in sua Liturg. Chrysostomus dicit: *offerri sacrificium pro Apostolis & Martyribus.* & Innocentius in cap. cum Marthæ, de celebratione Missarum, non improbat asserere quod Ecclesia optet augmentum gloriæ Sanctis Beatis. unde in aliquibus orationibus dicit: *prosit Sanctis ad gloriam, sicut prodest nobis ad medelam.* tum insuper, quia sicut possumus agere Deo gratias pro gloria quam habent Martyres, possumus desiderare illis gloriam accidentalem, quam possunt habere & aliquando sunt habituri; ergo possumus Deo hoc desiderium præsentare & illius complementum postulare, ut faciamus aliquo modo debitum quod non erat, vel pluribus titulis debitum quod non erat, vel pro altero erat.

Verum enimvero hæc sententia, ut falsa prorsus est eliminanda, tum quia pro Christo & Angelis beatis & beata Virgine possemus proprie orare, cum illis possimus gloriam aliquam accidentalem desiderare, & hoc desiderium Deo præsentare, & illius complementum postulare. II. Quia orans pro aliquo consideratur in statu superioris, respectu illius pro quo oratur. cujus ratio est evidens, quia is pro quo oratur, consideratur indigens eo bono quod petitur illi, quod consequitur media oratione, si Deo placet illius intuitu concedere; unde qui petit orans, superior & excellens consideratur respectu illius pro quo oratur. atqui nullus viator quantumcumque perfectus sit, est excellentior, respectu cujuscumque Beati etiam baptizati. *nam qui minor est in Regno cœlorum, major est* Ioanne Baptista. viator ergo nullus potest orare pro Martyre, cum sit manifesta injuria comprehensorem minorem considerare viatorem. unde non est idem orare & optare & desiderare gloriam accidentalem beatis, sicut etiam desideramus Deo gloriam accidentalem, demanantem ex bonis operibus, & tamen non possumus orare pro Deo, ut illi talis gloria adveniat. possunt tamen Martyres pro seipsis orare, & postulare gloriam accidentalem.

TRACTATVS NONVS.

De Aurea & Aureola Martyrum.



Hic est ultimus tractatus prævius ad principale intentum nostrum, tractandi de Martyrio per pestem, contra Theophilum Raynaudum & alios. est tamen complementum materiæ de Baptismo sanguinis & de martyrio. tractant vero de Aurea & Aureola se Scholastici cum Magistro in 4. dist. 49. ubi sanctus Thomas, quæst. 5. & in additionibus, ad 3. p. quæst. 96. artic. 13. ubi Pesantius, Ricardus in 4. dist. 49. art. 5. quæst. 3. Palud. quæst. 8. art. 3. Sotus quæst. 5. art. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 8. sect. 3. Enriquez de Vltimo fine, cap. 37. §. 6. & multi alii.

RESOLVTIO XLIX.

Quid nominis Aurea, Aureola, fructus?

Exodi 25, vers. 23 & 25, Dominus præcepit Moysi, ut mensam de lignis Sittim faceret: *& inaurabis eam* (inquit) *auro purissimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam inter rasilem, altam quatuor digitis, & super illam alteram coronam aureolam.* ex quo loco, ut notant Ribera & Cornelius, Scholastici originem duxerunt ad distinguendum in Beatis duplicem coronam, utramque auream. sed dicitur una aureola, quia quamvis confecto ex auro puro, sicut & aurea, tamen parva erat, nec multi ponderis. sicut *aureolum* dicitur parvum aurum, ita corona aureola dicitur, non quia corona

non

non cingeret totum labium mensæ, sicut & corona aurea; sed quia ista debebat esse altitudinis quatuor digitorum, corona vero aureola non ita ponderosa & alta. & sic quamvis Hebræa lectio etiam istam coronam dicat auream, tamen nostra vulgata, quia non designatur ejus altitudo sicut aureæ, ut eam ab ista distinguat, aureolam transtulit. unde Divus Thomas ubi supra artic. 1. dicit: *quod beatitudo essentialis corona dicitur, vel aurea, tum ex parte meriti quod cum quadam pugna agitur, est enim militia vita hominis super terram; tum etiam ex parte præmii per quod efficitur homo quodammodo divinitatis particeps, & per consequens Regiæ dignitatis: fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes. corona autem est proprium signum Regiæ dignitatis; & eadem ratione præmium, quod essentiali additur, coronæ rationem habet: signat enim corona perfectionem quamdam, ratione figuræ circularis, ut ex hoc etiam competat perfectioni Beatorum. sed quia nihil potest superaddi, quin sit eo minus, ideo superadditum præmium aureola nominatur.*

Hæc Divus Thomas. ubi rationem nominis, & id à quo nomen est impositum egregie tradit: non enim laureola à laurea corona dicitur, quæ apud Romanos triumphalis erat, sed à corona aurea: est enim corona symbolum perfectionis & complementi. 2 victoriæ & triumphi. 3 felicitatis, 4 Imperii & Regni. 5 Majestatis & gloriæ. quæ originaliter & plene soli Deo competunt, à quo coronæ creaturarum derivantur, sicut rivuli à primo fonte. & sic Plinius lib. 16, cap. 14, *nulla corona nisi Deo dabatur.* id quod etiam dixit Plato dialog. 2. & Tertullianus libro de corona militis. unde sanctus Doctor, ut beati jure utramque coronam auream & aureolam haberent, dicit: *quod fiunt participes divinitatis, & Regiæ potestatis.* & sic ex duplici titulo aurea & aureola illis debetur. & quia Dii per participationem, non solum per gratiam habitualem, sed quia in esse intelligibili unitam sibi in intellectu habent totam divinitatem & tres divinas personas. & sic Esdras lib. 4, cap. 2, vers. 9 dicit: *vidisse turbam magnam, & quod in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas.* & infra: *modo coronantur & accipiunt palmas*, & quod *ille juvenis est filius Dei, quem in seculo confessi sunt.* & sic corona ex alio titulo eis debetur aurea & aureola, quia facti sunt Reges & Sacerdotes, & habent totam perfectionis plenitudinem ultra quam non habent, ultra desiderare, quia eorum appetitus est repletus perfectione sibi debita. & sic sapienter Divus Thomas ad 1. dixit: *quod beatitudo includit in se omnia bona quæ sunt necessaria ad perfectam hominis vitam, quæ consistit in perfecta hominis operatione; sed quædam superaddi, non quasi necessaria ad perfectam operationem, ut sine quibus esse non possit, sed quia his additis est beatitudo clarior. unde pertinent ad bene esse beatitudinis, & ad decentiam quamdam ipsius. sicut & politica felicitas ornatur nobilitate & corporis pulchritudine, & hujusmodi sine quibus esse potest, ut patet 1. Ethic. cap. 8 & 9. & hoc modo se habet aureola ad beatitudinem Patriæ.* hæc ibi. & sic Beatitudo sine aurea esse nequit, bene tamen sine aureola.

Sed cur aurepla diminutive dicatur respectu aureæ, rationem tribuit ad 5. dicens: *major est excellentia meriti consurgens ex charitate, quam illa quæ consurgit ex genere actus, sicut finis, ad quem ordinatur charitas, est potior his, quæ sunt ad finem, circa quæ actus nostri consistunt. unde etiam præmium respondens merito, ratione charitatis, quantumcumque sit parvum est majus quolibet præmio respondente actui, ratione sui generis. & ideo aureola diminutive dicitur respectu aureæ.* dixerat enim in solutione ad 2, *quod præmium essentiale magis intensum non dicitur aureola, sed id quod præmio essentiali superadditur indifferenter, sive sit majus præmium essentiale habentis aureolam, sive minus, sive æquale præmio essentiali non habentis.*

Cæterum quid nomen fructus, prout ab aureola distinguitur, significet, non est facile investigare. quamvis id expresse & articulariter tractarit Divus Thomas art 2. quæst. 5 citatæ. q. 1. ubi dicit, quod juxta diversas conditiones fructus materialis, ejusque varias proprietates, sumuntur diversæ Metaphoræ & transumptiones fructus spiritualis, quas ibi enumerat, & non sunt ad præsens institutum. agit enim de fructu qui est quoddam præmium accidentale correspondens alicui excellenti virtuti, quam exercuit quis in via. unde concludit post multa sanctus Doctor, dicens: *agimus nunc de fructu, secundum quod ex semine consurgit: sic enim de fructu loquitur Dominus Matth. 13. ubi fructum dividit in tricesimum, sexagesimum, & centesimum. fructus autem secundum hoc potest prodire ex semine; quod vis sementina est efficax ad convertendum humores terræ in suam naturam, & quanto hæc virtus est efficacior & terra ad hoc paratior, tanto fructus sequitur uberior. spirituale autem semen, quod in nobis seminatur, est verbum Dei. unde quanto aliquis magis in spiritualitatem convertitur à carne recedens, tanto in eo est major fructus verbi Dei. secundum hoc ergo fructus differt ab aurea & aureola, quia aurea consistit in gaudio quod habent de Deo, aureola in gaudio, quod habent de operum perfectione, sicut fructus in gaudio, quod habent de ipsa dispositione operantis, secundum gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine verbum Dei.* & in solutione ad 1. dicit: *non est inconveniens eidem merito secundum diversa quæ in ipso sunt, diversa præmia respondere. unde Virginitati respondet aurea, secundum quod propter Deum servatur imperio charitatis, aureola vero secundum quod est quoddam perfectionis opus, habens rationem victoriæ excellentis, fructus vero secundum quod per virginitatem homo in quamdam spiritualitatem transit, à carnalitate recedens.* hæc ibi.

Ex qua doctrina colligit sanctus Doctor, quotuplex sit fructus qui datur beatis hominibus, ratione conscientiæ quam exercuerunt in via, propter diversum gradum spiritualitatis. servantibus enim continentiam conjugalem, quæ est spiritualitas necessaria, qua utitur quis delectabilibus carnibus secundum rectam rationem, unde conjugatis debetur *fructus trigesimus*; spiritualitati virginum, secundum quam in omni tempore præterito, præsenti & futuro quis se abstinet ab delectabilibus carnis spiritum suffocantibus, debetur *fructus centesimus*; si vero se abstineat quis secundum aliquod tempus, habet spiritualitatem viduitatis, cui debetur *fructus sexagesimus*. hujus distributionis duplicem rationem congruentiæ assignat Divus Thomas, unam ex Beda super Lucam cap. 8. & ex Hieronymo ad caput 13 Matthæi, & alteram suam hanc ponit in corpor. q. & illam. argumento 4 ejusdem. & utramque vide ibi, quia satis pulchra & subtilis, & explicat Soto artic. 1. versicul. nihilominus. quomodo distinguatur in entitate fructus ab aureola, & quid entitatis habeat infra enodabo. unum adverto, quod fructus triplex duntaxat est, sicut aureola, est tamen discrimen, quod aliquis fructus potest esse communis omnibus hominibus adultis Beatis, quia nullus beatur nisi habeat aliquam spiritualitatem, qua abstrahitur à carnalibus tactus delectationibus etiam pro parvo tempore. sed melius Divus Thomas in solutione ad 2. dicit, quod non omnibus adultis debetur aliquis fructus, ut patet de his qui in fine pœnitent, & incontinenter vixerunt, quibus dumtaxat debitur præmium essentiale & accidentale de opere quo fuit salvus.

Sed quid de cælibatis hominibus, qui non permanserunt virgines, nec aliquando matrimonio se junxerunt? de his nihil existimo, & si aliqui fructus datur, dari illis fructum viduitatis.

RESOLVTIO L.

Quid sit Aureola.

QVamvis aureola, ut modo explicabo, sit præmium accidentale superadditum Essentiali, quod dicit primam visionem claram & intuitivam Dei, & secundum in hominibus quatuor corporum dotes, tamen non omne præmium accidentale est aureola aut fructus, sed illud solum quod est de operibus, in quibus maxime conformamur Christo secundum perfectam Victoriam reportatam de tribus inimicis: mundo, diabolo, & carne; & præter hæc tria gaudia sunt alia duo, unum generale omnibus Beatis adultis, quod habent de bono opere quo beatitudinem meruerunt, non quatenus pro venita radice & imperio charitatis, sed quatenus operis substantia naturalis, aut supernaturalis est, secundum rectas rationis regulas ex omni parte bene circumstantionali. ut enim dixi in meo Præcursore Theologo, tractans de intensione gratiæ per actus remissos, solum gratiæ & charitati correspondet præmium essentiali; cæteris autem actibus, etiam supernaturalibus, non correspondet præmium essentiale distinctum ab illo quod correspondet charitati, quæ est adæquata ratio merendi præmium essentiale, sicut lumen gloriæ est adæquata ratio videndi Deum: actibus autem virtutum correspondet præmium accidentale, ut latius ibi explicui, enodavi, probavi, defendens sapientissimum Bañez contra Balmasedanium suggillantem immerito; alterum gaudium est de spiritualitate, secundum quam Sancti retraxerunt se hic ab operibus carnis, & dicitur fructus, de quo in supra dixi, & iterum infra dicam.

Igitur circa propositam difficultatem prima sententia est, quam his verbis refert sanctus Thomas: *quidam dicunt quod ipsum præmium commune, quod est aurea, accipit nomen aureolæ, secundum quod virginibus vel Martyribus, vel Doctoribus redditur, sicut & Denarius accipit nomen debiti, ex hoc quod alicui debetur, quamvis omnino idem sit debitum & denarius, non tamen ita quod præmium essentiale debeat esse majus, quando aureola dicitur, sed quia excellentiori actui respondet, non quidem secundum meriti intensionem, sed secundum modum merendi. & quamvis in duobus sit æqualis limpiditas divinæ visionis, in uno tamen dicetur aureola & non in alio, in quantum respondet excellentiori merito, secundum modum agendi.*

Raynaudus p.2, cap.6, num.31. tria dicit: primum, quod gaudium illud accidentale, quod habebunt Martyres de victoria contra Tyrannum parta, & inconcussa in cruciatibus firmitate, non est aureola, quia hujusmodi gaudium erit appendix ita connexa cum Beatitudine inde comparata, ut non sit habiturum rationem præmii specialis, quale est aureola.

II. Est quod quoad animam Martyris, aureola nihil est aliud quam æstimatio moralis absque physicæ formæ ullius impressione, eo modo quo dignitas & jurisdictio perseverare, & specialiter honestare intelligitur eum, qui ad aliquod munus delectus est, grande aliquid & illustre opus effecit: non enim videtur forma aliqua physica necessaria, sicut neque ad hoc, quod quis Dux, aut Marchio sit, ut exerceat aliquod officium politicum in Republica, sitve Doctor in aliqua facultate laureatus.

III. Quantum ad corpora Martyrum sentit cum Carthusiano in 4. dist.49. quæst. 8. peculiari aliquo decore & insigni externo esse collustranda, præsertim quoad illas partes, in quas grassatus est tyrannicus furor, quas micaturas supra pyropos & quasvis gemmas extra dubium ponit, ex Augustino lib. 22 de civitate, cap.20, his verbis: *nescio quomodo sic afficimur amore Martyrum Beatorum, ut velimus in illo Regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quas pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, de quibus dictum est: capillus de capite vestro non peribit.* & serm.103 de diversis, cap.5, *Angelis æquabitur resurgentium multitudo, in qua gloriosissimi Martyres præcipue sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora, in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur.* similia habet serm. 116, in fine.

Accedit sanctus Ioannes Chrysostomus, homilia de nativitate septem fratrum Machabæorum: *sicut corona regalis undique decorata fulgores varios emittit, ita sanctorum Martyrum corpora, sicut pretiosis lapidibus, acceptis pro Christi vulneribus distincta, omni Regum diademate pretiosiora & expetabilia redduntur.* similia habent sanctus Thomas 3.p. quæst.54. art.4. in corp. Amb. lib. 10. in Lucam.

III. Sententia est, quod aureola est quoddam signum, sive insigne quoddam, datum Beatis ratione singularis Victoriæ. sicut enim in Republica sunt quædam insignia honoris & dignitatis, quibus viri bene meriti ab aliis distinguuntur, sic in Republica cælesti sunt quædam insignia, quibus honorantur sancti, qui in via specialem aliquam victoriam de hostibus reportarunt. ita Salas, ubi supra. §. *ego tamen.* & §. secundo. *qui aureolo.* Ricardus in 4. dist.49. artic. 5. quæst.3. Major. quæst 22 & aliquos refert, & sequitur Egidius Lusitanus, tomo 3. de beatitudine, lib. 5, quæst. 9. artic. 1. insigne hoc in Martyribus exprimitur Apocalyps. 7, vers. 10. per *stolam lavatam sanguine Agni.* in Doctoribus Danielis cap. 12, *qui ad justitiam erudiunt multos, tanquam stellæ firmamenti fulgebunt.* quem fulgorem specialem Doctoribus convenire ex isto loco probant Peryzo in Daniëlem, lib.15. & Divus Hieronymus ibi. in Virginibus assignatur Apocalyps. 14, *habent nomen Agni & Patris ejus, scriptum in frontibus suis.* hæc autem insignia quid physicum esse satis innuunt hujus sententiæ auctores.

IV. Sententia, eaque verissima est sancti Thomæ in 4. dist.49. quæst.5. artic.1. quem sequuntur Soto ubi supra. Pelantius, & Ledesma, artic. 1. approbantes articulos sancti Doctoris. sed artic. 4. q.3. sic mirifice totam rem enucleat, ut omnia fundamenta contrariorum evanescant: duo enim dicit, I. *in argumentis. sed contra, quod aureola primo & per se non debetur corpori: tum. quia animæ, quæ modo sunt in Paradyso, habent aureolas, nec tamen habent corpora. ergo proprium subjectum aureolæ non est corpus, sed anima; tum quia omne meritum est ab anima. ergo præmium totum in anima esse debet, aureola autem est præmium accidentale.*

II. In corpore articuli: *aureola proprie est in mente: est enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur; sed sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, quod est gloria corporis, ita ex gaudio aureolæ resultat aliquis decor in corpore, ut sic*

sic aureola principaliter sit in mente, & per quandam redundantiam fulgeat etiam in carne; tamen sciendum est, quod decor cicatricum, quæ in corporibus Martyrum apparebunt, non potest dici aureola, quia aliqui Martyres aureolam habebunt, in quibus hujusmodi cicatrices non erunt: utpote illi, qui sunt submersi, aut famis inedia, vel squalore carceris interemti.

Quæ doctrina ita illustris est, ut illius aspectu & radiis nebula fundamentorum aliarum sententiarum dispareat, & appareat soliditas sententiæ sancti Doctoris. unde fit, quod auctoritates, quas adducit Raynaudus, etsi probent Martyrum splendorem in cicatricibus, non tamen probant quod hic sit aureola.

II. Aureolam non esse æstimationem moralem, sed qualitatem quandam physicam ordinis divini, qua tum mens Martyris illustratur, gaudium scilicet de actu heroico virtutis, quem exercuit in via vincendo egregie Tyrannum. ex quo gaudio resultabit in corporibus, in capite scilicet, corona splendida. sic enim Ecclesia canit de Martyre: *Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso.* & in Doctoribus, & virginibus erunt quædam ornamenta supernaturalia inter sese diversa, quibus velut laureati speciali aureola agnoscentur. similia signa habebunt illi, qui habent fructus, de quibus supra. unde qui Virgo, Martyr, & Doctor est, quatuor habebit insignia, tria aureolarum, & quartum fructus centesimi.

III. Ruit fundamentum primi dicti. quamvis enim gaudium accidentale sit, connexum cum beatitudine comparata per actum virtutis heroicæ, imperatum à charitate; habet tamen rationem præmii specialis, scilicet aureolæ, quæ potest cadere sub meritum talis actus, quatenus est instrumentum charitatis, ad promerendum præmium essentiale. connexio enim cum præmio essentiali non impedit rationem præmii specialis: gloria enim corporis est connexa ex natura rei cum gloria essentiali animæ, & tamen cadit sub meritum Christi; ita gaudium illud accidentale, etsi sit connexum cum beatitudine essentiali, tamen respondet diverso principio meriti. nam gloria essentialis correspondet adæquate charitati, quæ est adæquata ratio merendi præmium essentiale: at gaudium illud correspondet actui virtutis in sua specie considerato, & est instrumentum charitatis. ut enim alicubi dicit sanctus Thomas, charitas se habet in ordine ad meritum, *sicut causa prima, cæteræ autem virtutes, ut causæ secundæ.*

RESOLVTIO LI.

In quo subjecto sit aureola.

DIvus Thomas quæst. 3. citata dicit, quod est *in mente.* quid autem sit mens ex sententia sancti Augustini explicat egregie q. 10. de veritate, ubi ex professo de mente tractat, in qua Augustinus posuit imaginem Trinitatis. & art. 1 concludit: *Quod mens, prout in ea est imago, nominat non essentiam animæ, sed potentiam: vel si nominat essentiam, hoc non est, nisi in quantum ab ea fluit talis potentia.* & in solutione ad 7 dicit: *Mens non est una quædam potentia præter memoriam, intellectum & voluntatem, sed est quoddam totum potentiale comprehendens hæc tria, sicut sub potentia faciendi domum comprehenduntur potentia dolandi lapides, erigendi parietes,* &c. *& sic mens non comparatur ad intelligentiam & voluntatem, sed magis sicut totum ad partes, prout mens potentiam ipsam nominat.* & quamvis in fere omnibus sequentibus articulis agat de mente, ratione intellectus, tamen art. 7. ubi agit de subjecto imaginis, non solum comprehendit intellectum & memoriam, sed etiam voluntatem.

Modo ad difficultatem propositam. cum aureola sit gaudium de operibus, quibus aureola debetur, proprie subjectatur in mente, quatenus est quoddam totum potentiale, comprehendens memoriam, intellectum & voluntatem: gaudium enim de præfato opere exigit memoriam illius, & intelligentiam, & rursus actum voluntatis, quo gaudemus de actu illo præterito quo victores evasimus. nec enim gaudium de actu præterito esse potest, si non adsit illius memoria, quæ respicit præteritum sub ratione præteriti, ut dicitur lib. de memoria textu 8. unde est diversa ratio de laurea quæ est beatitudo essentialis, hæc enim solum est, in intellectu non in mente, nisi ratione intellectus: at aureola essentialiter est in mente, ratione intellectus, memoriæ & voluntatis: est enim in tribus istis partibus mentis.

Ex quo constat male dixisse Salas, ubi supra n. 67. §. ex quibus constat. quod aureola est in intellectu sicut character Sacramentalis, & pejus multo magis dixit Egidius Lusitanus artic. 2. num. 8. quod sit in essentia animæ: uterque enim erravit ab utero veritatis: constat enim quod aureola est gaudium, quod principaliter est actus voluntatis, in qua est, ut in subjecto; insuper dicit essentialiter actum memoriæ de victoria reportata; & ita est in intellectu, sicut electio est actus voluntatis, tamen connotat essentialiter, actum intellectus. & sic Aristoteles 6 Ethicorum cap. 2, & D. Thom. 1. 2. q. 13. art. 1. dicit, quod electio est *appetitus intellectivus, vel intellectus appetitivus.* unde sicut electio substantialiter non est actus rationis, sed voluntatis, ita aureola, cum sit gaudium quoddam de actu præterito, substantialiter est actus voluntatis; & sic non residet in essentia animæ, nec in intellectu ratione suæ substantiæ. quod secus est de charactere sacramentali, qui ponitur in intellectu, ut explicat sanctus Thomas 3 p. q. 67.

RESOLVTIO LII.

Quibus personis conveniat aureola.

NOn loquimur de personis in universum: nam certum est quod Virginibus, Martyribus & Doctoribus debeatur aureola, ut dicam infra, dum de istis aureolis. quare de aliquibus personis in particulari superest dubium.

§. 1. *An Beatæ Virgini Matri Dei? & Iosepho Patri putativo.*

REsolutione 23. §. 4. obiter id tetigi, & huc remisi latius disputandum. fuit enim Romæ anno 1625 non parva concertatio, an Beata Virgo Maria fuerit vere & proprie Martyr, & per consequens an habuerit proprie aureolam, quamvis altiorem & eminentiorem cæteris Martyribus. sicut istis debetur honor, qui dicitur dulia, & Beatæ Virgini altior honor, qui dicitur hyperdulia, est tamen verus & proprius honos. igitur Beatam Virginem Dei genitricem, vere & proprie fuisse Martyrem, præter auctores quos loco citato adduxi, tenent sanctus Antoninus 4. tit. 14. cap. 15. vers. *de octava.* dicens communem sententiam Doctorum esse, Beatam Virginem tempore passionis Domini, consecutam fuisse aureolam martyrii, juxta tradita à sancto Bernardo serm. *signum magnum* ubi eam vocat *plus quam Martyrem.* in sermone quarto in cœna Domini: *Mater tua*

tua imò Martyr tua. Guilielmus ad caput 13 Canticorum, quem refert Cartagena tom. 2. de Beata Virgine, lib. 12. homil. 12. Salmeron tom 10. tract. 51. Canisius de Beata Virgine lib. 4, cap. 23. Spinelus de Deipara cap. 11. n. 1, 2 & 3. Iacobus Pinctus lib. 1 de Christo crucifixo, titulo 2. loco 9. n. 13. Nicolaus Richardi Magister Sacri palatii, in expositione litaniæ Laūretanæ Beatæ Mariæ. & transcripsit Lucas Castellinus, in opusculo speciali de martyrio Virginis. unde Beatus Ildefonsus sermone 2 de assumptione: *Venerabilis virgo plus quam Martyr fuit.* & Hieronymus sermone de assumptione dicit: *supra Martyrem.* eandem sententiam sequuntur Petrus Moralis ad caput 1 Matth. lib. 5. tract. 5. n. 26 & 28, & alii.

Probatur I. Quia à nullo illustrium Sanctorum excellitur in privilegiis gratiæ, cujus erat capax, ut ait Damascenus lib. 4 de fide, cap. 15. quare hæc martyrii proprii gratia in via, non est deneganda, nec aureola martyris in Patria. cum enim habuerit Virginitatis aureolam eminentiori, & altiori modo quam omnis alius Sanctus, similiter & aureolam Doctoris, non videtur cur & martyres non habeat simili modo.

II. Quia ut supra resolutione 35. §. 4. verum martyrium & proprium est, quando causa mortis ita est applicata quod sit miraculum si mors non sequatur; idque ibidem efficaciter probavi. atqui dolor quem Beata Virgo habuit in passione Filii sui, ita fuit magnus, ita acerbus & efficax, quod ipsius animam pertransiret adeo efficaciter, ut si non esset miraculum, Virgo vitam finiret, ut expresse dicunt sanctus Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 5, *Dolor tuus major fuit omnibus doloribus. quidquid enim crudelitatis inflictum fuit corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimirum summa immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. & utique pia Domina non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres sustinere, nisi ipse spiritus vitæ dulcissimi Filii tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantopere torquebaris, te confortaret.* quid illustrius? unde beata Brigitta lib. 1 suarum revelat. cap. 53, introducens Christum Matri suæ colloquentem: *Testimonium perhibeo tibi, quod tu in passione mea fuisti plus quam Martyr:* & sanctus Bernardus Senensis tom. 1. serm. 6. art. 3 cap. 2. *tantus* (inquit) *fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas divideretur omnes subito interirent.* unde tempore Cardinalis Toleti quidam recentiores senserunt Beatam Virginem Mariam, ex vi doloris passionis Filii sui mortuam fuisse, & paulo post revixisse. sic fert Cardinalis annotatione 57 ad caput secundum Lucæ.

III. Ex Salmerone. quia ex amoris quantitate capienda est mensura doloris; & ita, ubi est immensus amor, ibi etiam immensus dolor, & ubi est dolor immensus, ibi est mors. ut enim ait Plinius lib. 7, cap. 8, *Solus amor carnis, aut gaudii, aut tristitiæ affectus, non nullos adegit ad mortem.* Ergo Beata Virgo nisi adesset speciale miraculum, ipsius vitam conservans. unde Ildefonsus sermone 2 de assumptione: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, usque ad animam pervenit. quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem etiam plus quam Martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quam mœroris est, intus gladio vulnerata: parata enim stetit si non deesset manus persecutoris.*

IV. Sanctus Hieronymus, vel si mavis Sophronius sermone de assumptione, qui habetur tom. 3. sic argumentatur: *Recte igitur quoniam Beata Dei genitrix, & Martyr, & Virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit. Hinc quoque vere passa sit, testatur Simeon Propheta loquens ad eam: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. ex quo constat quod supra Martyrem fuerit. alii namque sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima quia immortalis erat, pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte passa est quæ impassibilis habetur, ideo (ita fatear) quia & spiritualiter caro ejus passa est gladio passionis Christi plus quam Martyr fuit. unde constat quod plus omnibus dilexit propterea & plus doluit, in tantum, ut animam ejus totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium suæ dilectionis. quæ quia mente passa est, plus quam Martyr fuit; nimirum quod ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* Hactenus Hieronymi. satis efficaciter pro hac sententia.

V. Quia Christus Dominus fuit verus Martyr, Virgo & Doctor. sed Beata Virgo fuit Commartyr Christi, fuit Virgo & Doctor, & utriusque habuit veram aureolam. ergo & martyris. Minorem docent Guilielmus supra citatus, Canisius lib. 4 de Beata Virgine, cap. 23. Spinellus lib. de Deipara, cap. 11, & alii.

His tamen nullo modo obstantibus, miror duos veros insignes sancti Dominici filios parum se monstrasse Angelici Doctoris discipulos; cum sanctus Doctor expresse senserit, Beatam Virginem non fuisse proprie Martyrem, sed improprie & per similitudinem. ita in 4. distinct. 49. q. 5. art. 3. quæst. 2. ad 4. loquitur. postquam objecit sibi auctoritatem Hieronymi, vel potius Sophronii, dicit: *Sicut delectationes tactus, circa quas est temperantia, præcipuum locum tenent inter omnes delectationis interiores, & exteriores: ita dolores tactus omnibus aliis doloribus præeminent. & ita difficultati illi, quæ accidit in sustinendo dolores tactus, puta qui sunt in verberibus, & hujusmodi debetur aureola magis, quam difficultati sustinendi interiores dolores, pro quibus tamen, aliquis non dicitur proprie Martyr, nisi secundum quandam similitudinem, & hoc modo Hieronymus loquitur.* hæc ibi. & 2. 2. q. 124. art. 4. ad 1. satisfaciens, eidem auctoritati sic eleganter loquitur: *Ad primum dicendum, quod illæ auctoritates, & si quæ similes inveniuntur, loquuntur de martyrio per quandam similitudinem.* quibus verbis sanctus Doctor, satisfecit omnibus auctoritatibus quas congerunt contrarii; quas ego ex ipsis congessi, ne conquerentur quod omittam eorum fulcimina. nulla enim auctoritas clarior est, quam ea Hieronymi, & ista explicatur per similitudinem, non per proprietatem.

Hujus verissimæ sententiæ sunt valida fundamenta. primum, quia ut supra ex Patribus est ostensum, ad rationem veri martyrii requiritur, tamquam occasio actio violenta Tyranni in Martyrem, qui voluntarie eam suffert propter Christum. atqui in Beata Virgine nullam actionem violentam exercuerunt, ex qua naturaliter sequeretur mors. Ergo non fuit vere Martyr. unde Dominus Cajetanus ibi 6. ad 2. dicit egregie: *In morte Martyrum concurrunt duo, actio Tyranni, & passio Martyrum. & licet actio non sit in potestate Martyrum, passio tamen est in potestate eorum, quia est voluntaria, & meritoria. unde de Christi passione dicitur illud: actio displicuit. passio grata fuit. & per hujusmodi passionem voluntariam, violentæ mortis de non Martyre fit homo Martyr, & non per actionem Tyranni. nec inconvenit hujusmodi tantum bonum, dependere occasionaliter, ex iniqua actione Tyranni. & dixi occasionaliter, quia licet tyrannus occidendo sit per se causa mortis. non tamen est nisi occasio tanti boni, scilicet voluntariæ, & meritoriæ mortis.* Hactenus ibi, satis ad rem.

II. Quia

II. Quia Beata Virgo Maria tantum passa est in animo, ex condolentia Filii patientis. at martyrium condolentiæ & compassionis, ex alterius passione animæ illatum, proprie Christianum martyrium non est, de quo loquitur Ecclesia; sed ad summum dici potest martyrium spirituale, quia passio fit in spiritu non in corpore. sic illud appellat Guilielmus ubi supra: *Martyres (ait) alii fuere moriendo pro Christo, haec commoriendo Christo Martyr fuit, & commartyr Christi: illorum corporale, matris vero spirituale, & proinde præstantius martyrium fuit. plus est esse commartyrem Christi quam Martyres Christi, Martyres suo, hoc est hominum sanguine, sed Maria Filii, hoc est Dei sanguine rubebat.* quibus declarat excellentiam martyrii Virginei, simul & improprietatem. nam proprium & rigorosum martyrium corporale est proprio sanguine rubricatum, & morte propria, vel mortis violentæ proxima causa completum. antecedens hujus discursus docent patres: condolere enim alteri patienti est ejus in se ærumnas & miserias vi & efficacia amoris transfundere, & in ipsum patientem unione affectiva transformare, & unitiva vi se unum facere cum ærumnis, eisque ultro se subjicere. unde quanto major fuerit charitatis amor, tanto erit major vis unitiva, ita ut patiens & condolens unum miro modo fiat; & sic crescit dolor compassionis, quo crescit amor charitatis. unde sicut respectu Christi nullus fuit major quam in Beata Virgine, ita in nulla Creatura fuit perfectius martyrium condolentiæ.

Cæterum hoc non fuit proprium Martyrium, sed improprium. dum enim Paulus 2 ad Corinthios 11, vers. 29, dicebat: *quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror;* perfectissimam habebat condolentiam & ardentissimam compassionem. at Chrysost. ibi hom. 20, *non dixit communico mœstitiæ; sed quasi in ipsa passione essem, & in ipsa infirmitate sic conturbor & commoveor. quis offenditur & ego non uror? vide quanta excellentia doloris? quomodo apparet, ustionem nominat. accendor, uror, inquit, quod certe omnium maximum est.* & sanctus Gregorius hom. 32. in Euangelio, explicans eundem locum Apostoli, dicit: *audiamus nunc, in compassione proximi crucem mentis. ait enim quis infirmatur, & ego non infirmor? perfectus quidem prædicator, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore. & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ crucem portabat in corde.* & sanctus Laurentius Iustinianus in sermone de sancto Martino, loquens de sancto: *erat plane hoc singulare martyrium, ut cum infirmantibus pariter infirmaretur, & cum scandalizatis ipse quoque compassionis, uteretur affectu. audi sine ferro Martyrem ex sola charitate morientem. quotidie* (inquit Paulus) *morior propter gloriam vestram fratres, quæ est in Christo. merito sancto huic Martyrii non est deneganda corona. qui Ecclesiarum curam gerens, ac proximorum salutem zelans, nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Simile condolentiæ & compassionis martyrium agnoscit Petrus Damianus in Beato Eleuchadio Episcopo Ravennate, & Confessore. Ergo quamvis Beata Virgo Maria ex passione Christi, cui fortissima adstitit, singularissimum compassionis ex amore singularissimo in filium sustinuerit martyrium tamen proprie Martyr non est. Licet enim, quia corpus acerbitatem & efficaciam interni doloris non valens sufferre animam virginis deseruisset ex infirmitate carnis, tamen hoc non fat est ad martyrium, quod exigit causam externam inferentem violentam mortem in odium Christi. & potuit causa hæc in Virgine mortem inferre ex immenso in Christum amore & excessiva dilectione.

Rationem à priori tradidit Divus Thomas, in locis citatis, quia Martyr Catholicus, & qui pro tali est in Ecclesia visibili habendus & colendus, visibili passione debet sufferre tormenta, manifestans se omnia præsentia contemnere, ut ad invisibilia bona futura perveniat. atqui ille qui sustinet interiores dolores etiam maximos, si non sustineat dolores externos tactus, non testificatur visibiliter se contemnere vitam pro fide Christi & veritate fidei. ergo non est proprie Martyr, ac per consequens, nec Beata Virgo Maria, quæ solum condoluit, & usta est interius ex Christo patiente. hæc ratio me quidem judice demonstratio est.

Ex dictis constat non esse necessarium ad fundamenta opposita respondere, quæ diluit Divus Thomas unico verbo dicens, *quod Patres loquuntur per similitudinem, non per proprietatem.* & sic Beata Virgo similitudinarie est *Martyr, & Commartyr, & plus quam Martyr, & supra Martyrem.* dolores enim internos, quos sustinuit per compassionem Filii sui, in immensum superiores fuisse Martyrum doloribus fatemur. sed quid hoc ad verum & Catholicæ Ecclesiæ martyrium? alias & Beatus Ioannes Euangelista assistens cruci cum Beata Virgine, qui summe Filio & Matri compatiebatur, ex vi hujus compassionis & condolentiæ esset vere Martyr.

Sed nihilominus sigillatim respondetur. ad primum, quod sine passione corporis non est capax veri martyrii, sicut sine sexu virili non est capax sacerdotii. ad secundum respondetur, quod causa mortis ex qua applicata sequitur mors, naturaliter debet esse ab extrinseco agente violenter applicata. illa autem sententia quam refert Toletus, ut ipsemet dicit, temeraria ad minus est, nec ab ullo Catholico defendi potest. Ad III. respondetur, quod mors secuta à causa interna amoris, nullo modo sufficit ad martyrium. Ad IV. respondetur à Divo Thoma. Ad quintum, quod Beata Virgo dicitur per similitudinem Commartyr Christo, sicut dicitur Regina Martyrum.

De Sancto Iosepho Virginis Virgineo sponso, Petrus Morales in caput primum Matthæi l. 5. tract. 11, num. 24. sentit in gloria condecoratum fuisse triplici aureola, Virginis, Doctoris, & Martyris. secutus Isolanum, p. 4, cap. 4, fol. 93, pag. 1. *de Aureola Virginitatis Catholici Doctores minime nunc hæsitant, statuentes mente, corpore, voto, & statu Virginitatis vitam finisse, in quo primo secutus est sponsam sanctissimam. de Doctoratu etiam constat, quia illuminatus ab Angelo, tum cum habitavit in Ægypto usque ad obitum Herodis, per multos annos Ægyptus prædicabat & exhortabatur, ut verum Deum colerent, & de Messiæ adventu. & ut idololatriam relinquerent. & post reditum de Ægypto multos in civitate Nazaret, sua prædicatione ad veram fidem convertit, & tandem martyrii aureolam est consecutus, quia gladius Simeonis post Beatam Virginem animam Ioseph pertransivit, tum quando videbat Christum persequi ad mortem. tum propter ejus amorem in filium summe ille compatiebatur & condolebat, tum quia, ut ait Hieronymus Plati lib. 2. de bono status Religiosorum cap. 18. Religiosis viris, qui castitate & doctrina, & tribulationum tolerantia floruerent, triplex debetur aureola, Virginum, Doctorum, & Martyrum.*

Sed quamvis Beato Iosepho aureolam Virginis & Doctoris concedamus, ut communis sententia docet, quod fuit Virgo & Doctor: curavit enim in Ægypto & alibi doctrina sua, hostem generis humani non solum à se, sed etiam à cordibus aliorum removere, & ut Christum filium Dei agnoscerent, in quo consistit aureola Doctoris, tamen aureolam veri Mar-

Martyris non habuit: hæc enim exigit testimonium externum exhibitum per passionem corporalem illativam ex natura rei, mortis violentæ, quam non habuit sanctus Ioseph, sicut nec Beata Virgo.

Id autem quod dicit doctissimus & nunquam satis laudatus pro operis dignitate Pater Hieronymus Plati, intelligendum est de laureola impropria, sicut sanctus Thomas in 4. dist.49. quæst.5. artic.5. q.1. ad 2. explicat quamdam glossam dicentem, quod paupertati spiritus debetur aureola, *sumpta aureola large pro quolibet præmio, quod debetur merito excellenti.*

§. 2. *An Christo Domino.*

SVpra Resolut. & §. citatis duo dixi, quæ huc remisi examinanda. primum quod Christus Dominus eminentissimo modo, verissimo tamen, est Virgo, Martyr & Doctor, secundum quod martyrium ex nominis impositione, tamquam id ex quo est impositum, significat passionem voluntariam mortis violentæ ob Christi confessionem & conformitatem realem ad Christum passum, ut ait Divus Thomas 3.p. quæst.66. artic.11. in corp. & sic non est impositum à Christi morte illata à Iudæis ob veritatem prædicatam & virtutes morales, quas illos docebat. in quo sensu dicebat Pamelius, quod veteres non nuncuparunt Christum Martyrem. hæc duo quæ vera existimo, recte intellecta, inpræsentiarum sunt examinanda.

Et quidem utrumque bene piperatum nos docuit sanctus Thomas in 4. dist.49. quæst.5. artic.4. q.1. in qua huic difficultati respondet. & quamvis ejus verba dederim loco citato, non gravabor ea iterum dare, quia continent utriusque solidum fundamentum: *diligenter considerando,* (inquit) *quamvis Christo competat ratio aureæ, vel coronæ non tamen competit ratio aureolæ. aureola enim ex hoc ipso quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative, & non secundum sui plenitudinem possidetur. unde illis competit aureolam habere, in quibus est aliqua perfectioris Victoriæ participatio secundum imitationem ejus, in quo perfectæ victoriæ plena ratio consistit. & ideo cum in Christo inveniatur hujusmodi principalis & plena Victoriæ ratio, per cujus victoriam omnes alii victores constituuntur, ut patet Ioann. 16. confidite, ego vici mundum; & Apocalyps. 5, ecce vicit Leo de Tribu Iuda, Christo non competit aureolam habere, sed aliquid unde omnes aureolæ originantur. Unde Apocalyps. 3, qui vicerit faciam eum sedere in Throno meo, sicuti ego vici & sedeo in Throno Patris mei. Unde secundum alios dicendum est, quod quamvis id, quod est in Christo, non habeat rationem aureolæ tamen est excellentius omni aureola.* & in solutio ad 1, *Christus fuit verissime Virgo, Martyr & Doctor; sed tamen præmium accidentale his respondens in Christo non habet aliquam notabilem quantitatem in comparatione ad magnitudinem essentialis præmii; unde non aureolam sub ratione aureolæ.*

Ex qua doctrina satis profunda sequitur, quod, cum in Christo sit plenitudo victoriæ contra tres inimicos carnem, mundum, diabolum, est victor illorum, ita ut omnes in virtute illius victores simus. etenim sine Christi gratia, & virture nihil possumus, aut valemus; unde victoria nostra est participatio victoriæ Christi, Martyrium à Martyrio Christi, Virginitas ab illius Virginitate, & Doctoratus ab ipsius Doctoratu; & sic martyrium non dicitur univoce de Martyrio Christi & nostro, sed per analogiam, sicut ratio entis de Deo & creaturis: sicut in Deo est plenitudo entis, à quo creaturæ participant; ita in Christo est plenitudo martyrii, & plenitudo victoriæ de inimicis, & ab ipso eam participant Martyres; & ita Christus verius dicitur plus quam Martyr, aut supra Martyrem, quam Martyr. hoc enim nomen institutum est ad significandum victorem per participationem potius, quam Christum qui est primus victor. & hinc est, quod Christo non competat aureola, quia hæc denotat expresse victoriam diminutam & participatam. quia tamen non habemus simplex nomen, quo denotetur plenitudo martyrii, & victoriæ per ipsum consecute, Christum nominamus Martyrem, non quia hoc nomen plene explicet id, quod in Christo habet rationem partæ victoriæ ex martyrio, sed diminutive & ex parte; at in aliis Martyribus plene & adæquate significat.

Vnde bene Ludovicus Turrianus selectarum disputation. p.2. disp.3. dub.4. dicit, Christum esse vere Martyrem ita esse certum, ut sine gravi temeritate negari non possit. quod ego etiam sentio, si loquamur de eo, quod verissime & propriissime Martyrem constituit; non tamen si loquamur de nomine Martyr, quod diminutive & compacte Christum Martyrem explicat. melius enim explicatur per *Caput* Martyrum, exemplar & primus, martyrii prototypon: Martyr enim significat participatam victoriam, cui debetur aureola.

§. 3. *Angelisne conveniat.*

NEgat communis certaque sententia cum Divo Thoma artic. 4. citat. q. 2. quem sequuntur Abulensis quæst.23. ad caput 13 Matth. Soto art.2. conclusio.8. Lusitanus art. 7. cæterique fere omnes contra quosdam, quos tacito nomine refert Abulensis. & quidem de aureola martyrii certissimum est, cum sint immortales. de aureola Virginum, cum sint impassibiles & incorruptibiles per naturam, per quam mereri nequeunt, & aureola debeatur excellenti merito. dicitur autem virginitas virtus Angelica, quia homines imitantur per gratiam, quod Angeli habent per naturam. nam *cœlo accersivit quod imitaretur in terris*, ait Ambrosius lib. 1 de Virginibus, *& sic Virgines Angelis comparantur, quia angelorum Domini media virginitate copulantur.*

De aureola doctoratus potest esse aliqualis difficultas, quia homines docent & illuminant, insuper Angeli superiores annuntiant inferioribus, quæ à Deo per revelationem acceperunt, ipsos illuminantes. quam illuminationem explicat Divus Thomas p. 1. quæst.106. artic. 1. sicut apud nos Doctores quod in summa capiunt, multipliciter distinguunt, providentes capacitatem aliorum. ergo Angeli alios illuminando exercent officium Doctoris. & quæst. 11. de veritate artic. 3. expresse docet, quod Angelus tam corpore assumpto visibiliter apparens, quam sine corpore invisibiliter potest homines docere & illuminare. id quod docent Dionysius cap.1 de cœlesti Hierarchia, August. lib. 12 de genesi. ad litteram cap. 12. circa finem. & ratio est manifesta, quia Deus nos docet, quod non facit nisi mediis Angelis, sicut non influit in sublunaria nisi mediis corporibus cœlestibus. si enim homo potest hominem docere, multo melius Angelus, qui superior est, & multo melius, quia intellectus Angeli est magis in actu; & ita multo melius poterit reducere in actum intellectum humanum, qui est in potentia. & quidem multos Angelos homines docuisse, constat ex sacra Scriptura, & Patribus. ergo Angelis non repugnat aureola Doctoris.

Huic difficultati respondet Lusitanus, quod cum Angeli sint comprehensores, non merentur præmium

mium aliquod, ac per consequens nec aureolam. sed non placet solutio, quia Angeli & homines etiam comprehensores merentur usque ad diem judicii præmium aliquod accidentale; & sic possunt mereri aureolam. & ita Divus Thomas in 4. dist. 5, q. 2. art. 1. q. 6. in corp. dicit: *Potest tamen esse augmentum præmii accidentalis, vel pœnæ secundariæ, quæ possunt augeri usque ad diem judicii. & hoc præcipue in dæmonibus, & Angelis bonis, quorum officiis aliqui trahuntur ad salutem, ex quo bonorum Angelorum crescit, &c.* Idem habet 1 p. q. 62. art. 9. ad tertium & alibi.

Quare melius respondet sanctus Thomas art. 4. citato, quæst. 2. quem sequitur Abulensis. quia illi actus, per quos Angeli nos docent, pertinent ad gloriam eorum, & communem eorum statum; & sic illis non debetur aureola, quæ datur ultra communem statum, propter actum quo victor quis existit in pugna cum difficultate exercita, quam non habent Angeli, & ideo nec aureolam habent, aut merentur.

RESOLVTIO LIII.

Quotuplex sit aureola.

Triplicem dumtaxat esse aureolam, Martyrum, Virginum, & Doctorum, certa est Scholasticorum sententia, & fidelium sensus atque traditio. quarum distinctionis ratio ex triplici sumitur radice. I. Quia aureola est privilegiatum præmium, respondens triplici privilegiatæ victoriæ, quam homo habet ex triplici inimico: carne, dum quis necessario se abstinet à delectabilibus venereis, pro omni temporis differentia; & sic est aureola virginitatis: ex mundo, quando illius persecutionem, usque ad mortem propter Christum sustinemus; & sic est aureola martyrii: ex diabolo, dum quis illum non solum à se, sed etiam à cordibus aliorum, media prædicatione, & doctrina removet, & excludit; & sic est aureola Doctorum.

II. Radix assignatur ab aliis, ut triplex sit aureola, correspondens tribus potissimis actibus trium animæ virium: potissimus actus vis rationalis est, veritatem fidei in aliis diffundere, cui debetur aureola Doctorum: potissimus actus irascibilis, est mortem propter Christum superare, & huic debetur aureola Martyrum: potissimus actus concupiscibilis est, à delectabilibus maximis penitus abstinere, & huic debetur aureola Virginum.

III. Radix sumitur ex conformitate cum Christo, qui fuit Mediator inter mundum & Patrem; fuit Doctor, secundum quod veritatem, quam à Patre acceperat, mundo manifestavit; fuit Martyr, secundum quod à mundo persecutionem sustinuit; fuit Virgo, in quantum puritatem in seipso servavit: & ideo Doctores, Martyres & Virgines, ei perfectissime conformantur; unde talibus debetur aureola.

Hanc triplicem rationem assignat sanctus Thomas art. 5. quæst. 1. q. 5. citatæ: qui, in solutione ad primum, ait, quod justitiæ non debetur aureola, quia non exercetur cum pugna. in solutione ad secundum, quod paupertati non debetur aureola, quia non tenet summum locum in aliqua spirituali pugna, quia amor corporalium minus pugnat cum concupiscentia carnis, quam persecutio inflicta in corpus proprium. & in solutione ad 5. dicit, quod scribentibus sacram doctrinam debetur aureola, quæ non distinguitur ab aureola Doctorum. quia scripta componere quidam modus docendi est, unde fit quod omnis scriptor libri cujusque in quo explicetur sacra doctrina, vel in ordine ad mores, vel animarum regimen, habet aureolam Doctoris. Legatur Abulensis ubi supra q. 25.

RESOLVTIO LIV.

De Virginitatis aureola.

Divus Thomas 2 2. q 152. ex professo tractat de virginitate, cui debetur aureola, & duplicem tradit definitionem. unam August. lib. de virginitate cap. 13. quod virginitas est *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Alteram Ambrosii lib. de Virgin. aliquantulum à principio: castitas virginalis est *expers contagionis integritas.* ex quibus tria considerat sanctus Doctor in virginibus. I. Ex parte corporis, & materiæ, quod est sigillum virginale. II. Quod se tenet ex parte animæ & corporis, quod est resolutio seminis, delectationem sensibilem causans. III. Quod se tenet ex parte animæ solum, quod est propositum non perveniendi, ad talem delectationem. & concludit: *Quia virginitas dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, consequens est quod integritas membri corporalis per accidens se habeat ad virginitatem. ipsa autem immunitas à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, se habet materialiter; ipsum vero propositum perpetuo abstinendi à tali delectatione se habet formaliter, & completive in virginitate.* unde concludit: quod *definitio Augustini tradit in recto, id quod est formale in virginitate, scilicet propositum, & meditationem incorruptionis. Ambrosius tamen tradit integritatem* in recto, *quæ per accidens se habet, quamvis connotet propositum abstinendi à delectatione venerea, quæ percipitur in membro corporeo. quare si contingat, quod alio modo integritas membri corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quam si corrumpatur manus, vel pes.* & in solutione ad 4 addit: *quod si seminis resolutio non fiat ex mentis proposito, sive in concubitu, sive extra, sed præter propositum mentis, vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non consentit, quamvis caro delectationem experiatur, vel etiam ex infirmitate naturæ, ut patet in his qui fluxum seminis patiuntur. & sic non perditur virginitas, quia talis pollutio non accidit per impudicitiam quam virginitas excludit.*

Sed numquid ad rationem virginitatis requiratur votum, ita ut sit Deo per votum; & deliberatam promissionem dicata? Respondet egregie Dominus Cajetanus art. ultimo §. in eodem articulo. quod aut possumus loqui de virginitate, quatenus est virtus castitatis, & sic non requirit votum; aut quatenus est virtus distincta à castitate specifice, & sic requirit votum. id quod expressit sanctus Doctor in solutione ad 4. dicens: *Quod virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo servandæ. dicit enim Augustinus in libro de virginitate cap. 8. quod per virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur. unde virginitas, secundum quod est virtus, nunquam amittitur nisi per peccatum.* hæc ibi. Legatur Cajetanus ibi. §. *ad hoc dicitur*, quia non est hic locus hoc ulterius examinare; & an Divus Thomas hic retractaverit opinionem quam docuit de virginitate in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. alibi explico.

Ex quo fit, quod, licet omnis moralis virtus in medio rationis consistat, & virginitas sit in extremo, cum consistat in abstinendo ab omni venerea delectatione, circa quam est castitas; nihilominus est excellentissima virtus, attingens excellentissime rationis medium. quod non accipitur secundum quantitatem ejus, contra quod est virtus, quæ quantitas est

inter superfluum, & diminutum, cum sint aliquæ virtutes quæ perveniunt ad maximam quantitatem in propria materia. sicut nullus majoribus se dignificat, quam Magnanimus, nec aliquis majores sumptus facit quam Magnificus, ut dicitur lib. 4 Ethicorum, cap. 5 & 6. sed accipitur medium rationis secundum proportionem omnium circumstantiarum vestientium actum; & sic ille, qui maxima dona dat, in medio consistit, in eo quod mediocritas servatur in dando, *cui* debet, & *quod* debet, & *propter quod* debet, & superfluum est in eo, quod datur *ubi* non debet, & *propter quod* non debet, etiamsi majora dentur. similiter etiam virginitas, quamvis sit in ultimo extremo quantum ad id, circa quod est, quia ab omni corrumpente delectatione abstinet; tamen est in medio quantum ad alias debitas circumstantias mediocritas servatur; & superfluum esset si aliquis servare vellet virginitatem, quando non deberet, sicut tempore legis Moysis, vel propter quod non deberet, sicut virgines Vestales, & similiter secundum alias circumstantias; hæc fere ex D.Thom. art. 2. citato ad primum.

His positis, respondeo dicendum, quod virginitati debetur aureola, est indubitata in Ecclesia Dei Catholica Romana sententia. probatur ex illo Isaiæ 56, vers. 17, Dominus loquens de eunuchis (per quos Patres virgines intelligunt) *Dabo eis* (inquit) *in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hinc est quod Patres tot encomia de virginitate accumulant: Ambrosius lib. de Virginitate, post medium, explicans illud Psalm. 44. vers. 12, *Audi filia, pulchritudinem quis potest majorem æstimare decore virginis, quæ amatur à Rege, probatur à judice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor.* Cyprianus lib. de habitu virginum in principio: *Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, flos est ille Ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi.* unde Apocalyps. 14. de virginibus dicitur: *cantabant Canticum novum ante Sedem Dei, & nemo poterat discere Canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati:* virgines enim *sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.* ubi glossa per Canticum intelligit aureolam. unde sanctus Gregorius lib. 5 in lib. Regum cap. 3. *Virgines enim in monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis quo à terrenis, & carnalibus delectationibus se dividunt, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur.* & egregie sanctus Augustinus lib. de sancta Virgin. *Nec gaudia,* (inquit) *qualia in ipso regno Dei cæteris non Virginibus erunt, sed cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. gaudium virginum Christi de Christo est, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. non sunt aliis alia, sed multis talia.* & cap. 29. *videbit eos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ob hoc sequi non potest, videbit nec invidebit, & collætando vobis quod in se non habet, habebit in vobis: nam & illud Canticum novum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti cantico, &c.* Quibus verbis excellentissimam virginitatis aureolam miro modo explicat sanctus Doctor.

Idem ipsum evincit Divus Thomas ratione, quia ubi est præcellens ratio pugnæ, ibi debetur spiritualis corona. atqui cum spiritus concupiscat adversus carnem, & inter utrumque ratione fomitis relicti, ex peccato est continua pugna, de qua totaliter victor evadit homo per virginitatem. Istius ergo operibus & actibus debetur specialis corona, non aurea solum, quia ista debetur charitati. Ergo aureola quæ debetur merito excellenti.

§. 1. *Quibus Virginibus debeatur.*

AB orbe condito varii fuerunt status naturæ humanæ, variæque leges divinæ, quibus, directa, ut finem ultimum, & vitam æternam consequeretur. nam primo fuit status ipse felicissimus innocentiæ, in quo caro totaliter erat subdita rationi, & ista Deo; amisso hoc statu, Adami prævaricatione, advenit status naturæ corruptæ per peccatum, in quo statu, & fuit lex naturæ, ab Adamo peccatore usque ad Moysem, in qua homines regebantur ducti rationis rectæ dictamine, absque lege universali hominibus lata ab homine, vel à Deo; postea advenit legis scriptæ directio disposita, per Angelos in manu mediatoris Moysis, cui Deus ipse tradidit lapideas tabulas digito Dei scriptas, quæ legem continebant, quæ duravit usque ad Christum Ducem, legislatorem Euangelii. in omnibus istis statibus Virgines fuerunt, & de illis est difficultas si laureola in cœlo debeatur.

Et quidem ne in ea re, quæ certa est apud omnes, hæreamus, nulli Catholico est dubium quod Virginibus legis Euangelicæ aureola debeatur, sive virginitatem voverint, sive sine voto eam servaverint, ut ait Divus Thomas art. 3. citato, quæst. 1. quamvis enim, ut virginitas sit virtus distincta specie à castitate, requirat votum, hoc tamen non exigit ut mereatur aureola, pari enim voluntate & proposito potest quis servare virginitatem non vovens, sicut alius vovens. verum est, quod illa, quæ habuit propositum nubendi, si antequam nubat moriatur, si non mutat propositum, etiamsi habuerit carnis integritatem, proprie non habebit aureolam, quia deficit à proposito se abstinendi à venereis, etiam licitis. quod necessario requiritur ad laureolam virginum. unde illi virginitati debetur proprie aureola, secundum quod perpetua incorruptio mentis, & corporis sub electione cadit, & illæ virgines solum propriam habent aureolam, quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuo servandi, quamvis hoc propositum aliquando fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitæ inveniatur. quia virginitas mentis reparari potest, quamvis non virginitas carnis.

Si tamen virginitas large accipiatur, & aureola pro quocumque gaudio quod in Patria habebunt, supra gaudium essentiale, sic etiam incorruptis carne aureola respondebit, etiamsi propositum non habuerunt perpetuo virginitatem servandi. non enim est dubium quod de incorruptione corporis gaudebunt, sicut & innocentes de hoc, quod immunes à peccato fuere, quamvis etiam opportunitatem peccandi non habuerunt, ut patet in pueris Baptizatis. sed hæc non est propria acceptio aureolæ, sed valde communis. hæc Divus Thomas, ex quo Abulensis quæst. 19, & ego.

Quamvis tamen Viduæ majorem pugnam inter carnem & spiritum senserint quam Virgines, quod adhuc sub lite est, & non hujus loci sententiam ferre, tamen Virgini debetur aureola, non Viduæ, sed fructus sexagesimus, (si propositum servandæ viduitatis servaverit usque ad mortem) quia, ut ait sanctus Doctor, *Perfectior est victoria Virginum, quam viduarum. Perfectissimum enim genus victoriæ est, & pulcherrimum, hosti nunquam cessisse. corona autem non debetur pugnæ, sed victoriæ de pugna.*

Addit sanctus Doctor in solutione ad 4, *Quod si virgo per violentiam stupretur, si stupro non consentiat,*

non

non amittit aureolam, & virginitatis præmium, etiamsi concipiat; nec tamen Matri Christi æquabitur, in qua fuit cum integritate mentis integritas carnis; quæ doctrina tenet verum, pro quacumque causa violenter stupretur virgo. si tamen pro fide Christi id patiatur, hoc erit ei meritorium, & ad genus martyrii pertinebit, sicut dixit Lucia Virgo: *Si me invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* quod eleganter explicuit uterque Thomas. sanctus Doctor 2. 2. q. 124. art. 4. ad 2. dicens: *In muliere, quæ integritatem carnis perdidit, vel ad perdendam eam damnatur occasione fidei Christianæ, non est apud homines manifestum, utrum hæc mulier patiatur propter amorem fidei Christianæ, vel magis pro contemptu castitatis, & ideo apud homines non redditur propter hoc testimonium sufficiens. unde hoc non proprie habet rationem martyrii, sed apud Deum, qui corda scrutatur, potest hoc ad præmium deputari, sicut Lucia dixit.* quam doctrinam summa profunditate extricat alter Thomas eminentissimus §. ad hoc dicitur; & post multa satis egregia concludit, dicens: *Oportet quod sit testimonium summum, hoc est in opere mortis, & quod sit fidei Christianæ testimonium. tertium* (valde notabile) *in hac responsione, ubi dicitur apud homines. Quartum in eadem responsione, ubi dicitur, non quod proprie habeat rationem martyrii: si enim non proprie habet rationem martyrii, nec apud Deum, nec apud homines habet rationem martyrii.*

Ex dictis colligo cum Abulensi q. 19. modo citata, quod deflorata violenter, si mutet propositum virginitatis, si ante mortem illud redintegret, & iterum assumat, habebit aureolam, quia, quando per violentiam deflorata est, tunc tenens firmiter virginitatis propositum, si postea illud mutet, non corrumpitur, nisi mente; corruptio autem mentis semper potest reparari; cumque non perdiderit aureolam quando deflorata est, si postea redeat ad propositum perpetuo continendi, manebit sibi aureola, quia violatio integritatis sigilli præcedens non abstulit virginitatem, ad quam per accidens se habet integritas vasis virginalis, ut supra adnotabat Divus Thomas. quod tenet verum, etiamsi mulier, dum violenter defloratur, non consentiens deflorationi, habeat propositum nubendi, quia defloratio illa non abstulit virginitatem, & propositum hoc licitum se habet concomitanter, nec aliquo modo influit in deflorationem. unde sicut si posthabeatur potest redintegrari, ita etiam, si tunc, dum defloratur, illud habeat.

De Eunuchis sic respondet Divus Thomas, & ex ipso Abulensis: *Ad septimum dicendum, quod si frigidi & Eunuchi voluntatem habeant incorruptionem perpetuam servare, etiamsi facultas adesset coëundi, virgines sunt dicendi, & aureolam merentur: faciunt enim de necessitate virtutem. si tamen habeant voluntatem ducendi uxorem si possent, aureolam non merentur. unde dicit Augustinus in libro de sancta Virginitate cap. 4. quibus ipsum virile membrum debilitatur, ut generare non possint, ut sunt Eunuchi, sufficit cum Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sint, ut conjuges, si esse possent, haberent conjugatis fidelibus adæquari.*

§. 2. *De virginitate status innocentiæ.*

VAlde his temporibus controversum fuit, an in statu innocentiæ mulieres conciperent, & parerent virgines remanendo. de quo consultus fui anno 1645, in hac civitate Hispalensi, propterea quod in publico suggestu quidam non ignobilis concionator ita esse prædicavit. quam propositionem tutam, & defensam prælo mandavit, ut inoffenso pede decurrat. quam hic examinare non erit injucundum.

Igitur prima sententia docet, in statu innocentiæ per coitum, & partum perdi virginitatem. Ita expresse Divus Thomas in 2. dist. 20. q. 1. art. 2. ad 1. ita loquens: *Ad perfectionem virginitatis duo concurrunt, scilicet integritas carnis cum integritate mentis; quorum alterum, scilicet integritas mentis, honorabilius est, reliquum virginitati essentialius. dicendum ergo quod in omni concubitu solvitur virginitas, quantum ad integritatem carnis, etiam in primo statu. sed integritatem mentis contingit solvi dupliciter, vel quantum ad habitum, & sic solvitur per illicitum concubitum, qui tollit habitum castitatis; vel quantum ad actum, & sic in statu post peccatum solvitur, etiam per concubitum matrimonialem, eo quod propter vehementiam delectationis ratio in ipso actu absorbetur; in primo vero statu neutro modo integritas mentis soluta fuisset, sed sola integritas carnis, cui præponderasset fœcunditas prolis.* quem sequuntur Medina 3 p. q. 28. art. 1. in fine commentarii, versic. *dicendum.* & egregie sanctum Doctorem enucleat Illustriss. D. D. Divus Doza Archiepiscopus Hispalensis dist. 20 citata, conclusione prima, & notabili 1. Suarez de operibus sex dierum lib. 5, cap. 2, anno 3. ubi citat aliquos ex antiquis. Pereyra lib. 4 in Genes. q. 4. disput. de propagatione. at doctissimus Leonardus Coquæus in Commentariis ad Divum Augustinum de Civitate Dei, lib. 14, cap. 26. non est secutus ejus sententiam, dicens, *magis habere admirationem quam fidem*; & sic eam deserit secutus Molinam de operibus sex dierum, disp. 29.

Hujus sententiæ fundamentum est, quia tria sunt requisita ad virginitatem fœmineam, ut supra ex Divo Thoma dixi: unum per accidens, & duo alia per se; unum tanquam materiale, & aliud tanquam formale. & quolibet ex istis tribus voluntario consensu virginis deficiente, deficit necessario virginitas. primum per accidens requisitum est integritas sigilli virginalis. hæc autem in statu innocentiæ auferretur per matrimonii consummationem, eo ipso quod per sexuum commistionem, & seminis virilis medio genitali membro in fœminæ matricem intromissionem, vir & fœmina fiunt una caro, nisi fieret corporum penetratio, quæ præterquam quod esset miraculum non debitum illi statui, & omnibus Patribus pro illo tempore prorsus incognitum, non videbatur usquequaque salvari modus naturalis coëundi virum & fœminam.

Nec satisfacit, quod dicunt Egidius in 2. q. 1. in dubio litterali. Ricardus art. 1. q. 4. quod signaculum virginale tam in conceptione, quam in partu aperiretur transeunter, & post iterum clauderetur sicut antea, sicut dum aperitur os dum oscitamur: illa enim apertio claustri, & iterata reclusio erat illius status perfectio, quia necessaria ad officium naturæ, esset tamen imperfectio, si semel apertum non iterum clauderetur. maneret enim corrupta fœmina, & non in illa status conditione in qua fuit genita, aut creata. quod videtur Augustinus judicasse, dum dixit, loco infra citando: *Ut ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxarent, sic ad fœtandum & accipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* ex quo fit, quod apertio, & clausio sigilli erat connaturalis illi statui absque ruptione, aut corruptione aliqua; & sic semper manebat sigillum integrum, & in eadem natura & conditione, in qua fuit creatum, & productum. cumque semper in illo statu manserit integritas mentis, ut ajunt D. Thomas & ejus discipuli, virginitas mansit semper in illo statu.

Hanc solutionem, quamvis non sic enucleatam, impugnat Suarez ubi supra, num. 6. *quia* (inquit) *negari non potest, quin illa læsio corporalis esset virginitatis amissio, quantum ad hanc partem: nam si quis diceret in partu Christi, dum proles de utero egrederetur, virgineum claustrum fuisse divisum, licet adjungeret statim post partum integritatem claustri plenissime ac perfectissime fuisse restitutam, hæreticus esset. nam sanctissimæ Mariæ Virginitatem negaret, saltem in ipso partu. ergo signum est, per illam divisionem etiam transitoriam simpliciter amitti Virginitatem. & ratio est, quia virginitas est sicut innocentia: nam sicut hæc negat omnem culpam aliquando commissam, ita Virginitas negat omnem claustri violationem, ideoque, licet illa divisio semel facta, divina virtute repararetur, quoad partium discontinuationem, vel separationem, nihilominus virginalis integritas reparari non posset, sicut Deus mundans peccatorem non facit innocentem.* hæc ibi.

Verum enimvero hæc sapientissimi viri impugnatio frivola est omnino: noluit enim intelligere solutionem. falsum enim omnino est, quod ibi esset aliqua corporalis læsio; immo esset naturalis quædam inclinatio indita ab auctore Deo, ob illius status perfectionem. quare nihil reparatur transacto partu & conceptu, cum apertio claustri & iterata reclusio esset connaturalis illi. ut enim ait Augustinus lib. 14 de civitate, cap. 26. *in tanta facilitate rerum & felicitate hominum absit ut suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis morbo. sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cætera, & sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris: nec enim quia experientia probari non potest, ideo credendum non est, quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet. ita tunc potuisset utero conjugis salva integritate fœminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero Virginis fluxus menstrui cruoris emitti, eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici. ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret, sed ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret. De rebus loquimur nunc pudendis; & ideo, quamvis antequam earum puderet, quales esse potuissent conjiciamus. ut possumus, tamen necesse est, ut nostra disputatio frenetur eâ, quæ nos revocat, verecundiâ, quam eloquentia quæ nobis parum suppetit, adjuvetur.* hæc sanctus Doctor.

Ex quibus multa colliguntur contra impugnationem Suarez I. quod membra genitalia tam fœminæ, quam viri subdita erant omnino libero voluntatis imperio, in omni tempore, in omni occasione tam conceptionis, quam partus, unde quod claustrum virginale aperiretur ad concipiendum & pariendum (ibi enim non erat parturitio) & iterum occluderetur, sicut antea illi erat connaturale ex rationis imperio, & officio naturæ recte ordinatæ, absque defectu aliquo, qui ab illo statu longe abesset. & ita apertio ista vulvæ non erat læsio integritatis claustri illius status, sed summa illius perfectio & complementum officii naturæ humanæ, quum Deus fecit masculum & fœminam, quibus dixit, crescite & multiplicamini, medio scilicet coitu, ut fides docet contra illos, de quibus Divus Thomas 1. p. 98. art. 1.

Secundum quod in illo statu *non turbidus calor*, sicut modo in natura corrupta, ageret partes illas corporis, sed spontanea potestas, sicut opus est, adhiberet. & ita ex apertione claustri connaturali semen virile immitteretur per easdem partes, per quas emittitur sanguis menstruus. unde sicut iste non corrumpit integritatem claustri, quod natura aperit ad infusionem, ita nec tunc infusio seminis corrumperet illam, quia ad illius infusionem connaturaliter claustrum aperiretur. & in hoc consistit magna efficacia hujus similitudinis.

III. Quia in illo statu non esset coitus inordinatus, sed unico congressu gravida efficeretur mulier, nec iterum pateret accessus, quia non libidinis appetitus, sed voluntarius usus ratione regulatus utramque conjungerit naturam, sic exigente fœminæ vulva & genitali viri. & sic nec illa læderetur, nec istud læderet, sed absque dolore aliquo officium naturæ summa cum voluntate exerceretur, sine integritatis illius status corruptione. quare quod vulva ad statum in quo fuit creata aut genita reduceretur, non erat miraculum novum, sed illius status primæva institutio, in qua erat tanta rerum facilitas & hominum felicitas.

Procedit ulterius Pater Suarez num. 7. & dicit, quod secundum requisitum ad virginitatem, quod est inexperientia totalis libidinis, etiam defuit in statu innocentiæ, in quo fuit similis voluntaria emissio, quæ ex diametro huic inexperientiæ opponitur. & quamvis esset summa delectatio, semper licita, semper rationi subdita ab illaque regulata, tamen hæc carnis delectatio virginitati opponitur. sicut fieri potuit quod Parentes Virginis ex privilegio reciperent tantum rationis vigorem ad Virginem sine immoderata passione, & mentis perturbatione generandam; nihilominus per illum actum virginitatem corporalem, & externam amitterent. ergo idem esset in statu innocentiæ.

Sed non est magis efficax probatio, quam præcedens, & contra illam manifeste arguo. quia virginitas est virtus quæ moderatur omnem motum, etiam in actu conjugii, & omnem moderatam delectationem, quæ ex natura rei absorbet rationem, & potest impedire totaliter Deo vacare. unde virginitati opponitur omnis delectatio, etiam secundum se licita, quæ aliqualem habet, vel potest habere deordinationem. itaque virginitati non opponitur quæcumque delectatio carnis voluntaria, sed illa quæ potest inducere deordinationem, & rationem absorbere usumque impedire, sicut facit conjugalis congressus. atqui in statu innocentiæ implicaret quod delectatio carnalis, vel impediret Dei contemplationem, aut rationis usum impediret, aut absorberet. ergo manifestum quod non opponeretur virginitati illius status debitæ; imo addo quod implicavit, in illo statu non esse virginitatem. & sic sanctus Thomas ubique tam in 2. sent. quam 2. p. locis citatis ait, *quod in illo statu nullo modo solveretur integritas mentis.*

Et tandem num. 8. probat quod integritas & virginitas mentis ibi non esset, quia cum voluntarie coirent habere necesse erat propositum coëundi, quod etiamsi licitum sit opponitur virginitati; sed ut dixi fallitur omnino, quia hoc propositum, quando ex natura rei licitum & semper regulatum est ratione, non opponitur integritati mentis, ut esset in natura integra. at in natura corrupta semper opponitur, quia propter vehementiam delectationis venereæ ratio in ipso actu absorbetur, etiam in matrimonio licito & honesto; & sic propositum congressus matrimonialis etiam opponitur virginitati, quod non contingeret in statu innocentiæ. *nec enim, quia experientia id probari non posset, ideo credendum non est*, ut ajebat Augustinus.

Secunda sententia est, quod in illo statu felicissimo innocentiæ & naturæ integræ, nullo modo amitteretur virginitas carnis & mentis per conceptionem

nem

nem & partum, sed mulieres hominesque Virgines manerent juxta illius status felicissimam institutionem, in qua nulla integritas mentis, aut corporis læderetur aut corrumperetur, est dubio procul sententia sancti Augustini ubi supra. & sequitur Ludovicus Vives in commentario. sanctus Thomas 1. p. quæst 98 artic.2.ad 4. & his duobus malo assentire, quam aliorum opiniones sequi. idem tenent ex antiquis Alensis 1. quæst. 5. memb. 4. Bonavent. in 2. dist.20. quæst. 4. dicens esse Aug. idem fatetur Durandus ibi. prop. 2. unde Petrus Bergomensis in concord. dubio 738. concordant loca Divi Thomæ ex primo sent. & ex prima parte dicit, violatio signaculi virginalis potest intelligi fieri dupliciter, per fractionem & apertionem. secundo modo fuisset violatum, seu solutum in statu innocentiæ, non autem primo modo, ut habetur 1.2. quæst. 34. art.1. ubi sanctus Doctor egregiam dat doctrinam ad propositum, dicens, quod ligamen rationis ex delectatione in actu conjugali, etsi non habeat malitiam moralem, quia non est peccatum mortale, nec veniale, provenit tamen ex quadam morali malitia, scilicet ex peccato primi Parentis: nam hoc in statu innocentiæ non erat, ut patet ex his, quæ in primo dicta sunt quæst.98. art.2. qua doctrina clare evincitur cur abstinentia ab actu conjugali sit in statu naturæ corruptæ materia virtutis virginitatis, sicut & voti, cui opponitur congressus qui nulla modo esset oppositus virginitati status innocentiæ. eandem sententiam è Societate sequuntur Valentia p.p. disp.7. quæst.5. punct.1. ad 2. Granados tract.8. disp.1.sect.3.ad 2. dicens, quidquid contendat Suarez, vera est sententia sancti Thomæ cum sancto Augustino & Valentia. & alibi dicit, aliunde quam ex qualitate corporibus inhærente provenire poterat partus sine dolore & violatione Virginitatis: quem modum secutus Aug. ponit. Bonavent. ubi supra: *obedirent* (inquit) *membra (generationis) sicut obediunt os, manus, & lingua. unde sicut manus aperitur & clauditur, & os aperitur, nec est ibi passio, vel pœna, nec delectatio fœda, sic fuisset & in natura instituta, nec turpis esset tunc loqui de istis membris, quam sit loqui de aliis,* &c. quare audacter nimis Benedictus Fernandez ad caput 13 Genesis, sect. 36, num. 3. dicit: *hanc sententiam absurdissimam*, quam ipse male intellexit, & pejus impugnavit.

Vt autem hæc sententia, ut tradita est ab Augustino, & sancto Doctore Angelico, comprehendatur, teneatur & suadeatur, notandum est 1. ex 2.2. quæst. 152. art. 1. quod, *nomen virginitatis à virore sumptum est. & sicut illud dicitur virens & in suo virore persistere, quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum, ita etiam virginitas hoc importat, quod persona, cui in est, sit immunis à concupiscentiæ adustione, quæ esse videtur in consummatione maximæ delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio. unde Ambrosius in libro de Virginitate dicit, quod castitas virginalis est expers contagionis integritas.* ex qua verissima doctrina manifeste colligitur, quod in statu innocentiæ semper maneret virginitas, quantum ad id quod nomen per se importat immunitatem à concupiscentiæ adustione, etiam in consummatione delectationis maximæ, qualis est quæ in coitu sentitur; quæ in illo statu multo major esset, quam in isto naturæ corruptæ, ut ait sanctus Thomas 1. p. quæst. 98. artic. 2. non tamen ibi esset venereorum delectatio, quam à Venere ducto nomine dicit inordinationem aut rationis ligamen, ortum ex peccato primi Parentis. & quamvis ibi esset concupiscentia, quatenus ista dicit appetitum sensitivum, non tamen quatenus dicit rebellionem ad rationem, cui subordinatissima esset tota portio inferioris appetitus.

II. Notandum ex eodem Divo Thoma art. ultimo ejusdem quæst. 152. quod illud, quod est formale in virginitate, & illius completivum, scilicet propositum abstinendi a delectatione venerea, est laudabile ex fine ad quem dirigitur, in quantum scilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis. Hac enim ratione Divus Hieronymus lib. 1 contra Iovinianum evertit ejus errorem, concludens quod virginitas in statu naturæ corruptæ debet præferri matrimonia, quia bonum divinum est potius bono humano. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ & divinum secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea quæ sunt Dei; conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio hominum. unde conjuges cogitant quæ sunt mundi, ut ait Apostolus 1 ad Corintheos 7, vers. 14. finis ergo, ex quo virginitas in statu naturæ corruptæ est virtus & laudabilis redditur, est vacare rebus divinis; ad hoc autem pia virginitas ab omni delectatione venerea abstinet, ut liberius divinæ contemplationi vacet. dicit enim Apostolus ubi supra: *mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. quæ autem nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro.* Vnde sanctus Thomas art. ultimo ad 1. dicit: quod licet homines ex sua nativitate habeant id, quod est materiali in virginitate, scilicet integritatem carnis immunem ab experimento venereorum, non tamen habent id, quod est formale, ut scilicet habeant propositum servandi hujusmodi integritatem propter Deum. unde Augustinus in libro de Virginitate cap. 11. dicit: *nec nos in Virginibus prædicamus, quod Virgines sint, sed quod Deo dicatæ pia continentia Virgines sunt.* ex quo clare colligitur, quod propositum abstinendi ab omni actu venereo in tantum est virginitas & laudabile, in quantum per illud liberius vacamus rebus divinis; cumque in statu innocentiæ coitus non impediret contemplationem divinorum, nec cogitare ea quæ sunt Dei, virginitas illius status nullo modo poterat dicere propositum abstinendi à coitu; & sic integritas mentis semper illæsa maneret.

III. Notandum, quod licet à natura habeamus virginale sigillum inexpertum carnalis delectationis, quod est materiale per accidens requisitum ad virginitatem, tamen diversum esset in natura instituta integra ex privilegio illius felicissimi status, ac est hodie, post peccatum primi Parentis: etenim in primo illo statu ita erat ordinatum ad hominis multiplicationem, quod continentia non esset laudabilis, nec virtus; sed omnes tenebantur uxorem ducere; ut expresse sanctus Thomas 1.p. quæst.98. art.2. ad 3. quem sequitur Altissiodorensis lib.2. summ.tract.10, cap. 2. quæst. 4. versicul. *notandum*; etsi uterque nitatur diverso fundamento, iste, quia in illo statu esset matrimonium in præcepto ad multiplicandum genus humanum, at Divus Thomas, quia ibi non erat inordinata libido, & sic integritas carnis in illo statu ex vi institutionis illius erat ordinata ad conjugium & carnis commercium maris & fœminæ. quare repugnabat illi statui continentia ab usu matrimonii; & sic absque integritatis connaturalis illi statui læsione esset feminum commistio, & partus fœtus jam maturi absque dolore aliquo. at post peccatum integritas, & clausio claustri virginalis, non amittitur absque dolore, & libidine in matrimonio. unde corrumpitur virgo eo ipso, quod aperiatur claustrum virginale, etiamsi miraculose reducatur ad pristinam integritatem, quia ad præteritum non datur poten-

tia, & non poteſt non eſſe corrupta, quæ ſemel corrupta fuit, cum integritas clauſtri in natura corrupta non ordinetur ex natura ſuæ inſtitutionis ad matrimonium, quod non eſt ſub præcepto, & integritas carnis cadit ſub conſilio & eſt licita, ut egregie Divus Thomas 2.2. quæſt. 152. artic.4. ſed adverte ex Divo Thoma in 4. diſt. 33. quæſt.3. art. 2. ad 2. quod in ſtatu naturæ integræ, ſi homo non peccaſſet, facta ſufficienti multiplicatione hominum colentium Deum, non peccaſſet virginitatem ſervans, nec faceret contra præceptum, ſed ſupra præceptum. quam doctrinam ego intelligo conditionalem, ſed quando conditio eſſet impleta non conſtat.

Ex quo fit, quod Beata Virgo Maria fuit virgo in partu, & ante partum, & poſt partum. nec enim, ut Durandus temerarie exiſtimavit, dum peperit Chriſtum partes clauſtri virginei dilatatæ ſunt, ſicut in ſtatu innocentiæ dilatarentur, quia hæc dilatatio, cum eſſet connaturalis illi ſtatui, non erat læſio aliqua aut corruptio; at in ſtatu naturæ corruptæ, in qua peperit virgo Chriſtum, talis dilatatio non poterat eſſe ſine læſione & corruptione, & integritas clauſtri virginei amitteretur per illam dilatationem, quæ ex ſpeciali privilegio, debito ſtatui innocentiæ, non rumpebatur ex conceptu & partu. quod privilegium amiſſum fuit per peccatum primi Parentis, & nullo modo erat debitum Virginis Mariæ integritati, & etiamſi miraculoſe illi daretur, non ideo non amitteretur clauſtri virginei innatus pudor, & candor integerrimus. quomodo autem, etiamſi corporum penetratio ſit impoſſibilis de potentia abſoluta, ſine præfata dilatatione, & ſine penetratione permanente Virgine incorrupta, potuerit Chriſtum parere, dixi late in tractatu de quatuor univerſaliſſimis Principiis Doctoris Angelici, typis mandando.

Colligitur II. diverſam longe virginitatem ſtatus innocentiæ futuram à virginitate in ſtatu naturæ corruptæ. hæc enim dicit excluſionem cujuſcumque delectationis venereæ, cauſatæ ex ſeminis emiſſione voluntaria, ſimul cum conſervatione integritatis clauſtri, ſi non violenter auferatur. aſt virginitas in ſtatu innocentiæ non excludebat actum matrimonialem, & ſeminum utriuſque ſexus commiſtionem, ac per conſequens nec carnis delectationem, quæ, ut ſupra dicebam, longe major eſſet, quia natura purior & corpus magis ſenſibile. quæ major delectatio, cum eſſet regulata ratione & amore Dei, tantum abeſt, quod impediret vacare contemplationi, quod in ipſo coitu & amaretur Deus, & ejus divinitas ſumme contemplaretur; & ſic in illo ſtatu matrimonium & Virginitas non diſtinguerentur ſecundum ſubſtantiam, ſed ex connotatione, quia Virginitas expreſſe dicit integritatem carnis & incorruptionem, & inlæſionem clauſtri, ſimul cum integritate mentis ad ſerviendum Deo viventi, & ipſius attributa contemplandum. Cæterum matrimonium connotat corporum commiſtionem, ad propagandum genus humanum, ſimul cum integritate carnis & mentis.

Et quidem quod ibi maneret, etiam in coitu, carnis & clauſtri integritas, mihi evidens eſt, quia homo in illo ſtatu erat impaſſibilis paſſione propria, quæ removet à naturali diſpoſitione, teſte Ariſt. 7 Phyſ. tract. 16. ita expreſſe ſanctus Thomas 1.p. quæſt.97. artic.2. & in 2. diſt. 19.q. unica. artic.3. integritas autem carnis in illo ſtatu erat naturalis ex vi inſtitutionis, ſicut impaſſibilitas & incorruptibilitas, ergo ab illa dimoveri nequibat perſeverante ſtatu: ſi enim amitteretur integritas, aut eſſet per læſionem, aut corruptionem. utrumque tamen illi ſtatui repugnat. quomodo autem homo nutriatur abſque propria paſſione nutriti, explicat egregie Divus Thomas art.2. ad 2. maneret ergo in illo ſtatu virginitas ſua ante partum, in partu, & poſt partum, quæ longe diverſa eſſet à Virginitate Matris Dei, quæ longe altior, ſupernaturalior, excellentior, purior, & ſanctior viſa fuit, quæ nec ſimilis viſa eſt, nec habere ſequentem. Quæ adeo excelſa eſt, quod ſi Chriſtum genuiſſet in ſtatu innocentiæ, opere Spiritus ſancti, ſicut modo, ejus Virginitas diſſimilis eſſet aliis ejuſdem ſtatus, & eſſet ſicut modo eſt, quia virginitas ſtatus innocentiæ connotat ſeminis virilis ſuſceptionem, à qua omnino libera fuit Beata Virgo Maria. ſed quid dicendum ad antinomiam Divi Thomæ, qui ſibi contrarius videtur in 1. p. ad id, quod dicit in 2. ſententiarum? Medina, ubi ſupra, dicit, quod mutavit ſententiam, quia juvenis non ponderavit authoritatem Auguſtini, ſicut ponderavit 1.p. eſt valde probabilis ſolutio. ſed melius dicitur, quod Divus Thomas non dixit, quod corrumpitur integritas carnis in ſtatu innocentiæ, ſed quod ſolvitur, id eſt, dilatatur ad conceptionem & partum, ſed iterum reducitur ad priſtinum ſtatum, quod non contingit in ſtatu naturæ corruptæ. eo enim ipſo quod integritas mentis incorrupta maneat, ſolutio integritatis carnis non opponitur virginitati. ſicut in natura corrupta, ſi virgo violenter ſtupretur, ſi manet integritas mentis, quia nullo modo conſenſit, etiamſi gravida fiat & pariat, virgo permanet.

Igitur ſupponendo, quod in ſtatu innocentiæ eſſet virginitas, reſtat modo requirendum, an illi debeatur virginitatis aureola. & reſpondeo, quod non. tum quia aureola debetur excellenti victoriæ, quæ non eſt, ubi non eſt pugna, qualis repugnabat illi ſtatui; tum quia virginitas erat debita illi ſtatui & omnibus in illo exiſtentibus. aureola autem eſt ſingulare præmium datum uni præ alio, nec debetur omnibus.

§. 3. *De Virginitate ſtatus naturæ corruptæ.*

Loqui poſſimus de ſtatu puræ naturæ, antequam ordinetur ad finem ſupernaturalem. & hic ſtatus cum nunquam extiterit, nec ſit extiturus, nihil dicendum hic, quantum ad aureolam; eſſet enim multiplicare quæſtiones conditionales ſine neceſſitate. quare loquimur de ſtatu naturæ poſt peccatum, & ante legem latam à Deo per Moyſem.

Prima ſententia affirmat, quod in iſto ſtatu erat licita Virginitas voto conſecrata. ita ſentiunt Patres Carmeli in illa eloquentiſſima pariter, & eruditiſſima Apologia pro primo tomo Hiſtoriæ Propheticæ, propoſitione 2, num. 15. & probatur hoc diſcurſu: quia gentiles idololatræ agnoverunt, & laudarunt virginitatem voto conſecratam. ergo illi, qui verum Deum agnoverunt, illam potuerunt ſervare, & vero Deo conſecrare per votum. antecedens multipliciter probatur ex Baronio, qui anno Chriſti 11 ſic fatur: *poſtquam de Virginibus Veſtalibus, quæ voto virginitatem ſuam uſque ad trigeſimum annum conſecrabant Veſtæ Deæ (quod votum adimplere compellebantur, teſte Auguſtino lib. 20 contra Fauſtum, & Abulenſ. q. 12. ad caput 30 Numerorum) ut ex his videas* (inquit) *æque apud omnes virginalis vitæ maxime omnium habitam eſſe rationem; quandoquidem (ut pluribus docet Hieronymus, ſcribens contra Iovinianum lib. 1.) apud Græcos & Barbaros, pariter apud omnes tam practicis quam hiſtoricis litterarum monumentis ſemper ante omnia reperitur Virginitas commendata.* Quod latiſſime comprobat Doctor maximus cap.26. præfati libri, dicens: *quoniam intellexi*

tellexi in commentariis adversarii (Ioviniani) *provocari nos ad mundi sapientiam, quod nunquam hoc genus in seculo sit probatum, & novum dogma contra naturam religio nostra prodiderit, percurram breviter Graecas & Latinas Barbarasque Historias, & docebo virginitatem semper tenuisse pudicitiae principatum.* quod eruditissime præstat sanctus Doctor, multas gentilitatis virgines inducens; & de Sibyllis loquens, dicit: *Quid referam Sibyllas, Erythræam atque Cumanam, & octo reliquas? quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium divinatio. quod si Æolici generis sermonis Sibylla* Θεοβόλη *appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* de hoc singularia adducit exempla n.67 & 68. quibus adde Damam Pythagoræ filiam, quæ, ut refert Timæus, à Patre ad virginitatis votum inducta virginitatem servavit, & virgines ea tempestate discipulas habuit quamplurimas, quas voto virginitatis firmavit. adde & bonam Deam, quæ ita virginitatem coluit, quod nunquam virum viderit, nec à viro fecerit visa, ut ait Macrobius lib. 1, cap. 12, & Plinius lib. 35, cap. 11. refert de quadam virgine quæ perpetua in pictura Romæ excellens fuit. Legatur Tiraquellus ad 15 legem connubia. p. 15. glossa 1. n. 120. Plutarchus in Numa Pompilio, loquens de virginibus Vestalibus. Halicarnasseus lib. 2 de origine Romæ. ubi istis virginibus, quæ post triginta annos matrimonio jungebantur, dicit: *quibus etiam inoptabiles acciderunt vitæ fines, nec fuerunt multum fortunatæ, ita ut earum calamitates in infaustum omen accipientes reliquæ virgines, usque ad mortem maneant apud Deam.* & quod pluris est, sanctus Thomas q. 3. de potentia, quæ est de miraculis art. 5. ad 5. loquens de quadam virgine Vestali, quæ in signum pudicitiæ servatæ aquam in vase perforato de Tyberi portavit sine aquæ effusione, dicit: *Non est remotum, quin sit in commendatione castitatis, quod Deus verus per suos Angelos bonos hujusmodi miraculum per retentionem aquæ fecisset.*

Consequentia hujus enthymematis cuilibet intellectui vere disposito, & docili videtur manifesta. ut enim ait Magister Michaël Munes in propugnaculo Eliæ, lib. 2. titul. 2. art. 1. §. nam si præceptum. quid demirandum, quod in Israëlitarum gente, quæ sanctiori numini erat dicata, ego addo in hominibus verum Deum colentibus in lege naturæ, sic castitas & ejus vota vigerent? quando inter gentes adeo floruerint. unde in lege naturæ Abel virgo fuit, & virginum, sicut & Martyrum in Ecclesia signifer, ut ex multis Patribus notat Fernandez ad caput 4 Genes. sect. 4. ℣. 3. solus enim Abel sine uterina compare in lucem prodiit, disponente sic Deo, ut sibi Abel virgo viveret & moreretur. vixit autem centum annos, ut vult Abulensis.

Hujus difficultatis resolutionem posuit sanctus Doctor Angelicus in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. ad 2. *Medium* (inquit) *virtutis accipitur secundum proportionem circumstantiarum, ad rationem rectam. & quia tempus est una de circumstantiis, non est inconveniens aliquid esse illicitum uno tempore, quod est licitum & virtuosum, si in alio tempore fiat; & ideo, si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem servasset, fuisset in extremo diminutionis, quia abstinuisset à delectabili omni, quando non debuisset. sed postea facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum sufficienti, non peccasset virginitatem servans, etiam in lege Moysi, vel in statu naturæ integræ, si homo non peccasset, non fecisset contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios; sed supra præceptum.* dixerat enim prius dist. 26. q. 1. art. 2. ad 1. quod præceptum de matrimonio contrahendo non obligat unumquemque, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret. atque ita, quando non est hæc exigentia, potest quilibet virginitatem servare. unde existimo, quod Abel, si viveret, tenebatur ad contrahendum matrimonium ex ratione Divi Thomæ, quia tunc temporis erat magna hominum exigentia, cum vix essent octo animæ: Abel etiam habuit uxorem uterinam, nomine Delboram, uterque etiam nati sunt anno trigesimo vitæ Adami, ut dicit Abulensis super Genes. folio mihi 47. vixit tamen tot annos sine uxore, quia nondum pervenerat ad ætatem, in qua gigneret secundum consuetudinem illius temporis. Idem Abulensis ad 1. Paralypom. pagina 45. an vero in illo tempore legis naturæ fuerint aliquæ virgines, Deo vero dicantes suam virginitatem; satis pium est credere, aliquas ex inspiratione divina id fecisse; non tamen constat.

Sed dices: quando erat indigentia quæ obligaret ad matrimonium, & non erat licitum servare virginitatem? Respondetur, quod quando fuit dispensatum in lege naturali, quod quis posset habere plures uxores. sanctus Thomas in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. probat, quod habere plures uxores, est contra legem naturæ, & ejus secunda principia, in qua dispensavit Deus, ut dicit, art. 2. quando prolis multiplicatio necessaria erat. sed isto tempore vult Deus multiplicationem generis humani. & sic tunc non est licitum, vel virtuosum abstinere à matrimonio ex proprio motu, & absque speciali inspiratione, id quod ipsa naturalis ratio demonstrat. si ergo Deus dispensat in lege naturali, quia prolis multiplicatio necessaria est, quomodo tunc non obligavit præceptum quemlibet in particulari de ipsa multiplicatione, medio matrimonio & maritali affectu, qui tunc temporis sufficiebat, sicut accessit Iacob ad Leam, & Abraham ad Ketharam. si autem quis habuit specialem revelationem aut instinctum, licite abstinebat, si revelatio vera esset, & instinctus divinus, & non proprius, ut amplius dicam §. sequenti.

Ex quo fit, quod si quæ virgo fuit in lege naturæ, dicans vero Deo suam virginitatem perpetuam, vel in ea decessit, habebit veram aureolam, propter excellentem victoriam partam ex pugna, quam habuit cum inimico, carne. illæ autem virgines gentiles (excipio Sibyllas, quæ, me judice, salvæ sunt) cum sint damnatæ, præmium non habent, nec aureolam, sed pœnam æternam.

§. 4. *De virginitate legis scriptæ.*

Latissimus se offerebat campus disputandi, an tempore hujus legis fuerint Virgines Deo dicatæ per votum; & similiter si fuerunt viri qui talem deliberatam fecerant Deo promissionem de abstinendo ab omni venerea delectatione, ut multi existimant de Elia, Elisæo & aliis Prophetarum filiis, à quibus successionis jure & filiatis privilegio descendunt Patres Carmeli, insignis portio gregis Christi, tam literis, quam virtute & religione. sed non vacat locus spatiandi in tam amœno viridario, consito omnium florum genere, quia me vocant alia hujus mei instituti magis propria. sed qui spatiari desiderat, simul & delectari, legat doctissimum Nazarium tom. 2. in 3 p. q. 28. art. 4. controversia 1 & 2. Magistrum Michaëlem Muñoz in propugnacula lib. 2, cap. 2. art. 5 & 6. Egidium Camartum de rebus Eliæ cap. 6. sectione 8. Serlogum tom. 2 in Cantica, in quadam hujus rei singulari sectione, in qua omnia Patrum testimonia coacervavit, quibus relatis per

octo classes respondere conatur Apologia pro historia Prophetica proposit. 1. §. 5. usque ad octavum satis erudite & docte. sed dubito an omnibus vere & solide. igitur multis relictis.

Respondeo, dicendum: in lege scripta Moysis toto tempore quo duravit dispensatio, ut homines licite possent habere plures uxores ad propagandum populum Dei, in quo solum erat verus cultus & vera religio, fuit implicite saltem prohibita virginitas, & illius absolutum votum. Hæc sententia dubio procul est Divi Thomæ, 3. p. quæst.28. art.4. & in 4. dist.33. quæst.1. art.1 & 2. sequitur Dominus Cajetanus, §.in corpore. est omnium antiquorum Thomistarum. probatur duplici valde efficaci argumento I. quia votum Beatæ Virginis de virginitate servanda ante matrimonium contractum cum sancto Iosepho, non fuit absolutum, sed conditionale, si Deo placuerit, ut dicitur art.4. vel, nisi Deus aliter ordinaverit, ut dicit in 4. dist.3. quæst.2. artic. 2. quam conditionem prius posuerat Augustinus lib. 1 de nuptiis & concup. cap. 11 & 12. cujus rationem egregiam addit sanctus Thomas: *Conveniens fuit, ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata. verum, quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros, (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur,) Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse*, &c. & cum argumento 1. sibi objecisset illud Deuteron.7, vers.14, *non erit apud te sterilis utrinsque sexus. sterilitas autem sequitur virginitatem. ergo servatio virginitatis erat contra præceptum veteris legis.* huic argumento sic respondet, ad 1. *dicendum, quod quia videbatur esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei genetrix, sed sub conditione si Deo placeret. postquam autem ei innotuit hoc esse Deo acceptum, absolute vovit antequam ab Angelo annuntiaretur.* & in solut. ad 3. repetit. *quod Beata Virgo, antequam desponsaretur, non vovit absolute castitatem, quia* (ut ait ibi Cajetanus) *tunc virginitas erat prohibita lege, & desiderata à persona Beatæ Virginis, & quia prohibita non simpliciter vovit, quia desiderata, vovit sub conditione*

Ex qua doctrina tale formo irrefragabile argumentum. id quod non est lege prohibitum, & habet honestatem objectivam, utpote melius bonum, potest cadere sub voto absoluto exclusa omni conditione, quia eo ipso quod sit melius bonum, & lege non prohibitum, Deo placet. sed Beata Virgo Maria ante sponsationem cum Ioseph non emisit votum absolutum, sed conditionale, ut expresse sanctus Thomas. ergo tunc temporis erat lege prohibitum virginitatem servare, nisi ex speciali instinctu, & revelatione divina, qualem post sponsalitium habuit Beata Virgo. Dicere autem quod opinione vulgi erat prohibita virginitas, non tamen in rei veritate. solutio absurda videtur, & illa taxatur de ignorantia Beatæ Virginis, cujus intellectus illustratissimus fuit ab ineunte ætate, de obligatione legis. Absurdum enim est dicere, quod in emittendo voto conditionali ducta fuit vulgi opinione; immo verissima cognitione de obligatione legis, quæ non solum ligabat tribum Iuda, sed omnem populum Israëliticum, ut constat ex loco Deuteron. adducto. quare solutio, quam adhibet Apologista Carmeli.§.3. omnino rejicienda est. & sane rejecta ex præfato argumento. *si enim oportebat generationi insistere*, manifeste necessitatem importat. etiam *videbatur*, significat non quia ex opinione vulgi apparens erat, sed potius clarum erat lege prohibitum. nec in hoc nimis morandum, quia quid in contrarium dicatur satisfacere non potest solide & fundamentaliter.

Quod enim multi sancti Patres, quos doctus Apologista inducit in Historia Prophetica, laudant viros utriusque legis scriptæ & naturæ, qui virginitatem observarunt, & specialiter sanctus Hieronymus epistola 22 ad Eustochium, ubi tres mundi status juxta tres leges, quibus gubernatus est, distinguit: primus est legis naturæ, de quo dicit: vacuus erat orbis, & ut de typicis taceam sola erat benedictio filiorum. secundus legis scriptæ, in quo paulatim increscente segete, messor immissus est. Virgo Elias, Virgo Elisæus, Virgines multi filii Prophetarum. & Hieremiæ dicitur: non accipies uxorem. Tertius legis Euangelicæ, in quo diutius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina. in lege ergo Moysi non fuit ignominiosa virginitas, nec lege prohibita. in cujus confirmationem adducit Apologista, num.22. plures ex modernis. adducitur etiam, si Deo placet, sanctus Thomas in 4. dist.33. quæst.3. art.2. ibi: *si in tempore, in quo Deus insistere volebat ad multiplicationem generis humani, aliquis proprio motu in corruptionem servasset, è crimine non excusaretur, sed postea facta multiplicatione generis humani, & locupletato satis cultu divino: certe non peccasset virginitatem servans, vel in lege Moysi, vel in statu naturæ integræ, nec fecisset contra præceptum, quia multiplicatio, posset fieri per alios, sed supra præceptum.*

Hoc inquam non obstat, quia sancti Patres intelligi debent de virginitate servanda sub conditione. sicut ipse sanctus Thomas necessario est sic intelligendus; siquidem tempore Beatæ Virginis cultus veri Dei in populo Hebræo satis videbatur ampliatus, & tamen non tanto, quin votum Beatæ Virginis non fuerit conditionatum, ut docuerat dist. 3. q.2.art.1.q.1.in corp. non enim perfectius voverunt Elias & Elisæus, quam Beata Virgo. dico 2, quod Elias & Elisæus non proprio motu, sed speciali revelatione voverunt virginitatem, & habuerunt divinam approbationem religionis, quam instituerunt de filiis Prophetarum, ut etiam virginitatem voverent, & à lege communi eximerentur. & hoc suavius dicitur & magis conformiter ad Divum Thomam, qui ex loco adducto ex 4. sent. loquitur conditionaliter, *locupletato cultu divino*. sed quando fuerit sufficienter locupletatus, ibi non explicat. unde egregie Magister Nazarius controversia 1.§.respondetur in primo dicto: *Cæteri, qui talis motionis non erant participes, & virginalis continentiæ candorem sibi ad faciliorem divinorum contemplationem conservare desiderabant, divinæ voluntatis inspirationem, ad hujusmodi status absolutam electionem faciendam, expectari tenebantur.* hæc ibi, & satis bene, etsi alibi lubrice videatur Nazarius loqui.

II. Argumentum hoc concludo dilemmate. quia tempore legis Moysis lex de matrimonio meundo tunc omnes, & singulos obligabat, quando erat necessaria propagatio cultus divini, qui olim reperiebatur in populo Israëlitico. sed hæc propagatio semper fuit necessaria quanto tempore duravit dispensatio, in lege de unitate uxoris, & dabatur non solum permissio, ut in libello repudii, sed licentia præcisa, ut quis, si posset, haberet plures uxores. finis enim adæquatus hujus dispensationis divinæ, fuit propagatio populi Israëlitici. ergo ex vi hujus dispensationis eo tempore virginitas erat prohibita, saltem implicite. atque ita sine speciali instinctu non potuit sub votum cadere.

Ex quibus constat, quod si quæ fuerunt Virgines in lege Moysi præter Beatam Dei genitricem, illæ habebunt aureolam in cœlo, quia ex pugna conse-

cutæ

cutæ sunt excellentem victoriam, cui debetur præmium accidentale de victoria parta corona.

§. 5. *De Beata Virginis Mariæ aureola.*

VIrginitatem Beatæ Virginis Mariæ mirifice extollunt Patres, Ecclesia Catholica confitetur, adeo quod sanctus Epiphanius hæresi 78 contra Antidicomarianitas, quæ est epistola ejusdem ad Arabas, aliquantulum post principium dicat: *quis unquam aut quo seculo ausus est proferre nomen sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem, ex ipsis enim nominibus epithetis etiam virtutis insignia elucent; dignitatis enim appellationem acceperunt justi, unicuique decenter, & prout congruum fuit. Abrahamo impositum est epitheton, amicus Dei, & non dissolvetur, Apostolis boanergis, hoc est filii tonitrui, & non relinquetur: & sanctæ Mariæ vox Virgo, & non mutabitur: impolluta enim permansit Sancta.*

Vnde existimo, quod nomen Virginis & virginitatis primum omnium habuit Beata Virgo Maria, quatenus virginitas est virtus dicens continentiam ab omni coitu, & propositum se abstinendi ab omni delectatione venerea, una cum voto quo virginitas Deo consecratur; quod est de ratione virginitatis, prout est virtus distincta à castitate, ut ex Divo Thoma & Cajetano supra diximus. quod quidem existimo vero conformius, contra Apologistam Historiæ Propheticæ, non solum si loquamur de prioritate dignitatis & exemplaritatis; sed etiam de prioritate temporis; ita quod ante Dei genitricem nullus meruit, nec habuit nomen Virginis, nec dictus fuit Virgo, nec habuit virtutem virginitatis. non nego contrarium esse valde probabile, & quod Apologista sufficienter satisfaciat argumentis in contrarium factis contra Historiam Propheticam, quam erudite & pie, ut filius Prophetarum, defendit, tuetur, & exaltat; sed juxta meam sententiam, ut Eliam exaltet, aliquatenus videtur gloriam Virginis deprimere.

Quod ostendo hoc discursu satis efficaci, si prius inducam testimonium egregium Alberti Magni in Mariali, super missus est, cap. 35. quo Apologistæ fundamentum evertit. sic enim dicit Beatus Albertus: *Hæc virgo opprobrium virginitatis abstulit, & virginitatem consecravit. usque ad hanc enim Virginem maledicta & opprobriosa virginitas fuit. & sic est virgo Virginum, quæ sine peccato, sine consimili, sine exemplo, gloriosum munus virginitatis Deo obtulit. per sui imitationem omnes Virgines virgo generavit. ergo quidquid ante eam nobilitatis vel dignitatis fœminis attribui potuit, hoc sub ratione mulieris non Virginis fieri debuit, ut benedictio virginitatis benedictissimæ Virgini tanquam virginitatis matri, pro privilegio sibi proprio servaretur.* similia habet sanctus Antoninus in opusculo de Beata Virgine, cap. 20. §. 10. de septimo privilegio. quid clarius & illustrius? si ergo opprobriosa & maledicta fuit virginitas ante Dei Genitricem, qua ratione ista potuit illam virginitatem exemplare? si, quidquid nobilitatis & virginitatis ante Virginem attribuebatur, erat sub ratione mulieris non Virginis, manifestum est, quod privilegium virginitatis etiam prioritate temporis proprium est Virginis Mariæ, antequam ullus homo virginitatem propriam habuit, etsi habuerit corporis integritatem, & castitatem coluerit, quia nullus ante Virginem voto absoluto Domino in perpetuum consecravit. ita expresse Rupertus lib. 3 Cantic. circa finem: *votum virginitatis prima vovisti.* Beda Lucæ cap. 1. Hieronymus Epistola 2 ad Eustochium, & Waldens. cap. 130 de sacramentis, n. 2.

Sed audiat doctissimus Apologista totius machinæ suæ ruinam fundamentalem ex ore sapientissimi Abulensis, quæst. 19. ad caput 18. lib. 4. Regum: *Ezechias fuit primus qui destruxit excelsa & omnem idololatriam; & in hoc non fuit ei similis. non fuit Josias similis Ezechiæ, quia, licet Josias destruxerit omnem idololatriam perfectius, quam Ezechias; tamen non fuit ei similis, quia Ezechias fecit hoc à seipso, non habens aliquam priorem, cujus sequeretur exemplum. Josias autem secutus est exemplum Ezechiæ. magna tamen laus est, quod aliquis faceret bona, quæ nullus antea fecisset. sic enim dicitur de Domina nostra: sola sine exemplo placuisti Domino Christo, id est, non fuit aliqua quæ emisisset votum virginitatis propter Deum ante Dominam nostram.* hactenus ibi. & quidem iste est genuinus & connaturalis Patrum sensus, Ricardi à sancto Laurentio lib. 10 de laudibus Mariæ, Bernardi super missus est, Bonavent. in pharetra lib. 1, cap. 5. Lodolfi de Saxonia, 2. p. vitæ Christi, & aliorum quos adducit Serlogus. interpretationes enim quas adducit Apologista, genuinæ non sunt, sed inventæ ad defensionem probabilem Historiæ Propheticæ.

Dicere autem, quod Patres multi loquuntur de primatu temporis in Beata Virgine respectu mulierum, non vero respectu virorum, ut sic defendat Eliam & Elisæum prius vovisse virginitatem quam Beata Virgo, certe judico indignum dictu, quia, dum Beata Virgo dicitur *Virgo Virginum*, utrumque sexum amplectitur. & tam in fœmina, quam in viro virginitas virtus est, & quidem quidquid dicat Suarez 3. p. tom. 2. disp. 6. sectio 3. §. ad has objectiones, negari nequit, ut Abulensis dicebat, quod sit magna laus, quod aliquis fecerit bona, quæ nullus alius antea fecisset. & hæc laus & gloria à Virgine aufertur, si primus vovit virginitatem Elias.

Deinde tertio, quia, si sensus Patrum non extenditur ad Virgines homines, ergo Monachæ Carmeli, quas fuisse ante Beatam Virginem Mariam, late probat Magister Muñez in propug. lib. 2. tit. 2. cap. 3. artic. 1 & 2. non fecerunt votum virginitatis. Et quidem hanc sententiam Apologistæ esse contra sanctum Augustinum manifeste constabit, si attente legatur sanctus Doctor lib. de bono conjug. cap. 9 & 12. contra Faustum cap. ultim. & lib. 32, cap. 10. & de bono conjug. cap. 22. expresse dicit, quod in lege veteri fuit præceptum, quod frater excitaret semen fratris defuncti. & quomodo erat præceptum, si erat licitum vovere virginitatem? dicere autem Augustinum non loqui de præcepto proprio, est divinare.

His addo verba Patris Suarez, qui postquam dixit, quod Beata Virgo fuit prima in tempore quæ votum emisit, quamvis ante ipsam multi coluerint & servaverint castitatem, sed sine voto, subdit §. ad has objectiones: *illud vero certum est ex Scriptura, nullum alium colligi posse ante Virginem hoc votum emisisse. & hoc sensu, ut minimum erit certum, ipsam esse primam in virginitate vovenda.* & infra: *addo fortasse etiam in reipsa fuisse primam, quia omnia quæ in contrarium proponuntur facile expediri possunt: de illis enim Prophetis fatemur esse incertum, & nesciri tamen, quia id scriptum non est, & illis temporibus hoc non erat in usu. ideo verisimile existimatur eos non vovisse.* hæc ille quibus ego addo id quod maximi ponderis est, prudenter consideratum. quamvis enim aliqui Patres dixerint Heliam, Danielem & tres pueros Hebræos, & de Essenis dicat Iosephus lib. 13 Antiquitat. cap. 8. & l. 2 de bello Iudaico, apud Hebræos fuisse venerandos, quia perpetuam virginitatem servabant; nullus tamen Patrum dixit, quod illam voto Domino consecraverint, sicut dicunt de Virgine Maria. sicut enim de

de ista id non tacent, si illi fecissent non tacerent, sicut quia servarunt castitatem id scriptis mandarunt. quod argumentum magnæ est apud me efficaciæ.

Quare existimo plures in veteri lege, ut liberius divinæ contemplationi vacarent, castitatem servasse; nullum tamen virginitatem vovisse ante Beatam Virginem, sed semper juxta morem Israëlitarum matrimonium habuisse in animi præparatione, si necessarium esset ad cultum divinum augendum, & populum multiplicandum. quam continentiam observabant speciali Dei instinctu & inspiratione. non secus ac in lege Euangelica, qui ex vi subdiaconatus est adstrictus voto castitatis, ut matrimonio conjungatur indiget speciali summi Pontificis dispensatione, ita illi indigebant speciali instinctu, quo dispensabantur à lege contrahendi nuptias. de Filiis Prophetarum non constat, an perpetuam servaverint castitatem vel ad tempus. de Essenis audi Tostatum: *Lex Dei non approbavit aliquam religionem in veteri testamento, in qua observaretur continentia carnis. & dato, quod illo tempore fuerint multi viri religiosi inter Iudæos, id est, qui se tradebant valde divino cultui, sicut dicitur Actorum 2 cap. tamen nunquam fuit inter illos constitutus aliquis modus vivendi, in quo abstinerent à Venereis.* sic patet ex eo quod tangit Iosephus lib. 2 de bello Iudaico, ubi describit omnes sectas Judæorum, & præcipuam inter eas ostendit esse sectam Essenorum, ac illos viros esse sanctissimos, quorum observantias ad laudem gentis suæ ibi describit. & tamen illi non tenebant continentiam, cum haberent uxores. & ista adhuc secta valde tarde instituta est, quia non longo tempore ante Christi nativitatem, sicut nec secta Pharisæorum. hæc ibi.

Prosequitur deinde ad religionem Nazareorum, *in qua*, dicit, *non erat observatio castitatis, & eorum votum de ceremoniis propriis non erat perpetuum de se, sed ad nutum vel perpetuo manendi, vel ad tempus etiam paucorum dierum, sicut sanctus Paulus per sexdecim dies illorum sectam observavit.* Quid ergo obstabit, quod religio filiorum Prophetarum instituta, ab Elia primo Generali, pro illo tempore non esset observatio castitatis perpetuæ, sed ad tempus?

His omnibus non ignobilis efficaciæ accedat discursus promissus. quia Patres dicunt Dei genitricem vovisse virginitatem; id quod nec propugnatores voti Eliæ negant, sed fatentur, ut videre est in utroque Propugnatore Michaële Muñoz & fr. Francisco de sancta Maria. sed hæc prioritas in Beata Virgine non potuit esse causalitatis exemplaris & dignitatis, ut isti noviter comminiscuntur. ergo necessario fuit prioritas temporis. consequentia est clara, quia, quantum attinet ad præsens institutum, nulla alia prioritas conducit. & minor manifeste ostenditur, quia causalitas finalis & exemplaris, quæ est prior tempore, ante existentiam realem ipsius rei, quæ est finis & exemplar, non exercetur, nisi secundum quod procedit in actu animæ. non enim movet finis & exemplar, nisi sint in apprehensione. & est apprehensus consideratus ab ipso qui movetur. ex qua doctrina, quæ est Divi Thomæ, 3.p. quæst. 62. artic. 6. colligit ipse sanctus Doctor, quod passio Christi non communicavit virtutem causativam gratiæ Sacramentis veteris legis; quatenus tamen erat per fidem in apprehensione animi, poterat veteres Patres justificare tanquam causa finalis & meritoria, cujus meritum, utpote infinitum, extendebatur ad præteritum. & sic Patres antiqui justificabantur non per Sacramenta, sed per fidem Christi; at nos per fidem & Sacramenta quibus Christus suam virtutem causativam gratiæ communicavit. ergo ut virginitatis votum Beatæ Dei genitricis esset exemplar Patribus illis, debuit esse ab illis apprehensum, & sic movere ad simile votum faciendum. atque hoc non constat ex aliquo Patre, aut loco Scripturæ, aut sine sufficienti fundamento ponitur. alias, si hoc ita est, omnis virtutes Beatæ Virgines, quæ heroicæ fuere, haberent causalitatem exemplarem, respectu Patrum veterum, quod est ridiculum. posset enim dici, quod ipsa prima credidit, prima amavit, & prima se humiliavit, &c. prioritate dignitatis & præeminentiæ. quod nullus Patrum dixit, quamvis ad cœlos usque virtutes Virginis declamarint, & quamvis Christus Dominus Deus & homo se humiliaverit usque ad exinanitionem & nihilitatem. *propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* & tamen nullus dixit, quod Christus, qui primo se humiliavit, aut qui primus amavit Deum; quamvis posset diu quod sit primum principium gratiæ, quia ejus humilitas, & amor in sua specie non fuerunt infiniti. at gratia in ratione gratiæ habuit infinitatem, ut determinat Divus Thomas 3.p. quæst. 7. art. 11. & sic Patres, quamvis celebrent virginitatem simul cum maternitate Mariæ, non ideo dixere esse primam, quæ vovit virginitatem, ex eo quod virginitas ejus fuit omnibus aliis excellentior, quia juncta est cum maternitate, quæ videtur contraria virginitati, nisi prior tempore omnibus virginitatem vovisset; & sic est exemplar omnibus posterioribus virginibus, non tamen antecedentibus ipsam.

Ex his gradum facimus ad aureolam virginitatis. & Divus Thomas omnem abstulit, & absorbuit difficultatem in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. q. 1. cum enim sibi objecisset ad probandum, quod virginitati non debetur aureola, quia ei quod non est secundum omne tempus laudabile, non debetur præmium excellens. sed virginitatem servare non fuisset laudabile in statu innocentiæ, cum tunc esset homini præceptum: crescite, & multiplicamini, & replete terram; nec etiam tempore legis, quando steriles erant maledictæ. ergo virginitati aureola non debetur. Huic argumento respondet ad 3. *dicendum, quod Virginitati non debetur aureola, nisi in quantum addit quandam excellentiam super alios continentiæ gradus. si autem Adam non peccasset, virginitas nullam perfectionem addidisset supra continentiam conjugalem, quia fuissent tunc nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus; nulla concupiscentiæ fœditate existente. unde virginitas tunc servata non fuisset, nec ei tunc aureola deberetur. sed mutata naturæ conditione virginitas specialem decorem habuit; & ideo speciale præmium ei redditur. etiam tempore legis Moysis, quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile à commistione carnis abstinere. unde nec tali proposito speciale præmium redderetur; nisi ex divino processisset instinctu, ut creditur de Hieremia & Helia, quorum conjugia non leguntur.* Advertant filii Eliæ doctissimi Thomistæ qualiter S. D. non votum, sed propositum dicat sanctus Doctor fuit quod fecit Elias, & ex speciali instinctu divino, sine quo in illo statu non erat laudabilis omnino virginitas, nec illi debebatur aureola.

Loquendo tamen de Beata virgine Dei genitrice, sic fatur ibidem ad 2, *quidam dicunt, quod Beata Virgo pro virginitatis præmio non habet aureolam? si aureola proprie accipiatur secundum quod respicit pugnam; tamen habet aliquid majus aureola propter perfectissimum propositum virginitatis servandæ. alii vero dicunt, quod aureolam etiam sub ratione propria aureolæ habuit excellentissi-*

lentissimam. quamvis enim pugnam non senserint, pugnam tamen aliquam carnis habuit. sed ex vehementia virtutis adeo habuit carnem subditam, quod hujusmodi pugna ei insensibilis erat. sed istud non videtur convenienter dici, quia, cum Beata Virgo credatur omnino fuisse immunis à fomitis inclinatione, propter ejus sanctificationem perfectam, non est pium ponere, aliquam pugnam à carne fuisse in ea, cum talis pugna non sit, nisi ex fomitis inclinatione, nec tentatio, quæ est à carne, sine peccato esse possit, ut patet per *glossam. 2 Corinth. 12. super illud: datus est mihi stimulus carnis meæ. Unde dicendum est, quod aureolam proprie habuit, ut in hoc membris aliis ecclesiæ conformetur, in quibus virginitas invenitur. & quamvis non habuit pugnam per tentationem quæ est à carne, habuit tamen pugnam per tentationem quæ est ab hoste, qui nec etiam ipsum Christum reveritus, ut patet Matthæi cap.* 4. hæc Sanctus Doctor.

Quibus ego addo, vel potius magis ea explico ex Patrum sensu, quod, sicut Virginitas Matris Dei fuit Theotocos, hoc est, Deum generans, fuitque ultimum perfectionis quod pura creatura potuit habere, unde habuit confinium cum Deitate, ita ut nihil in pura creatura altius possit excogitari, quod virginitas ex fœcunditate, & fœcunditas ex virginitate, tanquam duo sidera mutuis radiis sic se illustrare videantur, ut ait Bern. sermone secundo super missus est: *hoc enim est incomprehensibile, inenarrabile, inauditum, & inusitatum, ut virginitas conceptu clarescat, Matrem quoque ut virginitas glorificet.* ut Sanctus Ildefonsus libro secundo de Virginitate Sanctæ Mariæ, cap. 1. & quidem egregie Garricus Abbas Sermone 3. de Annuntiatione dixit: *quæ singulariter & sine exemplo Mater est & Virgo, quod Mariæ privilegium est, non dabitur alteri.* Unde in Beata Virgine Dei genitrice virginitas non se habet concomitanter ad maternitatem Dei, & ista ad virginitatem, sed sunt duo tituli, qui se mutuo juvant, & concurrunt ad filiationem. quod secus est, si quæ virgo violenter corrupta conciperet, & pareret; maneret quidem Virgo, sed ejus virginitas non per se concurreret ad maternitatem, sed concomitanter & per accidens.

Ex quo fit, quod laureola, quæ datur virgini, hyperaureola est dicenda, utpote altioris ordinis quam debeatur aliis Virginibus. sicut honor qui datur, & cultus Beatæ Virginis à fidelibus non dulia, sed hyperdulia dicitur. quod expressit Divus Thomas 3. p. q. 25. art. 5. cujus verba satis ad propositum faciunt, dicit enim: *cum Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur & adoratio latriæ, sed solum adoratio duliæ; eminentius tamen quam cæteris creaturis in quantam ipsa est mater Dei. & ideo dicitur, quod debetur & non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.* quam, inquit sanctus Doctor 22. qu. 103. art. 4. ad 2. esse mediam inter duliam & latriam. legatur doctissimus Magister Paulus Nazarius, 3. p. tom. 2. q. 25. art. 5. controvers. 3. p. 2. §. nunc vero. quare hyperaureola Beatæ Virginis medium quid est inter aureolam communem Virginum, & illud, quod est in Christo, à quo omnes aureolæ originantur, & est excellentius omni aureola. An vero hyperaureola Virginis distincta sit in specie, ab aureola aliarum Virginum, affirmo, sicut hyperdulia distinguitur specie à dulia.

RESOLUTIO LV.

De Aureola Martyrum.

Martyribus deberi aureolam nullus Catholicus dubitat, ut enim ait Augustinus lib. de sancta virginitate: *nemo quantum puto, ausus est præferre virginitatem martyrio.* at virginitati debitur aureola, ut vidimus. ergo & martyrio. sicut enim est homini pugna contra passiones interiores concupiscentiæ, ita est pugna contra passiones exterius violenter illatas. quare, sicut victoriæ in prima pugna debetur præmium & bravium, ita victoriæ in secunda pugna partæ, & multo majori titulo, tum, quia pugna major, sicut est major passio mortis, quæ inter omnes exterius illatas longe major est, tum, quia causa pugnæ major est, cum pugnetur pro honestissima causa, scilicet Christo, qui in martyrio resplendet: nam, ut supra diximus, Martyrem non *facit pœna, sed causa.* quare dubio procul Martyribus aureola debetur.

§. *Unicus. Quibus debeatur.*

Super in Resolutionibus 19. 20. & 22. per multos §§. mea sententia decrevi qui sunt veri Martyres, ut de Innocentibus, de Christo, de B. Virgine, de S. Ioanne Euangelista, de bono Latrone, de militibus, de infantibus occisis in matris utero. Unde hæc sit generalis regula. qui verum & perfectum martyrium subierunt, perfectam habent aureolam; qui vero non perfectum martyrium, sed solum Baptismo sanguinis sunt baptizati, non perfectam aureolam, sed secundum aliquam participationem, in quantum gaudent se in obsequium Christi occisos esse, sicut pueri baptizati habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate, ut ibidem ex Divo Thoma probavi, & tenet Abulensis ad caput 13 Matth. q. 20. ad ultimum. notat Divus Thomas art. 3. q. 2. ad 8, *quod, sicut temperantia non est circa delectationes in pecuniis, vel in honoribus, & hujusmodi; sed solum in delectationibus tactus quasi præcipuus, ita etiam fortitudo est circa pericula mortis, sicut præcipua, ut dicitur in 3 Ethicorum cap. 6. & ideo soli injuriæ, quæ irrogatur circa proprium corpus, ex qua nata est mors, sequi debet aureola. sive igitur aliquis propter Christum res temporales, sive famam, vel quidquid hujusmodi amittat, non efficitur propter hoc proprie Martyr, nec meretur aureolam.* hæc ibi. dicit *proprie Martyr*, quia improprie Martyrem esse, optime & erudite ostendit Raynaudus p. 1. cap. 5. n. 2.

RESOLUTIO LVI.

De Aureola Doctorum.

Doctoribus & Magistris aureolam deberi etiam, & esse inter Catholicos certum, docent omnes ex glossa super caput 1. ad Ephesios, ad illud, *ut sciatis quæ sit eminens*, dicente: *quoddam crementum habent sancti Doctores ultra id, quod aliis communiter habebunt.* & glossa Cant. 8. *Vinea mea est coram me*, dicit, *ostendit, quid singularis præmii Doctoribus ejus disponit.* hujus rationem reddit Sanctus Thomas, quem sequitur & transcripsit Abulensis, ut & ego, *sicut per martyrium & virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne & mundo, ita & perfectissima victoria contra Diabolum obtinetur, quando aliquis non solum Diabolo impugnanti nequaquam cedit, sed & expellit eum non solum à se, sed etiam ab aliis. hoc autem fit per prædicationem & doctrinam; & ideo prædicationi & doctrinæ aureola debetur, sicut & virginitati & martyrio.* cum autem dicitur, quod doctrinæ & prædicationi debetur aureola, intelligitur de doctrina, quæ est de pertinentibus ad salutem, per quam Diabolus à cordibus hominum expugnatur, sicut quibusdam

busdam spiritualibus armis, de quibus dicitur 2 ad Corinthios 10. vers. 3, ubi Paulus dicit: *in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* id est, ut explicat Abulensis qu. 21. *doctrina sacræ Scripturæ proficit ad hoc, ut per eam resisti possit omnibus impugnantibus Christum, & omnis intellectus cogatur subjici Christo per istam manifestam veritatem, quam sacra Scriptura ostendit. hoc ergo docere, est spiritualiter militare, pro quo debetur corona excellens, quæ aureola dicitur.*

Ex quo fit, quod, cum omnis aureola debeatur victoriæ, & victoria non sit ubi deficit pugna & bellum, & ubi est bellum est militia, quæ ex militibus constituitur; ut Magistris, Doctoribus, & Prædicatoribus debeatur aureola, debent ambulare non secundum carnem, nec secundum eam militare; sed arma sua debent esse verbum Dei, quod est *penetrabilius omni gladio ancipite*, acutissimo ex utraque parte, ut expellat diabolum à fidelium cordibus, & hoc debet esse ejus propositum dum docet & prædicat, ut, cum videant homines eos innocentissimæ vitæ, non opes eorum, non honores, sed salutem tantum quærere, idque laboribus, impendiis, afflictionibus, quotidianis, eisque concionari tanto zelo, tanto ardore, ut omnes Christum agnoscant, eumque & Patrem glorificent, hisce omnibus quasi telo efficacissimo in conscientia feriantur, penetrentur, vulnerentur, ut cedant, credantque dictis, doctrinis, concionibus, quibus armis vitia, Diaboli regnum evertat. Vnde Euangelii prædicatio recte vocatur militia, ut eam vocat Paulus 1 ad Timotheum 1. vers. 18, *ut milites in illis bonam militiam.* quod egregie explicat ad propositum Chrysost. ibi: ex hoc enim judico ortum duxisse in Ecclesia, quod Doctoribus in Ecclesia detur aureola, utpote qui pugnant contra Diabolum, ut hæreses, & malas doctrinas à cordibus fidelium expellant prædicatione, doctrina, verbo & scripto. sic Sanctus Athanasius, per quadraginta sex annos, armis spiritualibus heroice contra orbem fere universum Arriana hæresi infectum; sic Augustinus contra Manichæos, & Pelagium; sic Patres in Conciliis, & maxime quatuor generalibus, & Tridentina hæreticos depugnarunt & triumpharunt.

Quod si hoc propositum in Doctore & prædicatione deficiat, & in prædicatione & doctrina sua militent secundum carnem, & carnalibus armis vincentes, politicorum hominum more, gloriantes se in specie & apparentia externa, in rebus & dotibus externis, in nobilitate, prosapia, eloquentia, gratia dicendi, prudentia humana, quibus armis nituntur ad favorem & applausum hominum, ut omnes sibi consocient, ac subjiciant, adversarios vero dejiciant, confundant, supplantent affectata gravitate, simulatione, adulationibus, ut sibi amicos & authoritatem, auditores & reverentiam concilient: isti enim non sunt veri Doctores & Prædicatores, quibus debetur aureola, sed pseudo-Doctores, & pseudo-Prædicatores, quibus non præmium, sed pœna dabitur.

Ex quo colligit Sanctus Doctor, quem sequitur Abulensis & ego, *quod non est dicendum, sicut quidam dicunt, quod aureola Doctoris tantum debeatur Prælatis, quibus competit ex officio prædicare & docere, sed quibuscumque qui licite hunc actum misericordiæ exercent; Prælatis autem non debetur, quamvis habeant officium prædicandi, nisi actu prædicent, quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnæ, quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit 2 ad Timotheum 2.*

Quæ doctrina intelligitur, si Prælatus nec per se, nec per alios docet & prædicat. si enim hoc per alios exerceret, quia ipse legitime est impeditus, habebit quidem aureolam, quia officium suum alteri delegavit, & quod per amicos possumus, per nos possumus, si tamen in hac delegatione delectum habeat, & mittat bonos operarios in messem suam.

RESOLVTIO LVII.

Qua harum trium sit perfectior Aureola.

MVltiplex excogitari potest comparatio inter aureolas, ut contemplantur Divus Thomas, & Abulensis ex ipso, & cum ipso q. 26. aut enim comparantur ratione pugnæ, quam sequitur victoria, & cui debetur corona, aut ex parte eorum, de quibus est pugna. rursus ait Abulensis hæ aureolæ possunt comparari per accidens, ratione temporis.

Si loquamur de prima comparatione, aureola Martyrum est potior & perfectior, quia pugna martyrii est fortior, secundum seipsam, & vehementius affligens. est enim usque ad mortem ultimum terribilium. unde glossa ad caput 5 Matth. loquens de ultima beatitudine, quæ pertinet ad Martyres, *beati qui persecutionem patiuntur*, dicit: *quod in illa omnes aliæ perficiuntur.* & ita Ecclesia in ordinatione Sanctorum, Martyres præordinat Doctoribus & Virginibus.

Si tamen sit sermo ex parte eorum de quibus est pugna, sic aureola Doctorum inter omnes est potior, quia hujusmodi pugna versatur circa intelligibilia; aliæ vero pugnæ circa sensibiles passiones, quæ sunt ordinis inferioris. unde Abulensis ad 4. dicit, quod aureola Doctorum est dignior aliis, quia de rebus dignioribus; ipsa tamen nec est major, nec melior aliis. quod intellige respectu Ecclesiæ militantis: nam respectu triumphantis ipse dicit, ibi non est dubium, quin martyres sint melioris & majoris dignitatis futuri in vita æterna. Cujus rationem tradit Divus Thomas, *quia illa eminentia, quæ attenditur ex parte pugnæ, est aureolæ essentialior, quia aureola secundum propriam rationem respicit victoriam & pugnam. difficultas etiam pugnæ, quæ attenditur ex parte ipsius pugnæ, est potior quam illa quæ attenditur ex parte nostri. in quantum est nobis vicinior, & ideo simpliciter loquendo, aureola martyrii inter omnes est potior. Sed quantum ad aliquid, nihil prohibet alias aureolas esse excellentiores.*

Hinc est, quod sanctus Cyprianus lib. de habitu Virginum dicit; quod *Virgines sunt illustrior portio gregis Christi, quæ sequuntur Agnum quocumque ierit, & cantant canticum, quem omnes Beati audiunt, nullus tamen præter Virgines cantare potest.* Hoc autem non ideo, quia Virginitas concurrit cum martyrio, sed ratione suæ dignitatis, puritatis, & integritatis, ratione cujus & ipsa Martyres facit, & nullus alius Beatus ita conformatur Christo in puritate, ac Virgines. sed hæc est excellentia *secundum quid*, si comparetur ad aureolam martyrii.

Si tamen comparatio fiat ratione temporis, sic dicit bene Abulensis, potest minima esse maxima, & è contrario. Vt, si quis pro Christo levi morte confectus est, & tamen aliquis usque ad senectam Virginitatem servavit, acerrimas carnis sustinens tentationes:

tiones: nam tunc Virginitatis aureola major videbitur, hoc est, intensior. Sic etiam, si quis per totam vitam docendo nimium laboravit, & multos ad fidem Christi convertit, & alius assumpto proposito Virginitatis per mensem, vel per annum solum vixit, non est dubium, quin major sit tunc Doctoris, quam Virginis aureola; & sic quantum ad varias circumstantias potest una esse major alia.

RESOLVTIO LVIII.

Vna aureola martyrii potest esse melior alia ejusdem speciei.

DVpliciter potest attendi & explicari, quod una aureola sit melior alia, vel per propriam intensionem, sicut unus calor est major alio, aut per perfectiorem differentiam individualem, quæ exigit intensiores & perfectiores dispositiones, sicut una anima rationalis dicitur alia melior & perfectior, & unus intellectus dicitur major alio: quam distinctionem, loquendo de aurea & beatitudine essentiali, meditatus sum in meo Præcursore Theologo controvers. 3. disp. 4. à membro 2. ubi efficacissimis argumentis primus probavi, quod beatitudo essentialis, etsi una sit perfectior alia, non tamen quia capax sit intentionis, sed ratione perfectioris differentiæ individualis, quæ sequitur ad majora & perfectiora merita. quare hic dubitamus, an una aureola sit perfectior alia, & quomodo, an ratione intentionis, an ratione differentiæ individualis perfectioris.

Et quidem unam aureolam martyrii alia esse perfectiorem, certum est, & probat Divus Thomas, quem sequimur Abulensis q. 27. & ego, quia aureola est præmium accidentale datum propter merita. ergo ubi sunt plura merita, majus & perfectius est præmium. unde, si unus Martyrum ex minori charitate majus tormentum sustinet; vel Doctor magis prædicationi instat; vel virgo magis se à delectationibus carnis elongat, cum perfectio aureolæ non respondeat radici charitatis, cui respondet aurea; sed merito, quod est rationi actus, habebit majorem & perfectiorem aureolam pro martyrio, quamvis minus mercatur de aurea.

Hinc est, quod sanctus Hippolytus Martyr oratione de Antichristo dicit: *O beatos, qui tunc Tyrannum illum devicerint, quippe prioribus Martyribus illustriores & sublimiores declarandi sunt, propterea quod superiores Martyres Diaboli satellites superarunt, hi vero ipsum filium perditionis expugnarunt, ac victoriam reportarunt. quibus igitur encomiis & coronis non ornabuntur à Rege nostro Iesu Christo?* Et Cyrillus Hierosol. Cathec. 15. *nunquid non beatus Martyr erit, qui tunc martyrium pro Christo pertulerit? ego vero super omnes Martyres esse dixerim: nam qui antea præcesserunt cum hominibus illis tantum certamen erat, qui vero tempore Antichristi patientur, personaliter cum Satana pugnabunt. tum vero superiores illos Martyres, Reges solum occidebant, mortuos autem non excitabant, neque signis & prodigiis phantasiam cujuscumque perturbabant. Hic autem & timore, & necessitatis mala subversione, ut seducantur si fieri potest electi.* & Sanctus Gregorius lib. 32 Moral. cap. 12, *pensemus* (ait) *quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando & pius Martyr & corpus tormentis subjiciet, & tamen ante ejus oculos tortor miracula faciet, cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis corruscat.*

Quibus sancti isti Doctores docent, quod crescet pugna sævissimi Tyranni, & sic crescet aureola. quæ in Martyribus illius seculi major erit, quam in omnibus aliis, (Apostolis exceptis) de quo videndi sunt Apologista Carmeli, propositione 6. §. 3. Magister Muños in propugnaculo Eliæ.

Sed an hæc major aureolæ perfectio sumatur ab intentione majori, vel à perfectiori differentia individuali, consequenter ad ea quæ dixi loco citato, loquendo de aurea, dico de aureola, quod non est capax intentionis & remissionis: quia tam aurea, quam aureola mensurantur æternitate participata, quæ incapax est mutationis, ab intrinseco & ex natura sua, ut ibidem ex Divo Thoma manifeste ostendi, ubi plura ad hoc propositum non injucunda videri possunt, quia hic non sunt repetenda.

Vnum superest ad hujus tractatus complementum, an, ut detur aureola propter opus, debeat fieri ex fine honesto, ita quod si quis doceat propter vanam gloriam, aut sit custos integritatis corporalis propter eundem finem, qui ex genere suo solum est venialis culpa, non consequatur præmium accidentale. de hoc dubio tractat Abulensis, & respondit affirmative q 27. quia ut Doctor mereatur aureolam, debet docere propter Christum, & virgo debet se continere propter eundem. unde, si quis Doctor in tota vita docuerit propter inanem gloriam, si in fine vitæ doleat de hoc, habebit vitam æternam; non tamen aureolam doctrinæ, nisi libros scripserit. si tamen virgo doleat, habebit aureolam, quia carnis integritas perseverat.

TRACTATVS DECIMVS.

De martyrio per pestem.

A Viris ordinis eminentissimi, tum excellentissimi, tum denique illustrissimi postulatum fuit à me, tam per literas, quam enixiore ad os occasione contagii Hispalensis anni præteriti, ut de martyrio per pestem disputarem, & sic animarentur fideles ad infirmos peste infectos curandos, erecti spe tanti premii; insuper & de obligationibus, quibus adstringuntur ministri tempore pestis. hoc ultimum ad sequentem tomum differo. Primum solide & fundamentaliter differere nequibam, nisi prius examinata natura martyrii, & ejus evidentali præmio. nec enim excitandi sunt fideles ad opera misericordiæ falsarum opinionum inventione: est enim *albissimum parietem nebula obscura denigrare*: veritate enim aperta docendi, & instruendi sunt Christiani. est enim magna veritatis vis & energia, ut enim ait Cicero: *tantam potentiam veritas habet, ut nullis machinis, aut cujusvis hominis ingenio subverti potuerit; & licet in causa nullum patronum aut defensorem obtineat, tamen per se ipsa defenditur.* Qualibus machinis, quibus stratagematibus, quo ingenio usi non sunt quidam, ut Raynaudum tuerentur, defenderent, & à censura liberarent, & ad communem usum reducerent (fuit enim interceptus Romæ à sancto officio) expiscarunt subscriptiones Theologorum, solicitarunt publicos applausus, & auctoris laudes, & encomia, *sed veritas à se ipsa defenditur*, & machinæ post belli victoriam ad-

ductæ nihil profecere; sed damnatus tractatus mansit, & alius cujus titulus *error vulgaris communio pro mortuis*, quem ego, antequam prohiberetur, impugnatum dedi prælo tom. 2. tract. Morali. tractatu ultimo variarum Resolutionum. fateor semel, & iterum fateor Theophilum Raynaudum virum esse eruditum valde, sed non semper bene utitur eruditione sua, immò aliquoties abutitur. cujus abusus *ad Deorum* (Iudicum fidei) *aures pervenit*, & audacia punita, proscripsere opus contra quod tractatus præsens totus instituitur, ut penitus evertatur à piorum cordibus, non verum martyrium quod sanguine effuso in odium Christi rubricatum non est. in quo attente cavebo, ne quid alienum loquar, & absonum ab his quæ universus Patrum sensus tenet, Ecclesia usque hodie docet, & veneratur. ut enim Aristophanes:

Neque enim meo sudore quod paraverim
Meaque parsimonia, novi nihil
Ad rem profudero.

Sed ex armamentario Doctorum classicorum, & Ecclesiæ usu, & traditione consensuque fidelium. prius tamen, quam ad pugnam aggrediar, digrediar aliquantulum, referens miserabile contagium Hispalense anni præteriti 1649. in quo ita fuit dilapsus pestiferus influxus, ut non temere dici possent versus illi Theognis:

Deinde meo vastus capiti illabatur Olympus.

& Horatius in Odis:

Ferreus antiqui quod metuere viri,
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Quid dico, ruinam cœli timebant homines? imo & muscæ per aërem volitantes, & scimphes quæ ex odore, & nidore corporum peste infectorum, & ipsæ muscæ & scimphes contagium inferebant illis, in quibus insidebant, adeo pestifera erat qualitas benefica. sed digressionem exordiamur.

RESOLVTIO LIX,

quæ est

DIGRESSIO III.

De contagio Hispalensi anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni.

ANno dicto, die 4 Aprilis, ingens est de afflictione solatium, & transacto procellæ periculo quæ acciderunt jucunde narramus, ut posteritas aut consoletur, aut timeat; & sicut nubilo ingruente sub tectum confugimus, sic in calamitate ad sapientiæ aram, hoc est ad Deum, recurramus, quem nulla machina subvertere queit. quare ante disputationem cum Raynaudo operæ pretium judicavi aliquantulum digredi, in relatione veridica calamitatis Hispalensis. Igitur fuit inundatio fluminis quæ suburbia Trianæ cooperuit aquis, causata ex imbrium multitudine, quæ toto Martio & Aprilis parte contigit, quarum humiditate terra madefacta, & aëre nimium humido supra modum corpora debilitata ex malis cibis. (fuit enim anno præfato gravis fames in toto Regno) & multis corporibus defunctis repertis, postquam flumen se cohibuit, inventum est ex bubonibus veneficis vitam amisisse. quæ lues ita crevit, ut pauco tempore infinita hominum, tam in suburbiis, quam in civitate ipsa peste (ita dira fuit) consumpta, ut existimem quod ab orbe condito attentis circumstantiis loci, & temporis, major non fuerit, siquidem trium mensium spatio plus quam centum quinquaginta hominum millia contagio cesserint. cujus pestis & contagii descriptionem, tanquam ocularis testis, comparatione facta ad eas quæ in Historiis referuntur, verbis aliorum ex centonibus confectam dabo.

Et primus sit Diodorus Siculus lib. 12 suæ Bibliothecæ aliquantulum post medium, pagina mihi in parvis 712, referens pestem quæ Athenis contigit, sic fatur, quasi esset præsens Hispali: *Cæterum cum studium primum Historiæ, primaque solertia esse videatur cujusque insoliti gravisque casus principio causas investigare, hoc loco necessarium est hujus initia mali à nobis explicari. Igitur hyeme superiore cum magna vis imbrium defluxisset, accidit primo perfundi solum omne, tum imbre præstante jam hyeme facta, & diluta juncta in limum colliquari ac putrescere; pleraque deinde loca cava colluente pluvia invadenteque compleri, ibique in modum lacus stagnantes aquæ æstuariis diuturnis speciem paludis contraxisse. quibus post æstatis sole concalefactis atque effervescentibus, contaminatum per æstum & quietem liquorem, auras inde crassas tetrique odoris exhalare. his exsurgentibus ac vento diffusis, veluti pestifera intemperie, & æstu maligno cernitur aërem circum proximum depravari, pestilentique jam spiritu conquinatum inevitabiliter consuescente promiscua multitudine vicissim virulentius semper reddi, quam trahi. Eam quoque mali labem adjuvit pabuli jam confecti conceptum virus. omnes enim ejus anni fruges humectæ nimium, indecocto succo virulentæ, vescentes mortales inficiebant. exacerbato itaque supra modum, sævienteque æstu, tum solo, æthereque inflammato, corpora mortalium undique circumventia nullo præsidio defendi, nulla respiratione recreari cum possent, urentem præcordia trahere, spirareque halitum cogebantur. unde & morborum omnium genera febricosa acerbitate æstus intra concepti, miseros exurebant; inde plerosque ægrotantium traditum est, ultro semetipsos in puteos fontesque præcipitasse, conati eo remedio flammam intus sævientem præcordiaque conficientem restinguere. verum Athenienses atrocitate pestilentiæ acti, tantæ calamitatis causam ad Deos, religionemque retulere.* hactenus Diodorus. Totum hoc in contagio Hispalensi contigisse tanquam testis ocularis depono.

Accedat Iosephus lib. 7 Antiquitat. cap. 10. qui referens modum pestis tempore Davidis à Deo immissæ circumstantias, ponit quæ in peste Hispalensi re ipsa contigere; ait enim: *Pestilentia in Hebræos ingruit, ita ut variis modis absumerentur, nec facile esset morbum cognoscere: mors enim una erat, sed plurimis & compertis causis homines rapiebat. Quidam enim repente cum vehementi dolore, & amaro cruciatu animam exhalabant, alii paulo lentiori vexati malo. ne curationem quidem ferre poterant, sed inter officia medicorum expirabant; alii subito tenebris ob oculos subortis seu præfocati exanimabantur; nonnulli interim dum aliquem domesticorum funerant, sepultura nondum absoluta, commoriebantur, &c.* ita contigit Hispali.

Tertius sit Pontius, in vita sancti Cypriani, de lue Africam infestante: *Erupit* (inquit) *lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos à sua quemque sede abrutos, impetu rapiens, continuatas per ordinem domus vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie, quasi cum illis peste morituris etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Iacebant interim in tota civitate non tam corpora, quam cadavera plurimorum, & misericordiam transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. nemo aspexit illud, præterquam lucra crudelia, nemo similis eventus recordatione trepidavit, nemo fecit alteri quod sibi fieri voluit.* hæc ille. ô bone Deus aspexitne Pontius, dum hæc scripsit, Hispalim contagio læsam? quam bene nemo aspexit præter lucra crudelia, immò crudelissima;

delissima; si quidem pro asportando uno cadavere centum regalia & amplius portatores exposcebant. & cætera quæ Pontius dicit, ita Hispali contigere.

IV. Procopius lib. 2 de bello Persico, agens de pestilentia valde dita circa annum 544, cui remedium nullum inventum præterquam ex Deo, & de infectis sic dicit: *in stultitia sibi corripi aut invadi clamitabant avertentes quæ fugiebant, quorum curatores & ministri dira & intoleranda patiebantur, adeo ut non minus ipsi, quam ægroti misericordia digni fuerint; non quod morbo & ipsi afficerentur, sed quod furentes aut è lecto se præcipitare, aut ad flumina propter sitim properare volentes, vix retinebant. Tribus igitur mensibus hujuscemodi lues Constantinopoli prævaluit. & ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque, sæpius etiam decem millia efferebantur.* in hoc excessit pestis hæc Hispalensem, qua ad summum uno die mille efferebantur mortui, tamen quod ad durationis terminum, æqualis, quod ad finem etiam miraculorum, intercessione Beatæ Virginis, ut tenet Baronius tom. 7, ad annum 544, pagina mihi 331, sicut Constantinopoli miraculo cessavit in die Beatæ Virginis, quando filium suum præsentavit in templum, ob quod dies iste celebritate colitur; ita Hispali à die qua Beata Virgo, dicta de los Reyes, publica processione visere filios suos exiit, agnita est sanitas civitatis, ut infra latius.

Quintus fit Paulus Diaconus lib. 1 de gestis Longob. cap. 4, ubi sic fatur, quasi describens nostrum contagium: *iisdem temporibus in Liguria provincia maxima pestis exorta est: subito enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ si quis voluisset abluere, magis ac magis apparebant. Post annum vero expletum, cœperunt nasci in inguinibus hominum & aliis delicatioribus locis glandulæ in modum nucis seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis æstus, ita ut triduo homo extingueretur; sin vero aliquis triduum transegisset habebat spem vivendi. erat ubique luctus, ubique lacrymæ. Nam (ut vulgi rumor habebat) fugientes cladem, aut vitantes relinquebant domos desertas habitatoribus, solis catulis eas servantibus. pecuaria sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore. Cerneres villas & castra agminibus hominum repleta; postero die fugientibus universis, in summa vastitate & silentio, fugiebant filii, insepulta parentum relinquentes cadavera. si quem forte antiqua pietas perstringebat, ut vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus; & dum obsequebatur, perimebatur; dum offerre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadaver remanebat, ut videres seculum in antiquum redactum silentium. nulla vox audiebatur, nisi gementium in morte; nullus pastorum sibilus; nullæ ferarum insidiæ parabantur, pecudibus nulla damna domesticis, volucribus; sata transgressa metendi tempore intacta, expectabant messores; vineæ amissis foliis radiantibus uvis illæsæ remanebant hyeme appropinquante, & tantum visus oculorum superabant cadavera mortuorum; pastoralia loca conversa erant in hominum sepulturas, & habitacula humana facta fuerant habitacula bestiarum.* hactenus Paulus Diaconus. quæ omnia accidisse in contagio Hispalensis Regni, ego & alii oculati testes affirmamus.

Quis obsecro, lachrymis retentis, & non nisi loco humoris aquei sanguine ab oculis erumpente narrare poterit similia his, quæ diximus, & multo plus acerbiora? serpsit lues, & qualitas pestifera atque venefica crevit paulatim, sicut ignis in sylva & flamma inter stupeas paleas ita aucta fuit, & ejus augmento ministrorum confusio, qui ut homines, suos & se timebant, ne domibus propriis contagium tangeret. quo stupore perterriti quid esset expediens bono communi & ad tantum incendium extinguendum non attingebant; & tanquam cæci parietes palpantes, non inveniebant salutis remedium. Medici imitantes Galenum, multi fugiebant, Chirurgi occultabantur, & tanquam criminosi ad Ecclesiam confugiebant ne cogerentur infectis inservire. sine adjutorio invalescebat contagium, influxus astrorum intendebatur quotidie, adeo quod per contactum cujuscumque rei, quamvis minimæ alicujus infecti, diffundebatur mortis imperium. rei dico non solum sericæ, laneæ, lineæ, gossypiæ, verum & aureæ & argenteæ, imo & monetæ ejusdem metalli contactus mortifere inficiebat; adeo erat efficax venenum, ut in aculeis culices & muscæ deportarent. omnis quæcumque infirmitas, quamvis de se non mortalis, mortalis efficiebatur bubone nato, quodlibet etiam parvum vulnus in mortis carbunculum vertebatur. nihil erat non mortale in civitate. videbatur miraculum quod, omnes quos simul comprehendebat influxus, omnes simul non interirent; Medici etsi sapientissimi ultro fatebantur se ignorare tanti mali causam, & sic regulas & præcepta medicinæ non inservire, sed irregulariter curabant, sicut dicebat Galenus de Romana peste sui ævi. qua incredibili mortalitate fugiebant omnes ad montes & montanas domos, ubi nec securi remanebant. aufugerunt à civitate plus quam decem millia familiarum a primoribus civitatis, quorum plures insequebatur inimicus morbus, majoresque patiebantur angustias, sine remedio morientes, sine Medico & Chirurgo. nemo eos aspiciebat sine lucris crudelibus, sine pretio impio, quo sua ministeria vendebant; & sic pauperes & egeni mortui jacebant in plateis, & ad portas Ecclesiarum; in campis & in biviis miseranda spectacula aspiciebantur, nudæ mulieres, fœtidi homines, pueri in frusta præ putredine divisi, corpora jam diu sine anima, tabefacta & corrupta, ut simul apprehendi non possent, sed insepulta manebant, esca volatilibus cæli, & carnes bestiis terræ. effusus fuit sanguis civium Hispalensium tanquam aqua in circuitu civitatis, & non erat qui sepeliret. quamvis Vespillones magno essent numero, pinguibus stipendiis ad corpora efferenda electi, impares erant cadaverum multitudini, ut jam dicam. Una nocte ad hospitalis sanguinis portam plus quam trecenti perierunt sine remedio, quia non erat locus in hospitali, & manserunt inclementiæ cœli expositi, qua mors celerius illis advenit.

Certe miseranda sunt quæ contigere, & aucta fuit miseria & impossibilitas succurrendi infirmis de necessariis, ex summa paupertate communionis & civitatis, quæ omnia sua propria obligata habet creditoribus pro immensa pecuniarum summa; & sic dolebat de impossibilitate succurrendi, orta ex alia pestilentia, quam fuit passa anno 1600, per tres continuos annos, & quotannis plus quam centum mille ducatorum argenteorum expendit, pro quibus hodie redditus solvit; qua paupertate ingemiscebant egeni, quia sine ministris & necessariis ad vitam è vita transibant.

Cæterum Deus, qui non deficit in necessariis, aperuit cor & inspiravit optimum consilium his, qui ex Regia dispositione regebant & intendebant necessariis, peste infectis, ex aliquibus impositionibus in tabaco, lana & aliis, & reassumptis ingressibus operarum piarum, pro maritandis puellis & redimendis captivis (quod ego consului interrogatus) & aliis similibus, & quinquaginta millibus ducatorum, quæ Rex liberalitate simul & pietate summa largitus est, magna providentia gubernarunt, con-

ſtruentes quadraginta currus, quibus infirmi ad hoſpitale, defuncti ad arietem, lectuli, culcitra, veſtes, ad rogum deportarentur, aſſignantes miniſtros qui ad hæc ſolicite peragenda intenderent, & ad deportandos cibos infirmis, & ut hoſpitali aſſiſterent. qua diligentia, etſi per aliquos dies creverit lues, tamen tandem minui cœpit, uſque dum miraculoſe ceſſavit.

Portenta quæ acciderunt in tanta rerum lugubritate quis enarrare ſufficiet? vera dicam & pauca. Cum Chriſtus dicat, *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, quia conjuges facti ſunt una caro conſummato matrimonio; maritus uxorem, & uxor maritum, in lectulo vulneratum peſte, ſine pietate relinquebant; filius Patrem, & iſte filium inſepultum, adeo quod poſt aliquot menſes inventa ſunt cadavera ſine ſepultura in domibus quæ deſertæ manebant, quod nec canes, nec cati illas inhabitarent, qui remanſerunt non occiſi ex decreto publico. ſed audi portentum I. Puer tenerrimus lactans matris ubera inventus eſt matre mortua ex contagio, & ipſe ſugens mammam. cujus ſimile ſucceſſit Lugduni in contagio anno 1628, ut refert Raynaudus. II. Alter trium annorum infans, fratrem ſuum tenerrimum, cui ex matris defectu ſuccus lactis defecit, pane maſticato ſuſtentavit ſpatio quatuor dierum, quo uſque à venatoribus piis inventi ſunt. Et tandem tertium: in ſepultura communi, quæ Aries dicitur, (neſcio à qua origine) ſemel inventus eſt homo qui ſemivivus projectus fuit ad commune ſepulchrum, & extractus revixit & vixit; & ſimiliter mulier, quæ inter mortuos vociferans viva fuit deprehenſa, & incolumis educta ad vivorum commercium & ſocietatem. hæc de his quæ corpus attinent. ad attinentia ad animam tranſeamus, prius viſo quid antiqui fecere, & quid Hiſpalenſes ad illorum imitationem.

Primo Dionyſius Alexandrinus in fragmine epiſtolæ ad Hieracem Epiſcopum, quod refert Euſebius lib.7 Hiſtoriæ, cap.17. agens de peſte Alexandriæ ſuo tempore contingente, ſic dicit: *quam plurimi è fratribus noſtris adeo quodam immenſo charitatis, & fraternæ benevolentiæ ardore erant inflammati, ut minimè ſuæ parcentes vitæ, ſed ipſi ſibi inter ſe firme adhæreſcentes, eos, qui morbo apprimebantur, nulla ſui cura aut cautione adhibita, ſedulo inviſerent, illis inſervirent, aſſidue pro viribus ob Chriſti amorem curarent, una cum illis decederent è vita libentiſſime, contagione aliorum infecti, etiam morbum à proximis quodammodo ad ſe traherent, ſuaque ſponte aliorum mœrores benevole mitigarent. Multi item, dum aliis ægrotantibus curam adhibent, curaque vires reſtituunt, ipſi aliorum mortem in ſe derivantes vitam amittunt, & verbum illud, quod vulgo ſemper dicitur, quodque veræ benevolentiæ ſolum videtur convenire: nimirum, ut ſinguli pro amicis abeant à vita, ſeque eorum cauſa, ut ita dicam, rejectamentum efficiant, reipſa expleverunt.*

Ex fratribus igitur, qui virtute erant præſtantiſſimi, ad hunc modum mortem oppetiverunt. Quorum nonnulli erant Presbyteri, alii diaconi quidam à populo virtutis ergo multum laudati: adeo ut iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrii ſplendore abeſſe videretur; quin etiam ſanctorum corpora manibus erectis ſupiniſque excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhæreſcere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere non gravati ſunt; ipſique qui ſupererant paulo poſt ſimilia officia in ſe collata propterea adepti, quod eadem mortis vis inſtaret, quam qui præierant inſtitiſſet. gentiles autem his omnia facere contraria. Eos enim qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extrudere, deſerere amiciſſimos, in plateis ſemimortuos projicere, cadavera inſepulta canibus exponere dilanianda, mortis participationem & mortis communionem avertere, quam plane, vel infinita diverticula quærentes nullo modo poterant evitare. hæc apud Euſebium ex Dionyſio.

Accedat Cypriani exemplum nobis propoſitum à Pontio Diacono, teſte oculato, in ſancti Pontificis vita, qui poſt relata verba ſupra adducta ſic loquitur: *quid inter hæc egerit Chriſti & Dei Pontifex, qui Pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate præceſſerat, ſcelus eſt præterire. Aggregatam primo in loco una plebem de miſericordiæ bonis inſtruit, docens divinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum proſint officia pietatis. Tunc deinde ſubjungit, non eſſe mirabile, ſi noſtros tantum debito charitatis affectu foveremus; eum perfectum poſſe fieri qui plus aliquod publicano vel ethnico fecerit, qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ inſtar exercens, inimicos quoque dilexerit, qui pro perſequentium ſe ſalute, ſicuti Dominus monet & hortatur, oravit. Oriri facit Deus jugiter ſolem ſuum, & pluvias ſubinde nutriendis ſeminibus impertit, exhibens cuncta iſta non ſuis tantum, ſed etiam alienis. & qui ſe Dei etiam filium eſſe profitetur, cur non exemplum Patris imitatur? reſpondere nos docet natalibus noſtris; & quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe non congruit, ſed probare potius in ſobole traducem boni Patris æmulatione bonitatis. Multa alia & quidem magna reperio, quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore ſermone replicare, de quibus hoc tantum dixiſſe ſatis eſt, quod ſi illa gentiles pro roſtris audire potuiſſent forſitan ſtatim crederent; quid Chriſtiana plebs faceret cui de fide nomen eſt? diſtributa ſunt ergo continue pro qualitate hominum, atque ordinum miniſteria. multi qui anguſtia paupertatis beneficia ſumptus exhibere non poterant, plus ſumptibus exhibebant, compenſantes proprio labore mercedem omnibus divitiis cariorem. & quis non ſub tanto Ductore properaret inveniri in parte aliqua talis militiæ per quam placeret & Deo Patri, & Judici Chriſto, & tam bono interim ſacerdoti? fiebat itaque ex uberantium operum largitate, quod bonum eſt ad omnes, non ad ſolos domeſticos fidei; fiebat plus aliquid, quam de Tobiæ comparabili pietate ſignatum eſt; ignoſcat ille, & ignoſcat iterum, & frequenter ignoſcat, aut (ut verius dicam) merito concedat; tametſi ante Chriſtum plurimum ſi licet, plus aliquid licuiſſet poſt Chriſtum, cujus temporibus plenitudo debetur: necatos ille à Rege, & projectos ſui tantum generis colligebat.*

Deinde anno 312 in oriente immenſa lues exorta domos, familias, nobiles, ignobiles, Magiſtratus & Præfectos depaſta eſt, adeo quod, ut refert Euſebius lib.9 Hiſtoriarum, cap.7. conſpicere licuiſſet duo aut tria mortuorum corpora ex unis ædibus pariter ad ſepulturam delata. *quo quidem tempore* (proſequitur Euſebius) *clara ſingularis Chriſtianorum erga quemque & ſtudii & pii animi indicia apud omnes increbuerunt. nam hi ſoli in tanto malorum cumulo ſuis recte factis & piis officiis miſericordiam declarabant, & benignitatem. Quorum alii indies in ſingulos mortuorum, funeribus & ſepulturæ (infiniti enim erunt quibus ſepeliendis nemo curam adhibuit) diligentem navarunt operam; alii multitudine eorum, qui per totam civitatem fame urgebantur, in unum coacta omnibus fere diſpertierunt, uſque adeo uti hoc præclarum facinus per omnes homines conſtanti fama, & magna celebritate pervaderet, & ſinguli Chriſtianorum Deum gloria & laude prædicarent, eoſque ſolos pios, & veros Dei cultores re & factis comprobatos faterentur.*

III. Sanctus Carolus Borromeus in Concilio Medio-

Mediolanense 3. p. 2. §. officia. vers. sed ne longe: *Domi sunt* (inquit) *quorum documentis homines Ecclesiastici ordinis ad omne charitatis officiorum genus in pestifera labe exequendum instruantur; atque ii quidem sunt Metropolitanæ ecclesiæ Mediolanens. Archiepiscopi duo omni laude florentes, Benedictus & Aspertus. Hic in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam populumque Mediolanensem invaserat, pestilente lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque sacramenta omnia ministrasse, idque ipsum officium ejus exemplo & jussu Parochi etiam accurate præstitisse dicuntur.* & paulo ante §. *si versus*, monet *sacerdotes*, *hoc statuant nihil optabilius, aut ad charitatis meritum præstantius accidere posse, quam si pro salute proximorum morte defungantur*, *idque juxta viros sanctissimos à martyrii gloria non longe admodum abesse*. Quæ ultima verba, quæ referuntur, explicatio est manifesta ejus, quod dixit Dionysius Alexandrinus supra citatus, & in quo fundatur Raynaudus, ut introducat verum martyrium per pestem sine morte inflicta à Tyranno in odium fidei. quare vere sentit Concilium dicens, mori pro serviendis contagio infectis, *non longe admodum abesse martyrii gloria*; sed sine dubio abest, sed non longe admodum abest, quia utrumque ex charitate procedit, ex magna utique charitate; sed abest à proprietate martyrii, quia ecclesiæ sensu solus est verus Martyr qui occiditur in odium fidei, cujus fert testimonium sanguine subscriptum effuso violenter à Tyranno. quare temere omnino dicit Raynaudus, quod expungenda est temperatio illa posita à Concilio, *non longe admodum*; cum potius temperatio illa prudentissime sit posita, ut cum grano salis intelligatur, & explicetur Dionysii sententia, sine qua veritatem non continet. Modo ad pestem Hispalensem accedat sermo noster semivivus relictus, non tam ex contagio, à quo gratia Dei fui liberatus, quam ex visione horrenda illius; undique cadavera insepulta, undique fœtida, undique rogi & ignes. quorum fœtoribus inficiebantur sani, qui non tam sani dici poterant, quam minus infirmi. omnis enim influxus cœlestis non solum tangebat, verum penetrabat, sagittabat, comprehendebat; & quos non egit in mortem, turpi macie permultum tempus dimisit. O quam misera Hispalensium cernebatur sors! alia ex aliis cura fatigat, vexatque animos nova tempestas, exorta propter ministrorum inopiam erga animarum salutem. si enim magnæ virtutis est à morte eripere carnem quamquam morituram, quanti est meriti à morte animam liberare in cœlesti illa patria sine fine victuram? quod Patres conscriptos non ita commode assequi valde torquebat; & quanto magis procella in corpora sæviebat, tanto magis ingemiscebant, quia non veniebant messores in messem jamjam albescentem, quanto major pestis efficacia ingravescebat. ruunt super mortuos vivi, & supra sepultum sepultor ipse procumbit, nulla in qualibet ætate vitæ fiducia. Mixti senibus juvenes, decrepitis adolescentes corruunt, ipsique pœne pueri & virgines teneræ centenarios moriendo præveniunt. Dies Domini, sicut ipse ait, ut fur nocte veniens solicitos quosque, & improvidos simul furatur, vixque moriens mori se advertit, quia prius à morte quisque rapitur, quam plene ad seipsum morientis animus convertatur, ait Cluniacensis lib. 4, epistola 39, quæ habetur tom. 9 Biblioth.

Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant
Cesserat officium morbis, & funera deerant
Mortibus.

Hic erat status afflictæ civitatis Emporii & Christianitatis & mundi, quando excitavit Deus multorum Religiosorum spiritus omnium fere Religionum, ut se cum vitæ periculo & manifesto dispendio ultro offerrent in animarum lucrum, & periculi eas perdendi subventionem. ea enim solicitudine, ea diligentia & ardenti studio omnes certatim quærebant hominem interiorem, à lue spirituali infectum, mundare, & ad laborantibus optata in tanto discrimine spiritualia subsidia adferre. quæ ita oportuno allata sunt aliquoties perditis hominibus, ut statim peracta peccatorum confessione, & absolutione data, animas & ipsi darent. Cuidam ex nostris successit, ut mox ac tersit animam alicujus, toto corpore vomitibus polluto, expirarit. Quid dicam in hujus Spiritus Sancti Domus encomium & laudem? certe quidem pauci erant Sacerdotes animarum curatores, sed tantis donis illius divini Spiritus illustrati & condecorati, ut in alios abunde redundarent. apertum fuit templi ostium, omnibus utriusque sexus patens & pervium; & illico ac lues declarata & publicata fuit, statim aperta sunt omnia ostia & universorum vincula soluta, cum nostri confessarii per spatium duorum mensium plus quam tria millia generalium confessionum peregerint. alacres clamabant cum Paulo, ostium nobis apertum est magnum & evidens, & adversarii multi; & pro nihilo vitam æstimantes non timebant halitus pœnitentium infectos, non contagia vestium, non contactus ulcerum, glandularum veneficas qualitates. Major erat ignis quo urebantur interius, quo absumebatur damnum exterius adveniens; fidebant, & firmissime fidebant se liberandos in medio umbræ mortis, quoniam cum ipsis erat Beata Virgo, cujus devotissima imago, cognomento *Domina maris*, quæ innumera edidit miracula tam circa domesticos, quam circa exteros. quot Religiosi jam vulnerati subito sani sunt facti! quot seculares ab epidemia tacti sanitati sunt restituti, quando omnes à Medicis erant desperati, hujus Virginis ope & auxilio! de quo forte Bernardus: *oportet universos Christicolas inter fluctus hujus seculi navigantes attendere ad hanc maris stellam, quæ supremo cardini, id est Deo, proxima est, & respectu exempli ejus cursum dirigere, quod qui fecerit non frangetur scopulis adversorum, sed prospere veniet ad portum quietis æternæ.* quibus animati Patres sine timore & tremore salutem propriam & proximorum operabantur, strenuam navantes operam ut Deo, & Reipublicæ deservirent. defecerunt multi lassitudine, non curantes propriam corporalem requiem, ut fideles non amitterent æternam. Laici fratres non parum insudarunt associando confessores, infirmis ministrando, & alia pietatis & cultus divini opera exercentes; & quod magni ponderis est futuris temporibus, nullum communitatis exercitium omissum fuit inter tot mortis pericula, inter tot gravissima animarum negotia, ad quod incitabat tum Religionis & observantiæ zelus, tum fidelium consolatio: quorum omnium, etiam meretricum & perditorum hominum, erat tanta devotio, tanta delictorum contritio, ut omnes pro Christo militarent, ut verissimum sit quod Cyprianus dicit libro de mortalitate, num. 20, *nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria. cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc dabitur vincentibus & corona. gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur; conflictatio in adversis, probatio est veritatis.* O quam magna erat fidei nostræ probatio, publicanorum, usurariorum & aliorum criminum publica confessio, male ablatorum restitutio, vera multorum annorum exomologesis! ego quidem hominem catholicum à confessionibus audivi, qui spatio triginta annorum nullam, nec fictam

 fecit

fecit peccatorum suorum exomologesin, & similium nostri plures.

Si de pusillo nostro grege, quem nullus timor invasit, quia complacuit Patri luminum illi dare regnum, quid de aliis numerosissimis Religiosorum diversorum ordinum agminibus dicam? vere quidem deficiet mihi tempus & ineruditioni meæ eloquentia, quando Demosthenis & Ciceroniana non sufficerit, de quorum virtute vere dicitur, *quod in tempestate sæva quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa, loco manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.* fuerunt enim in hac civitate *lux mundi*, & *sal terræ*, illa ad illustrandas animas pœnitentia, iste ad præservandum à fœtore peccatorum. quid narrabo de instructione ad exomologesin, de sacratorum etiam extremæ unctionis administratione, sine aliquo pavore contagii? & quanto plures efferebantur, tanto offerebantur plures ad ministerium, sine pavore amittendi vitam, seipsos sacrificantes pro Deo, & pro Republica propter Deum. ipsi Parochi, ipsi infirmarii, ipsi vespillones cadaverum, ipsi portitores ad xenodochium infirmorum, ipsi Chirurgi, & tandem ipsi omnium officiorum pietatis & misericordiæ primi executores, testes sunt hujus veritatis Patres Capucini, Patres tertii Ordinis Sancti Francisci, & aliarum Seraphicæ familiæ provinciarum hanc civitatem inhabitantium, Patres Mercenarii, qui strenue in hoc bello divino dimicantes, Redemptores extitere tam quoad corpora, tam quoad animas. Patrum Societatis aliqui se dedicarunt animarum saluti, & ardenti zelo huic ministerio incumbebant. Quid de Patribus Sancti Dominici filiis dicam? primi eorum literis & ingenio pollentes, illustriores facti sunt ministerio Sacramentorum, & munus Parochi summo charitatis incendio sunt executi. Quo generali Religiosorum auxilio (nam plures Clerici seculares aut fugerunt, aut defecerunt ob immensum laborem) etsi corpora in cadavera mutarentur, tamen animæ transvehebantur in felicitatis portum. quare jure optimo hos animarum curatores, hos earum ad cœlum portitores, hos civitatis tutores cum Sancto Ioanne Chrysostomo *vivos Martyres* appellare licebit. nam ponentes in manibus Dei *tempora sua*, in propriis animas portabant, mortem in singulas horas imo & momenta expectantes. ergo isti dignissime laudandi sunt, ac verborum honore celebrandi, non ut ipsorum gloriæ (meis laudibus) accedat; (quid enim iis oratio mea afferre possit, quorum gloria ipsis actionibus rebusque gestis utitur?) sed ut gloriam consequantur qui eos laudant, ac virtutem æmulentur qui audiunt, ejusmodi nimirum commemoratione quasi stimulis quibusdam ad earum rerum studium excitatis. ita loquitur Nazianzenus de Machabæis oratione 23. qui passi sunt pro Patria, Lege & Deo. Sed ecce plus quam Machabæi isti, ecce plus quam Alexandrini Presbyteri & Diaconi, ecce plus quam Carthaginenses Christiani, ecce plus quam Lugdunenses sacerdotes, etsi enim Deo omnes inservirent, & infirmos juvarent, solarentur, & curarent; sed dubito an tanto fervore & charitatis igne succensi, an tanto animarum zelo, qui adeo diligens fuit, ut in tam immensa mortalitate vix aliquis sine sacramentis discesserit nisi pauci, qui repente obiere, & alii qui se omnino occultarunt. hæc dixisse per transennam sufficiat, & laudes tantorum virorum brevi compendio concludere, aliisque proponere: gloria enim majorum posteris lumen est.

Pulchrum est digito monstrare, & dicere hic est.

Dominici sacer ordo, Francisci Seraphicus, Carmeli Elianus, Mercedis Regius Augustini ardens, Societatis diligens, Clericorum Regularium Minorum solicitus: vulgus enim & respublica Hispalensis perpetuo clamabunt: *Hic est*, digito monstrantes suos curatores, imo & tutores, imo & liberatores in bello divino, sine stipendio, sine pecuniarum cupidine, sed solum zelo divino moti dicebant cum Paulo: *argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* sicut suscipiebant, amplexabantur, dirigebant in portum salutis æternæ.

Satisfactâ jam divina justitiâ, instante misericordia, sicut illa miraculis, intimavit bellum contra mortales propter crimina & delicta, ita ista receptui canit per miracula, quibus Deus hominibus loquitur. Narrat Baronius tomo septimo Annal. ad annum Christi 544. ex Procopio de bello Persico lib. 2 de lue pestilenti Orientis, quæ incipit miraculo, & pariter miraculo desiit: incepit namque *visis Dæmonibus in humana specie apparentibus hominibus; & quotquot in morbum incidebant percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat.* cessavit etiam Constantinopoli miraculo. Dicit enim Baronius: *Quod vero non amplius, quam tribus mensibus civitatem Constantinopolitanam occuparit, miraculo tribuitur. quod licet nec à Procopio, vel Evagrio recenseatur, haud tamen oblivione sepultum penitus relictum est. nam tantum beneficium solemni die festo in honorem Dei genitricis Mariæ instituto, anniversariaque die in Ecclesia repetendo. remansit posteris perpetua memoria consignatum, cum videlicet idem Hypapanti est nominatus.*

Incepit simili modo, & desiit contagium Hispalense, antequam cresceret miraculis, & portentis nobis loquatur Deus, ut reducti à vitiis pessimis, ab animorum lue exomologesi facta mundaremur, & sic contineret manum justitiæ, & extenderet palmas misericordiæ. sed exasperatus peccatis nostris, ejus iram multis manifestavit portentis. unum referam, quod nostris contigit, & oculis viderunt multi. dum enim magna devotione diceret, ut assolet, communitas, coram Beata Virgine del Mar, Antiphonam, stella cœli exstirpans es, dicerent hujus conventus Spiritus sancti Religiosi pro bono communi, & uniuscujusque ad illa verba, *O piissima stella maris à peste succurre nobis*, visa est multoties brevi tempore navicula, quam in manu ligatam, & immobilem habet virgo, moveri, quasi acta procella. quo portento à multis conspecto horruerunt, & pilis capitis elevatis dicta Antiphona exiere; & unus alteri narrabat visionem quam viderat, stupore acti, & justo timore quassati, disposuerunt se ad futurum contagium, quod ita grave fuit in domo nostra, ut è triginta qui erant soli duo non sint percussi, & tredecim obiere, omnes virtute singulari pollentes, quibus pretiosissimum, & commodissimum fuit hujusmodi tempus, & omni alio meritorium feracius, & ad condendas in usum æternitatis mysticas fruges accommodatius.

Sed modus cessandi contagium valde fuit miraculosus: etenim omnes fere jam consumpti, acti atrocitate pestilentiæ, summis precibus, mixtis lachrymis & gemitibus, cœlum ipsum penetrantibus tam publice, quam privatim Deum, virginemque matrem deprecabantur communem salutem, vota & promissiones fundantes, ut misericordiam impenderet, & gladius reconderetur, & averteret iram suam à nobis. Initum fuit consilium salutare in utroque capitulo tam Ecclesiastico existente, sede vacante, quam sæculari. similitudo & imago Beatæ Virginis Mariæ, dictæ

dictæ de los Reyes, sita in cathedrali in Capella regia, quæ imago, ut creditur, fuit quam secum adportabat contra inimicos fidei sanctus Rex Ferdinandus, qui in eadem Capella jacet sepultus, publica processione populo lachrymis, gemitibus & (quod summe placuit Deo) vera contritione clamante & vociferante misericordiam & pietatem, quam Beata Virgo subito promisit, videns, ut mater misericordiæ, miseriam, & afflictionem populi sui dilecti, stetit Phinees, & placuit, & cœpit cessare quassatio. res mira publice exorta est super terram extra domum solis, in qua habitat luna, virgineusque vultus Mariæ, die vigesimo sexto Iunii ejusdem anni, & subito agniti sunt salutares fulgoris salutis influxus. in suburbanis Trianæ incepit, ut habui ex relatione veridica, quod illo die in eisdem suburbiis uncti sunt sacro oleo plus quam centum octuaginta personæ, & nulla illarum interiit; & ab illo die ita crevit progressus salutis, ut ad xenodochium non amplius deportarentur infirmi, & si qui ibi erant solum ad convalescendum. & die 16 Iulii jam Hospitalitas non erat necessaria extra civitatem; intra tamen adhuc durabat aliquantulum contagii, quia adhuc ira Dei non erat à matre succensa, nisi etiam & filii amor, per vulnerum ostensionem, paternam indignationem absumeret. & die secunda Iulii imago Christi crucifixi, devota valde & summa in civitate venerata, portata fuit ad templum Majus; in quo, tanquam in cœlo militantis Ecclesiæ, & vere tunc militantis, posuit providentia divina duo ista luminaria magna, solem Christum & lunam Mariam, ut sese mutuo aspicientes nos respicerent, & aspectu benevolo à contagii languore liberarent, & unus, ut Redemptor, & altera, ut corredemptrix seipsos in angoribus, & angustiis pro nobis passis aspicerent, & redimerent nos ab omni iniquitate, pro qua juste flagellabamur; O miraculum magnum! mulier amicta, & circumamicta sole, stellis coronata, & quæ in nos satagebant fulgura contagiosa, jam ex contactu Mariæ non amplius nocent: siquidem ab illo eodem die, quo beneficio nostri se respexerunt, etiam in civitate experta est melioratio salutis & imminutio qualitatis malignæ; & quando sponsus non requiescebat domi, sed sine requie ambulabat per vicos & plateas, solitarius tanquam passer in tecto, una dumtaxat olei aut cerei luce comitatus, & occultus in pectore sacerdotis, die qua inhabitabit in suæ matris Ecclesiæ matrice, requiebat aliquantulum ab opere quod pro nobis patrarat, duabusque duntaxat vicibus ad infirmos adiit, & die vigesima secunda imminutæ sunt notoriè aquæ diluvii, & apparuit columba portans olivæ ramum, misericordiæ & pietatis symbolum, & xenodochio infirmorum posita sunt pacis vexilla, & alia lætitiæ signa, dicentia:

Securæ procul hinc abite mortes.
Hæc vitæ genialis est origo.
Cedat luctus atrox, genisque manent
Jam dulces lacrymæ, dolorque fessus
Quidquid fleverat ante, nunc adoret.

Bene, & satis bene Statius. adorent igitur hæc duo luminaria omnes Angeli Dei, flentes super civitatem suam afflictam; adorent omnes ejus incolæ, & habitatores quos tetigit manus Domini, adorent omnes fletu confecti jam misericordia refecti. ut autem nulla superesset dubitatio de miraculo, accidit, ut dum imago crucifixi ad domum suam conventus sancti Augustini, ubi summo cultu & veneratione colitur, redirent die quarto Iulii, sol apparuerit rubicundus & sanguineus, qui color duravit spatio duarum horarum, ita ut omnes adverterent fulgores Matris, & Filii solem ipsum exurere & purificare, ut lumen quod aliis astris communicat medio, quo in hæc inferiora influunt, purificatum & defæcatum illis accederet, ut saluti ferum tactum Saturni & Martis malevolos influxus, quos ex sua conjunctione nobis dabant, temperaret, & quando solis obscuratione pestilentia contrahitur, teste Plinio lib. 36, cap. 27. solis luce imminuta & turbata, mutatoque colore, sanitas advenires civitati, ex causa ex qua potius infirmitatis augmentum advenire debebat. Igitur sol sanguineus visus est, & rubeus ex multitudine vaporum ascendentium ad aëris regionem, ubi calore ipsius solis igniebantur & consumebantur, ut terra & aëre in hac infima regione defæcatis venefica qualitas ex defectu materiæ, & ipsa deficeret, non cursu naturalium causarum, sed supernaturali providentia.

Igitur tres actiones miraculosas in hac veridica & oculari relatione, ex quo die visa sunt hæc duo luminaria magna super terram, considero: I. Quod lues pestifera imminuta fuit, & hæc actio subito operata est, & statim agnita. II. Quod amplius non revixit contagium, sed ita vires suas amisit, ut fere alios non inficeret. III. Quod ita mansit aër purificatus & defæcatus, ut domus, in quibus omnes fere habitatores obierunt, sine timore absque aliqua speciali diligentia, inhabitari paulo post sine periculo cœperint; vestes etiam, quæ ex contagio relictæ sunt, in usum communem deserviebant. scio ego aliquos conservasse linteamina, & subuculas, & stragula, in quibus emortui domestici, & eis sine contagio utuntur securi. quidni? cum fere omnia loca vicina arderent peste, & ad nostram confugerent civitatem, si qui è vita transibant, erant exteri adventantes, nec aër aut aliquis è civitate inficiebatur.

Et quidem omnia hæc miracula accidisse constat ex definitione veri miraculi, quam ponit sanctus Thomas q. 6. de potentia, art. 2. in corpore dicens: *Quod miraculum à mirando dicitur, quia scilicet illius, quod admiramur, causa est occulta, quæ ut est occulta aliquibus, non omnibus; & hoc non est admirabile secundum se, sed secundum opinionem admirantis se, quia hic & nunc ignorat virtutem occultam, à qua provenit ille effectus. sicut ignorans effectum calamitæ & magnetis ejus influxum ferri, & palearum attractivum miratur; secus vero ille qui virtutem illius novit. Cæterum aliquid est secundum se mirum & admirabile cujus causa (saltem quoad modum causandi) simpliciter est occulta, & quando in re est contraria dispositio, secundum naturam effectui qui apparet. & ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. causa autem occultissima, & remotissima à nostris sensibus est divina, quæ in rebus omnibus secretissime operatur. & ideo illa, quæ sola virtute divina fiunt, in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula.* Hactenus S. Thomas.

Subita autem pestis imminutio, dum ita depascebat omnes utriusque sexus, dubio procul habet dispositionem ad contrarium effectum, quod ita fuerit emortua, ut non revixerit tam parvo tempore, quod tam cito, absque aliqua speciali diligentia, aër ita purificaretur, quod saluber efficeretur, & domus, vestes, & alia utensilia sine contagio manerent, non potest tribui naturali ordini rerum, secundum quem per multum temporis contagium illis inhæreat: ait enim Ficinus lib. de Epidemiæ antidotis cap. 14. *Pestis venenum permanet in personis per bimestre, ad parietes & ferramenta per annum, ad vestes per tres annos & ultra, nisi fumigentur, & laventur, & ad solem ponantur,*

& ventum. hæc ibi. contra quam naturalem dispositionem causa occultissima divina operata est in casu nostro; Quibus omnibus accedit consideratio circumstantiarum, quæ rem divinitus admirabilem reddunt, & inter miracula constituunt. Ponderat Divus Thomas, ubi supra ad 3. tria genera miraculorum quæ Deus facit, vel dum operatur supra naturam; vel contra naturam; vel præter naturam. & hujus tertii generis, in quo sunt diversæ species, est miraculum nostrum quantum ad tempus in quo factum est. *Sicut cum statim* (ait) *ad invocationem alicujus sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive & in alio tempore, non in isto curare posset. sicut accidit in miraculo de Socru Petri, quam Christus à febribus curavit.* Ergo cum statim ad invocationem Beatæ Matris, & Filii crucifixi lues pestifera fuerit imminuta, amplius non revixerit, & aër saluber sit effectus, præter naturam operatus est Deus, & sic miraculum. si enim cessatio pestis Constantinopolitanæ miraculo tribuitur, quia cessavit in die festo Purificationis, cur cessatio luis Hispalensis, quia ad Virginis publicam precationem facta, miraculo non tribuetur? accedit, quod raro pestis tam parvo tempore, quale est trium duntaxat mensium, sine miraculo finitur, sine reviviscentia contagii & mortalitatis.

Quas igitur dignas possumus gratias Deo referre pro tam incomparabili beneficio, quo dignatione sua nos à tam sæva liberavit mortalitate. nos ergo illud memoria retinentes vitam mutemus in melius. qua mutatione grati Deo erimus, & non adjiciet iterum irasci contra populum suum. nam gratia affert gratiam, & beneficium semper beneficium parit, nisi benefactor ingratitudine provocetur. ut enim ait, & bene, Petrus Crinitus:

Ingratus est vitandus, ut durum scelus.
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Portentum id omnium est habendum maximum:
Nam tellus ipsa nihil fœdius creat.

RESOLVTIO LX.

Documenta salutaria ex Cypriano collecta pro tempore contagii.

NOtant Pontius, Baronius, & Pamelius, sanctum Cyprianum occasione pestis, quæ contigit anno 255. scripsisse librum illum elegantissimum, & Spiritu sancto plenum, cujus titulus est, *de mortalitate*, quem veneratur Augustinus lib. 2 adversus Iulianum cap. 2, & lib. 4, cap. 8, & lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14. ex quo selectiora referam, ut confessarii & prædicatores plebem tempore simili consolentur. I. Occasionaliter summe advertendum est, quod, cum illius temporis Christiani summo ardore charitatis succensi vehementissime martyrium optarint, adeo quod mori contagio timerent, ne privarentur martyrio. refert enim Cyprianus in præfato lib. post numerum vigesimum nonum: *Sed fortasse aliquis opponat & dicat: hoc me ergo in præsenti mortalitate contristat, quod qui paratus ad confessionem fueram, & ad tolerantiam passionis toto me corde, & plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte prævenior.* quibus sic dicentibus non respondet sanctus Pontifex, quod se dedicent ad inserviendum peste infectis, in quo exercitio, si morte præveniantur, veri Martyres erunt, immò & perfectiori martyrio ad palmam translati, ut (si Deo placet) vult Raynaudus; non sic respondet Cyprianus, utpote non agnoscens verum martyrium, nisi illatum in odium Christi & fidei, sanguine effuso à Tyranno rubricatum; sed dicit: *Primo non est in tua potestate, sed in Dei dignatione, martyrium; nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an mereris accipere: Tunc deinde Deus scrutator renis & cordis, & cultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat, & qui respicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem*; & infra: *in Dei servis, apud quos confessio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo judice coronatur. aliud est enim martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. qualem te invenit Dominus cum vocat, talem pariter & judicat.* hæc ibi. Quæ Cypriani authoritas contra Raynaudum ita efficax est, ut ipsa sola, tanquam ariete impugnata, tota ejus machina de martyrio per pestem corruat & prosternatur.

Sed pergamus ad documenta sancti Doctoris. I. Sit de conformitate cum divina voluntate immittente luem pestiferam: *Meminisse* (inquit) *debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare; quam præposterum est, quam perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos & accersit de hoc seculo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus? Obnitimur & reluctamur, & pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia & mœrore perducimur, & ex cunctis hic necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. & volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus iteratis rogamus & poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria & vota potiora sunt servire istic diabolo, quam regnare cum Christo?*

II. Quod tempore pestis magis nobis appropinquat regnum Dei, & sic magis gaudere debemus, quia Christo corregnabimus. *Cum autem videritis hæc omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei*, ait Lucas cap. 21. inter quæ pestilentias annumerat. *Regnum Dei*, (ait) *fratres charissimi, esse cœpit in proximo præmium vitæ & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt, jam terrenis cælestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire; ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.*

III. Fortem se monstrare non timendo, immò aggrediendo mortis pericula n. 15. relatis pestilentiæ accidentibus, ut erat ventris solutio, faucium vulnera, assiduus vomitus, partes amputatæ, contagio putrefactæ, sic fatur: *Contra tot impetus vastationis, & mortis inconcussis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est? Quanta sublimitas, inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis, in quibus spes in Deo nulla est, jacere prostratum? Gratulari magis oportet, & tempore munus amplecti, quod, dum nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Christum per angustam, Christi viam pergimus, præmium vitæ ejus è fide ipso judicante capiamus. Mori plane timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur; mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Multi ex nostris ex hac mortalitate moriuntur, hoc multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista, ut Iudæis, & gentilibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus.*

IV. Considerate luem à Deo immitti, ut uniuscujusque examinetur virtus, probetur charitas in alterutrum, in qua assuefacti post contagium permaneamus:

neamus: *quid deinde aliud* (dicit num. 27.) *fratres charissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat justitiam singulorum, & mentes humani generis examinat? an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes ægros non deserant medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces avaritiæ furentes insatiabilem semper ardorem vel metu mortis extinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis, vel sic aliquid divites largiantur, & donent sine hærede morituri, ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis & Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera: dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam.*

V. Sit considerare, quod Dei iram provocamus, dum nimis contristamur pro peste. sic enim ait fuisse relatum num. 31, *cum quidam de Collegis & Consacerdotibus nostris jam in infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & jam pœne morienti juvenis honore & Majestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu, & quem adsistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre poterat de seculo discessurus. atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? increpantis vox & monentis est, qui de persecutione sollicitis, de accersione securis non consentit ad præsens desiderium, sed consulit in futurum. Audivit frater noster & collega moriturus, quod cæteris diceret. nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit, ut disceret; audivit non sibi ille, sed nobis. nam quid disceret jam recessurus? didicit, imo nobis remanentibus, ut, dum sacerdotem Dei, qui commeatum petebat, increpitum esse comperimus, quid cunctis expediat agnosceremus.*

VI. Non esse lugendos (quod ego intelligo ultra metam) quos pestis & contagium assumit. & hoc dicit fuisse sibi revelatum: *Nobis quoque ipsis minimis & extremis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assidue, & publice prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica ac seculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed præmitti; recedentes præcedere, ut proficiscentes & navigantes solent; desiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas esse hinc atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint, occasionem non dandam esse gentibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probemus. spei nostræ ac fidei prævaricatoris sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse quæ dicimus. nihil prodest verbis proferre virtutem, factis destruere veritatem. improbat denique Apostolus Paulus, & objurgat, & culpat si qui contristentur in excessu suorum. Nolumus inquit 1. ad Thess. cap. 4. ignorare vos fratres de dormientibus, sicut & cæteri qui spem non habent*, &c.

VII. Exhortat ad inserviendum infirmis ex contagio, tanquam excellentissimum charitatis actum. hoc non facit in præfato libro. at fecit in oratione illa quam habuit ad populum Carthaginensem in unum congregatum, de qua fecit longam mentionem Pontius Diaconus, in vita sancti Pontificis, cujus verba supra resolutione 59 dedi ab illis verbis; *qui Christiana plebs faceret*, &c.

VIII. Satisfacit cuidam objectioni quam quis facere possit, quomodo lues & contagium immittitur à Deo fidelibus, sicut & infidelibus: *movet* (inquit) *quosdam quod sit nobis cum cæteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quamdiu ad huc secundum legem primæ nativitatis manet caro ista communis? quoad usque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, spiritu separamur itaque donec corruptivum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad Deum Patrem: quæcumque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. sic cum fœtu sterili terra secura est, neminem fames separat. sic cum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat*, &c.

Hæc sunt præcipua documenta moralia, quæ in illo tractatu posuit sanctus Cyprianus, quibus plebem suam instruxit, direxit & corroboravit in illa sui temporis ingenti lue, qua vexata fuit Carthago & oppida circumvicina. faxit Deus, ut similia faciant Prædicatores Euangelici ad solatium miserabilium personarum, si casus acciderit.

RESOLVTIO LXI.

Alia media consolatoria tempore pestis, ex Patribus excerpta.

Mortalitatis tempore, & venefica qualitate morbi pestiferi grassante, timor mortis omnes conturbat, omnes conquatit, cum omnes fere depopulatur; & quis est ita fortis, quod in tanto omnium terribilium terribilissimo periculo non timeat, aut propter delicta, quibus irretitus, adstringitur rerum terrenarum amori, quibus concatenatus animus refugit à corpore exire, aut propter vitæ naturalem amorem, aut tandem propter judicium tremendum, quod sperat. motiva ista timendi mortem fere omnes homines comprehendunt. propter quod dixit Augustinus lib. de ordine, cap. 11, *horrore mortis non terreri, viris etiam doctissimis esse difficillimum, licet omnes consiteantur summam Philosophiæ arcem esse, Non terreri.* & lib. de immortalitate animæ cap. 33. ait: *nihil difficilius, quam non metuere mortem, & ab illecebris hujus mundi, sicut pericula postulant, temperare. tanta est tamen anima, ut hoc etiam possit, adjuvante sane justitia veri & summi Dei.* cum ergo mortalitatis tempore mortis imperium corpora divino bello conquatiat, & debellet, ut contra ipsam ejusque ignita tela Christianus armis spiritualibus possit se tueri, ex Patrum armamentario armaturas fidei depromere aliquot curavi, ut solatium sit miseris, & ut Patres spirituales illos communire possint, ut contempto mortis corporalis metu gratia divina ad summum Philosophiæ Christianæ culmen perveniant.

I. Sit considerare, quod, etsi contagium nobis proponat vicinum id, quod natura ipsa, ut terribilissimum, fugit; tamen ratio, subterfugans horrorem, amplectatur cum libertate spiritus id, quod omnibus est necessarium. Seneca epistola 12 ad Lucilium: *molestum est, inquis, mortem ante oculos habere; primum ista tam juveni ante oculos debet esse, quam seni: non enim citamur ex censu. Deinde nemo tam senex est, ut improbe unum diem speret. in somnum ituri læti hilaresque dicamus:*

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Crastinum si adjicerit Deus, læti recipiamus. ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. quisquis dixit, vixi, quotidie ad lucrum surgit. & epistola 26 ad eundem: *Incertum est quo te loco mors expectet. itaque tu omni loco illam expecta. Egregia*

gia res est mortem condiscere. semper discendum est quod, an sciamus, experire non possumus. Meditare mortem, qui hoc dicit, meditari libertatem dicit. qui mori didicit, servire didicit. quid ad illum carcer & custodia? & claustra? adde tu & contagium; *liberum ostium habet.*

Tertullianus lib. de anima: non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. si times vita decedere, quia optimam nosti, certe mortem timere non debes, quam malam nescis. at cum times, scis malam; non scires autem malam, quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, ut timeas

II. Sit apprehendere & firmiter judicare, quod mors non solum eruit à præsentibus malis; sed traducit ad bonum sempiternum; & sic mors ipsa tanquam bona appetenda, quocumque modo & morbo contingat. Nazianzenus in oratione de funere Patris sui: *mors quæ non modo à præsentibus malis vindicat, verum ad supernam quoque vitam sæpe traducit, haud scio, an proprie mors appellari queat, utpote nomine potius, quam re formidabilis. atque absurde sane & præposteri affecti esse videmur, quia ea, quæ formidolosa non sunt, extimescamus, ea autem quæ metuenda sunt, ut meliora magis expectanda, amplectamur. Vna vita est oculos ad vitam conjectos habere; una mors, peccatum: animæ enim est interitus.*

Augustinus quæst. 25. lib. 83. qq. *Pertinet ad vitam rectam ea, quæ non sunt metuenda, non metuere. Mors autem metuenda non est. oportuit ergo idipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. sunt autem homines, qui, quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis bene & recte viventi homini metuendum est. quod quoque illius hominis cruce ostendendum est: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius & formidolosius.*

III. Sit considerare, quod omnibus statutum est *semel mori.* & sic quid refert, quod fiat in contagio, aut extra? Augustinus in Psalmo 38. id optimo discursu ostendit, sic alloquens homines: *quid in hac terra certum, nisi mors? profecisti? quid sis hodie scis, quid sis crastino nescis. speras pecuniam? incertum est an proveniat. speras uxorem? incertum est an accipias. vel qualem accipias. speras filios? incertum est an nascantur. nati sunt? incertum est an vivant. vivunt? incertum est an proficiant, an deficiant. quocumque te verteris incerta omnia: mors certa. Natus es? certum est, quia morieris. itaque hæc incerta, ubi sola mors est certa.*

Seneca epistola 77 ad Lucilium: *eo ibis, quo omnia eunt. quid tibi novum est? ad hanc legem natus es. hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus ante, hoc omnibus post te. quantus te populus mortuum sequetur! quantus comitabitur! fortior, ut opinor, esses, si multa millia tibi commorerentur. atqui multa millia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animas variis generibus emittunt.* & infra: *morieris hic, est humani officii finis, quo transit orbis, ego transibo.*

IV. Quod mors, quocumque morbo aut violentia contingat, ab innumeris molestiis, tumultibus, fluctuationibus, ex mundi conversatione contingentibus, à quibus nos liberos esse magnum mortis est beneficium. Ambrosius de bono mortis, c. 2, *quid enim est quod hæc vita delectet, plena ærumnarum & sollicitudinum? in qua innumeræ calumniæ, & multæ lachrymæ eorum, qui affliguntur molestiis. quid boni est homini in hac vita, qui in umbra vivit, nec expleri potest cupiditatibus suis? & si expleatur divitiis fructum quietis amittit, quia cogitur custodire, quæ misera cupiditate quæsivit. itaque si plena oneris vita, utique finis ejus allevamentum est, allevamentum autem bonum mors.*

Seneca de consolatione ad Marciam: *Mors omnium dolorum & solutio est. & finis; ultra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in quam, antequam nasceremur, jacuimus, reponit. Ignaros malorum suorum! quibus non mors ut ultimum naturæ inventum laudatur, quæ sive felicitatem includit; sive calamitatem repellit; sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive juvenile ævum, dum meliora sperantur, in flore deducit; sive pueritiam ante duriores gradus revocat: omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his, ad quos venit antequam invocaretur. hæc servitutem invito Domino remittit. hæc captivorum catenas levat. hæc à carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat.* hæc Philosophus, si non Christianus, Christianis tamen moribus imbutus.

V. Resignatio sui & suorum ad quodcumque disposuerit Deus. Augustinus in Psalmo sexagesimo: *in fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa in cinerem vertitur, & illud à sordibus exuitur. fornax mundus, aurum Iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. quod vult ergo artifex, facio, ubi ponit me artifex, tolero. Iubeor ergo tolerare. novit ille purgare. ardeat licet palea ad incendendum me, & consumendum me, illa quasi in cinerem vertitur, ut ego sordibus caream.*

VI. Considerare, quod Deus ista contagii mole & procella suos haud gravaret, nisi expediret eos ita premi. Efficit namque tribulatio ista, ut patientes simus, parati ad graviora, & quodammodo adversus impendentia pericula obfirmati instruimur ad tolerantiam quorumlibet cruciatuum, si qui sunt perferendi pro Christo. Narrat Brussonius lib. 4, cap. 15. ex Plutarcho, quod cum quidam miles ægra esset valetudine, munificentia Antigoni, sub quo militabat, sanitati restitutus, postea omnia mortis pericula vitabat. rogatus à Rege mutationis causam, ait: *O Rex tu me minus audacem fecisti, quod iis malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemtui habebatur.* sensit miles ægritudinem hominibus in eo prodesse, ut omnia fortunæ bona & ipsam etiam vitam miseram & ærumnosam contemnant, qua cum sani sumus in nostram perniciem abutimur. O bone Deus! quanti ante contagium vita abutebantur in animæ perniciem, & quanti post contagium ea bene utebantur in animæ salutem! & jam proh dolor! residui fere omnes redierunt ad vomitum. quare bene Augustinus, ubi supra: *flagellum exterius & interius glorificat Creatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem superviventem.*

VII. Contagio quasi nos compellit Deum ad intrandum in regnum cælorum. Gregorius Magnus Homilia *Homo quidam: qui hujusmodi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti, fratres, nisi ut intrent compelluntur? & quidam alius bene dicebat, quod hæc omnia operatur Dominus, ut det nobis vexatio intellectum. trituratur granum, ut reponatur in horreo, quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in ædificio templi collocetur, movetur turbo, ut Elias rapiatur in cælum. maximum est remedium interioris hominis, si in hac arca mundi variis flagellis trituretur exterior.*

VIII. Quod tempore contagii meliorem habent dispositionem ad transitum hujus vitæ ad æternam; dum enim homines alios cognatos, propinquos, uxorem, patrem, matrem, filios lue infici & obire timent, pœnitentiam agunt, conteruntur de peccatis assidue, ad sacram synaxim frequenter accedunt, divinas erogant divitias in pauperes, inimicitiæ pereunt, matrimonia junguntur, sublata restituuntur,

cultus

cultus divinus exercetur, profanus vestium cultus desinit, & nihil, nisi de morte & divino judicio cogitatur. plura alia possemus adducere, sed hæc sufficiant.

RESOLVTIO LXII.

Vtrum qui vitam finiunt ex contagio contracto ex eo, quod se dedicarunt ad inserviendum infirmis, lue pestifera infectis, sint vere & proprie Martyres in Ecclesia Catholica habendi?

HVc, ut supra dixi, spectat tota prolixa de martyrio tractatio, ut examinetur, trutineturque nova sententia Raynaudi de vero martyrio per pestem. *putre enim salsamentum amat origanum* aceto mixtum, ne putris odor à manducantibus sentiatur: falsa enim fucis ornantur, & floribus comto ponuntur, cùm veritas per se placeat; & dum ipse *de pulmone revellit* arrogantem opinionem, venit accelerata senectus, naufragante opinione, & dum vento prospero currebat in foveam, repente suffocata interiit. ut tamen cum honore sepeliatur, disquirenda & examinanda ejus fundamina, & quantum ponderis habeant, rigida statera æstimandum, ut ejus repulsam leniter & suaviter factam & ipse amice suscipiat.

§. 1. *Sententia Raynaudi & Philiberti adfirmat.*

THeophilus Raynaudus, p.3, cap.2. operis de martyrio per pestem, ita lubens it in affirmativam sententiam, quod sint in Ecclesia Catholica habendi proprii & veri Martyres qui obeunt in servitio peste infectorum, ut ausus sit dicere, num.1. quod multi non minus avide ac strenue in hanc arenam descenderunt, nec minus certi divinæ mercedis huic veritatis revelatæ testimonio rependendæ, quam si in causa fidei sanguinem profusuri in tyranni alicujus conspectum venissent. & cap.5. Postquam ex Patribus consignavit plura Martyrum fidei privilegia & encomia, inter quæ hoc unum est præcipuum, quod imitatione Christi delibantur Deo, fiuntque Domino sacrificium, & holocaustum in odorem suavitatis, quos ut holocausti hostiam accipit, ut dicitur Sapientiæ 3. ita Patres, Lucifer Calaritanus lib. quod sit moriendum pro Dei Filio. Hilarius in Psalmo 65, ad illa verba versus 10, *introibo domum tuam in holocaustis*. non quod Martyres tanquam sacerdotes, dum vitam perdunt, proprie se Deo sacrificent, sicut Christus se obtulit tanquam sacerdos in æternum; sed quia voluntarie patiuntur, passio ipsa saltem implicite referatur in Dei cultum, ut late docio resolutio.64. per totum §.1 & 2.

Postquam hæc enim, & alia vera dixit de Martyribus fidei, ea num.4. minuit in illis, Martyres suos *misericordiæ* exaltando supra Martyres fidei. audiantur verba hominis: *Hæc omnia de Martyribus fidei passim vulgata æque de Martyribus charitatis rata esse debent. Nam præterquam quod in ipsis quoque per mortem sacrificii consummatio perficitur, interna oblatio in eis est perfectissima; imo ex quibusdam capitibus videtur perfectior, & oblationi Christi conformior, quam oblatio Martyrum occumbentium in causa fidei. nam in primis magna pars Martyrum fidei ab alio cingitur, & ducitur quo non vult: fere enim arripiuntur ad mortem, quam si possent, refugerent, cum provocatio persecutoris per se loquendo magnum scandali peccatum contineat. Immane inquam persecutorum peccatum, sine quo martyrium in causa fidei procluderetur, secluso raro eventu erroris invincibilis, quo persecutor laboret. & quamquam ea macula sit Martyribus innoxia, tamen liquet ab ea opus cui adjungitur infuscari, & muscarum immorientium more sin minus perdi, at infici quoquo modo suavitatem unguenti.*

Non enim dubium est, quin extensive & nitentior foret oblatio, quæ neque victimæ oblatæ, neque ministrorum, vel astantium labe ulla contaminaretur; tamen, si ea inquinatio adjuncta sit oblationi, plane extrinseca meraque concomitans. at charitatis Martyres non ab alio, sed à seipsis liberrime immolantur, potestque eorum quilibet illud Christi suum facere: ego pono animam meam, nemo tollit eam à me. & quæ summa est eorum felicitas, nullum sacrificio, quod perficiunt, adjungitur scelus, sed undecumque nitens, & ex omni parte rationabile obsequium offerunt, & insigni admodumque apud Deum pretiosa mixtura sacrificium, quod est supremum religionis opus, cum misericordia nectentes, sacrificium cruentis omnibus sacrificiis prælatum, & Deo maxime acceptum exhibent. quod scite Augustinus lib. 10 de Civitate, cap. 5 in fine, confirmat ex illis Apostoli verbis: Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. & ex illis apud Prophetam: misericordiam volo, & non sacrificium. quibus verbis ait sanctus Pater nihil aliud, quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud, quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veteris sacrificii. porro autem misericordia verum sacrificium est. hæc ibi. quæ aliis allegatis Patrum locutionibus confirmat, ut audaciam suam semel conceptam defendat, quam certe miratus sum in hoc auctore.

Et quidem quod sit vere & proprie Martyr, qui decedit inserviens infectis contagio, sive sit pro anima liberanda à culpa sacramenta administrans, sive procurando corpore, tenent alii, Philibertus Marchinus tractatu de bello divino p. 1. cap. 7. num. 9. ibi: *tertiò animadvertendum est valde,* (ait) *duplex esse martyrium, fidei, & misericordiæ seu charitatis. Primum Martyres antiquitus purpuravit; secundum Neotericos decoravit: in utroque micant eædem virtutes in heroico gradu, nempe fides, charitas & spes, fortitudo, Christianæ doctrinæ testificatio, mortis Christi repræsentatio, plenissimum hominis in divinum obsequium sacrificium. ergo in utroque eadem Laurea comparabitur. Quinimo martyrium hoc misericordiæ rectius illi, quod Christus passus est, assimuletur, qui non tam pro fide quam docuit testificanda, quam pro nostra salute mortuus est; & ideo mors Christi non tam martyrium fidei, quam misericordiæ & charitatis dici debet, juxta illud Ioannis 3. in hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. sicut ergo Christus ideo Martyr, quia ex charitate mortem pro nobis pati dignitatus est, ita veram martyrii laudem consequenter illi, qui eadem charitate flagrantes erga fratres, pro illorum spirituali salute vitam profundunt.*

Eandem sententiam sequitur Cornelius à Lapide ad c.11 Oseæ, in fine, ex eodem fundamento Martyrologii Romani, & Dionysii Alexandrini, quorum verba dat. sequitur etiam Alardus Gazeus ad Cassianum lib.5 institut. cap.40, ubi de illis puerulis (qui, ut narrat Collator, elegerunt vitam potius amittere temporalem, quam senioris violare mandatum de portandis ficubus cuidam monacho seni) dicit fuisse *veros Martyres*. sed timens sententiam suam, subdit prudenter: *cæterum hujus rei certam definitamque sententiam sanctæ Matris Ecclesiæ judicio relinquo.*

Sententiam Reynaudi & Philiberti amplectitur Magister Lucas Castellinus, quæstione de exigentia mira-

miraculorum in sanctorum Martyrum Canonizatione punct. 2. conclus. 2. num. 28. pag. 35. addens: *pariter illi, qui ex obedientia & mandato sedis Apostolicæ ad partes infidelium, seu hæreticorum se conferunt, ex hoc solo fine propagationis, dilatationis seu defensionis fidei Christianæ, si alias devote & prudenter se gerant, dum iis vacant, ab hostibus fidei Catholicæ occiduntur, pro martyribus haberi debent ideo Clemens Octavus anno 1603, die quinto Decembris, & Paulus Quintus in literis in forma Brevis expeditis ad Catholicos Angliæ anno millesimo sexcentesimo sexto, die primo Octobris, horum mortem modo prædicto secutam Martyrium appellant.* hæc illi. quæ verissima sunt juxta ea quæ de vero Martyrio dixi.

§. 1. *Ex Martyrologio Romano ostenditur.*

ET si sententia ita nobilitate autorum non fulgeat, nec bono genio inceperit publicari, quia fere ac nata fuit præfocata, & intercepta, propriisque pennis capta & carbone notata ab inquisitione Romana, quare

— *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

Quod, an idem possimus dicere Hispani, infra dicam; quamvis, inquam, nobilitate genitorum careat sententia Raynaudi, non tamen habet ignobilia fundamenta; præcipuum tamen est, quod desumitur ex Martyrologio Romano, in quo continetur sensus & consensus Ecclesiæ circa Sanctorum Canonizationem universalem, id quod supra docui, & postea inveni in Patre Didaco Granados 22. controvers. 1 de fide, tractatu 7. disput. 3. sect. 3. n. 16. *existimo* (ait) *verissimum cum doctis recentioribus quos consului, censeri debere Canonizatos ab universali Ecclesia & Summo Pontifice omnes illos, qui in Martyrologio Romano continentur. etenim de illis, tanquam de veris sanctis, fit mentio & solemnis memoria in universali Ecclesia, in qua per annum singulis diebus recitantur.* & infra: *non est ergo dubium, quin universalis Ecclesia & Caput illius eos omnes tanquam sanctos veneretur & colat. quare absque ullo scrupulo depingi potest imago cujuslibet sancti in Martyrologio Romano contenti, & in illius cultum erigi altare, celebrarique Missæ sacrificium in ejus honorem.* Adde & per consequens, dici de illo officium divinum publice, publicaque oratione invocari.

Quamvis enim in Romano Martyrologio aliquæ admittantur nubeculæ circa circunstantias extrinsecas personarum, quæ ibi ut sanctæ colendæ proponuntur, ut optime adnotavit Maurolicus in sua præfatione ad Martyrologium; ibique ponit aliquot exempla, quæ meliore latinitate traduxit Raynaudus, pag. 3. cap. 3. num. 4. hos autem errores admittere in Martyrologio (quod hodie canitur in Ecclesia, à Cardinali Baronio summa diligentia emendatum) circa personas & circumstantias intrinsecas sanctitatis, ut quod sit Martyr, Confessor, aut Virgo, à pietate est alienum, & nullus Catholicus id bene audiet. alias (inquit Raynaudus) si in hoc vacillare posset tabularum fides, concedendum similiter esset labare posse quoad substantialia, ut quod Sanctus, qui ibi ponitur, aliquando vixerit, ut optime Seranius lib. 2 Litaneutico, q. 19. Molanus lib. 2 de imaginibus, cap. 61. contra Novatores ostendunt de Sanctis Gregorio, Hippolyto, Christophoro, Catharina, quos numquam vixisse vafri sentiunt; similiter etiam plura attinentiæ ad doctrinam nutarent, ut dum ponitur in Martyrologio causa martyrii. non enim addubitandum est de Martyrologii Romani inconcussa auctoritate, quoad substantialia & intrinsecas sanctitatis circunstantias. Dixi Martyrologium Romanum à Baronio correctum, & confirmatum à Gregorio Decimo tertio speciali bulla: nam alia latina Martyrologia Bedæ, Adonis, Vsuardi, de quibus Molanus in tractatu de Martyrologiis, non interest an habeant errores aliquos etiam quoad substantialia.

Igitur in tabulis Martyrologii Romani correctis à Baronio, sic habetur die vigesimo octavo Februarii: *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum & aliorum plurium, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetiere. quos velut Martyres piorum fides venerari consuevit.* hæc ibi. quæ excerpta sunt ex Dionysio Alexandrino in epistola ad Hieracem Ægypti Episcopum. quam referunt Eusebius Cæsariens. lib. 7 Historiarum, cap. 17. Nicephoras lib. 6. cap. 19 & 20. Surius tomo 2, die 8 Aprilis. Baronius in notis ad Martyrologium ubi supra.

Ex quo fit, quod, cum causa mortis ponatur solum servitium peste infectorum, & hos piorum fides *veluti Martyres veneretur*, dubitare non licet de eorum vero Martyrio, & quod hujus sit vera causa ministrare morbo pestifero laborantibus, sive pro animarum salute in administratione sacramentorum, sive pro sanitate corporum: cum enim liceat Missæ sacrificium in horum honorem Deo offerre, & officium recitare, de quo erit Missa dicenda, & officium recitandum de Martyre aut de Confessore. non de isto; ergo de illo.

Si respondeas, quod isti non venerantur absolute Martyres, sed *veluti Martyres*, dicit Martyrologium. quæ particula est additum, diminuens & propriam analogiam denotans. sicut homo dicitur *fugere velut umbra*; & in jure est res constantissima quod particula, *velut*, impropriat significationem nominis cui adjungitur, similiter & in propria latinitate. Contra est 1. si quis dicat, quod alicui ex civibus cœlestis Hierusalem debetur cultus *veluti* sancto, non est sensus improprius, quod scilicet debetur illi cultus analogice talis cum cultu & veneratione quæ sanctis debetur. deinde, quia particula, *veluti*, eandem significationem & emphasim habet, ac particula *quasi*. atque ista multoties non denotat similitudinem analogiæ, sed identitatem & omnimodam proprietatem, ut probat Chrysostomus homilia 11. in Ioannem, & sequuntur omnes Catholici contra Arrianos ad cap. 1. Ioannis, ubi de Filio Dei dicit Euangelista, habere *gloriam quasi unigeniti à Patre*, id est unigeniti vere à Patre. pari modo, dum Ecclesia veneratur hos Alexandrinos pestis infectorum ministros *veluti* Martyres, particula *veluti* non similitudinis analogiam, sed identitatis proprietatem Martyrii denotat. alias sancta Mater Ecclesia, quæ omnia summo ordine disponit, & diversum cultum tribuat Martyribus ac Confessoribus, confusionem invixisset, dicens *veluti Martyres venerari*, qui revera Martyres vere non essent, sed similitudinarie & improprie, quod sane dici nequit.

§. 2. *Ex Patribus.*

PAtres etiam aliqui videntur clare esse pro hac sententia. & sit primus Clemens Alexandrinus & ipse antiquissimus & florens illis primis Ecclesiæ temporibus, in quibus ad fere nihil intendebant primi Christiani, nisi ad Martyrii coronam. Hic ergo, lib. 4 Stromat. quem totum dat martyrio & Martyribus, multa disputans de martyrii gloria, & quantum nefas sit timore mortis fidem negare, subdit: *Fidelis dictus est & servus & amicus, quasi si quis*

ut

ut seipsum diligit Dominum, & confitetur salutem ut suam servet animam. atqui, si vel pro proximo moriaris propter charitatem, existimes Servatorem virum esse propinquum. Etenim ipse, cum esset vita, propter nos pati voluit, ut ejus passione viveremus. ecce ubi Clemens conformitatem ponat inter Christum primum Martyrem, & inter illum, qui propter charitatem pro proximo moritur, & sic iste Martyr est.

II. Sit Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus in epistola supra citata, relata ab Eusebio, ubi agens de lue illa Alexandrina, & de ardenti fidelium in infirmos charitate, ex qua multi vitam dabant, concludit: *adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à Martyrii splendore abesse videretur.* ita transfert ex Græco textu Eusebii Christophorsonus.

III. Rufinus, qui aliter vertit in Latinum Græcum Eusebium, ita ut ex propria sententia loqui videatur: *Constantissima & ardentissima fide miserando infirmos semetipsos hujusmodi mortibus inserebant, misericordiæ ex hoc martyrium capere præsumentes.*

IV. Augustinus Epistola 180 ad Probam, quem Raynaudus inducit vel invitum, ut suum verum *misericordiæ* martyrium comprobet, satis longo discursu, quem perstringo verbis ipsius Raynaudi: *Augustinus in hac epistola componit unum Pastorem præstantem, ut juvet proximos, adeoque cadentem, & alium comprehensum in fuga, & idcirco cæsum agnoscit Augustinus, priorem splendidius ac fructuosius occumbere, quam posteriorem. at hunc diserte appellat Martyrem. igitur Martyrem quoque statuit priorem, cui præ heroica charitate nobiliorem & fructuosiorem assignat obitum, nequaquam id facturus, si martyrii exors esset.* Nam ex *Augustini sententia Martyres in Ecclesia verticem tenent sanctitatis & dignitatis, ut videre est lib. de sancta Virginitate cap. 45. & patentissime in Psalmo sexagesimo septimo ad illud: Principes Iuda. ubi Martyres vocat verissimos Principes Ecclesiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.*

Sanctus Thomas adducitur à Philiberto, numero quarto, in 2. 2. quæst. 124. articulo quinto, ubi postquam in corp. dixit, quod omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam fidei protestationes, in solutione ad primum dicit: *ideo ut Christianus patitur non solum qui pro fidei confessione, quæ fit per verba; sed etiam pro quocunque bono faciendo, vel pro quocumque malo vitando propter Christum. quia hoc totum pertinet ad fidei protestationem.* ergo qui patitur mortem pro inserviendis contagio infectis, vere patitur ut Christianus, & sic erit vere Martyr.

§. 3. *Ratio prima ex locis sacræ Scripturæ deducta.*

QVia Patres antiqui morti illatæ in odium fidei, & acceptatæ ex motivo supernaturali persuasum sibi habent, salutem rependi, quia Christus dixit in variis locis Euangelii: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* ita habetur Matth. 16. vers. 14. & cap. 10. vers. 38. & Lucæ 9. vers. 23. & cap. 17. vers. 17. & cap. 17. vers. 33. & Iohan. 12. vers. 25. quibus testimoniis solicitant prisci martyriorum incentores, solicitatores, prædicatores, ut alacriter martyrium verum subeant fideles. Ita Cyprianus passim epistola 56 & 81. lib. 3 testim. ad Quirinum cap. 16. & lib. de exhortatione ad Martyr. cap. 5, 6, & 12. ejus Magister Tertullianus in Scorpiaco c. 11. Augustinus homilia 37. & 50. & lib. 13 de Civitate, cap. 7. Sanctus Eulogius Cordubensis lib. 1 memorial. & in Apologetico. Lucifer Calaritanus in lib. quod moriendum sit pro filio Dei. idem eisdem testimoniis faciunt cæteri Patres, dum de Martyrio & Martyribus tractant.

Quæ loca Patrum & Scripturæ ita in Martyres charitatis cadunt, ac in Martyres fidei, pro cujus defensione illi sanguinem fundunt, & isti vitam profundunt pro fratribus ex charitate in Deum dilectis. Crux enim Dominica in locis adductis non linea, aut ferrea, (ut male alicui apud Cassianum collatione 8. cap. 3. putabant) sed tolerantia propter Christum intelligitur, *ut ad pericula simus* (ait Chrysostomus oratione de crucis adoratione) *prompti, sanguinem nostrum in animis nostris circumferentes, parati in singulos dies ad cædem subeundam & mortem, ita omnia agentes quasi nunquam vita nostra usque ad vesperam duratura; sed certissime nos morituros arbitremur. quod & Apostolus Paulus dicebat: quotidie morior.* quare ex proposita Christi sententia illi tollunt crucem suam quotidie, seque ipsos abnegant, & quotidie moriuntur, qui in quotidianis imo jugibus mortis periculis alacres ad proximorum subsidium accurrunt, & suimet ipsorum obliti, vitæque negligentes, alienam salutem omni studio ac diligentia curant.

II. Ex eisdem testimoniis arguit Raynaudus, introducens Augustinum sermone 103 de divers. cap. 3 & 4. egregie monstrantem fundamentum constitutæ à Christo Martyribus mercedis, tam luculente non aliud esse, quam vitæ mortalis contemptum. *Præmia Martyrum* (ait) *maxima credimus, & rectissime credimus.* & post multa concludit: *Tanta quippe est hujus Erumnosæ vitæ, nescio quæ suavitas, tantusque in natura utcunque viventium horror mortis, ut neque illi mori velint, qui per mortem ad vitam transeunt in qua mori non possint. Hanc igitur vivendi tantam jucunditatem, metumque moriendi charitate syncera, spe certa, fide non ficta Martyres Christi præcipua virtute contemnunt.* hæc ibi. atque ita propter mortis contemptum, præmia Martyrum maxima credimus, & rectissime credimus. atqui mortis contemptum similem propter Christum & proximorum salutem habent, qui occupantur in ministerio peste infectorum. ergo eisdem digni sunt præmiis, & æque sunt viri Martyres.

§. 4. *Ratio secunda eruta ex loco Pauli 1 ad Corintheos 4. vers. 13.*

ALloquitur Apostolus Corinthios enumerans innumeras injurias, quas pro Euangelio patiebatur: *Blasphemamur,* (inquit) *& obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus,* omnium peripsema usque adhuc. ubi Syrus vertit: facti sumus piaculum omnium. & in Græco est καθάρματα, & ut Ambrosius in Psalmo 118. Oct. 8. legit *Instrumenta.* Gagnæus & alii *anathemata*, quæ ut constat ex Surda, Budæo, Servio & aliis, erant exitiales & piaculares homines, de quibus Origines tractatu nono in Ioannem, sic fatur: *notum atque testatum cum sit apud gentiles, multos cædi pro communi hominum salute se ipsos tradidisse, cum pestilentes morbi suam patriam invasissent.* hæc ibi. Ita fecerunt Decii, devoventes se pro Patria; Curtius, qui ad communem luem sedandam, & numen placandum hostiam pro salute Patriæ se devovit, atque armatus Romæ in terræ hiatum insiliit;

sic Typhonii, quos refert Plutarchus viviconburii sunt effecti, ut essent civitatis Piaculum, & Pharmacum. erant igitur peripsemata idem, quod anathemata, erant homines sacri, quos, quasi onustos totius civitatis sceleribus, in mare projiciebant, & Neptuno sacrificabant, addentes hæc verba: *esto nobis peripsema,* id est nostra piaculares victima. Notat Servius Æneid. lib. 3. & ex ipso Cornelius à Lapide, quod cum Massilienses peste laborarent, è pauperibus se offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis, vestibusque sacris ornatus circumducebatur per urbem cum execrationibus, ut in eum inciderent omnia mala civitatis, sicque mactabatur, vel in aqua projiciebatur.

Ad has igitur personas anathemata alludit Apostolus loco citato, dum dicit se factum omnium *peripsema*, quia omnium maledicta, & exprobrationes infidelium,& Iudæorum in se suscipiebat pro fide & fidelibus, & fiebat quotidie victima, quia quotidie moriebatur pro fide; & sic Pauli martyrium quotidianum erat, quia ex amore & charitate fraterna tot incommoda patiebatur. ergo qui ex eadem charitate, propter Christum & bonum commune, se offert tempore pestis ad excipiendum lues animarum, easque extinguendum sacramentorum administratione, vel ad inserviendum infectis in corporis infirmitate, ne illis deficiant necessaria, vel insepulta remaneant, erunt quidem omnium *peripsema* & *victimæ Piaculares*, & sic vere & propria martyres, quia, ut ait Sanctus Thomas 22. q. 124. art. 5. ad 3. *mors alicujus pro patriæ defensione aut in bello justo, si referatur in Deum, potest inter causas legitimas numerari.*

§. 5. *Ratio tertia ex mercede Ministris Christi constituta Ioannis 12. vers. 26.*

POstquam Christus capite dicto suam prædixerat glorificationem per mortem, dicens: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, addens exhortationem ad ministros Euangelii, dicit: *si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit. si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; & quidem Christum loqui non de ministerio ciborum, & aliorum utensilium; sed de ministerio per mortem, oblata vita in ejus obsequium pro fidei defensione, certa est Patrum sententia. quam egregie enucleat Augustinus tractatu 51 in Ioannem: *Minister est Christi* (inquit) *usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere.* Et infra: *Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrorum, multi non Episcopi nec Clerici, juvenes, & virgines, senes cum junioribus, multi conjugati & conjugatæ, multi Patres, Matresque familias Christo ministrantes etiam animas suas in ejus Martyrio posuerunt, & honorificante Patre coronas gloriosissimas acceperunt.* hæc sanctus Doctor. & constat clare ex contextu Euangelii; siquidem immediate ante verba relata dixit Christus: *qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* & sic de hoc sensu nullus Catholicus dubitat, quando sancta Ecclesia hæc verba Martyribus applicat.

Ex quo arguit Raynaudus sic: *Hæc cum ita sint, quis non videat eos, de quibus agimus, retenta quadam majore & rigidiore vocum proprietate, ministrare Christo? quandoquidem non tantum in Christi gratiam subeunt mala, in quæ incurrunt ad mortem usque, sed etiam Christo in ejus membris inservientes illo ipso ministerio pro fratribus defunguntur, quo Christus animam pro nobis ex charitate ponens perfunctus est. moriuntur enim pro fratribus; & ut eis periclitantibus corporum & animarum subsidia non desint, vitæ suæ periculum volentes adeunt. & in eo animas ponunt. itaque haud dubie ubi Christus erat, dum fundaret oraculum, quod expendimus, erunt etiam ipsi, nempe in æterna felicitate, quæ Christi quoad animam à vitæ diluculo perpetua fuit.*

Eos quoque tanquam fideles ministros honorificabit Pater, ut nunc inglorii videantur, & obscuri in vita, in morte etiam obsoluisse videantur. Igitur quo jure ex loco allegato infertur ea Martyrum pro fide cæsorum prærogativa, quæ statuuntur per se Martyres, nempe gratiæ, ultra meritum operantis, certus proventus & gloriæ, ei gratiæ respondentis, aureolæque accessio; eodem jure statuendum est his item Christi ministris, cum illi sancto ministerio immoriuntur, & exemplo Christi animas pro fratribus ponunt, concedi prærogativas prædictas, esseque proinde per se Martyres. hactenus Raynaudus.

§. 6. *Ratio quarta ex epistola prima Ioannis, capite tertio, versu decimo sexto.*

COmmendat valde ubique sanctus Ioannes Euangelista, dilectus Christi Apostolus, mutuam dilectionem & in alterum charitatem, qua dicit translatos esse de morte ad vitam, quoniam diligebant fratres. & cap. 1. vs. 16. præfatæ epistolæ: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quem locum de Martyribus intelligit sanctus Prosper in opere de promissionibus p. 2. cap. 34. cæterum, quamvis Martyres pro fidei dogmatibus occumbentes aliquo tandem modo dici possint pro fratribus, quos exemplo suo incendunt, animas ponere; tamen longe luculentius & directius id facere, qui in ministerio charitatis mortem oppetunt. Ergo erunt propiissime Martyres.

Cujus testimonii explicatio, in favorem Martyrum hujusmodi, corroboratur ex facto sancti Desiderii Episcopi Lingoniensis, Vincentii ejus Archidiaconi, & aliorum, qui passi sunt à Crasco Wandalorum Duce. cum enim moveret exercitus in Catholicos, non in odium fidei & Religionis, sed in amorem opum & pecuniarum inhians, ipsos trucidabat. quod advertens sanctus Pastor cum comitatus Archidiacono & aliis piis Clericis, miseris ovibus pacem exorans adiret, cum cæteris trucidatus est, & tanquam *bonus Pastor animam suam pro ovibus posuit.* & tamen Martyrologium Romanum Desiderium, & socios Martyres veros agnoscit. Ergo ad verum martyrium non exigitur quod sit in odium fidei irrogatum.

§. 7. *Ratio quinta ex comparatione utriusque mortis pro fidei testimonio, & pro ministerio infectorum incursæ.*

IN hac ratione totam quartam partem sui libri satis fidenter, ne dicam audacter, consumit Pater Raynaudus, ostendens in hac comparatione multis partibus esse inferiores Martyres *fidei* Martyribus *charitatis & misericordiæ.* quod dicit *esse perspicuum:* etenim quæcumque micant in martyrio pro fide excepto, fidem, spem, charitatem, fortitudinem, testificationem Christianæ veritatis, expressissimam mortis Christi imitationem, omnia inquam splendescere in martyrio *charitatis & misericordiæ:* & sic hoc à vero & presso martyrio non degenerare, sed illius proprietatem retinere.

Et

Et quidem quam luceat & reluceat fides Martyrum à Tyranno occisorum, docet Augustinus sermone 14 de verbis Apostoli, dicens: *Ideo Martyres, quia fideles.* & Lucifer Calaritanus in libro *quod moriendum, &c.* dicit, *quod mors, quam appetit Martyr, non jactura, sed fidei est fœneratio.* & Ambrosius serm. 93, Martyres nominat *fidei Principes* & sanctus Laurentius Iustinianus, sermone de sancto Laurentio, cum Apost. ad Hebræos cap. 11, fidei tribuat quod sancti Martyres regna vicerint & spreverint, tormenta calcaverint, superarint fortes, *Facti fortes in bello, ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt secti sunt, tentati sunt, & in occisione gladii mortui sunt.*

At quantum splendescat fides, ejusque testificatio in ministris tam corporis, quam animæ infectorum lue pestifera, constat ex pluribus. I. Quia isti, dum caduca calcant, & dulcem vitam nihili ducunt pro Christo, eam periculis mortis subjicientes pro fratribus, sicut Martyres Christi pro fidei testimonio occumbentes. II. Quia ministro infectorum per longum semper tempus hærendum est, quotidie imo instantaneo momento passim moriens. ad quod fortiter ferendum fidei vigor, ejusque perfectio supra vulgarem necessaria est, ut ostentatione æternorum bonorum persistant per fidem robustam in concepto semel sui odio, ut animas pro fratribus ponant. imo in istis clarius & apertius elucet fidei vigor, quam in Martyribus fidei, qui, dum cruciantur, in eo sunt positi articulo, quod vel moriendum sit pro filio Dei, aut fides abjuranda. at Martyres charitatis sine ulla aliqua alicujus virtutis obligatione sub præcepto, sola fide, quæ præsagit bona æterna tantæ virtuti informatæ à charitate reposita, ultro incurrunt in discrimina longe gravissima, & mortis metum conculcant.

Deinde quod fidei protestatio irradiet in martyrio *misericordiæ*, sicut in martyrio *fidei*, liquet ex eo, qui in isto fidei protestationem declarat lib. 4 Stromat. cap. 2. Clemens Alexandrinus: *Is vere fert testimonium: sibi quidem, quod sit in Deum sincerus & germanus fidelis; tentatori autem, quod frustra sit æmulatione percitus in eum, qui est fidelis per dilectionem; Domino autem, quod à Deo sit inspirata doctrinæ persuasio, à qua non deficiet metu mortis. Quin etiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eum esse ostendens ad quem contendit. Mereris ejus dilectionem, quam docet evidenter ei, quod est cognatum & unius generis, grato animo unitus, quin etiam pretioso sanguine infideles pudore afficiens.* & Cyprianus lib. de laude martyrii: *Per hoc testimonium nomini redditur.* & infra: *quod redundet ad gloriæ cumulum, dum circumstrepentis populi terror impavidos animos dat dolori, & minis frendentis invidiæ, addit ad titulum, quod tantum sibi mens crescat in pugna, quantum se ille putaverit vincere per Christum, ac Christus hominem voluerit coronare. tunc ergo omne fidei robur expanditur, tunc credulitas comprobatur.*

Hæc fidei protestatio & testificatio à Patribus edocta, & enucleata miro modo resplendet in Martyre *charitatis*, qui sibi testimonium fert, quod Deum syncere quærat, ejusque gloriam: nam quæ alia esca horrendæ mortis illex esse potest? Deo etiam fert testimonium, quod sit vera ejus doctrina, de caducis spernendis, & æternis firmiter sperandis, quod non quærenda, nisi ea quæ sunt Christi. Tentatori tam extrinseco, quam intrinseco testificatur, quod suis illecebris nequeunt à proposita charitate avertere; & quod frustra quatiunt animi firmitatem Deo desponsatam. & quidem Martyres isti non verbis, sed factis hæc firmissima reddunt testimonia, in actu quidem exercito, non in actu signato, qui est modus potentior & expressior testificandi, ut exponit Chrysostomus homilia 47 in Acta, in morali expositione, juxta illud: *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* & sic sanctus Thomas 2. 2. q. 124 art 5. quem cæteri sequuntur, docet, quod *fidei protestatio non solum fit verbis, sed etiam factis.*

Spes, virtus Theologica, clarescit in utroque martyrio. de Martyre fidei Augustinus in Psalmo 117, *Martyres ideo in tribulatione patientes erant, quia spe gaudebant* & in sermone de sancto Laurentio illud Salomonis: *Spes illorum immortalitate plena est*, sanctis Martyribus aptat. de quorum spe in persona sancti Georgii plura Petrus Damiani in sermone de eo. *Laborarem utique battologia*, inquit Raynaudus, *si hæc & alia quæ circa spem Martyrum, pro religione ac fide occumbentium, proferrem, circa misericordiæ Martyres iterum docerem, vel iterare possem, cum perspicue eadem se prodat utrobique spei alacritas & firmitas. unde vero in his Christi athletis in diuturna ista agonia inconcussus animi vigor, nisi ex spe firmissima, qua prægestant rependendam laboribus in cœlo requiem?* &c.

De charitate, qua succensi Martyres fidei tormenta & tyrannos vicerunt, plena sunt Patrum scripta à Principio nascentis Ecclesiæ, quam imitari Martyres charitatis infra §. 9. cum Patribus expendam.

Honestas supernaturalis fortitudinis, quæ in Martyribus fidei tanta luce præfulgeat, non minore fulgore micat in Martyribus *misericordiæ* in pace Ecclesiæ constitutis; publicato divino bello per contagium, cujus carnificina horribilis est symptomatibus, & aliis corporis teterrimis affectibus, quorum lues pestifera valde ferax est, ut pulchre describunt Lucretius lib. 6, Seneca Tragicus in Oedipo, choro 1. quibus omnibus libentissime se committunt moti ex misericordia, fortes & robusti se ostentant, mortesque ferunt plurimas loco unius. & in hujus confirmationem plura Raynaudus cap. 3. n. 8. & seqq.

Et tandem cum in Martyrio *fidei* sit perfecta cum Christo configuratio, ut est certissimum apud Patres. Christus enim ex duplici titulo Martyr fuit: I, quia mortuus est pro veritate quam prædicavit: II, quia pro nobis à captivitate Diabole redimendis, & conciliandis cum Patre sanguinem suum fudit, vitamque sanctissimam abjecit. & utroque titulo Martyres *misericordiæ* Christo configurantur; tum I, quia veritates revelatas facto ipso & in actu exercito testificantur; tum II, quia, ut ait Clemens Romanus lib. 5. cap. 5. constitut. Apostol. *Martyrium Christi imitamur, quando sicut ipse propter charitatem erga homines, mortem contemnimus, sicut ipse contempsit.* & addit Raynaudus quod Martyres *charitatis expressius & illustrius configurantur Christo*, quam Martyres fidei. quod probat cap. 4. num. 7. *quia isti non habent potestatem ponendi animam suam, nec mortui sunt pro aliis. & in his duobus depretiat Augustinus tractatu 84 in Ioannem Martyres Christo, qui & passus pro nobis, & habebat potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. & in his duobus*, inquit Raynaudus, *Christo configurantur Martyres charitatis, à quibus nemo tollit animam, sed ipsi sponte eam ponunt exemplo Christi; quia, cum sani essent, possentque se periculis subducere. Inhærentes volentesque sola urgente proximorum utilitate, & charitate in illa ruunt. Cedit etiam aliquatenus eorum mors in remissionem peccatorum alienorum: nam ministri isti salutem; præsertim eorum quos juvant, præpositam habent, & ad eam cum piis eloquiis, tum exemplo charitatis suæ & egregiorum virtutis factorum ægros incendunt: ut proinde mortem obeuntes in sancto illo ministerio, ex prædictis finibus susceptam*

sceptro aliquatenus dici possint obire propter salutem proximorum & remissionem peccatorum eorum, non quidem litrum pro eis appendendo, sed tantum curando, ut impensa pro eis à Christo redemptio cassa non evadat, sed intentum à Christo exitum fructumque consequatur. Itaque charitatis proles (quod de fidei Martyribus à Cypriano dictum est in fine libri de laude martyrii) socio Christi amore decorari, & quidem excellentissimo modo, satis superque videtur confirmatum. Hactenus Raynaudus. cujus sententiam impugnandam pro viribus totis nisibus curavi fideliter referre, ne conquerantur ejus alumni me aliquid detraxisse aut corrosisse fundamentis, quibus nititur, ut apparenter ruere videatur, & non reipsa.

§. 8. *Vera & antiqua sententia in Ecclesia Catholica semper recepta & firmata.*

TVnc *tacebunt graculi cum canent cygni.* hucusque locutus est Raynaudus, satis prolixe. & ego, tanquam *Mylus* omnia patienter audiens & auscultans, quantas potui, addidi vires sermoni & discursui. κάμπτος enim est, qui anfractibus & flexibus multis peragitur tanquam Cretæ labyrinthus.

Parietibus textum cæcis, iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprehensus & irremeabilis error.

Igitur vera & communi sensu Ecclesiæ confirmata sententia hos ministros, sive quod animam mediis sacramentis & aliis invocaminibus spiritualibus, sive quod ad corpus inserviendo, in medicamentis applicandis, & aliis remediis hominibus lue pestifera infectis; vere non esse & proprie Martyres, sed tantum improprie & similitudinarie, etsi exerceant actum perfectissimum charitatis in Deum & in proximos propter Deum, ratione cujus poterunt habere majorem, & gloriosiorem auream & præmium essentiale, aureolam tamen Martyris non habebunt, quæ est præmium accidentale Martyribus debitum.

Hæc sententia, quæ antiquitus nec in dubium vertebatur, cum omnes fere prisci Patres & scriptores, tum omnes Scholastici, agentes de martyrio & de Baptismo sanguinis, hoc solum agnovere in morte violenta, illata in odium fidei aut alicujus virtutis, ut §. 2. manifeste ostendam. Scriptores vero posterioris seculi, qui hoc punctum tetigere, expresse tenent hanc Ecclesiæ praxim, eamque tuentur. ita expressit Vasquez 3 p. disputat. 153. cap. 3 n. 50. ubi sic: *Si quis ex charitate se offerat morti, ut liberet à morte aliquem, vel ab ægritudine, non erit Martyr, quamvis ex charitate moriatur, sed debet pati propter Christum à Tyranno.* Idem prius docuerat Gabriel Biel in quæstione de fuga à peste conclus. 9. Claudius Spenzeus lib. 3 de digressione cap. 19. Ioannes Briaert. quod lib. 3.

Eam sententiam amplectitur sanctus Doctor 2. 2. q. 123. art. 5. in corpore. ubi ex Philos. 3 Ethic. cap. 6 & 9. concludit, quod principalis actus virtutis fortitudinis est circa mortem quæ est in bello, & hujus reddit rationem in corp. *Quia pericula mortis, quæ sunt ex ægritudine, vel ex tempestate maris, vel ex incursu latronum, vel si quæ alia sunt hujusmodi, non videntur alicui directe imminere ex hoc, quod prosequatur aliquod bonum. sed pericula mortis, quæ sunt in bellicis, directe imminent homini propter aliquod bonum, in quantum scilicet defendit bonum commune per justum bellum.* Et infra hoc magis enucleans dicit: *Pertinet autem ad fortitudinem firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non solum quæ imminent in bello communi, sed etiam in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum dici potest. & secundum hoc concedendum est, quod fortitudo proprie est circa pericula mortis, quæ est in bello. sed circa pericula cujuscumque alterius mortis fortis bene se habet, præsertim quia & cujuscumque mortis homo potest periculum subire propter virtutem. puta cum aliquis non refugit amico infirmanti obsequi propter timorem mortiferæ infectionis, vel cum non refugit itinerari ad aliquod pium negotium prosequendum propter timorem naufragii, vel latronum.* hactenus Divus Thomas, quo nihil illustrius.

Sed audi eminentissimi & illustrissimi Cajetani illustrissimum Commentarium, ibi §. *Quoad secundum*, sic fantis: *sciendum est secundo, in hoc differre materiam fortitudinis, circa quam est fortitudo, ab impaviditatis materia in periculis mortis propter ægritudinem, vel tempestatem maris in litera optime dicitur, quia forti imminent pericula directe, propter bonum conservandum,* &c. *& propterea sunt optima pericula circa quæ est fortitudo, puta propter pacem, fidem, castitatem,* &c. *ægritudinis autem & maris pericula non imminent directe propter boni impugnationem, etsi propter pios & sanctas causas navigent. quod ex eo patet, quod communia sunt omnibus in mari tunc existentibus, ex quacumque causa. & ex hoc siquidem habes quid in fortitudinis exercitio semper oportet, intervenire dico, scilicet id de quo est pugna, puta fides, justitia, regnum,* &c. *& hoc ex parte materiæ circa quam, & pugnam ipsam inter impugnantem & impugnatum, & hoc ex parte formæ, scilicet fortitudinis: quod enim exigatur id de quo est pugna aliqua, patet, quia aliter fortitudo non haberet propriam materiam, scilicet pericula mortis optima; sunt namque optima propter bonum de quo est pugna. quod vero exigatur pugna aliqua, patet, quia aliter fortis non persisteret in boni proprii exercitatione,* &c.

Et §. in eodem articulo quinto, dicit: *Nota quod cum Aristoteles 3 Ethicorum cap 9. posuerit fortem principaliter respicere pericula maxima & optima, qualia sunt bellica, & secundario bene quoque se habere circa quæcumque alia mortis pericula, quia impavidus existet. Auctor hunc secundarium actum ostendit, & traxit ipsum ad majorem approximationem ad principalem, ostendens in eo quandoque inveniri rationem boni ex intentione operantis, dum scilicet aliquis propter virtutem subit periculum pestiferæ infectionis, ac per hoc periculum mortis per ægritudinem; vel navigare, & sic periculum mortis in tempestatibus; vel itinerari in locis, ubi non sine latronum metu itur. Impavidum sic esse in hujusmodi periculis, quacumque occasione inveniat se in his homo, spectat quidem secundario ad fortem, ut dicitur 3 Ethicorum; sed impavidum esse in eisdem propter aggressum opus virtutis, multo propinquius spectat ad fortem, quoniam hujusmodi pericula mortis sunt etiam bona, quia propter bonum virtutis, deficiunt tamen à principali materia fortitudinis, quia mala hujusmodi non directe & per se tendunt ad bonum virtutis; quoniam non ideo imminent, ut virtutem destruant, sed tantundem imminerent, si quacumque ex causa illi homo inveniretur: fortitudo enim circa maxima & directe optima est pericula, quæ scilicet directe tendunt contra optima, hoc est, virtutes.* hæc ibi. mirabile sane Cajetani ingenium omnia tetigit subtilitate summa. & his nobis duplex evidens subministravit argumentum, contra novitatem Raynaudi, quæ infra §. 11 & 12 dabo.

§. 9. *Osten-*

§. 9. *Ostenditur veritas ex Martyrologio Romano.*

CVm novitas sententiæ oppositæ maxime nitatur in tabulis Ecclesiæ Romanæ correctis à Baronio, placuit ex eodemmet argumento contra ipsos inverso veritatem antiquam demonstrare. Scripsit enim Cardinalis *curatum calamo* Martyrologium, in quo conscriptæ sunt Ecclesiæ Romanæ divitiæ opulentiores, quia potiores quam *Cyniræ opes*, &, si aliquibus rubiginis macula inerat, diligentissime abstersit & purgavit. igitur die vigesimo octavo Februarii sic dicit: *ibidem*, scilicet Alexandriæ, *commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis gravissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetiere, quos velut Martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit.* hæc in textu; sed in notis litera c, *horum res gestas* (ait) *multis laudibus prosecutus est sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus in epistola, quam scripsit ad Hieracem Episcopum, extat apud Eusebium Histor lib.7, cap.16 & 17. ubi in fine hæc leguntur: ex Patribus, qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem oppetiverunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, & alii Diaconi, quidam è populo virtutis ergo multum laudati, adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robustam fidem suscipiebatur, nihil à Martyrii splendore abesse videretur.* hæc ibi.

Circa quæ multa sunt notatu ponderationis dignissima. I. quod in toto Martyrologio similis modus loquendi non invenietur; sed illi, qui vere & proprie Martyres sunt, quia passi sunt propter fidei confessionem mortem à Tyranno illatam, absolute & absque aliquo addito *Martyres* nuncupantur. ergo cum in præsenti additur particula *veluti*, manifeste impropriam vocem martyrium, & ipsam analogam facit ad veros Martyres. II. Non dicit, quod eos Ecclesia veneratur veluti Martyres, sed religiosa piorum fides. quod longe diversum est: non enim horum pietas sat est ad vindicandum aliquem pro vero Martyre. Quare Ecclesia horum pietatem laudat, quia ex ea procedit, ut veneretur ab ipsis Martyr, qui pro proximo juvando mortem oppetit, non tamen approbat quoad titulum veri Martyris, sed quoad pietatem. quod manifesto exemplo confirmo in sancto Martino Episcopo, de quo Ecclesia in antiphona pro secundis vesperis ad magnificat: *O sanctissima anima, quam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit.* quæ desumpta est ex sancto Laurentio Iusti. sermone de sancto Martino; Severo Sulpitio ejus discipulo, epistola 2. & tamen Ecclesia ipsum non ut Martyrem, sed ut Confessorem colit. ergo quamvis Martyrologium dicit *veluti* Martyres; & Dionysius, quod hujusmodi mortis genus nihil *à martyrii splendore abesse videretur*, non proprium martyrium, sed improprium & analogum est intelligendum; sunt enim hujusmodi locutiones exaggerationes potius, quam veritates, ut passim in auctoribus latinitatis & Historiis reperietur. Quis enim dicit, quod Beatus Martinus habeat propriam Martyris aureolam? (quam illi jure negat Raynaudus p.2, cap.1, n.7. & prius negavit p.1, cap. 5. num.8. quamvis p.3, num. 6, cap. 2. videatur palinodiam cantare) quia, quamvis non amiserit palmam martyrii, vel intelligitur de præmio essentiali correspondenti martyrii desiderio, vel, si referatur ad aureolam, est similitudo, non proprietas.

Deinde, quia verbum *videretur*, quod ponit Dionysius, manifeste tam apud Latinus, quam apud Iuristas improprietatem denotat ejus rei, supra quam cadit, sive sit qualitas, sive substantia. unde *videtur* idem est, ac apparet, non quod est. & sic apud Latinos frequentissime. Cicero lib.2 de officiis: *induxit eam quæ videtur esse, non quæ esset, repugnantiam*: in jure etiam improprietatem ac fictionem denotat lege 1. §. dejecisse videtur. Digest. de vi & vi armata. leg. naturaliter. Digest. de acquirenda possessione. & tenent Menochius lib.4 de præsumption. num.9. Cardinalis Tuscus tomo 2. litera D. conclusio. 394, num.1. & multi alii.

Addo id, quod valde notandum cupio, quod, quamvis Dionysius & alii Patres absolute, & sine addito viderentur hujusmodi ministros lue infectorum, in eorum obsequio morientes, Martyres nuncupare, interpretari deberent de martyrio improprio & similitudinario. id quod exemplis manifestis fiet manifestum. Clemens Alexandrinus lib.4 Stromat. cap.4. *quicunque mandata Servatoris exequuntur, in una quaque actione sunt Martyres.* Sanctus Ephrem Syrus, in secunda Martyrum laudatione, loquens de martyrio patientiæ: *illi palam Martyres fuerunt; at tu in secreto saltem Martyrem perfectum te præbe, ut in die retributionis corona cum ipsis doneris.* Ambrosius similia docet in Psalmo 118. ad illum versum, *multi persecuti sunt me: quanti ergo in occultis quotidie Martyres sunt, & Iesum Dominum confitentur.* Augustinus Serm.32 de sanctis: *tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium vivat, crux est atque martyrium.* Cæsarius Arelatensis homil. 45, *si ergo sunt martyria pacis tempore, sunt & negationes, nemo dicat non esse martyrium; & martyrium est, & negatio est.* Sanctus Gregorius Magnus homil.35 in Euangel. *mori* (inquit) *à persequente, martyrium in aperto est; ferre vero contumelias, martyrium est in occulta cogitatione. Namque duo sunt martyrii genera: unum in occulto opere; aliud in publico, testatur veritas*, &c. Iustinianus Laurentius, in ligno vitæ, tractatu de patientia cap.2 *patientia hominem Martyrem facit.* & de Martyribus patientiæ similia passim apud Patres, dum loquuntur de patientia & morborum tolerantia tam sui, quam suorum, adeo quod Chrysostom. homil.1. in 2 ad Corinthios, sanctum Iob non solum Martyrem, sed *plus quam Martyrem* dixerit. de ejusque valentissima fortitudine contra Diabolum persecutorem multa.

Deinde Religiosos omnes, qui carnem suam crucifixerunt tribus votorum solemnium clavis, Martyres dicunt absolute Patres omnes, qui de monastica tractant vita. Ita Sanctus Hieronymus in supposititiis comment. ad Psalmum 115, ad illa verba, *dirupisti Domine: ipsi* (Monachi) *Martyres sunt.* Iustinianus opusc. de contemptu mundi, cap.6. & late Theodorus Studita dicit *longum & diuturnum martyrium.* quem modum loquendi habet Hieronymus epist. 27 ad Eustochium, loquens de parente Paula, dicens, *longum & quotidianum martyrium.* sic etiam loquitur Athanasius in vita sancti Antonii, cap.23. & de Martyribus obedientiæ Thomas de Kempis lib. de fideli dispensatione, cap 3. §. 2. *illi Martyres sunt, qui toties verbo Dei tanquam gladio submissi plectuntur, quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur.* de Martyrio castitatis Chrysostom. oratione de sancta Tecla: *Virginitas illis, qui rem accurate perpendunt, magnum quoddam martyrium ante martyrium videtur.* & Ambrosius lib. 1 de virginitate dicit, quod *virginitas Martyres facit.* Augustinus etiam sermone 250 de temp. Bernardus sermone primo de octava Paschæ. deinde Patres illos, qui de aliorum cruciatibus condolent

Martyres esse dicunt. sic Severus epistola 2, *Martyrem* dicit sanctum Martinum Episcopum. quem sequitur Laurentius Iustinianus sermone de eodem. Sanctam Virginem Mariam *Martyrem*, *& plus quam Martyrem* fuisse ex condolentia Filii, Patres plures docuerunt, quos dedi supra resolut. 52. §. 1.

Et tamen quamvis omnes hos Martyres simpliciter & absolute appellant, tamen Ecclesia non eos celebrat ut veros Martyres, nec ut talis illos agnoscit, sed solum improprie & similitudinarie, & ipse Raynaudus fatetur p. 1, cap. 1. & sequentibus. & de Beata Virgine ita interpretatur Divus Thomas ubi supra loco citato. ergo, quamvis Dionysius hos ministros, de quibus loquimur, absolute & sine addito Martyres diceret, de Martyrio similitudinario & secundum quid erat intelligendus, ne novitatem in Ecclesiam inveheremus contra venerabilem antiquitatem, quæ unicum verum solum agnovit martyrium, sanguine effuso in testimonium fidei rubricatum & consignatum, in illo violenter impresso à Tyranno, voluntarie tamen passo à Martyre. de qua veritate nullus, qui sinceros Ecclesiæ filius desiderat nuncupari, dubitare debet; quanto enim doctior, qui contrarium dixerit, tanto major tentatio ad succumbendum novitatibus est Christianorum fidelium, qui nutriti sunt ad ubera Ecclesiæ, sugentes antiquitatis lac doctrinæ, non quæ multis ante seculis latuit, & nuperrime ostensa est.

Quare eleganter huic Raynaudo convenit dictum Lirinense cap. 27. commonitorii. habetur tomo 4. Biblioth. p. 2. *depositum custodi. quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens*; & infra: *intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur.* Per te *posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen quæ didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.*

His omnibus adde, quod in Martyrologio vocula *veluti* improprietatem significat: correspondet enim verbulo *videretur* Dionysii; præterquam quod ipsa in se multoties analogam & impropriam facit nominis, cui adjungitur, notionem apud Iurisperitos, inter quos latinitas purissima reperitur. lege 2. Digest. de legat. 2. Menochias de præsumptione lib. 4. præsump. 51, num. 6. Dinus. consilio 41, num. 3. Calderinus cons. 496. Tescus ubi supra conclus. 375. dicentes summi pro *quasi*, quæ similitudinem importat. quamvis in loco Ioannis 1, quem ad suum propositum ponderat Raynaudus, ex certo fidei sensu & Patrum omnium consensu non similitudinem denotat, sed veritatem, ut notant Toletus ibi in comment. & Cornelius à Lapide ex Chrysostomo & Theophilacto & Euthymio. ut enim ibi sub voce *quasi* veritatem intelligamus, docet fides; ad quod nos non cogit Martyrologium, sed reliquit particulam in sua vulgari & originaria notione.

§. 10. *Ex Patrum sensu & consensu.*

SVpra resolut. 37. §. 2. evertens fundamentum novitatis Raynaudi, constitutum reliquimus ex Patribus verum & solidum antiquitatis munimen, quod ad verum & proprium martyrium mors illata debet esse à Tyranni violenta manu, sine qua violentia verum & proprium martyrium subsistere nequit, juxta ipsius veram significationem ab exordio Ecclesiæ usurpatam à Patribus, Lucifero, Cypriano, Chrysostomo, Bernardo, Petro Damiani, Prudentio, Theodoreto, Hilario, Epiphanio, Augustino, Ambrosio, Asterio, Fulgentio, Nazianzeno, Basilio, Clemente, Alexandro, Philippo Abbate ex professo. quos sequuntur Scholastici in 4. dist. 49. ubi Divus Thomas, Paludanus, Gabriel, Sotus, Major, Carthusianus, & alii, quorum loca & verba expressa dedi ubi supra. quis ergo turbidam novitatem contra tam splendidissimam nubem testium inducere salva temeritate valebit?

Et quidem, cum Optatus Milevitanus lib. 3 dixerit: *temerarium est Martyrem existimare eum, qui extra bellum Christianum ceciderit*, tam Optatum, quam cæteros Patres, interpretari, quod loquantur de martyrio fidei, non de martyrio *charitatis & misericordiæ*, ut in ipsis, de quibus loquimur, appellat Rufinus. hoc inquam temerarium est, cum nullus Patrum hos veros & absolutos Martyres dicat, sed secundum quid. quod explicuit Rufinus addens *misericordiæ* Martyres. sicut multi dicunt Martyres *castitatis*, Martyres *condolentiæ*, Martyres *Religionis*, & similia. quibus additamentis in proprietatem martyrii enucleant & explicant.

Sed Raynaudus, ut novitatem quam semel concepit, usque ad extremum nutriat & confoveat, duplicem aliam meditatus est solutionem. primam ponit p. 3, cap. 6, num. 1. & 2. Patres, quos adduco, non positive contra ipsum probare, sed negative dumtaxat, quatenus non faciunt mentionem de martyrio *charitatis.* at argumentum ex auctoritate negativa inefficax est, ut ratum est apud omnes; præterquam quod dum agitur de objecto fidei divinæ, intra cujus sphæram non continetur. nisi quod revelatum est à Deo, & ab Ecclesia propositum.

Sed Raynaudus *sinapissat* ingenio, dum sic loquitur: etenim Patres, quos retuli, non solum perpetuo involvunt silentio martyrium charitatis; verum constituunt ad verum martyrium id, sine quo tale non est, scilicet, quod sit mors illata à Tyranno, perpessa propter Christum, & ejusdem fidei confessionem: si enim omnes Philosophi dicunt, quod essentia hominis est animal rationale, si quis noviter aliquid definiret, addens aliquod prædicatum essentiale antiquis incognitum, vel alium hominem proprium alia prædicata essentialia habentem, utique talis novator contra omnes Philosophos introduceret talem opinionem, qui definiunt verum hominem, quæcumque alia definita alterius veri hominis insolens esset, fictitia & contra totam antiquitatem. hæc igitur solutio prima nihil sapit, nihil sentit, tanti est, quanti *fungus putidus.*

Secunda solutio nihilo prima solidior sic proponitur ab ipso ibidem num. 3. *Neque vero mirum debet accidere, quod auctores fere non meminerint alterius martyrii, quam ejus, quod pro fidei doctrina & testificatione subitur. hoc enim est martyrium frequentissimum, & quo tempore Patrum plerique scribebant, quotidianum; eamque ob causam videtur antonomastice dictum esse martyrium, cum è contra hoc martyrium, pro quo pugnamus, sit admodum infrequens. & interdum vix in plurimis seculis alicubi locum habeat.* *de raro autem contingentibus*, ut Logici proloquuntur, non est scientia. *plerique etiam egisse videntur de martyrio, tantum quoad vocis corticem spectato: quia enim Martyr juxta vocis notionem idem est, quod testis, & ii formalissime Deo attestantur qui, minante licet mortem Tyranno, perstant in fidei confessione inconcussi, inde factum videtur, ut receptissimus usus Martyrum nomen solis fidei professoribus adscriberet, non exclusa tamen fortis paritate apud Deum*

quoad

quoad eos, qui æqui morte defunguntur propter Christum in a'iis negotiis, etiamsi minus explicite minusque formaliter testes esse videantur.

Quam belle dixit Aristophanus in avibus: *Lampon etiam jurat per anserem*, dum quis fallit in aliquo; plena est solutio arte fallaciæ, aut se ipsam evertit: si enim quotidianum, frequentissimum, & recentissimum martyrium est, dum quis attestatur Deo, minante licet mortem Tyranno, & in tota antiquitate Ecclesia agnovit Martyris notionem in solis fidei professoribus, qua fronte quis hujus nominis proprium significatum & notionem ad alios extendit infectorum ministros, & non etiam extendit ad Martyres castitatis, condolentiæ, & Religionis? etenim nominis propria impositio non fit unius, vel aliquorum auctoritate, nisi communis usus publicaque intercedat auctoritas. non ergo admittenda solutio, quoad sortis paritatem, cum sit magna disparitas inter utramque sortem utriusque martyrii, *fidei* & *charitatis*. quare Raynaudo convenit proverbium: *priusquam sortieris, communia devoras*, desumptum ex Aristoph. in equitibus:

Quando publica antequam sortiaris devoras.

Siquidem absque sortione veri martyrii publicam in Ecclesia & communem sententiam devorat, ut novam digerat & suggerat.

§. 11. *Ex prima ratione Cajetani.*

SVpra in hac ipsa Resolutione §. 8. duplex proposui ex Domino Cajetano fundamentum à ratione petitum, cui nititur valde fidenter Patrum & Ecclesiæ sententia. 1. est, quia martyrium adultorum, quod est actus voluntarius & liber formaliter, est principalior actus elicitus à virtute fortitudinis supernaturalis, & est imperatus à charitate, ut supra Resolutione ..... late ostendi ex Divo Thoma, & communi certaque sententia. sed actus iste ministrorum, de quibus loquimur, non est primarius actus fortitudinis, ut qui non versatur circa propriam materiam agnitam à Philosopho hujus virtutis. igitur non est proprium & verum martyrium, sed improprium, analogicum & similitudinarium, sicut martyrium *castitatis* & *condolentiæ*, & similia. consequentia est nota, cum majori ab omnibus accepta. minor ostenditur manifeste, quia cum fortitudo sit virtus circa mortis pericula, forti imminent hujusmodi pericula directe propter bonum conservandum rationis rectæ; & sic sunt optima talia pericula circa quæ est fortitudo: imminent enim directe propter boni impugnationem, puta fidem, pacem, castitatem, & alias virtutes supernaturales, vel propter vitationem peccati etiam venialis. at contagii periculum, ac per consequens mortes ex illo secutæ, non imminent directe propter boni impugnationem, etiamsi ex charitate quis illud obsequium obeat; quod ex eo patet evidenter, quia idem periculum subit, qui inservit lue infectis, ob lucrum, vel aliud motivum humanum. ergo periculum hoc non est ob boni impugnationem.

Vrgetur 1. quia, si quis ex charitate motus ob defensionem amici ingrediatur procellosum mare, vel iter latronibus abundans occidentibus homines, si iste talis vel occidatur à latronibus, aut suffocetur in mari, nullus Catholicus dicet, quod sit vere & proprie Martyr, etiamsi ex charitate periculum subierit, & moriatur. cujus ratio est clara supra adducta: quia hoc periculum commune est omnibus ingredientibus mare, aut iter; & sic non moritur ex boni impugnatione. quod secus esset, si à Tyranno in odium fidei, aut virtutis damnaretur ad inserviendum peste infectis, aut ingrediendum procellosum mare, aut iter latronibus plenum, quia iste ob boni impugnationem aggreditur mortis periculum, quod est optimum ex bono impugnato, propter cujus impugnationem directe imminet. sicut dum Martyres destinabantur ad custodiendum bestias, quarum fœtore obibant, ut supra Resolutione 6 late explicavi.

Vrgetur 11, quia, cum fortitudo sit virtus irascibilis appetitus, ut tenet Divus Thomas 1. 2. q. 56. art. 4. ex Aristotele 3 Ethic. cap. 10. actus autem irascibilis, prout à concupiscibili distinguitur, est resistere impugnantibus, qui convenientia impugnant & nocumenta inferunt. unde ejus objectum est arduum, quia tendit ad hoc, quod superet contraria, *& superemineat eis*, ut ait idem sanctus Doctor 1. p. q. 81. art. 2. ex Nysseno lib. 4. Philosoph. cap. 9. & Damasceno 2 de fide, cap. 11 in fine. ex quo clare colligitur, quod ad fortitudinem, quæ respicit modum operandi potentiæ cui inhæret, requiritur & id de quo est pugna, scilicet bonum impugnatum, cujus impugnationem intendit superare, & supereminere. quod est materia fortitudinis, & pugna inter impugnationem & impugnatum, alias fortis non resisteret ad vincendum nocumenta quæ intendit impugnans bonum, quod est ejus objectum, circa cujus exercitium vult persistere. at in ministris, de quibus loquimur, non est bonum impugnatum directe & per se, cum moveantur solum ex misericordia & charitate, quæ est in concupiscibili, & ejus modum sequitur, juxta quem prosequitur bonum absque impugnatione, quæ directe fiat contra bonum virtutis; & sic ex vi materiæ non est actus fortitudinis, quamvis possit esse ex intentione operantis, quæ est per accidens. Legatur Resolutio 6. citata.

§. 12. *Ex secunda ratione ejusdem.*

SEcundum Cajetani fundamentum, quo Ecclesiæ sensus & antiqua Patrum consensio (ni fallor) evidenter confirmatur, est: quia ex Aristotele, & Divo Thoma, & Chrysostomo Iabello, supra probavi Resolut. 4. quod primarius actus fortitudinis (qualis est adultorum ratione utentium Martyrum) est circa pericula maxima & optima, qualia sunt bellica, sive in particulari, sive in communi bello; & circa quæcumque alia pericula mortis sunt actus secundarii, quia fortis circa illa impavidus consistit, & bene se habet, & maxime si ex intentione operantis aliquis propter virtutem subit hujusmodi pericula, ut si periculum mortis ex contagio, in tempestatibus ex procella maris, ex incursu Latronum in itinere, propter charitatem, Religionem, aut alias justas causas. in quibus periculis homo impavidus existit propter motivum virtutis, suntque bona ex ordinatione operantis ad bonum honestum: etsi homo bene se habet ut fortis, non quidem actu primario ex objecto & materia primaria, sed ex secundaria intentione media operantis; tamen hujusmodi pericula deficiunt à principali & primaria materia fortitudinis, quia mala hujusmodi non directe & per se tendunt ad bonum virtutis. quod ex eo est manifestum, quia non ideo imminent ut virtutem destruant, cum eodem modo imminerent ex quocumque motivo ubi homo esset; fortitudo autem primario tendit directe & per se circa maxima, & optima pericula, quæ scilicet directe tendunt contra virtutes, quæ sunt bona opti-

ma creaturæ rationalis, ordinatæ ad vitam æternam.

Vrgetur 1. quia tolerare mortem non est secundum se laudabile, nisi quatenus ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, ut ait Divus Thomas 22. qu. 124. art. 3. hæc autem ordinatio aut est ex intentione operantis, quod intendit periculum mortis ingredi propter bonum virtutis, quamvis periculum illud non immineat ut virtutis eversivum, sed decens est, & rationi conforme tale periculum ingredi, propter honestatem alicujus virtutis. sic etiam multi Sancti non quæsiti se ultro obtulerunt martyrio, & pericula mortis voluntarie sunt ingressi ob honestatem virtutis fidei, qui actus proprie & primario non fuit fortitudinis circa materiam primariam, sed fuit actus fortitudinis secundarius, sicut est actus quo quis se offert ad ministerium infectorum ex fide robusta, & ardenti charitate in proximos. sed actus primarius fortitudinis, qui in istis se Tyranno offerentibus fuit proprie martyrium, est circa maximum & optimum periculum mortis, illatæ à Tyranno intendente evertere bonum virtutis. hic enim actus ex opere ipso, & ex materia sua absque ordinatione operantis versatur circa optimum & maximum periculum.

Vrgetur 2. quia objectum primarium alicujus virtutis est per se tale, independens ab intentione operantis, quæ per accidens se habet ad objectum primarium, quod est tale ex natura rei secundum regulas rationis. unde objectum & materia primaria fortitudinis, circa quam versatur martyrium, nullatenus debet pendere ab aliqua Martyris ordinatione accidentali, sed ante omnem ordinationem ad finem charitatis debet constituta intelligi in linea fortitudinis, quatenus scilicet aggreditur periculum oppugnativum virtutis. atqui ante ordinationem operantis periculum mortis ex contagio non evertit bonum rationis; & sic illud aggredi non est fortitudinis proprius actus; & ordinatio adveniens non facit ipsum primarium, sed solum secundarium, sicut sunt multi actus, quos justi exercent in vita contra tres animæ inimicos, Mundum, Diabolum, & Carnem.

Vrgetur 3. quia, si voluntaria operantis ordinatio ad finem virtutis, ad quam ordinat mortis periculum, sat est ad verum & proprium martyrium, & primarium fortitudinis actum, sequitur, quod siquis ob colendam castitatem, quam semel animo religiose concepit, contra Medicorum consilium de Matrimonio contrahendo ad vitam conservandam, eligat potius mori, quam castitatem violare, sit proprie Martyr. & quidem usum veneris aliquando prodesse ad vitam conservandam, ex Divo Ambrosio epist. *66.* & non paucis Veterum monumentis probat Septalius sectio 4. Problem. q. 17. contra Scaligerum exercit. *269.* sequeretur 2. quod Carthusianus Monachus, qui ob observantiam regulæ à carnibus abstinet, & ex hac abstinentia moritur, esset proprie Martyr; imo & Religiosus iter ex obedientia arripiens, & in itinere à prædonibus occisus, esset etiam vere Martyr: omnes enim ista pro colenda virtute & veritate revelata obeunt, vitamque profundunt, non secus ac ministri de quibus est sermo.

Huic manifestæ rationi respondent Raynaudus p. 3. cap. 6. num. 6. & Marchinus num. 10. esse longe diversam rationem: quia isti, de quibus in argumento, non eligunt sibi periculum mortis, sed ipsis inest ab intrinseco, ratione depravati & maligni temperamenti. at qui se offerunt infectorum ministros, voluntarie eligunt periculum mortis propter Deum; quare isti veri Martyres, secus vero illi. sicut qui, ne mentiatur, pandit sua crimina judici, qui ipsum cruci adducit, iste tales Martyr proprie non est, quia patitur propter delicta.

Verum solutio ista *obtrudit palpum*, & artificio quoque fallit: quia isti, de quibus illationem feci, proxime & immediate eligunt mortis periculum, quod salva virtute poterant evitare. nam mordax illud temperamentum moderari poterat per licitum usum matrimonii. Carthusianus etiam poterat uti opinione probabili, quæ dicit, quod in tali casu non obligatur Religiosus, si prævidebat periculum proximum mortis à prædonibus inferendæ, etiam non tenebatur iter arripere; & sic proxima causa mortis fuit voluntarius castitatis, obedientiæ, & observantiæ cultus. & sic erunt proprie Martyres, quia voluntarie eligunt propter virtutem mortis periculum, quod poterant licite & absque peccato fugere, non secus ac ministri infectorum. quod secus est de illo, qui, ne mentiatur, sua crimina pandit. iste enim propter ista moritur, quia non poterat, ut supponitur, sine mendacio occultare.

Olfecit hoc Marchinus num. 21. in fine, & addit quod, si quis mordicus velit istos, etiam pro tuenda virtute & doctrina revelata, proxime & immediate mortis causam amplexatos fuisse, hos etiam à Martyrum choris multis & variis, de quibus plene idem Raynaudus, minime excludendos dabimus. sed etiam *palpum obtrudit* hæc solutio. est enim tanquam *in albo lapide alba linea*, quæ nihil est. si enim ad choros Martyrum improprie dictorum, de quibus usque ad nauseam Raynaudus, hos remittat, remittat etiam ministros infectorum, cum utrorumque eadem sit omnino ratio, eadem cantilena, & sic in eorum choro collocandi. si vero ad majorem & continentiorem chorum, in quo sunt veri Martyres, omnes hos reducat, inauditum & temerarium est, in cujus confirmationem plus valere nostra debet, quam ejus hic oratio.

§. 13. *Ex ratione Philippi Abbatis pluriumque Sanctorum.*

Resolutione 37. §. 2. inter plura Patrum egregia testimonia, ex quibus verum Ecclesiæ sensum de vero & proprio Martyrio non obscure collegi, adduxi Epistolam Philippi Abbatis bonæ spei scriptam ad Rodulphum, quam approbavit doctissimus Franciscus Sylvius, ut ibidem dixi. in qua ex professo sanctus Abbas, interrogatus à Rodulpho, agit de vero & proprio Martyrio, ipsum distinguens ab improprio, illudque definiens, verba ejus ibi adduxi, in vim auctoritatis; modo illius fundamentum expendam à ratione petitum, quod tale est.

Incipit enim à martyrii definitione, & nominis notione: *Martyr nomen Græcum est, & Latino eloquio testis interpretatur. testis est, qui aliquid attestatur, cujus testimonio verum esse quod verum est, & falsum esse quod falsum est, affirmatur; & tamen non omnis qui hoc agit Martyr inter Ecclesiasticos appellatur, sed tantum qui propter Deum id facere, & inter faciendum illatam mortem perpeti comprobatur.* & hujus reddit rationem, paulo post dicens: *unde constat verum esse quod ajunt, quia Martyrem non pœna facit, sed causa; quia videlicet Martyr non est omnis quem petivit gravis occasio, sed cujus passionem sana commendat, qui sibi ullo modo inferre mortem ultimam non præsumit, sed illatam ab alio, tanquam levatis in cœlum manibus, sic assumit, ut tota sit ejus intentio ei solummodo compla-*

complacere, quem novit Martyribus salutari gratia præsidere; de qualibus Ioannes, vidi (ait) *sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant. non omnes igitur interfecti, sed propter Dei verbum & testimonium interfecti, martyrio, vel martyrii præmio coronantur.* & infra hanc rationem elucidans, manifeste totam Raynaudi & Philiberti novitatem evertit, dicens: *Si ad ultimum propter ejus testimonium occidatur, nimirum Martyr esse cunctorum judicio comprobatur. si tamen è converso prius inventus fuerit multam Christo reverentiam detulisse, mortem primam, qua transitur ad justitiam, satis gravem & diutinam pertulisse, ad obtinendam vero retributionem & æterni beneficii præmii gratioris, tandem quieto fine sine manu transeat occisoris, iste apud hominem nomen & gloriam Martyris non assumet, &c.* quæ sequuntur, & loca citato ponderavi. abeunt in eundem sensum cæteri sancti, quos ibidem lata manu induxi: nisi enim à manu occisoris violenta mors inferatur, martyrium proprie non agnoscit Ecclesia, quæ nutrita & aucta est sanguine Martyrum violenter effuso in testimonium veritatis.

Huic argumento, quod, velit nolit Raynaudus, insolubile est, si attendamus ad Ecclesiæ praxim, consuetudinem & sensum, respondet ipse cap. 6. citato 3. Dicens I. quod Abulensis q. 20. ad caput 13 Matth. p. 4. negat de ratione martyrii proprii esse alienam violentiam. sed fallitur omnino Raynaudus, & ipsius bona pace affirmo, non legisse quæstionem illam in qua perpetuus est Abulensis in defensione veri martyrii, orti ex Tyranni morte violenta Martyri illata, solum enim dicit: *Quod omne martyrium proprie dictum est voluntarium, cum sit mors pro Christo suscepta. quod autem ab extra inferatur, non facit illud esse involuntarium. unde nec debetur martyrio præmium secundum quod ab extra infligitur, sed secundum quod voluntarie sustinetur.* quare Raynaudus in Abulensi pedem ubi ponat, non habet.

Dicit II. in hoc bene, quod non requiritur Physica violentia Tyranni in inferenda morte Martyri; sufficit si sit moralis, hoc est à morali extrinseca causa minante, cogente, imperante, impellente ad mortem, si fides non deseritur. & multi leguntur sancti in Martyrologio qui sponte, & ultro se in ignem & flumina projecerunt. his enim mors illata est à causa morali extrinseca, Tyranno scilicet minitante atrocissima tormenta, cogente fidem deserere, &c. nec enim Patres exigunt Physicam tortoris violentiam. sat enim quod sit à causa morali violenta.

Dicit tandem III. & argumenti vi convictus hastam abjiciens succumbit difficultati, & in caput præceps dicit: non requiri necessario & per se quod mors violenter inferatur Martyri in odium fidei; sed sufficere ad verum & proprium martyrium, quod quis ex motivo honesto, ex quo alienam violentiam excipit, cum laude martyrii mortem subeat voluntarie, etsi desit aliena vis inferens violenter mortem: nam hujus ultronea & voluntaria obitio honesta, & sancta abunde supplet defectum alienæ violentiæ, etiam moraliter adhibitæ. Deus enim ad coronandum Martyrem eam violentiam non attendit, in præsentiarum vero ministri infectorum vitæ discrimen honeste & licite adiunt; at mors consequitur, quam acceptarunt ex germanissimo martyrii presse sumpti motivo, cujusmodi est charitas urgens ministrum discrimini vitæ se committentem. hæc est in summa hujus auctoris solutio.

Pulchre Tertullianus libro de Pallio dixit: *Soli Cameleonti datum de suo corio ludere.* quod concessit ingenium Raynaudo ludens de suo cerebro, & corio, sine duce & luce discurrens ut libet. quamvis enim Deus non moveatur ad præmiandum Martyrem ex actione Tyranni, quæ iniqua & sacrilega (sicut nec ad homines redimendos attendit ad malitiam crucifigentium Salvatorem) tamen sicut, ut homines redimeret per passionem voluntarie susceptam, necessario fuit præsuppositum Iudæorum peccatum, sine quo ex vi præsentis providentiæ non salvaret; ita ad præmiandum Martyrem, ut Martyrem proprie sumptum & condecorandum laureola, requiritur Tyranni violentia sacrilega, qua inferatur mors.

Hujus securissimæ & antiquissimæ veritatis est assignata à Patribus ratio, quia Martyr proprie coronatur propter victoriam de Tyranno. Victoria autem de Tyranno sine pugna implicat concipi. at pugna & bellum est iniquum ex parte ejus, qui non habet jus ad illud inferendum. & sic semper in martyrio proprio intervenit violentia iniqua Tyranni inferentis mortem.

II. Quia in martyrio proprie sumpto, etsi concurrat charitatis actus, à quo imperatur martyrium, fortitudo tamen charitatis motivum, non est motivum specificum & primarium fortitudinis. atque ita, quamvis ministri infectorum habeant perfectissimum charitatis motivum, ex quo subeunt mortem, tamen non habent, & repugnat quod habeant, primarium motivum fortitudinis, & sic à vero martyrio sunt excludendi.

§. 14. *Ex eo quod ministri infectorum non occiduntur in odium fidei.*

HVjusmodi ratio affinitas est & sequela præcedentis. quare, ne legentibus sit onerosa, sub brevitate est transcurrenda. eamque insinuat Philippus Abbas ubi supra, illis verbis: *Non omnes igitur interfecti, sed propter Dei verbum & testimonium interfecti, martyrio, vel martyrii præmio coronantur.* in quam sententiam omnes quotquot sunt Patres eunt, & constat ex illo Christi oraculo: qui me confessus fuerit coram hominibus odio prosequentibus nomen meum, & fidem quam prædicavi. ut explicant Prisci omnes, & quidem cum ratiocinatione anteriori ostenderim, necessario requiri ad verum martyrium violentiam extrinsecam Tyranni inferentis mortem, hoc non ex alio fit, nisi quia odio prosequitur fidem, quam intendit quod Martyr abjuret. & quidem sancta Mater Ecclesia in tribus hymnis, quos canit in Martyrum officio, semper requirit tortoris insani manus, cæteraque tormenta quæ exprimit violenter illata in odium fidei Christianæ.

Sed respondet Raynaudus, id verum esse cum mors infertur per violentiam Physice aut moraliter ab alio illatam. at quando mors subitur nulla interveniente causa externa, quæ violentiam inferat, sed ipse sibi homo quodammodo vim infert honeste & sancte dando locum contagioni, cui se exponit, ut mors sequatur. unde est æquivalens violentia ex parte passi, habentis motivum honestissimum martyrii; & sic non requiritur quod mors inferatur in odium Christi & fidei. sicut si aliquis Tyrannus ex ignorantia inculpabili putans se obsequium præstare Deo, si aliquos occidat in odium Christianitatis, dubio procul isti erunt Martyres, & tamen Tyrannus non scelerate est operatus, sed honesto fine concepto ex ignorantia inculpabili, qua judicat Christianitatem esse falsam Religionem.

Cæterum satis præceps loquitur Raynaudus, & dum latinitate omnia artificiose disponit,

— *Miri-*

— Mirifice credebat se esse locutum,
Cum quantum poterat dixerat insidias;

dicebat Catullus de Arrio: nam quid aliud dicit in hac solutione, nisi insidias veræ doctrinæ, & laqueos sanæ sententiæ: nam si, ut vidimus, mors violenter illata est requisita ad martyrium, & semper quod est violenter illata, est in odium fidei, sine isto odio non erit verum martyrium; quamvis non sit per se primo requisitum quod sit peccaminosum, ut in exemplo apposito de Tyranno laborante ignorantia inculpabili, in quo casu non est odium culpabile, tamen est odium fidei Christi, quæ reipsa est vera, quamvis ab isto ex ignorantia judicetur falsa. id autem quod dicit de violentia æquivalenti, parvi pendendum, ut dictum sine fundamento, & contra omnes, solum ad fugiendam argumenti vim.

§. 15. *Et absurdo primo, quod deleret infantis ex opere operato peccatum originale.*

SVpra Resolutione vigesima cum communi, & omnino certa sententia determinatum reliqui, verum & proprium martyrium tantam habere efficaciam ad sanctificandum, quod infantibus in maternis uteris existentibus, si mater martyrizetur, & infans Martyr existit, eique martyrium verum remittit peccatum originale ex opere operato. & idem judicium faciunt Doctores, si aliquis infans extra maternum uterum jam natus in odium fidei occidatur. & pro hac veritate sedecim gravissimos auctores adduxi, inter quos Sylvester verbo Baptismus 1. n. 2. q. 1. dicit cum Paludano quem citat: *Quod si Judæus filiam fœcundatam à Christiano in despectum Christi abortiri faciat, videtur quod puer fiat Martyr, habens causam & pœnam; sicut similiter & prægnans cum propter Christum interficiatur, uterque Martyr est.* Quare ex martyrio vero matris, Martyr fit & infans, baptizaturque vero Baptismo sanguinis, ipso deficiente ex materno sanguine propter Christum effuso, quamvis Tyrannus, ut notat Raynaudus, ignoret matrem gravidam existere, solumque intendat Matrem occidere, non infantem.

Ex qua Doctrina, quæ ut dixi indubitata est, tale formo argumentum. verum & proprium martyrium hoc habet privilegium à Christo Domino concessum, ut deleat in parvulis originale peccatum, sitque illis loco Baptismi sanguinis, quando aut ipsorum Matres occiduntur propter Christum, aut ipsi in illius odium sunt interfecti. quem quidem effectum habet ex opere operato, ut Resolut. . . . . ex Patribus & Doctoribus monstravi, & tenent auctores contra quos pugno. unde mors voluntarie propter Christum suscepta, quæ respectu matris est proprium martyrium, respectu infantis in ejus utero morientis, est Baptismus sanguinis quo deletur peccatum originale, non secus ac deletur Baptismo flaminis. Ergo si mulier gravida, ex charitate in Deum mota se consecret ad inserviendum infectis, & ex contagio contracta lue ipsa moriatur, est vere & proprie Martyr, ut vult Raynaudus; immò expressius conformatur primo Martyri Christo Domino; & puer ipse, qui moritur ex Martyris proprio martyrio, baptizabitur Baptismo sanguinis qui absterget ex opere operato originale peccatum: nec enim inveniri aut cogitari potest congrua discriminis ratio, cur martyrium fidei hoc habeat, & non martyrium charitatis. si hoc verum, & proprium martyrium est, ut vult Raynaudus. at hoc quam magnum sit absurdum per se constat: & quidem hoc argumentum tantum apud me valet, ut propter ipsum oppositam Marchini sententiam dignam censura judicarem, nisi me prævenisset sacra congregatio Cardinalium sancti Officii generalis Inquisitionis.

§. 16. *Ex absurdo secundo, quod non esset pro eis orandum.*

REsolutione quadragesima tertia §. 7. late ex Patribus & Pontificis Innocentii III, in cap. cum Matth. de celebratione Missarum, & indubitata Scholasticorum sententia ostendimus, non esse licitum pro Martyribus orare, sive publice, sive secrete. & de hoc nullus dubitat Catholicus, cum certa fides doceat nos Martyres orare, ut eorum adjuvemur patrociniis. ex quo Catholico Principio sic argumentor. Si ministri infectorum contagiosa lue tacti vitam amittentes, propter charitatem in proximos exercitam, vere & proprie Martyres sunt, dum ex hoc mundo ad Deum transeunt nullam secum peccati, vel minimam pœnam portant, quam eluere sit necessarium in purgatorio igne, aut vivorum suffragiis indigent adjuvari. atqui usus est in Ecclesia receptus, ut pro istis suffragia offerantur à piis, devotis & cordatis personis. Ergo vel isti male faciunt, & usus iste abusus est; vel illi ministri mortem oppetentes Martyres proprie non sunt dicendi, nec habendi.

Huic argumento, quod revera urget, triplicem adhibet Raynaudus solutionem p. 3. cap. 6. n. 9. prima est, quod, etiamsi consuetudo orandi pro istis ministris, & usus universaliter urgeret, *Quod mihi* (ait) *non constat*, tamen erit qui ita reponat ex Concilio Carthaginensi apud Augustinum lib. 6 de Baptismo cap. 37, ubi dicitur: *In Evangelio Dominus dicit ego sum veritas, non ego sum consuetudo. itaque veritate manifesta, cedat consuetudo veritati.* & Cyprianus epistola 74, *consuetudo* (ait) *sine veritate vetustas erroris est.* ex qua solutione insinuat, immò manifeste dicit Raynaudus, quod usus iste & consuetudo non est admittenda, postquam ipse adinvenit veritatem martyrii *charitatis* & misericordiæ. Sed Raynaudus solutione hac *ante lentem auget ollam.* præpropere enim sibi placet, quasi jam certus possideat victoriam opinionis suæ, quæ tantum abest: doctrina enim hujus solutionis in hac materia absurda est, & *ipsa ille vult magis ferire aut dejicere, quam discere aut vera docere*, ut dicit Plutarchus in libello *de cognoscendo profectu*. usus etiam Catholicus faciendi suffragia pro ministris istis non est *vetustas erroris*, ut autumat iste, immò potius ejus opinio est erroris novitas, quam introducere vult.

II. Solutio est, quod cum ejus opinio, cui adhæret, non venditetur, ut indubitata & certa, ut negetur posse subesse falsum, plane consultius est, donec plenior lux effulgeat, ut interposita majorum auctoritas aliter pronunciet, trito itinere insistere: si enim sententia cui adhæsi (ait) destituatur veritate male omnino personæ de aliis bene meritæ, in quibus posset aliquid de peccati rubigine extergendum superesse, Christianis suffragiis fraudarentur propter incertum opinionis speculative probabilis. immò & Marchinus §. *ad quartum*, quod inter probabiliores Theologicas opiniones hæc sententia recensa est, cum autem non sit fide certa, non debemus in dubio privare orationum suffragiis eorum animas, quæ si ad cœlum evolarint, in thesauro Ecclesiæ fidelium orationes reponuntur.

Verum hæc solutio similiter fucata est. phaleris enim

enim inconcinne adornatur, ut sententiam, quam semel conceperunt, non abortivam faciant, sed honestam in lucem inducant; sed, Deo adjuvante, in vanum laborant illam ædificantes & fundantes. quare satius ejus defensoribus, *acum & filum sumentes rupturam consuere*, argumenta colligere, modosque excogitare quibus concordiam resarciant, ut tunicam Christi & Martyrum inconsutilem non dividant. solutio igitur ista nihil nisi verba dat, aut evertit sententiam propriam, quia, si quis judicat Martyres *charitatis* esse veros Martyres, judicat etiam statim evolasse ad cœlum sine transitu per purgatorium: hæc enim est præcipua veri martyrii prærogativa, & privilegium singulare. ergo potest se huic dictamini conformare, & nullum suffragium facere pro animabus horum ministrorum, eritque in conscientia securus, quamvis nullam missam faciat, etiamsi sit executor testamenti, quamvis teneatur omne aliud legatum exequi, nisi dicat testator quod Missa dicantur pro animabus fidelium. si autem dicat, quod dicantur pro se, non tenebitur executor, quia judicat illis non indigere. si autem dicas, quod propter opinionis incertitudinem sequi debet tutior pars, semper ergo opinio quam impugno, practice improbabilis est ad minus, & in nullo ad executionem reduci quit. ergo ad quid deservit novitates impracticabiles introducere in Ecclesiam, contra ejus praxim & usum? quid hoc est aliud, quam isthmum *perfodere* inani & irrito conatu.

Tandem tertiam adhibet solutionem, veram doctrinam continentem, sed ad propositum inutilem. etsi enim *meliores sit nactus aves*, sed quæ in præsenti *Admeti nenia canum*. dicit enim quod pro his ministris infectorum, quamvis vere sint Martyres, orare possumus & debemus, quousque publico Ecclesiæ decreto vindicentur, sicut de Martyribus fidei certum est, quod usque dum vindicentur ab Ecclesia possumus pro eis orare, nec possumus ad illos publicam orationem fundere. fateor, ut dixi, quod hæc solutio in se verissima est. sed quid *cæco cum speculo?* ad quid claritas veritatis cum obscuritate cæcæ opinionis? si sententia Raynaudi omnino falsa & omni carens probabilitate, ad quid in solutionem eorum, quæ contra ipsum fiunt, veræ doctrinæ adducuntur? *det igitur* (Raynaudus) *herbam*, & victum se fateatur veritate. antiquis enim veneratio debetur nec cum eis certamen ineundum.

Cum majoribus haud subeam certamina vel cum
Herculea virtute,

ajebat Vlysses apud Homerum. Verum utique est quod sine Ecclesiæ decreto, quo sanctus vindicetur, non excluditur à suffragiis fidelium. negamus tamen quod inservire infectis lue, & ex contagio mortem obire, sit sufficiens fundamentum ad vindicandum & publice colendum aliquem proponere, sicut est fundere sanguinem in testimonium fidei & propter ejus defensionem, nisi constet quod charitas sit ardens, & fides robusta. sicut dicunt de Presbyteris Alexandrinis tabulæ Ecclesiasticæ, qui sunt sancti vindicati in Ecclesia, & privato cultu à multis piis veluti Martyres venerantur, quamvis Ecclesia non ut veros Martyres eos colat & veneretur.

§. 17. *Ex tertio absurdo, quod causaret gratiam ex opere operato.*

RESolutione 36. late ex Patribus & Doctoribus probavi, martyrium proprium causare gratiam ejusve augmentum ex opere operato. quod advertens Raynaudus esse certam communemque sententiam, ultro fatetur idem facere Martyrium *charitatis*, sicut & martyrium *fidei* p.3, cap.5, num.5. vs. hæc cum ita sint. pagina 473 affirmans, quod martyrium *misericordiæ* causat gratiam ultra meritum operantis, & quod debetur ei Martyrii aureola, sicut debetur martyrio *fidei*.

Verum enimvero Raynaudus *lippit non limis oculis*, cæcutit certe & turpiter erravit: cum enim, ut loco citato clare ostendi ex Doctoribus, quod martyrium *fidei* causet gratiam ex opere operato ultra meritum operantis, sit quoddam privilegium specialissimum à Christo Domino illi concessum, non est ad aliud aliquo modo extendendum. id enim quod ex voluntate Dei aut Christi pendet, tanquam quid facti, affirmandum non est, nisi ex revelatione constet, aut sacra Scriptura ita à Patribus intellecta, vel saltem à communi interpretatione expositorum firmata sit, ut omnes utriusque scholæ, sancti Thomæ & Scoti, quotquot sunt alumni, de adventu Christi Domini in carne passibili adfirmant. atqui nulla adest revelatio, nullus locus Scripturæ à Patribus & Expositoribus intellectus, quod hoc privilegium sit concessum morti ministri in administratione infectorum, sicut est concessum morti voluntarie susceptæ & illatæ à Tyranno in odium fidei & Christi. ergo temerarie tale adstruitur inesse privilegium Martyrio *charitatis*. alias si aliquis horum ministrorum invincibiliter ignorans, esset in peccato mortali, moriens in tali exercitio martyrii, hoc causaret primam gratiam etiamsi nullum alium haberet Sacramentum, dilectionem Dei, aut contritionem, sed solam attritionem, sicut causat aliquando martyrium fidei, ut cum multis diximus loco citato. quod quam magnum sit absurdum per sese patet, videat Raynaudus quam magna sequantur absurda ex parvula opinione, quam invexit. recte dixit Homerus de Eride Dea contentionis:

Quæ prima exigua surgit, verum illico cœlum
Attingit capite, in terris vestigia ponens.

§. 18. *Quia non semper licet vitam pro altero fundere, etiam ex motivo charitatis.*

DIvus Thomas 22. quæst.26. & ibi Expositores omnes tractant de his, quæ ex charitate sunt diligenda. & cum amor proximi ex charitate oriatur ex consociatione in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum propter Deum: amicitia enim hæc ad proximum fundatur in beatitudinis communicatione. & quidem, ut ab opinionibus abstrahamus, quas discutere esset in longum ire, & de intento proposito divertere, adsumo id in quo omnes fere Doctores conveniunt, quod aliquis se conjiciat in mortis periculum proximum, pro liberando amico à morte, aut mortis periculo, quando habet uxorem, filios, neptes aut nepotes, quorum cura & regimen ad ipsum pertinet, quia cum horum omnium detrimento vitæ alterius succurrere non potest aliquis. Ita Suarez disput. 9 de charitate, sect.3. Bonacina disp 3. quæst.4 punct.4, num.6. Coninck. disp.25. dub.6. num. 84. Amicus 22. disp.29. sect.4, num.65. Bañez quæst.26. artic.4. dub.2. vers. ex quo sequitur Rutilius Benzonius in speculo lib.1. disp.1. quæst.1. conclus.11. Medina 1.2. quæst.96. artic.4. ad dubium I. in solutione argumento. & in conclusionibus. estque omnium sententia, quam sequitur Marchinus de bello divino, p. 1, cap. 10.

Ex qua sententia tale formo argumentum. si vera est sententia Raynaudi & Philiberti, quod est verum &

& proprium martyrium, dum quis finit vitam in administratione corporali infectorum lue pestifera, manifeste sequitur, quod homo habens uxorem & filios possit istis contemptis se conjicere in periculum præfatum, ut coronam martyrii consequatur, sicut licet se offerre Tyranno ad mortem ob defensionem fidei; nec tenetur propter uxorem aut filios se occultare, aut fugere. id enim expressit Christus Lucæ 14, vers. 26. dicens: *si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus. & qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* quem locum multi & gravissimi Patres, quos supra in favorem sententiæ Raynaudi dedi, intelligunt de martyrio *fidei*, propter quod homo debet relinquere uxorem, filios, & parentes & cognatos.

Et utriusque ratio est manifesta: quia, cum martyrio *fidei* sit annexa gratiæ & gloriæ certitudo, quantam homo citra revelationem infallibilem potest habere, amittere gloriam, quam sibi certo promittit Deus, si pro ejus fidei confessione obeat (nam Martyr, ut est de fide, sine transitu purgatorii statim cœlum ingreditur, & hymnis cœlestibus honoratur) propter commoditatem temporalem filiorum aut uxoris, certe quidem esset contra charitatem, quam quisque in seipsum habere debet, ut demonstrat Divus Thomas 2.2. quæst. 26. artic. 4. cujus rationem evidentem dat: quia proximum diligit ex charitate propter unionem, quam cum illo habet in ordine ad Deum videndum, in quo consistit nostra beatitudo. homo autem diligit seipsum ex charitate, quia est particeps prædictæ beatitudinis & bonitatis divinæ; potior autem est unitas, quam unio. atque ita spretis proximis, si mihi adest proxima occasio consequendi Beatitudinem, sicut adest Martyri *fidei*, odio debet pro sequi uxores, filios, &c. & Christi crucem bajulare. ergo si martyrium *charitatis* simile habet privilegium, quia verum martyrium est, idem facere quis poterit, etsi inde sequatur filiorum detrimentum corporale.

§. 19. *Occurritur fundamentis pro Raynaudi opinione adductis.*

POteram silentio omittere solutionem argumentorum, quæ fecit Raynaudus, & imitatus est Marchinus de bello divino, cum ex dilutis diluta esse constent. ad I ex Martyrologio jam videmus §. 9. quomodo in ipsum conversa est Historia ibi relata, & manifeste sit pro nostra sententia.

Ad II. ex Patribus. nihil minus ipsi senserunt & ita existimo judicasse Raynaudum, utpote virum in legendis Patribus eruditum, & in eorum sensu percipiendo perspicacem. existimo ergo eos adduxisse, ut disputationem ornaret, cum loquantur non de martyrio vero & absoluto, sed de analogo & improprio, ut signat Rufinus eos dicens Martyres *misericordiæ*. D. etiam Thomas inepte adducitur, cum loquatur de martyrio pro fidei confessione à Tyranno inducto.

Ad III ex ratione respondetur, quod non quilibet mortis contemptus, etiam ex causa honesta, facit Martyrem proprie, sed contemptus mortis ab extrinseco, Tyranno, violenter illatæ. quare ille qui animam ponit pro fratribus voluntarie, & absque aliqua violenta manu, non Martyr est presse & proprie. quod manifeste constabit legenti argumentum ibi adductum attente.

Ad IV respondetur, quod si homo fiat peripsema & anathema in odium fidei Christianæ à Tyranno persequente, utique Martyr erit presse & proprie; secus vero si aliter.

Ad V respondetur, illo solum probari, quod ministri infectorum, morientes in eorum obsequium, actum exerceant excellentissimæ charitatis, eo modo quo monstrabo resolutione sequenti; non tamen, quod sint Martyres proprie, sed analogice & similitudinarie, propter quod digni sunt, ut à Deo & hominibus honorentur.

Ad VI respondetur similiter, quod solum in illo probatur, hos ministros charitatis actum exercere. Sanctus autem Desiderius & socii Martyres sunt, quia occisi à manu violenta, quia exercebant actum charitatis & misericordiæ in proximos.

Ad VII respondetur unico verbo: concedo, quod ministri de quibus loquimur omnes illos actus virtutem Theologicarum & moralium in ministerio infectorum exercent; sed quia non occiduntur pro veritate fidei tuenda, nec in odium ipsius aut Christi, à Tyranno, ideo Martyres non sunt proprie & presse; tum etiam non exercent actum primarium fortitudinis, ut ex supra dictis constat.

§. 20. *Censura opinionis Raynaudi & Marchini.*

IGitur Raynaudi & Marchini opinio, quam zelo Religionis, non contentionis impugnavi, satis abundeque intercepta est à Patribus in congregatione Eminentissimorum Cardinalium pro indice librorum, qui anno à nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, indictione decima quarta, die vero undecima mensis Martii, Pontificatus autem sanctissimi Domini Nostri D. Innocentii, divina providentia Papæ decimi, anno ejus tertio infra ejus decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campis Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Vrbis per Iosephum Marcheranum sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Decretum sanctæ congregationis Eminentissimorum & Reverendissimorum D. D. S. R. Ecclesiæ Cardinalium, à sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa decimo, sanctaque Sede Apostolica ad Indicem librorum eorundemque permissionem, prohibitionem, expurgationem & impressionem in universa Republica Christiana specialiter deputatorum, ubique publicandum.

Sacræ indicis congregationis decreto damnati, prohibiti, ac respective suspensi fuerunt infra scripti omnes libri, ubicumque & quocumque idiomate impressi imprimendive. Nemo cujuscumque gradus & conditionis eos in posterum, vel imprimat, vel legat, vel retineat. siquos tamen interim habuerit Inquisitoribus seu locorum Ordinariis à præsentis decreti notitia tradat, sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis.

Et adductis libris & eorum Auctoribus ordine Alphabetico litera M. sic dicit: *de martyrio per pestem ad martyrium improprium & proprium vulgare comparatum Disquisitio Theologica Theophili Raynaudi.*

Ejusdem error popularis de communione pro mortuis discussus. Gustus operis, cui titulus est, Heteroclita spiritualia & anomalia Pietatis.

Philiberti Marchini Navariensis de Sacramento ordinis absolutissimum opus, donec corrigatur.

Ejusdem Bellum divinum effuse ac diligenter explicatum, donec corrigatur.

Circa quas utriusque auctoris prohibitiones maxime advertendum est, quod libri Theophili Raynaudi

di in totum prohibentur & totaliter *nigra faba* notantur, & Philiberti non in totum, sed solum in partem quousque scilicet corrigantur. ablatis enim quibusdam de proprio martyrio per pestem, & aliis concernentibus, liber est valde utilis, eruditus & doctus. & idem judicium esto de libro de Sacramento ordinis, ubi plura scitu dignissima sunt, & pauca correctione digna.

Cæterum cum Pater Raynaudus in disquisitione illa nihil fere tractet nisi de introducendo in Ecclesiam vero martyriò per pestem, quod non agnoverunt Patres nostri, jure optimo in totum abjicitur ne manibus popularium Ecclesiasticorum teratur & noceat. quare justum est, ut *ephemera vita* duntaxat fruatur, & statim pereat ac lucem videt. Heteroclita spiritualia & anomalia pietatis ad manus meas nondum pervenit. tractatulum vero illum, cujus titulus est *error popularis*, &c. late impugnavi, & ni fallor, feliciter, in tom. 2. tract. Moralium, tractatu ultimo variarum.

Circa quod sacræ congregationes decretum advertere operæ pretium est, fuisse ubique publicatum, etiam in multis Diœcesibus Hispaniarum, de mandato Illustrissimi D.D. Iulii Rospillosi, Sanctitatis suæ Nuntii apud Philippum IV; & sic è suggestu voce Nuntii Apostolici publicatum est Matriti, & civitate Gaditana, & aliis. sed an fuerit receptum, quoad prohibitionem omnium Auctorum, maxime Hispanorum, qui tractant de Regia protectione, audivi promotorem Fiscalem in Concilio Regio institisse contra, ut saltem quoad hos auctores supplicaretur Sanctitas sua, & usque ad ejus responsum suspenderetur eorum prohibitio.

Ex quo fit, opinionem Raynaudi & Marchini de vero martyrio per pestem, ad minus esse improbabilem & temerariam; utpote contra verum sensum Ecclesiæ Patrum de vero martyrio fidei. cum autem sit in re gravissima, uri & inuri debet sententia temeritatis censura. Auctores autem quos in favorem Raynaudi §. adduxi, explicantur satis bene de martyrio analogo & similitudinario.

Quare Raynaudus jam non canet victoriam, sicut post scriptum opus de martyrio per pestem cecinit in Metamorphosi latronis in Apostolum cap. 12, num. 11. ubi postquam anacephaleosim fecit suæ sententiæ, concludit: *stat scriptio illa, stabitque cum bono Deo. Nam nec Luna quantumvis canum oblatrationibus emovetur.* siquidem non stat jam scriptio illa, sed abiit bono Deo faciente, qui motus & commotus canum Ecclesiæ oblatrationibus, lunam ipsam emovit & emovebit amplius. quare, ut alibi dixi, *lunam* iste *in suum malum deduxit*.

RESOLVTIO LXIII.

Vtrum sit actus amicitiæ & charitatis Christianæ, amico infecto lue inservire cum æque certo mortis periculo.

RESolutione VI late ostendi ex Aristotele & utroque Thoma, & manifesta ratione, quod actus primarius fortitudinis solum versatur circa timores & audacias in maximis & optimis periculis, qualia sunt bellica, vel in communi vel particulari bello. quamvis circa alterius mortis pericula fortis bene se habeat per habitum fortitudinis, qui circa illa elicit actum secundarium; & ponit sanctus Doctor artic. 5. quæst. 123. exemplum: *cum aliquis non refugit amico infirmanti obsequi propter timorem pestiferæ infectionis.* quare superest non leve dubium, an ex motivo amicitiæ, quæ est virtus moralis, aut ex motivo charitatis, quæ est amicitiæ ad Deum supernaturalis, vel ex aliquo motivo honesto naturali, & supernaturali honesto ornato, posset quis inservire amico peste infecto cum periculo propriæ vitæ.

§. I. *Ea quæ sunt certa, & difficultatis punctus.*

PRimo conveniunt omnes (nemine dissentiente) quando solum imminet probabile periculum mortis, posse exponi vitam pro vita imo & pro bonis fortunæ, famæ & honoris alterius ex affectu charitatis & amicitiæ. nam obligatio propriæ vitæ non est tanta, ut liceat aliquando illam etiam probabili periculo subjicere, propter magnum commodum proprium, vel proximorum, aut damnum aliquod etiam notabile vitandum. major enim est obligatio conservandi vitam gratiæ & animæ, quam corporis; & tamen aliquando licet non fugere occasionem proximam peccandi propter similes causas, ut multis docui tom. 1. tract. 1. cap. 2. *de absolutione sacramentali existentis in occasione proxima peccandi.* tum etiam licitum est ad defensionem rei familiaris proximi se exponere periculo mortis inferendæ à latronibus, ut tenet communis sententia. Imo addo aliquando esse hoc obligatorium sub culpa gravi non solum in gubernatoribus, quibus id competit ex officio, sed etiam aliis, quando scilicet res, pro qua exponitur mortis periculo, necessaria est ad vitæ, honoris & famæ proximi conservationem.

II. Conveniunt omnes, posse quemquam de Republica periculo se exponere mortis, pro bono communi & ad hoc multoties teneri. sic debet homo pro defensione Reipublicæ debellare contra inimicos, & ad hoc potest compelli à gubernatoribus; & non solum pro Republica, sed etiam pro persona ex qua multum pendent civitatis, loci, magnæ domus, Reipublicæ commoda, incolumitates & salus. id enim & ipsa universi constitutio, & humani corporis partium compositio monstrant. ne enim universum divisionem patiatur, partes naturali inclinatione ad totum conservandum dimoventur à naturali loco, & ascendunt superius, vel descendunt inferius; & manus se exponit periculo abscissionis pro tuitione capitis. ita etiam debet esse in politicis, ut particulare Reipublicæ membrum pro servanda tota Republica, aut illius principalioribus partibus, se exponat mortis periculo. ita Divus Thomas 2.2. quæst. 26. art. 4. ad 3. & lib. 3 de regimine Principum, c. 11. ad quem potest Respublica quemlibet idoneum cogere.

Ex quo fit quod in bello divino, famis aut pestis, potest respublica obligare illos quos idoneos judicaverit ad medicandum infirmos, illis ministrandum in necessariis ad vitam corporalem conservandam, ad mortuos sepeliendos, ad colligendum infirmos, ipsosque in xenodochium asportandos. qui ministri designati tenebuntur sub mortali obedire præcepto gubernatoris, etiam cum vitæ periculo, ad quod subeundum obligantur ab bonum commune, alias non essent qui ad hujusmodi munia exercenda attenderent. sicut si in bello humano nullus debellare vellet inimicum, Respublica quassaretur & corrueret, quod admitti nullatenus debet. qua autem ratione verum possit tenere id, quod Marchinus infra citandus num. 17 refert, de quibusdam qui in peste Florentina anno 1631 alios divertebant, à curandis infirmis infectis, enodabo §. 4.

III. Conveniunt omnes nullo dempto, quod pro salute spirituali proximi potest quis vitam suam corporalem periculo proximo mortis exponere, eritque actus excellentissimæ charitatis juxta Euangelium Christi Ioannes 15. vers. 13, *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* quod ad minus, juxta Patrum expositionem, intelligitur de proximis periclitantibus in vita spirituali, pro quibus vitam corporalem periculo exponere maximæ perfectionis est, in qua maxime Christo conformamur, qui propter salutem spiritualem universorum fidelium morti crudelissimæ voluntarie & ultro se exposuit. ita elegantissime Origenes tractatu 9. *notum* (inquit) *atque testatum cum sit apud gentiles, multos cædi pro commune hominum salute se ipsos tradidisse, cum pestilentes morbi suam patriam invasissent,* & infra: *se aliqua à gentibus non falso Historiis mandata sunt; aliqua vero tum de Martyribus sunt dicta, qui fuerunt mundi purgamenta, tum de Apostolis, qui omnium rejectamenta ob hanc causam dicuntur, quid & quantum sentiendum est de Agno illo Dei, qui ob hanc causam sacrificatur ut tollat peccatum mundi, pro quo passus est?* unde literalis sensus illius loci Ioannis 15 adducti: *majorem charitatem nemo habet, &c.* intentus à Christo, est de positione animæ pro salutes spirituali amicorum, quod manifeste constat ex contextu. etenim in num. 12 immediate dixerat Christus: *hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. vos amici mei estis, &c.* quasi dicat, ut est communis Patrum & expositorum expositio, ego pono animam meam pro vobis, qui estis amici mei; & majorem hac dilectione nemo habet. at Christus non est mortuus ut liberaret à morte corporali Apostolos, quia *statutum est hominibus semel mori*, sed ut tolleret mundi peccatum. & dubio procul hic est hujus loci sensus literalis, sicut & illius ex epistola 1. Ioannis cap. 3. vers. 16. *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* pro æterna scilicet proximi salute, ut multi Sancti se martyrio & morti obtulere pro liberandis proximis à mortis spiritualis contagio, ut legenti Sanctorum historias Sebastiani, & Vitalis, & aliorum constabit. at nullus Sanctus legitur qui pro liberando proximo à sola corporis morte morti se obtulerit.

Quem sensum expressit Divus Thomas in cap. 3. epistola 1. Ioannis, his verbis: *Charitatem Dei, scilicet Christi, erga nos. quoniam ille pro nobis indignis, scilicet pro salute nostra spirituali, animam suam, id est vitam suam corporalem, posuit, id est morti exposuit. Ioan. 10, animam meam pono pro ovibus meis, & nos exemplo ejus 1 Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. debemus prælati debito præcepti, quia bonus Pastor animam suum dat pro ovibus suis, alii vero debito consilii, pro fratribus suis salvandis animas ponere, id est vitam corporalem. 2 Machab. ult. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & anima mori pro civibus paratus erat.*

Sed objicitur contra hoc. si nos debemus pro fratribus animas ponere, cum hoc sit perfectionis, videtur quod omnes tenerentur ad opera perfectionis. cui objectioni post multa respondet: *securius videtur, dicendum quod soli perfectam charitatem tenentur habere, quia in præparatione animi debent pro fratribus animam ponere. & hoc videtur velle Augustinus. Perfecta enim charitas ut paratus sit mori pro fratribus, perfecta est in illo charitas. & hoc insinuat in litera, quia suadet ponendam animam pro fratribus exemplo Christi.* Legatur sanctus Doctor ad caput 15 Ioann. lect. 2. litera h. & g. ubi similia habet.

Cujus veritatis rationem tradit 2. 2. q. 26. art. 5. ex Augustino lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 27. quia *illud est magis diligendum ex charitate quod habet pleniorem respectu illius diligibilitatem. consecratio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum ex charitate, est major & propinquior ratio diligendi propter Deum, cum sit communicatio immediata cum Deo, quam participatio beatitudinis corporis, quæ est in illo ex redundantia beatitudinis animæ, quæ est ratio diligendi proprium corpus. atque ita proximum, quantum ad salutem animæ, magis debemus diligere quam propriam vitam corporalem.* & hic est actus perfectissimus & culmen charitatis, ut his verbis explicuit Ricardus Victorinus: *majorem* (inquit) *charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. ad summum itaque charitatis culmen profecerunt, & in quarto gradu positi sunt, qui pro animam suam ponere, & illud Apostolicum implere jam possunt: estote imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Sed quando & quomodo Christum imitando possimus vitam pro fratrum spirituali salute fundere, difficultatem habet, quam alibi latius edissero. Sanctus enim Thomas 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. dicit: *quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi in casu, & ideo non est de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu in quo tenetur ejus saluti providere. sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat pertinet ad perfectionem charitatis.*

Quare hoc axioma certum est apud Theologos, nullo dissentiente, quod quando *proximus est in extrema necessitate ut consequatur salutem spiritualem animæ per gratiam, teneor etiam cum dispendio propriæ vitæ illi succurrere.* & hic est casus de quo loquitur Sanctus Doctor. si autem non est in extrema, sed in gravi aut gravissima necessitate, ut recipiat Sacramenta, aut instruatur de necessariis necessitate medii, multi dicunt, de hoc ignorante media salutis, quod tenetur quis illum docere, etiam cum damno vitæ propriæ. alii probabiliter negant, nisi ignorantia sit invincibilis, quia jam iste est in extrema necessitate cum ab illa ignorantia sine me non possit exire, cum sit ignorantia omnino antecedens, quam expellere non est in arbitrio ignorantis, sicut est expellere ignorantiam vincibilem, quæ est consequens & voluntaria; & sic culpa ignorantis non excluditur.

Hæc igitur cum certa sint in quibus conveniunt Catholici scriptores, superest difficultatis punctus an dum quis est infectus contagio, possim ego cum periculo certo moraliter de infectione, tuta conscientia illi inservire, ut salutem corporis consequatur: nam pro salute animæ jam diximus posse.

§. 2. *Sententia Marchini fundata.*

PErdoctus Pater Philibertus Marchinus de bello divino p. 1. cap. 12. à num. 5. dicit inservire peste laborantibus esse licitum, honestum & valde laudabile, etiam cum certo mortis periculo, pro tuenda vita amici æqualis conditionis. pro qua sententia citat sequentes: Divum Thomam in 3. dist. 29. quæst. 1. art. 5. ad. 3. ubi ponit fundamentum à priori hujus sententiæ, dicens, ad 3. *dicendum, quod* tradere semetipsum morti *propter amicum, est perfectissimus actus virtutis. unde hunc actum magis appetit virtuosus*

tuosius quam vitam propriam corporalem. unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum quam seipsum diligat, sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis quam bonum corporale.

Arist. lib. 9 Ethicorum cap. 8. lectione 9. apud Divum Thomam litera n. & o. qui sic fatur: *verum est illud, quod de studioso dicitur: amicorum gratia multa agere & pati, etsi oporteat mori.* alia versio habet: *complura, inquam, ipsum agere & amicorum & patriæ gratia, & si opus fuerit mortem obire.* cujus rationem dat I. *pecunias enim, & honores abjiciat, & bona omnino de quibus homines decertant, sibi vindicans honestatem.* II. *expetit enim potius voluptatem brevi tempore vehementem, quam longo levem, & vitam honestam uno anno, quam quamvis multis, & unum actum honestum, magnumve, quam multos & parvos, atqui his qui pro amicis, qui pro patria mortem obeunt hoc forsitan accidit. Magnam igitur sibi ipsis eligunt honestatem,* & concludit: *Merito igitur studiosus esse videtur, anteponens omnibus honestatem.*

Ad quæ verba sic Sanctus Thomas ibi: *Dicit ergo primo, quod ideo moriens pro amico procurat sibi ipsi bonum, quia magis eliget per paucum tempus multum delectari in magno opere virtutis, quam per multum temporis quiete, id est, mediocriter delectari in mediocribus operibus virtutis; & magis eliget unam actionem bonam & magnam, quam multas bonas & parvas. hoc autem accidit eis, qui moriuntur propter virtutem, quia licet minus vivant, in una tamen sola actione, qua se pro amico exponunt, majus bonum faciunt, quam in aliis multis actionibus. & ita in hoc quod se exponunt morti pro amicis, virtuose agendo magnum bonum sibi ipsis eligunt; & in hoc manifestum est quod maxime se amant, &c.* quibus nihil illustrius ad rem præsentem. quæ confirmat sanctus Doctor 2.2. q.26. art.4 ad 2. & q. 123. art. 5. in corp. & Divum Thomam sequuntur Iavellus libro 9 Ethicorum, tract. 3. cap. 1. §. quantum ad quartum: *Virtuosus pro amico sustinebit mortem. quia magis elegit parvo tempore delectationem intensam, unamque bonam actionem magnam, omni laude dignissimam, quam multo tempore remissam, aut parvas. Constat autem quod sustinens magna pericula, & mortem pro amico, aut patria, plus veri boni sibi ipsi comparat, scilicet bonum virtutis fortitudinis, & honorem & gloriam, & æternam memoriam ab hominibus & Deo.*

Sanctus Cyprianus lib. de mortalitate (quem propter sævam sui temporis pestem conscripsit) *pestis* (inquit) *ista est levis, quæ horribilis & feralis videtur: explorat justitiam singulorum, & mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani.* & infra: *exercitia sunt ista non funera: dant enim fortitudinem, gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam.*

Augustinus lib. de amicitia cap. 10. *pro amicis* (ait) *est moriendum, ut sanxit divina auctoritas.* quare videtur retractasse quod dicit lib. de mendacio, cap. 6.

Lactantius etiam Firmianus lib 5 Institut. c. 18. probat contra gentiles, illos appellans stultissimos, qui nobis crimini dant mori velle pro Deo, cum ipsi eum, qui pro homine mori voluit, in cœlum summis laudibus extollant. Loquitur de amico illo Pythagorico, qui ut amicum liberaret à morte, potius voluit mortem ipse subire. quod exemplum etiam approbat Divus Thomas lib. 1 de regimine Principum cap. 10. secutus Divum Ambrosium lib. 3 de Officiis cap. 12. qui & hos amicos laudat: *quod* (inquit) *multo magnificentius multoque illustrius, quæ ingemiscenti Patri* (pro implendo voto) *ait fac mibi ut exivit de ore tuo, scilicet ut ipsam morti traderet in sacrificio.*

D. Antoninus 3. p. Historiali tit. 24. cap. 5. §. 1. agens de peste, qua civitas Senensis infecta fuit anno 1400, cui inservivit Sanctus Bernardinus Senensis, & inter alia dicit: *Procul dubio intensæ & perfectæ dilectionis signum videtur, exponere se mortis periculo verisimili, & quotidie contingenti, morbo infectis ultro se ingerere ad obsequendum, & præsertim si is sit, qui adhuc vinculo animarum curæ non extat obnoxius, &c.*

Ex Theologis eam defendunt Salonius 22. q. 56. art. 5. ad 5. Lessius lib. 2. cap. 6. dubitatione 6. num. 30. Cardinalis Lugo disputatione 10. num. 35. Lorca sect. 3. disputatione 28. membro 3. num. 55. sed eo modo quo §. 4. dicam. Amicus disputatione 29. sectione 4. num. 62. Granados, controversia 3. tractatu 7. disputatione 6. num. 8. Valentia disputatione 3. qu. 4. puncto 3. Becanus cap. 19. q. 2. num. 18. Coninck disp. 25. num. 81. Molina tractatu 3. disputatione 14. & 18. Sotus lib. 5. q. 1. art. 6. Bonacina tomo 2. disputatione 3. q. 4. puncto 5. num. 9. & disputatione 2. q. ultima, puncto 8. num. 9. Azor. tomo 2. lib. 12. c. 4. q. 2. Toletus lib. 5 Summa cap. 6. conclusione 3. cas. 3. Sairus in clavi lib. 7. cap. 9. dubitatione 4. à num. 12. Bañez qu. 26. artic. 4. dub. 2. Malderus articulo 5. assertione ultima. Vbi Illustrissimus Dominus Franciscus Arauso dubitatione 2. num. 39. qui omnino consentit Lorcæ. Sylvius 2. 2. qu. 26. artic. 4. quæstione 3. conclusione 3. plures alios refert Marchinus, num. 6.

Probatur I. ratione, quia pro tuenda fide data, pro servanda justitia, pro conservatione honoris, licitum est vitam exponere periculo. ergo etiam pro colenda amicitia, quæ est virtus ab Aristotele magnificata 8. & 9 Ethicorum, & cæteris Philosophis moralibus.

II. Quia tempore pestilentiæ obligatur filius deserere patrem, uxor maritum, frater fratrem, ita ut, si aliqua ministeria illis cum vitæ periculo exhiberent, & mortem oppeterent, damnaretur charitatis, hospitalitatis, misericordiæ & amicitiæ officium. quod valde absurdum non solum in recta Theologia, sed etiam in recto politico regimine.

III. Quia famuli mercede conducuntur ad inserviendum peste infectis, & hoc isti licite faciunt, propter vile stipendium se offerentes mortis periculo, cur ergo id non licebit pro honestate amicitiæ?

§. 3. *Sententia Petri Navarræ enucleata.*

Petrus Navarra Toletanus & concivis meus, in illo celebri opere de restitutione lib. 2. cap. 3. à num. 41. satis nervose tuetur sententiam negativam, non esse licitum pro salute corporali hominis privati morti voluntariæ se tradere, & quod idem est, certo & evidenti mortis periculo; si non est aliqua spes evadendi mortem. hoc enim stultum est & reprehensione dignum; si autem est aliqua spes evadendi, lex amicitiæ & charitatis est periculo se exponere pro liberando proximo à morte corporali. itaque aliud est morti aut certo mortis periculo se tradere; aliud vero mortis periculo contingenti, ex quo aliquando & multoties sequitur mors. primum nunquam est licitum pro amico facere. secundum vero licet pro salvanda ejus vita corporali, hæc est opinio hujus Doctoris. quam sequuntur Bonaventura in 3. dist. 29. q. 3. ubi id probat optima ratione quam subjiciam. Durandus in 4. dist. 17. q. 6. n. 10. Paludanus dist. 15. q. 3. art. 2. conclus. 3.

Gabriel dist. 16. q. 4. art. 2. q. 2. Abulensis ad caput 14 Genesis, ad illa verba, *nec non & Loth*, ubi inter alia dicit: *tanta fatuitas est manere in loco ubi est pestis, sicut in medios se projicere gladios, aut ignes, aut hostilia arma; imo sanctius est fugere, quam permanere in maxima peste, quia videretur esse tentare Deum, &c.* Paulus Layman. tom. 2. lib. 2. tract. 3. cap. 2. num. 4. Corollar. 3.

Est dubio procul sancti Augustini sententia in lib. contra mendacium cap. 6. ubi hoc discursu probat, mendacium nunquam esse licitum: *Quia dare vitam temporalem pro vita temporali alterius, sanæ regulæ repugnat, aut doctrinam regulæ excedit. Ergo multo magis dare vitam æternam mentiendo pro salvanda vita alterius temporali.* & sic, sicut mendacium non licet, ita nec dare vitam propriam pro vita temporali alterius. quare omnino spernendum est quod dicit Marchinus, Augustinum retractasse sententiam lib. de amicitia cap. 10. cum ibi loquatur de salute spirituali proximi, non de corporali, ut legenti constabit; similiter quod respondet Granados n. 11. Augustinum solum intendere, non esse licitum offerre vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, si hoc tantum bonum intendatur. si autem intendatur bonum rationis & spirituale, quod in illo actu splendet, non negat sanctus Doctor id esse licitum. hæc inquam interpretatio nulla est, & contra intentum sancti Doctoris: quod vult, quod sicut in mendacio nulla apparet ratio laudabilitatis moralis, ita neque in hoc, quod est mortem subire pro persona alia particulari, etiamsi amicus & consanguineus sit. quare melius Soto ubi supra, adducens Augustini testimonium, ipsum insolutum reliquit, nihil respondens ad illud.

Fundamenta hujus sententiæ ex ratione petita firmissima, & valde efficacia sunt. I. Quia non solum charitas cadit sub præcepto, sed etiam ordo charitatis respectu diligendorum præceptus est, ut communis & indubitata sententia docet, quæ certissima est, saltem respectu eorum, quæ non sunt in hominis potestate, nec est illarum dominus, ut vitæ spiritualis, quam non potest profundere nec pro vita spirituali, aut corporali proximi; sed homo ex charitate tenetur se, & proximum sicut seipsum diligere, ita ut neutrius vitæ sit dominus, & neutra subjaceat ejus potestati. Ergo inter has dilectiones sui & proximi debet esse ordo, non quod plus diligat proximum quam se, sed se quam proximum. & ita sibi majus bonum debet velle, quam proximo. Ergo pro vita proximi corporali non potest suam effundere. esset enim summa prodigalitas.

II. Posuit sanctus Bonaventura ubi supra in corp. *Dicendum* (inquit) *quod secundum ordinem charitatis amor salutis propriæ præponderat amori salutis alienæ, secundum authoritates sanctorum quæ hoc innuunt manifeste, & secundum quod consonat & dictat judicium rationis rectæ & instinctus naturæ. Ratio autem hujus est, quia unumquodque plus appetit perfectionem in seipso, quam in suo simili; & quodlibet pondus plus trahit corpus in quo est ad situm sibi debitum, quam trahat aliud corpus sibi annexum. Hinc est, quod charitas per prius desiderat Deum nobis uniri, & in nobis habitare, & nos in ipsum Deum tendere, & in ipso quiescere, quam appeti in aliquo alio, qui nobis cum habeat aliquam similitudinem. & hujus signum est, quod illi reprehenduntur & stulti reputantur, qui salutem propriam negligunt, ut procurent alienam.* quæ ratio à priori est fundata in ipsa natura rationali, quam non evertit charitas, sed perficit & confirmat: *Et sic ex ipso naturæ instinctu plus amat quis vitam propriam tam spiritualem, quam corporalem, quam proximi æqualis, etiamsi amicissimus sit*, etiamsi pater aut mater, dummodo non sit persona publica, à qua bonum publicum pendeat. si enim talis sint conditionis, cum occurrant duo præcepta, unum de bono communi servando, & alterum de propria vita, & illud sit principalius & divinius, exequi debet alio emisso. sicut videmus in partibus universi. aqua enim amittit locum proprium ad replendum vacuum, & ascendit superius, quod est majus bonum, quam conservari in loco proprio.

Ad hoc argumentum, quod revera validissimum est, dici potest, quod, facta comparatione utriusque vitæ, magis tenetur quis propriæ prospicere, quam alienæ. secus vero si consideretur bonum spirituale, & emolumentum quod consequitur ex contemptu propriæ, ut salvetur aliena proximi. primo, quia opere ostenditur quanti æstimetur amicitia vera & supernaturalis Christiana. secundo, quia est insigne fortitudinis, & magnanimitatis opus. tertio, quia magna ædificatio esset, quod quis ita esset vitæ contemptor si non dubitaret mori pro liberando homine abjecto & plebejo à morte. quarto, maximum bonum spirituale est, nos conformari Christo, qui mortuus est non solum, ut nos liberaret à peccato, sed etiam à morte, & immortales efficeret. Ita fere Granados n. 9.

Verum enimvero solutio ista non evertit soliditatem fundamenti propositi. petit enim manifeste principium, cum supponat quod amicitia Christiana extendatur ad profusionem vitæ propriæ pro conservatione alienæ. fundamentum enim inductum id probat impossibile ex ipso naturæ instinctu, quem conservat & perficit ordo charitatis. unde profusio vitæ pro conservatione alienæ particularis personæ, non est actus fortitudinis & magnanimitatis, sed prodigalitatis ejus rei, cujus homo dominium non habet. quare non esset ædificatio & Christiana humilitas vitam propriam contemnere, ut hominem plebejum quis à morte liberaret. Christus etiam Dominus non est primario mortuus, ut nos à morte naturali liberaret, à qua, ut supra dicebam non liberavit, cum *statutum sit hominibus semel mori*, & de fide sit quod omnes simus morituri, & omnes mortui sunt; & Christus ipse moreretur, si non esset occisus. quare mortuus est, ut corporis immortalitatem, post resurrectionem haberemus. deinde Christus mortuus est pro toto populo: id enim expediebat, ut dixit prophetizando Caiphas. & sic etiam, ut dixi, pro bono communi conservando licitum est mori, quia ad hoc inclinat ipsa natura, & est majus præceptum.

II. Arguo contra hanc solutionem, quia si vera est, sequeretur quod, si quis actus naufragio haberet tabulam jam possessam, qua se liberaret, posset eam amico & proximo porrigere: ex hoc enim ea omnia bona sequerentur, extensio amicitiæ Christianæ, insigne opus fortitudinis, ædificatio & humilitas Christiana, ex mortis contemptu ut proximum liberaret. consequens autem est contra fere omnes, & ipsum Granados n. 15. & vere, contra victoriam in Relatione de homicidio n. 26. Doctores absurdum reputant. esset enim vitæ illicita profusio & prodigalitas multo magis, ac siquis omnes suas pecunias justa causa profunderet.

At respondet Granados, quod sicut non licet, quod quis seipsum in mare præcipitem det & occidatur, ita non licet dare tabulam jam possessam, sine qua submergetur aquis vehementibus: & ita concurret positive ad sui interitum, & sic ex hac tabulæ por-

porrectione non sequuntur bona illa spiritualia. Cæterum solutione ista clarescit vis & efficacia fundamenti positi, quia licet sine occasione non liceat aliquem se occidere præcipitio, aut gladio, & hoc est de fide, quia ex naturæ instinctu tenetur se conservare, tamen, si semel licet se morti offerre, & certo mortis periculo pro liberando proximo à morte naturali, dubio procul licebit & tabulam possessam dare, quia tunc non intendit homo seipsum suffocare, sed liberare proximum ne suffocetur, quod secundum se est licitum, etiam cum certo periculo propriæ vitæ, ut isti dicunt. Ergo licita est tabulæ porrectio; nec in hoc est major moralis concursus ad mortem propriam, quam in hoc quod quis se offerat morti, ut liberet proximum. hæc enim oblatio est quidam concursus moralis, quo quis concurrit ad sui homicidium.

III. Quia siquis non habeat tabulam possessam, si tamen ipsi facile ipsam possidere, dicit Granados, quod licet illam non accipere, sed relinquere amico, ut se liberet à naufragio. Ergo etiam si habeat illam possessam, potest illam porrigere, & non erit sui homicida. sicut non est in priori casu, & si dum possidet dat, est sui homicida, etiam cum non possidet, est tamen sibi facile possidere. Vt enim ait sanctus Thomas 2. 2. q. 69. art. 4 ad 2. *Ille qui non accipit cibum cum possit, & fame perit, se occidit* Ergo qui non accipit tabulam cum possit, & suffocatur, se occidit.

IV. Ex Divo Thoma ibi q. 32. art. 6. in corpore: *Quod quando aliquid est necessarium simpliciter, sine quo esse res non potest, de tali necessario omnino eleemosyna dari non debet; puta si aliquis in articulo necessitatis constitutus, haberet unde posset sustentari ipse & filii sui, & alii ad eum pertinentes. de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi & suis vitam substrahere, &c.* Si autem pro vita alterius salvanda liceret propriam vitam amittere, licitum etiam esset de necessario simpliciter eleemosynam porrigere, quamvis inde secuturum esset quod quis moreretur fame. quod negat expresse sanctus Doctor, & solum in fine articuli dicit, *Posse nos pro vitanda morte proximi, & personæ particularis in extrema necessitate constitutæ, amittere quod pertinet ad status decentiam.*

III. Fundamentum est, quia non solum est præceptum naturale, ne positive concurramus ad homicidium nostri suspendio, gladio, præcipitio, & similibus; sed etiam est naturale præceptum conservandi vitam, quando non instat aliud majus præceptum quod adimpleri nequit cum tali conservatione, vel quando non adest aliquis honestus finis, pro cujus consecutione, cum sit altioris ordinis quam vita propria, ista amittitur, cum possit alias conservari, sicut qui condemnatus existit in carcere, etsi possit fugere, non tenetur fugere, nisi innocens sit, quia habet finem honestum secundum se vita propria altiorem, scilicet executionem justitiæ vindicativæ in malefactorem, contra quem data est sententia justa. unde iste permanens in carcere non se occidit, sed vult quod exequatur sententia justa, quod est motivum superius ipsa vita. quod eleganter contemplatus est Divus Thomas q. 69. art. 4 citato, & ibi Dominus Cajetanus. at dum quis se offert morti pro amico & proximo aut periculo certo interitus, non adest majus præceptum de conservanda vita alterius, sicut adest dum quis se offert morti pro defensione capitis Reipublicæ, aut pro Duce exercitus; neque etiam adest finis honestus secundum se. sed quod vita proximi, & personæ particularis etiam amici conservatur cum amissione certa propriæ vitæ, non est finis honestus secundum se, sicut non est finis honestus dare eleemosynam de eo, quod est necessarium ad vitæ meæ conservationem, ut conservetur vita personæ particularis. & ratio utriusque est quam tradit Aristoteles 9 Ethic. cap. 8, & ex ipso sanctus Doctor 2. 2. q. 25. art. 4. *Amicabilia quæ sunt in ordine ad alium, provenisunt ex amicabilibus quæ sunt in ordine ad se.* amor enim ordinatissimus, quo quis diligit seipsum, est forma & radix amicitiæ in ordine ad alios, ad quos debemus amicitiam. quia ad eos non debemus sicut ad nos ipsos; & sic semper amor quem ad nos habemus jure naturæ est strictior, quam amicorum, quia amor nostri fundatur in unitate, at amor amici in unione. qua ergo ratione potest quis mortem subire, aut periculum certum interitus, ut vita amici salvetur? hoc enim esset totam naturam evertere.

§. 4. *Sententia Magistri Petri de Lorca explicata.*

Sapientissimus & cordatissimus vir Pater Magister Petrus de Lorca, Complutensis Vniversitatis Decus, & Magister meus, loco citato supra n. 55. mediam viam sequitur inter extremas positas sententias, & sic loquitur: *Ego tamen perspectis utriusque sententiæ fundamentis, censeo, hoc modo exponere vitam pro alio quandoque esse opus egregiæ fortitudinis & debitum, ut si ponatur pro Republica; quandoque esse laudabile, sed non debitum, ut si exponatur pro patre aut pro amico cum quo interveniat magna & honesta amicitia: sed quandoque erit etiam non laudabile & inordinatum, ut si exponatur pro quocumque alio homine. in quo casu mihi probabilius apparet, esse imprudentem vitæ effusionem & prodigalitatem, quæ à culpa excusari non possit, multo potius quam si quis omnes facultates suas ignoto homini daret, manifeste esset stultus & prodigus. & hoc modo interpretor Divum Thomam pro sententia secunda allegatum. qui solum censet illicitam esse eleemosynam de necessario vitæ, quando subtrahitur sibi, vel suis æque indigentibus. nihil autem dixit quando subtrahitur sibi, ut detur suis. Itaque solum comparavit se, & suos ex una parte cum extraneis; inter se autem & suos non fecit comparationem. Permittit ergo opinari fas esse substrahere sibi, ut detur suis, non tamen sibi, vel suis, ut detur extraneis. inter suos autem verus amicus computari potest.*

Eandem quoad utramque partem sententiam sequitur Magister Arauso ubi supra, Cornelius à Lapide in epistola prima Ioannis cap. 3. vers. 16. §. 3. amicus. & quidem hanc esse Aristotelis mentem & Divi Thomæ ibi ipsum interpretantis, mihi non dubium, sicut & cuilibet ipsos legenti. nec enim evertitur ordo charitatis, dum quis moritur pro amico, diligendo magis amicum quam seipsum, ut optime contemplatus est Divus Thomas, quia adhuc in isto casu plus diligit seipsum, quam amicum, siquidem amando bonum virtutis moralis seipsum homo ordinat ad bona potiora vitæ æternæ, eo quod operatur bonum charitatis, quod est bonum animæ præcipuum, secundum quod unusquisque existimatur esse id, quod est simpliciter, quia sine charitate nihil sumus.

Sed notat sapienter Sylvius, ubi supra. versiculo *præterea*, tripliciter hoc fieri posse. primo, si ponatur propria pro amici æqualis vita præcise, non expectando aliud quam vitam & vitam. secundo, si cum vita expectetur honestas amicitiæ moralis, eaque sola. tertio, si spectetur bonum charitatis Christianæ, seu spiritualis salus proximi. primo modo non est licitum, sed contra inclinationem recti amoris naturalis, alienam vitam magis æstimare quam suam.

 sic

sic enim sanctus Doctor 2.2. quæst. 64. artic. 7. dicit, quod plus tenetur homo providere vitæ suæ, quam alienæ. secundum inter ethnicos licebat, quia non postponebatur vita propria vitæ amici præcise, sed honestas naturalis virtutis moralis, quam solam agnoverunt. at inter Christianos non credimus esse licitum, partim quia Christiani obligantur spectare aliud, quam honestatem naturalem virtutis moralis, nimirum bonum vitæ æternæ, & ea quæ ad illam conducunt, partim quia inordinatum esset, se ipsum privare commoditate proficiendi in bonis spiritualibus pro sola honestate morali ordinis naturalis.

III. Omnino est licitum exponere vitam propriam pro vita proximi æqualis, quando hoc ordinatur ad ejus, vel alicujus alterius salutem æternam, ut si fiat ex amore virtutis Christianæ, & ad aliorum exemplum; aut si is, de cujus vita agitur, est in statu damnationis, alter vero confidere posset se esse in bono statu. Hinc Beatus Thomas in 3. dist. 29. art. 5. ad 3. *tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis*, &c.

§. 5. *Trinæ relatæ sententiæ Auctoris trutinatio.*

TRiplex relata sententia speculative probabilis est, tum quia habet non ignobilia fundamenta, tum & nobiles Auctores ipsas patrocinantes; sed mihi practice probabilior, certior & securior est secunda, quam præter Auctores ibi pro ea adductos plenis buccis defendunt. Valmasedanus 2.2. disputatione 154. sectione 4. à §. 42. dicens, esse mortale peccatum mortem obire pro vita temporali hominis privati mihi æqualis. Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 3 de bonis operibus, cap. 8. loquens de eleemosyna de necessario simpliciter ad vitam.

Et probatur iterum expresso Augustini testimonio cap. 6 de mendacio, tomo. 4. *temporalem plane vitam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur: ad hoc enim, ut ait, hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos. majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: non enim quisquam ita est desipiens, ut dicat aliud, quam saluti sempiternæ hominum consuluisse Dominum, vel faciendo quod præcepit, vel præcipiendo, quod fecit.* hæc August. ubi & testimonium Euangelii ita explicat, quod dicat *insipientem* & *desipientem* esse qui aliquid, quam de vita spirituali, dicat locutum Christum fuisse. & demonstrat licitum non esse pro alio, quam pro vita spirituali vitam propriam exponere ad mortem periculo certo & indubitato. alias non sicut nos ipsos, sed plus quam nos ipsos proximum diligeremus; sicut quia pro Deo danda est vita, Deum plus quam nos ipsos diligimus, ut demonstrat sanctus Thomas 2.2. quæst. 26. art. 3. *quia* (inquit) *beatitudo est in Deo sicut in communi, & fontali principio omnium quæ beatitudinem participare possunt.* atqui in amore recto quo quis seipsum diligit ex charitate, est tanquam in fonte amor cujuscumque amici. ergo implicat quod quis vitam proximi ita diligat, ut pro ipsa propriam amittat.

Hujus veræ sententiæ fontale fundamentum depromo ex Divo Thoma in 3. dist. 28. quæst. 1. art. 6. & sic formatur: amor charitatis rectus, quo quis seipsum diligit, est primum principium dilectionis aliorum hominum in eadem linea objectorum, & personarum quibus homo vult bonum. ergo implicat, quod in eadem linea sit dilectus ex alio amore. hic enim dubio procul major esset, quia *propter quod unumquodque tale est, illud magis.* ergo contra rationem amoris recti, quo quis se diligit ex charitate, est, quod morti se tradat aut periculo certo interitus, sine aliqua spe evadendi & salvandi vitam, pro liberando amico à morte naturali.

Quod fundamentum his verbis posuit Divus Thomas: *dicendum quod processus amoris se habet ad similitudinem processus cognitionis. in cognoscentis autem invenitur aliquid ubi primo figitur intellectus cognoscentis, sicut in primis principiis, & ex his ad alia derivatur. & ipsa quidem cognitio, secundum quod stat in principiis, accipit nomen intellectus; secundum autem, quod derivatur ad conclusiones, quæ ex principiis cognoscuntur, accipit nomen scientiæ. sed quia cognitio principiorum est in conclusionibus, sicut causa in causato, & è converso cognitio conclusionis est in principiis, sicut causatum in causa, ideo igitur dicuntur, intellige conclusiones & sciri principia. similiter & affectus amantis primo figitur in ipso amante, ex eo derivatur ad alios, ut Philosophus dicit 10 Ethicorum, quod ex his, quæ sunt hominis ad seipsum, venerunt ea quæ sunt hominis ad amicum, dum se habet ad amicum, sicut ad seipsum. nec est mirum, quia unita se habent ad similitudinem eorum quæ sunt unum, & quamvis nomen amicitiæ imponatur proprie secundum quod amor ad alios se diffundit, tamen etiam amor, quem quis habet ad seipsum, amicitia & charitas potest dici, in quantum amor, quem quis habet ad alterum, procedit à similitudine amoris quem quis habet ad seipsum.* ita ibi. quo nihil illustrius ad propositum nostrum. & ex hoc plures deduci possunt satis efficaces probationes hujus sententiæ.

Prima, quia, si frater & vicinus sunt in extrema necessitate, teneor fratri succurrere, & non vicino, si non possum utrique. & hoc, quia frater est magis mihi conjunctus, & amor fratris est immediate deductus ex amore quo me diligo, estque mihi magis unitus quam vicinus conjunctione naturali. at nullus mihi magis unitus, quam egomet mihi. ergo teneor magis diligere me, quam fratrem & amicum. quamvis enim amicus sit *alter ego*, & *animæ dimidium*, & *qui sine amico vivit dimidiatus vivit*, tamen hoc est propter conjunctionem affectuum, quæ longe minor est, quam unitas, in qua fundatur amor quem quis habet ad seipsum. Iuri autem, quod habet frater meus, ut prius subveniatur, cum non sit jus justitiæ, sed jus conjunctionis ex consanguinitate ortum, sicut non potest renunciare huic conjunctioni quæ naturalis est, ita nec juri, quod habet ut prius succurratur, & multo minus ego possum renunciare huic, quod est prius succurrendum mihi, quam alteri, etiam Patri, quia administrator cum sim vitæ & non dominus, non possum illam licite perdere pro alterius vitæ ejusdem qualitatis conservatione. & sic egregie Divus Thomas dixit 2. 2. quæst. 32. art. 6. quod *qui sibi necessaria ad vitam subtrahit, vitam sibi subtrahit, & est sibi homicida.* quod repetit in 4. dist 55. quæst. 2. art. 4. q. 1.

Secunda, quia, ut probat Augustinus lib. 1 de Civitate, cap. 17 & 20. majus peccatum est occidere seipsum, quam alium. *profecto*, ait sanctus Doctor, *qui seipsum occidit, homicida est, & tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putavit.* & epistola 52. *nolo dicere quantum sit nefas seipsum hominem occidere insontem, cum omnino non debeat nec merentem.* quod passim inculcat contra Donatistas Circumcelliones. ideo autem est majus peccatum seipsum occidere quam alterum, quia major est obligatio conservandi propriam vitam, quam alienam, quia ista mihi conjuncta & unita, illa vero mihi una. & sic ex majore unitate oritur turpior

turpior malitia, quia turpius est errare in principiis, quam in conclusionibus.

Sed neque sententia Magistri Lorcæ mihi arridet. quamvis enim, si philosophice loquamur, magis faciendum pro amicis, quam pro extraneis; & istis vitam porrigere, ut liberentur, esset prodigalitas, sicut & donatio mearum facultatum; tamen, si loquamur Christiane, cum ex Christi ordine debeamus inimicos diligere, si ex motivo charitatis possum vitam perdere pro liberando amico à morte naturali, etiam possum pro extraneo & inimico, cum ex hujus dilectione usque ad mortem plura sequantur in ordine ad animam utilia. quare si hoc non dictat charitas, quæ est amicitia supernaturalis, nec dictabit pro amico, & si pro isto, etiam pro inimico qui beatificabilis est. quare consequentius locutus est Granados, qui pro quolibet idem concedit.

§. 6. *Occurritur fundamentis primæ sententiæ.*

AD primum respondetur I. Aristotelem locutum fuisse philosophice, sicut & Divus Thomas ibi, ut multoties facit, illum secutus. at Theologice aliter est sentiendum, secundum ordinem charitatis, quem recta docet Theologia, & secundum quem ordinem loquitur sanctus Doctor in partibus Summæ. & sic sapienter dixit Sylvius ubi supra, quod inter Christianos non licet id, quod Aristoteles dicit, vitam perdere propter honestatem naturalem amicitiæ. verba ejus supra dedi.

Respondetur II. Aristotelem & Divum Thomam fuisse locutos de subeundo periculo mortis pro amico, cum aliqua tamen spe evadendi mortem, quamvis ista multoties consequatur. ut licet amico curare peste infectum amicum, quamvis adsit magnum mortis periculum, quia semper adest spes evadendi. & sic loquitur Beatus Antonius. alii vero Patres inducti vel loquuntur eodem modo, vel de salute spirituali proximi. & arguunt: si gentiles dicebant licitum esse mori pro amicis, quanto magis nobis licet mori pro Deo.

Ad primam rationem respondetur, quod ibi adest honestas virtutis fidelitatis & justitiæ, pro cujus defensione martyrium subire quis potest. at pro conservatione honoris, si non redundet in familiam, non licet amittere vitam corporalem, cum honor sit inferioris ordinis quam vita. sicut non licet perdere honorem propter pecunias, quia istæ inferiores sunt illo.

Ad II. respondetur negando assumptum, quia, quamvis filius tempore pestis inserviat Patri, non est periculum certum interitus, ita ut nulla subsit spes evadendi. hoc autem periculum potest filius & aliquando tenebitur subire pro Patre.

Ad III. respondetur, quod, si esset periculum evidens, non posset quis seipsum condicere ad inserviendum peste infectis, quia pro toto auro mundi non venditur vita licite. ideo tamen se condicunt licite, quia superest eis spes evadendi; quin possunt cogi à Magistratibus, ut propter mercedem infectis inserviant. Hæc finita sunt die primo Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi, cum incepta fuerint eodem die anni anterioris millesimi sexcentesimi quadragesimi noni, inter multas & graves publicas occupationes.

RESOLVTIO LXIV.

Martyres sunt sacrificium; vel offerunt sacrificium, & quod.

PRopono Resolutionem hanc; tum quia gravem & non injucundam continet materiam, tum ut inseram gravem tractatum huic operi de Martyrio, de choro & chori antiquitate, in quo, tanquam in ara, fere omnes Regiliosæ familiæ choro addictæ sacrificium offerunt laudis, sicut Martyres faciebant dum cruciabantur, ut videbimus ex Hieronymo. unde sancta Ecclesia in ultima Antiphona ad Laudes pro Martyribus canit: *Martyrum chorus laudate Dominum de cælis.*

§. 1. *Quid sacerdos proprie: quid sacrificans: quid sacrificium proprium, & verum.*

NOn dubito quin Martyr sit & sacrificium, victima & holocaustum, simul & sacerdos vocabulis impropriatis, sicut Christus Dominus vere & proprie, ut ait Augustinus lib. 1 contra advers. leg. & Prophet. cap. 18. *tu sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio.* non est enim necesse ipsam hostiæ & victimæ mutationem & quidquid circa illam fit, propria physica actione à sacerdote fieri, sed satis est, quod sub morali aliqua consideratione à sacerdote assumatur, & in sacrificium offeratur. & sic Christus licet non se occiderit, sed violenter fuerit occisus à Iudæis, cæterum non solum voluntarie mortem suscepit, sed ad illam voluntarie se obtulit, *oblatus est, quoniam ipse voluit*, & illam obtulit in sacrificium Deo, ut internum affectum devotionis & reverentiæ ad Deum manifestaret, utens bene malitia occidentium ipsum. & quem illi inique interficiebant, ipse piè & religiose immolabat. tanquam verus & proprius sacerdos secundum ordinem Melchisedech, constitutus à Deo ex vi unionis Hypostaticæ. unde Ioan. 17. vers. 19. dixit Christus: *pro eis sanctifico me ipsum*, id est, in sacrificium & hostiam me offero, ut explicat ibi sanctus Thomas, lectio. 4. litera C. & est communis Patrum intelligentia. Chrysostom. homilia 18. Cyrillus Alexandr. & Rupertus & alii, quos citat & sequitur Cardinalis Toletus ibi in commentario, & Cornelius à Lapide ibi satis docte ad propositum: *sanctifico meipsum, id est, in sanctam hostiam me tibi offero & immolo, hoc est, post paucas horas offeram & immolabo in cruce, ut per illam ipsi sint sanctificati in veritate, id est, ut ipsi per sermonem tuum, qui veritas est & non umbra, sacrificentur, & vere sint tibique se dedicent ad labores Apostolicos, ut ad te omnes gentes convertantur, ideoque pro te omnes persecutiones, ærumnas & afflictiones invicto animo sustineant, ipsamque mortem & martyrium subeant, tanquam se tibi æque ac ego sanctificantes, id est, offerentes & immolantes.* hæc ille. cujus verba notanda valde pro dicendis. igitur superest dubium, an utentes bene malitia Tyrannorum, qui ipsos injuste occidunt, ipsi sint vere & proprie sacerdotes, vera & propria victima, ut, sicut Christus seipsum sacrificavit offerendo se in sacrificium, ita sint vere & proprie se ipsos sanctificantes, id est, offerentes & immolantes.

Vt autem dubium non ita pervium enodetur, supponendum est cum sancto Thoma 2.2. quæst. 85. artic. 1. ubi egregie Dominus Cajetanus §. *secundo autem modo.* & §. *ad primum ergo*, quod cum in qualibet

libet ætate & apud quaslibet hominum nationes semper fuerit aliqua sacrificiorum oblatio, sacrificium Deo offerre est de lege naturæ; quod probat sanctus Doctor hoc discursu: *Naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab illo superiori indiget adjuvari. sicut enim in rebus naturalibus inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat secundum suum modum: est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit, & ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eos Deo in signum debitæ subjectionis & honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, quod pertinet ad jus naturæ.*

In quæ verba sic Dominus Cajetanus ibi §. *in eodem articulo. Nota* (ait) *quod Auctor non solum ostendit quod ad jus naturale spectat oblatior sacrificii, sed etiam quod oblatio sacrificii exterioris: nam poterat quis dicere quod Deo, utpote spiritualis naturæ, sufficit oblatio mentis interior; & propterea auctor ex hoc, quod naturale est homini exprimere interiorem mentem exterioribus signis, quia à sensibilibus cognitionem accipit, docet, quod ideo naturale quoque est hominem interiorem oblationem mentis exteriori oblatione explicare. & bene adverte quod non ex parte necessitatis, quia scilicet alteri homini non possumus exprimere aliter mentem nostram, nisi sensibilibus signis, sed ex parte connaturalitatis, quia scilicet exprimere per sensibilia signa, naturale est homini. quia à sensibilibus accepit cognitionem. Auctor processit, quoniam ratio necessitatis non habet locum respectu Dei, qui intuetur cor, sed optime habet locum ratio connaturalitatis ex parte hominis, qui offert sacrificium.* hactenus Cardinalis.

Ex doctrina Divi Thomæ & Commentario Cajetani clare colligitur, quod proprium sacrificium, quo quis colit Deum sibi se superiorem, profitens subjectionem & indigentiam in succursum defectuum quos natura humana patitur, venerans ejus excellentiam ut primi Auctoris vitæ & mortis, quam subjectionem confitetur per sensibilia signa, hoc, inquam, verum sacrificium exterius & sensibile in generali est de jure naturæ, & ad illud habet homo naturalem inclinationem, quamvis, quod sit in his rebus potius, quam in illis, ad hominum institutionem pertineat. Sicut, quamvis naturale sit homini suos conceptus iuternos sensibilibus nominibus explicare, tamen quod his vel illis nominibus, pendet ex hominum impositione. Vnde triplex est sacrificium proprium, sicut & triplex Sacerdotium, ante Legem, in Lege, & post Legem Mosaicam. Primum dicitur Legis naturæ, quia ante Legem homines regebantur ratione, & dictamine naturali ducti. Secundum dicitur Legale & cæremoniale, quia ex Lege cæremoniis quibusdam aliquis constituebatur Sacerdos, qui solus & nullus alius poterat sacrificia in altari offerre, neque à Deo aliter sacrificium admittebatur, ut dicebat Iustinus Martyr ubi supra. Tertium dicitur Euangelicum, in quo sacrificatur Christus verus Deus verusque homo, & ad istud cætera sacrificia ordinabantur, ut ad finem intentum à divina providentia.

Verum enimvero sicut Oratio vocalis duplex est, una publica, altera privata, ita jure naturæ duplex est sacrificium, publicum unum, quod offertur nomine totius communitatis, & privatum aliud, quod offertur à privata persona pro seipsa sola, vel familia œconomica, cujus est caput. & quidem quod hoc privatum sacrificium jure naturæ sit verum & proprium sacrificium, mihi videtur clare deduci ex Patribus, & ex ratione dico 1. si loquamur de sacrificio publico verissima & Catholica est definitio Sacerdotii adducta ab Apostolo ad Hebræos capite 5. vers. 1. *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* & de hoc sacrificio affirmare quod ad illud offerendum omnis Christianus est vere & propriè Sacerdos, hæresis est Lutherana, contra quam insurgunt omnes Catholici controversistæ, Bellarminius lib. 1 de Missa, Becanus libro de Sacrificio, Cajetanus jentaculo 3. & alii. si enim omnis Christianus, vel quilibet de populo esset proxime apte Sacerdos ad offerendum sacrificium pro populo, nullus esset Sacerdos publicus, ut argumentatur acute Cajetanus. quia, si omnes sunt Sacerdotes & Pontifices, ut sacrificent publico sacrificio pro populo, non posset esse Pontifex ex hominibus assumptus, cum nulli sint ex quibus assumatur, & pro quibus constituatur. Sicut si quilibet homo esset Rex, nullus verè esset Rex, quia nullos haberet super quos regnaret, ita si omnis Christianus esset vere Sacerdos ad publice sacrificandum, nullus esset qui vere esset Sacerdos, cum nullus esset pro quibus constitueretur.

Sed posset quis dicere, quod, licet omnis Christianus ex vi Christianitatis & Baptismi habet dignitatem Regiam, sitque proprio Sacerdos, tamen non omnis potest offerre sacrificium pro propulo, nisi ille qui à communitate eligitur ad sacrificandum; sicut licet omnis Sacerdos ex vi sui characteris habeat potestatem ad remittendum peccata, tamen non omnis de facto remittit, nisi ille qui eligitur ab Episcopo, & cui confertur Iurisdictio in proprias oves. quare bene compatitur quod omnes Christianus sit Sacerdos, & quod non omnis sacrificat, nisi ex hominibus assumptus ad sacrificandum pro peccatis totius populi. ita respondet Lutherus in captivitate Babylonica, cap. de ordine. & epistola ad Senatum Pragensem: *Sacerdos* (inquit) *in Novo Testamento non fit, sed nascitur in baptismo, non ordinatur, sed creatur; suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes, verum non licet quemquam hac potestate uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione majoris: quod enim omne est communiter, nullus singulariter potest sibi arrogare, nisi vocetur.* Similia dicit Calvinus epistol. 190.

Verum enimvero hæc solutio prorsus est irrationabilis, utpote hæretica, supponens non esse Ordinem Sacramentum Novæ Legis, sed quandam designationem Ministrorum ad diversa munia in Ecclesia exercenda, ad quæ omnes Christiani sunt capaces ex vi baptismi, ut late explicant Melanthon in locis communibus fol. 83. impres. Argent. Marcus Antonius de Dominis lib. 2 de Republica c. 4. contra quos dogmaticè & Catholicè disputant doctissimi Viri, Magister Dominus Gravina disput. 1. de Sacramento Ordinis à cap. 4. Iodocus Coccius tomo 1. lib. 8. art. 2. qui discurrentes per omnia secula ab initio nascentis Ecclesiæ manifeste ex Patribus ostendunt Ordinem esse Sacramentum, & Sacerdotium esse institutum à Christo Domino; quare hanc solutionem hic impugnare non vacat locus. videantur prædicti qui Catholicam veritatem manifeste propugnant, Hæreticos impugnant & evertunt. Legantur Sanctus Ephrem libro de Sacerdotio, cujus *potestatem dicit ineffabilem quam accipit Sacerdos in sua ordinatione.* Basilius ad caput tertium Isaiæ expresse memoratur *Characteris presbyterii.* Nazianzenus orat. 20 in laudem Basilii, & orat. 21 in lau-

in laudem Athanasii. & Cyrillus Alexandrinus Epistola ad Aticum refert hanc hæreticorum doctrinam verbis expressis, & eam dicit esse Catholicorum indignam. sic enim ait: *professione nostra indignum est, ut Sacerdotis nomen nihil esse, & rem ipsam communem omnibus esse, quæ tamen iis solis, qui ad eam vocati sunt, asservata est, dicamus.* Sacerdos ergo non nascitur in Baptismo, sed consecratur ab Episcopo. quæ consecratio est assumptio ex hominibus, qua pro ipsis constituitur in Lege Euangelica, *in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia.*

Igitur ad sacerdotium publicum, hoc est, ad offerendum publicum sacrificium. Sitque aliquis Sacerdos publicus Ecclesiæ Catholicæ & Euangelicus, offerens sacrificium Eucharistiæ, quod unicum dumtaxat instituit Christus, tres conditiones sunt requisitæ. Prima, quod sit ex hominibus assumptus ad hunc gradum & dignitatem per verum ordinationis Sacramentum. Secunda, quod sit pro hominibus constitutus, & hinc publica utilitas monstratur ex publico officio mediandi inter Deum & homines. Tertia, quod offerat sacrificia. ex qua monstratur facultas Sacerdotis Euangelici ad supremum sacrificium Deo oblatum, & ad hoc ab ipso institutum, quam facultatem non habent minores ministri instituti & ordinati ad offerendum Deo sacrificium laudis.

Hæc ergo cum certa fide Catholica sint tenenda, tutanda, & contra hæreticos propugnanda, superest nova & singularis difficultas, an præter sacerdotium incruentum, quod verissimum est & institutum à Christo, ut pro omnibus offeratur, sicut ipse obtulit sacrificium cruentum, & ad incruentum offerendum instituit & ordinavit Sacramentum ordinis & veros sacerdotes; an, inquam, sit aliud proprium privatum sacrificium, alius etiam verus & proprius, privatus tamen, offerens vere & proprie, ita quod non requiratur ut sit vere offerens verumque & proprium sacrificium à se oblatum, aliqua constitutio, assumptiove publica aut ordinatio Sacramentalis? sed quilibet fidelis ex vi fidei, qua est insignitus, est similiter condecoratus potestate ad offerendum proprium sacrificium, privatum tamen, nam publicum, quod in Lege Euangelica unicum, est Agnus immaculatus Eucharisticus, cujus oblatio reservata est Christo Domino, ut principali offerenti, & Sacerdotibus Euangelicis, ut causis instrumentalibus.

Dico 2. Iure Naturæ quilibet fidelis est vere & proprie offerens verum & proprium sacrificium privatum. hæc conclusio mihi videtur expressa. Divus Thoma ubi supra articulo citato, in quo agit de vero & proprio sacrificio, prout est actus Religionis ab omnibus aliis distinctus, & dicit, quod ad illum tenetur homo jure naturæ. & ratio manifesta id persuadet, quia quilibet homo, prout est particularis persona, habet defectus quos in seipso sentit, propter quos indiget adjuvari à superiore Natura divina, cui subditur, & in protestatione subjectionis ad illam potest & debet exerceri aliquos actus externos in honorem & cultum illius, protestando Deum esse auctorem vitæ & mortis. hic autem actus exterior, versans circa aliquam materiam honestam, est verum & proprium sacrificium privatum oblatum, non quidem à persona publica, sed à persona privata. Sicut enim est votum solemne & votum simplex, & utrumque est verum & proprium votum, & est Oratio vocalis publica & privata, & utraque est vera & propria Oratio; ita est sacrificium publicum & privatum, utrumque tamen est verum & proprium sacrificium. & sicut qui offert sacrificium publicum, est vere & proprie Sacerdos, qui ex Patrum & Ecclesiæ sensu est, qui ordinatus existit, accipiens in ordinatione potestatem supernaturalem ad sacrificium publicum Eucharisticum perficiendum, ita ad sacrificium privatum est quilibet fidelis, offerens vere & proprie per voluntatem religiosam & virtutem religionis, qua profitetur Deum actu externo auctorem vitæ & mortis.

Hanc conclusionem mihi videor colligi ex Patribus, quorum primus sit Anacletus Papa Epistola 2 ad Episcopos Italiæ, dicens: *Initium Sacerdotii Aaron fuit, licet Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac & Iacob. Sed hi spontanea voluntate, non Sacerdotali potestate ista fecerunt. Cæterum Aaron primus in Lege nomen sacerdotale accepit.* quibus verbis, quamvis Summus Pontifex loquatur de Sacerdotio quod fit peculiaribus cæremoniis, & hoc fuerit primum in Lege scripta, quod primum habuit Aaron, sicut in Novo Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo; tamen cum Melchisedech, Abraham, & Isaac, & Iacob verum obtulerint sacrificium, non *sacerdotali auctoritate, sed spontanea voluntate*, manifestum est, quod potest provenire verum & proprium sacrificium sine Sacerdotali auctoritate, qualis est in Lege Euangelica, & fuit in Lege veteri; sed solum *spontanea* & religiosa *voluntate*, quæ, si fuerit in Patrefamilias in Lege Naturæ ipso jure, sicut & in primogenito erat auctoritas offerendi publica. si vero fuerat in persona particulari, erat verum sacrificium, proveniens ab *spontanea voluntate*, non à sacerdotali auctoritate. unde fit, quod est idem sacerdos ac offerens verum sacrificium: nam Sacerdos est, qui sacrificat *Sacerdotali auctoritate*, quæ in Lege Euangelica reducta est ad potestatem Characteristicam; at, ut quis sit vere & proprie offerens verum & proprium sacrificium privatum, qui privatim protestetur Deum auctorem vitæ & mortis, non est necessaria potestas Characteristica, sed solum virtus Religionis & fidei, quæ perficit naturam humanam, cujus insita est inclinatio hoc sacrificium offerre superiori, à quo ejus vita pendet.

II. Ex sancto Gregorio Magno lib. 4 Moral. cap. 3. ubi agens de remedio quo ante institutionem Baptismi in Lege Naturæ abstergebatur originale, dicit: *quod pro parvulis erat sola fides parentum, pro majoribus virtus sacrificii.* id quod etiam docet Bernardus epistola 77 ad Magistrum Hugonem, aliquantulum à principio, ex quo sic argumentor: hoc sacrificium erat verum & proprium, & hoc abstergebat originale in adultis. ergo in Lege Naturæ quilibet adultus poterat sacrificium privatum offerre; alias, si persona publica deberet illud offerre, pari ratione poterat offerre pro parvulis, illisque applicari sicut applicabatur fides Parentum.

III. Hanc meam sententiam desumpsi ex Augustino lib. 10 de Civitate, cap. 6, in quo Augustinus duplex verum sacrificium distinguit: unum privatum, & alterum publicum in Ecclesia, & sic fatur: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter Beati esse possumus. Vnde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium: etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res divina est, ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellarunt. unde ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est: nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in seipsum facit*

facit corpus etiam nostrum, cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, sacrificium est, ad quod exhortans Apostolus ait ad Rom. 12. obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est, quanto magis anima, &c. Cum igitur vera sacrificia vera sint opera misericordiæ sive in nosmetipsos, sive in proximos, quæ referuntur ad Deum, opera vero misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut à miseria liberamur, profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est, congregatio societasque Sanctorum, universale sacrificium offeratur Dei per Sacerdotem magnum, qui etiam se obtulit pro nobis in passione, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam servi. hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est, in hac Sacerdos, in hac sacrificium est. & infra: *hoc est sacrificium Christianorum. multi enim unum corpus sumus in Christo. quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi eidem monstratur quod in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur.*

Ad hoc elegans Augustini testimonium respondet Leonardus Coqueus in comment. n. 1. quod hic agit Augustinus de sacrificio interno, non de externo; & illud appellat verum sacrificium, non quia contineat formam & essentiam sacrificii proprie dicti, sed dicitur proprie sacrificium, quia vere Deo gratum est, & dignius sacrificio externo. sicut Christus dicitur vitis vera, non quia habeat essentiam & formam vitis, sed quia habet præstantiores & digniores effectus gratiæ, quam vitis naturalis. sed hæc interpretatio prorsus violenta est & extorta. loquitur enim Augustinus de sacrificio non solum interno, sed de externo; tum quia loquitur de misericordia, qua sublevatur proximi miseria, quæ est actio exterior; tum quia loquitur de corporis castigatione 3. & manifeste, quia non loquitur de quocumque opere bono absolute, sed ut sancta societate inhæreamus Deo, scilicet de opere bono ordinato, ut in sancta societate, in beatitudine vivamus mundo morientes, qui actus exterius aliquid respicit quo protestamur Deum auctorem vitæ & mortis. quare omne opus bonum, quatenus homo per illud protestatur Deum esse auctorem vitæ & mortis, est verum & proprium sacrificium privatum. quod expresse dicit Augustinus, distinctum à sacrificio universali, quod obtulit Christus in cruce, & Ecclesia offert in altari; extra quod in lege Euangelica nullum est sacrificium quod offeratur pro tota ipsa congregatione fidelium, sitque universale & publicum, cujus Christus sit primus Sacerdos.

Et quidem quod Augustinus non loquatur solum de vero sacrificio privato, interiori & invisibili, sed etiam de exteriori & visibili, evidenter constat ex capite 19. ejusdem libri 10. ubi quasi sui commentatoris Leonardi videns solutionem, ipsam impugnat sic: *Qui autem putant hæc visibilia sacrificia Diis aliis congruere, illi vero tanquam invisibili invisibilia, & majori majora, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profecto nesciunt hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. quocirca sicut orantes atque laudantes ad Deum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus, ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse novimus, quam illi, cujus in cordibus nostris visibile sacrificium nos ipsi esse debemus.* quid clarius? manifestum igitur est ex Augustino, dari vera sacrificia privata in sanctis; præter sacrificium generale & publicum Eucharisticum, quod nomine totius Ecclesiæ offertur.

Adamantius Origenes homil. 9 in Numeros, sic fatur: *Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei; aut si tradidero corpus meum, ut ardeam, habens charitatem & gloriam martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare Dei, si diligam fratres meos, ut animam ponam pro fratribus meis. si pro justitia, pro veritate usque ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad altare Dei; si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus est & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior: hoc enim modo sacrificium geritur.* Origenem sequuntur Gregorius lib. 9 Moral. cap. 31, & homil. 12 in Ezechiel. Sanctus Thomas 2. 2. q. 186. art. 7. in corpore, concludens *quod Religiosus, dum tribus votis solemnibus profitetur in Religione, offert se Deo in perfectissimum holocaustum, sacrificans totum quod in se habet Deo.*

Deinde rationibus eadem probatur sententia, quarum primam innuit Augustinus cap. 19 citato. quia, licet sit oratio publica à Christo & Apostolis constituta, quæ fit Deo nomine totius communitatis à ministris publicis ad id ab Ecclesia destinatis, tamen quis potest privata autoritate, & spontanea voluntate sensibiliter orare; quæ oratio vera est, & orans est vere & proprie orans. Ergo similiter potest privatim elicere aliquem actum externum circa aliquam materiam honestam, illo protestans Deum esse superiorem, à quo pendet vita & mors, & à quo exposcit adjuvari. Ergo iste actus erit verum & proprium sacrificium privatum, & homo illum faciens erit vere & proprie sacrificans, vel sacrificus qui sacra facit, quamvis non vere & proprie sacerdos, qui juxta latinitatis auctores, & verum Ecclesiæ sensum est ille, qui Deo dicatus est ad publicum sacrificium peragendum. Omnis enim Sacerdos sacrificus est, non tamen omnis sacrificus Sacerdos proprie.

II. Sit quia, licet, ut advertit Cajetanus 3 p. q. 25. art. 3. ex Divo Thoma, & sequuntur expositores ibi, licet, inquam, adoratio publica non posset tendere in imaginem non institutam & propositam auctoritate publica, cum enim imago Christi & Dei non repræsentet naturaliter, sed ex fidelium institutione, nequit publica latria deferri in imaginem Christi, nisi publice ipsum significet sub aliquo attributo aut perfectione ipsius; unde homo, quamvis sit imago Dei & ipsius similitudo, publica latria illi sub hac ratione tribui nequit, quia ob periculum idololatriæ id publice fieri est prohibitum, sicut propter idem prohibuit fonte, septima Synodus congregata contra iconomachos res omnes creatas, quatenus in illis resplendet vestigium Trinitatis. & tamen adoratione externa privata non impedit secluso periculo idololatriæ, quod quis sibi faciat imaginem Dei non approbatam, & ipsam adoret, similiter quod adoret latria imaginem, & vestigium quod in homine, & aliis rebus creatis resplendet Trinitatis, ut dicitur in eadem Synodo. Ergo pari ratione, licet quis in Lege veteri sacrificio instituto à Deo non posset uti, nisi in templo, ut dicitur Levit. 17. ℣. 19. quia hoc erat publicum offerendum à Sacerdote destinato, cæterum alio sacrificio privato vero & proprio uti poterat ad protestandum Deum auctorem vitæ & mortis; similiter in lege Euangelii nullus potest offerre sacrificium universale & publicum, nisi sit Sacerdos ordinatus secundum ordinem Melchisedech, tamen omnis Sanctus potest vere sacrificare sacrificium privatum à se institutum, & ordinatum

tum alicujus rei honestæ proportionatæ, ad protestandum sensibiliter Deum esse auctorem vitæ & mortis.

Dixi *rei honestæ proportionatæ, &c.* non enim omnis res honesta est proportionata ad protestandum Deum auctorem vitæ & mortis, sicut non omnis actus, sive internus, sive externus, virtutis est proportionatus ad adorationem latriæ, ut egregie enodat Suarez 3 p. q.25. disp. 51. sect. 2. a. §. *quæ res aliquis.* non enim actus reddendi debitum conjugale, aut eutrapeliæ, apti sunt ad adorandum Deum: sic non omnis actus externus, sive internus, proportionatus est ad verum & proprium sacrificium privatum, quo significetur Deus auctor vitæ & mortis; quamvis non sit improbabile omnes actus virtutum posse esse materiam tum adorationis, tum sacrificii privati. quod non obscure edocet sanctus Thomas in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. quærela 2. in corp. & ad 3. quando autem in solut. ad I. explicans locum Augustini ex lib. 10 de Civit. supra inductum dicit: *Quod efferre sacrificium est de illis quæ pertinent ad latriam elicitive: & sic cum dicitur omne opus quod Deo conjungimur esse sacrificium, est metaphorice dictum, in quantum Deum placabilem reddit, ad quod sacrificium offertur.* Hæc enim verba sancti Doctoris intelliguntur de actibus virtutum, quatenus ab ipsis virtutibus eliciuntur circa proprias materias: ut sic enim metaphorice sunt sacrificium, sicut metaphorice sunt cultus; non tamen quatenus imperantur à latria, quia ut sic sunt vera & propria sacrificia, sicut & adoratio; quod manifeste constat ex corpore art. ubi dicit, quod latria dicitur generalis virtus, in quantum operatur circa actus omnium virtutum, ita quod omnes cedunt ei pro materia. sicut magnanimitas quæ operatur magna in omnibus virtutibus, ut dicitur 4 Ethic. capite octavo, nihilominus est in se specialis virtus, quia rationem specialem in omnibus attendit, scilicet dignum magno honore; ita latria habet specialem rationem objecti & actus, scilicet, ut exhibeatur aliquid Deo in recognitionem servitutis, sicut feudatarius aliquid reddit domino suo in recognitionem dominii, quamvis tamen latria utatur actibus & objectis aliarum virtutum, tamen ipsa habet proprios actus qui ab alia virtute non eliciuntur, scilicet offerre sacrificia, prostrationes facere. itaque offerre actus aliarum virtutum tam internos, quam externos, à sola latria elicitur, licet possit imperari à charitate, & proponi à fide.

Addo me non videre rationem, cum tam sacrificium, quam adoratio sint actus externi Religionis, teste Divo Thoma 2. 2. q. 84. in procemio illius, cur vera adoratio possit consummari in actu interno, sicut & oratio, non tamen sacrificium. & quidem adorationem posse consummari in actu interno & in spiritu, docet communis sententia contra Vasquez, ut videre est in Suarez ubi supra. & quidem actus aliarum virtutum, cum assumuntur in divinam reverentiam, esse verum & proprium sacrificium exterius, docet sanctus Doctor quæst. 85. articulo ultimo, & ibi Cajetanus. quamvis si loquamur de sacrificio publico largo vocabulo dicitur in benedictione Cerei Paschalis: suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum.

Constat igitur ex dictis, quod proprius *Sacerdos* solum est qui sacrificat, constitutus auctoritate publica, ordinatus ad id ministerium; *sacrificans*, vel *sacrificus*, qui verum offert sacrificium privatum, quamvis aliqui Patres istum sacerdotem appellent, sed largo vocabulo & improprie. ita intelligendus auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 43. dum dicit: *Omnis sanctus est sacerdos.* Ambrosius: *Omnes Ecclesiæ filii sacerdotes sunt: ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo.* Sanctus Leo: *Omnes in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes.* hæc enim Patrum testimonia analogice, & improprie sunt intelligenda.

§. 2. *Martyres vere & proprie sacrificant seipsos (dum occiduntur) in verum & proprium sacrificium, & victimam.*

Negant doctissimus Theophilus Raynaudus p. 5. cap. 3. n. 3. Vasquez tertia p. disp. 83. anno 39. Suarez q. 22. disp. 46. sect. 1. §. dices. Amicus disp. 30. n. 7. Dominus Cajetanus qui jentaculo 3. §. & si objiciatur, ubi sic fatur: *inter Christum & Martyres maxima est in hoc differentia, & pro nunc dicimus triplicem. prima ex parte principii, quia Christus ex publico sacerdotii officio obtulit seipsum; itaque constitutus fuit sacerdos ad offerendum seipsum in sacrificium. quod de nullo alio etiam suspicare fas est, quia nullus fit sacerdos ad offerendum seipsum in sacrificium, sed ad offerendum in lege veteri vitulum aut ovem. & in lege nova corpus & sanguinem Domini. Christus autem Dominus ex hominibus assumptus à Deo Patre, & pro hominibus constitutus est ad offerendum seipsum per mortem propriam in ara crucis, ut patet per Apostoli processum longum ad Hebræos.*

II. *Ex parte oblationis: oblatio siquidem Christi fuit secundum substantiam oblationis voluntaria, hoc est, mortuus est quia ipse voluit, non solum voluntate divina, sed etiam voluntate humana, non solum per modum acceptantis, sed per modum causantis, pro quanto in potestate animæ suæ erat prohibere mortem suam corporalem, quia erat anima glorificata, & noluit fieri hujusmodi prohibitionem. unde singularissime scriptum est, de hoc voluntario Isaiæ 53. oblatus est, quia ipse voluit. & ipse Dominus dicit: nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, Joann. 10. & de sua quoad hoc potestate subdit: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. reliquorum autem sanctorum Martyrum non fuit voluntaria quoad substantiam, quia non erat in eorum potestate mori aut non mori; quamvis in potestate eorum fuerint quandoque circumstantiæ moriendi, puta locus, tempus, modus; non fuit, inquam, voluntaria, nisi per modum acceptantis, pro quanto acceptaverunt mori pro honore Dei, facientes de necessitate virtutem.*

III. *Ex parte rei oblatæ: nam sanguis Christi fuit suapte natura reconciliativus, satisfactivus, &c. pro aliis, immò pro toto mundo, ut dicitur 1 Joannis cap. 2. sanguis vero aliorum Martyrum ipsis solis meritorius est. non est ergo similis ratio de sacrificio mortis Christi, & de sacrificiis mortis aliorum Martyrum. unde manifestum est Christum offerendo seipsum fuisse vere & proprie sacerdotem; sanctos autem Martyres fuisse sacerdotes per quandam similitudinem, ut sacerdos est nomen virtutis.* hactenus Eminentissimum ingenium.

Verum enimvero Vasquez ubi supra Cajetani rationes impugnat. secundam, quia inquit, Martyres non tantum acceptarunt libere mori, sed multi etiam non fugerunt periculum cum possent, sicut Christus illud non fugit cum jam tempus destinatum advenit, & multa Martyres se ultro morti obtulerunt coram Tyranno, à quo illata mors ab ipsis Martyribus, ut à causa morali dimanavit. sed hæc impugnatio non est efficax contra Cajetanum, quia non est dubium, quod aliter fuit mors voluntaria Christo, à quo, ut à causa morali dimanavit, ac fuit voluntaria Martyribus

bus: isti enim in sensu, ut ajunt diviso, & seclusa persecutione Tyranni, non habebant moralem potestatem ponendi vitam, & iterum sumendi. rursus in sensu composito persecutionis, etsi aliqui ultro se obtulerint ob fidei honorem & tutamen, tamen non habebant potestatem infringendi vires tum tortoribus, tum tormentis, tum denique occidendi ipsos, & ultimo se invisibiles & impassibiles faciendi, quæ omnia habuit Christus. unde mors ipsa violenta secundum se, & quoad substantiam, fuit illi omnino voluntaria; Martyribus autem etiam ultro se offerentibus non fuit mors violenta secundum se, & quoad substantiam voluntaria, sed ratione alicujus circumstantiæ, loci, temporis, & modi; quare illis solum fuit voluntaria mortis violentæ acceptatio. hæc autem sufficit ad verum sacrificium.

Tertiam sic impugnat, quia sacrificium non tantum est ad placandum Deum, sed etiam in gratiarum actionem, quale fuit sacrificium Noë transacto diluvio. & quamvis esset de ejus ratione, ut esset ad reconciliandum, non opus esset ut fieret ad reconciliandum alios, sed sufficeret, quod prodesset ipsi offerenti & sacrificanti. sed hic Auctor, etsi acutissimi ingenii, mentem Cajetani non est assecutus: loquitur enim Cardinalis de sacrificio publico oblato, & officio publici ministri electi ad hoc vel à Deo, vel à communitate. hoc autem sacrificium non solum prodest sacerdoti sacrificanti, sed illis pro quibus constituitur in his quæ sunt ad Deum. quare implicat, quod sit sacrificium oblatum ex officio à sacerdote, & quod ex natura sua non prosit, nisi offerenti & sacrificanti. ex quo etiam fit, quod, licet possit esse sacrificium in gratiarum actionem, tamen si fit à ministro publico, potest offerre ad placandum Deum iratum in communitatem, cujus est minister, cum non habet sanguis Martyrum, si non est ad hoc instituta à Deo.

Quare ipse Vasquez, num.40. dicit ideo Martyrum mortem non esse sacrificium, quia non fuit Deo oblata ex cultu religionis ad profitendum Deum auctorem vitæ & mortis, sed tantum ex fortitudine & charitate, ne contra fidem & legem Dei aliquid committerent. at Christus obtulit vitam suam in cultum Religiosum, ut profiteretur Deum omnium auctorem vitæ & mortis, qui ob hominum delicta placandus erat; & sic fuit vere sacrificium, quod est opus non charitatis & fortitudinis, sed Religionis. sed hæc ratio mihi non probatur, quia negari non potest, quod mors Christi sit opus eximiæ charitatis & fortitudinis, & nihilominus fuit etiam opus latriæ & Religionis. Ergo & Martyrum mors, quamvis, ut in superioribus est probatum, sit opus charitatis & fidei, & fortitudinis, non obstabit, quo minus etiam sit opus à Religione in cultum Dei auctoris omnium vitæ & mortis proveniens. quare

Dico I, mors Martyrum à Tyranno violenter illata, non est sacrificium ex officio publico proveniens à Sacerdote, qui sit proprie talis. hanc conclusionem manifesta probant ea, quæ ex Cajetano adduximus: non enim est proprius sacerdos, nisi ex hominibus sit assumptus à Deo, vel institutus tribuenti illi potestatem & ministerium ad sacrificium, quod ipse instituit conficiendum. nullus autem Patrum, nullusque Scripturæ locus est, qui Catholice intellectus dicat, vel insinuet Martyres utriusque sexus esse veros sacerdotes ad seipsos offerendum, dum patiuntur, in verum sacrificium: quamvis enim id Deus possit efficere, cum non sit repugnantia, quod idem sit victima & sacerdos, ut ut cernitur in Christo, possitque Deus facere, quod pura creatura moriens pro genere humano satisfaciat saltem inæqualiter pro peccatis omnium, tunc sanguis hujus creaturæ esset expiativus & placativus per modum sacrificii oblati.

Dico II, mors Martyrum violenta est verum & proprium sacrificium privatum, ab ipsis sanctis Martyribus oblatum, quamvis, ut sæpe in superioribus dixi, isti Martyres non sint vere & proprie sacerdotes. hanc conclusionem priusquam eam ex Patribus faciam, manifestam hac ratione confirmo, quia potest esse verum & proprium sacrificium, quamvis illud offerens non sit vere & proprie sacerdos. ergo, quamvis Martyres in ordine ad offerendam suam mortem in cultum veri Dei Religiosum, non sint veri sacerdotes, nihilominus Deum religione & latria reverentes, tanquam auctores vitæ & mortis omnium, dum suam vitam offerunt, offerunt verum & proprium sacrificium. consequentia est evidens, & antecedens constat ex dictis §.1. ubi eam late probavi & infra amplius probabo. eam expresse docet Vasquez ubi supra, num.40, sic dicens: *adde quod, licet mors Martyrum proprie esset sacrificium, ipsi non dicerentur nec proprie essent sacerdotes, eo quod, ut quis dicatur & sit proprie sacerdos, non sufficit ut efferat Deo sacrificium, quod vere & proprie sit sacrificium; sed etiam in omni lege & tempore requisitum fuit, ut ad hoc munus publica aliqua auctoritate esset constitutus: nam & victimæ à quoque homine propria voluntate oblatæ vere & proprie erant sacrificia, non tamen omnes vere & proprie erant sacerdotes, nisi is qui ad id muneris publica auctoritate erat constitutus. Martyres autem ad id muneris non erant constituti, nisi aliqui ex illis, qui solum ad offerendum incruentum sacrificium altaris ordinati erant sacerdotes novæ Legis.* hactenus ille, qui totam nostram sententiam paucis comprehendit. idem aliis verbis dixit Raynaudus: *Martyres,* (ait) *quantum ex ipsis est, adhibent quidquid est necessarium ad veri sacrificii perfectionem, & cædes eorum vel ex forma's intentione, quam eliciunt & referunt in cultum Dei, vel implicite saltem, vel suapte natura eo refertur.*

Probatur III.ex Scripturæ & sanctorum Patrum doctrina, apud quos hæc habetur propositio; quod Martyres sunt sacrificium, victima, holocaustum, oblatio, & oves occisionis, hostia viva, & similia, ita Origenes hom. 9 in Numeros, cujus pulchra verba supra dedi. sanctus Gregorius Nazianzenus, cujus verba egregia adducit & commentatur egregie sanctus Dorotheus in expositione secunda quorumdam dictorum sancti Gregorii. sanctus Augustinus serm. 44 de Sanctis, sanctus Basilius homil. in 40 Martyres, quos introducit dicentes illud Danielis 3. *fiat sacrificium nostrum coram te Domine, & velut hostiæ viventes tibi placentes nosmet hoc sævo gelu immolantes abs te recipiamur pulchrum quidem sacrificium, pulchra oblatio, pulchrum holocaustum, non quidem per ignem, sed per frigus absumtum.* sequitur Rupertus lib.4 in Genes. cap 27. sanctus Lucifer Calarit. Primas lib. *quod moriendum est pro filio Dei*, cum multis ex Patribus illud Sapient. 3. vers. 6. *quasi holocausti hostiam accepit eos*, intelligit ad literam de Martyribus. & valde ad rem sanctus Hilarius in Psalm. 65. vers. 8. *introibo in domum tuam in holocaustis;* (ait) *per hæc igitur genera pœnarum Martyres in fidei testimonia corpora sua holocausta verterunt, ut in Dei domum, id est, in cœlestis domicilii habitationem consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.* & denique nullus est Patrum, qui alicubi Martyrum cædes sacrificium non dicat, vel holocaustum. dicere autem locutos fuisse improprie, cum alias possit eorum locutio verum & Catho-

Catholicum sensum habere de vero & proprio sacrificio, & holocausto privato non ex officio sacerdotis, non videtur satis consonum rationi, & Patrum ac sacræ Paginæ authoritati & reverentiæ.

Hinc est propriissime locutum fuisse Paulum 2 ad Timoth. 4. vers. 6. dum dicit: *ego enim jam delibor.* Græce *σπένδομαι*, id est, pro libamento offeror, immolor, sanguinem meum quasi libamen Deo profundo, consecro & sacrifico per martyrium. ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & omnes tam Græci, quam Latini Patres, Ambrosius: *Deo immolatur, qui pro ejus justitia patitur.* Divus Thomas ibi lect. 2. *statim ego delibor. sanctorum autem passio dicitur immolatio ad Philipp. 2. vers. 17. sed etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ, id est, si contingat me mori & occidi à Nerone, eo quod vos & alios ad fidem Christi converterim, non tristabor, sed sponte me offeram, & gaudebo de Martyrio meo, quasi de sacrificio Deo oblato, in quo vos sitis victimæ, sanguis meus libamen, & sic integrum sacrificium Deo offeram.* Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Theodoretus; & ex ipsis Cornelius à Lapide, num. 122. unde egregie sanctus Augustinus lib. 10 de civit. cap. 4, agens de sacrificio quod Deo debemus, dicit: *ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus,* &c.

Ratio à priori hujus meæ sententiæ desumitur ex Augustino & Divo Thoma, quod verum & proprium sacrificium est interius, significatum signo sensibili exterius. ita Augustinus lib. 10. cit. cap. 5. sanctus Thomas 3. p. quæst. 22. art. 3. *omne sacrificium visibile* (inquit) *invisibilis sacrificii sacrum signum est. invisibile autem sacrificium est, quo homo Deo suum spiritum offert.* & hinc est, quod verissime dixit Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain, cap. 6. *hoc est enim vere sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam, & à se incipit, ut à se munus suum possit offerre.* & Divus Thomas in Psalm. 49. litera G, dicit: *nihil est aliud sacrificium, nisi protestatio interioris devotionis & fidei, quia per sacrificium recognoscimus Deum Creatorem omnium, id est, auctorem vitæ & mortis, & creationis, & annihilationis*; atqui Martyres, dum occiduntur à Tyranno, protestantur exterius interiorem devotionem & fidem, propter quam se offerunt hostiam Deo viventem, ergo evidens est, quod ipsorum mors est *primitivum*, proprium & verum sacrificium elicitum à virtute Religionis, non quidem ex officio & publicum, sed ex vera latria causatum.

Pro quorum intelligentia notandum quod, licet, ut supra vidimus ex Divo Thoma in 3. sentent. & confirmavit 2. 2. quæst. 81. artic. 1. ad 1. Religio habeat duplicis actus, quosdam proprios & immediatos quos elicit: ut sacrificare, adorare, &c. & hujusmodi alios, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos in divinam reverentiam. inter quos actus hæc est differentia, quod primi immediate eliciuntur à virtute religionis, quæ ex suo objecto formali defert cultum & reverentiam Deo; & actus imperati non eliciuntur immediate à religione ex motivo religionis, sed eliciuntur immediate à virtute imperata ex motivo proprio & specifico ipsius. nihilominus actus iste, verbi gratia, misericordiæ, cum imperetur à religione, habet bonitatem religionis ultra bonitatem misericordiæ. quare, si actus misericordiæ imperetur ab actu latriæ in cultum Dei, propter ejus excellentiam, habet ex vi imperii, ultra bonitatem moralem adorationis. si autem imperetur ab actu religionis, quo defertur cultus Deo quatenus est auctor omnium vitæ & mortis, creationis & annihilationis, qui actus est sacrificare, actus misericordiæ dicitur sacrificium verum & proprium, non quidem ex officio publico, sed quia habet veram & propriam bonitatem sacrificii; & sic actus exterior, prout imperatus, est signum sensibile, & proprium sacrificium exterius significans, sicut supra dicebamus ex communi & certa sententia Divi Thomæ contra Vasquez. Martyrium & est actus externus fortitudinis, ut elicientis; charitatis, ut imperantis; adde etiam & religionis, ex alio motivo imperantis. quare sicut est verus actus charitatis, *quia majorem charitatem nemo habet*, &c. ita est verum sacrificium, quatenus per illum se devovent Martyres Deo, ut principio vitæ & mortis, quatenus illam amittunt & hanc admittunt, suum spiritum Deo offerentes in cultum & reverentiam, ut manifeste constat in Christo, cujus mors fuit actus eximiæ charitatis, fortitudinis, & religionis, cum fuerit verum & proprium sacrificium.

Sed advertendum est, mortem Martyrum illatam à Tyranno, posse ab illis acceptari ex solo religionis imperio actuali, supposita tamen charitate & fide, cui nixus Martyr omnia visibilia contemnit, habitualiter propter Deum summe dilectum, & actualiter ex motivo Religionis, quatenus offert se in sacrificium cruentum, quo protestatur Deum auctorem vitæ & mortis, creationis & annihilationis omnium rerum. & sic martyrium erit actus immediatè elicitus à Religione, tanquam sacrificium privatum verum & proprium.

§. 3. *Martyres verum & proprium offerunt sacrificium laudis.*

Et quidem sacrificium laudis verum esse sacrificium, quod tum privatim, tum publice Deo offertur, docet Divus Thomas ad illud Psalm. 49. *immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua: hic ostendit* (ait) *quid sit illud sacrificium laudis, quod Deus acceptat. Duo requirit Dominus ab homine: primo sacrificium laudis; & dicitur laus sacrificium; quia nihil est aliud sacrificium, nisi protestatio interioris devotionis & fidei, quia per sacrificium recognoscimus Deum Creatorum omnium,* 1 *Paral.* 29. *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accipimus, reddimus tibi. Augustinus libro de doctrina Christiana dicit, quod nullum signum est ita expressum & intentionem cordis significans, sicut verbum; & exterior fides & devotio non potest melius explicari, quam per devotionem laudis. & sic laus est Deo magis accepta, quam occisio animalium. per ipsum offerimus hostiam laudis semper Deo. Oseæ cap. ultimo, reddimus vitulos labiorum nostrorum. secundo Dominus requirit, ut reddat vota Altissimo; & ideo dicit & redde Altissimo vota tua. laus est sacrificium Dei, in quantum est signum interioris devotionis, quia laus significat, quod Deo homo offert mentem suam,* &c. Hæc Angelicus Theologus, quibus edocet laudem vocalem Dei esse verum & proprium sacrificium, quo offerimus Deo corpus & animam, ipsum recognoscentes, ut Creatorum omnium, & sic auctorem vitæ & mortis.

Hoc autem sacrificium laudis Martyres in agonibus suis Deo offerre eleganter explicuit Hieronymus ad illud Psal. 115, *dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. veræ magnæ felicitatis est* (inquit) *ire ad Dominum, & non habere conscientiam coinquinatam. quicumque sanctus moritur sua morte, licet sit sanctus, qui misericordias operatus sit, fecerit signa, Dæmones ejecerit, non vadit ad Dominum securus. horrescit ejus conscientia quando vadit ad Dominum. Martyr tamen, si post Baptismum peccaverit, tamen secundo baptismate martyrii ablutus, securus vadit ad Dominum. dirupisti*

pisti Domine vincula mea. catenis suorum peccatorum unusquisque constringitur, sed in martyrio meo disrupisti vincula peccatorum meorum, & de vinculis plicasti mihi coronam victoriæ, tibi sacrificabo hostiam laudis. post *martyrium ubi sacrificat? in Regione vivorum sacrificabo tibi* (inquit) *sacrificium; quale sacrificium? numquid hircum aut vitulum? illa Iudaica erant & transierunt, sacrificabo tibi hostiam laudis, hæc est laus Martyrum. sicut enim Martyres laudant Dominum pure in regione vivorum, ita Monachi, qui die & nocte psallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi Martyres sunt.* hæc Hieronymus. quibus consonat Catholica Ecclesia dum canit: *Martyrum chorus laudate Dominum de cœlis.* Chorus igitur proprie convenit Martyribus, qui inter cæteros sanctos securè vadunt ad Dominum, qui martyrio vinculis carnis disruptis sacrificant in regione vivorum in cœlesti choro sacrificium laudis, quos imitantur Religiosi qui diu noctuque in choro Domino canunt dulciter Hymnos. quare non erit extra chorum canere, si digrediamur ad tractandum de choro, ejus antiquitate, utilitate & fructibus, id enim enixe petierunt à me viri graves, quibus non obedire piaculum judicavi.

DIGRESSIO IV.

De Choro Ecclesiastico, ejus antiquitate, utilitate, & fructibus.

SECTIO I. *Chori etymon & nomenclatura.*

SI Græcos & Latinos consulamus Nomenclatores, chorus, Græce χόρος, peculiariter dicebatur, *multitudo quæ saltabat in Comœdiis & Tragœdiis inter actus interdum interloquebatur.* Athenæus lib. 8. & Arist. in arte poëtica. aliquando etiam locus destinatus ad choreas agitandas, & cantus chorus dicebatur. Homerus Odyss. θ. sumitur etiam aliquando pro aciebus bellicis. Virgilius 5 Æneidos: *agmina terni deductus solvere choris.* sed sanctus Hieronymus epistola ad Dardanium 129, *chorum* (ait) *instrumentum musicum ex simplici pelle cum duabus cicutis æreis, quod per primam inspiratur, & per secundam sonus emittitur*, ut refert Passaratius verbo chorus, qui juxta Platonem libro secundo de legibus, ἀπὸ χαρᾶς, quod à lætitia deducitur. Festus vero à corona derivat; juxta Virgili 6 Æneid. ubi Servius: *chorus proprie est coævorum cantus atque saltatio, quæ olim fiebat in modum coronæ.* Vnde Etymon & chori nomenclaturam eleganter enucleat sanctus Isidorus libro primo de officiis Ecclesiasticis, cap. 3. *Choros* (inquit) *idem Moyses post transitum rubri maris primum instituit, & utrorumque sexuum distinctis classibus, se ac sororem præcinere Deo in choris carmen triumphale perdocuit. Chorus ab imagine ductus est coronæ & eo ita vocatus. unde Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu coronam fratrum. Corona autem proprie multitudo canentium est; quippe apud Iudæos non minus decem constat canentibus. apud nos autem incerto numero, paucioribus plurimisve sine ullo discrimine, constat.* Sanctum Doctorem pene transcripsere Rabanus Maurus libro primo de Institutione clericorum, capite trigesimo tertio. Amalarius Fortunatus libro tertio de Ecclesiasticis officiis capite tertio. Vnde Augustinus enarrat. in Psalm. 149. *Chorus* (inquit) *est consensio cantantium, aut multitudo canentium.* juxta quod iterum etymologizans sanctus Isidorus libro sexto Orig. capite decimo nono: *Chorus est* (inquit) *multitudo in sacris collectis, & dictus chorus, quod initio in modum coronæ circa aras starent & ita psallerent. Alii chorum dixerunt à concordia, quæ in charitate consistit, quia si charitatem non habeat, respondere convenienter non potest. cum autem unus canit Græce melodia, Latine succinium dicitur; cum vero duo canunt, bicinium appellatur; cum multi, chorus: nam chorea ludicrum cantilenæ, vel saltationes classium sunt.*

Chorus item, ut dixi, pro loco canentium sumitur, continens pro contento, estque separatus ab ea parte templi, in qua assistit populus. & sic in Concilio Toletano 4, capite decimo septimo statuitur, *ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro clericus, extra chorum populus.* in Concilio Turon. 2. capite tertia, *pars illa quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat.* unde notat & bene Gavantus in Rubr. Miss. parte prima, titulo decimo quinto, numero secundo, litera 2. quod chorus dicitur in epistolis sancti Cornelii & Cypriani *Presbyterium.* & Cano. Sacerdotum. de consec. distinctione secunda. & advertit Durandus libro de Ritibus, capite decimo septimo, numero secundo. dicitur etiam *Sanctuarium Altaris*, in Concilio Bracharensi 1, capite trigesimo tertio. *Sancta Sanctorum* in Turon. 2, capite quarto.

Ex quo constat, quod antiquitus chorus non erat in fine Ecclesiæ, ut hodie in multis est consuetudo; ut Sacerdoti celebranti è directo respondeant, sed erat chorus circumcirca altare, & post ipsum immediate colligebantur canentes & respondentes, ut hodie moris est in nostra Clericorum Minorum religione, & aliis; facilius enim inservitur altari, & sacerdos munia sua sine fatigatione nimia exequitur, Diaconus & Subdiaconus item sua, dum intendant choristis & osculum pacis impertiunt; quod autem antiquitus hic mos esset, ex pluribus constat. primo ex Isidoro ubi supra dicente: *dictus chorus, quod initio in modum coronæ circa aras starent, & ita psallerent.* Secundo ex Concilio Turonensi citato, *pars illa quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat.* tertio ex nominibus, quibus chorus nominabatur *Presbyterium*, quod non potest ad sacrarium referri seu altare: nam canone *Sacerdotum* citato, agitur de loco in quo Sacerdotes & reliqui Clerici consistunt, qui non ingrediuntur ad altare seu *Diaconium*, quod solis Presbyteris & Diaconis erat concessum. canone *non oporteat.* 23 distinction. Ex Concilio Laodicensi canone vigesimo primo dicitur *Sanctuarium altaris*, vel *sacrum altare*, quia juxtà altare constructus & destinatus erat solis Clericis locus, ad quem nulli Laicorum patebat aditus. ita in Concilio Quinisexto aut Concilio Constant. pseudo sexto, canone 69. quamvis adulatione seu timore ducti Patres, illius facultatem Chorum ingrediendi Imperatori concesserint. quod male defendit bene factum Theodorus Balsamon, in defensione illius canonis; melius id negavit Ambrosius Theodosio Imperatori, cui assignavit sedile ante Sacrarii cancellos, intra quos erat canentium chorus, ita ut, quemadmodum ait Sozomenus libro septimo Historiarum, capite vigesimo quarto, *Populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes sedis ordine antecederet: nam purpura Imperatores, non Sacerdotes efficit.* quem locum lubens accedit Imperator vere pius, ipsumque laudavit, & lege sua sancivit, & confirmavit. Legantur circa hoc factum Theodoretus libro quinto Historiarum, capite decimo septimo. Calixtus libro duodecimo, capite quadragesimo primo. Paulus Diaconus libro decimo tertio Romanorum rerum.

rerum. Sed de loco chori infra iterum ſectione 31.

Quod confirmo inſigni teſtimonio Euſebii libro decimo Hiſtoriarum, capite quarto, ubi templum à Paulino Tyri Epiſcopo ſtructum deſcribit, dicens: *Altare tanquam Sancta Sanctorum ſitum fuiſſe in medio ſanctuarii. quod autem eo accedi non poſſet à plebi & multitudine, cancellis & ligno fabricatis altare circumdatum, hoc eſt ſanctuarium.* intra quod & altare, & chorus locus orationis publicæ erat. ut enim ait Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum: *Cancelli locum orationis deſignant. quouſque populus extrinſecus accedit, intrinſecus autem ſunt Sancta Sanctorum ſolis Sacerdotibus pervia*; unde Guilielmus Durandus libro primo, capite ſecundo de Eccleſia & ejus partibus, numero decimo quarto, chorum intra Sanctuarium conſtituit, & hoc cancellis diſtinguit à reliquo Eccleſiæ corpore. quare dubio procul chorus, in quo canebatur, antiquitus poſt altare erat, aut ad latus, intra cancellos tamen, intra quos nulli, niſi Clericis aditus patebat.

In choro etiam præter ſedem Epiſcopalem aut Prælatialem extant (ut à temporibus antiquiſſimis erat conſtitutum) diverſa ſedilia aut ſubſellia: ut enim ait ſanctus Clemens Romanus libro ſecundo conſtitutionum, capite quinquageſimo ſeptimo: *in choro ſit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex utroque ejus latere ſedeant Presbyteri, & adſtent Diaconi ſuccincti & expediti ſine multa veſte. ſit autem eorum cura ut Laici in altera parte, id eſt, poſt cancellos ordine, & decore, & quiete ſedeant.* De throno Epiſcopali & ſubſelliis mentionem faciunt ſanctus Athanaſius ad ſolitariam vitam degentes; Sozomenus libro quinto Hiſtor. capite decimo quinto, & Calixtus libro decimo, capite vigeſimo: dicunt enim hi duo, quod Iulianus Apoſtata in delubris & idolorum templis diviſionem fecit juxta ordinem Religionis Chriſtianæ, *ſubſellia & primarios ſuggeſtus* diſtinguens. hæc autem ſubſellia apud noſtrates ſtallo nuncupantur, ut videre eſt apud Barboſam de Canonicis capite decimo quinto, numero quinto, verſiculo, *at vero.*

SECTIO II. *De multiplici ad Deum oratione.*

VT digreſſio noſtra feliciter currat, prælibare libet in hoc capite quotuplex ſit oratio ad Deum: nam aut eſt mentalis, aut vocalis; hæc autem aut publica, aut privata. ſingula enucleemus.

Hieronymus epiſtola 139 ad Cyprianum (id quod adnotavit Caſſiodorus in Pſalmo trigeſimo octavo, & ex ipſo Sanctus Thomas 2.2. quæſt. 83. art. 1.) *oratio* (ait) *apud Grammaticos omnis ſermo loquentium eſt. ejus etymologiam ſic explicant: oratio eſt oris ratio, in Scripturis autem ſanctis difficile orationem juxta hunc ſenſum legimus, ſed quæ ad preces & obſecrationes pertinet.* hæc ibi. unde oratio, quæ eſt religionis actus, & ipſe actus orandi & obſervandi, quatenus reſpicit cultum Deo debitum ſub unius ratione, eſt religionis exercitium; quod dupliciter à Sanctis definitur juxta Baſſeum in Viridario, verbo, Orato, capite primo. Auguſtinus ſermone 230 de temp. & libro de ſpiritu & litt. cap. 50. Damaſcenus libro tertio de fide, capite vigeſimo quarto. Divus Thomas ubi ſupra: *oratio eſt aſcenſio, vel converſio mentis in Deum.* quæ deſcriptio, inquit Suarez libro primo de oratione capite primo, numero ſexto, propria videtur orationis mentalis. atque ita ſumitur frequenter apud Sanctos Patres, quoties ſcribunt de oratione mentali, & ut notat optime Clitoveus ad præfatum locum Damaſceni, hæc converſio in Deum, ut ſit proprie oratio, non intelligitur quicumque mentis actus circa Deum, aliàs ſpes & fides eſſet oratio; ſed intelligitur converſio in Deum, quæ ſpecialiter fit in honorem, cultum & laudationem Dei, & in ejus obſequium propter excellentiam ſuam infinitam. hæc autem mentis aſcenſio propius accedit ad contemplationem divinorum, & meditationem beneficiorum atque propriorum defectuum; ſecundo definitur oratio à Baſilio ſermone in Martyrem Iulittam; Damaſceno, ubi ſupra; Divo Thoma articulo tertio; Auguſtino libro de verbis Domini, ſermone quinto, quod eſt *petitio decentium à Deo.* quæ definitio, ut ait Navarrus tractatu de oratione, numero decimo nono, veriſſime eſſentiam orationis declarat. & in hoc ſenſu eam uſurpat Divus Thomas quæſtione illa 83. quam diſtinguit à devotione, contemplatione & meditatione, ut legenti conſtabit. in hoc ſenſu ad Theologum Scholaſticum pertinet tractare de oratione; in hoc etiam ſenſu orat Eccleſia edocta à Chriſto Domino, qui nos docuit orare & dicere: *Pater noſter qui es in cælis* in qua nihil aliud invenitur, niſi petitio, & de qua dixit Auguſtinus ſermone 116. *ô vere cæleſtis oratio, quæ tota eſt oratio!* quia videlicet cum oratio ſit petitio, tota iſta oratio petitio eſt decentium à Deo, & ſic egregie dixit epiſtola 121, capite duodecimo ad Probam: *ſi recte & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, quam quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt.* & ſic Divus Thomas de oratione ſicut eſt petitio tractat, non prout eſt elevatio, aut converſio mentis in Deum. ſub hoc enim conceptu ad Theologum myſticum attinet de ea tractare, ut videre eſt in Ricardo de ſancto Vict. libro de contemplatione, in Thoma à Ieſu tractat. elegantiſſ. de oratione infuſa Rusbroquio, Ioanne Taulero, & aliis. & eleganter Ioannes Gerſon libro de Myſtica Theologia, alphabeto ſexageſimo ſexto, litera O, cujus verba infra adducam.

Inter orationem autem utramque duplici definitione deſcriptam, eſt advertendum & notandum diſcrimen, quod oratio, quatenus coincidit cum contemplatione & meditatione, ſemper ſiſtit in mente ibique conſummatur: implicat enim quod contemplatio aut meditatio fiat ſignis externis, ſed actibus internis dumtaxat perficitur, quod egregie edocuit Auguſtinus libro de ſpiritu & litera, capite trigeſimo ſecundo, dicens: *anima noſtra cum vult intelligere divina, vel Deum, vel ſeipſam, ſuaſque conſiderare virtutes, abſtrahit ſe ab omnibus corporis ſenſibus, quibus non adjuvatur, niſi ad corporeas formas colereſque ſentiendos, & ſpiritu ac ratione ſe conſpicit, meditatione atque contemplatione ad Deum aſcendit. meditatio ſiquidem eſt occultæ veritatis ſtudioſa inveſtigatio, contemplatio perſpicuæ veritatis fecunda admiratio, illam namque illuminat divina revelatio, iſtam vero divina inſpiratio inflammat, ut eam diligat.* hactenus ibi. eandem doctrinam clarius enucleat Ricardus Victorinus libro primo de contemplatione, parte prima, capite quarto, diſtinguens inter contemplationem, meditationem, & cogitationem, & poſt multa concludit: *ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio; intelligentia obtinet ſupremum locum, imaginatio infimum, ratio medium, quare hæc omnia ad internas vires pertinent.* unde Baſilius in Apologia ad Cæſarinos, quæ eſt epiſtola 112. regnum cœlorum, de quo Chriſtus Luc. 17, verſ. vigeſimo primo, dicit, *quod intra nos eſt*, dicit eſſe contemplationem. *circa vero* (inquit) *internum hominem nihil aliud, quam contemplatio conſiſtit, relinquitur ergo contemplationem eſſe regnum cælorum.* hæc ibi. contemplatio enim, & meditatio

ditatio ad interiora pertinent, neque exterioribus perfici possunt.

Cæterum oratio non sic, quia aliquando vocibus perficitur externis, & si sit publica vel à ministro Ecclesiæ fiat necessario: si tamen sit privata, non est necesse quod sit vocalis, ut egregie Divus Thomas ubi supra articulo duodecimo, aliquando interiori locutione perficitur, qua loquimur interius Deo, aliquid ab eo petentes sine vocibus externis. sic intelligo Ambrosium libro sexto de Sacramentis, capite quarto, dicentem: *qui in silentio orat, fidem defert & confitetur, quod Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem suam ante ille audiat, quam tuo ore fundatur*; & Hieronymum ad caput sextum Matthæi explicantem illas verba, *ora Patrem tuum in abscondito. mihi videtur* (inquit) *hoc magis esse præceptum, ut inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum.* & S. Gregorius libro vigesimo secundo Moralium, capite decimo octavo: *vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus.* quod intelligendum est cum Divo Thoma quando voces distrahunt mentem à devotione, vel qualitercumque impeditur, quod contingit in his, quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata.

Quod ut clarius percipiatur, notandum ex eodem sancto Doctore, quæstione octagesima secunda. *devotionem* esse primum actum internum Religionis, à quo veluti à radice cæteri dimanant: est enim devotio voluntas, qua quis sponte se tradit ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. unde Exodi trigesimo quinto dicitur, *quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino.* quamvis tamen devotio sit radix omnium actuum religionis, quæ respicit cultum & famulatum Deo debitum propter suam excellentiam, tamen hanc eandem radicem irrigant & crescere faciunt alii religionis actus, ut sunt contemplatio & meditatio, ut asserit idem sanctus Doctor articulo tertio ejusdem quæst. 82. quatenus cognoscit, vel contemplando divina, suam inferioritatem; vel meditando proprios defectus, excludit præsumptionem suæ propriæ virtutis, per quam impeditur, ne Deo se subjiciat; & similiter per orationem, quæ est petitio à superiore, à quo pendet in consecutione illius quod petitur, & sic oratio, sicut contemplatio, devotionem auget, etsi ab illa originetur. unde fit quod orationi, quatenus *petitio est dicentium à Deo*, per se est vox adjungenda, quamvis per accidens vox omittatur, quando scilicet impeditur devotio, vel mens aliqualiter distrahitur; quod vero per se sit adjungenda vox orationi, quatenus est petitio in hominibus, probatur ex redditione debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore, quod præcipue competit orationi secundum quod est satisfactoria. unde dicitur Oseæ ult. *omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* oratio autem per se est satisfactoria; & sic per se est illi adjungenda vox, quamvis per accidens omitti possit, ut dicebam ex Divo Thoma, sed de hoc puncto alibi plura.

Quam doctrinam uti verissimam trado contra quosdam, qui nimium orationem mentalem affectantes præ orandi forma oratione vocali (quam Dominus nos edocuit & præcepit esse in Ecclesia, non vero præcepit esse orationem mentalem & contemplationem) à Davide frequentata, ab omnibus approbata & commendata; putant solam mentis orationem tacite expletam magis Deo placere; & sic se abstinent fere ab omni vocali oratione, tanquam à re vel omnino inutili, vel saltem fœminis tantum ac rudibus apta. *David vir sane fuit egregius, summoque præditus ingenio* (verba sunt Anacleti Sicci de Ecclesiast. Hymnodia libro primo, capite octavo circa medium) *contemplationisque divinorum apprime gnarus, tacitæque meditationi ita familiaris, ut potuerit libere testari se huic generi meditationes aliquas noctis horas frequenter tribuisse, & in divinorum operum, tum præteritorum, tum futurorum meditatione, & in sui ipsius cognitione ac discussione se exercuisse; hic tamen tantus vir frequentiores suas preces alta, clara, ac sonora voce voluit explere, quam sola cordis tacita. Psalmo septuagesimo sexto: voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum, & intendit mihi.* & infra: *vocales istas orationes non solum adhibuerunt Sancti omnes, tum in veteri, tum in novo Testamento, sed ipse Sanctus Sanctorum Servator noster Christus Iesus ad nostram informationem.* & infra: *extra omnem dubitationem scimus, quod ipse existens in cruce, extremas ad Patrem direxit vocales orationes ex Davidis Psalmis deprompta: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Psalmo vigesimo primo. In manus tuas commendo spiritum meum, Psalmo trigesimo. non sunt itaque spernendæ vocales orationes, neque dicendæ aut vanæ, aut ineptæ. Licet enim sint minime necessariæ voces oris, ut Deo innotescant cordis affectus, sunt tamen effectus ipsorum qui in animo nostro resident, affectuum; neque affectus istos illi aut impediunt, aut minuunt, sed adjuvant perficiuntque. ad hanc rem faciunt oportune, quæ luculenter scripsit D. Augustinus tractatu* 104 *in Ioannem, dum expenderet eam orationem alta & clara voce expletam, quam Dominus noster coram discipulis prolixe fudit ad Patrem in cœnaculo: Pater venit hora, clarifica Filium tuum. poterat Dominus noster* (ait Augustinus) *orare silentio, sed ita se Patri voluit exhibere precatorem, ut meminisset se esse nostrum Doctorem. proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam facit & nobis, quoniam tanti Magistri non solum sermocinatio, sed etiam oratio discipulorum est ædificatio.* hactenus vir doctus.

Ex quibus manifeste constat, primum quod oratio vocalis non solum publica, (de qua infra) sed particularis, cum sit actus humanus perfectus, constans ex actu orationis mentalis, & actu externo orationis vocalis, perfectior est, quam actus orationis mentalis, qui in animo inclusus & reconditus manet: etsi enim actus exterior non addat novam bonitatem, aut malitiam interiori, ut est constantior Theologorum opinio cum Sancto Thoma; tamen ex actu exteriori majorem perfectionem intensivam, & extensivam actus interioris venamur; & sic actus exterior etiam apud Deum est speciali præmio accidentali, aut pœna dignus: signa enim vocalia in oratione ex sua institutione provocant tam loquentes, quam audientes ad devotionem internam, ad cultum & Dei obsequium. quare per accidens est, quod divertant aut distrahant mentem à devotione, sicut voces inhonestæ ex sua primaria significatione provocant ad malum, unde ab illis debemus abstinere, quamvis per accidens aliquis sit ita temperatus passionibus, ut nil illum immutent.

Secundum, male quosdam hujus temporis orationis mentalizantes dixisse ad salutem esse necessariam orationem mentalem tanquam medium, ita ut salvari nequeat, qui quotidie aliquod temporis spatium orationi mentali non vacet. quæ propositio ad me delata à Sancti officii tribunali Hispalensi anno millesimo sexcentensimo quadragesimo septimo; & quamvis in Villalpando fuerit censura adusta, ego similiter censura temeritatis ex officio iussi, quam adhibet Pater Suarez libro secundo de oratione mentali, capite

pite quarto, à numero tertio, aliquibus qui dicebant & docebant non esse in statu gratiæ qui saltem per horam in die non vacant orationi mentali, saltim quoad meditationem recognitionis circa salutem animæ suæ, ut ipsi loquebantur qui non imponunt hoc præceptum propter solam petitionem, sed specialiter propter meditationem & recognitionem de agendis & de vitandis peccatis, vel occasionibus eorum, & de his quæ ad Dei timorem & amorem moveant. Contra quos sic insurgit doctissimus vir: *Seclusis peculiaribus occasionibus & obligationibus, de quibus numero quarto, nullum invenitur præceptum divini seu naturalis juris obligans per se ad mentaliter orandum, meditandum seu recogitandum. quod ita censeo certum, ut contrarium sine temeritate doceri non possit, quia est contra communem usum & sensum totius Ecclesiæ: nam ordinariæ fideles non solent hujusmodi orationi vacare. & nihilominus non timent peccatum, neque transgressionem præcepti alicujus in ea omissione, nec de hac re in confessione se accusant, neque à confessoribus doctis & piis interrogantur aut reprehenduntur, vel à Prælatis & Confessoribus prudentibus ob talem culpam.* Ergo signum non esse in Ecclesia tale præceptum, neque ante sectam horum mentalizantium (quæ non multum distat ab hæresi, quæ viguit in Hispania non multis ab hinc annis, *de los alumbrados*) aliquis antiquorum Patrum & Theologorum etiam mysticorum tale præceptum invexit, agnovit, intimavit fidelium cætui.

Caveant ergo Confessores & Patres spirituales, ne faciles sint omni personarum generi meditationem & contemplationem persuadere, quia non omnes capiunt verbum istud: feminæ enim matrimonio viris suis junctæ, cum sexus illarum facilis sit, ut forsan delectationibus sensibilibus, quibus gaudent, in oratione illusæ obligationum suarum tum respectu mariti & filiorum, quorum generationi resistunt cum magno suarum animarum detrimento, tum respectu directionis œconomicæ, obliviscuntur. agnovi feminam valde nobilem, quæ, persuasa à Patre suo spirituali, ut rationi mentali vacaret, omni conatu debitum matrimoniale marito suo denegabat, persuasa non compati cum mentali oratione. quare judico feminas, nisi specialiter sint divinitus inspiratæ, ad mentalem orationem inducendas non esse, nisi ad rectam domus gubernationem, legem Dei servandam cum omni timore & tremore, ad orationem vocalem cum attentione & reverentia admissæ & prædicationum auditum, & similia. hoc enim volebat Paulus ad Titum capite secundo, versu quinto: *Vt prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.* & Tobiæ 10. vs. 8. dicitur, quod Raguel & Sara monuerunt filiam suam *honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Sed de hoc latius alibi.

Verum est quod Religiosi, etsi respectu illorum non sit præceptum divinum orationis mentalis aut meditationis, majori vinculo adstricti sunt ad illam, ratione sui status, qui est charitatis perfectio & fervor, ac spiritualis suavitas & promptitudo in omnibus bonis operibus, & præsertim in his, quæ ad divinum cultum & pietatem pertinent. ita Suarez numero octavo. unde Dominus Cajetanus 2. 2. quæstione 82. articulo tertio §. *in articulo tertio*, versicul. *ex hujusmodi.* egregie loquitur dicens: *Ex hujusmodi namque meditationibus, quæ quotidianæ debent esse Religiosis & Spiritualibus personis, omisso voluntario vocalium orationum multiloquio, devotio aliæque consequenter gignuntur virtutes nec Religiosi aut Religiosæ seu Spirituales etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad hujusmodi se non transfert. quomodo namque effectus sine causa, finis absque medio, insularis portus absque navigatione haberi nequit, sic nec religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum mediorum ac vehiculorum.* hactenus ibi. quibus verbis non vult Cardinalis, ut falso illi imponit Navarrus in Enchiridio de orat. capite vigesimo, numero 61, imponere præceptum Religiosis vacandi meditationibus: hoc enim nec in mentem venit, sed solum exaggeratione edixit moralem necessitatem quam habent Religiosi vacandi meditationibus, ad eundem modum quo sanctus Bonaventura opusc. de perfectione vitæ capite quinto dixit, *Quod Religiosus non frequentans orationem mentalem, non solum est miser & inutilis, quinimo animam fert coram Deo mortuam in vivo corpore.* quod per exaggerationem dictum esse nullus Catholicus negabit. *mortuam animam* dicit *sine oratione*, quia non habet spiritum orationis & meditationis, quo spiritualiter vivificatur, & ejus fervore incenditur. Legatur in libro septimo de Processu Religionis, capite undecimo, & sanctus Benedictus in Regula, capite 52. & Turrecremata tractatu 118. in Regulam, & Cassianus Collatione nona, capite 35 & 36.

Ex quo constat, quam sancte nostra Clericorum Minorum Religio sit instituta, & fundata in oratione & meditatione, ut *homines orationis videamur & simus*: habemus enim orationem mentalem circularem, & singulis horis quibus Sol est supra horizontem, unus è nostris incipiens à primo usque ad ultimum, per spatium unius horæ stet coram Domino in choro meditando: quæ orandi forma ita placuit Regi Philippo II, dum nostrum legeret institutum, ut, dum unum ex Mundi mirabilibus religiose fundaret, domum scilicet & Cœnobium, vulgo dictum *del Scurial*, in quo divina officia admirabili cultu celebrantur cantu & aliis cæremoniis Ecclesiasticis, videretur, & jure quidem summo, orbis Monarchiæ non esse opus perfectū, nisi circulo orationis condecoraretur. quare orationem circularem peculiari decreto inibi instituit, cui summa spiritus jucunditate Patres illi suum Parentem Hieronymum imitantes, vacant.

Habemus præterea præter hunc orationis circulum quem communitas in singulis complet, orationem communem mane post matutinum; & vespere juxta temporum stationes, vel post completorium in hyeme, vel ante vesperas in vere, sapienter prohibens, ne, dum mentali orationi assistant Religiosi, aliquis eorum orationes vocales fundat, tum ut cessantium à vocibus externis liberior sit mens ad recogitandum attentius, & intensiorem affectum devotionis eliciendum; & dum corpus à sensibus revocatur, quodammodo supra se elevatur, & clarius illuminata divina luce & inspirationibus divinis accensa, facilius Deo unitur, fortior evadit ad vincendas tentationes, & peccatorum pericula attentius fugienda, & omnium virtutum exercitia consequenda. ut enim Chrysostomus in Psalmo septimo egregie dixit: *Deo magnæ curæ est, ut in virtute crescamus. nihil autem æque facit in virtute crescere, atque cum Deo versari, & colloqui & psallere.* & libro primo de modo orandi Deum: *Ex quo consequitur* (inquit) *animæ vitam esse Dei cultum ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac eius Thesaurum animis nostris recondit.* quibus verbis ad vitam piam, & Dei cultu dignam utrumque conjunxit & Hymnodiam, & orationem, & meditationem, è circa utrumque nostra exerceatur Religio. hæc de duobus primis oratio-

orationibus, vocali & mentali, si quis circa hoc vult spatiari, legat Suarez libro secundo de oratione, Alvarez de Paz tribus tomis de hac materia, & Ludovicum à Ponte duobus tomis in Cantica, ubi egregie discurrit ut mysticus.

Sed vocalis oratio subdividitur in publicam & privatam, & de utraque sanctus Doctor quæst. 83 citata, articulo duodecimo, quem sequuntur omnes Catholici, & de utraque sic loquitur: *Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur, & ideo oportet quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo offertur. quod non posset fieri, nisi esset vocalis, & ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiæ etiam alta voce pronuncient, ut ad notitiam omnium possit pervenire. oratio verò singularis est, quæ offertur à singulari persona cujuscumque, sive pro se, sive pro aliis orantis. & de hujusmodi orationis necessitate non est quod sit vocalis; adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione.*

Cæterum hæc singularis oratio, si fiat à beneficiato aut ordinato in sacris, dum privatim recitat divinum officium, etiam necessario debet esse vocalis, etsi non voce alta, debet tamen esse vox sensibilis, quod saltem etsi confuse orans se audiat, quia Ecclesia illi præcipit orare, non tamen præcipit orare & recitare officium mentaliter & intelligibiliter, sed vocaliter & sensibiliter, si tamen non fiat ab habente beneficium aut ordinem sacrum, hæc singularis oratio non de necessitate est sensibilis, sed potest esse interior. *Ex quo patet* (inquit) *quod errant, qui numerum tot vocalium orationum propriarum explendum proponunt quotidie meditationibus, & mentalibus orationibus. relinquunt namque finem propter ea, quæ sunt ad finem.* quæ verba ego intelligo juxta dicta in superioribus, nisi quis fecerit votum recitandi illum numerum orationum vocalium: tunc enim non satisfaceret, si diceret mentaliter. unde clare constat, quod petitio, seu oratio vocalis imperata à mentali, perfectior est quam mentalis solum, ut supra dicebamus contra Suarez; alias, si esset perfectior mentalis, satisfaceret mentaliter orando.

SECTIO III. *Antiquorum hæreticorum circa chorum & cantum deliria.*

NOn est animus hæreses referre quæ circa orationem extitere, quæ etiam comprehendunt vocalem & alta voce factam, quas refert & impugnat Divus Thomas quæst. 83 citata, articulo tertio. Solum adducam eas quæ circa chorum, quarum prima fuit quam refert Augustinus libro undecimo Retract. capite undecimo, in quam ducit Hilarium quemdam circa annum Christi 360, quem alias fuisse Catholicum testatur sanctus Doctor. hic Hilarius, sive Arrianus fuerit, sive Catholicus (Arriani enim non laudes Dei improbabant, sed laudes Christi, ut Dei, cum ipsi illum creaturam prædicarent) chorum & laudes in Ecclesia simpliciter damnabat, secutus Paulum Samosetanum circa annum 280, ut refert Eusebius libro septimo Historiarum capite vigesimo sexto. de quo & ejus sectatoribus videtur locutus Basilius epist. 63 ad Clerum Neocæsar. dum dicit: *Ad id vero, quod propter psalmodias accusamur, quæ re potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt, hoc habeo quod dicam, quod videlicet, qui jam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei, concordes sunt & consoni.* (notent qui dicunt, chorus ad ineptos) *de nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit, inque labore & tribulatione, ac lacrymis indesinentibus confessione tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur.* Hactenus Basilius, in cujus tempore hæc pestilens oblocutio contra psallentes in Ecclesia serpebat.

Quam etiam disseminarunt Donatistæ, teste Hieronymo epistola vigesima prima de celebritate Paschæ circa finem, & habetur hodie tomo nono, & alias erat tomus quartus sancti Doctoris, ubi sic ait: *De Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini Apostolorumque habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam utili ad movendum pie animum & accendendum divinæ lectionis affectum, varia consuetudo est, & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt, ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie canimus in Ecclesia divina Cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad Canticum Psalmorum humano ingenio compositorum quasi ad tubas exhortationis inflamment. quando autem non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius à congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius omnino non video.* hactenus Hieron. ubi vides Donatistas impugnasse sobriam in Ecclesia psallentium societatem. quod de ipsis etiam refert Augustinus epist. 119, capite decimo octavo, vides, *quod hoc choro psallentium in unum nihil est utilius, nihil sanctius.* habes etiam quod *disputatio & studium non impedit chorum*, sed utrumque pro temporis partibus exerceri valet, ut infra sectio quarta & quinta demonstrabo.

Horum hæreticorum placitum secuti sunt & suscitarunt Waldenses, qui blaterantes dicunt, frustra in Ecclesia Dei tempus conteri in choro, in Canticis, & Psalmis clara voce decantando. hos hæreticos imitatur Ioannes Wicleph, qui, ut ait Castro de hæresibus, verbo *Cantus*, *adeo cantibus Ecclesiæ detraxit, ut cantantes in Ecclesia vocaverit Sacerdotes Baal, quibus cum clamore orantibus Helias Propheta dixit, clamate voce majore: Deus enim vester forsitan cum alio loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Quapropter hæreticus iste eos qui in Ecclesia canunt dicit esse Sacerdotes Baal, quoniam sic clamant, ac si Deus dormiens eos non audiret, & eorum vocibus esset excitandus. hos impios dogmatizantes adversus chori, & Cantus Ecclesiastici dignitatem, imitati sunt Petro-Brusiani circa annum 1114, teste Petro Cluniacensi epistola prima, dicentes, *Canticis illis, quæ monachi & sacerdotes in templis personant, Deum irritari.* Taboritæ etiam idem sentiebant, ut refert Æneas Sylvius Historiæ Bohemicæ capite 35, anno 1430. Bullingerus anno 1550, de authoritate Scripturæ libro 2, *præclara Ecclesiæ lumina* (ait) *cantum in templis non habuerunt.* idem circa annum 1560 senserunt Magdeburgenses Centuria 6. capite decimo, sentientes *Pelagium Papam fuisse primum chori institutorem.* cap. Eleutherius 91 dist.

Contra horum hæreticorum choream Ecclesiasticam insurgit, statuens tanquam de fide licitum, sanctum, pium & laudabile esse clara voce psallere & oratione publica petere à Deo, & gratias agere, benedicere, & laudare. quam veritatem erudite probat Castro ubi supra, quem latissime imitatur Suarez tomo 2 de Religione, libro secundo, de Horis Canonicis, & ego in sequentibus plura dicam in ejus confirmationem. Quare hic solum adnotabo unum, vel alterum locum sacræ Scripturæ, aliqua Patrum testimonia præter ea quæ adduximus Basilii & Hieronymi. & quidem, quod orare voce alta sanctum sit & laudabile, constat exemplo Christi Ioan. 11.

vers. 41,

verſ.41, dum Lazarum reſuſcitaturus elevatis ſurſum oculis dixit: *Pater gratias ago, quoniam exaudiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi: ut credant, quia tu me miſiſti. hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras.* ecce ubi Chriſtus cum ſine voce poſſet audiri, & ſuſcitare mortuum, uſus eſt alta voce propter populum circumſtantem. ergo propter populi excitandam devotionem & cultum, poſſunt Miniſtri Eccleſiæ alta voce orare, cujus exemplum tanquam pro legato in teſtamento ſuo nobis reliquit Chriſtus Matthæi 27. verſ. 30, *circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Sed adferamus Apoſtolum, qui ad Hebr. cap. 5. verſ. 9. loquens de Chriſto: *qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad illum, qui poſſet eum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lackrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* certe nihil clarius contra hæreticos negantes orationem vocalem & pſalmodiam.

Sed audiamus iterum Apoſtolum ad Epheſios 5. verſ. 18. excitantem ad laudandum in choro Deum: *implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris, Domino gratias agentes ſemper pro omnibus.* circa quæ verba, quæ clariſſime intentum probant, notandum, quod *cantica ſpiritualia* dicit, quia ſunt de materia ſpirituali, non profana: dicit etiam *in cordibus*, quia cantus ut fructuoſus ſit ab interiori devotione oriri debet: dicit *vobiſmetipſis*, ut ait Haymo, id eſt, *invicem* ſive *alternatim.* & ſic Hieronymus ibi dicit: *audiant quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo in voce, ſed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica, ſed in timore, & in opere, & in ſcientia Scripturarum.* Legatur Cornelius à Lapide ubi à numero 195. qui hunc locum egregie ad intentum explicat.

Sed ſanctorum Patrum inſignia accedant teſtimonia: ſanctus Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierar. capite tertio: *porro pſalmorum facta ſancta modulatio, quæ omnibus fere ſacerdotalibus myſteriis jungitur.* ſimilia habet epiſtola 8 ad Demophilum, ubi de Carpo dicit: *quod circa mediam noctem ſurgebat ad Hymnodiam.* ſanctus Iuſtinus libro de vita Chriſtiana, & quæſt. 107 ad gentes: *in Eccleſiis non uſus carminum per ejus generis inſtrumenta. & alia incipientibus congruentia receptus eſt, ſed ſimplex cantio in eis manet; excitat hæc enim cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, deſiderium, affectiones & concupiſcentias carnis ſedat, mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat, pietatis decertatores generoſos & fortes per conſtantiam in rebus adverſis efficit, omnium rerum quæ in vita triſtes & luctuoſæ accidunt piis adfert medicinam.* & infra: *verbum namque Dei eſt, & id quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine celebratur, Dæmones fugat atque depellit, & in rebus denique omnibus, quæ piis eveniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Eccleſiaſtica perficitur:* hæc ibi. quibus nihil illuſtrius contra hæreticos & alios in chorum blaterantes.

Accedat Tertullianus in Apologetico, cap. 2. ex Plinio libro ſeptimo epiſtol. 97 ad Trajanum refert, quod de Chriſtianis, *præter obſtinationem non ſacrificandi nil aliud de ſacris eorum comperiſſet, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam.* & cap. 39, *coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt; oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* & de antelucanis cœtibus mentionem facit libro de corona militis cap. 3. unde Hippolytus Martyr oratione de conſummat. mundi: *inter tribulationes, quæ evenient tempore Antichriſti, una eſt, quod Pſalmorum decantatio ceſſabit.*

Athanaſius egregie id comprobat in tractatu de interpretatione Pſalmorum, dicens: *ut enim animi cogitata verbis prodimus & ſignificamus, ita ſpiritualis in anima conceptus ſignum eſſe volens Dominus melodiam verborum, Pſalmos ut modulis canerentur, inſtituit, & cum hujuſmodi harmonia recitari voluit, ut inde concinnitas animi ſi recte diſpoſitus & affectus ſit, agnoſcatur, ſicut ſcriptum eſt: ſiquis eſt in mœrore pſallat.* & infra: *qui ſecundum dictam rationem concinunt, ut melodia verborum ex numeris vocum cum ſpiritus harmonia congruat, iſti pſallunt & lingua & mente, nec ſeipſos ſolum, verum etiam alios, qui audire volunt, magnifice adjuvant. Certe Beatus David Sauli concinens non ſolum ipſi placuit Deo, ſed & turbidum inſaniæ vitium à Saule propulſabat, & ſerenitatem ejus animo induxit: ita quoque modulantes ſancti ad tranquillitatem animas populorum, & ad concordiam cœleſtium tripudiorum cohortabantur.*

Hilarius in Pſalmo ſexageſimo quinto: *audiat orantis populi conſiſtens quis extra Eccleſiam vocem, expectet celebres Hymnorum ſonitus, ſciat hoc Deo placitum eſſe, hoc ſpei noſtræ teſtimonium, publicas victriceſque exultationis noſtræ voces perſonare, quarum Propheta non negligens eſt alio loco memorans: circuivi & immolavi in Tabernaculo ejus hoſtiam jubilationis. & ne inanem hujus jubilationis doctrinam atque obſervantiam crederemus, alibi proteſtatur, beatus populus, qui ſcit jubilationem.*

Sedulius etiam ſedulo hanc veritatem docuit, in expoſitione cap. 1 epiſtolæ ad Romanos: *dicendum eſt eum ſemper orare & non deficere, qui Canonicis orationibus quotidie juxta ritum Eccleſiaſt tradit pſalmodiis, precibuſque conſuetis Dominum laudare, & rogare non deſiſtit, & hoc quod Pſalmiſta dicebat: Benedicam Dominum, in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Sanctus Epiphanius in compendiaria doctrina: *Hymni matutini in ipſa ſancta Eccleſia perpetui fiunt, & orationes matutinæ, ſimulque Pſalmi ad lucernam decantati ac precationes.*

Palladius in Hiſtoria Sanctorum capite decimo ſeptimo: *circa horam nonam licet ſtare & audire in unoquoque monaſterio Hymnos & Pſalmos Chriſto canentes, & preces & Hymnos emittentes, adeo ut exiſtimes quiſpiam ſe in ſublime elatum tranſmigraſſe in Paradiſum deliciarum.* in hujus confirmationem plura dicit Caſſianus libro ſecundo Inſtitutionum cap. 2 & cap. 4. & libro tertio, capite quarto, & in collatio. Patrum paſſim.

Plura alia teſtimonia Patrum induci poſſent, ſed quia hic contra hæreticos ago, Patres quatuor priorum ſeculorum ſolum adduxi, qui ex Apoſtolis didicerunt. Paulus enim, & Silas catenis vincti in carcere media nocte laudabant Deum; vel ex verbo Græco quod eleganter poſuit Lucas Actor. 16. verſ. 25. hymnizabant, hymnos dicebant. Hinc ſanctus Hieronymus ſcribens ad Euſtochium dicebat: *eſto cicada noctium.* noctu enim canit cicada de cantu & cantus qualitate infra ſectio. 22. plura Patrum adducam teſtimonia.

Rationes hujus veritatis à Patribus traduntur, & in ſuperioribus tetigimus, tangemuſque in ſequentibus. I. Ex Dionyſio ubi ſupra, quia, ſicut Deum colimus, unum ſacrificium offerimus nomine totius Eccleſiæ, ita etiam cum ſimus unius capitis Chriſti

membra, in uno corpore mystico debemus ipsum laudare, & orare nomine etiam totius Ecclesiæ, cujus nomine effusa oratio gratior est, & acceptabilior Deo. II ex Athanasio, ut concinnitas animæ conformis sit concinnitati vocum. III. Ad audientium ædificationem & devotionis augmentum. IV. Vt foveatur totius Ecclesiæ charitas & concordia, cum omnes discunt pro omnibus, uno spiritu & voce pro omnibus esse orandum, quod præstant ministri Ecclesiæ ad hoc ab ipsa deputati. quamvis enim variis loquantur linguis, unus tamen in laudibus Dei spiritus cantat & concinit. *vox quidem dissona*, (ut ait Hieronymus epistola 17 ad Marcellam, capite sexto) *sed una Religio. tot pene psallentium chori, quot gentium diversitas.*

Ea vero quæ nobis objiciunt Hæretici, nullius sunt ponderis: non enim sancta Ecclesia voces intonat, psalmodiam concinit, cantum hymnis adhibet, ut Deo innotescat nostrum officium, ipsum laudando, & ut nos exaudiat, quasi aliter non exaudiret: hoc enim modo voce clara orantes sacerdotes Baal parvi pendebat Helias. neque etiam ad captandam vanam gloriam, quod Christus vetuit Matthæi capite sexto vers. 18. *cum oratis nolite fieri sicut hypocritæ;* non inquam ob hos fines Ecclesia clara voce cantat, sed ad augendam propriam devotionem, vel audientium, & ob alias magnas utilitates, quas infra sectione quinta adducam.

SECTIO IV. *Modernorum de Choro placita.*

PHilippus Melanthon in locis communibus Manlii, capite de satisfactione, refert de Martino Luthero, quod cum saltem Sabbato Horas canonicas recitaret, tamen admonitus destitit *à tam inutili labore, cum aliis necessariis laboribus occuparetur.* quod motivum ad excludendum chorum ab Ecclesia habuit Wicleph. libro *de quatuor sectis novellis.* cap. 6. dicens: *illud etiam conscientiæ onerosum: qui libenter Missas audiunt, & Missas celebrant, dicunt matutinas & alias horas Ecclesiæ in qua degunt; & tamen videtur quod melius, & Ecclesiæ utilius, & Deo placentius possent tempus suum expendere, & ad utilitatem Ecclesiæ militare*, similia dicebant Thaboritæ (qui solum *Ascensionem Domini*, in ejus die hæc scribo, celebrabant) *in Horis canonicis cantandis frustra tempus teri, destinatum ad alias majores occupationes & graviora negotia.*

Hos videntur imitari aliqui, qui dicunt chorum institutum *ad ineptos*, ut qui ad alia ministeria spiritualia apti non sunt in eo Dei cultu occuparentur, ita quidam Bonart. libro primo de Horis canonicis, capite tredecimo, numero decimo octavo. Sed pejus loquitur quidam Theologus Anonymus in quadam epistola scripta ad quemdam Magnatem scire cupientem quomodo posset distribuere bona sua temporalia in pios usus, & cui ordini Regulari unum è nepotibus suis, vitæ religiosæ desiderio captum, deberet addicere. quam epistolam in centum propositiones partitam, Spiritu vero Christi impugnavit Pater Nicolaus à Iesu Maria, Carmelita discalceatus Polonus. Hic igitur talis Theologus propositione 59 sic fatur: *Si propter eleemosynas corporales sacra Psalmodia debet omitti, multo magis propter spirituales, uti sunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recte consulere, consolare mæstos, Sacramenta administrare, libros pro defensione sanctæ Ecclesiæ, & alios similes pro dilatanda divina gloria conscribere.* ubi propositione 60 concludit: *Ideo illæ Religiones cæteris paribus præferendæ sunt aliis, quæ habent ex suo instituto majorem rationem prædicationis & orationis, quam Psalmodiæ.* dixerat enim propositione 56, *Illas Religiones pluris facias, in quibus majus est orationis studium, quam Psalmodiæ.* hæ sunt propositiones quas Anonymus effutiit injuriando omnes, quotquot ab initio nascentis Ecclesiæ fere institutæ sunt, Religiones Monachales & Mendicantes. *Psalmodia* (dicit) *debet omitti propter spirituales eleemosynas.* hoc quid est dicere, nisi quod dicebat Wicleph, *quod melius, & Ecclesiæ utilius, & Deo placentius possent Religiosi tempus suum expendere, & ad utilitatem Ecclesiæ militare. Si debet omitti Psalmodia*, verum est quod Thaboritæ dicebant, *in Horis canonicis cantandis* frustra tempus teri: aliud enim est, quod sacra Psalmodia ex dispensatione Pontificis posset laudabiliter omitti ab aliqua religione, propter eleemosynas spirituales, aliud, quod debeat propter illas omitti: aliàs omnes Religiones Monachales & Mendicantes, præter unam, huic subjacerent obligationi, & male facerent psallendo in choro.

Sed age specialiter impugnemus hos auctores, quorum sententia correcta est à sancta congregatione Inquisitionis Romanæ, & jure quidem optimo (ut satis erudite ostendit, vindicans Hymnodiæ dignitatem ab hac calumnia, *quod in choro instituta ad ineptos*, Anacletus Siccus libro primo de Ecclesiastica Hymnodia, capite vigesimo secundo) cum enim publicæ Hymnodiæ in choro scopus & finis adæquatus sit solemnis laus altissimi Dei, & quis potest absque gravi injuria ipsius Dei & Ecclesiæ excludere ab hoc insigni cultu sapientes, egregios, utilesque viros, & ad illum deputare otiosos, inutilesque tantum? quis enim dubitat in capitulis Ecclesiarum tum cathedralium, tum collegiatarum esse magnos & illustres viros, ingenio & literis pollentes, & tamen capitula ista nullam majorem habent obligationem, quam Ecclesiæ servitium, & chori assistentiam, ut Hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque studeant laudare, ut ait Tridentinum sessione vigesima quarta, capite duodecimo, de reformatione. non ergo chorus est institutus *ad ineptos*, ut qui ad alia ministeria apti non sunt, in eo Dei cultu occupentur.

II. Id in religionibus manifeste constat, in quibus non inepti, sed aptissimi ad eleemosynas spirituales faciendas existunt, easque faciunt, & tamen choro (non impediti) intersunt; unde religiones tam Monachales quam Mendicantes, in quibus chorus est institutus, non ad otium vitandum & tempus fallendum, sed ad laudandum Deum die & nocte, magnas & excellentissimas eleemosynas spirituales fecerunt innumerabiles tam infidelium, quam peccatorum fidelium in toto universo orbe, libros doctrinales in animarum instructionem, Ecclesiæ tutamen pene immensos scripsere: quæ omnia mira eruditione tractat Pater Nicolaus à Iesu Maria in Apologia, propositio 59, pagina mihi 113 usque ad 127. discurrens per omnes Monachorum & Mendicantium cœtus. quod, quia manifestum, non refero, solum duo adducam. Vnum pro fratrum Prædicatorum religione, ex Bulla Innocentii quarti, ad ipsos directa, in cujus initio habentur hæc verba: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus de Ordine Prædicatorum in terras Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicchorum, Rutenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgeanorum, Arminorum, Indorum, Hostelitarum, Tartarorum, Vngarorum, Majoris Vngariæ, Christianorum captivorum apud Tartaros, aliarumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcumque partibus proficiscentibus, salutem, &c.*

Sed

Sed quas conversiones fecerint non solum ex plebe, sed ex nobilitate, constat ex literis missivis quæ adhuc extant: & hoc sufficiat quasi specimen ut innotescat asserentibus, *chorus ad ineptos*, quales & quantos fructus hic sacer ordo choro addictus in Ecclesia protulerit, quales protulit unus solus Vincentius Fererius totum mundum fere peragrans prædicando verbum Dei. Quid dicam de sudoribus Seraphicæ familiæ, quos passa est? Sanctus Apostolus dicebat 2 ad Corinthios capite undecimo, numero vigesimo quinto: *in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Quæ omnia passi sunt honorabiles filii Seraphicæ familiæ in conversione infidelium. & familia ista sanctissima ab incunabulis fuit addicta choro. quid enim gloriosius quam novi orbis conversio? & tamen primi omnium, qui prædicationem Euangelii in vastam illam regionem sunt aggressi, Franciscani fuere; quamvis Societas Iesu, à choro auctoritate Apostolica exempta, insignem in hoc operam navarit, sed non quia choro non vacabant: cum religiones choro attendentes primi fuerint in conversione Indorum.

Sed duo alia exempla duorum virorum choro vacantium, qui suis scriptis valde Ecclesiam juvarunt adducam. primum sit venerabilis vir Laurentius Surius, in cujus vita, quæ habetur tomo primo vitarum Sanctorum, sic habetur: *jam vero qui novit quot horas religiosi viri istius sacri ordinis concinendis in choro diurno nocturnoque tempore precibus, sacroque Missæ sacrificio præter privatas statutasque preces tribuunt, jure mirabitur à Patre Surio tot tantaque volumina triginta sex, quibus in ordine vixit, annis conscribi potuisse: nam ab his ordinis exercitiis, jejuniis item aliisque austeritatibus corpori molestis nullam exemptionem petiit, ne cui suorum offendiculum præberet, sed omnibus quod imitarentur exemplum illustre domesticum relinqueret. id modo illi tributum fuisse ferunt, ut, dum preces primas alii in choro concinerent, ipse privatim Sacrum Missæ perageret.* hæc ibi. simili modo vivendi Dionysius Carthusiæ filius alter, tot volumina scripsit in totam sacram Scripturam, in quatuor sententiarum libros commentarios; de Vita Christi & alia mystica, quibus doctrina & devotione creverunt fideles.

Secundum sit in nostra Clericorum Regularium Minorum familia, quæ, etsi hodie parva sit, tamen quia orationi & choro diurno pariterque nocturno ab origine sua addicta, spero in montem magnum ituram cum proximorum & Ecclesiæ non minori utilitate: cum, ut refert Historia Carmeli Discalceatorum Patrum tomo 1. capite ultimo, in civitate Aspan Regni Imperatoris Persiani, liber à patre quodam Hispano manibus Mahometanorum tereretur, cujus titulus hic erat: *Espejo que muestra el verdadero que trata del conocimiento de Dios en quanto a trino y uno, y que no puede ser el Alcorano libro de Dios.* quo lecto à Nobilibus & doctis illius sectæ (quæ gloriatur contra Turcas non armis, sed ratione Alcoranum suum defendere) quidam illorum non spernendus ingenio alterum composuit, cui titulum posuit *Politor speculi*, & versus finem apposuit: *respondeat Papa Romanus* Delatus est liber ad Patrem Priorem conventus illius civitatis, qui ejus diligentia missus ad curiam Romanam anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, tempore Vrbani Octavi; & ego ibi eram, & fui consultus, an conveniret Politori respondere. fuerunt enim non pauci, neque ignobiles, qui parvi pendendum Politorem dicebant. at vincit major pars, convenientem fore responsionem. sed cum lingua Arabica esset scribenda, & ex principiis Alcorani & rationis naturalis (qua duci maxime gloriantur Persæ) quis esset politor Politoris ambigebatur. divino inspirante numine, recidit sors super unum è Clericis Minoribus nostris Patrem Philippum Guadañolam in lingua Arabica apprime super omnes eruditissimum; transfert enim nunc Sacram Bibliam de Latino in Arabicum pro beneficio Christianorum orientalium, & multa alia in utilitatem Ecclesiæ orientalis opera; Theologus valde doctus.

Hic igitur ex speciali mandato & delegatione Summi Pontificis librum contra Politorem conscripsit, cujus titulus est, *Responsio pro Christiana Religione ad objectiones, &c.* in quo & ratione naturali, & testimoniis ipsiusmet Alcorani & aliorum ita *Politori* satisfecit, ut indies fructus pingues in vinea Domini Sebaoth in illis partibus crescant: cum enim plures qui Romæ tunc aderant viri doctissimi contra *Politorem* scriberent; & in speciali congregatione ad examen destinata tractatus trutinarentur; congregationis Præses Eminentissimus Cardinalis Cajetanus in hæc verba prorupit: *itaque videtur Spiritum Sanctum velle librum Patris Philippi Guadañoli approbandum iri: ut ad illas partes mittatur.* Imprimitur liber summo labore fabricatis characteribus Arabicis, ut propriis oculis fabricari vidi: mittitur liber à sacra Congregatione de propaganda fide ad illas Provincias: cujus libri cum fructus in relatione ad Curiam portabantur, summa alacritate Ecclesiæ, Summus Pontifex Vrbanus varias de hoc honorificas habebat relationes: quare ipsemet Pontifex anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono, colloquens cum Patre Philippo coram Patribus Provinciæ Hispaniæ qui interfuere Capitulo Generali, sic Hispano sermone dixit: *Cada dia tenemos avisos de Persia de los grandes frutos de conversiones a nuestra Fee Catholica que hace vuestro libro; escriuennos de alla que pareze leha compuesto un Angel del Parayso verdaderamente la sancta Sede Apostolica, y nos estamos en grande obligacion de remunerar vuestra fatiga, trabajad que sera cuydado nuestro el haçerlo: digoos esto porque se de vuestra modestia y religion Looyreis con todo humildad.* Latine: *quotidie certiores sumus ex Persia, fructuum conversis animarum ad fidem Catholicam, opera operis vestri: dicunt, opus id Angeli calamo scriptum. Ecclesia quidem, & Nos obstricti sumus vestrum remunerare laborem: Prosequere Fili; id erit curæ nostræ: scio, & de vestra humilitate confido, modeste reliqua opera perfecturum.* Præclarum sanè elogium viri addicti religioni chori destinatæ, in qua ex professo studio linguarum vacant Græcæ, Hebrææ, Chaldeæ, & Arabicæ, quorum quatuor discipulos ego in Theologia habui, qui ex illis linguas duas me docuerunt; & alios in omnibus instruxere.

Sed age, ulterius contra hujusmodi in choristas blateronem acrius aliquantulum ex Patrum penu procedamus; demus Anonymo illi, finem chori esse tempus fallere & otiositatem vitare: sed ab ipsis rogo, ubi est major otiosorum numerus, quam in Religione ubi non est chorus? nunquid omnes in illa sunt *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes virtutes? nunquid habent gratiam curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Si ergo in communitate sine choro non omnes habent ministeria, in quibus occupentur, necessariam est quod sit magna otiositas, ad quam vitandam

tandam maxima conveniebat quod isti choro vacarent, assisterentque laudibus divinis Paulus enim, 2 ad Thessal. 3. ipsos monet ut otiositatem vitent, ad quod seipsum formam & exemplar posuit, & sic loquitur, ait Hieronymus ibi: *ad inquiete ambulantes, non ad quiete sedentes, sed curiose agentes quid in qua provincia, aut civitate agatur, vel domo.* quare scribens ad Rusticum epistola trigesima quarta: *Ægyptiorum monasteria hunc habent morem, ut nullum absque labore & opere suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagantur perniciosis cogitationibus.* quare egregie advertit vir valde prudens, quod Psalmodia in choro *non tam facilem relinquit religiosis viris occasionem cursitandi per plateas & urbis vias, nec ita facile permittit cursitare per laicorum domus, negotiaque in foro, & aulis negotia agere secularia, sed eos continet domi in divinis, & sic satius est, quod Religiosi, qui lectionibus & prædicationibus vacare non possunt, & similiter juvenes, qui his apti non sunt, vel studiis non applicantur, in choro divinas laudes canant ad populi ædificationem, cujus peccata manducant, quam occupari aliis inutilibus operibus & vaniloquiis per domum & cellas aliena facta quærere, & similibus, vel pejoribus actionibus, à quibus si devote canunt in choro valde distrahuntur*, ut affirmant Patres supra adducti, & infra adducendi.

Deinde religio, quæ ex vi suarum constitutionum vacat orationi & meditationi, & operibus spiritualibus misericordiæ, docendo, prædicando, consultationibus satisfaciendo, libros in defensionem Ecclesiæ cudendo & infidelium ædificationem; & insuper est choro addicta, dubio procul est perfectior quam quæ, etsi spiritualibus operibus occupetur, caret choro: cujus ratio est manifesta, quia chori institutio est magna perfectio in Ecclesia, ut de fide esse dixit Suarez ubi supra, conclusione prima, & est omnino certum, ita ut dixerit Soto, libro decimo de Iust. quæst. 5. articul. 3. versiculo, his non obstantibus. *ubi Ecclesiæ religiones secundum Euangelium instituit, eas videlicet quas rei spiritualis gratia admisit, easdem divinis laudibus mancipavit: quippe eum illud sit præcipuum contemplationis munus, loquor de religionibus antiquis: nam si alius religionis modus citra hujusmodi obligationem admittatur, certe vix nomen religionis meretur, quippe qui maximo splendore religionis careat.* hactenus ille. quæ gravissima verba ego intelligerem, nisi esset religio ex privilegio & gratia Summi Pontificis sine assistentia ad chorum confirmata, sicut solemnitate votorum alibi dixi.

Vnde sanctus Proclus Patriarcha Constantinopolitanus tractatu de tradition. divinæ Missæ juxta traductionem Vincentii Ricardi, pagina mihi 581, sapienter dixit: *Salvatore nostro in cœlis assumpto Apostoli, antequam per orbem terrarum omnem dispergerentur, conspirantibus animis convenientes, ad integram orandum diem convertebantur, & cum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam reperissent, fusissime longoque verborum ambitu Missam decantabant: id enim, pariter ac docendi institutum cæteris rebus omnibus anteponendum existimabant. quocirca & contrito spiritu multas preces decantabant impense divinum implorantes numen.* hucusque Patriarcha: videat ergo Anonymus quomodo sit perfectior religio quæ simul habet institutum docendi & psallendi in choro; siquidem institutum hoc omnibus aliis rebus Apostoli anteponebant.

In hujus veritatis confirmationem contra Anonymum placuit adducere insigne testimonium sancti Petri Chrysologi serm. 132. qui est de unitate fidelium, ubi mirifice extollit precationes publicas: *ubi sunt* (inquit) *qui præsumunt Ecclesiæ conventum posse contemni, & solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri. si duobus vel tribus simul positis medium se futurum Christus, & omnia se promittit quæ postulatus fuerit præstaturum? quid? nil neq. tum paucis, iis qui in conciliis & congregatione sunt sanctorum denegabit?* & infra: *sed nonnulli sub specie fidei contemptus sui excusare nituntur ignaviam, ut neglecto venerandi cœtus & congregationis ardore, illud se tempus orationi deputasse confingant, quod domesticis dederint & impenderint curis; &, dum propriis desideriis mancipantur, divina contemnunt & despiciunt instituta., isti sunt qui corpus Christi dissipant, membra dispergunt, nec ad decorem suum patiuntur formam Dominici habitus pervenire. habent quidem singula membra proprium sui munus officii, quod tamen tunc implere poterunt, si connexa sibi & compaginata perfecti corporis perveniant ad decorem. hoc ergo interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, & separationis præsumptam de ignorantia aut negligentia vanitatem, quod in salute & honore integri corporis species est unitas membrorum, & in separatione viscerum est fœda, lethalis, & horrenda pernicies.* hactenus Chrysologus. videat qui dixit *chorus ad ineptos*, & Anonymus dum effutiit quod *magis est perfecta religio, quæ non vacat psalmodiæ in congregatione & communitate concinnatæ*, qualiter sibi contrarium habeant sanctum Doctorem, cui adjungo Ioannem Hierosolymit. de institutione Monachorum cap. 10. ajentem de filiis Prophetarum, quod *uti religiosiores viri certis temporibus, tum decantandis Psalmis, orando & laudando Deum, tum meditando, & docendo legem Dei præ aliis sese studiose occupabant.*

His accedit, quanta injuria fiat fundatoribus Ecclesiarum! quam gravi studio trutinatur Siccus, capite vigesimo primo, citato, his verbis: *ex dictis colligi potest, prædictas offensiones ad varios Summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, piissimosque Reges & Principes Catholicos pertransire: nam ab his novimus varias in Ecclesia Dei omni tempore & ætate fuisse institutas egregias fundationes Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, assignatis pinguissimis redditibus ad eum præcipuum finem alendi non ociosos inutilesque, sed præclaros & egregios viros, qui dies noctesque frequentarent cantum hymnorum in choro, ut publicus Dei cultus dilatetur, ac magis magisque augescat. Insigniores fundationes quas vidit Monasteriorum & Capitulorum Germania, Gallia, Hispania, Polonia, Italia, apud varias Ecclesias & apud varios Religiosos Ordines Canonicorum Regularium, Præmonstratensium, Cistercienfium, Carthusianorum, Benedictinorum. Hieronymianorum sicut ortum habuerunt ex pia liberalitate Summorum Pontificum, Regum & Principum, ita in eum finem sunt directæ ut divinus cultus, præsertim publicus in choro cantus, exerceretur tum diurnus, tum nocturnus, dolendum igitur est quod his temporibus prodierint ex Catholicis qui doceant ac dicant cantum hymnorum otiosis inutilibusque solummodo hominibus convenire: lædunt enim antiquissimum frequentissimumque ac sanctissimum Ecclesiæ ritum à Deo institutum & approbatum.* hæc verè Siccus succo valde suavi Ecclesiæ filiis.

SECTIO V. *Argumenta Theologi Anonymi in chorum invecta evertuntur.*

Valentia etiamsi *chorus ad ineptos* dixit, nihilominus addit: *tamen quod dum chorus in aliqua religione semel est institutus quacumque ex causa, merito illi interesse soleant aptissimi etiam ad quæcumque ministeria, cum laudare in communi Deum voce etiam & cantu, sit*

tu, sit cultus Deo valde acceptus, ut contra nonnullos hæreticos probavi supra disputat. 6. q. 9.

At Theologus ille Anonymus in epistola ad Magnatem suum, quem forsan finxit, ut venenum in religiones choristas & pœnitentes evomeret; aliqua objicit ut intentum quod proposuit (videlicet *illas religiones pluris esse faciendas in quibus majus est orationis studium, quam psalmodiæ, quam dicit omitti debere propter eleëmosynas spirituales elargiendas*) probet. sed quam bene Petrus Blasensis epistola 89. in hunc Psalmodiæ obtrectatorem dicebat: *utinam tu Seraphin qui cœlesti carbone Prophetæ labia emundasti, gehennali flamma totum os & linguam ejus emundando destrueres & possemus cantare & dicere destruxisti eum ab emundatione.* Etenim Anonymus iste ita Magnati manum porrigit, consiliando quod in universas religiones ensem distringat, *summa facilitate promens, incautè ac temere publicans,* (ait Cyprianus epistola 42.) *doctrinam quæ discordissimo stylo scripta audientibus scandalum movet, & fratres longe positos incerta opinione confundit,* & religiones choristas impugnat. Cæterum, ut ait Divus Thomas, opusc. 19. *si in spiritualibus religionem vel statum impugnentur, totis viribus resistendum est, & præcipue in illis, in quibus non solum sibi, sed etiam aliis prosunt* (ut est Psalmodiæ cantus) *quia cum Religionis statum non assumant, nisi ut spiritualibus vacent, per hujusmodi impugnationem perfectionis propositum impeditur. quare detrahentibus obsistere & repugnare est officium charitatis, ad quam pertinet conterere molas iniqui, & dedentibus auferre prædam.*

Igitur Theologus iste Wiclephi discipulus, ut videtur, magis quam Ecclesiæ, objicit nobis, ut persuadeat & inclinit Magnatem suum ad electionem Religionis cui bona temporalia & Nepotem suum sine errore tradere possit; quia *ille ordo magnifaciendus est, in quo magis glorificatur Deus. atqui non ita glorificatur Deus, nec anima ditatur Psalmodia & Cantu, sicut per opera dilectionis Dei & proximi; & inter opera Religionis magis æstimatur orationis usus, quam cantus Psalmorum, quo non ita incitantur homines ad devotionem, ac per doctrinam & prædicationem. si enim Psalmorum cantus omittendus est, ne quis impediatur elargire eleemosynas corporales, multo magis omitti debet, ne impediatur ab eleemosynis spiritualibus, quia longe potiores sunt.* Huic Anonymo alius etiam Anonymus concordat, qui caveam instruxit pro Turturi gravinæ, *ut videre est in congeminata turturis voce, capite nono §. 1. folio 120.*

Verum, ô quam sapienter! Divus Gregorius libro tertio Moral. capite vigesimo quarto hujus Anonymi hypocrisiam lamiis & ericis comparat, quia *quod prima facie ostendit, quasi ex ratione sanctitatis; at bestiale corpus est quod sequitur, quia valde iniqua sunt quæ sub specie boni moliuntur, &c.* quis non videat, quomodo hypocrita Theologus sub specie majoris glorificationis divinæ, quæ in actibus charitatis, eleemosynarum spiritualium elargitionibus, orationis mentalis studio magis elucet, carpat Psalmodiam & Ecclesiasticorum Psalmorum cantus parvi pendat in Religionibus choristis. sed *valde iniqua sunt quæ sub specie boni moliuntur. & licet quod prima facie ostendit ex ratione sit sanctitatis, at bestiale est quod sequitur.* quasi Psalmodiæ cantus contemplationem & orationem mentis inhibeat. cantus enim Psalmorum actus est unus ex præcipuis vitæ contemplativæ & imperatus ab oratione interna, sicut & imperatur à charitate tam Dei, quam proximi: ex eo enim quod quis ardenter Deum diligit, prorumpit in ipsius laudes, ut cor & caro exultent in Deum vivum. Beati enim qui summe diligunt Deum, laudes suas habent *in gutture & faucibus* suis, ut canit Regius Psaltes. rursus ex dilectione proximi, & ut illi impertiat eleemosynam spiritualem devotionis & consolationis, canit in choro, ut sic proximum ædificet, & auditores excitet ad Dei laudes.

Adde id, quod in superioribus latius dixi, quod Religiones choro destinatæ per suos filios satagunt quotidie eleemosynas spiritualium operum misericordiæ proximis impertire, ut de facto impertiuntur: quare Religio ista chorista perfectior est, quam non chorista, cui deficit chori perfectio, quam habent choristæ, & insuper ex suo instituto plures habet perfectos, quam ea quæ non chorista. videat Anonymus, & consideret, si in Religione choro non dicata omnes mittantur ad conversiones peccatorum, & similia opera misericordiæ. nonne in illis versantur multi, de quibus Beatus Hieronymus Rustico rescribens epistola 34. in persona Religiosorum sui temporis, dicebat: *Quod qui sublatis in altum humeris, stupidisque in terram oculis tumentia verba trutinantur, plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, multisque nominibus institorum eadem exercent commercia, non victum & vestitum quod Apostolus præcipit, sed majora, quam sæculi homines emolumenta sectantes. Nunc autem sub Religionis titulo exercentur injusta compendia, & honor nominis Christiani fraudem magis facit, quam patitur.* hactenus ibi Hieron. quid dicis Anonyme Theologule, nonne melius esset quod hujusmodi homines choro vacarent, ut ab his negotiationibus retardarentur, & laudibus Dei intenderent? & cum August. dicerent libro nono Confess. capite quarto: *Quas voces tibi dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem totos orbe terrarum adversus Tiphum generis humani! & tamen toto orbe contenditur, & non est qui abscondat à calore tuo.* & tu Anonyme vis quod Religiosi viri se abscondant à calore Psalmodiæ cantus.

Objicit II. quia, licet sit perfectior Religio quæ choro vacat & simul prædicationis, & orationis studio & aliis eleemosynis spiritualibus exercendis, cæterum una Religio, nequit ex suo instituto utrumque comprehendere, & in utrumque incumbere: assistentia enim, & interessentia in choro alia munia prædicationis, conversionis infidelium & peccatorum, studii ad cudendos libros in defensionem fidei & fidelium ædificationem excludit, multumque retardat; dicere autem, quod hi, qui his operibus vacant, eximentur à choro tempore requisito ad illas functiones obeundas, magna ex hujusmodi exemptionibus sequentur in gubernatione Regulari inconvenientia, inquietudines, discordiæ, invidiæ, æmulationes, rixæ cum superioribus, & his similia: quare potius est chorus ab integro ordine extirpandus & excludendus, quam istæ particulares exemptiones admittantur in detrimentum Religiosæ concordiæ pacis & unionis.

Respondetur cum Anacleto Sicco capite vigesimo primo, quod in Religionibus choro addictis, & est tempus regiminis, tempus doctrinarum, tempus concionum, tempus conversionum, tempus divinarum laudum, tempus contemplationis divinorum & meditationis; neque semper unum idemque tempus duobus muneribus simul obeundis est destinatum. quod si aliquando duarum occupationum incompatibilium sit occurrentia, magis necessariæ est parendum, altera omissa: unde Religiones choristæ tam Monachales, quæ attendunt vitæ contemplativæ, quam Mendicantes, quæ etiam activæ incumbunt, horas habent divisas ad diversa sui instituti munia obeunda, juxta Apostolicum exemplum, quod supra ex Proclo Patriarcha induxi, qui, dum conversioni Palæsti-

Palæstinorum incumberent, diversis temporibus & prædicationi & doctrinæ attendebant, & Psalmos canebant & Missam. quod enim sequentur illa inconvenientia quæ rara sunt in Religionibus, in quibus, vel ex privilegiis Apostolicis, vel ex constitutionibus illas exemptiones habent personæ particulares, aliæ vacantes choro juste conqueri nequeunt. sed si conqueruntur, ex ipsorum imperfectione dimanat, quod per accidens est respectum finis communitatis: ea enim inconvenientia, & multo graviora sequuntur in Religione non addicta choro in aliis materiis, quas non refero, quia non expedit ad propositum. itaque dispensationes in Regula respectu aliquorum particularium à choro & aliis pœnalitatibus, quæ in aliis negotiis altioris ordinis utiles sunt & necessariæ, ut egregie sanctus Bernardus in aureo illo opere de præcepto & dispensatione, in Apologia ad Guilielmum Abbatem sancti Theodori, §. unde nunc; ubi sic ait: *Siccine illa spiritualia persuades, uti etiam hæc quæ ex regula habemus corporalia damnes? nequaquam, sed illa oportet facere, & ista non omittere: alioquin cum aut ista, aut illa omitti necesse est, ista potius omittenda sunt, quam illa. quanto enim spiritus corpore melior est, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio melior est.* Dicere autem satius esse totam communitatem à choro eximere, valde absurdum est & intolerabile, & contra praxim omnium ordinum, in quibus eximuntur licite plures; licite non possent omnes eximi, cum sint instituti in choro & cantu.

Concludo caput hoc adversus Anonymum istum Religionibus choristis detrahentem, verbis gravissimis Divi Bernardi, in præfata epistola Apologetica circa initium, sic ajentis: *Monachi quoque ac Regulares Clerici sibi invicem derogare dicantur, qui à propriis ab invicem observantiis separantur, Mariam denique & Martham necesse sit aut utramque, aut alteram Salvatori nostro displicere, cui nimirum tam dissimili studio devotionis contendunt ambæ placere. & hac ratione in tota Ecclesia tam pluribus, tamque variatur dissimilibus ordinibus, utpote Regina quæ in Psalmo legitur circumamicta varietatibus, nulla pax, nulla prorsus concordia esse putabitur. quæ enim secura quies, qui tutus in ea status invenietur, si unus quilibet homo unum quemlibet ordinem eligens, alios aliter viventes aut ipse aspernetur, aut se ab ipsis aspernit suspicitur, præsertim cum teneri impossibile sit vel unum hominem omnes ordines, vel unum ordinem omnes homines, &c.* valde egregia.

Suadet tamen: *Relinquat Christus sponsæ suæ Ecclesiæ pignus hæreditatis, ipsam tunicam suam, tunicam scilicet polymitam, eandemque inconsutilem & desuper contextam per totum, sed polymitam ob multorum ordinum qui in ea sunt multimodam distinctionem, inconsutilem vero propter indissolubilis charitatis individuam unitatem. audi quomodo polymitam, divisiones* (ait) *gratiarum sunt, idem autem spiritus & divisiones operationum sunt, idem autem Dominus. deinde diversis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam. ut ostendat eam esse inconsutilem, adjungit: hæc autem operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. non ergo dividatur, sed totam & integram hæreditario jure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est: adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. itaque diversi diversa sapientes dona, alius quidem sic, alius vero sic, sive Cluniacenses, sive Cistercienses, sive Clerici Regulares, omnis denique ordo, omnis lingua,* &c. *omnes ergo occurramus pariter in unam tunicam, & ex omnibus conslet una, ex omnibus, inquam, una. Nam, etsi ex pluribus & diversis, una est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Non, inquam, tantum ordo noster, aut solus vester ad illam pertineat unam, sed noster simul & vester, nisi forte quod absit invicem invidentes, invicem provocantes, invicem mordeamur, & ab invicem consumamur, & sic non possit nos Apostolus uni illi viro, cui despondit Virginem castam, exhibere Christo.* hactenus Bernardus ad Anonymum & sequaces.

Neque ego debeo de ignoto quidquam acrius addere, sed potius dignum ipsum censere, si non excusatione, saltem compassione ob inordinatas animi sui passiones, quas orbi evulgavit in hac sua artificiosa machinatione deprimendi ordines sacræ Psalmodiæ in choro studiosos, & vitæ severioris cultores, ut iis depressis concludere facile possit nobilis ille vir electionem ordinis, cujus forte gratiam Anonymus captare volebat. sed Deus multos Danieles suscitabit, qui Virgines castas Christo exhibitas, per Psalmodiæ cantum & hymnorum concentum liberarent, defenderent, tutarentur; immò ipsæmet seipsas tuentur & defendunt, dum Hymnodia tutantur Ecclesiam, quia, ut ait Bernardus sermone de duobus discipulis euntibus in Emaus, ordines choristæ *sunt ordines observantes omni tempore custodias Domini, ipsi excubabant ad ostium tabernaculi, ipsi sunt Oriones, & Hyades, & interiora Austri. quam delectabile est eis interesse vigiliis! consurgunt de nocte in principio vigiliarum suarum, ut effundant cor suum coram Domino; ibi in medio juvencularum Tympanistriarum Principes junguntur psallentibus; ibi in excessu mentis Benjamin adolescentulus; ibi resonat cœlestis simul concentus; ibi sunt Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantia, & Cherubin sese versis vultibus in propitiatorium respicientia; ibi jubilant omnes filii Dei, laudant Dominum sidera matutina,* &c.

Sectio VI. *Chorus triumphantis Ecclesiæ tam Angelorum quàm hominum laudantium Deum mentaliter.*

Choros Angelorum esse in militante Ecclesia, non solum quatenus chorus dicit collectionem, seu multitudinem intra Hierarchiam contentam personarum sacrarum, peculiarem similitudinem in aliquo munere gratiæ inter se habentium, qua notione sunt novem Angelorum chori sive ordines, ut testantur Patres; sed etiam quatenus chorus dicit multitudinem canentium, & laudantium Deum, quod clamat & vetus & novum Testamentum. in veteri namque apud Isaiam capite 6. vs. 2, ubi de Seraphinis sic dicitur: *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri; & clamant alter ad alterum, & dicebat Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*: Vbi per Seraphim non Apostoli, sed spirituum quidam chorus & ordo literaliter intelligitur. quod ita omnino certum existimo contra Alcazarem annotat. 9 in caput quartum, versicul. 7 & 8 Apocalypseos, quod existiment contra omnes, quæ scripsere Theologi Scholastici, qui ex hoc loco probant dari ordinem spirituum qui Cherubim dicuntur. est etiam contra expositores antiquos, qui, etsi nomine Seraphim Apostolos intelligant, vel alios viros Apostolicos, tamen semper servant literalem sensum pro spiritibus, qui Trisagion decantabant Triadi sacræ. sic sanctus Gregorius homil. 36 in Euangel. Damascenus tractatu de Trisagio; Divus Thomas Grylus glossa. Castro, Forerius, Oleaster, Cajetanus, ex Theologis omnes expositores, Divus Thomas 1 p. q. 108. art. 3. & Scholastici cum Mag. in 2. dist. 9. ita Pitho Presbyter Prumiensis, qui vixit an. 1110. libro 5.

libro 5 de statu Domus Dei, cap. 5. & habetur in mea Patrum veterum Biblioth. tom 9, *Ezechiel Angelicas laudes tanquam vocem commotionis magnæ audivit post se intonantem, benedicta gloria Domini de loco suo. Isaias quoque in secretis cœlestibus auditas tradit nobis Hymnidicarum vocum suavitates. Namque summa spirituum agmina sine cessatione sunt dicentia Sanctus, sanctus, sanctus. hoc itaque de laudibus summorum spirituum divina revelatio his, qui in terra sunt, tradidit ad excitandas videlicet mentes terrestrium ad amorem cœlestium, ut ad illam cœlestis Patriæ mansionem toto desiderio anhelemus, ubi sunt Hymnidici chori Angelorum*, &c. dixerat lib.4. cap.8, *quæ igitur per novenos ordines Angelicæ virtutes disposita secundum sanctarum Scripturarum voces laudem sui Conditoris incessanter decantant, has sapientia Dei nobis ad imitandum proposuit*, &c.

Hinc est, quod, ut ait Damascenus ubi supra, Ecclesia ab his Seraphinorum choris edocta, qui alternatim decantabant Trisagion, & ipsa in Hymnodia alternatim concrepando melos dant vocibus, & sic, referente Socrate lib. 6 Hist. cap. 36. consuetudo responsoriorum Hymnorum in Ecclesia initium cepit: *Ignatius Antiochæ Syriæ tertius ab Apostolo Petro Episcopus, una cum Apostolis aliquando conversatus visionem Angelorum per responsorios Hymnos sanctam Triadem laudantium vidit, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit, & ad omnes Ecclesias ista traditio manavit.* & sic Ecclesia Romana in uno ex responsoriis tertii nocturni Dominicarum post Trinitatem, alias post Pentecostem, canit: *Seraphim clamabant Sanctus, sanctus, sanctus.* quare in visione sancti Ignatii nomine Angelorum communi vocabulo intelliguntur Seraphim, vel Angeli à Seraphinis illuminati de cantico. quis ergo negabit apud Isaiam per Seraphim intelligi spirituales substantias præcellentes in amore? sed de initio alternatim canendi infra c.32.

In novo Testamento alius est etiam insignis locus in Apocalypsi, cap.5. vers. 11. *& vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium & Seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: dignus est Agnus qui occisus est*, &c. quem locum, cum sit clarissimus, nequivit Alcazar ibi ad sensum alium detorquere. unde in commentario vers. 11 & 12. dicit: *nec deerit qui existimet hisce Angelis Religiosorum multitudinem* (intellige choro addictorum) *quæ in Christiana Ecclesia futura erat significari.* nihilominus dubitari non debet, quin magna hæc Angelorum multitudo, de qua sermo hic instituitur; sint ex cœlesti Hierarchia; in quem sensum omnes expositores & Patres conspirant. indubium debet esse omni Catholico chorum esse Angelorum canentium laudes Dei in Ecclesia triumphante. quod nemo fidelium dubitat, ut dixit Cassianus libro 1. collatio.8. cap. 7. Ambrosius in præfat. in Psalm. *Laudant* (inquit) *Angeli Dominum, & ante ipsum mundi initium* (lege caute) *Cherubim & Seraphim cum suavitate canoræ vocis dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus.* Gregorius, lib. 32 Moralium cap.9. aut 10. ad illud Iob: *quando genita sunt astra matutina laudaverunt me omnes Angeli mei.* Cyrillus Hierosolymitanus Cateche. 5. Mystagogica ait: *propterea traditam nobis hanc Seraphicam theologiam, Sanctus, sanctus, sanctus, recitamus, ut in illa cœlesti Hymnodia cum supramundana militia communicemus per hujusmodi Hymnos nos sanctificantes.* quod etiam sequitur Ecclesia in profat. admissam.

Quare dubitari apud Catholicos fas non est, in curia triumphantis Ecclesiæ esse chorum Angelorum, qui vere & proprie canant. sicut enim certissimum ex Theologorum sententia, Angelos vere & proprie tam cum Deo, quam inter sese & cum hominibus loqui, ita etiam certissimum est Hymnodiam in Dei laudem cantare etiamsi corpora non assumant; quamvis sit difficillimum explicatu, quomodo Angeli inter se loquantur, & sit difficillimum enucleare, quomodo proprie canant sine assumptis corporibus, in quibus, etsi audiantur Angelicæ voces, tamen proprie voces non sunt, quia non vitales, ut latius enodavi in materia de Angelis.

Sed quando Angelici chori primo laudes dixere suo Creatori? aliqui Patres dicunt creatos ante hunc visibilem mundum, quos citant Salianus tom. 1 Annalium, Divus Thomas in cap. 1 Geneseos, Suarez de Angelis lib.1, cap. 12. alii securius & certius dicunt simul creatos cum hoc mundo visibili, & intelliguntur nomine *lucis.* juxta utramque sententiam dicendum est Angelos non solum quando Lucifero ad inferos detruso alii sunt beatitudine condecorati, quia ipsam meruerunt, Deum laudasse & laudaturos in æternum, sed etiam in ipsa via quamvis parvo Deo cantasse Hymnos cum suavitate canoræ vocis, cujus ratio est: in via Deum cognoverunt dignissimum laudis & jubilationis. nihil autem ipsos retardabat hymnizare Deo, quare id præstabant; sed in hac laude Lucifer & sequaces non perstitere, sed ad creaturam conversi prolapsi sunt in gehennam, & sic chori Angelorum alternatim canentium non solum in Patria comprehensores, sed viatores ante ingressum beatitudinis extitere. unde alternatio vocum & versuum; quamvis Ignatius fuerit primus, qui in Ecclesia Græca decreto stabilierit, tamen ante ipsum Angeli alternantes canendo, melos dabant vocibus. id enim quod de Angelis dicimus affirmamus de animabus Beatis, quod choros suos faciant ab Angelicis distinctos, ut laudes debitas Deo & Christo canant.

Cæterum obiter explicandum est, quomodo Angeli & animæ separatæ & Hymnos canant Deo, & laudes illi deferant; & quidem incessabiliter divinam Excellentiam, quam nunquam comprehendunt, admirando; res est plane difficilis, & una ex reservatis ut in Patria cognoscatur. Pater Suarez tom.2. de Relig. lib. 1. de orat. cap. 5, num. 7. in ea est sententia, quod laus mentalis & Angelica consummatur in actu voluntatis ordinantis æstimationem divinæ Excellentiæ, quæ est in intellectu ad ipsum Deum, quatenus Angelus vult eam repræsentare & offerre per modum cultus; & sic talis laus in voluntate consummatur, non in intellectu; in quo quicumque alius actus ponatur (præter recognitionem divinæ excellentiæ, quam admiratur, & cujus admiratione in laudes & hymnodiam illius prorumpit ex actu voluntatis ordinantis talem recognitionem) fictitius videtur, & voluntarie positus.

Cæterum non est hic locus hunc novum dicendi modum impugnandi, quod præstiti in materia de Angelis anno 1645. in hac Vniversitate Hispalensi dictatâ meis auditoribus. breviter tamen id quod sentio enodabo, & simul impugnabitur modus iste, quia laus perennis & jugis, quam Angeli canunt Deo, est perpetua cum illo locutio admirantium ejus Excellentiam, Divinitatem, Fortitudinem, Virtutem, cæteraque attributa, ut ait Divus Thomas 1. p. quæst.107. art.3. ad 2. locutio autem non consummatur in voluntate, sed in intellectu; etsi enim requiratur voluntatis ordinatio, tum ut quis sibi loquatur verbo mentali, tum ut aliis, ex qua ordinatione ut à radice pullulat, ut id, quod creaturis erat occultum, manifestetur; & respectu Dei hæc ordinatio id causat, vel ut aliquid ab eo accipiamus, vel ut

ut debitum exhibeamus cultum, laudando ipsum: tamen locutio est conceptuum manifestatio practica. unde laus nequit consistere in voluntate ordinante, neque in recognitione divinæ naturæ & excellentiæ, quæ antecedit voluntatem præfatam. sicut nec locutio cum Deo in neutro consistit, sed in manifestatione conceptuum, quos de Deo formant Angeli; quæ manifestatio orta ex admiratione divinæ sanctitatis & excellentiæ, Deo oblata, & ad ipsum ordinata est laus mentalis. unde Chrysostomus aliquando dixit, quod in beatis quidam laudant Deum, ut misericordem, quidam ut justum, quatenus admirantes hæc attributa varios conceptus quos de illis formant, offerunt Deo, illos manifestando in cultum ipsius Dei, non quia Deus indigeat hac manifestatione ad illos cognoscendos, sicut Deum laudant homines vocibus sensibilibus in ipsius cultum & reverentiam. unde laus, sicut est oratio, est actus intellectus practici in quo consummatur, in quo actu consistit Hymnodia Angelica, de qua sancta Ecclesia in præfatione: *& ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cælestis exercitus Hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes Sanctus*, &c.

Hunc actum ego sic explico: est enim res valde utilis pro viris spiritualibus, qui laudes Deo canunt in ecstasi & raptu, & oratione mentali qua unitur mens Deo per affectum. igitur postquam Angelus recognoscens Dei excellentiam, vel fide in via, vel beatitudine in patria, cogitur Deum colere ipsum; cultus autem non consistit in illa speculativa cognitione, qua creatura admiratur magnitudinem sui Creatoris, & excellentiam divinitatis, quam laudare intendens, vult conceptus, quos ex admiratione format alloquens Deum, illi proponere, ut illum revereatur. hæc autem propositio conceptuum in conspectu Dei ex parte creaturæ laudatio dicitur, quatenus respicit ejus excellentiam quam admiratur; dicitur gratiarum actio, quatenus est propositio beneficiorum, quæ respicit Deum benefactorem; dicitur oratio, quatenus respicit Deum, apud quem aliquid petit, tanquam ab eo à quo indiget. & sic constat, quod Hymnodia Angelica non consummatur in actu voluntatis, sed in actu intellectus practici, ordinantis practice, & repræsentantis varios conceptus, quos ratio speculativa format de Deo ex ipsius admiratione, & ratio practica ostendit Deum colendo ipsique colloquendo. & sic conceptus, quos ratio speculativa ex incomprehensibilitate Dei adinvenit, intellectus practicus Deum laudando proponit. nihil enim adinvenit intellectus practicus, quod in speculativo non fuerit cognitum. cæterum hoc idem practice manifestatum laus est Dei, & Angelica hymnodia. sed de hoc satis, ne transgrediar metas.

SECTIO VII. *Idem chorus triumphantis ex Angelis & hominibus laudans voce sensibili & corporea.*

SAnctos Angelos voce sensibili Deum laudare, & sacra Scriptura expresse docet & Sanctorum historiæ plenæ sunt Angelicis sensibilibus canticis. Lucæ enim 2, vers. 13. ubi nascente Domino, *facta est subito cum Angelo cælestis militiæ laudantium Deum & dicentium, gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* ex quorum laudibus auditis Pastores moti transierunt usque in Bethlehem, &c. in quæ verba Venerabilis Beda: *ne parva unius Angeli videretur authoritas, postquam unus Sacramenta novæ Nativitatis edocuit, statim multitudo cælestium agminum affuit, & subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis. bene chorus adveniens Angelorum militiæ cælestis vocabulum accipit.*

Sed qua ratione Angeli voces edunt sensibiles? hoc certum est facere per corpora aërea, quæ formant & assumunt sibi, ea localiter unientes, ut cum Divo Thoma prima parte quæst. 51. artic. 3. ad 4. sentit universa schola Recent. & fere omnium Antiquorum. quare voces istæ, propriæ voces non sunt, cum non fiant vitali modo, & per instrumenta vitalia ad id à natura destinata. quare Angeli proprie non loquuntur nec canunt per assumpta corpora, sed est aliquid simile locutioni, in quantum formant sonos in aëre similes vocibus humanis; effectus tamen consolationis, aut terroris eosdem habent ac si essent veræ voces, imo multo majores, instruunt etiam homines ad sensibiliter Deum laudandum.

Homines etiam Beati, qui modo sunt in cœlo in corpore & anima, ut Christus, Beata Virgo, sanctus Ioannes Euangelista, ut expresse asserit Petrus Damianus ses. 2 de B. Ioanne: Divus Thomas lect. 5. in cap. 21 Ioan. Suarez tom. 2. in 3. p. disputat. 55. sect. 3. & alii. & forsan Sancti illi, qui cum Christo surrexerunt, & post communem resurrectionem omnes Beati canent Deo dulciter hymnos inter sese, & cum Angelis, juxta illud Psalmi 149. vers. 7, *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum*, vel juxta Hebræum, *voces Deum extollentes sint in guttere ipsorum.* quas esse futuras in beatis certissimum est apud Patres. quamvis ibi Augustinus aliter de Viatoribus intelligat, tamen Basilius, Theodoretus, & alii de Beatis & comprehensoribus id intelligunt. ut enim ait Laurentius Iustinianus libro de doctrina & perfectione Monast. cap. 23. *fas enim non est, ut in illa cælorum gloria quidquam vacet à laude Dei.* & quidem quod in Patria futuræ sunt voces corporales laudantium Deum, ita certum existimo, sicut & quod ibi sit sensus, auditus, quod contrarium sit omnino improbabile. ita tenent expresse sanctus Irenæus libro 5 adversus hæreses, cap. 8. ubi Feuardentius. Gregorius lib. 8 Moralium, cap. 32. glossa interlinealis ad vers. 7. Psalmi 149. ubi etiam glossa ordinaria. Aug. lib. 22 de Civitate cap. 30. Petrus Damianus epistola 3 ad Blancam Comitissam cap. 15. Petrus Cœlensis tractatu de Panibus, cap. 7. Potho Presbyter Prumiensis lib. 5 de statu domus Dei, & lib. 4. multa dicit. Divus Thomas in 4. dist. 44. artic. 1. quæst. 4. apud quos, & apud multos alios hæc invenietur propositio, *quod in ore Beatorum semper erit jugis laus vocalis, & aures non audient, nisi laudes Dei & Alleluja*; quod odor suavissimus carmina Sanctorum in cœlo, quæ dulcedine melodiæ ipsas præmulcebunt; quod lingua in sensum laudis elevabitur; quod Beati in corde & lingua non desinent laudare eum, à quo æterna habent. quare non est audiendus Abulensis, qui ad caput decimum quintum Matthæi quæst. 116. litera D. problematice defendit utramque opinionem. nec Divus Bonaventura sequendus, qui in q. 4. dist. 49. quæst. 1. artic. 3. num. 42. sub dubio relinquit, an in Patria sit futurus sensus, auditus, & per consequens vox corporea. hoc enim Patrum Torrenti opponitur: ut enim ait Augustinus lib. 1 Retract. cap. 11, *hoc non sic est accipiendum, quasi non sint futuri numeri corporales* (Musicæ ut ipse posuit libro 6 de Musica, à capite secundo usque ad quartum) *in corporibus incorruptibilibus & spiritualibus.* & infra: *tunc autem tam firma erit & perfecta* (anima) *ut numeris corporalibus non avertatur à contemplatione sapientiæ, & ita cor sentiat, ut non alliciatur ab eis.*

Sed

Sed est contra hanc certam sententiam duplex argumentum valde urgens. primum quia, ut constat ex Aristotele lib. 2 de anima, textu 88 & 90, *vox est sonus formatus ex ictu aëris ad vocalem arteriam per respirationem attracti.* atqui Beati cum futuri sint in convexo cœli empyrei, ubi nullus est futurus aër, qui omnino post diem judicii destruendus est, ut cum sit longe inferiori loco deputatus, supra cœlum empyreum existere nequit. ergo nullam elicient vocem ex defectu materiæ, non ex defectu organorum & instrumentorum quibus vox fabricabitur.

Varie torquentur Auctores hoc argumento, varieque respondent. & quidem si cœli solidi non sunt, sed fluidi, ut multi hujus temporis Astrologi valde docti autumant, non improbabiliter, ita quod cœlum empyreum non sit aliud, quam æther subtilissimus, in quo, & intra quod Beati moveantur, sicut aves moventur in aëre, facillima est solutio argumenti. ex cœlo enim formarentur voces multo subtiliores & perfectiores, quam ex aëre esto sublunari; & quamvis particulæ cœli discontinuarentur non exinde cœlum corruptibile erit: una enim pars materiæ primæ ab alia separatur, & tamen ipsa materia corruptibilis non est. Sed quia hæc opinio Peripateticis non placet asserentibus cœlos esse solidos durosque, aliter respondendum est.

Divus Thomas in 2. dist. 2. q. 2. art 2. ad 5. in secunda responsione, sic dicit: *potest dici quod erit confractio cœli empyrei, nec hoc erit ei ignobilitas, quia erit instrumentum motum à lingua gloriosa, & materia vocis prolatæ in laudem divinam. nec propter hoc sequitur, quod sit generabile & corruptibile, quia raritas & densitas sunt æquivoce dicta in isto corpore & in istis corporibus.* quæ solutio profundissima quia cœlum empyreum habet potentiam obedientialem ad obediendum Beato ad Dei laudes proferendas & cantandas. si enim in his inferioribus, ne detur vacuum, aqua ascendit, sursum contra inclinationem specificam, solum ob bonum universi, quanto magis cœlum empyreum potest frangi ob laudes Dei, & ne dentur vacua & otiosa ora, & linguæ Sanctorum in Patria.

Dicere enim, ut quidam autumant, id quod etiam non displicuit D. Th. in prima solutione, quod in corporibus Beatorum in ipsorum cavitatibus erit aër inclusus, ex quo absque respiratione, & cum spiratione, & à tractione aëris illarum civitatum ad instrumenta vocis istæ formantur absque eo, quod aër extra os exeat, sed in modum circuli ibi circumvolvatur vel iterum introëat in corpus per penetrationem, mihi non satisfacit: quia ego non video ad quid aër reservetur in cavitatibus corporum gloriosorum; quæ cavitates etiam, si sint vacuæ, nihil interest. si enim totum illud spatium supra convexum empyrei non est corpore aliquo repletum, cur cavitates corporum gloriosorum debent esse aëre repletæ, cum dotes corporum quidquid imperfectionis est in his corporibus inferioribus, suppleant. deinde si corpora gloriosa ex vi dotis agilitatis alia corpora gloriosa, & non gloriosa possunt penetrare, vel per miraculum debitum statui Beatorum, vel ex vi qualitatis supernaturalis creatæ, quia hoc est debitum corpori glorioso, cum tamen penetratio extra statum gloriæ sit magnum miraculum, cur ex eo, quod vox sensibilis est propria corporis gloriosi ad laudandum Deum corpore, sicut laudant mente, ex vi status non erit debitum, quod Beati ad loquendum frangant & attrahant particulas cœli empyrei ad voces formandas, cum hoc sit decentius statui, quam uti aëre elementari.

Secundum argumentum est, quod valde angit nos Thomistas, quia juxta Divum Thomam tertia parte, quæstione 57. art. 4. in corpor. & Th. Cajet. ibidem, Sancti erunt cum Christo in cœlo. at Christus est in convexo cœli empyrei, juxta illud Pauli ad Ephesios 4. vers. 10, *ipse est qui ascendit super omnes cœlos.* atqui in convexo empyrei nullum est medium per quod deferantur species intentionales soni. quomodo ergo chorus Beatorum audietur ab aliis? non enim solum canunt sibi ipsis, sed etiam aliis.

Et quidem si ita est, ut sentit Dominus Cajetanus, quem sequuntur alii Thomistæ, difficile valde solvitur argumentum, quod olfecit ipsemet Cardinalis, concludens articuli commentarium, dicens: *mittamus hæc supernaturalia futuri seculi scientiæ futuri seculi.* igitur argumentum juxta hanc sententiam aliter solvi nequit, nisi recurrendo ad modum supernaturalem: vel dicendo, quod objectum tanquam instrumentum Dei agit in distans & non in medio, vel quod species conservantur sine subjecto, sicut in Sacramento altaris quantitas, vel quod Deus à se solo infundit species objectorum ad ipsorum præsentiam, quæ omnia difficultate non carent.

Quare mihi magis arridet sententia asserentium quod Sancti & Christus non erunt in convexo cœli empyrei, sed intra ipsum cœlum in superiore illius parte, in quo sunt penetrativè ibique motu progressivo moventur, se vident, audiunt, inter sese loquuntur. ita sentiunt non ignobiles Thomistæ, Paludanus in 4. distinct. 22. q. 5. Sylvester in Rosa aurea, q. de Christi Ascensione. Sotus in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. ante tertiam conclusionem vers. quomodo vero, & dist. 49. qu. 4. art. 5. post tertiam conclusionem vers. veruntamen. sequuntur & alii. Lyra ad locum Pauli ad Ephesios 4. vers. 10. Abulensis Paradoxo 5. cap. 190. & 191. Palatius in 3. dist. 22. disput. 2. vers. vertunt in dubium. ibi Ricardus art. 4. q. 2. Durandus qu. 8. & quod pluris est Divus Thomas quæst. 3. art. 3. q. 1. *ad primum*, inquit, *dicendum, quod non dicitur Christus ascendisse super cœlos, quia extra cœlum empyreum sit, sed quia in altissimam partem cœli empyrei sit.* unde doctissimus Petrus Bergomens. dub. 330. concordans hunc locum in loco adducto 3. p. sic dicit: *ista duo stant simul: scilicet quod non oportet aliquam partem cœli esse superiorem Christo, sed Christum esse super omnem circumferentiam cœli empyrei, ut dicitur in 3. p. & quod Christus non est extra cœlum empyreum, sed ascendit in altissimam partem ejus, tametsi in tertia parte diceretur, sicut habent aliqui libri, quod corpus Christi est extra cœlum, debet intelligi quoad necessitatem, quia non est de necessitate corporis beati esse in loco. sed in tertio sententiarum loquitur quoad decentiam, quia decet ipsum esse in nobilissima parte cœli.* hactenus & bene Bergomens. quod autem dicit, quod non est de necessitate corporis beati esse in loco, intellige quantum ad conservationem in loco, ut explicat Sanctus Doctor p. 3. art. 4. citato. sed quomodo Beati se penetrabunt in corpore cœli empyrei? Sanctus Thomas in 4. dist. 44. qu. 2. art. 2. q. 2. ad 3. quod corpus gloriosum transibit sphæras cœlorum sine earum divisione non ex vi subtilitatis, sed ex divina virtute, quæ eis ad nutum in omnibus subveniet. quare hæc secunda solutio amplectenda est.

Sed Cornelius à Lapide in locum Pauli ad Ephesios numero suo 127. §. nec obstat, dicit, *quod Christus in illis spatiis sit quasi in vacuo, tum quia Deus sua potentia facile efficit, quod ipse per vacuum videat, audiat, loquatur; tum quia verisimiliter exiguum illud*

spatium in quo est Christus, quod antea vacuum erat, jam vacuum non est, sed æthere cœli Empyrei, qui circum Christi corpus Dei nutu se fundit, plenum. hæc ille, quod facile dicet de Beata Virgine, & aliis Beatis post resurrectionem: sed hoc gratis dicitur, quia si æther ille est distinctus ab ipso cœlo, de novo creatur à Deo: si est idem, recidit in nostram solutionem.

SECTIO VIII. *Chorus canentium in limbo Patrum.*

ITa excellens est laus Dei in choro, ut nulla sit Sanctorum societas, nullus justorum cœtus in quo laus ista non sit instituta, vel ex ipso lumine, quo illuminati sunt à Domino. Diximus de cœtibus Angelorum & hominum Deo fruentium, de aliis justorum extra gloriam degentium in communitate, agendum restat. Post Beatos sunt Sancti in limbo, aut sinu Abrahæ ante adventum Domini detenti, quia janua cœlorum ante Christi mortem reclusa mansit. hi Sancti, etsi ad tempus carerent visione Dei, tamen quoad animam erant purgati ab omni culpæ labe, & ab omni reatu pœnæ sensus; unde grande concipiebant gaudium spe futuri Redemptoris ipsos liberaturi sua morte, suoque ad illum locum descensu. & quidem quod sancti illi nullum sentirent cruciatum, sed potius gaudium haberent & consolationem, res certissima est ex Historia, vel si mavis parabola divitis epulonis & Lazari pauperis Lucæ 16. vers. 21, *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*; & vers. 25, *& dixit illi* (Epuloni) *Abraham: filii recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu autem cruciaris.* unde Augustin. Epistola 99 dicit, quod de Patribus existentibus in limbo & sinu Abrahæ, nequit intelligi illud Actorum cap. 2. vers. 9, *solutis doloribus inferni*: habent enim potius gaudium, lætitiam, consolationem & requiem, nullam prorsus pœnam sensus aut tormenta sentientes, ut dicunt Gregorius lib. 13 Moral. cap. 22. Tertullianus lib. 4 contra Marcion. cap. 6. & lib. 5. cap. 10. Hieronymus epistola 25. cap. 3. Augustinus libro 20 de Civit. cap. 15. Eucherius Lugdun. lib. de quæstion. novi Testamenti in Lucam, qui limbum Patrum locum Refrigerii dicunt. Primasius ad caput 5 Apocalyps. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. 2 contra Prognos. cap. 4. Albertus Magnus ad caput 16 Lucæ. unde Albertus Paravinus Sermone 76, *ante adventum Christi animæ justorum à corporibus egredientes interim in regione quietis manebant, quæ dicitur limbus Patrum, qui propter sui tranquillitatem etiam sinus dicitur, & creditur esse supra locum pœnarum, ibi est claritas Angelorum & fœlicitas quanta esse potest citra Dei visionem apertam.*

Ex quibus manifeste constat, Patres in limbo juvantibus Angelis custodibus, & solicitante Propheta Isaia, alternatim concrepasse Trisagion Seraphicum; aliis intonante regio Psalte cecinisse Hymnos & Psalmos, quos in laudem Salvatoris in vita composuit, & quis credet, quod si David viator invitabat ad canendum in choro Psal. 149. non solicitaret animas sanctas in lætitia & gaudio commorantes ad idem. alii præcinente Iob dicerent: *Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Salvatorem meum.* & sic pariter de aliis Patriarchis & Prophetis, ex quorum animabus chorus exultantium & laudantium Deum componebatur, spiritualia cantica in ejus laudem & honorem concinentium: nequit enim concipi religiose quod sit multitudo & sanctorum societas in gaudio, requie & lætitia Deum suum supra omnia diligentium, & quod ipsum non laudent propter ejus excellentiam & magnitudinem, quam incomprehensibilem venerantur. carere enim ad tempus visione clara Dei, & esse propter originale quod contraxere, etsi ab illo sunt liberi, sub dæmonis Tyrannide, sicut non obstat eorum gaudio & lætitiæ, quam insabilem ex fide & certa suæ Religionis spe concipiebant, ita non obstat laudibus divinis quas jugiter dabant, ex quibus magnos decerpebant fructus consolationis in reclusione illa. quare, hoc me quidem judice, negari nequit, sicut nec negatur de animabus beatitudine fruentibus.

De cœtu Sanctorum qui sunt in Purgatorio, quamvis non possent pro nobis orare, ut vult Divus Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. ubi Cajetanus egregie, quidquid dicat Bellarminus libro secundo de Purgatorio, cap. 15. tamen dubio procul dicendum est, quod Deum laudent, & gratias agant pro beneficiis in via receptis: sicut enim tormenta & pœna sensus non aufert ab eis charitatem, qua diligunt Deum, nec fidem, qua credunt ejus excellentiam, nec spem, qua sperant beatitudinem: ita non dubito, quod alternatim juvantibus Angelis custodibus, Deo canant dulciter hymnos, quod illis in maximam suarum pœnarum deserviet refrigerium & consolationem. quod canendi & laudes dicendi Deo exercitium potiori jure habebunt animæ illæ quas Beda lib. 5 Hist. cap. 13. refert, quendam sanctum vidisse in quodam prato florentissimo, lucidissimo & amœno inhabitare absque aliqua pœna sensus, sed solum purgabantur carentia divinæ visionis, qui locus præter cœlum & purgatorium, ait Bellarminus libro 2 citato, cap. 7. non est improbabile quod sit. in quo dubio procul animæ ibi existentes Hymnodiam exercebunt.

SECTIO IX. *Chorus canentium in paradiso terrestri.*

PAradisum illum amœnissimum locum, in quo posuit Deus primum hominem, quem plasmavit sanctum cum omni naturæ decore, cum arboribus insitis, & vernantibus floribus conservatum usque hodie, illum non evertisse diluvii aquas eruditissime propugnat contra ipsius destructores doctissimus ille vir, cujus laus semper vigebit, Magister Thomas Malvenda, in libro illo omni doctrina sana & Catholica referto, quem de paradiso inscripsit. non est hic locus, an existat modo paradisus disquirere, sed ejus existentiam supponere, una cum Ecclesia Presbyterorum traditione ab Apostolis immediate accepta, gravissimo & omni majore exceptione teste Irenæo sic deponente lib. 5, cap. 5, *Vbi ergo positus est homo? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit: & plantavit Deus paradisum in Eden contra Orientem, & posuit ibi hominem quem plasmaverat, & inde projectus in hunc mundum non obediens. quapropter dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse: justis enim hominibus & spiritum habentibus præparatus est paradisus, & ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem coauspicantes incorruptelam.* hactenus Irenæus. cujus sententiæ dicit Feuardentius ibi num. 3. omnes fere Græci & Latini Patres adstipulantur, & mihi parum tutum videtur aliter nunc sentire. & tam ibi, quam lib. 4, cap. 30, num. 6. plura adducit Patrum loca ad id confirmandum, ubicumque sit Paradisus, quod prorsus mortalibus est ignotum.

Igitur

Igitur in Paradiso terrestri sunt Enoch & Elias (& ut Ambrosius Catharinus in cap. 1 Genes. pagina mihi 138 ait: *non videtur esse trahendum in dubium, cum omnes Doctores quos hactenus legi existimarint, eum scilicet Paradisum adhuc manere, & ibi esse Enochum & Eliam, & ut quidam non absque ratione & auctoritate Scripturarum existimat, etiam Ioannem discipulum Christi dilectum.* hactenus ille. sed Ecclesia ex Hieronymo sentit, quod sanctus Ioannes senio confectus quievit) mortales & in statu merendi, non demerendi, quia sunt in gratia confirmati, edentes de fructibus Paradisi, quibus sustentantur & nutriuntur quantum ad corpus, quantum ad animam contemplationibus divinorum, orationibus pro Ecclesia, cujus sunt candidati, ut ait non semel Tertullianus, quoad animam & corpus, ut utroque recognoscant Deum & illi cultum deferant, etsi non sacrificent Sacrosanctum Christi corpus & sanguinem, quia non sunt Sacerdotes legis novæ, sed in lege naturæ unus, & in scripta alter, tamen sacrificium labiorum suorum Deo offerunt, ut laudis vocalis sacrificio ipsum honorent, colant, & tanquam duo Seraphim alter ad alterum alternatim concrepent Sanctus, sanctus, sanctus, Hymnodiam summo cum modulamine vocis juvantibus Angelicis choris exercent, maximis Dei consolationibus divinisque illustrationibus ac frequentibus revelationibus gaudent, eundem locum Paradisi inhabitantes. simul conversantur, & de divinis rebus loquuntur, in divinis laudibus multum temporis consumentes. sic Malvenda de Antichristo lib. 9, cap. 5, *Non dubitamus asserere eosdem vitam innocentissimam traducere in precibus, orationibus, meditationibus ac laudibus Deo perpetuo versantes.* sequitur Michaël Muños in propugnaculo Eliæ libro 3. tit. 2. cap. 2. num. 2. qui fere verba Malvendæ transcribens alia non injucunda addit: *Traducent enim vitam contemplativam ad quam maxime laus vocalis conducit. Quare non dubito, quod ibi Hymnodiam exercebunt.* est enim Psalmodia opus cœleste & Angelicum, ut merito dicat Psaltes Regius Psalm. 137. vers. 9, *in conspectu Angelorum psallam* tibi, sumam officium Angelorum coram Angelis, & cum Angelis psallam tibi: ut enim notat Cyrillus in capite sexto Isaiæ Seraphim *alternatim canebant sanctus, non quia canendo defatigarentur, sed ut homines docerent alternis in choro psallere.* quam doctrinam, utpote Angelicam, summa veneratione duo isti sanctissimi viri sunt amplexati: quamvis enim duo non faciant chorum, sed *bicinium*, ut ait Isidorus libro sexto Originum, capite decimo nono, tamen facit laudem vocalem Dei in societate Sanctorum.

SECTIO X. *Chorus laudantium Deum auctorem naturalem, vel ipso lumine naturæ puræ, est institutus sive ex Angelis, sive ex hominibus.*

Creatura intellectualis, sicut ipso naturæ lumine ducta, Deum hujus luminis auctorem diligit, de quo præceptum recepit in sua creatione, ita eodem lumine duce ipsum veneratur & colit non solum cultu interno, verum & externo & sensibili, ut cum D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1 ad 4. tenent scriptores secuti sanctos Patres, Romanum Clementem lib. 6 constitut. Apost. cap. 20. Cassianum collat. 8. capite 23. hic enim externus & publicus cultus Dei ad proprium est profectum utilis, & ad aliorum exemplum, Reipublicæque rectam & pacificam gubernationem. cum enim homo etiam in pura natura animal sit politicum & sociabile, non sufficit ut ipse apud se veram & Religiosam de Deo habeat existimationem, sed necessarium est, ut eam exterius prodat, & coram aliis profiteatur: habet enim à Deo tam animam, quam corpus; & sic utroque debet eum colere, non quia Deus sensibili signo indigeat, ut vere colatur, sed ex parte ipsum colentis id sensibile signum exposcitur, ut secundum totum Deo auctori naturali cultum deferat, quod ab ipso accepit.

Id etiam naturæ instinctu, & naturali ipsius appetitu evidenter constat: est enim homini (ut egregie contemplatur Divus Thomas) à natura ipsa insitum, ut mentem suam sensibilibus signis exprimat, & in publicum deducat, atque ita hoc modo sensibili tenetur Deum colere, siquidem ex interno affectu naturaliter sequitur externa illius propalatio & expressio: vix enim potest homo animi sui conceptum interius continere, quin in externas actiones prorumpat, quibus & interior excitatur denuo affectus, & iste externum cultum, & uterque, quasi in circulo existentes, naturaliter se juvant & excitant. sic etiam non solum fides interna in ordine supernaturali exigitur, sed etiam illius fidei externa professio necessaria: etenim cum homines sint alicujus societatis membra, ratio naturalis exigit, ut non solum sigillatim & in occulto, sed publice, nomine ipsius societatis & Reipublicæ, cultum externum Deo deferant, cum internus occultus sit.

Cum igitur certissimum sit, in puræ naturæ institutione esse præceptum obligans creaturam intellectualem ad cultum externum Dei, mihi videtur dicendum nullum aliud signum extensum, & aptius in puram naturam cadere sub præcepto colendi Deum, quam sacrificium laudis, de quo David Psalm. 49. vers. 23, *sacrificium laudis honorificabit me*, laude scilicet qua Deus laudatur tanquam vitæ & mortis auctor, ut pro hac parte sacrificium sit. hoc enim laudis sacrificio nihil facilius, nihil promptius ex parte hominum, quibus incumbit sacrificare significando conceptus suos sensibilibus signis, à quibus ipse accepit cognitionem; & sic ex natura ipsius hominis manifeste colligitur, quod, cum iste sit deficiens secundum animam, & secundum corpus naturali lege, se subjicit Principio indeficienti, à quo eget adjuvari & dirigi, & sic ipsi offert sacrificium laudis tanquam adjutori & directori. quare Divus Thomas quæstione citata ad primum egregie dicit: *Quod oblatio sacrificii in communi est de lege naturali.* & ideo in hoc omnes conveniunt, sed determinatio sacrificiorum est ex lege humana, vel divina; & ideo in hoc differunt nationes, in quibus fuit diversus sacrificii usus.

Cæterum, nulla fuit natio tam barbara, quæ, etsi in materia sacrificiorum determinatorum ab alia differret, non conveniret in sacrificio laudis, laudando voce externa Deos suos laude publica, & civili non coleret recognoscens ab illis dependentiam, & illis se subdens, ut principio quod vere, vel falso independens ab alio agnoscebat. & sic laus publica, sicut & petitio publica de jure naturæ est, quamvis sit per hæc, vel illa signa his, vel illis laudibus determinatio diversa in diversa natione & secta. unde testibus Tertulliano lib. de Carne Christi, Epiphanio hæresi 67. August. epistola 118. cap. 19 ad Ianuarium, Socrate lib. 6 Histor. cap. 8. Hæretici varios componebant Hymnos & Psalmos suam hæresim continentes, quos in cœtibus suis canebant publice. Chorus igitur in Republica & Communitatibus de jure naturæ videtur: si enim, ut ait Aristoteles lib. 2 Ethic. *virtuti debetur laus*, quæ major virtus quam

Dei, quæ major potentia? & sic jure naturæ ipsum tenemur laudibus externis laudare, *cum securitas laudis in laude Dei est, ubi laudator securus est ne de laudato erubescat*, ajebat Augustinus. & egregie Cicero lib. 2 de legibus: cultus Deorum est optimus idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, & incorrupta mente & voce veneremur. Hinc est, quod David dicebat Psalm. 68. vers. 31 & 32, *Magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum novellum*: quia sacrificare vitulos non est de jure naturæ, sicut sacrificium laudis. unde Vatablus vertit: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & extollam illud celebri laude; gratius id erit Domino, quam si bovem offeram*. & Dominus Cajetanus ibidem. *Placebit Deo institutio novæ Ecclesiæ ad magnificandum & laudandum Deum, plus quam sacrificium bovis*. Itaque prius est Ecclesia instituta ad sacrificium laudis, hoc est, ad laudandum Deum visibili laude, quia hæc laus in omni Religione fuit, quam ad sacrificia & holocaustomata. quamvis in Euangelio laudis hoc sacrificium ad sacrificium incruentum, quod est rigorosum sacrificium. & sic sanctus Thomas in prosa dicit: *Laudis thema specialis datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem*.

Ex quo constat, quod Angeli, qui creati sunt Beati beatitudine naturali, ut ait Divus Thomas 1 p. q. 62. art. 1. ex vi illius beatitudinis tenentur laudare ipsum laude Angelica, tanquam authorem naturæ, de quo teste Augustino in Psalmo 148 ad illa verba, *Præceptum posuit, Angeli habuerunt præceptum. quale præceptum* (inquit) *dedit Angelis Deus? nisi ut laudent illum. Beati quorum hoc est negotium laudare Deum.* quam laudem, utpote publicam, illi dabant similiter nostri primi Parentes, qui cum eadem beatitudine naturali humana producti fuere, etiam ipsum suum primum productorem simili laude, ex vi præcepti naturalis de laudando Deo, voce sensibili laudarunt.

De pueris vero, qui cum solo originali decesserunt, maxime post resurrectionem in qua resurgent in virili statu, satis probabile est, quod Deum sint laudaturi voce sensibili tanquam auctorem naturæ: etsi enim careant visione Dei originali peccato illis non dimisso, tamen certissimum est primum, quod nullam pœnam sensus patientur, nullamque vel minimam tristitiam de amissione beatitudinis; secundum, quod Deum non blasphemabunt, nec ullum odium in ipsum concipient, sitque non improbabile quod hunc mundum visibilem habitabunt, & inter sese colloquia multa de rebus naturalibus, & Deo ipsarum auctore sint habituri, quem excellentissimum agnoscent & sic illum colent & diligent, erunt incorruptibiles, & quantum ad passionis rebellionem, nullum habebunt: istæ enim erunt subditæ naturali rationi. quare cum ex speciebus infusis habeant cognitionem substantiarum separatarum, ex quarum perfecta humana cognitione Deum etiam simili cognitione attingent, & in hac cognitione beatitudo hominis naturalis consistat testibus Divo Thoma & Aristotele, non videtur, cur illis & beatitudo deneganda sit. ut enim ait Augustinus lib. 11 de Civitate, cap. 11, nomen beatitudinis non ita stricte sumendum est, quasi comprehendat solum illam beatitudinem & felicitatem perfectam. Dæmones vero, etsi ex natura sua Deum & alias substantias separatas cognoscant, tamen non dicuntur Beati beatitudine essentiali naturali. hæc enim, etsi consistat essentialiter in præfata cognitione, tamen non tribuit denominationem ex incapacitate subjecti, quia videlicet subjectum odio prosequitur Deum & ipsum blasphemat, ut vellet, quod, quantum in se, non esset.

Et sic ipsum Deum amore libero non diligit Dæmon etiam naturali, sed ad summum amore necessario etiam quoad exercitium. at pueri cum solo originali decedentes cum non habeant, ut dixi, odium Dei auctoris supernaturalis, ipsum ut auctorem naturalem libere diligent amore ordinis naturalis super omnia, quia post resurrectionem nullam habebunt rebellionis repugnantiam, sed virtutes omnes morales politicas bene exercebunt, inter quas una est Religio, quæ defert Deo cultum politicum publicum in choro, & societate canentium vocum mira suavitate, & sic Hymnodiam naturalem exercebunt.

SECTIO XI. *Chori laudantium & publice invocantium Deum auctorem supernaturalem antiquitas ab Adami lapsu usque ad Moysem.*

DE choro in Ecclesia militante, & eorum, qui extra militantem existunt, hactenus egimus: restat agendum de choro militantis Ecclesiæ, cujus tractationem non injucundam futuram spero, nec inutilem, & currendum est ab Adami lapsu usque ad adventum Christi, & à Christi adventu usque ad tempus præsens, ut videat qui dixerit *chorus ad ineptos*, & quod *Religio choro addicta non est tanti facienda*.

Igitur chorus & laus publica primo, ut creditur, instituta fuit ab Adamo, cum duobus filiis suis Abel (à quo incepit Ecclesia visibilis, quæ nunquam defecit) cum fratricida Cain, quos sanctus Protoparens ad sacrificandum & preces publicas fundendas instruxerat. sed mortuo Abel, & impio Cain profugo à facie Domini, solo relicto Adamo chorum laudantium Deum interruptus fuit, quia chorus est multitudo virorum, & in uno solo non subsistit, quare genito Setho, cui natus est filius quem vocavit Enos, iste, ait Scriptura Genes. 4. ✠ 16, *cœpit invocare nomen Domini*. in quæ verba ita Oleaster: *Adverte quod tempore, quo vixit Cain, & Abel & Adam, nomen Domini invocatum est; sed mortuo Abel, cum Cain esset à Domino elongatus, & eum utpote punitorem exosum haberet, non curabat invocare eum sic semen ipsius. postea vero cum natus esset Seth, vir bonus, & semen ipsius propagari inciperet, iterum cœptum est invocari nomen veri Dei.* Et infra: *Neque dicit textus, quod tum cœperit cognosci, quia jam antea cognitum erat, sed vocari aut invocari fundendo preces*, &c.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 20 in Genes. *Hic Enos vocatus est, eo quod invocavit nomen Domini, & sic qui ex eo ducunt originem, eandem sortiuntur appellationem.* idem sentit Rupertus lib. 4 in Genesin cap. 11, *Enos interpretatur vir, quia Creatorem Deum cum hoc ipso nomine, quod est Dominus primus, invocavit.* quod desumpsit ex Hieronymo in traditionibus Hebraicis: *sed Theodotio in Græca editione ad dicta verba Geneseos aliter vertit textum, quod non de invocatione publica, sed de appellatione illius Sethi aut Enos, qui propter pietatem dictus est Deus à cognatis, & sic filii ejus dicti sunt Filii Dei. sed cum textus tam Latinus quam Hebraicus de invocatione publica Dei, non de appellatione Enos aut Sethi, hæc interpretatio prorsus est rejicienda.*

Quare melius alii. & sit primus, qui ad nostrum institutum aptissime loquitur, Salianus: *Enos dicitur* (ait) *invocare cœpisse, id est, ut ait Sa, palam colere seu excellentius, quam vulgus soleret, prædicando verbi gratia,* vel

vel certas cæremonias & precum formulas adhibendo ex institutione Patris sui. quæ expositio est omnium maxime probabilis. hactenus ille, quem sequitur Vatablus ibi num. 33.

Divus Thomas ibidem dicit, quod non inceperit Enos divinum cultum, sed *quod invenerit aliquem modum singularem colendi, vel orandi Deum. unde Ecclesia incepit ab Abel, non ab Adam, quia Ecclesia fuit continua, & semper in ea fuerunt aliqui justi.* cui per omnia consonant Lyranus num. 9. *ipse enim instructus à Patre tantum profecit in cultu divino, quod adinvenit quædam verba devota ad deprecandum Deum.* Cornelius à Lapide: *tempore Enos videtur cœtus hominum institui, & in Ecclesiam congregari cœpisse ad publicas preces, ad publicumque Dei cultum.* imo Waldensis & ex eo Bellarminus libro secundo de Monachis, cap. 5 censent, *Enos instituisse quasi præludium & initium vitæ religiosæ & monasticæ, per inceptionem publicarum precum & cæremoniarum in communi cœtu Ecclesiastico, qui chorus est, cujus pronubus fuit Enos.*

Benedictus Ferdinandez ibi sect. 22. num. 13: *novas precandi formulas, ritus & cæremonias publici cultus ad propitiandum numen adinvenit, condidit, evulgavit; ædiculas extruxit, in quas populum ad Dei cultum celebrandum per sacrificia precesque congregaret, Ecclesiam tunc fidelium inchoans.* & num. 5, *puto enim Enos divinos composuisse hymnos, quos cantare solitus erat. quod studium semper à sanctis viris observatum, præsertim viget in Religiosis familiis.* similia fere docet Martinus del Rio ibi num. 99.

Eundem invoca ndi modum per publicas preces adhibuit Abraham, Genes. 13, vers. 4. edoctus à Majoribus & Progenitoribus suis, in loco altaris quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini; ubi Chrysostomus: *cogita ergo quantus erat quietis & tranquillitatis amator, & in divino cultu quam sedulus.* unde egregie doctissimus Oleaster ibi: *litavit ibi Domino, quemadmodum antea fecerat, invocando ibi nomen Domini, cui scilicet offerebat victimas. Verbum Cara significat clamare. ergo intelligendum est, quod clamore Deum invocaverit; & sic puto fuisse tempore Enos, quando, ut dictum est, cap. 4, ceptum est clamari in nomine Domini.* hæc ibi. Continuavit ergo Abraham publicas preces in choro, cujus videtur fuisse unus coryphæus Abraham; alter frater ejus Loth: nondum enim erant divisi.

Quem morem imitatus est Isaac, Genes. 26, numero vigesimo quinto, *ædificavit ibi altare Domino, & invocato nomine Domini, ostendit Tabernaculum.* ubi Oleaster: *invocavit nomen Domini, dum scilicet offerret quemadmodum Patrem fecisse viderat.*

Quare primis illis seculis, cum nunquam litassent homines Deo sine ipsius nominis invocatione, publica hæc invocatio necessario fiebat alta voce à ministris & aliis adstantibus, qui modo per hymnodiam, modo per publicas preces vel alternatim, ut mihi videtur, vel modo uni, modo aliis invocabant, & sic ibi necessario erat chorus.

SECTIO XII. *Chori canentium Domino antiquitas à Moyse usque ad Eliam.*

Dejecto & suffocato Pharaone cum exercitu sequenti; Canticum victoriæ cecinit cum omni populo Exod. 15 dicens, *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem dejecit in mare.* de quo Chrysostomus tomo 1, homil. in Psal. 95 dicit: *Primum omnium vetustissimumque Canticum ad mare Rubrum decantatum est;* & quomodo cantatum est, nisi in choro? Audi Philonem disertissimum lib. 3 de vita Moysis, sic fantem: *distributa omni gente in duos choros, alterum virorum, alterum mulierum, ipse viris carmen præivit; sororem autem dedit præcantricem fœminis, ut hymnos in parentem, conditoremque alternis canerent vocibus, non discrepantes à moribus carmine dum certatim canunt suis vocibus,* &c. & Divus Isidorus lib. 1 de Officiis Ecclesiasticis cap. 3 id confirmat, dicens: *Choros idem Moyses post transitum Rubri maris primum instituit, & utrorumque sexuum distinctis classibus, se ac sororem præcinere Deo in choris carmen triumphale perdocuit. chorus ab imagine ductus est coronæ, & eo ita vocatus. unde Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu ejus coronam fratrum. Corona enim proprie multitudo canentium est, cujusque apud Judæos non minus ac decem constat canentibus; apud nos autem incerto numero, à paucioribus plurimisve sine ullo discrimine constat.* Hactenus ibi.

Et quidem duo isti chori, unus virorum, mulierum alter, ita concinne & suaviter alternatim decantabant, ut nonnulli non incongrue de illo cantu ad literam intelligant illud Canticorum 2. vers. 6, *sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Hujus Cantici fit expressa mentio Apocal. cap. 15, vers. 19. Vbi dilectus Christi discipulus vidit eos, qui vicerunt bestiam & imaginem illius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei & canentes *canticum Moysis servi Dei, & canticum Agni.* & quidem alternantibus vicibus illud decantabant chori.

Sic etiam canebat David in choro, & in choris psalmos cantare faciebat coram arca Domini. rursus filius ejus Salomon in templi dedicatione cantores constituit, qui sacrificiorum tempore hymnodiam exercerent in variis instrumentorum generibus, quorum & vocum modulatarum dulcedine audientium excitaretur devotio, & accederetur in Deum amor, & in ejus laudes & cultum desiderium; tum etiam gratiarum actio pro beneficiis acceptis repetita multiplicaretur: cantica enim publica instituta sunt in gratiarum actionem alicujus insignis beneficii, & victoriæ, ut constat in cantico Moysis, & quem fecit Debora cæso Sisara, & Iudith trucidato Holoferne, & Anna nato Samuele, & sic de aliis.

SECTIO XIII. *Chori canentium Deo antiquitas, ab Elia usque ad Christum & post.*

Siracides auctor libri Ecclesiastici cap. 48. vers. 8 de Elia loquens, sic fatur inter laudes quas de Elia commemoratur: *Propheta facis successores post te.* qui locus etsi per enallagen numeri pluralis pro singulari intelligatur ab aliquibus, quatenus Elias relinquit Elisæum Prophetam successorem post se, & unus Elisæus fuit instar multorum, ideo in nomine plurali dicit *Prophetas facis successores post te;* quamvis enim hæc interpretatio spernenda non sit, tamen Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus lib. de instit. Monachorum, qui habetur tom. 9 meæ Bibli. veterum Patrum, ad nostrum intentum sic interpretatur: *scimus in divinis Scripturis non solum appellari Prophetas illos, qui futura prævident & prænuntiant, sed etiam illos qui ad hoc officium sunt instituti, ut scilicet cum instrumentis musicis Deum laudent, & ei psallant. quapropter dum sapiens sancto Eliæ dicit:* Prophetas facis successores post te, *non ideo hoc dixit, ut spiritum prævidendi vel prænunciandi futura conferret; sed ideo potius, quia Elias Monachos successores post se instituit, non tantum ad vitam monasticam observandam secundum formam à Deo sibi traditam, sed etiam ad hoc servitium, ut prophetarent, hoc est, ut in Psalmis & canticis devote Deo psallerent, & propterea appellati sunt Prophetæ, id est, psallentes*

lentes, & eorum vita dicta est prophetica, id est, ad Psalmos Domino canendos dedicata.

Quem sequitur Thomas Waldensis lib. 3 Doctrinal. fidei, art. 1. cap. 4 sic dicens: *quamvis ab initio fuerint instituti, qui à vita & conversatione populi segregati ad divinas laudes divino cultu extiterint mancipati, nunquam tamen fuerunt usque ad Eliam publice & regulariter congregati, qualiter ab Hieronymo epistola 13 ad Paulinum, & Isidor. lib. 2 de Ecclesiasticis officiis, Elias Pater monachorum celebratur. & mansit hæc Religio Prophetarum continuo usque ad adventum Christi, & deinceps facti sunt Principes religiosæ vitæ Christianæ*, &c.

Sed Lyra in caput 10. lib. 1 Reg. dicit: *nota, quod Samuel primo instituit conventus Religiosorum jugiter psallentium in Domino.* ad quem locum videtur alludere Waldensis illis verbis: *quamvis ab initio fuerint instituti*, &c. vel forsan ad librum primum Paralip. cap. 25, vers. 1, ubi dicitur: *David & Magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaphat & Heman & Idithum, qui prophetarent in citharis, & psalteriis & cymbalis, secundum numerum suum dedicato officio suo servientes.* in quem locum Abulensis: *qui prophetarent, id est cantarent, quia propheta hic non sumitur proprie, sed pro cantu.* & q. 2 inquirit ad quid erant necessarii cantores in Domo Domini, & respondet: *ad hoc, quod David volebat augmentare cultum divinum; & ad hoc, quod homo totaliter colat Deum, oportet quod ex totis viribus suis colat ipsum.* & infra: *nulla virtus vel potentia debet esse in nobis, quæ ad colendum non convertatur, ita quod actus ejus in aliquo ibi serviet, & quia virtus vocativa* (id est locutiva) *est in nobis, quædam potentia converti debet ad cultum Dei. istud autem est orando, & laudando, & canendo; & ideo debuerunt esse aliqui ministri Dei cantores.* & infra: *ad cultum divinum non solum pertinet desiderium cordis nostri, quo Deus principaliter colitur, sed etiam quædam exteriores cæremoniæ, per quas designatur affectio nostra ad cultum Dei, & etiam ostenditur magnitudo ejus quem colimus. sic est de sacrificiis quæ sunt cæremoniæ Deo exhibitæ, & circa quas versabatur magna occupatio ministrorum: magis autem acceptum est Deo* (in veteri Testamento) *quod laudetur, quam quod fiant sibi sacrificia: & ideo cum fuerunt constituti in veteri Testamento sacerdotes ad faciendum sacrificia, debuerunt etiam constitui Levitæ ad canendas laudes divinas.* & q. 3 dicit: *quod in omnibus sacrificiis cantores assistebant, & dum fierent, cantabant hic Levitæ.* Legatur idem Abulensis in omnibus quæstionibus hujus capitis, in quibus mira inveniuntur de choris cantorum, quos choros sortes appellat.

Hic solum oportet adnotare energiam rationis, quam vir iste sapientissimus dat, cur David posuerit choros & sortes cantorum in templo & Domo Domini, quia videlicet sicut *Deum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus nostris debemus diligere, ita ex totis viribus & potentiis nostris tenemur ipsum colere. inter potentias autem una est potentia locutiva.* ista ergo tenemur Deum colere ipsum laudando, & in ejus cultum Hymnos canendo, quia Hymnodia gratior erit, si à choro & societate Sanctorum offeratur.

Existimo enim cum D. Th. 2. 2. q. 184. art. 5. quod Religiosi se voto adstringunt ad hoc, quod à rebus secularibus se abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc quo Deo liberius vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ; vacare, inquam, Deo studio orationis, meditationis, contemplationis & Hymnodiæ cantu in choro & in Ecclesia. Hymnodia enim Psalmorum & Canticorum omne quod duri est operis & laboris, vincit, dulce & efficit suave. unde Chrysologus serm. 10 sic fatur: *Fratres, quadragesimæ jejunio cantica divina jungamus, ut abstinentiæ pondus cælestis temperet & sublevet symphonia, provocante nos ad hæc Davide Beato, qui dum fistula pecus carum mulcet & oblectat in pascuis cantu, durra dicitur superare bellorum, cantu meruit ducere populos ad salutem, cantu valuit vocare gentes, reducere Iudæos, fugare Dæmones, Dei filios ad superni Patris obsequium convocare.* hæc ille. tanta ergo fuit energia hymnodiæ, & cantilenæ sacræ, sine qua Religio, quamvis in sua essentia perfecta essentialiter permaneat, tamen non habet omnem perfectionem sibi debitam, ut usquequaque condecorata permaneat, cum muta persistat in Ecclesia, non reducens locutivam potentiam ad exercitium laudationis divinæ. quamvis enim aliis perfectionibus decorata, tamen colophon linguæ illi defecit, non ex totis viribus cultum Deo defert; siquidem sacrificium laudis non exercet: hoc enim simul cum votis vult Deus quod illi reddamus, teste David Psal. 50, vers. 54, *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* utrumque jungit Propheta, quasi vota sine laude non usquequaque perfecta maneant in Religionis cœtibus. confessio enim & laus divina grandis est perfectio Religionis.

Audi quam apposite idem profiteatur Philo Iudæorum disertissimus lib. de charitate, exponens allegorico sensu Leam cessasse à partu postquam genuit Iudam: *Loquens* (inquit) *de quarto filio Leæ dixit Moyses, quod post eum natum mater interquievit parere, vocatur autem Iudas. quintum vero appellavit Issachar, qui merces interpretatur. hanc quam primum animam peperit, mox quod sibi accidit locuta est, vocavit, inquit, Issachar nomen ejus, quod est. merces præmii; ergo Iudas intellectus benedicens Deum, & in gratiarum actionem Hymnos indesinenter meditans, ipse revera sanctus & laudabilis fructus erat, non è terrenis natus arboribus, sed à natura bona rationali. Quamobrem natura, quæ eum peperit, dicitur destitisse parere, quia non habebat quo se verteret, etiam ad perfectionis progressa terminum: nam inter omnia recte facta nullus partus est præstantior, quam Hymnus in Deum Patrem omnium.* hæc ille, quo illustrius nihil ad propositum.

Sectio XIV. *Chorus à primitiva Ecclesia usque ad nostra secula.*

Quamvis supra sectione 3 aliqua Patrum & sacræ Scripturæ testimonia contra Hæreticos in medium adduxerimus, probantes licitam esse orationem vocalem in choro, in præsentiarum alia adducenda sunt, quibus manifeste probetur chorum in primitiva Ecclesia ab Apostolis institutum, ut in illo Hymnodia Domino decantetur à personis Ecclesiasticis, & divino mancipata & dicata cultui.

Et quidem Paulus 1 ad Cor. cap. 14, totum ferme caput, de cantu fidelium & de Psalmodia in Ecclesia consumit; ut enim notat egregie Cornelius à Lapide ibi numero suo 90, *Apostolus in hoc capite ordinat modum, quo fieri debeant conventus & collationes spirituales in Ecclesia, tum ante, tum post sacram synaxim. in his enim unus explicabat sacram Scripturam, alius exhortabatur, tertius hymnum, quartus Psalmum canebat.* ita Ambrosius & Anselmus; & has collationes & Hymnodias instituisse Essenos, pulchre enodat Philo lib. de Essenis.

Vnde Apostolus incipit caput, dicens: *sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut Prophetetis*, & Spiritus Sancti afflatu canatis ea, quæ ad pietatem excitent. ita Cornelius, ubi docte ostendit, uti & nos etiam cum Abulensi docuimus, quod hic Prophetia sumitur pro Hymnodia, & prophetare est canere in Ecclesia, & Prophetæ canentes in choro

choro, & fidelium corona & cœtu. sic enim dicitur lib. 1 Reg. 19. *quod Saul erat inter Prophetas*, id est, inter canentes, & præscribens modum canendi in choro. sic instruit num. 16 usque ad 29, *quid ergo fratres? cum convenitis unusquisque vestrum Psalmum habeat*, &c. Ad quæ verba Cornelius n. 127 sic ait: *in Ecclesia primæva hic erat ritus & ordo sacrorum à Paulo & Apostolis institutus, canebant Psalmos.* & infra: *omnes communicabant, quidam Psalmos & hymnos in laudem Dei variis linguis, quasi afflatu Spiritus dictabant & canebant.* quod expresse docuerunt Iustinus Martyr in Apologia 2 pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, in fine. Tertullianus in Apologetico cap. 39. Irenæus adversus hæreses lib. 4. cap. 32. ubi egregrie, ut assolet Feuard. num. 18. probat Apostolos omnes ritus & ceremonias solemnis sacrificii Missæ instituisse, imo & solemniter celebrasse, inter quos est sacra hymnodia & Psalmorum cantus, ut pulchre sanctus Dionysius cap. 3 de Hierarchia Ecclesiastica: *Rediens* (ait) *Pontifex ad sacrum altare, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus*; quod antea docuerat Clemens Romanus, Petri discipulus, lib. 2 constit. cap. 54, & lib. 8. cap. 34. distinguit officium divinum, sicut modo est distinctum, in horas matutinas & vespertinas, quas precationes facere præcipit in Ecclesia in publico cœtu. quare dubitare non licet, chorum & in ipso hymnodiam canendam ab Apostolis esse institutum. Legantur Eusebius Cæsariens. lib. 10 Histor. cap. 3, & cap. 9. *tunc frequentes conventus acti, tunc festi dies celebrati.* & infra: *tum choris, tum hymnis per singulas civitates*, &c.

Basilius dicit epistola 63 ad canon. *ad id vero quod propter Psalmodiam accusamur, hoc habeo, quod dicam, quod videlicet qui jam obtinuerunt, ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni: de nocte scilicet populus consurgens antelucano tempore* (de qua antelucana Psalmodia quam faciebant Christiani tractat Plinius l. 10 epistolarum, epistola 2 ad Trajanum Imperatorem) *domum precationis petit, & ab oratione surgentes ad Psalmodiam instituuntur; & nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes canunt*, &c. Palladius in Histor. sanctorum Patrum cap. 7, *circa horam nonam licet stare & audire in unoquoque monasterio hymnos, & Psalmos Christo canentes.* Cassianus lib. 2 institut. c. 2 & 4. similia & alia habet de Monasteriis Ægypti & Thebaidis, & lib. 3. cap. 3. de Palæstinæ & totius Orientis. unde Episcopi Ægypti, Alexandriæ congregati, in epistola ad Theodos. Imperatorem quæ habetur in actis Concilii Ephes. tom. 3. cap. 4. de choro honorificam faciunt mentionem. Theodoretus in Philotheo cap. 5. loquens de Biblioth. Ambrosius lib. 5 de virginitate, loquens de Maria sorore Moysis, quæ choros mulierum ducebat in hymnodia, quæ typus fuit Ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus, qui carmina divina concineret, copulavit. Hieronymus in epistola 27 ad Eustochium in Epitaphio Paulæ cap. 10, *qui choros virginum monialium exaltat.* & in Psal. 107. August. lib. 9 Confess. cap. 7 & 8. & epistola 119, c. 18. ibi: *maxime quod illud etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam utili ad movendum pia animarum*, &c. Paulinus Presbyter, qui vixit anno 400, in vita Divi Ambrosii, quod publica Hymnodia in omnibus pene provinciis Occidentis tum vigebat. & Sedulius ad caput primum epist. ad Romanos expresse fatetur, *quod Hymnodia est Ecclesiasticæ traditionis ritus.* quem Beatus Benedictus Monachis suis in toto Occidente in sua regula cap. 16. commendavit, observari præcepit, quam observasse dicit Regino Prumiensis lib. 1 de disciplina Ecclesiast. cap. 18. sanctus Isidorus l. 1 de Officiis Ecclesiasticis, à cap. 19. usque ad 23, de antiquitate & authoritate Hymnodiæ late tractat.

Ex quo videtur Concilium Toletanum 4 desumpsisse, quod cap. 2. dicit: *Vnus ordo orandi & psallendi à nobis per omnem Hispaniam & Galliciam conservetur.* & capite 12, *de hymnis etiam canendis & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum.* & cap. 13, *hymnum trium puerorum, quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, sanctum Concilium instituit, ut per omnes Hispaniæ & Galliciæ Ecclesias celebretur.* Alcuinus in vita sancti Vidasti: *Hymnodicas laudes Deo horis canonicis chorus cantabat in Ecclesiis, beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Concilium Cabilonense 2, celebratum anno 813, ordinat, *ut Moniales etiam habeant chorum, in quo celebrent septem horas canonicas.* Vnde Ibo Carnotensis epistola 220, *ad hoc* (inquit) *instituta est clericalis militia, ut Psalmodiæ & hymnodiæ quotidianum Deo offerat officium.* glossa ad illud Iacobi, tristatur quis in vobis, oret ac psallat. *Crebra Psalmodiæ dulcedo nocivæ tristitiæ pestem repellit.* multa alia Patrum testimonia omitto, cum hæc sufficiant quæ legi possunt apud Stephanum Durandum lib. 3 de ritibus Catholicis cap. 14. hinc est quod, ut refert Posidonius in vita Augustini cap. 18 *sanctus Doctor maxime dolebat, quod hymni & laudes Dei in Ecclesia deperiissent propter immanitatem Wandalorum.* & una ex maximis persecutionibus Antichristi erit, quod tollet de medio omnes cantus, preces, cœtus, omnes Ecclesiastica officia, quæ publice & in aperto celebrare nequibunt, ut adnotat Malvenda lib. 8 de Antichristo cap. 8. qui desumpsit ex Beato Hippolyto oratione de consummatione mundi: *in diebus illis Psalmorum decantatio cessabit.*

SECTIO XV. *Chori necessitas, major perfectio & authoritas ex chori antiquitate.*

Nihil est in Ecclesia à principio mundi à Deo instituta choro antiquius, ut ex supra dictis liquido constat. Laus enim Dei, & laudis sacrificium prius extitit omni sacrificio, tum veteris, tum novi Testamenti. quare necessaria est laus publica in Ecclesia, sicut & sacrificium, quo sicut placatur Deus ita & laudibus hymnodia sistit ab ira in homines, ut sectio. 16 monstrabo. cum autem laus publica à multitudine canentium, quæ chorus dicitur, oriatur: chorus omnino necessarius est in Ecclesia Dei. quare chori necessitas recte, & necessario infertur ex ipsius antiquitate. Vnde Augustinus epist. 118. serm. 8, *quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* & Tertullianus lib. 4 adversus Marcionem cap. 5. dixit: *id verius quod prius, id prius quod ab initio.* cum enim, ut videmus in toto Oriente & Occidente nulla fuit fundata Ecclesia, nullum Cœnobium, nulla Religio, in quibus non sit instituta Psalmodia, & hoc ab initio nascentis Ecclesiæ; *id verius est, quia prius*; & quidem ut ait Tertul. lib. de præscriptio. cap. 29, *quid verisimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ* (adde tu & Religiones) *in unam fidem* (adde tu & in unum chorum instituendum) *erraverint? Veneranda enim sunt vetusta dogmata, quod ob antiquitatem, ceu quandam caniciem, habeat aliquod reverendum*, ait Basilius lib. de Spiritu sancto c. 29. qua ergo fronte Theologus ille Anonymus dixit, non

non magnificandum chorum in religiosis familiis? ut illas vilipendere apud ignorantes faceret, mergere naufragio nititur, quas intra portum stantes statio faciebat fida securitas. *in his enim, quæ ad Deorum cultum pertinent* (ajebat Socrates) *ita facito, quemadmodum à majoribus præceptum.* novitatem enim semper abhorruerunt sapientes. unum autem ad cultum divinum primo pertinens post sacrosanctum Missæ sacrificium, est sacrificium laudis in choro, quod fuit à majoribus præceptum.

Si enim dicit Anonymus quod Religio non chori ista magis æstimanda, quam chorista, ego dico contrarium, si ista non habeat alia opera in proximos ac habet illa; quis ergo determinabit quæstionem hanc, ut sic ex antiquitate chori ejus colligatur necessitas major, perfectio & authoritas. sanctus Ireneus l. 3. c. 4. ad hujus determinationem regulam certam tradidit: *Si cui de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & liquidum est?* & Tertullianus lib. 4 contra Marc. cap. 4, *si ego dico meum verum Euangelium, Marcion suum, ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum, quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens antiquitatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* igitur horum Patrum regulam resumentes, recurramus ad utramque Ecclesiam Latinam & Græcam, ad omnes Religiones Orientis & Occidentis, in quibus Apostoli sunt conversati, & in omnibus chorus institutus reperietur. ergo quod Religio chorista sit perfectior, & majoris authoritatis in Ecclesia Dei, certum & liquidum est.

Quam necessitatem chori omnibus Clericis gravibus verbis imponit Iustinianus Imperator lege *omnem* 10. C. de Episcopis & Clericis: *Præterea sancimus, ut omnes Clerici per omnes Ecclesias constituti per seipsos psallant nocturna, & matutina & vespertina, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei. turpe enim est pro ipsis scriptos necessitate ipsis inducta psallere: si enim multi laicorum, ut suæ animæ consulant, ad sanctissimas Ecclesias confluentes studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit clericos ad id ordinatos non implere munus suum? qua propter Clericos omnino psallere jubemus.* hactenus Imperator. si ergo de Clericis secularibus hoc dicit Imperator, quid diceret de Clericis regularibus? qui, divino servitio mancipati, votis adstringuntur, ut Deo liberius vacent. necessarius ergo est chorus in Ecclesiastica communitate, nisi Pontificia indulgentia (quam semper veneror) eximatur. an autem expediat semper in hac exemptione persistere, ipse summus Pontifex judicabit, cujus judicio semper meum submittam & submitto.

SECTIO XVI. *Chori utilitates ex Patribus decerpta.*

LOquamur (inquit Cassiodorus libro 2 variarum, epistola 40) *de illo è cœlo psalterio, quod vir toto orbe cantabilis ita modulatum pro animæ sospitate composuit, ut his hymnis & metris vulnera sanarentur, & divinitas singulari gratia conquiratur*, quibus verbis omnes fere utilitates Hymnodiæ comprehendit. ut autem gravitatem, perfectionem, & utilitates Hymnodiæ Davidicæ rectius comprehendant, qui *chorus* (dicunt) *ad ineptos*; notandum ex Lyra in sua præfatione ad primum Psalmum: *David spiritu Prophetico Psalmos omnia nostræ fidei mysteria continentes composuisse, ut in templo publice canerentur à cantoribus variis instrumentis musicis, & Deo omnium Creatori laudes publicæ deferentur. unde teste Augustino liber Psalmorum intitulatur apud Hebræos liber Hymnorum, quia Hymnus est, ubi habentur verba & laus cum cantico, quod in Psalmis invenitur; unde in præfatione ad totum Psalterium dicit, quod in illo continetur tota sacra Scriptura per modum laudis; & adeo est toti Ecclesiæ valde utilis ad spem & consecutionem beatitudinis.* Et in secunda præfatione: *Rex David & Propheta cum prospere regnaret, volens cultum Dei magnificare, cum arcam à Philistæis redditam longo tempore post incertis sedibus vagantem tandem in Hierusalem reduceret, nudus cum cithara præcedebat, sed & quatuor millia virorum elegerat, qui non solum voce, sed etiam instrumentis Musicis Psalmos canerent*, &c.

Vnde clarum est, quod totum Psalterium altissima mysteria comprehendens, ideo in modum laudis est compositum, ut Hymnodiâ publicâ voce celebraretur Deus altissimus in templo & choro. quod enim multi Clerici sint, etiam extra chorum & Ecclesiam, voce tamen sensibili solitarie divinas laudes dicant, hoc est, per accidens & extra primariam chori & psalmodiæ institutionem; quæ Psalmodia primo instituta fuit, ut in Ecclesia fieret, ut egregie his verbis Sanctus Hilarius in Psalmi procemio declaravit: *Sunt autem superscriptionum tituli diversi: nam præter eos, qui Auctorum suorum nominibus, aut causarum aut temporum significationibus prænotantur, sunt alii quibus est titulus in finem, alii quibus Psalmus cantici, aut canticum Psalmorum. Psalmi in finem sunt de perfectis bonorum æternorum doctrinis. Psalmus est, cum cessante voce pulsus organi concinentis auditur: Canticum, cum chorus hymno canoræ tantum vocis exultat; canticum Psalmi, cum organo præcinente vox æmula sequitur; Psalmus cantici, cum choro ante canenti ars organi aptatur.* quibus verbis ex vocum recta intelligentia Hilarius edocet Psalterium ea intentione à Davide compositum per modum laudis, ut ista in templo publice cantaretur. Videat ergo, quisquis ille sit Anonymus Theologus, sine nomine quidem merito, qualiter in Religiones Choro addictas effutiat, illas Religiones pluris faciendas esse, in quibus majus est orationis studium, quam psalmodiæ, quasi ista esset illi opposita, imo quasi non sit orationis & contemplationis instrumentum conjunctum non secus ac calori ignis. quid enim est hoc, quam synceram Apostolicam traditionem de choro & laude Dei publica infringere? quare melius diceret imitando Zachariam Papam epistola ad Episcopos Epiri: *amplectimini gratiam traditionis antiquæ*, qualis est, ut vidimus, de laudando Deum in choro. *beati enim, quibus est hoc negotium, laudare Deum*, ut Augustinus dicebat.

Sed amplius nota, quod duplex est Dei laus, una verbis & ore, altera factis & operibus. ut enim ait Augustinus in Psalm. 146 ad illum versum: Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio: *quomodo erit Deo nostro jucunda laudatio? si bene vivendo laudetur? plus enim attendit quid vivas, quam quid sones.* & in Psalm. 148, *non cesset bene vivere, & semper laudet Deum: nam si à vita bona nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat.* & sanctus Ioannes Chrysostomus homil. in eundem Psalmum, hos duos modos Deum laudandi, his verbis egregie secernit, dicens: *quomodo autem poterunt, dixerit quispiam, ea laudare, quæ neque vocem habent, neque linguam, neque animam, neque rationem? quoniam duo sunt modi laudandi gloriaque & honore afficiendi: unus quidem per verba, alii*

vero

vero per ipsam creaturam; ut cum ipse dicit, cœli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum ejus annunciant firmamentum.. ita etiam hic lauda creatura, pulchritudine, positione, magnitudine, natura, usu, ministerio, constantia, utilitate, quæ ex eis proficiscitur. quando enim dicit, laudate eum Angeli, virtutes cœli, luna, sol, stella, aqua quæ est super cœlos. dicit unumquodque eorum quæ facta sunt dignum esse sapientia Effectoris, & esse plenum magno miraculo. hanc ergo dicit laudem pulchritudinem eorum quæ facta sunt, quæ ei, qui ea fecit, laudes & hymnos comparat.

Igitur in præsentiarum non de laude per opera, sed per verba sermo est, de qua Augustinus in Psalmum 68, vers. 31, *magnæ divitiæ quas gemmas laudis Dei de Thesauro interiori protulit, magnificabo eum in laude. hæ sunt divitiæ meæ, & placebit quod eum laudabo super vitulum, gratius illi est sacrificium laudis, quam sacrificium vituli. amplius ergo placebit Deo laus ejus exiens ab ore meo, quam magna victima adducta ad aram ipsius.* & in Psalm. 49, *securi sumus & imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis quærit à nobis Deus.* Lactantius etiam lib. 6 divinar. instit. cap. ult. *summus colendi Dei ritus est ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio.* qua ergo fronte dicitur quod magni facienda est Religio in quibus est majus orationis studium, quam Psalmodiæ, *cum iste sit summus colendi Dei ritus?*

Hujus ergo Hymnodię ex ore justorum & in Ecclesia sanctorum publice prolatæ utilitates perquirimus. cum autem in Psalterio Davidico tota Scriptura contineatur per modum laudis publica voce canendæ in Ecclesiis & communitatibus Religiosis, Psalm. 25. vers. 12, *in Ecclesia benedicam te Domine.* & Psal. 21. vers. 23, *in medio Ecclesiæ laudabo te.* & quidem in Psalterio Rex David multoties de Ecclesia, in qua futura erant Psalmodiæ, ipsius mentionem facit, Psal. 34. vers. 18. & Psal. 39. vers. 10. & Psal. 67. vers. 27. & Psal. 88. vers. 6. & Psal. 106. vers. 31. Psal. 149. vers. 1. & in omnibus his locis in Ecclesia pro Hebræo est קהל: quod significat congregationem, communitatem. unde sanctus Basilius in Psalmum 25 dicit: *in omnibus totius orbis Ecclesiis per Psalmorum historiam laudari Dominum, propheticis oculis orbis mutationem prævidens. habuit autem fidem vaticinatio: nam in omni terra & mari per piorum linguas David Deum decantat.*

Ex his pullulat non ignobilis utilitas ex Psalmodia in Ecclesia cantata, quod videlicet congregatio illa & Ecclesia Regularis, quæ choro addicta est, præfuit in mente Davidica & oculis propheticis prævisa, quarum linguæ sunt instrumenta ipsius Prophetæ ad laudandum Deum in choro & Ecclesia, extra quam durissimum erat David canere, ut adnotat Lyra ad Psalm. 34. vers. 18, *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* id est, dicit Lyra: *utinam laudem! una enim causa quare David affligebatur in persecutione Saulis erat propter hoc, quod accedere non audebat ad locum divini cultus. vel potest aliter disponi, quod sit Prophetia de futura, cum dicitur confitebor tibi, quia Psalmi à David facti cantabantur à cultoribus Dei in veteri Testamento, & modo cantantur in novo.* ad hanc ergo Prophetiam non pertinet Religio non chorista, neque in illis cœtibus, per quorum linguas hodie canit Psalmos, continentur, sicut omnes Religiones choro addictæ, quorum linguæ instrumenta Davidici cantus & Psalmodiæ sunt.

Secunda utilitas est. replet psallentes in choro alternatim Spiritu Sancto. ita Apostolus ad Ephes. 5. vers. 10, *implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, hymnis & canticis*; quæ tria, ut vidimus supra ex Hilario, denotant Hymnodiam in choro per voces & instrumenta musica. & Ly. *vobismetipsis* interpretatur Hymno. & Cornelius, idem est *quod alternatim.* postquam enim Apostolus dixit, nolite inebriari vino, in quo est luxuria, immediate subdit: *sed implemini Spiritu Sancto*, quasi dicat (interpretatur Cornelius ibi) *studete (in agapis vestris & in conventibus & cœtibus) non ut vino, sed ut gratia Spiritus Sancti impleamini; modum autem & viam subdit, dicens: loquentes vobismetipsis. scilicet dum in unum convenitis, sive in templum ad orandum & agapem, sive in domum ad mensam & cibum in Psalmis & canticis.* hæc illæ. quam dicat, nolite solum convenire ad manducandum & bibendum, sed ad psallendum in Ecclesia. ut enim ait Chrysostomus homil. in Psal. 41, *Psalmos Deus construxit, ut ex ea re simul caperetur voluptas & utilitas.* cujus verba, quia gravissima, & ad propositum valde conducentia, placet referre.

Imo vero primum est necessarium dicere, quanam de causa Psalmus in nostram vitam introductus est, & cum cantico maxima hæc dicitur Prophetia. quanam ergo de causa dicitur? audi cum Deus vidisset multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia libenter accedere, nec qui in eo carpitur laborem tolerare, volens leviorem laborem efficere. ejusque sensum præscindere, admiscuit Prophetiam melodiæ, ut omnes versus cantici numero delectati cum magna animi alacritate ac promptitudine sacros ei hymnos emittant. Nihil æque animam eriget & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exolvit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, ut versus modulatus, & divinum canticum numero compositum. & infra: *ex Psalmis autem spiritualibus lucri quidem plurimum, maxima autem utilitas insignisque sanctificatio, & omnis Philosophiæ occasio processerit; cum & verba animam expient, & Sanctus Spiritus in canentis animam celeriter advolet. quod enim qui canunt cum intelligentia vocent spiritus gratiam, audi quid dicat Paulus: nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu. subjungit tamen quænam sit implendi ratio: canentes & psallentes in cordibus vestris Domino. quid est in cordibus vestris? cum intelligentia inquit: & non os quidem, inquit, verba loquatur, mens autem extraversetur undiquaque divagans; sed ut lingua ab anima audiatur.* & infra: *ubi enim est Psalmus, & oratio, & chorea Prophetarum, & pius canentium animus, non aberraverit quispiam, qui hunc cœtum dixerit Ecclesiam. etsi enim vim verborum non noverit, doce interea ipsum verba dicere: sanctificatur enim lingua per verba, quando ea dicuntur prompto & alacri animo.* & infra: *si quis fuerit senio confectus, seu juvenis, seu voce aspera, seu omnis penitus numeri ignarus, nihil ei vitio dabitur. quod enim hic quæritur est sobria anima, mens vigilans, cor compunctum, valida ratio, expurgata conscientia. si hæc habent, ingressus fueris in sanctum Dei chorum, propter ipsum David stare poteris.*

III. Utilitas, quod Hymnodia in choro & nutrit contemplationem, & contemplatione perficitur. Hymnodiæ hæc utilitas manifesta est in omnibus religionibus Monacharum, quæ solum vitæ contemplativæ sunt addictæ, & tamen ad istam nutriendam psalmodia utuntur in choro, animam sanctam imitantes, quæ quanto majori ecstasi rapta à contemplatione & amore sponsi, dicebat Cantic. 2. vers. 9, *sonet vox tua in auribus meis.* nullum est, quod in Psalmis non contineatur. unde Psalm. 32. vers. 2, *in Psalterio decem chordarum psallite illi.* sicut enim in hoc instrumento decem sunt chordæ, *ita in Psalmis decem præcipua nostræ Religionis mysteria* (ait Chrysopolitanus) *Trinitatis, incarnationis, nativitatis, baptismi,*

doctrinæ,

doctrinæ, passionis, resurrectionis, ascensionis, Spiritus Sancti missionis, jurisdictionis, & universalis potestatis nobis proponuntur credenda & contemplanda, sicut & alia divina attributa & perfectiones. Legatur de hac utilitate Siccus lib. 1. cap. 6. & 9. unde egregie sanctus Hieronymus in cap. 1. epistolæ ad Ephesios: *non quod Deus laude alicujus indigeat, sed quod laus Dei laudatoribus prosit, & dum per singula opera majestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum cum miraculo stuporis erumpant.* Legatur epistola vigesima secunda ad Eustochium cap. 15, & in Psalm. 115. Augustin. etiam, enarratione in Psalm. 85. circa finem: *quid ergo agemus fratres? Psalmus indicat, Beati, qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas & laudas, desine laudare si desinis amare, non autem desinis amare, quia talis est qualem vides, qui nullo te offendat fastidio, & satiat te, & non te satiat.* hæc ibi. ubi Augustinus agens de vita contemplativa dicit: *quod est illius propria actio Dei laus, quæ canitur.* & sic in Psalm. 72. circa illius titulum, *defecerunt Hymni David filii Iesse*, dicit: *Hymni, laudes Dei cum cantico, Hymni cantus sunt continentes laudes Dei; & si sit laus & non sit Dei, non est Hymnus; si sit laus, & Dei laus, & non cantetur, non est Hymnus. oportet ergo, ut sit Hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & cantum. quid est ergo, defecerunt hymni? defecerunt laudes quæ cantantur in Deum; molestam rem, ut quasi luctuosam videtur nuntiare, quam infra dicit regnum David filii Iesse quod defecturum erat. quare*, inquit, *defecerunt hymni David, non Filii Dei, sed filii Iesse.*

Ex quo colligitur alia non incongrua chori utilitas, videlicet conservatio communitatis choro addictæ & Hymnodiæ consecratæ. sic enim Isaias c. 61. vers. 6. dicit: *super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.* in qua verba Oleaster: *ponit custodes super muros Ecclesiæ, ut illa non curet custodiere se, sed solum laudare Deum, quasi dicat Deum teneri perennare facere communitatem, quæ die & nocte non tacet Deo. Hymnos canere quam Deus obligatus manet ad sui defensionem. pones Angelos, qui ipsam specialiter custodiant, tueantur, defendant.* Refert Michael Glicas 4. p. Annal. quod tempore Theodosii ingens Constantinopoli extitit terræ motus, & Patriarcha Procho & Imperatore discalceatis supplicationes instituentibus, accidit, ut puer quidam abriperetur in aëra, & rationem Hymni sanctissimi concinendi edoceretur, quo facto ira divina sedata est.

Tum etiam adversus luporum incursum, civitates & loca evertentium, institutæ sunt Litaniæ & sacra Hymnodia decantata à sancto Mamerco Episcopo Viennensi in Gallia, ut refert Sidonius Apollinaris, qui vixit anno 470. ex quo desumpsit Alcuinus de divinis officiis, cap. 32. quo antidoto divino custoditæ sunt civitates & oppida. simile refert Gregorius Turon. lib. 3 Historiæ Francorum, cap. 29.

Quarta utilitas, eaque magna, est, quod chorus causat in communitate unitatem & concordiam. audi Augustinum in Psalm. 132. vers. 1, *ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, ubi sic loquitur: *iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico, quam in intellectu, etiam Monasteria peperit. ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt, iste versus fuit tuba ipsorum, &c. Ex voce hujus Psalmi appellati sunt Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. quando vos recte de Circumcellionibus insultare cœperitis, illi vobis insultant de Monachis; sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circellionum? forte Circumcelliones vocantur, non Circelliones. plane si hoc vocantur, exponant quid sit? nam Circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagantur: solent enim ire hàc atque illàc nunquam habentes sedes, & facere quæ nostis, & quæ illi norunt, velint nolint*; & infra explicans amplius quid sit habitare fratres in unum, ad illum versum, *sicut ros Hermon qui descendit super montem Sion*, dicit: *quicumque vultis habitare in unum, aptate rorem istum. non ergo habitant in unum, nisi in quibus perfecta fuerit charitas Christi: nam in quibus non est perfecta recta charitas Christi, & cum in uno sint, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate sua turbant cæteros. & quærunt quid de illis dicant. si autem habet rorem Hermon qui descendit super montem Sion, quietus est, placatus est, humilis, tolerans, pro murmure preces fundens.* & infra: *quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem. Vbi mandavit? in fratribus, qui habitant in unum, ibi præcepit benedictionem, ibi benedicunt Dominum qui habitant concorditer. sine causa dicis, quia lingua tua sonat benedictionem, si corde non sones.*

Sed ex aliis Patribus alias chori & Hymnodiæ utilitates in medium deducamus. Iustinus Martyr quæst. 107 ad gentes: *In Ecclesiis non usus carminum per ejus generis instrumenta, & alia incipientibus congruentia, receptus est, sed simplex cantio in eis manet. excitat hæc enim cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium; affectiones & concupiscentias carnis sedat; cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est suggestione oborientes, amolitur; mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat; pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus adversis efficit; omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt, piis adfert medicinam: verbum namque Dei est, & id quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, dæmones fugat atque depellit; & in rebus denique omnibus, quæ piis eveniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.*

Sanctus Basilius in Prooemio in Psalmos: *excogitati sunt concinni isti concentus Psalmorum, ut qui per ætatem pueri etiam dum sunt, aut certe morum maturitate nondum incanuerunt, dum in speciem concinunt & modulantur, re ipsa animas erudiant suas. Psalmus animarum est tranquillitas, arbiter jucundæ pacis, Psalmus amicitiæ est conciliator, unio dissidentium, pacis inter hostes constabiliendæ sequester. Psalmus est profligandis Dæmonibus & depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, vox est Ecclesiæ, Psalmus hic dies festos illustriores reddit ac perfundit gaudio: è corde enim lapideo ciet lachrymas, Psalmus opus est Angelorum, cœlestis illius reipublicæ in communi proposita functio. O inventum sane quam admirabile ac sapiens Doctoris, qui excogitavit quo pacto una eademque opera ipsi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ salutarem condisceremus!* hactenus ibi.

Smaragdus, qui floruit anno 970, in diademate Monachorum capite secundo, sic fatur: *sicut orationibus regimur ita Psalmorum studiis delectamur. psallendi utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat: nam quamvis dura sint carnalium corda statim, ut Psalmi dulcedo insonuit ad affectum pietatis animum inflectit; cumque Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba divina, quæ ibi cantantur debeant commoveri, nescio tamen quo pacto modulatione canentis major nascitur compunctio cordis. multi enim reperiuntur qui cantus suavitate commoti crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, qua psallentis*

inso

insonuerit dulcedo, suavissima oratio in præsenti pro remedio peccatorum effunditur. Psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat, in gloriam sempiternam.

Concludat chori utilitates insigne testimonium Laurentii Iustiniani lib. de disciplina & perfectione Monast. Conver. 17, *est enim Psalmodia quædam Dei ad homines, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris allocutio, quæ immensas in se continet delectationes*, &c. valde pulchra quæ in toto capite continentur. Videat ergo Anonymus ille qua fronte dicat illas Religiones pluris faciendas, in quibus est majus orationis studium, quam Psalmodiæ, cum ista tot habeat utilitates à sanctis Patribus expertas, & immensas in se contineat delectationes, & Deus ipse mirabiliter diligat bonos cantus. notat Berchorius in Repertorio, verbo canere, ex Solino, *fontem esse in Sicilia qui quondam occulto instinctu naturæ videtur in cantu & melodia delectari. si enim juxta fontem aliquis cœperit canticis vel melodiis resonare, statim videbit aquam plus solito surgere & erumpere, & sursum se super margines elevare. sic vere fons sapientiæ verbum Dei in talibus spiritualibus canticis delectatur, & magis solito erumpit in beneficiis, & lætatur.*

Vnde egregie Chrysostomus Hom. in Ps. 116, *nil à nobis æque requirit Deus, ac laudes & gratiarum actiones: propterea enim animam nobis inspiravit, rationales nos fecit & à brutis lingua discrevit, ut eum laudemus, celebremus, & jugiter glorificemus, non quod ipse opus habeat nostra laudatione, sed ut nos doceat gratos esse, & ut quidquid lucri ex ista celebratione fit, ad nos redeat.* hæc ibi.

Est etiam Hymnodia valde proficua & utilis morientibus & defunctis; quod bene probat Siccus lib. 1. cap. 20. Christus enim in hoc nobis dedit exemplum; siquidem moriens in cruce Psalmodia usus est, ex Psalm. 30 dicens: *in manus tuas Domine commendo spiritum meum.* quem imitati sunt multi Sancti, qui Psalmos canentes spiritum Deo dedere, ut ex Historiis constat.

Sectio XVII. *Chorus in Religione non est impedimento hæreseos impugnandæ.*

O Bone Deus! si illi, qui laudes in choro prolatas & modulatas non pluris æstimant, aliquando *Lytiersam canerent cantionem*, ut vel inviti cognoscerent quam sint suaves Hymni in honorem tuum, dicunt enim nimis audacter: *Psalmodiæ publicus usus in Ecclesia Dei non est tantæ necessitatis his temporibus, quantum sunt literarum studia ad hæreses impugnandas & evellendas. propter quod Divus Thomas 2. 2. q. 188. art. 5 concludit, quod est instituenda Religio ad literarum studium, tum propter vitam contemplativam, tum propter activam. & quidem cum hodie excreverit Hæreticorum seminarium, a quibus circumvallati sumus, qui sunt addicti literarum studiis, magis ergo necessarium est in Ecclesia studium, ut ejus ministri sint potentes exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, ut dicit Apostolus ad Titum cap. 1. vers. 8, quam quod choro simus addicti, qui multum insumit temporis, quod in studiis consumere utilius foret ad proximorum & Ecclesiæ utilitatem, & ad hæreses impugnandas, hæreticorumque ora quasi epistomio occludere.*

Verum enimvero, dictum hujusmodi omni vero contrarium est, & oppositum toti antiquitati & traditioni Apostolicæ de Hymnodia publica. qui enim venenum hoc sustinet evomere in Ecclesiam, scientia inflatus est, & vacuus charitate, quæ facit fratres habitare in unum ad Deum laudandum: nam ex charitate laus vocalis ad os diffunditur; iste enim non est concha in Ecclesia, sed canalis. ut enim concha sit, os suum laudare Dominum deberet. ô quam pulchre Bernardus serm. 18 in Cantica: *si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. hic quidem pene simul & recipit, & refundit; illa vero donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat. Verum multos canales habemus hodie in Ecclesia, conchas vero perpaucas.* & explicans quomodo quis in Ecclesia concha fiat, addit: *dicit David Psal. 62. sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudavit os meum, infundere nimirum prius volens, & sic effundere, non solum infundi prius, sed & impleri quatenus de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate.* hactenus ille. canales igitur sunt non conchæ in Ecclesia, qui, ut laborem chori effugiant, sub zelo studii ad resistendum hæreticis *non de plenitudine eructant, sed oscitant de inanitate.* repleta enim anima charitatis pinguedinis prius laudes os eructat in choro, quam inanem hæreticorum confundat errorem. Vnde Rodulphus Flaviacensis, qui vixit anno 950, lib. 17 in Levit. cap. 5 dicit: *nonne qui psallendi formam nobis tradiderunt, hoc commonuerunt nos, ut serviamus Domino cum timore, ut psallamus sapienter, & sic stemus ad psallendum, quod mens nostra concordet voci nostræ? sub Hæreticorum persecutione à Patre nostro beatissimo Ambrosio Mediolani legitur instituta, ad relevandum tribulationis illius pondus, ne scilicet populus Christianus mœroris tædio contabesceret.* hæc ille. videant contrarii si Psalmodia publica sit impedimento impugnandi hæreses.

Deinde hoc ipsum edocuit David Psalmo 103, vers. 8: *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. jucundum sit ei eloquium meum. ego vero delectabor in Domino. deficient peccatores à terra, & iniqui ita ut non sint.* ad quæ verba Augustinus: *psallam quamdiu sum, quia non potest venire in fastidium, qui laudatur, non venit in fastidium laudare, sed semper amatur, semper laudatur.* Chrysostomus ibi & Augustinus amplectuntur Symmachi versionem, qui pro eloquio *dissertationem* sive *disputationem* transtulit, quasi ex Psalmodia ædificatur *disputatio*, ut peccatores & Hæretici in sua malitia obstinati, deficiant confusi.

Igitur sicut David ex Psalmodia disputare addiscit contra hæreticos, ut deficiant, & non sint, sic omnes filii Ecclesiæ choro attendentes, ab ipsis Apostolis edocti disputarunt contra Hæreticos, quibus abundavit Ecclesia à suis incunabulis, & tamen Religiones addictæ cum ipsis disputantes vicerunt, expulerunt, confuderunt; & quidem negari nequit quod Arrianos, Pelagianos, Manichæos everterunt & convicerunt Religiosi, addicti choro ex sua institutione. neque enim ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad nostra tempora non fuit aliqua Religio instituta, quæ non fuerit chorista, ut ex Basilio & Benedicto constat, tum ex Dominico & Francisco, ex quorum familiis quanti filii Hæreticos obmutescere fecere, deficiet tempus si dicere voluero, plenæ sunt Historiæ & Annales Ecclesiastici; quare superfluum est in hoc tempus terere. quid ergo obstat in Religionibus Hymnodia publica in choro ad studium, ut arguantur Hæretici?

Quod si ad nostra tempora & posteriora secula convertamur, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, Melanthonem & alios hujus farinæ homines nunquid sola Religio non addicta choro evicit? absit, cum tot homines insignes ex Religiosis familiis tum libris, tum prædicationibus, tum fortissimis argumentis & eruditissimis controversiis ipsos eliminarint & confuderint; quæ communitas Albigenses

ejecit? quæ Berengarium confudit? quæ Petrobrusianos? quæ schismata ab Ecclesia exclusit? quæ concordiam inter Christianos Principes effecit? nisi addicta choro, in quibus fuit vera, & fundata doctrina, ex qua tot volumina gravissima tanquam rivuli ex fonte dimanarunt. & tamen Religiones istæ junxerunt Psalmodiam publicam & studium. consideret quis animo pacato hæc quæ diximus, & dubio procul judicabit ad impugnandas hæreses necessarium non esse, quod universa aliqua Religio careat choro, ex cujus carentia magna sequi possunt incommoda, ut sectio 18 proponam.

Vt tamen hoc ita esse constet, aliqua speciatim exempla in medium adducamus, quibus ostendatur Religiones choro addictas & publicas habuisse scholas, libros insignes composuisse, hæreticos impugnasse, Ecclesiamque Catholicam Romanam ex omni latere propugnasse, amplificasse, condecorasse. & quidem scholarum & publici studii magna est antiquitas, ita ut pene cum hominum multitudine sit orta, & ipsius sacræ Scripturæ origine; hæc autem ab ipso Enos incepit, ut ait Augustinus lib. 15 de Civitate cap. 23. & quidem Scholæ publicæ ad docendum fere nulla fuit natio politica, in qua non fuerint institutæ, ut notum fiet cuicumque legenti Socratis, Platonis, & Aristotelis vitas. Athenis fuit publicum literarum Musæum, Romæ, & fere ubivis terrarum. Liber etiam Iosuæ cap. 15. meminit civitatis David, quæ antea *Cariath Sepher*, id est, *civitas literarum* dicebatur; & sic antequam in Palæstina cultus veri Dei innotesceret, erat locus publicus & civitas ubi publice docebatur, ut dicunt ibi Lyra, & sequitur Cornelius, Genes. 25. vers. 27. & tempore Iacob, qui vir simplex fuerat, habitabat in Tabernaculis, id est, *in scholis* Sem, Heber, & Abrahæ. erat enim, ut vertit Chaldæus, *Minister Domus doctrinæ*. unde optime Abulensis q. 6. in cap. 15 Iudicum dixit, quod ista urbs fuit locus studiorum, & gentiles ad celebrandum famam terræ suæ vocaverunt urbem *Cariath Sepher*, id est, *urbem literarum*: nullo enim medio Respublica aliqua celebrior efficitur, quam publico studio literarum, quibus juvenes instruantur variis & honestis scientiis in lege Domini, & in disciplina morum.

Quare existimo vix fuisse communitatem Religiosam, quæ literis non vacarit tum ad propriam instructionem, tum ad proximorum utilitatem, si non publice legendo auditoribus, tamen libros valde utiles conscribendo ad proximi ædificationem, & Ecclesiæ tutamen & propugnaculum; Elias scholam publicam habebat, & Prophetarum filios, discipulos. Christus etiam, & sanctus Ioannes Baptista suos scholares in vera doctrina instruxere. sic etiam Apostoli in ea parte orbis, quæ *cuique* sorte cecidit, suas Euangeliis scholas rexere & tutarunt, usque ad sanguinis effusionem. sed de hac materia latissime alibi, præcipue Cornelius in Genes. cap. 25.

Vnde Augustinus lib. 18 de Civitate cap. 39 dicit, quod Moyses in populo Dei constituit, qui docendis literis præessent, dicti literarum inductores, vel introductores, qui Exodi 18 dicuntur in nostra vulgata Magistri, & Doctores. & Lyra in caput 2 & 4 libri 1 Paralip. dicit, quod Othoniel *apud Hebræos doctorem egit, & scholam publicam tenuit*. ad quem venerunt doctrinæ causa filii Cinæi filii Iethro, cognati Moysi, de quibus dicitur cap. 2 citato, *cognationes scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes*, hoc est, in scholis, ut supra dicebamus, ex Cornelio de Iacobo, qui etiam in tabernaculis doctrinæ causa habitabat; atque ita studio literarum non opponitur aliquatenus cantus in choro; quod manifestius fiet ex sequentibus.

Prima apud Christianos Academia fuit Alexandrina, à Beato Marco Euangelista instituta & fundata, cujus auditores non minori aviditate vacabant literis ac choro; utrumque mira dispositione conjunxerunt; quod eleganter nobis tanquam testis omni exceptione major, & omni carens suspicione, scriptum Philo Iudæus lib. de contemplativa vita, parum à fine reliquit, in solatium Religionum choristarum, ubi: *indicto silentio, ita ut neque mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare, vehementius proponit quispiam quæstionem è Sacris literis, aut solvit ab alio propositam, nihil de solutione solicitus. non enim captat laudem argutiarum aut eloquentiæ, hoc tantum agit, ut rem diligentius perspiciat, tum perspectam non invideat minus perspicacibus, sed non minus discendi cupidis. atque ita immoratur doctrinæ subinde inculcans, imprimensque animis præclaras sententias.* & infra: *nec minori attentione juniores qui adstant, auscultant; enarrationes autem sacrarum Scripturarum constant ex allegoriis.* ecce ex Philone Academia & locus publicus literarum. sed audi eosdem Clericos sive Monachos Alexandrinos etiam Hymnodiæ deditos, simul & studiis. aliquantulum à principio: *versantes sacra volumina, dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à majoribus, scrutando ejus allegorias. habent etiam priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis ejusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant. itaque non solum contemplantur, sed etiam Cantica Hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere*, &c. quæ omnia luculenter repetit lib. de Simplicibus, & ex eo Eusebius lib. 2 Histor. capite 17.

Hujus primæ Ecclesiasticæ scholæ Magister fuit Pantenus ex Philosopho gentili factus Christianus, de cujus zelo & fidei ardore dicunt Hieronymus in Catalogo, & Eusebius lib. 4 Hist. cap. 10. *amore ardentissimo erga Scripturam sacram flagrantem tantum studii in illa propaganda posuisse, ut Præco Euangelii gentibus, quæ Orientem incolunt, ordinatus ad Indorum regiones, sese conferret.* hæc ille. quid ergo obest studiis literarum & prædicationi ad gentes choro vacare? Religionem post Pantenum secutus est ejusdem scholæ Magister Clemens ille Magnus Alexandrinus; in hujus locum Origenes successit Magister; quem secundum post Apostolos Magistrum dicit Augustinus, & de Origine plura Hieronymus ubi supra. legatur omnino Castro de Hæresibus libro tertio, verbo studium.

Et hoc exemplo per multos annos olim literarum disciplina intra sola fere Monachorum & Religiosorum Clericorum, qui omnes erant choro addictissimi, domicilia stetit, ut ait quidam eruditus Politicus lib. 4 politic. cap. 8. quod verissimum, ut ostendit Baronius ad annum Christi 802. unde ex Constitutionibus Caroli Magni, quarum facit mentionem Concilium Cabilonens. sub Leone tertio & Carolo Magno anno 803, dicit: *oportet quod, sicut Dominus Carolus Imperator præcepit, scholas instituant (in Monasteriis & Episcopiis) in quibus literaria solertia disciplinæ, & sacræ Scripturæ documenta discantur.* & in Concilio Toletano 4, celebratum anno 610, Æra 648, sub Gundemaro Rege & Bonifacio IV, Canon. 8, *sequi in choro impuberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi commaneant, ut lubricæ ætatis annos in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo viro seniori, quem & Magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant.* non ergo chorus studio literarum contrarius. unde Carolus Magnus constituit, quod in scholis erectis in Monasteriis, *Pueri tam liberæ quam servilis*

servilis conditionis Grammaticam, Musicam, Arithmeticam docerentur. floruerunt monasteria in studiis publicis, cœnobium sancti Trudonis, sancti Amandi in Belgio. & in hoc non immoror, quia plenæ sunt Historiæ Ecclesiasticæ & Annales Religiosorum. cum hæc ergo verissima sint, qua fronte dici potest chorum esse impedimento studiis ad impugnandos hæreticos?

Quare ad eos qui, ut studiis literarum vacent & aliis operibus in proximos, à choro vacant, loquitur Bernardus sermone 36 in Cantica: *Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint & prosint literati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos.* & infra adducto Apostoli testimonio ex epist. ad Rom. 12, *non plus sapere quam oportet sapere. sed sapere ad sobrietatem*, dicit: *non prohibet sapere, sed plus sapere quam oportet. quid est enim sapere ad sobrietatem? vigilantissime observare quid scire magis primove oporteat: tempus enim breve est. est autem quod in se est omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit. sed tamen qui cum timore & tremore suam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius amplinsque curato, quam senseris viciniora saluti. nonne Medici corporum medicinæ portionem definiunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, & quemadmodum quidque sumere oporteat? nam, etsi bonos constat esse cibos quos Deus creavit, tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non observas, reddis non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite de scientiis. sed melius mitto vos ad Magistrum* (Paulum 1 ad Corinth. 8. vs. 3.) *qui se putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire. vides quomodo non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit. quid ergo dicit modum sciendi? quid? nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. quo fine? ut non ad inanem gloriam & curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad utilitatem tuam vel proximi. sunt enim, qui scire volunt eo fine, ut sciant, & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est.*

Videant ergo qui dicunt studio ad impugnandos hæreticos impedimento est chorus institutus ab Apostolorum temporibus. si enim modus sciendi requisitus à Paulo, & enucleatus à sancto Bernardo, observetur ad studium necessarium, ut defendatur Ecclesia ab incursibus hæreticorum, & ad vacandum choro, non deficiet tempus ad impugnandos hæreticos, libros conscribendos, &c. sicut ipsi Bernardo & aliis sanctissimis & doctissimis Religiosis non defecit: *omnia enim tempus habent*, & quamvis aliqui ex dispensatione choro propter occupationes has non assistant, assistit tota communitas.

Ex his clare constat, quod velit Divus Thomas, dum dicit, quod potest institui aliqua Religio ad studium, sicut potest institui ad vitam contemplativam, vel ad activam, vel comprehendentem utramque, sicut sunt ordines Mendicantium, nostra Religio & aliæ; tamen sicut istæ non excludunt Hymnodiam publicam, ita neque illa excluderet, nec deceret quod excluderet, nisi esset, ut sæpius dixi, ex privilegio Summi Pontificis, cui decreto & determinationi standum est; sed nulla erat Religio in Ecclesia, quæ vera esset Religio sine votis solemnibus, sine quorum solemnitate non erat immutabilitas, quæ est de ratione status, & tamen ex privilegio Pontificio est verus Religiosus, qui in societate emisit vota simplicia, quod hodie negari nequit.

SECTIO XIV. *Hymnodia in choro est magis necessaria in Ecclesia, quam studium scientiarum.*

VTrumque valde necessarium est in Ecclesia Dei, primum ad laudandum Deum, & excitandam devotionem & amorem in ipsum; studium vero ad vitandos errores contra fidem, & revincendos hæreticos contra ipsam insurgentes. quare cum inter necessaria unum sit magis necessarium, quam aliud, dubium est quid sit magis necessarium in Ecclesia, Hymnodia publica, an studium scientiarum? scite dixit Anacletus Sileus lib. 1 de Ecclesiastica Hymnodia cap. 2, *Quod si unius necessitas cum alterius comparetur necessitate, non erit inconveniens asserere majorem aliqua ex parte necessitatem in usu publicæ Hymnodiæ, quam in studiis literarum.* quam assertionem inibi erudite probat ab exemplo sancti Antonii Paduensis, qui prædicans verbum Dei multitudini, visus est tacere spatio temporis, ut choro, in quo functionem habebat, assisteret. voluit enim Deus, ut à prædicatione cessaret, ne abesset choro. probat etiam Historia de qua Rufinus lib. 1 Hist. cap. 3. qui refert, quod, cum quendam Philosophum concludere non possent docti Christiani, id præstitit quidam illiteratus homo.

Sed ego nervosius id præstabo, ut omnes agnoscant majorem in Ecclesia Dei militante inesse necessitatem publicæ Psalmodiæ in choro, quam studii literarum. *Hoc enim* (teste Divo Thoma) *ut non deficiat à fine Religiosæ vitæ contemplativæ, aut mixtæ, primo ordinatur ad vitam contemplativam, ad quam studium literarum dupliciter adjuvat: uno modo directe coadjuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum: vita enim contemplativa, de qua nunc loquimur, principaliter ordinatur ad contemplationem divinorum, in qua dirigitur homo per studium ad considerandum divina; unde in laudem viri justi* dicitur Psalmo primo: *in lege Domini meditabitur die ac nocte. & Ecclesiast. 39, dicitur sapientiam antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. alio modo juvat studium literarum indirecte ad vitam contemplativam, removendo contemplationis pericula, scilicet errores qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt. Vnde Gregorius lib. 6 Moral. cap. 26 dicit, quod nonnulli, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum veritatis esse discipuli humiliter negligunt, Magistri errorum fiunt.* hæc ibi. cum ergo Psalmodia publica ad vitam pertineat contemplativam & divinorum considerationem, ad Psalmodiam publicam per se ordinatur studium: unde cum necessitas studii sit propter necessitatem Hymnodiæ, major est hujus necessitas, quam illius; quia *propter quod unumquodque tale est, illud magis.* His accedit quod, ut supra vidimus ex Lyra, tota sacra Scriptura continetur in Psalterio per modum laudis. atqui in Ecclesia omne literarum studium, si recte ordinari debet, est propter intelligentiam sacræ Scripturæ, ut dicit Divus Thomas 1 p. q. 1. art. 3. explicans illud: *Vocavit ancillas suas, ut venirent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* & Paulus: *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est, &c.* atque ita urgentior in Ecclesia Dei est necessitas Hymnodiæ in choro, quam studii literarum. hinc est, quod sapientiores in omni scientiarum genere ponebantur Magistri Cantores, ut constat ex Abulensi lib. 1 Paralip. cap. 15. q. 16, & cap. 25. q. 6, ubi dicit: *quod Asaphat, Heman & Idithum erant sapientiores, & comparantur in sapientia Salomoni*, & tamen erant addicti choro.

Deinde urgentius; quia Deus nil à nobis æque requirit ac laudes & gratiarum actiones propterea enim animam nobis inspiravit, & à brutis lingua discrevit, ut eum laudemus, celebremus, & jugiter glorificemus, ut ait Chrysostomus in Psalm. 116. non autem à nobis ita requirit studium literarum. Ergo manifeste necessitas chori in Ecclesia urgentioris est obligationis, quam necessitas studii: hæc enim non ratione sui inducitur. unde in superioribus monstratum ex Augustino & aliis Patribus reliquimus, quod sacrificium laudis, hoc est laudatio Dei publica, magis æstimatur, quam quodlibet aliud sacrificium, (excepto Eucharistico,) & quælibet alia ceremonia exterior. Est enim laus publica Dei perfectior cultus omni alio, qui illi potest deferri in omni lege, excepto, ut dixi, sacrificio Missæ. at vero necessitas studii literarum non per se exigitur à Deo, sed per accidens ad exclusionem errorum, & impugnationem hæresum.

III. Quia vita contemplativa est magis perfecta & magis dilecta à Deo, ac per consequens magis necessaria in Ecclesia, ut late & egregie probat sanctus Thomas 2. 2. q. 82. art. 1. propter novem quæ ibi ponit argumenta satis concludentia. atqui ad vitam contemplativam per se pertinet Hymnodia & laudare Deum, ut est apud omnes Patres indubitatum. Ergo ista magis necessaria est in Ecclesia, quam literarum studium, quod per accidens requiritur. quam rationem expressit Augustinus lib. 19 de Civitate, cap. 19, his verbis: *Otium sanctum quærit charitas, veritatis negotium justum* (scilicet vitæ activæ) *suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis utilitatem. sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimatur ista necessitas.* ex quibus Augustini verbis colligit sanctus Thomas, ubi supra ad 3. *Quod dum aliquis à contemplativa vita ad activam vocatur, hoc non fit per modum substractionis, sed per modum additionis.*

Ex quibus constat, ut optime notavit Cajetanus ibi §. ad tertiam: *Quod Status Religioso, profitenti vitam mixtam ex contemplativa & activa, sicut & Status Prælatorum, non sunt propria opera vitæ activæ, sed Statui eorum conveniunt opera vitæ activæ & opera vitæ contemplativæ, ut Augustinus ubi supra, & Gregorius in pastorali p. 2. cap. 1. expresse dicunt. & propterea, sicut status Prælatorum neque activus, neque contemplativus est, sed ex utroque mixtus (est enim tertium vivendi genus, ut dicit Augustinus) ita procul dubio opus mixtum, quod est proprium Prælatis, scilicet contemplari & agere, perfectius est quam opus contemplativum, & quam opus activum. unde & Dominus non dixit de Maria quod optimum sibi elegit, sed quod optimam partem sibi elegit. melior est enim pars contemplativa; utraque tamen parte melius est ipsum totum, quod proprium est Statui Prælatorum.* hactenus Cardinalis.

Ex qua doctrina (quæ verissima est, ita ut à nemine Catholico negari possit) fit quod, quamvis aliquibus personis aliqua opera vitæ contemplativæ sint impedimento operibus vitæ activæ, quæ tenetur exercere vel ratione officii, vel ratione instituti quod profitetur, & ita illi sit magis necessarium studium, quam chorus & laus publica: tamen hoc est per accidens, non ex vi studii & chori: ut enim notat sanctus Thomas q. 82 citata, art. 1. in corp. *Vita activa & ejus exercitium magis propter se diligitur; vita autem activa, & ejus exercitium ad aliud ordinatur, secundum illud Psalmi 26. unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.* major ergo ex genere suo resplendet necessitas in laude publica chori, quam in studio literarum.

Sed notandum, ut clarius totum hoc patescat, quod major necessitas fundatur in majori perfectione. unde quo aliquid est perfectius substantialiter, est magis necessarium; vita autem contemplativa simpliciter & substantialiter est perfectior in suis exercitiis, ast vita activa in suis est perfectior secundum se, in ratione meriti. ut enim advertit egregie Cajetanus in commentario dicti articuli r. §. unde ad primum: *Vita contemplativa directe ordinatur ad charitatem divinæ veritatis, activa vero ad charitatem proximi; & diligere Deum majoris meriti est, quam diligere proximum; quamvis ex parte agentis majoris quandoque meriti sit vita activa, quam contemplativa.* quod miro modo explicuit Divus Thomas art. 2. ubi in solutione ad 3. expliecat Divi Gregorii homil. 12 in Ezechiel. dictum, quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quam zelus animarum; *per quæ verba*, ait sanctus Doctor, *non præfertur meritum vitæ activæ merito vitæ contemplativæ, sed ostenditur magis esse meritorium, si quis offerat Deo animam suam & aliorum, quam si offerat quæcumque alia dona externa.*

Vnde manifestum est, quod laus Dei publica in choro majoris est necessitatis in Ecclesia, quam studium scientiarum ad revincendos hæreticos, quia hoc est exercitium vitæ activæ, & illa vitæ contemplativæ; cujus rationem brevi stylo dedit sanctus Thomas art. 1. citat. *Quia vita contemplativa est secundum divina, circa quæ versantur ejus exercitia; vita autem activa est secundum humana, ad quæ tendunt ejus opera.*

Sed contra hanc verissimam resolutionem potest quis objicere S. Tho. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3. ubi sic loquitur: *Nobilior modus est provocandi homines ad devotionem per doctrinam & per prædicationem, quam per cantum, & ideo Diaconi & Prælati quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent cantibus assistere, ne per hoc à majoribus retrahantur. unde ibidem Gregorius (lib. 4 Registri cap. 88. & citat. cano. in S. Romana. 92.) consuetudo est valde reprehensibilis, ut in Diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad Prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat.* ex quibus verbis arguit Anonymus ille auctor epistolæ ad Magnatem: *Quod si propter eleemosynas corporales sacra Psalmodia debet omitti, multo magis propter spirituales, uti sunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recte consulere; consolari mœstos, sacramenta administrare, libros pro defensione Ecclesiæ, & alios similes pro dilatanda divina gloria conscribere.* hæc ille. ergo studium, quod ad ista omnia requiritur, majoris necessitatis, est quam chorus & laus publica, quæ, ne sit his impedimento, omitti debet.

O bone Deus! quot absurda hæc objectio ex mala Patrum intelligentia ad suum sensum coacte exposita invexit; ut enim ait Bernardus in illa celebri epistola ad fratres de monte Dei: *Si in lectione Deum quærit qui legit omnia, quæ legit cooperantur ei in bonum, & captivat sensus legentis, & in servitutem redigit omnem servitutis intellectum in obsequium fidei Christi: si in aliud declinat, sensus legentis omnia trahit post semetipsum, nihilque tam sanctum, tam pium invenit in Scripturis, quod, seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum super pravum intellectum, non applicet vel malitiæ, vel vanitati.* hactenus mellifluus Doctor, quæ Anonymo & similibus apte conveniunt.

Et in primis Divus Thomas non loquitur de laude Dei publica effusa in choro, quatenus est cultus debitus

bitus Deo & sacrificium laudis: hoc enim modo plus illi placet, quam quælibet alia exterior actio ordinata sive in ipsum, sive in proximum; & sic ex hac parte est magis necessaria, quam studium scientiarum requisitum ad illa opera obeunda; si tamen laus publica in choro consideretur, quatenus provocat fideles ad devotionem, nobilior est modus provocandi ad illam per prædicationem & doctrinam, quam per cantum. Sed ex hoc non colligitur, quod laus Dei publica, quatenus est cultus Deo debitus, non sit magis necessarium obsequium in Ecclesia Dei, quam studium literarum. quare ut illi vacet Ecclesia aut Religio, non debet vacare à choro.

II. Sanctus Doctor secutus est Divum Gregorium, qui solum reprehendit, quod qui vacant prædicationi & doctrinæ, insistant cantui figurata & modulatione vocis: per hoc enim à majoribus exercitiis retrahuntur. unde sancti isti Doctores non reprehendunt vacare Psalmodiæ in Prælatis & Diaconis, & aliis qui insistunt conversioni animarum; sed vocis modulatione insistere, & studium applicare.

III. Respondet Nicolaus à Iesu Maria in sua Apologia, proposit. 58. quod aliud est loqui de singularibus personis, an debeant abstinere à cantibus, (& de his loquitur sanctus Thomas) ne per hoc à prædicatione & doctrina retrahantur; aliud vero loqui de communitate aliqua seu congregatione: sic enim in praxi videmus, quod quamvis Episcopi non intersint choro, tamen congregationes clericorum, quibus ex instituto incumbit cura animarum, peragunt officia chori. similiter Religio potest attendere & choro & conversioni animarum, vel quia utrumque simul congrue & commode perficere potest distribuendo tempora ordinata, vel quia saltem non omnes apti & idonei sunt prædicationi actuali, & ii possunt choro deputari; vel quia non est tanta necessitas prædicationis, ut omnes exponi cogat. sic videre est in tot sanctissimis Religionibus, plurimos simul & choro & actioni incumbere, ut patet de inclyto ordine Prædicatorum, & præclaro ordine sancti Francisci, & tot aliis ordinibus in Ecclesia Dei insignibus.

Ex quibus liquido constat, quod laus publica in choro est magis necessaria in Ecclesia, quam studium literarum requisitum ad doctrinam & prædicationem, quia chorus est sacrificium laudis, quod Deus à nobis, in communitate existentibus destinata ad chorum, exigit; at non exigit tantum studium, quod consumat totum diei tempus; quando autem quis occupatus existit in docendo, vel in prædicando, vel in conscribendis libris utilibus Ecclesiæ Dei, congruum est, ut à choro vacet. Sed hoc non faciunt omnes alicujus communitatis, ut experientia constat, & videmus. Vnde sanctus Thomas 2. 2. q. 188. art. 4. inquirit utrum aliqua religio possit institui ad prædicandum, & confessiones audiendum, & cum proposuisset tertium argumentum, *quod videtur inconveniens quod auctoritas prædicandi & confessiones audiendi infinitis hominibus committatur. Sed non est certus numerus eorum, qui in Religione recipiuntur. ergò.* ad quod argumentum sic respondet: *ad 3 dicendum, quod à Prælatis non conceditur talibus Religiosis, ut quilibet indifferenter possit prædicare, vel confessiones audire; sed secundum moderationem eorum, qui hujusmodi Religionibus præficiuntur, vel secundum taxationem ipsorum Prælatorum.* hæc ibi. ergo qui in talibus non exercentur, choro possunt vacare, quia Deum laudare corde & ore in choro omnibus convenit.

SECTIO XIX. *Inconvenientia quæ oriri possunt in communitate ex defectu chori.*

CVm ex dictis in superioribus magnæ chori utilitates sunt enucleatæ, ut opposita juxta se posita magis elucescant, & Religiones choro addictæ gloriosores ex suo instituto in Domino existant, placuit aliqua inconvenientia in medium proferre, quæ in ipsis, si choristæ non essent, possent evenire; & protestor me nec imaginatione pulsatum ad aliquam communitatem à Sede Apostolica approbatam, sugillandam aut mordendam: quamvis enim, ut bene Potho Presbyter Prumiensis lib. 3 de statu domus Dei, aliquantum post principium: *in domo Dei, quam sapientia condidit, quamque spiritualibus disciplinis regit, nihil residere monstruosum conveniat; hac vero dispensatione domum suam sapientia gubernat, ut, quamvis in una eademque Christianæ fidei Religione universalibus institutis eam moderetur, particularia tamen instituta unicuique ordini ac professioni tribuit. Attamen particularia præcepta, quæ cuilibet professione specialiter assignata sunt ab universalibus institutis, in nullo discordent. Nam particularia instituta, si ab universalibus discreparent, vim suam amitterent, sicut ramus ab arbore, rivus à fonte præcisi ariditate pereunt.* tamen subdit egregie: *Nonne Romani Pontifices, qui in plenitudine potestatis Ecclesiæ præfuerunt, quorum videlicet auctoritate universalium canonum decreta conscripta sunt & corroborata, illis præferendi sunt,* &c. Quare dicere oppositum de Religione approbata mihi piaculum est: nam si aliqualiter videatur ab antiquis institutis discordare: tamen approbatio Apostolicæ Sedis concordem facit dispensatione & beneplacito suo cum capite. quod elegantissime idem Potho dixit: *sicut enim* (ait) *Deus Pater omne judicium dedit Filio, sic Filius Dei omne judicium suum Apostolicæ Sedi concessit, quæ videlicet totius Ecclesiæ Caput à Domino constituta, sua sapientia & discretione, tanquam duorum in uno capite oculorum provisione, totum Ecclesiæ corpus cum subjectis membrorum officiis,* &c. & infra: *solum Sedis Apostolicæ dispensationi concessum est, pro temporis necessitate, aut utilitate Ecclesiæ aliquid de institutis Patrum commutare. Vnde Beatorum Pontificum Gelasii, & Leonis decreta in hac sententia concordant: ubi necessitas non est, nulla modo Patrum statuta violentur; ubi vero necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ qui præest ea dispenset:* quod fere synchronos Pothoni dixit Bernardus libro de præcepto & dispensatione, capite 9, pagina mihi 924.

INCONVENIENS I. *Non videtur satisfieri intentioni Christi, & Ecclesiæ instituentis officium divinum, ut dicatur publice in choro.*

QVamvis Theologi & Iurisperiti bene asserant, quod intentum legislatoris sub lege ab ipso promulgata non cadat, sed quod quis satisfacit obligationi legis, etsi non exequatur legislatoris intentionem; tamen magnum procul dubio inconveniens est, quod tota Religione, quæ diffusa esse potest à solis ortu usque ad occasum, in qua major pars est Sacerdotum, vel sacerdotio destinatorum, non adimpleatur intentio instituentis officium divinum publicum, ut publice dicatur in Ecclesia alternatim in choro; sed quod quilibet talis communitatis & congregationis in suo cubiculo privatim pensioni horarum canonicarum satisfaciat, ut vere satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Et quidem, quod intentio Ecclesiæ instituentis divinum officium fuerit, quod diceretur à communitate Ecclesiasticorum in choro publica & alta voce, manifestum est ex pluribus, quæ nullus non solum non inficiabitur, sed neque inficiari potest: nam præterquam quod id manifeste constat ex Institutoribus Religionum in Oriente & Occidente, Basilio, & Benedicto, Augustino & aliis, ex sancto Ambrosio constat, ex Clemente Romano l. 2 constitutio. cap. 54, & lib. 8. cap. 34. ubi septem horas canonicas distinguit, constat etiam ex innumeris Patribus utriusque Ecclesiæ, quos supra dedi.

Hanc etiam fuisse Ecclesiæ intentionem manifestissime comprobo ex dispositione ipsiusmet officii divini. primo, quod dicatur alternatim uno choro canente, & altero audiente, quem modum introduxere apud Græcos Beatus Ignatius discipulus S. Ioannis Euangelistæ, & ejus imitatione apud Latinos sanctus Ambrosius, quem modum universa Ecclesia observavit, ut tradunt Socrates lib. 20 Hist. cap. 19. & Calixtus lib. 13, cap. 8. isti enim introduxere Antiphonas, ut unius chori unus tonum canendi Psalmum aut canticum aliis monstraret, & in illo tono alternatim caneretur Psalmus: instituti etiam sunt versus, quia dum cantantur vertit se chorus ad altare, teste Alcuino de divinis officiis, cap. de Missarum celebratione, quem sequitur Amalarius de ordine Antiphonarum, & lib. 4 de officiis Ecclesiasticis cap. 12 & 46. & lege potest Azor tom. 1. lib. 10, cap. 15. §. de versu, de responsoriis, quæ in officio divino antiquissima sunt, & dicuntur post lectiones, & sic appellantur teste Isidoro lib. de Ecclesiasticis officiis, cap. 9, *quia uno cantante chorus consonando respondet*. cui consonat Rabanus Maurus l. 1 de institutione Clericorum cap. 15. & sic discurrendo per omnes officii partes, cuilibet constare potest, Ecclesiam ex primaria intentione officium divinum composuisse, ut publice psalleretur in choro. quare congregatio Religiosa aut Clericalis, quæ publice in Ecclesia illud non dicit, dubio procul non satisfacit primariæ Ecclesiæ intentioni, quæ imitata est Regium Psaltem; qui Hymnos & Psalmos composuit, ut laudaretur Deus publice in templo & in Ecclesia, ut excellentissimus Dei publicus cultus non deficeret de ore hominum; quam magnum autem inconveniens sit hoc in tota una communitate, si sit late diffusa in tota Christianitate, nullus est, qui non videat. Eadem Ecclesiæ intentio manifesta fit ex campanarum usu antiquissimo in Ecclesia Dei, ad convocandos ministros Ecclesiasticos ad canendum divinum officium in Ecclesia & choro. ita Auctor ordinis Romani cap. de ordine processionis, Alcuinus de divinis officiis cap. 17. Concilium Aquisgranense sub Ludovico I anno 816, cap. 131. sanctus Eulogius Archiepiscopus Toletanus, & Martyr Cordubensis in Memoriali Sanctorum, quod habetur in mea Biblioth. tom. 9. Ivo Carnotens. epistol. 167. Vnde glossa ad caput primum de officio custodis ponit hos versus, quos omnes Catholici admittunt de campanis:

Laudo Deum verum, plebem voco, convoco clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Negari ergo nequit, intentionem Ecclesiæ fuisse, quod officium divinum in choro Ecclesiæ diceretur. id quod constat tum ex orationibus, tum ex confessione & absolutione, quæ semper loquuntur in plurali, atque ita institutæ sunt pro pluribus, sicut & Dominus vobiscum, de quo specialem edidit tractatum Petrus Damianus.

Cæterum, etsi Religio quæ à choro vacat ex sua institutione, à Romano Pontifice confirmata, videatur non satisfacere intentione Ecclesiæ instituentis officium divinum ad dicendum in choro; tamen dispensatio Pontificia facit, quod defectus iste non sit moralis, & summus Pontifex suo privilegio & Bulla confirmatoria instituti facit, quod hoc non sit inconveniens in tali Religione, quæ tot fructus contulit Ecclesiæ Dei, qualis est societas Iesu quæ hoc institutum habet. Et juxta hanc explicationem intelligenda sunt quæ sequuntur inconvenientia, quæ solum propono, ut videantur secundum se & Ecclesia confirmatione Pontificia.

INCONVENIENS II. *Quod non sint nocturna Vigiliæ, si chorus non est.*

Militaris disciplina veterana totam noctem in quatuor vigilias partitur, & quælibet ex tribus horis constabat, ut dicunt Vegetius de re militari lib. 3, cap. 4. Hieronymus epistola 139. Augustinus sermone 14 de verbis Domini. quare, si jure statutum, & in more necessario positum sit sic vigilare milites propter incursus nocturnos inimicorum, quos habent Imperia, quid facient milites Christi propter hostes animę, & propter timores nocturnos, quos infert infernus? semper enim circuit quærens quem devoret per suos ministros, quibus illo etiam tempore resistere debemus fortes in fide. quare Arnobius sic vigilias applicat Ecclesiastico officio. Prima custodia à vespere, secunda à media nocte, tertia à tertia noctis hora, quarta vigilia matutina; in quibus (ut ait Guilielmus Durandus in Rationali lib. 5, cap. 3. secutus D. Thomam 2 ad Corint. 14. lect. 4.) olim quatuor vigiliæ distinctæ recitabantur, etsi Ecclesia, attendens humanæ fragilitati, has quatuor vigilias, tres nocturnas, & alteram matutinam in unam noctis vigiliam commutavit, in qua dicitur matutinum cum laudibus. quam commutationem omnes fere Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ insignes, similiter & omnes fere Religiosi cœtus observent, licet quidam ad mediam noctem; quidam vero antelucani, ut mea Religio facit, & aliæ; tamen nulla est quæ vigiliam noctis non custodiat, utpote cum nocturnæ preces publicæ honestæ sint à primitiva Ecclesia institutæ ad animarum præsidium, contra illarum invisibiles hostes. Vnde Hieronymus epistola 52 ad Riparium sic fatur satis ad rem: *etiamsi nox sit ad humanam quietem deputata, adhuc tamen multis familiare est aliquam particulam noctis operibus deputare, & pro lucro habere aliquid de somno suo ad operandum furari. cujus gratia laudatur fœmina à Salomone quæ pensa & lanificium ad lucernam vigilanter exercet, & sic viro suo gloriam & laudem adscisit. etenim in Proverbiis de muliere forti dicitur quod nocte surrexit, & quod digiti ejus apprehenderunt fusum, & quod nobilis in portis vir ejus. si in carnalibus instrumentis qui vigilat, non reprehenditur, imo laudatur, mirari me fateor esse aliquos, qui sacras vigilias tam spirituali opere fructuosas supervacuas existimant, aut otiosas, aut importunas.*

Et paulo post: *hos non alios, quam pigros & somniculosos, vel saltem senes infirmosve esse posse. quod si pigri sunt, habere contra se sciant Proverbium illud cap 9. ℣. 6. vade ô piger ad formicam; si somniculosi, illud, usque quo piger dormis? si autem senes, habent contra se quod nemo eos compellit ut vigilent, maxime quod senes eo ipso quod senes sunt, vigilare compelluntur; si autem infirmi, vigilantibus sese conjungere debent, ut illos precibus viribusque adjuvent, Psaltem ut aliquando dicant: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.*

Et tandem concludit: *non debere onerosum difficileve pu-*

ve putari etiam delicatis corporibus ad sacras vigilias surgere, tum quia hoc propriè est aliquam partem noctis Deo deputare, tum quia qui sanctus est amat vigilias, qui vero peccator maximè illis indiget.

Ex quibus satis clarescit inconveniens præfatum, cum in tota Ecclesia Dei nulla sit communitas Clericalis, aut Religiosa choro addicta, quæ partem aliquam noctis non consecret divinis laudibus, & in cultum & sacrificium laudis non invigilent, auferentes à somno ut Deo deferant; & sit aliqua religio, in quibus major pars est sacerdotalis, quæ de hujusmodi vigiliis non tractet, dissonum est omnino. nec hoc onerosum debet videri *etiam delicatis corporibus*, cum in aliis congregationibus etiam delicati vivant. quare qui non invigilant choro, aut omnes sunt pigri, aut omnes somniculosi, aut omnes senes, infirmive omnes; nec dici potest omnes esse interdiu occupatos, & sic necesse habere noctu quiescere, quia diurnæ occupationes non semper sunt tantæ, ut sit necessaria hæc quies. sed de hoc argumento plura infra.

INCONVENIENS III. *A singularitate in Ecclesia.*

QVam sciti Cassianus lib. 1 Institut. cap. 3 dixit: *quidquid inter famulos Dei præsumitur ab uno, vel à paucis, nec Catholicæ per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum, aut elatum est, & ob id noxium judicandum, magis speciem vanitatis, quam virtutis ostentans. & idcirco hæc, quæ nec à veteribus Sanctis, nec à Patribus nostri temporis, qui eorum per successiones instituta nunc usque custodiunt, tradita videmus exempla, ut superflua & inutilia nos quoque resecare convenit.* & infra: *institutis ac regulis indubitatam fidem & indiscussam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas tantorum temporum, aut numerositas Sanctorum Patrum concordi definitione in posterum propagavit.* hæc Cassianus. cujus notanda sententia præ oculis habenda in Ecclesia Dei; si enim contra novitatem vestium & earum singularitatem ita gravissime loquitur, quid diceret circa modum dicendi officium divinum, quod publice canendum induxit in Ecclesia, in cœtibus & congregationibus Religiosis.

Quare egregie Divus Bernardus tractatu de gradibus humilitatis, gradu quinto de homine singulari, & idem diceret de congregatione: *non melius vivere, sed videri vivere gestit, quatenus dicere possit non sum sicut cæteri homines. Plus sibi blanditur de uno jejunio quod cæteris prandentibus facit, quam si cum cæteris septem dies jejunaverit, commodior sibi videtur una oratiuncula peculiaris, quam tota psalmodia unius noctis, &c.*

Et omnium elegantissime Potho Prumiensis lib. 4 de statu Domus Dei, ante finem aliquantulum, sic fatur: *In eo siquidem fidelis & prudens dispensator domus Dei comprobatur, si id, quod majorum traditione accepit, & ipse servare studet, & subditis suis servandum tradere curat. sed sicut jam supra dicere cœpimus, neglecta communitate noxiam singularitatem induci videmus. Communem namque utilitatem domus Dei postponentibus, & quamdam singularitatem, quæ humanis favoribus magis quam divinis jussionibus servire solet sectantibus, bene nobiscum ageretur, si ea mensura, qua mensi sunt nobis Patres qui ante nos fuerunt, etiam nostri temporis Prælati infirmorum continentes imbecillitatem suis subditis metirentur. sic namque in sua vetustate fabrica domus Domini melius proficeret, cum in latitudine charitatis & spei altitudine amplius excresceret: illi quippe venerandi Patres sapientia, & discretione præcipui Dominici tritici mensuram in dispensatione regularis disciplinæ suis conservis in suo tempore erogabant, &c.*

Cum ergo domus Dei à primis fundamentis, quæ jecerunt Apostoli, sit structa, & ejus ædificium creverit ad cœlum usque vocibus canentium in choro officium divinum, illa Religio, cujus Dispensator chorum & cantum & sacrificium laudis exclusit; dici nequit aliis perfectior quæ choro vacant.

INCONVENIENS IV. *Proponitur.*

HOc placuit proponere verbis ipsius Pothonis, qui, ubi supra, sic eleganter loquitur: *Sapientissimus Salomon ut decorem Domus Domini figurate insinuaret, ferculum fecit sibi de lignis libani. quod cum ex diversis partibus construeret, hinc videlicet reclinatorium aureum statuens, hinc columnas argenteas erigens, hinc ascensum purpureum componens, media charitate constravit propter filias Hierusalem. Imaginariam ferculi structuram apud nos in domo sapientiæ majorum nostrorum providentia constituit, ubi regulariter sic omnia temperantur, ut & fit quod fortes capiant, infirmi non refugiant; fortium quidem virorum perfectio, & diversa perfectorum merita, in columnis argenteis, in reclinatorio aureo, in ascensu purpureo pulchre figurantur; infirmorum locus humilior in eo exprimitur, quod Sapientia Dei media charitate constravit; infirmorum namque cum sit maxima multitudo, qui per filias Hierusalem intelliguntur, his profecto locum congruum divina providentia deputavit illorum infirmitati pie condolens, ut videlicet in loco humili salventur, qui virtutum alta non penetrant. Verum plerique sunt ferculi spiritualis structores, hoc est, Domus Dei rectores, qui sic favent eorum profectibus, qui virtutum sublimia sectantur, ut his qui humiliorem locum, utpote infirmantes adhuc, tenere videntur, condescendere dedignentur. In grege namque sibi commisso tantum fortia quærunt, infirma derelinquunt, crassa quæque assumunt, debilia projiciunt, sic quod pingui ac forte est in paucis custodiunt, ut infirmorum pluralitatem non negligant.*

Et infra: *sed quod videmus Prælatos in hac parte perfectioribus solum velle præesse, ut ex illorum profectibus transitorium sibi quemdam aucupent favorem, nolle autem prodesse per condescensum infirmantium multitudini, hoc plane non est Pastoralis curæ administrare officium: non enim ad multorum utilitatem communis vitæ ordinem à majoribus nostris institutum servare contendunt, sed suæ singularitatis statuta promulgare intendunt, ut, tanquam novarum institutionum Auctores, singularem sibi laudem ac nomen celebre acquirant.* & infra: *unde timendum satis est, ne aliqui ex his cæci sint, & duces cæcorum.* hæc Potho.

Hanc doctrinam, quamvis Potho tradat contra eos qui sanctam Regulam varie interpretantur, imponentes onera importabilia, quæ solum fortes poterant sufferre, & debiles ab illa excludebantur, mirifice declarat magnum inconveniens, quod in Religione sine choro oriri potest: cum enim in illa multi necessario sint, qui ob debilitatem aliis exercitiis durioribus studiorum, prædicationum, confessionum, & similium inepti sunt, vel isti manent in Religione, & sic occupari debent, ne sint ociosi ut §. sequenti dicam; vel expelluntur à Religione in qua expulsione magna sequi possunt incommoda Dominis Episcopis, quæ contemplanda ipsis relinquo: melius ergo videtur, quod in Religione persisterent offerentes in choro sacrificium laudis, ut in domo Dei vitaretur magnum inconveniens.

INCONVENIENS V. *Ab otiositate.*

OTiositatem semper Apostolica vita aversata est, utpote cum sit sentina omnium tentationum, & malarum cogitationum. summa enim mentis malitia est otium iners; unde Bernardus in tractatu de ordine vitæ: *vagari huc illucque facit, effugere cohortatur de fratrum, cum quibus vivit, societate.* & Cajetanus lib. 10 Institut. cap. 6, *cellas fratrum ac monasteria jugiter facit circumire, nihilque aliud procurare, quam ubi, quove colore occasionem refectionis futuræ, valeat præparare. mens enim otiosi nihil aliud cogitare novit quam de escis ac ventre*, &c. & cap. 7. pulchre satis enodat ex Apostolo 1. ad Thessalon. 4. quantum malum sit otiositas, quanta quotidie pariat incommoda, ad quæ vitanda præcipit Apostolus, ut operibus manuum incumbant. videndus omnino Alardus Gazeus in comment. Cassiani cap. 7. citati, litera C, ubi ex Apostolo & Cassiano quæcumque enucleat vitia, quæ oriuntur ex otiositate & desidia, & totidem antidota illis opposita ex eisdem inducit. unde satis ad rem de qua agimus, Clemens Romanus lib. 2. cap. 67. inter Apostolicas constitutiones hanc ponit, dicens: *Qui in Ecclesia juvenes estis, curate in omnibus rebus necessariis sedulo ministrare, cum omni sanctitate operi vestro vacate, ut omni tempori, ut vobis & egentibus suppeditare possitis, nec Ecclesiam Dei oneretis: & enim nos quoque vacantes verbo Euangelii subcisivas operas non negligimus: alii enim ex nobis piscatores sunt, alii scenarum artifices, alii agricolæ, nec unquam otiosi sumus.* & Chrysostomus homil. in 2. Roman. loquens de Paulo: *tabernaculorum* (inquit) *texendorum artifex iste*, (Paulus) *non Siciliam modo atque Italiam, verum universum terrarum orbem verbum Dei prædicans, peragravit, cum interim artem non intermitteret, sed vel sum quoque pelles consueret, & officinæ suæ præesset: neque enim ea res Patricios aut Magnates offendebat, idque jure optimo: non enim artes ac studia*, (addo ego & chorus) *sed conficta dogmata despicabiles reddere solent præceptores: nam Euangelii prædicatio communis omnibus proposita est, quæ quidem nec dignitatis differentiam, nec generis excellentiam, nec aliud quidquam id genus novit: sola enim fide opus est, non syllogismis.*

Quis ergo dubitare potest, quod in Religione, quæ choro non vacat, sit valde difficile vitare otiositatem multorum, cum non possint omnes sacerdotio designati aut legere, aut prædicare, aut confessiones audire, aut libros scribere, aut tota die lectioni scripturarum insistere, aut consilia dare salutaria; nec omnes mittuntur ad infideles: hi enim qui ista faciunt pauci sunt, & aliorum magna est multitudo, quæ in divinis laudibus dicendis in choro satis bene occupata esset, & non aut per domum vagantes, vel civitatem circumambulantes, negotia secularia agentes, domus intrantes.

Quare cum Sancto Augustino lib. de opere Monachorum cap. 17. tomo 3, ubi agit de labore manuum Monachorum. Ego utens Augustini verbis, dico: *quid agant, qui choro non assistunt, cui rei vacent scire desidero: orationibus* (inquiunt) *vacamus, lectionibus & verbo Dei; quibus non excusantur.* ut ibi probat discurrendo per singula. sed nos veniamus ad prædicationem, impressionem librorum, confessiones excipere, &c. *nunquid in Monasterio omnes hæc possunt? quando ergo non omnes hæc possunt, cur omnes sub hoc obtentu vacare volunt?* & infra: *exemplo Pauli tempus esse distribuendum, ut omnia*, inquit, *suis temporibus distributa ordine gerantur.* unde Divus Thomas 2. 2. q. 18, art. 3. dicit, *quod otium tollitur per meditationes sacrarum Scripturarum & laudes divinas. & sic Religiosi non tenentur manibus operari.* imo hodie in Hispalensi Archiepiscopatu sunt aliqua valde Religiosa cœnobia, sancti Basilii regulam strictissime observantia, quæ dicuntur *del tardon*; & sancti Antonii, in quibus, etsi sit continuus manuum labor in pannis conficiendis, est tamen chorus cui assistunt Monachi sacerdotes, quia omnia *suis temporibus distributa ex ordine geruntur.* cur ergo, & si in aliqua Religione vacetur studiis, lectionibus, prædicatione, &c. ut otium in omnibus vitetur, & sint bene occupati, non possunt & choro vacare in divinis laudibus? quid juvenes, & sacerdotes moderni facient tota die & nocte? quid Novitii toto novitiatus tempore? ut desidiam excludant & otium? nonne in istis sanctior & melior erit occupatio in choro & oratione, quam in aliis exercitiis non ita competentibus? quid sacerdotes senes? quid non apti ad missiones, nec ad aliud exercitium misericordiæ spiritualis, quorum est non parva copia? excludi à Religione solum propter ineptitudinem naturalem, magnum est absurdum.

Quamvis enim in Religione choro insistatur, omnia illa opera misericordiæ plenissime possunt exequi, & chorus erit multis antidotum otiositatis & desidiæ. Audiantur verba sancti Thomæ egregia in opus decimum nonum cap. 4, aliquantum post medium: *cum enim* (ait) *propter literatorum inopiam nec adhuc per seculares potuerit observari statutum Lateranensis Concilii, ut in singulis Ecclesiis Metropolitanis essent aliqui qui Theologiam docerent, quod tamen per Religiosos* (& tamen temporibus Divi Thomæ non erat Religio, quæ non vacaret choro) *Dei gratia cernimus multo latius impletum, quam etiam fuerit statutum, adeo ut impletum videatur illud Isaiæ 2. repleta est terra scientia Domini: ergo saluberrime Religio aliqua instituitur, in qua sint homines literati & studio vacantes ad juvandum sacerdotes, qui ad hoc minus sufficiunt. item hoc evidentissime ostenditur ex affectu sequenti: videmus enim talibus Religionibus institutis in pluribus partibus hæreticam pravitatem eorum ministerio extirpatam, infideles etiam nonnullos ad fidem conversos, multos per universum mundum in lege Dei instructos, quamplurimos ad statum pœnitentiæ conversos, ita quod si quis inutilem talem Religionem mentiatur manifeste convinci possit, quasi gratiæ invidus.* hactenus ibi.

Privantur magnis Psalmodiæ in choro, fructibus, qui illi non assistunt.

PVlchra satis, & ad nostrum propositum Os aureum Græcæ Ecclesiæ, oratione de laudibus eorum qui frequenter occurrebant, & habetur tom. 5. Antverpianæ impressionis, sic fatur: *magnam animi voluptatem perpetuo capio.* & infra: *quod vos Ecclesiam omnium nostrum matrem omni studio occupetis, ex eo denique, quod Angelorum choros imitati Creatori incontinenter hymnos & laudes concinatis. ô Christi munera! in cœlis quidem exercitus Angelorum Deum celebrant, in terris vero hominum chori easdem divinas laudes imitantur; in cœlis quidem Seraphim hymnum. illud ter sanctum clamant, in terra vero hominum cœtus eundem modulantur; cælestium vero & terrestrium communis quædam panegyris admirabili concentu constituitur, una gratiarum actio, unum gaudium, unus lætitiæ chorus, atque conventus. hunc enim illa, quæ dicendo explanari nequit, Domini humilitas temperavit & instituit. Hunc Spiritus sanctus connexit, cujus quidem harmonia sonorum spirituali voluntatum conjunctione temperata est. Hæc cælitus*

cœlitus modulorum suorum concentum & concinnitatem adepta à sancta Trinitate, velut quodam plectro pulsata, canticum quoddam suave, beatumque modulatur, Angelicam quandam cantilenam semper mirifice consonantem. hic conventuum nostrorum fructus est. hactenus Chrysost. quo magno Hymnodiæ publicæ fructu congregatio non habens chorum privatur.

Augustinus etiam præfatione in Psalmum 69, *multi homines charitatis vinculo colligati unus sunt homo, & ipsorum unius hominis vox in Psalmis plerumque auditur; & sic clamat unus tanquam omnis, quia omnes in uno unus sunt. hæc autem vocum concordia plurimorum hominum in unum canentium, & loquentium alta voce magnalia Dei, dubio procul magnus est sancti Spiritus fructus, quem in lege Euangelico in sua publico adventu in die Pentecostes produxit.* quod eleganter expressit sanctus Leo Papa sermone primo de Pentecoste: *Nec dubium, in illo omnium humanarum vocum exultante concentu majestatem sancti Spiritus fuisse præsentem.* unde satis bene Cornelius à Lapide in cap. 2 Actor. cap. 2, ad illa verba, *audivimus eos loquentes in nostris linguis magnalia Dei*, dicit: *erant ergo linguæ Apostolorum quasi canoræ citharæ, organa & plectra, Spiritus sancti ore, quasi decachordo resonantia & modulantia Dei laudes & magnalia.* hæc ille. etenim ex abundantia cordis os loquitur, ut ait Christus, & cum tantam Spiritus sancti gratiæ abundantiam sunt consecuti: non enim solum ex illis infusa, sed diffusa, ut illam ostenderent, erumperent & eructarent in Dei Laudes. Et sic primus effectus exterior gratiæ, quem Spiritus sanctus in illum Religiosum cœtum & congregationem fudit, fuit laus exterior publica & sacrificium laudis, quo fructu Spiritus sancti privantur, qui choro non vacant.

Alter fructus psalmodiæ publicæ non incongruus est: *circulus quidam devotissimus:* nam psalmodia devotionem generat, & ista devotionem eructat. Augustinus lib. 8 Confession. cap. 6, *quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter; voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrimæ, & bene mihi erat cum eis.* ecce ex Augustino devotio genita ex Psalmodia publica. sed accipe ex devotione Psalmodiam à Bernardo serm. 20 in Cant. *Fundebant sudantia pectora liquorem sanctum, quo imbuta plenius erant quando loquebantur variis linguis magnalia Dei.* Hinc est quod Psalmodiæ auctor David Spiritu sancto actus & Psalm. 144. vers. 7. (quæ *laudatio ipsi David inscribitur*) *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.* in quem Psalmum mira ad propositum nostrum eructat Augustinus: nam in proœmio illius dicit: *exhortatur ergo cor nostrum in laudem suam, & Spiritu suo implevit servos suos, ut laudarent eum.* & in enarratione: *proponuntur laudes pueris in schola, & omnia talia proponuntur quæ laudentur, quorum Deus est operator*, &c. & concio. 32 in Psal. 118. vers. 71, *eructabunt labia mea Hymnum*, dicit sanctus Doctor: *novimus quemadmodum doceat eos Deus, qui sunt docibiles Deo. sic enim qui gloriatur non in seipso, sed in Domino gloriatur, Hymnusque eructatur.* hæc ibi. quo circulo devotionis & Hymnodiæ carent carentes choro.

Vltimus fructus recensendus est, quam his verbis recensent Patres. Chrysost. homilia 3 de incomprehensibili Dei natura; ubi contra illos, qui domi vel in cubiculo orare se posse dicunt, *Sic te homo decipis*, ait, *& magno in errore versaris: nam si & domi datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur. non pariter exoras cum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum clamores.* & infra: *quod si omnis oratio tantam vim habet, longe magis eam, quæ ore multorum proveniat, valere consentaneum est. Plus enim nervorum in ea est, quam in domestica illa & privata.* & infra: *quod si Petro Ecclesiæ oratio profuit, & columnam ac stabilem nostræ Religionis carcere liberavit, cur ejus vim tu negligis? qua te possis purgare oratione? Deum quoque dicentem audi, quam populo cum benevolentia invocante placetur & pareat.* quam doctrinam pluribus exornat sanctus Doctor.

S. Ambrosius lib. 5 in Lucam c. 5, *si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cujus contemplatione quod tibi Dominus negare possit, ignoscat.* & in Psal. 22, *intrat oratio tua Dei gratiam, intrat Domum Dei, si tecum Ecclesia deprecetur ut Domini inclinet favorem.* Legatur sanctus Augustinus in Psalm. 132. ubi egregia valde dicit ad ad hunc fructum exhortatione & Psalmodia dicta à communitate. quo fructu majoris efficaciæ orationis ad impetrandum necesse est ut careat congregatio, quæ nec in communitate in Ecclesia orat, nec in ipsa Psalmodiam cantat: precum enim unio, concordia & concentus Deum cogit nos exaudire, inimicorum muros & machinas evertere, & nostri misereri. quod intimavit sanctus Ignatius Martyr, epistola ad Magnesianos cap. 6, dicens: *omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio, omnes velut unus quispiam ad templum Dei concurrite.* & David dicit Psalmo 34, vers. 18, *Confitebor tibi in Ecclesia magna, vel in cœtu magno, in populo gravi laudabo te.* innumeros alios fructus ex Hymnodia publica colligit & recenset pientissimus Pater Anacletus Siccus toto lib. 1 suæ Hymnodiæ, quibus privantur choro privati, & non vacat in præsentiarum adducere. isti, qui majoris sunt momenti, sufficiant.

Verum enimvero duo supersunt in hoc capite enodanda: primum quod quis dicere quibit, quod congregatio, quæ choro & Psalmodiæ publicæ non vacat, etsi his fructibus careat, quia majoribus occupata, nequit illis frui, quia rationabiliter & ex indulgentia Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ privilegio, choro non vacat: cæterum ex aliis operibus spiritualis misericordiæ habent copiosiores fructus, quibus compensat illos qui ex choro dimanant. Respondetur, quod ut supra dixi, & iterum modo dico, non est intentio nostra carpere Religionem approbatam à Sede Apostolica, nec ejus instituto detrahere: ut enim ait D. Thomas opusc. 19, cap. 4, *nulli fas est sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare cap. nulli. 25. q. 1. cum ergo per Apostolicam Sedem Religio aliqua sit instituta* (sine choro) *ad prædicta, manifeste se damnabilem reddit, quicumque talem Religionem damnare conatur.* hæc sanctus Doctor, quibus ex corde libentissime assentior.

Quare ea, quæ adduxi solum deserviunt ut secundum se proponantur, inconvenientia gravissima quæ oriri possunt ex defectu chori in aliqua communitate, quæ tot fructibus privatur chori privatione, maxime cum si tempus bene distribuatur, & personæ seligantur, bene possit communitas & operibus misericordiæ spiritualibus vacare, & choro assistere, maxime in illis domibus, in quibus non est collegium publicum, in quibus major est & rationabilior excusatio à choro maxime diebus non festivis, in quibus in mea sacra religione etiam in collegiis chorus est optime distributis horis: quarum discreta distributione omnia suum tempus habent, & suis temporibus

ribus distributa ex ordine fiunt. Audiamus Pothonem ad finem lib. 3 de statu domus Dei: *cantandi usus cum apud nos sit continuus, ut vix aliquando ad momentum intermitti soleat; cætera vitæ spiritualis exercitia, hoc est legendi, & meditandi, & operandi studia, nobis quasi interdicta esse videntur: cum enim in uno assidue moramur, reliqua exequi præpedimur. sed sancti Præceptoris Benedicti institutio sic per vices horarum, ad levandum fastidium, psallendi, legendi & operandi tempora distribuit, ut observatores Regulæ illius sub tantæ discretionis moderamine nullam prorsus querelam moverent. Nam vir iste spiritu omnium justorum plenus, qui etiam spiritu prophetico pollens futuri ævi statum prævidit, & mores hominum perspexit, illum vivendi ordinem ex actibus Apostolorum, aliorumque Patrum exemplo sumptum, nobis tradidit, quo nemo aliquid melius, aut ordinatius instituere potuit. unde profecto liquet, quantum delinquant, quantum communis vitæ societatem perturbent*, &c.

Et advertendum maxime est, quod antiquitus studia publica juniorum erant apud Benedictinos, qui alia opera spiritualia in proximos exercebant, mittebantur ad infidelium conversiones, & ad prædicandum Euangelium gentibus, & tamen communitas choro vacabat. quos mittebant Pontifices ad Legationes, ad Principes inter sese dissidentes componendos, ad cruciatam contra hæreticos publicandam, ad ipsos revincendos & coërcendos, quos inquam, mittebant? nisi Religiosos choro addictos; quos mittit modo sacra congregatio de propaganda fide ad infidelium conversionem, nonne major pars est Religiosorum choristarum? ergo secernendo personas, & disponendo tempora, chorus & omnia consonant: concordant veterum Patrum institutis, & viget in omni communitate sacrificium laudis, quo magnopere delectatur Deus. nonne ex Religionibus choro designatis ab initio nascentis Ecclesiæ quasi ex tot Trojanis equis tot fortissimi prodierunt, qui Ecclesiam miris & variis modis defenderunt & propugnarunt, & impugnarunt adversarios? & nihilominus Psalmodiam publice canebat communitas, & veluti alter Moyses, dum alii pro Religione catholica pugnant, manibus oculisque in cælum extensis Hymnos suavissimos Deo concinit. qua ergo fronte dicitur, quod non est pluris facienda Religio chorista, quam non chorista; cum ista multoties habeat omnes perfectiones, quas illa; & insuper habet psalmodiam. Christus enim ut veluti colophonem actionibus suis imponeret, & nobis reliqueret exemplum canendi Psalmos, pendens in cruce jam jam traditurus spiritum Patri, ex Psalmo 21, qui totus est de ipsius passione, versum decantavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Teste Augustino in enarratione in ipsum in præfatione primæ expositionis. & Rabbi Salomon prædixit, inquiens, Messiam in flagellis constitutum alta voce cantaturum hunc Psalmum. est enim Hymnodia publica armatura fidei; firmamentum senum, scutum juvenum: est enim verè turris David, in qua pendet omnis armatura fortium: & ut ait Dionysius p. 3. cap. 1. de divinis nominibus, & nos in superioribus ex Lyra adnotavimus, omnis Scriptura sacra in Psalmis continetur, omniaque mysteria ejus breviter & suaviter.

Secundum, quod quis posset dicere, est, quia Augustinus toto libro de opere Monachorum quod habetur tom. 3. & scripsit sanctus Doctor ad petitionem sancti Aurelii Carthaginensis Episcopi, contra quosdam Monachos qui manibus laborare nequibant, quos sanctus Doctor Augustinus acriter impugnat, ostendens esse præceptum Christi & Apostoli ut manibus laborarent, tum ad vitandam otiositatem, ut necessaria ad vitam vel haberent, vel supplerent: unde & Apostoli victum ex manuum labore quæritabant, ut vidimus supra ex Cassiano, Chrysostomo & Clemente Romano, & primitivi Religiosi simili operi incumbebant. *ne otio vacans inquietus sit, fabulis & non lectioni intendat, & sic non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat*, ut ait sanctus Benedictus cap. 48. regulæ, quia, ut ait Smaragdus ibi, *otiosus tædio mentis commotus, vel levitate animi sublevatus, nec se sinit legere, neque alios lectioni vacare; qui & sibi vagabundo inutilis & aliis legentibus invenitur, sibique contrarius: otium enim & fabulas diligit, & ideo & se, & alios à sacra lectione distollit, id est, segregat & disturbat.* & tamen Divus Thomas opus. 18. c. 4. & 2. 2. qu. 187. art. 3. totus est in probando, quod Religio, quæ instituta est ad prædicandum & docendum, non debet manibus operari, *quia* (inquit) *ejus alumnos oportet esse totaliter occupatos circa hujusmodi opera, & debent semper esse parati ad illa eum exequenda, quod maxime impedit labor manuum.* ergo cum Hymnodia septies in die sit cantanda, aut publice recitanda in choro, multo magis temporis insumet, quam moderatus manuum labor. ergo Hymnodia non expedit Religiosis, qui totaliter sunt dedicati ad docendum, prædicandum, libros scribendos, consultationes faciendas, &c.

Respondetur 1. hoc argumentum, quia nimium probat nihil probat. probaret enim non expedire habere chorum, Dominicanam, Seraficam, & alias omnes Religiosas familias, quæ utramque vitam suo instituto profitentur, cum his etiam operibus spiritualis misericordiæ non segniter intendant. Respondetur 2. quod, ut ait sanctus Doctor art. 3 citato, *non est speciale præceptum Christi datum Religiosis de labore manuum, sed si est aliquod de hujusmodi operibus præceptum, tam sæculares quam Religiosos comprehendit.* unde in solutione ad 2 dicit: *quod Augustinus in illo opere loquitur contra Monachos quosdam, qui dicebant non esse licitum servos Dei manibus operari, propter hoc quod Dominus dicit Matth. cap. 6. vers. 14. non solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis. nec tamen per hæc verba inducitur Religiosis necessitas manibus operandi, si habent aliunde unde vivant; hoc autem non magis pertinet ad Religiosos, quam ad seculares. quod patet ex duobus: primo ex ipso modo loquendi quo Apostolus utitur, dicens: ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate; fratres enim omnes Christianos vocat, nondum enim erant tunc Religiones institutæ*, (quantum ad votorum solemnitatem, & certam mundi regulam à Sede Apostolica approbatam.) *Secundo, quia Religiosi non tenentur ad alia quam seculares, nisi propter regulæ professionem; & ideo si in statutis Regulæ non contineatur aliquid de opere manuali, non tenentur aliter ad operandum manibus Religiosi, quam seculares.* hæc ibi.

Respondetur tertio: quod est diversa ratio valde inter opus manuale & Psalmodiam: ista enim est propter se instituta; at illud propter vitæ necessaria acquirenda, & loco illius ista est in communitatibus Religiosorum instituta. quare etsi ex eleemosynis ostiatim acquisitis vivant, non tenentur manibus operari, & simul canunt in choro. carnis etiam maceratio per jejunia & vigilias, quas in communi habent præter Ecclesiasticam ex regula, consequitur, & otium per meditationes & laudes divinas in choro & in communi habitas, excluditur: si enim à communitate excludas opus manuale, & chorum, & alia opera pœnalia & pœnitentiæ: non ita bene caro macerabitur, & otium vitabitur; etsi enim chorus septies canat, aut alta voce clamet laudes divinas, si recte tempus & horarum spatium partiatur, sufficiens

ciens intervallum relinquetur in communitate ad studium, ut ejus membra apta sint & prompta, ad alia opera spiritualis misericordiæ exercenda. nec enim sub hoc velamine omnes, quotquot sunt sacerdotio dicati, à choro excusari congruum est: multi enim vagi erunt, inquieti, alios perturbantes, fabulis & impertinentibus studiis vacantes, & quæ utilitati Ecclesiæ Dei nihil deservient, imo potius damnunt, ex quibus hæretici nos Ecclesiasticos impugnant.

SECTIO XX. *Communitas Ecclesiastica & Religiosa per chorum adimplet illud Christi Lucæ 18, Oportet semper orare.*

Ecclesiasticus cap. 18. vers. 22, quasi prænuncians Christi præceptum, dixit: *ne impediaris orare semper.* quod Christus nos docuit dicens Lucæ 18, vers. 1, *oportet semper orare, & non deficere.* id ipsum intimavit Paulus ad Ephes. 6. vers. 18, *orantes omni tempore*, id est, orationi destinato ab Ecclesia, ut ex Augustino ait Anselmus ibi. & in 1 ad Thessalon. 5. vers. 17, *sine intermissione orate.* & quidem orationem istam nos non monent Christus & Apostolus ut solum quilibet particulariter faciat, sed in communitate. unde ad Colossen cap. 4. vers. 2. dicit Paulus: *orationi instate, orantes simul & pro nobis*, &c.

Sed quomodo testimonia ista intelligi debeant, variant Expositores, Maldonatus ad caput 18 Lucæ tam testimonium Euangelii quam Pauli, sic interpretatur: *simplicissimus & clarissimus sensus est*, (inquit) *non quidem dies ac noctes sine ulla intermissione, quod omnino fieri non potest, non statutis horis, etsi id Ecclesia piè sanctèque facit, orandum esse: nam id quidem homines Ecclesiastici facere debent, alii necessario non debent; sed, cum aliquid à Deo petimus, non delere, si consecuti non fuerimus, desperare & animam abjicere, hoc est, deficere, sed instare, pulsare, iterumque idem petere, donec saltem propter importunitatem obtineamus. atque id ipsum est quod Divus Paulus dicit, sine intermissione.* hæc ille.

Non est congrua expositio, sed meliorem dabo & Patribus conformiorem, quam summa eruditione nobis reliquit sanctus Thomas 2. 2. q. 83. art. 14. etenim *de oratione dupliciter loqui possimus, uno modo secundum causam suam, alio secundum seipsam. si priori modo. cum orationis causa sit desiderium charitatis, ex quo procedere debet ut sit efficax, & charitas actu & virtute semper & continue debeat esse in nobis, propter hoc dixit Augustinus epistola 121. cap. 9. ad Probam: in fide & charitate continuato desiderio semper oramus Si tamen posteriori modo de oratione loquamur, non potest esse continua, quia oportet aliis operibus aucupari. unde Augustinus ibidem dixit per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum. cum autem cujuscumque rei quantitas debeat esse fini ipsius proportionata, sicut quantitas potionis sanitati; & sic oratio tantum conveniens est durare quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. & sicut hoc est attendendum in oratione singulari, ita etiam in communi oratione, per comparationem ad populi devotionem. unde aliquis orat semper, continue, & sine intermissione, quia non intermittit, quin temporibus statutis oret; tempora autem statuta ab Ecclesia sunt septem horæ canonicæ, quæ publice dicuntur ad populi devotionem augendam, & ad Deum rogandum ipsique gratias agendum, & offerendum sacrificium laudis, juxta illud David: septies in die laudem dixi tibi.* unde egregie sanctus Augustinus concione 31 in Psalm. 118, explicans ista verba: *septies* (inquit) *quod ait, significat semper.* & infra: *Merito igitur laudavit Ecclesia Deum super judicia justitiæ ipsius.* & expressius eam tradit lib. de hæresibus, hæresi 57. impugnans Hæreticos Messalianos, qui & Psalliani aliàs.

Et epistola 121. cap. 8. & 10. quem refert & sequitur Nicolaus primus ad consulta Bulgarorum responsio. 61. quam interpretationem sequuntur Hieronymus Epistola 22 ad Eustochium cap. 16, *quamquam Apostolus orare nos semper jubeat, & sanctis etiam sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.* & post ponit septem horas canonicas. similia habet ad caput sextum Daniel. expresse. Sedulius ad caput primum epistolæ ad Romanos, sanctus Eligius homil. 11 in Cœna, Haymo. homil. ad feriam 6 quatuor temporum æstival. Rabanus lib. 2 de institutione Clericorum cap. 11. Beda ad caput decimum octavum Lucæ, quem sequitur Thomas Waldensis tomo 3. titul. 3. cap. 23. apud hos omnes hæc invenietur propositio: *cum semper orare & non deficere, qui canonicis orationibus quotidie, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, Psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit.* quare cum hæc sit communis Patrum orationis continuæ & non interruptæ intelligentia, dubio procul præferenda est interpretatione Maldonati, & parvi pendenda est impugnatio Metinæ tract. de oratione q. 11. opponitur enim communi Patrum sensui & consensui; contra quem legendi sunt Dozius de signis Ecclesiast. lib. 8. cap. 12. num 3. Castro de Hæresibus, verbo *Oratio.* Hæres. Psallianorum lib. 11. Canisius in Catechismo, §. 7. de oratio.

Hanc autem orationem publicam continuam non exercet Religio quæ choro non vacat sicut quæ vacat. Iussio enim de continua oratione non solum respicit personas particulares. imo potius communitatem adstringere videtur. ut enim supra vidimus, officium divinum ex prima intentione Ecclesiæ institutum est, ut in communitate Ecclesiæ dicatur. quæ melius exequitur, *oportet semper orare & non deficere*, cum statutis horis sine intermissione in choro orat, dum etiam ut observat Bozius ubi supra in toto terrarum orbe gens dicata choro diffusa est, & nulla est hora Diei in qua in aliqua parte universi Deus in choro non laudetur per Canonicas horas.

SECTIO XXI. *Musicæ encomia, Naturalia, Ethica, Politica, Catholica, & Sacra.*

Acturi in subsequenti capite de cantu chori, in quo musica divina exercetur, cum musica sit *peritia modulationis, in sono cantuque consistens*, quæ aut instrumentis agitur, aut concinnatis vocibus, aut utroque modo, & omnibus chorus utatur: non erit injucundum si elogia, encomiaque hujus artis lectoribus ex auctoribus collecta proponamus, quæ paucis versibus quidam non ignobilis Poëta ita cecinit, Phalarus de laude Musicæ:

Musica turbatas animas, ægrumque dolorem
Sola levat, merito Divumque, hominumque voluptas.
Qua sine nil jucundum animis, nec amabile quicquam.
Ad cujus numeros superi vertuntur, & orbis,
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaque tempora servant.
Hac Phœbus Phœbique soror duce, & aurea cœli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

Has ergo laudes musicæ in universum traditas satis concinne specialiter enucleandas proponam. ut tamen gratius & distinctius fiat, diversis titulis enodabo.

Natu-

Naturalia, & physica.

DE Auctore & excellentia musicæ Ioannes Sarisberiensis, sancto Bernardo coætaneus, in suo eruditissimo Polycratico, sive de nugis curialium lib.1, cap.6. sic fatur: *Musica disciplina quidem liberalis est, & sive Pythagoram, sive Moysem, sive Tubal Patrem canentium in cythara editionis suæ laudat auctorem (quamvis hujus artis alios auctores, veteres tradidere) ingenuum habet ortum, & virtutis suæ potentia specierumque varietate, & sibi famulantibus numeris universa complectitur, omnium quæ sunt & quæ dicuntur diffidentem & dissonam multitudinem proportionem suarum, id est, in æquali quadam æqualitatis lege concilians.* & infra: *hanc, ut suffragio commendationis nostræ non egeat, sancti Patres multis laudum præconiis extulerunt. Denique in ejus virtute maligni spiritus violentia cohibetur, & illius etiam in subditis suis minuit musicæ gratia potestatem: cum enim spiritus malus Saulem invasisset, psallebat David in cythara in manu sua, donec spiritus à Regis infestatione quiesceret, ut vero nondum reveletur spiritus qui latet in litera, æquissimum est animam cognati generis gratia mansuescere, & omnem dediscere alienationem, cui si proprie concentus originis & naturæ melioris arcana resultent, eam ex consonantiis musicis esse compositam quam plurimorum opinio, vel sententia est. totius enim Philosophiæ Princeps Plato (si tamen Aristotelici acquiescunt) cum eam ex substantia dividua & individua finxisset,* &c. & infra: *unde arcano quodam meatu naturæ secretisque cuniculis vivacitatis suæ vigore per universa discurrit, & cujusvis naturæ substantiæque conformis rationis, sensus vitæque in singulis pro divinæ dispensationis decreto efficaciam modulatur omnibus. itaque alimenta dispensat, & sui puritate viget in singulis, nisi molis corporeæ gravitate prematur, aut tranquillitatem exteriorum tumultuum spiritus concutiat. quo irruente, quid potest esse salubrius, quam si, ut ita dicam, suis naturæ vocibus à compressione turbarum ad seipsam anima revocetur?* hæc sunt verba Ioannis eruditione & sapientia plena, quibus omnia musicæ encomia graphice compressit: ego tamen commentario illustrabo, ut magna hujus viri eruditio appareat. fuit, ni fallor, suæ ætatis doctissimus & versatissimus in omni scientia & literatura tam humana, quam divina, licet illam magis ostentaverit.

Igitur (etsi non servato ordine) commentarium adorior: *eam ex consonantiis Musicis esse compositam.* quæ verba non sunt intelligenda, quod anima ex consonantiis sit composita, quasi mixtum ex Elementis. hoc nullus Philosophorum excogitavit: esset enim ridicula compositio, cum anima sit natura sua immortalis, & quælibet consonantia sive vocis, sive cujuslibet instrumenti transitoria & labilis. igitur dupliciter intelligi potest: primo quod anima in sui creatione habet infusas species, quibus repræsentantur omnes modi musici, quæ illi naturales sunt, etsi gravedine corporis oppressa illis uti nequeat, nisi suis naturæ vocibus excitetur, & ad seipsam revocetur. hunc modum refert Aristoteles lib.8 Politic. cap. 5. fuisse sapientium Antiquorum Platonis & Socratis. quos sequuntur Aphrodiseus Problem.l. 1. problem.219. Boëtius lib. 1 de Musica cap.1. Rodiginus lib. 5. lectio. cap.20, & Augustinus lib. 20 Confession. cap. 33. ibi: *omnes affectus nostri habent proprios modos in voce & cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitantur.* secutus videtur Platonem, cujus verba sunt apud Georgium Venetum tom. 5. sect.4, num. 316. *data nobis est harmonia non ad voluptates rationis expertes, sed ut per eam dissonantem circuitum animarum componamus, & ad concentum proprium redigamus.* & omnium expressissime Macrobius lib.2 in somnium Scipionis cap. 3. *ideo* (inquit) *in hac vita omnis anima musicis sonis capitur, quia in corpus defert memoriam musicæ, cujus in cœlo fuit conscia, & ita delinimentis canticis occupatur, ut nullum sit tam immane, tam asperum pectus, quod non objectamentorum talium teneatur affectu.* hæc ille.

Hinc est, quod diversis sonis excitatur homo ad diversa, ut ait Cassiodorus lib. de musica: *Dorius prudentiæ est largitor, & castitatis effector; Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat; Æolicus animi tempestates tranquillat, somnumque jam placatus attribuit; Lydius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio gravatis cœlestium appetentiam inducit.* hactenus Senator egregius. quos effectus naturaliter excitare nequiret musica, nisi quia mediis his sonis excitat species natura infusas animæ. sicut enim ovis naturali instinctu fugit lupum, & rapaces aves columba, quia istis visis excitatur instinctus, qui est species à Deo infusa horum animalium imaginationi, teste Divo Thoma; alias non esset naturalis antipathia; ita propter naturalem sympathiam inter musicos concentus & animam nostram, ex illorum auditu excitantur species animæ nostræ infusæ, quibus causantur tam diversi effectus naturaliter.

Cæterum quia harum specierum infusionem in anima, in ipso creationis instanti omnis, schola Peripatetica excludit & abominatur, ut late Divus Thomas 1.p. quæst. 87. artic. 4. & lib. 3 contra gent. cap.70. ubi Ferrar. & ibi Cajet. aliter explico dictum Sarisberiensis: *eam ex consonantiis musicis esse compositam*; quia videlicet homini inest à natura insita inclinatio ad suavitatem & modulationem cantus & musicæ, estque cum illa naturalis sympathia, quatenus modi & numeri inter sese contrarii dulciter & suaviter attemperantur, sicut & in ipso. quatuor contrariæ qualitates attemperatæ mixtum faciunt elegans & pulchrum, & qualibet notabiliter excedente temperamentum vitiant; ita in musica quolibet numero non bene attemperato cum alio cacophoniam causant musicæ in animis audientium. quod optime vidit Halicarnasseus lib. de collocatione verborum cap. 30. & his verbis declarat: *in confertissimis Theatris, quæ omnigena & incondita hominum turba implet, visus sum observare naturalem quamdam inesse omnibus nobis inclinationem & familiaritatem ad concipiendum concentus & numerorum concinnitates, citharædumque optimum & apprime nobilem vidi à multitudine explodi, quod unicam chordam minus concinne pulsasset, concentumque proinde corrupisset; nec non aulædum, quamquam ad exactissimum modum instrumentis suis uteretur, idem quoque passum, quod eum non apte inflasset, aut os non satis compressisset, murmur & susurrum, aut quam vocant dissonantiam accineret.*

Et hanc esse homini innatam inclinationem probat non inepte: *si quis* (ait) *aliquem hominem rudem juberet, quandoquidem argueret peccantes artifices, ut sumpto instrumento idem faceret, nequaquam id præstiturum. quid ita? quia id artis est, quam non omnes callent; illud, affectus quem, omnibus attribuit natura.* hæc ille, & satis bene ad propositum. hæc ergo naturalis inclinatio ad concentus musicos originem ducit à temperie qualitatum contrariarum, quam exigit anima ad sui introductionem; & quia illa temperies diversa est, hinc oritur quod unus sit inclinatus ad concentus inclinantes ad luxum, alii ad concentus inclinantes ad iram, alii ad concentus inclinantes ad castitatem. quamvis enim natura speciei ad concentus musicos sit inclinata, tamen quodlibet in-

individuum habet suam individualem inclinationem. ad specialem concentum, cum quo audito specialiter delectatur.

Hic autem affectus & cognitio convenientis ipsum antecedens non dimanat ab aliqua specie infusa in animæ creatione, sed ex ipso sono & concentu, qui in auditu causat sensibilem speciem; ista media auditione causat speciem insensatam de convenientia soni cum natura animalis, sicut species sensibilis lupi causat speciem insensatam disconvenientiæ, quam ovis habet cum illo, & in hoc consistit naturalis antipathia inter hæc duo animalia, & naturalis sympathia, quam habemus cum concinnitatibus musicis, & familiaritas occulta de qua Augustinus, ratione cujus causantur illi effectus quos numerat Cassiodorus. quæ explicatio satis conformis est verbis Sarisberiensis, dicentis: *quod musica proportionum suarum in æquali quadam æqualitatis lege omnia conciliat.* sicut temperamentum quadam inæquali æqualitatis lege disponit ad tam varios & occultissimos effectus in herbis, lapidibus & animalibus.

Dicit præterea noster Ioannes Sarisberiensis, *quod musicæ virtute maligni spiritus violentia cohibetur*, &c. ponit exemplum in musica Davidica cohibente spiritum malum Saulis. ô mira vis & musicæ omnipotentia! à qua tot dimanant effectus; quæ tot miracula causat in natura, cum non solum moveat & concitet animum hominis, verum & animalia rationis expertia, ut de Orpheo Ovidius lib. 3 de Arte amandi:

Saxa, ferasque lyra movit Rhodopeius Orpheus.

Quod explicuit Horatius:

Sylvestres homines sacer interpresque Deorum,
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rapidosque leones.

Sed quamvis hæc allegoria illepida non sit, re ipsa musicam ita divinam habere virtutem, ut etiam extendatur ad animalia bruta, causans in eis suos effectus, mihi indubitatum est, tum ex divinis, tum ex humanis petito principio Iob. 39. vers. 25, loquens de æquo, dicit: *ubi audierit buccinam, dicit vah (relincha) procul odoratur bellum exhortatione Ducum, & ululatum exercitus* in quæ verba ita egregrie Dominus Cajetanus: *ubi audierit buccinam dicit vah. sententia redditur, dummodo vocem hilaritatis intelligas, quasi prolatam ab equo audiente tubam citantem ad prælium, equus enim gaudens non sonat vah, sed suam quandam gaudentis interjectionem.* quam interpretationem sumpsit ex sancto Thoma, ibi lectione unica: & hinc est, quod equis, mulis, & canibus sonalia, *cascabeles*, tintinnabula, *cencerri*, & nolæ imponuntur, ut sonitu illorum delectationem percipiant & animentur ad laborem & cursum. Hinc Ovidius lib. 4 de Trist. Eleg. 1.

Fessus ut incubuit, baculo saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

Vnde Cicero lib. 1 Tusculanarum dixit: *quod immanes quoque feræ cantu mitigentur. quin quod & equi nonnulli cantu subsultent, notius est ex historiis, quam ut à me nunc referatur.* hæc Cicero, cujus consilio obtemperans ad alia transeo.

Est musicæ tam alta vis & energia, quod morbos depellat & sanet. sic Pythagoras musico concentu varios depellebat morbus, teste Alexandro ab Alexandro lib. 2 problem. cap.25. cujus ratio ea esse potest, quia cum musici concentus & æqualitas ex æqualitate resultans conformes sint æqualitati temperamenti, quando istud distemperatur ægritudine, auditis quibusdam sonis musicis qualitates alterantur, & anima per sympathiam, quam habet cum tali concentu, ad seipsam revocata reducit temperamentum ad pristinam æqualitatem, morbumque depellit, dissimulat fallitque corporalem laborem, musica ad hoc existente omni potentiore, quam labor ipse corporalis. Vnde Ovidius ubi supra:

Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.

Hinc est quod sanctus Paulus & Sila Actorum 16. vers. 24, cum custos carceris misisset in interiorem carcerem *(en un calaboco obscuro)* & pedes eorum constrinxisset ligno (cepo) *media nocte orantes laudabant Deum, & audiebant illos qui in custodia erant gaudentes.* laudabant Deum, non solum quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam & carcerem pati, sed etiam ob aliquale levamen naturæ, quæ afflicta erat.

Hanc rationem egregie explicat Bustamante de animant. sac. Scrip. lib. 1, cap. 5, n. 11, *Musica lætificat, imo sic concitat, elevat, animum extollit, ut temperato cerebro, spiritibus commotis depuratioribus, contemperatoque subtilissimis è corde ascendentibus expurgatis, puro sanguine genitis potentissimo natura agenti, cerebrum alterent contemperent prout affectus petit, secundum dispositionem præsentem in hunc illumve affectum animi, passionem, vel motum, ut jam illi altius astruant poemata, isti irascantur, tristentur. illi hilares, hi melancholici quieti, illi constantes. movent hi pedes, manus, ora, saltant, quiescunt, in variosque trahuntur affectus una aut diversa humana ratione, hoc rythmo, aut illo, hac consonantia, illave servata.* hæc ille. Cæterum horum spirituum elevatio, quibus cerebrum temperatur, à sympathia temperamenti animalis cum harmoniæ concentibus originatur.

Sed accedamus ad id, quod majorem habet difficultatem, de concentu Davidico, quo violentia mali spiritus cohibebatur in Saule. sic enim dicitur 1 Reg. 16. vers. 22, *quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* & quidem omnino certum est, ut latius alibi docui, nec directe per aliquam virtutem innatam activam posse aliquid naturale, nec totaliter, nec partialiter Dæmones expellere à corporibus. cum Saul esset possessus à Dæmone, melos cantilenæ & citharizatio Davidica virtute naturali non potuit Dæmonis substantiam à Saule excludere; sed id faciebat divina virtute elevata ad expulsionem etsi temporariam spiritus mali, si ipsa Dæmonis persona personam Saulis arripiebat, possidebat, inhabitabat. neque de hoc est controversia inter Catholicos: omnes enim in hoc conveniunt. nec approbo quod dicit Abulensis ibi quæst. 45. quod melodia Davidica alleviabatur Saul à doloribus immissis à Dæmoni, quatenus maximum delectabile divertit cognitionem ab objecto nocivo, & sic istud non causat dolorem. quia, si Dæmon vellet torquere Saulem, ita intensum causaret dolorem, ut ab objecto nocivo non posset melodia Davidica naturali virtute cognitionem divertere. quare si divertebat, erat virtute divina, qua coërcebatur Dæmonis potentia, ne dolorem augeret.

Si tamen quis diceret Dæmonem immediate, non fuisse Saulis possessorem, nec ipsum immediate arripere, sed solum in illo causare infirmitatem, qua ipsum exagitabat, ut venenum Tarantulæ. verbum enim Hebræum בעת à quo בעתתך *turbans te exagitat te*, etiam significat festinare saltando, sicut faciunt qui tacti sunt ab isto animali, quo abundat Apulia in Campania; unde quidam linguæ sanctæ periti transferunt, *spiritus malus tarantizabat Saul.* qua re videntur innuere, quod

 Dæmon

Dæmon non immediate arripiebat Saulem, neque ipsum interius possidebat, sed solum causabat in illo venenum Tarantulæ, sicut solet etiam in hominibus aliquas infirmitates causare quas Medici curant, quia Dæmon non conservat eas, sed solum producit, & sic remedia naturalia contra ipsas valent, & efficacia sunt (ut late dico in tractatu de peste, quod statim typis mandabo, in tomo de privilegiis fidelium tempore pestis, & obligationibus &c.) ut enim egregie dixit Avicenna cap. 18. fin. prima tract. 4. qui est de melancholia: *quibusdam Medicorum visum est, quod melancholia proveniat à Dæmonio. Sed non curamus cum physicam docemus si illud contingat à Dæmonio, aut non contingat.* quod verissimè dictum est, dummodo Dæmonium non conservit continuo Melancholiam, Epilepsim aut venenum Tarantulæ. sic enim Saul non possidebatur inhabitatus à Dæmonio, sed istud aliquid quod ipsum turbabat, exagitabat & terrebat, causabat aut Epilepsiam, aut Melancholiam ex cholera nigra provenientem, aut venenum Tarantulæ fuit.

Quod si ita est, ut valde probabile judico, quod Dæmon in Saul causabat venenum Tarantulæ, quæ à Plinio Asterion vocatur, ab aliis stellio dicta, dicendum existimo quod Davidica musica, concentus & Harmonia fuit Alexipharmacum, quod naturali vi ipsum Saulem allevabat, & illo percepto melius se habebat, recteque dicitur, quod dum David sonabat citharam refocillabatur Saul meliusque habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus, id est, venenum inductum ab spiritu malo non immediatione suppositi: hoc enim venenum musica expelli vi sua & potentiâ naturali, certissimum & experientia manifestum in tota Apulia Regni Neapolis; imo sunt plures, qui sua musica victum quærunt, vocati ad sanandos ab hoc animali morsos. Cujus hoc est mirabile dictu quod refert doctissimus Bustamante de animantibus sacræ Scripturæ lib. 5, cap. 11, *Morsu veniente stridere sono quodam per vices vario dum tentat venenum effundere, struitque ut mordeat læsos tamen non antea saluti restitui, quam eundem concentum, tonumque eundem musica inveniat tono eodem & clavo striderts animantis. Vnde varie sonant & personant, usque dum illa consonantia resultat & harmonia, qualem ille edidit, injiciens morsum, aut quam veniens referebat læsus.* hactenus ille. quibus non inepte confirmatur sympathia illa inter animalia & musicos concentus, de qua in superioribus dixi, & hæc dixisse sufficiat de encomiis naturalibus musicæ circa animalia: nam circa res sensu & cogitatione carentes nullum effectum habent; iste enim oritur, à cognitione qua dignoscuntur concentus & harmonia; id autem quod supra ex Solino & Berchoreo adduxi de quodam fonte, qui ad præsentiam musicæ, quasi exhilarescens redundat aqua usque ad margines, diabolicum, sicut divinum quod fons in Italia existens ad cantum baptizandorum redundet semper scaturiens; & extra non se fundens.

Quid de cælorum Musico concentu sentiant Antiqui.

SI hypothesis vera est, jure optimo dicere possemus; Musicam esse potentissimam, cum tot admirabiles effectus producat: omnes enim motus viventium & non viventium generationes, omnium mineralium, gemmorum, margaritarum, olerum & exquisitarum arborum productiones à motu cœlorum pendent & stellarum. quare, si motus cœli sunt harmonici, dubio procul Musicæ harmonia omnium horum erit causa.

Et quidem Hypothesis locum non habet, si cœli fluidi sunt, in quo moveantur stellæ sicut aves in aëre, & pisces in mari, ut sentiunt non ignobiles, immò & nobilissimi Mathematici, ut satisfaciant argumentis Nicolai Copernici de motu terræ, quibus inquiunt satisfieri non posse, si cœli solidi sint, & ponantur quot volueris Epicicli, qui magis ponuntur ad evadendas difficultates, quam quod sint re ipsa ita producti; sed quidquid sit, de hoc fere universa antiquitas sentit cœlos esse solidos, quod magis convenit cum sacra Regina. hoc igitur systhemate posito, difficultas est, an cœli rotatione sua, qua unum intra alterum circumvolvitur & rotatur, musicum concentum perficiant, non canendo, quia voce carent, sed harmonico motu se movendo, ut sic enarrent gloriam Dei. similiter in alio systhemate quod cœli sint fluidi, an stellæ, dum per illos moventur ipsos scindentes, sonum faciant.

Omnes Antiqui ante Aristotelem in ea fuere sententia, quod cœli motu facerent suavissimam harmoniam sonumque dulcissimum, ut Pythagoras & Plato, quos secuti sunt M. Tullius Cicero, Plinius, Macrobius, Proculus, Calcidius, & innumeri alii, immò Simplicius & ipse Aristotelicus lib. 2 de cœlo apud Divum Thomam lectione 14. sentit, quod sententia Pythagoræ & Platonis defendi potest, & respondet omnibus argumentis Aristotelis, etsi sanctus Doctor solutiones impugnet, de quibus infra cursim: Macrobius lib. 2 de somnio Scipionis (ubi id Tullius expresse docet) cap. 3, *Ex ipso circumductu orbium sonum nasci necesse est, quia percussus aër ipso interventu ictus vim de se fragoris emittit, ipsa cogente natura, ut in sonum desinat duorum corporum violenta collisio.* hæc ille. idem sentiunt expresse Plinius lib 2, cap. 3, & cap. 22. Rodiginius lib. 5 antiquit. cap. 25. Philo Iudæus lib. de insomniis. Divus Ambrosius in præfat. in Psalmos, Boetius de musica lib. 1, cap. 2. Hispalensis Isidorus lib. 3 Etymol. cap. 16. licentius antiquus auctor quem citat Sextus Senens. lib. 5 Biblioth. anno 105.

Aptavit numeros cœlis, jussitque sonoros
Exercere modos, parilesque agitare choreas.

Anselmus lib. 1 de imagine mundi: *Septem cœlorum orbes cum dulcissima harmonia volvuntur, ac suavissimi concentus eorum circuitione efficiuntur; qui sonus ideo ad aures nostras non pervenit, quia ultra aërem fit. ejus magnitudo nostrum angustum auditum excedit: nullus enim nobis sonus percipitur, nisi qui in aëre efficitur.* quibus verbis manifeste solvit argumentum præcipuum Aristotelis, ut modo dicam.

Ex quo Venetus lib. 5. sect. 5. num. 321. ex Platone & aliis dicit, *Quod unicuique cœlorum una Siren insit*, quo spectat Hemistichium Angeli Politiani in Sylva, cujus titulus est Nutritia:

Sua quæque innoxia Siren.

Et quidem Sirenes istæ nihil aliud sunt, quam intelligentiæ Angelicæ orbium cœlestium motrices, quarum cuilibet assignata est sua lyra, organumve suum, scilicet cœlum, quod movet, motuque suo & rotatione, secundum quod hæc interiora exigunt, suavissimum edit sonum, quo templum mundi suum laudat Creatorem, & inceffabili concentu ejus sanctitatem colunt, & socia exultatione concelebrant; & sic Ecclesia, quæ in hac parte amplexatur Platonis & Socratis sententiam in præfation. canit: *cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant*; & cœli inanimes quomodo concelebrant? nisi quia eorum virtutes, hoc est, intelligentiæ ipsos movent,

movent, & motu sonum & harmoniam causant suavem, veluti instrumentis quibusdam, & organis quodlibet cœlum suum̃ edens tonum consonum alteri. quod ex sententia Socratis explicat & exemplificat Plinius, ubi supra, cap.22. & Plato in suo Ione, sive de furore Poëtico dixit, *Corpus solis esse lyram Apollinis*, id est, intelligentiæ motricis ipsum.

Quamvis enim aliqui Patres musicam cœli impugnent, ut Basilius homilia 2 hexameron, Epiphanius lib. 1 Panarii, quam cavillatoriam & debilissimo fundamento nixam dicunt; tamen, ut advertit Sixtus ubi supra, non ipsam cœlestium sonorum assertionem rejiciunt, sed ridiculas ratiocinationes, quibus inepti quidam Philosophi eam tueri nitebantur, vel prodigiosa quædam figmenta quæ Hæretici, præsertim Marcosii, ex ipsa deducebant. quare de modernis scriptoribus, cœlos concentus Musicos habere sentit vir satis eruditus Alphonsus Mendoza in quodlib. q. 3. expositiva à §. 4. usque ad sextum inclusive.

Vnum superest nobis negotium peragendum, auctoritas Aristotelis lib. 2 de cœlo & mundo, ubi ipsum acriter defendit sanctus Thomas lectione 14. mira claritate enucleans ejus argumenta contra Pythagoram. sed, me quidem judice, non multum urgent ex vi discursus. argumentum enim, cui magis nititur Aristoteles, est, quia rationis fines egredi videtur, nos hunc sonitum non audire. cui argumento varie respondent Platonici & Simplicius, cujus solutiones recte impugnat ibi Divus Thomas. quare his omissis duplex vera solutio est, quam adhibet Divus Anselmus ubi supra, quod sonus & cœlorum musica ad nos non pervenit, *quia ultra aërem fit: nullus enim sonus à nobis percipitur*. ecce primam solutionem; accipe secundam. *Ejus magnitudo nostrum angustum auditum excedit*. quæ solutio ex priori originatur.

Vt autem clarissime hoc percipiatur, notandum, quod auditus residet tanquam in organo & subjecto proximo, in quadam substantia aërea & spiritosa, quæ intra aures animalis reperitur. ita expresse Aristoteles lib.2 de anima, text. 82. lectio.17 apud Divum Thomam, & de sensu & sensato lectio. 5 ubi vis sive potentia tribuitur aquæ, & sic est in humore aqueo,& auditiva; aëri, & sic est in substantia aërea: aëre enim exterius moto, aër interius movetur, & sic fit auditio. hæc enim commotio aëris interioris omnino necessaria est ad audiendum, ut expresse Divus Thomas lectio 17. citata.

Ex quo clarissime satisfit Aristotelis argumento ex ipsiusmet doctrina: sonus enim cœlorum extra aërem fit, quare à nobis audiri non potest, etiamsi vicini essemus, quia sensorium auditus commoveri nequit sono cœlorum, qui, licet fiat ex æthere inter ipsos cœlos existente, ut non dissentit Divus Thomas in 2. dist.2. q.2. art.2. quæst. 2. ad 5. non tamen est ejusdem naturæ cum aëre elementari, & sic non potest aërem internum auditus movere, & ita neque audiri à corpore corruptibili; audietur tamen à Beatis & corporibus incorruptibilibus, in quibus non est necessaria aëris interni commotio ad auditionem. neque est verum, quod Pythagoras motum cœlorum melodicum audierit; sed quod ipsum imaginatione & intelligentia ductus, ratione cognovit; intelligendo scilicet sonorum illorum proportiones, non vero per species sensibiles auditus, qui illis uti non potest, nisi prius moveatur aër internus ab externo, sicut tactus non sentit per species sensibiles, nisi præcedat alteratio physica organi per primas qualitates.

Hoc clare ostenditur, quia teste Aristotele lib. 2 de cœlo text. 55 & 56. & ibi sequitur Divus Thomas, quotiescumque corpus aliquod movetur motu naturali, vel violento, sive per aërem, sive per ignem, facit sonum; quia facit *plagam*, id est, ictum & scissuram. atqui cœlum lunæ movetur per ignem circa ipsum circumvolvendo & rotando. ergo facit *plagam* in ignem & scissuram: ergo & sonum, & tamen non auditur à nobis, quia extra aërem fit: & sonus, qui auditur à nobis, intra aërem fiere debet, ut commotio aëris interni, quæ omnino necessaria est, ad sensationem corruptibilis corporis interveniat. & hæc est secunda ratio, quam adducit sanctus Anselmus, quod *magnitudo musicæ cœlorum nostrum angustum auditum excedit*.

Quod si cœlum fluidum est, per ipsumque moventur astra, manifestius cognoscitur ejus suavissimus concentus; siquidem dum moventur circulari motu ab intelligentia, necesse est quod fiat *plaga* & scissura, & quod ex ista originetur sonus, ut liquet in avibus dum moventur in aëre, & navi quæ movetur in mari velocissimo motu. & hæc dicta sufficiant de cælorum harmonica musica.

Ethica & Moralia.

ARistoteles lib. 8 Politicorum cap.5. *Recte musicam* (ait) *& in consuetudine & in congressibus, & in vita degenda adhibent homines, quod voluptatis sit effectrix: hæc enim ad animi relaxationem valet, omnique ætati, omnibusque moribus usus ejus gratus est.* Et infra: *omnium rerum, exceptis veris naturis, nulla verior, quam numerus & cantus iræ, clementiæ, fortitudinis, temperantiæ, omniumque his quæ contraria aliorumque ad mores pertinentium similitudines imaginesque exprimat.* quæ verba, & multa alia musicæ elogia ibi egregie enucleat, & declarat sanctus Thomas lectione 2 & 3.

Postquam enim Philosophus ostendit, quod pueri & adolescentes instituendi sunt musica, tanquam arte liberali, non solum propter delectationem quam affert, ratione cujus requiem habent à labore & tristitia; sed etiam propter *deductionem*, hoc est, perfectionem intellectus: sunt enim in musica Theoremata sua, id est, speculationes egregiæ, quibus pars intellectiva perficitur, secundum quod speculatur rerum quidditates, progreditur, & ostendit, quod musica non solum est quærenda ob delectationem sensibilem auditus; nec ob solam *deductionem*, hoc est, perfectionem intellectus speculativi, sed etiam propter Ethica & Moralia, quæ inducit in intellectu practico & appetitu: manifestum enim est, quod per usum musicæ efficimur dispositi ad bonos mores, & revocamur à malis. audita enim musica, sive cantativa, sive instrumentali, disponitur animus ad mores, & immutatur secundum diversas passiones, & ad diversas virtutes, puta ad iram, ad amorem, ad pietatem, ad affectum rerum divinarum, ad mansuetudinem, clementiam; avertitur à passionibus inordinatis luxuriæ, odii, inimicitiæ, &c. Hinc est, quod Macrobius lib.2 in somnium Scipionis dixit, quod *omnis habitus animi cantibus gubernatur, iram suggerit, clementiam suadet*. & Cicero lib.1 Tuscul. *summam*, ait, *eruditionem & animorum institutionem longe præclaram esse in nervorum vocumque cantibus sitam.* Et infra: *Musica non ideo ad id data, ut ad delicias convertamur, & aurium pruritum, sed ut quod animæ consonantiam turbat & harmoniam, hujusce voluptatis delinimento sedari, ac ad ordinem redigi valeat.*

Hinc est, quod fere omnes antiqui in sacrificiis suis musicam sive cantativam, sive instrumentalem, adhibe-

adhibebant, ut assistentes ad virtutes incitarentur & ad devotionem. sic faciebant Sacerdotes Iovis Olympici, sic dicti, quia colebatur in monte Olympo, in quibus sacrificiis tanta fiebat vocum & instrumentorum melodia, & istius tanta vis & efficacia erat, quod hominum animæ ita rapiebantur, quod abstracti à sensibus efficerentur immobiles, propter vehementissimam animæ intentionem ad aliquod intrinsecum repræsentatum forti imaginatione, à cujus efficacia revocantur ad interiores sensus spiritus animales & vitales, quæ sunt præcipua motus & operationum instrumenta. ex quo signo concludit Aristoteles, & cum eo Divus Thomas lection. 2. citata: *Quod musica & melodia disponit homines ad mores: si enim Historia alicujus Heroïs, sive versu, sive prosa recitata homines afficiuntur & moventur ad actiones illius imitandas, multo magis id præstabunt versus melodici cantati. melodia enim & harmonia majorem habet efficaciam ad movendum & excitandum animum ad virtutes imitandas, propter conformitatem quam habet cum illa, & cum auditu. est enim naturalis sympathia inter passiones nostri appetitus & melodias musicales: constat enim, experientia docente, quod audientes melodias & rythmos musicales sensibiliter agnoscimus transmutari ad diversos mores, aliquando ad amorem, aliquando ad audaciam, aliquando ad castitatem & devotionem, secundum diversas harmoniarum & cantuum species, in quibus est diversa vis & efficacia juxta conformitatem cum passionibus animi, quibus assimilantur; & sic harmonia Lydia mixta, quæ correspondet septimo tono, afficit audientes flebiles, excitans in ipsis compassionem, ex qua ab oculis lachrymæ fluunt; Lydia simplex, quæ est quinti toni, & Hipolydia, quæ est sexti toni, disponunt ad animi temeritudinem & audaciam; Dorica, quæ est primi toni, excitat ad amorem, gravitatem & compassionem; Phrygia, quæ est tertii toni, disponit ad raptum & sensuum externorum alienationem propter vocum fortitudinem, &c.* quæ videri possunt in comment. Divi Thomæ. negari ergo nequit, quod musica animam nostram disponit ad virtutes morales.

Quod exemplo ex Historiis petito comprobat Divus Thomas lib. 2 de Regimine Principum cap. 1. agens de Politia Pythag. *Cujus conatus totus erat assuefacere homines ad virtutes, de quo tradit Tullius, quod quibusdam harmoniis vitia in hominibus extinguebat luxuriæ.* unde dicit, *quod Tauromitanum juvenem quemdam libidine flagrantem, cum audivisset Pythagoras ad ostium amicæ meretricis insanire, jussit Psalterium spondeum canere, & sic eum ad sanam mentem revocavit.* hæc ibi. & de quodam alio prudenti viro & virtutis musicæ non ignaro, qui cum haberet uxorem lascivientem, & in adulterium valde proclivem, adhibuit peritum musicum, qui sua melodia ab adulterinis amplexibus coërcebat: & isto vivente, & ista caste vixit; mortuo tamen, & illa passim se prostituebat, & adulteris commiscebatur; tanta est vis musici concentus, sive instrumentalis, sive voce modulati, ut vel ipsam pravam inclinationem detineat, ne vires exerat; cohibet, ne prodeat in actum; temperat mira suavitate, ne incendium luxuriæ corpus animamque pariter comburat.

Cæterum etsi usus musicæ ratione temperatus totum attemperet hominem, & excitet in ipso imagines & similitudines moralium omnium virtutum, quibus ad bonum honestum morale disponitur, tam in humanis, quam in divinis, ita quod musici conventus tam cantu, quam instrumento apti sint, ut illis Deus utatur ut instrumentis ad prophetandum. sic Elisæus 4 Reg. 3. vers. 20, psalte coram se canente prophetabat; quo cantu disponebatur ut sensus, semel accepto spiritu desuper, obsequerentur rationi, imaginatioque vivacius phantasmata, quibus obtegebantur divina mysteria, revelata apprehenderet. de quo legendus Abulensis ibi q. 18.

Verum si musica sit melodica in ordine ad provocandum ad vitia, nihil est perniciosius animæ. de hac enim loquuntur Basilius homil. 2. examer. & alii Patres ipsam gravissimis verbis abominantes, & acriter reprehendentes eos, qui musicis Theatralibus insistunt & assistunt. de quibus sic graviter Ioannes Sarisberiensis in suo Polycratico lib. 1. cap. 6, conqueritur de sui ævi musicis & melodiis: *nunc vero laudi ducitur si videas graviores amatoria, quæ ab ipsis dicuntur elegantius, stulticinia personare. ipsum quoque cultum Religionis incestat, quod ante conspectum Domini in ipsis penetralibus sanctuarii, lascivientis vocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis, notularum articulorumque cæsuris, stupentes animulas emollire nituntur, cum præcinentium & succinentium, canentium & decinentium, intercinentium & occinentium præmolles modulationes audieris, Syrenarum concentus credas esse, non hominum.*

Sanctus Valerianus homil. 6, quæ habetur tom. 7. Bibliothecæ Agrippinæ: *Invenimus frequenter ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulteriis administrari, cum hic agili plectro tinnientis Citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit. isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera Diabolus hominum mortes operatur. Nam quotiescumque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur affectus, nemo insidiosis cantibus credat, neque ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat, quæ cum oblectant, sæviunt, cum blandiuntur, occidunt. In hoc proficiunt varietates vocum, & producta sine syllabis verba, ut homo aut capiatur, aut capiat. Explicari non potest quam periculosos laqueos exhibeant inimicæ studia voluptatis. Refugiendus est ergo iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem facit, & persuasione quadam melliflui cantus, mortifera ægris venena commiscet.* Hæc Valerianus.

Ex quibus satis ad rem utrumque extremum musicæ excitantis ad virtutis, & incitantis ad vitia dixit Erasmus Roterodamus in lib. de similitudinibus: *ut quidam magnetes ferrum attrahunt, ac theamedes qui in Æthiopia nascitur ferrum abigit respuitque: ita est musicæ genus, quod sedet affectus, est, quod incitet,* quare dubitare non licet musicam multa ethica causare, tam ad dextram virtutis, quam ad sinistram vitii; & ex hac parte vituperanda, ex alia vero laudanda venit.

Politica & civilia.

Vidimus in superioribus musicam facere bonum virum, unde Homerus Cantorem *morum Correctorem vocavit*: in præsenti ostendemus etiam facere bonum civem; fere nulla enim fuit tam barbara communitas hominum, nulla fere tam inculta politia, in qua musica tam vocalis, quam instrumentalis non fuerit usualis in templis, & sacrificiis, & extra ad animos hominum demulcendos, frenandos, incitandos ad virtutes tam Ethicas, quam Politicas; tum ad eos coadunandos in unum cœtum; & sic Orpheo attribuunt Mythiologi, quod suavisonæ testudinis concentu, hoc est placidis & apte compositis verbis, fera hominum corda mitigarit, agrestes mores expoliverit, & dispersos vagosque mortales in cœtum unum congregarit. est ergo musica unio communis vitæ, & quasi glutinum animorum in uno choro concinentium. Quid ni? bruta animalia musicæ concentu in unum cœtum vocantur: Elephantes cantu

cantu & tympanorum sonitu, cervi fistularum flatibus, Delphini suavitate vocis; nullum fere enim, tam brutale pectus, quod dulci modulamine non molliatur, & quod de se erat insociabile animal in unam politicam non conveniat aliis, etsi enim inter sese inimicitias gerant & contrarientur, concentibus musicis, coadunantur in unum: consonantia enim est commixtio & contemperatio contrariorum apte inter sese coëuntium, & proportionem custodientium. & hanc eandem contemperantiam causat in animis etsi inter sese diffidentibus, ut sint tanquam fratres in unum sub uno Patre commorantes. Hinc est quod Genesi cap. 4. vers. 19. dicitur, quod Iubal (filius Adæ) *fuit Pater canentium cithara & organo.* Tubalcain vero filius Sellæ dicitur, quod *fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*; si iste habuit filios, cur non dicitur Pater habens familiam & communem cœtum, sicut dicitur Iubal? textus ipse rationem manifestat, quia filii istius canebant cithara & organo; filii vero Tubalcain erant malleatores, sicut Pater, non habebant glutinum politicæ communitatis; & sic non dicitur Parens habens œconomicam politicam, erant impoliti, agrestes, insociabiles inter sese. secus vero filii Iubal, qui musica coadunantur in choro, & cœtu canentium & psallentium Hymnos & Psalmos, forsan compositos ab Adam: dicit enim Genebrardus in chron. anno 3. quod *Primus homo composuit Psalmum 92. Dominus regnavit.*

Igitur musica res publicas conservat, unde ille alius dixit: *conjuncta Regno maxima est res musica.* & sic Plato in tota doctrina sua civili musicam quam maxime veneratus est, & eam adeo magnifecit, quod in sexto de legibus, admirabili prudentia musicæ Magistratum duplicem constituit. ita in lege de Magistratu musicæ Gymnasticæ, & in lege de eruditione puerorum instituit Dionysia eos cantores annorum sexaginta, *quos* (inquit) *oportet Rythmorum naturas harmoniarumque constitutiones acute sentire, ut in cantibus affectus animi imitantibus, probi animi imitatores ab imitationibus improbi secernere possit, & has quidem rejiciant, illas autem in medium deductas adolescentium auribus concinant, trahantque eorum animos imitatione quadam ad possessionem virtutis.* ita fere Isabelus capite ultimo de Politica Platonis, quam defendit contra Aristotelem.

Et tandem ipsemet Aristoteles libro octavo Politicorum, & Divus Thomas ibi lectio 2. lit. h h. dicunt, ad bonum civile, & ad rempublicam bene regendam oportere esse in illa musicam tam cantativam, quam instrumentalem, non quamcumque, nec omnem, sed tantam, & illam, quantum sit utilis Bono civili & Reipublicæ; & qualis fuerit Respublica; talis debet esse cantus, ne scilicet sit impedimentum operationibus cæteris illius Reipublicæ propriis. & lectio 3. determinat quæ musica sit convenientior Reipublicæ à se institutæ, à tribus speciebus quas ponunt Antiqui. unde teste Plutarcho in Laconic. in Atheniensium politia Cantores erant in summo pretio. Hinc patet, quam pulchre Macrobius lib. 2 de somnio Scipionis: *Iure igitur musica capitur omne quod vivit, quia cœlestis anima qua animatur universitas, originem sumpsit ex musica quæ resultat ex inæqualibus ad æqualitatem & concordiam reductis.* quod in qualibet Republica & corpore politico cernere licet. & sic sicut musica conformatur passionibus animæ, quia illa excitantur, ita conformatur operationibus civilibus, quæ recte moderantur & reguntur musicis concentibus. Vnde egredie Amalarius Fortunatus lib. 3 de Ecclesiasticis officiis cap. 3. dixit: *quod diversorum sonorum rationabilis & moderatus concentus, concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis significat unitatem.*

Catholica, & sacra.

DE Catholicis plura in sequentibus dicturus; de sacris apud gentiles aliqua dixi supra. unum addam ex Macrobio ubi supra dicente: *mortuos quoque ad sepulturam prosequi cum cantu oportere, plurimarum gentium & regionum instituta sanxerunt, &c.* qui mos apud Romanos fuit antiquissimus, de quo Plutarch. de animalium intellectu, apud Hebræos valde usitatus, ut constat ex Euangelio.

Et apud Catholicos Catholicissimus à temporibus Apostolorum, Nicephorus lib. 2 Hist. cap. 22. Nazianzenus invectiva 2. in Iulianum; Turonens. de gloria confess. lib. 8. cap. 10. & egregie Gregorius Nyssenus Epistola ad Olympium; Clemens Romanus lib. 8. const. cap 29. unde jure optimo Hieronym. in vita sancti Pauli Erem. hanc vocat *Christianam traditionem*: Chrysostomus homilia 70 ad populum; Augustinus lib. 9 Confess. cap. 12. & est indubitatum apud sanctam Ecclesiam Romanam, ita ut qui contrarium dixerit, hæresi damnetur. Cognovi hominem Belgam, natum in hæresi ex Parentibus Hæreticis, Patria hoc veneno infecta, amicis pariter infectis, se convertisse ad fidem Catholicam ex hoc motivo, scilicet modo sanctissimo, quem fideles habent, sepeliendi mortuos suos in Ecclesia cum Hymnis & Canticis: non enim par est, ut corpus, quod organum fuit animæ nobilissimæ immortalis, tanquam canis sepeliatur.

Sed quam Catholicus & universalis sit cantus & concentus musicus in Ecclesia Dei, satis bene expressit Abbas Tuiciensis lib. 1 de Divinis Officiis cap. 17, ubi ejus encomia sic fatur: *Canit ergo universa multitudo Jacob legitime, & ipse David cum cantoribus citharam percutit in domo Domini. quidquid enim Israël canit, hoc magistro, hoc præceptore didicit; ab hoc concitatus Iubilus cordis in voces corporeas chorique concentum, nunc graviter, nunc acute aut excellenter erumpit, & magni corporis Ecclesiæ per omnes gentes diffusæ, quia una fide resonat, cantus pariter, & tamen simul ubique, & undique multiplex, & unus ab ipso suaviter auditur.*

Amalarius lib. 3 de Divinis Officiis cap. de officio Lectoris & Cantoris: *nulli dubium* (inquit) *quin per modulationis dulcedinem scindantur corda etiam carnalia, & sese aperiant more sulci in confessione vocis & lachrymarum, absit ut vigorem Christiani animi in mollitiem caducam possit convertere, quod genus etiam ipsi gentiles vitabant, &c.*

Rabanus Maurus lib. 3 de Institut. Clericorum cap. 24, loquens de musica, dicit: *hæc disciplina tam nobilis est, tamque utilis, ut qui ea caruerit Ecclesiasticum officium congrue implere non possit. quidquid enim in lectionibus decenter pronuntiatur, aut quidquid de Psalmis suaviter in Ecclesia modulatur, hujus disciplinæ scientia ita temperatur, ut non solum per hanc legamus & psallemus, imo omne servitium Dei recte impleamus.*

Audi Basilium Magnum epistola 57, alias 63 ad Clericos Neocæsarienses: *& nunc quidem in duas partes divisi* (Monachi) *alternis succinentes psallunt* & infra: *si horum gratia nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios; fugietis Libyam utramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant, &, ut semel dicam, omnes apud quos vigiliæ ac preces communesque Psalmodiæ in pretio sunt.* Sed addit sanctus Doctor, tempore sancti Gregorii magni (non

 Romani)

Romani) ſed Neocæſarienſis, quem jure optimo propter eximiam ſanctitatem, Magnum dicit, hæc non fuiſſe, ſicut nec fuerunt Litaniæ, quia videlicet tempore hujus Sancti in Eccleſia Neocæſarienſi nondum fuerat introductum alternatim Pſalmos canere.

Hinc eſt, quod cantu hymnodico utuntur Catholici in ſolemnioribus actionibus Religionis Catholicæ. in adminiſtratione Sacramentorum fuit antiqua conſuetudo cantandi; cantatur ante prandium, poſt prandium; ante lucem & poſt lucem. cantant Martyres ad ſolatium martyrii; animantur cantu & Pſalmodia, vires reſumunt contra Tyrannos, incenduntur amore divino & fidei zelo, armantur Canticis & Hymnis adverſus idolorum cultores. tanta eſt omnipotentia cantus Eccleſiæ, quod ejus auditu terreantur Principes tenebrarum, nihilque ſit quod cantu divino non operetur in animarum ædificationem, & inimicorum deſtructionem. quare illum magnificerunt Summi Pontifices, Sanctus Gregorius cantum methodicum compoſuit, gravem, honeſtum, pudicum, & caſtum, & dignum, ut coram Deo illo utamur; verificeturque in nobis quod ſanctus Chryſoſtomus deſiderabat, quod cantus & laus Dei faciat eum qui canit gravem & venerandum. quare Catholica Eccleſia principi, ejuſmodi Pſalmodiæ Hymnorum canendorum inde ſumpto ad hanc uſque diem conſuetudinem hanc retinuit, & ſacris cantilenis operatur ex Gregoriana harmonia compoſitis & diſpoſitis, quam auxit Vitalinus diſponens quo modo ad organum occinerentur, teſte Platina in vita Lini. Suavius eam diſpoſuit Leo ſecundus magnus Muſicæ Eccleſiaſticæ Magiſter, ad quam ſummè affectus Agatho Papa, præcentorem inſignem ad Angliam miſit Abbatem ſancti Martini in Francia, ut cantum Eccleſiaſticum ibi introduceret, ut ait Baronius ad ann. 579. nu. 50. qui melodicus concentus, ne diſturbaretur, & inauditorum aures & animos cacophoniam cauſaret, ſtatuitur in quodam concilio, quod non liceat præter Canonicos Pſaltes, quique pulpitum aſcendunt & de Codice legunt, alium quemlibet in Eccleſia canere. Pſaltes canonicos appellat *capella decantores*, ſicut in templo veteris Teſtamenti nulli cantare licebat, niſi Levitis Cantoribus deſignatis per diverſas capellas muſicorum, in quarum varias ſortes diviſit David quatuor millia Cantorum, ut eſſet ſuaviſſima laus perennis, quam conſervabat in Regno Luſitaniæ monaſterium inſigne Ciſtercienſe, quod dicitur *de Alcobaça*, in quo erant 999 Monachi uno deficiente à die mortis ſancti Bernardi. rurſus in ſexta Synodo canone 75 ſtatuitur, *eos qui in Eccleſias ad canendum accedunt volumus neque inordinatis vociferationibus uti, nec naturam ad clamorem urgere, neque aliquid eorum quæ Eccleſiæ non conveniunt, ſed cum magna attentione & compunctione Pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre.*

Magnum eſt etiam encomium muſicæ Eccleſiaſticæ, quod ad illam fuerint inclinati magni Imperatores & Reges. de Theodoſio Iuniore narrat Socrates lib. 7 Hiſtoriarum cap. 22. *ejus Regia non diſſimilis fuit monaſterio. ille ipſe cum ſororibus ſuis primo diluculo Hymnos alternatim decantabat.* Zonaras refert de Theophilo Orientis Imperatore, quod erat valde deditus muſicæ Eccleſiaſticæ, in cujus numeris multas compoſuit proſas, & aliquando cantores manu regebat, motu concentico clavem & punctum oſtendens. Pipinus etiam Rex Galliæ, & ejus ſucceſſor Carolus Magnus, qui ſua diligentia cacophonias, quæ cantui irrepſerant, excluſit & emendavit. & plura alia circa cantum hujus ſancti Imperatoris digna narrat circa annum 790. de Rege Ferdinando I. narrat Archiepiſcopus Rodericus libro Chron. cap. 13, qui, ut poſſet in choro canere, ſe Canonicum Legionenſ. fecit, (at hodie Reges Caſtellæ hunc canonizatum habent, ſicut & Toletanum) canebat in choro cum clero, ſuo ordine Antiphonam primo canebat. idem refert Trithemius de Roberto Galliæ Rege, qui elegantiſſimos Hymnos & proſas compoſuit, in ſolemnibus feſtis canebantur, & ſic ipſum annumerat Eccleſiaſticis ſcriptoribus. ſunt & innumeri alii, quorum ſunt Hiſtoriæ plenæ. quid dicam de noſtro magno Philippo Secundo, Religioſiſſimo Principe, qui in magno illo cœnobio quod mundo eſt admiratio, noluit alios Monachos conſtituere, niſi addictiſſimos choro, Hieronymi alumnos, & conſcribendis & illuminandis libris cantus magnam & incredibilem ducatorum ſummam expendit.

Et tandem magna & ſecura laus chorici cantus & muſicæ Eccleſiaſticæ eſt, quod fuerit revelata à Deo, & clara ſuæ voluntatis manifeſtatione oſtenſa prima, apud Caſſianum lib. 2 Inſtitutio. cap. 4, *modus canendi illo tempore conveniens revelatus eſt ab Angelo, qui per tot ſecula penes cuncta illarum Provinciarum monaſteria intemeratus nunc uſque perdurat, quia non humana adinventione ſtatutus à ſenioribus affirmatur; ſed cælitus Angeli miniſterio Patribus eſt delatus.* hæc ibi. Cantus in choro revelatus fuit ab Angelo ſancto Paſchamio, ut conſtat ex ejus regula. cantus & modus canendi ſancto Ignatio Martyri divinitus fuit oſtenſus, ut tradunt Socrates lib. 6 Hiſt. cap. 8. Caſſiodorus lib. 10. cap. 9. Sanctæ Coletæ filiæ in Religione Seraphica, dubitanti an Monachæ conventus deberent convenire in choro ad pſallendum, an ſufficeret, quod in cellulis ſuis divinum officium recitarent, inſinuata fuit divina voluntas, quod canerent in choro ita in tomo 3 Coronæ Seraphicæ, fol. 68. quid ni? ut manifeſtetur divina voluntas, quod Religioſi & Canonici aſſiſtant choro, Presbyteri mortui concinunt vivis, quoties Clerici coibant in chorum in Eccleſiæ Burdegalenſis, ut refert ſanctus Gregorius Turon. lib. de gloria Confeſſorum cap. 47. ſed quis, & qualis debeat eſſe cantus, ſequenti ſectione oſtenditur.

SECTIO XXII. *Quis & qualis cantus in choro.*

SVpra ſectione 4 confirmatum ex Patribus & Eccleſiæ conſenſu cantum in Eccleſia licitum & ſanctum eſſe relinquimus; ſed quis, & qualis debeat eſſe huc remiſimus. quod præſtandum eſt diligenter. Triplex modus canendi in choro in Eccleſia eſt uſitatus. primus ſimplex, altus, cum aliquali tono tracta voce ſine figuratione aliqua, aut diſpoſitione juxta regulas muſicæ, quo utuntur multæ Religiones excalceatæ, & nos Clerici Regulares, & multæ aliæ Clericorum Congregationes utuntur; ſecundus eſt figuratus juxta varios tonos diſpoſitos in muſica. & hoc utuntur Religiones Monachales & multi ex mendicantibus; & tertius eſt organicus, & de his omnibus ſigillatim agendum.

Et quidem cantum unum ex his modis in Eccleſia ſemper fuiſſe, etiam cantus muſicos, indubitatum eſt apud fideles; fuit enim in Eccleſia cantorum votus inſtitutio, tum apud Hebræos 1 Paral. cap. 15, & 16, & 25. ubi Magiſtri cantorum ſapientiſſime conſtituuntur à Davide, & quatuor millia Levitarum ad modulatè cantandum eliguntur, qui per ſortes ſuas &, ut ſic loquar, capellas diviſi continuò, noctu, diuque Deum laudarunt, ut enim ait Auguſtinus lib. 17

de

de Civit. cap. 14. *vir erat David in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit, eaque Deo suo, qui verus est, mystica res magnæ figuratione serviens, & diversorum nomine sonorum rationales moderatosque concentos, concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis unitatem insinuaverat, cantores instituerat, qui coram area fœderis Domini musicis instrumentis & modulatis vocibus decantarent.* quem morem imitatur sancta Ecclesia Romana, per totum orbem diffusa, in novo Testamento à primis ejus incunabulis, ut refert Philo lib. de vita contemplativa, de primis Christianis *non solum* (ait) *intelligunt Hymnos veterum, sed & ipsi faciunt novos in Deum. omnibus eos & metris, & sonis honesta satis & summa compage modulantur*, &c. legantur Lactantius lib. 6. cap. 26. Nazianzenus oratio. 40. in sanctum baptisma, ad finem; unde teste Theodoreto lib. 4. Hist. cap. 29. *Sanctus Ephren Syrus contra Harmonium Bardasanum Hæreticum (qui ut alliceret audientes ad perniciem suam, Cantica composuit, melodicæ suavitati impietatem miscens) harmonicos numeros moderatus, atque ejusdem moduli carminibus Ecclesiasticæ sententiæ consonis Syris ea canenda dedit: à quibus per æmulationis ardorem posteriores Ecclesiæ Cantores, modulorum formulas mutuati, magis atque magis auxerunt & propagarunt* &c. Socrates etiam lib. 7. cap. 23. de Hymno ter sancto, ab Angelis suavi modulatione cantato ad nostram instructionem. unde Prudentius Cathemer. hymno. 2.

Te mente pura simplici,
Te voce, te cantu pio
Rogare, curvato genu,
Flendo & canendo discimus.

Huc pertinet quod ex Augustino lib. 9 confess. cap. 6. adduxi: *quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suavi sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* quibus verbis, quos effectus spirituales causet suavitas musicæ in Psalmodia, mirifice exprimit; primus, aëris motio ad devotionem; ex qua sequitur eliquatio veritatis in corde; tertius, æstus & ardor affectus in cultum Dei; quartus, lachrymarum profusio.

Vnde sancta Tridentina Synodus, sess. 23. cap. 18, de reformatione, præcipit ut alumni seminariorum, quæ ibi instituit, *ut cantus discant.* & quid mirum, quod homines Ecclesiastici ad concinnè Deum laudandum musicæ studeant, quando & aves ad laudandum Deum hoc etiam faciunt. audi obsecro quid de Luscinia dicat Plinius lib. 10. cap. 28. *in una* (ait) *perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus.* & infra: *breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. at ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, nec idem omnibus, sed sui cuique. certant inter se, palam animosa contentio est. Victa morte finit, sæpe vitam, spiritu prius deficiente quam cantu, meditantur. aliæ juniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, vicibusque reticent, intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam repræhensio.* quam Philomenæ proprietatem sic Berchorius lib. 7 Reductorii moralizat, cap. 31 num. 3. *ita vero juste debet alter ad alterum ad modulandum & Deum laudandum excitare & movere, & alter præ zelo alterius perorationem fortiter decantare, & sic Deum cantando & laudando, & in Deo exultando debent vitam suam delectabiliter terminare Psalmo 51. vers. 8. laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.* hæc ibi. si ergo aviculæ istæ ex naturali instinctu à suo Creatore infuso, ut illi laudes suo modo deferant, musicam discunt, & altera alteram edocet, quanto magis fideles, & multo magis Ecclesiastici cantum dicere debent, ut offerant Deo sacrificium laudis, publicam Psalmodiam in congregatione & choro concinentes. hoc enim est, quod dicebat Tertullianus lib. 2. ad uxorem circa finem: *sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo provocant quis melius Deo suo canat.* nonne in hoc Luscinias imitantur? quam imitationem etiam nobis proposuit sanctus Basilius epistola 6. 3. ad Clericos Ecclesiæ Niocæsari. *in duas partes diversi alternis succinentes canunt; deinde uni ex ipsis hoc munere dato, ut, quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt; & tunc ritum, ait, receptum tunc fuisse in omnibus Ecclesiis Dei.*

Igitur primus canendi modus absque figuratione, sed solum consona chori alta voce sine gutturis aliqua modulatione, antiquissimus fuit in Ecclesia. ita Iustinus Martyr epistol. 107. *in Ecclesiis sublatus est usus talium instrumentorum, & relictum est canere simpliciter.* Augustinus etiam lib. 11 confession. cap. 33. *sed valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ tutiusque mihi videtur; quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum memini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.*

Hinc est, quod Angelus ille, de quo Cassianus lib. 1. Institut. cap. 5. instruens Monachos, & edocens quot Psalmos cantarent, & modum canendi: *undecim Psalmos* (inquit) *orationum interjectione distinctos contiguis versibus parili pronunciatione cantavit*, id est, non elevans nec deprimens vocem, sed sono semper pari, æquali, simplici, ut potius alte pronunciare videretur, quam canere. id quod teste Isidoro lib. 1. de officiis cap. 5 observabat primitiva Ecclesia, quæ ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti. propter carnales autem in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo est instituta canendi, ut qui à verbis non compunguntur, suavitate modulantis moveantur. Hinc est, quod Augustinus lib 10. confess. cap. 33. dicit, *cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, ut tunc mallem non audire canentem.* quia videlicet cantus organicus propter carnales & imperfectos, quorum est grandis copia, non propter spirituales introductus est in Ecclesia. quapropter, hoc attendens Iulius 2 constitut. 6. §. 2 præcipit Fratribus Minimis, quod *neque in solemnibus festis, neque Gregoriano*, (qui est secundus modus canendi) *neque alio quovis cantu cum notulis cantare præsumant*; quod & nos minores Clerici ad amussim observamus. *Nostri etiam Cantores* (verba sunt Amalarii lib. 3. de Ecclesiasticis officiis cap. 3) *non tinnium cymbala, neque lyram, neque citharam manibus, neque cætera genera musicorum, sed corde. Quanto cor majus est corpore, tanto Deo devotius exhibetur quod per cor fit, quam per corpus. Ipsi Cantores sunt tuba, ipsi psalterium, ipsi cithara, ipsi tympanum, ipsi chorus, ipsi chordæ, ipsi organum, ipsi cymbala.* unde in nostris constitutionibus legislator noster non solum prohibet cantum organicum, aut Gregorianum, sed & cantoribus organis jungi ad succinendum omnino prohibet.

Secundus modus canendi est, cum aliquo metro & notulis musicis, quas novas in Ecclesia fecit Gregorius Magnus, & ideo Gregorianus dicitur, Hispane *cantollano.* hic, vel similis observatur in Monacho-

rum choris & multarum aliarum Religionum Mendicantium, qui quidem quomodo exequi debeat eleganter expressit Divus Bernardus apud Caramuelem disp. 101. num. 1327. vers. sed inquiris, ubi sic ait: *Psalmodiam non nimis protrahamus, sed rotunde & viva voce cantemus metrum, & finem versus simul intonemus, & simul dimittamus: Punctum nullus teneat, sed statim dimittat, post metrum bonam pausam faciamus, nullus ante alios incipere & nimis currere præsumat, aut post alios* virium trahere (hacer colas) *vel punctum tenere; simul cantemus, simul pausemus semper auscultando.* & lib. de interiori domo cap. 51. *sunt* (inquit) *quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, tanta est levitas vocis, forsitan & mentis; cantant ut placeant populo magis, quam Deo. si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed suam; habes in potestate vocem tuam, habeto & animum, frangis vocem, frange & voluntatem; servas consonantiam vocum, serva & concordiam morum: cave, ne, sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis.* hæc documenta tradit Bernardus Monachis suis, canentibus cantu cum aliquibus notulis, quæ & conveniunt maxime etiam canentibus parili cantu & voce æquali. & Ioannes XXII. hunc secundum canendi modum vult in Ecclesia servari, extravag. *Docta sanctorum.* de vita & honestate clericorum. an vero prohibuerit tertium modum canendi organicum, jam explico.

De cantu organico dubium est, an licitus sit; & quidem si loquamur ex natura rei & ex objecto, certissimum debet esse, quod cantus iste licitus sit & honestus. ita tenent Suarez lib. 4 de horis canonicis cap. 8, à n. 2. Sanchez tom. 1 Summæ. lib. 2. cap. 37. à num. 6. Emanuel Rodrig. tom. 1. quæst. 40. art. 1 & 2. Tamburinus de jure Abbatissarum disp. 15. quæsit. 3. n. 6. Miranda tom. 1 Manualis, q. 37. art. 6. Peyrinus tom. 2. Privileg. constit. 8. Clemen. VIII. & quidem per se esse honestum cantum istum adeo existimo certum, ut sit de fide: illo enim utebatur David in Testamento veteri coram arca, ut supra monstravi ex sacra Scriptura & Patribus. immò in primitiva Ecclesia fuit in usu; quamvis propter abusum fuerit moderatus. ut enim bene Suarez, in tali cantu per se spectato nulla est intrinseca deformitas contra Clericorum decentiam & sanctitatem talium officiorum; immò potius si debita moderatione & gravitate fiat & ipsorum majestatem condecorat, & audientium animo ad reverentiam excitat, & ad devotionem acriter commovet: quod enim Psalmi à populo, dum sic cantantur, non perfecte & integre percipiantur, tolerari sine culpa aut indecentia potest, quia ex hoc cantu, ex fidelium usu & Ecclesiæ consensu festi augetur solemnitas, & imperfecti, quorum est major pars audientium, ex suavi tonante musica Ecclesiastica ad devotionem excitantur, & festivitatis admirationem & honorem, & mens ipsorum, etsi Psalmi non percipiantur, elevatur in Deum, cum similis elevatio contingat in non intelligentibus nec latinitatem, nec mysteria. & quamvis populus ex hujusmodi cantus dulcedine & melodia multoties inclinetur ad delectationem sensus, non secus ac dum audit dulcisonos musicos Cantilenarum secularium, maxime si cantent fœminæ Moniales, hoc non facit inhonestum cantum, tum quia hoc est præter intentionem Ecclesiæ, & delectatio illa sensibilis non est mala; sed indifferens, & ex intentione audientium potest ordinari ad acuendam devotionem; quia, ut ait Divus Isidorus ubi supra: *Cantus iste institutus est ab Ecclesia, ut carnales & imperfecti ad devotionem moveantur.* quare cantus hic semper potest habere bonum usum, quia inclinatio ad musicos concentus per se non est mala, immò si bene ordinetur, potest esse valde perfectorum, quamvis ordinarie in hominibus imperfectis sit defectuosa, quia illa rapitur appetitus magis ad carnalem, quam ad spiritualem devotionem (maxime si concinant fœminæ) & forsan hanc imperfectionem Augustinus cap. 33 citato, *pœnale peccatum* dixit, hoc est, sub irreptionem appetitus, quæ pœna est peccati originalis.

Circa Cantores hujusmodi cantus exercentes submittere placuit verba sapientissimi Stephani Duranti lib. 3 de ritibus Ecclesiæ cap. 21. num. 11, *Hodie dolenter refero in Ecclesiis, musici qui Cantorum vice funguntur hominum omnium dissolutissimi sunt, adeo ut adagium populo dederint, musice vivere, hoc est, dissolute & effeminate. hos de choro ejici optabat jure Lindanus lib. 4 Panopliæ cap. 78. in Ecclesiis Cathedralibus eligi cantores Psalmorum intelligentes, & Deum vita simul & voce moderata, quam incondito garritu laudantes.* hæc ille. quæ maxime conveniunt plurimis ex Cantoribus Ecclesiarum; sed fere omnibus Cantoribus musicis, qui canunt in capellis aliquorum Regularium; quas inter eos permitti maxime doleo, cum ad fere nihil Regularis instituti accedant, & quamvis alicujus utilitatis sint communitati in temporalibus, tamen in spiritualibus licentiosissime vivunt, nec superiores eos regere possunt. frangunt enim vocem, & in nihilo frangunt voluntatem, quæ in ipsis est pro ratione: sunt enim propter vocem dissoluti, gloriantes non in Domino, sed in vocis suæ modulatione, alios spernunt, tumentes elatione cantant, ut potius placeant populo, quam Deo: melius enim esset si, sicut habent in potestatem vocem suam, haberent & animos, ut divino se servitio manciparent. quare Concilium Aquisgran. cap. 132 & 133. præcepit, quod *tales eligantur personæ ad cantum, quorum mens cum voce concordet, qui non superbe, sed humiliter & sapienter debitas Deo laudes persolvant, & suavitate lectionis & melodiæ & doctos demulceant, & minus doctos erudiant, potiusque exoptent in lectione, vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem.* hactenus Concilium. similia fere habet Concilium Mediolanense sub Cardinali sanctissimo Borromeo celebrarum anno 1565. cap. de musica & Cantoribus. quod si inter Regulares tales non inveniuntur, satius est & majoris ædificationis, quod capellas non habeant, quam in illis permittant dissolute viventes, & destruentes regularem observantiam. ubi autem cum melodia vocis virtus non est, verificatur adagium antiquum, *bonus cantor, bonus expediarius.* quare superiores Regulares in visceribus Christi obsecro, ut à suis familiis capellas istas venales musicorum eliminent, excludant, relegent.

Similiter cantus iste organicus *(de contra puncto)* jure Ecclesiastico non est prohibitus. quare extravagans *Docta sanctorum* non simpliciter illum prohibet, cum post præfatam extravagantem adhuc perseveret in Ecclesia, immò & in sacello Pontificio, & tota Romana curia, ut per novem annos summo ibi expertus, non solum per musicos Pontificios, sed per alios. quod signum evidens est non fuisse prohibitum talem cantum, sed prohibuisse Theatrales & more histrionum canere, ut satis colligitur ex ipso contextu; vel contraria consuetudine, vidente & consentiente Summo Pontifice, fuit illud jus derogatum. unde in hac materia illa regula Pauli 1. ad Corinthios 14. ṽf. 39 & 40. observanda est, *æmulamini prophetare* (id est Hymnos & Psalmos canere) *& loqui*

& loqui linguis nolite prohibere, (forsan quia canebant aliqui diversis linguis, quas, cum omnes non intelligerent, caussabatur dissensio & forsan risus) *omnia autem honeste & secundum ordinem fiant.* dixerat enim ℣. 36 *omnia ad ædificationem fiant.* unde cantus & soni graves sunt, pii ac distincti, & domui Dei ac divinis laudibus accommodati.

Hinc est, quod cantus indecentes & modulationes indecoræ in hoc cantu omnino vitentur, non solum illæ quæ turpes sunt, quæ etiam in humanis recreationibus indecent, sed etiam quæ fiunt cum gestibus & motibus indecoris, vel quia ratione usus profani, aut propter peculiarem modum flectendi vocem, aut melodiam quærendi profanas cogitationes, aut indecentes motus excitare solent, *ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur* cap. in sancta Romana 92 dist. & ut ait Hieronymus in cap. 5 ad Ephesios: *Ne in tragædiarum modum Theatrales moduli audiantur in Ecclesia inter divina officia.* hic enim modus canendi illicitus est in Ecclesiasticis officiis. unde Trident. sess. 22 in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ: *Ab Ecclesiis* (excludit) *musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur.* hoc enim peccatum mortale est, teste Cajetan. 2. 2. q. 91. art. 1. §. *ad evidentiam*, & in summa, verbo *organorum usus*, n. 2. ibi: *inserere autem divinis, ut partem solemnitatis, prophana & turpia, nihil aliud est quam conjungere Christum cum Belial: unde per se loquendo crimen est superstitionis sacrilegæ, & peccatum mortale talis mixtio contraria fini divini cultus, scilicet ut excitetur devotio, &c.* unde in Concilio Cabilonensi sub Eugenio 1. concl. 19 hoc mulieribus fuit interdictum, quæ per dedicationes Basilicarum, aut festivitates Martyrum ad solemnia confluentes, turpia & obscena cantica decantare solebant. quam prohibitionem ego intelligo, non quod cantica ista essent de rebus turpibus & obscenis: hoc enim nullo modo concipi potest in solemnitatibus Martyrum, & dedicationis Ecclesiarum fieri à Christianis. quare existimo solum prohiberi modum lascivum canendi per vocis indecoram inflexionem, modulos Theatrales, &c. quos, cum qui audiunt, noscunt sonos esse rerum indecentium, quamvis res, quæ illis modulis cantantur, turpes non sint, excitantur qui audiunt non ad devotionem, sed ad considerationem rerum prophanarum & turpium, ut satis experientia constat.

Quod si cantus iste organicus gravis & honestus sit, qui, ut est in Cathedralibus & Collegiatis consuetudine quæ est rationabilis introductus, aut sit cantus Gregorianus quo utuntur multæ & gravissimæ Religiones, si in magnis festivitatibus omittatur, Rector, cui cura chori incumbit, non dubito quin graviter peccet, tum propter populi scandalum, tum quia omittit publicum cultum consuetudine, quæ vim legis habet, introductum. Legatur Caramuel, ubi supra.

SECTIO XXIII. *Licent cantiones lingua vulgari in choro?*

Psalmos Davidicos, ex quibus major pars Ecclesiasticæ musicæ constat, ut sect. 21 ostendi, sicut neque aliam partem divini officii ab Ecclesia constituti, non licere lingua vulgari canere optime determinat Suarez, ubi supra cap. 7, num. 8, his verbis: *In rebus moralibus non semper id expedit, quod aliquam utilitatem afferre potest: nam possunt aliunde majora inconvenientia sequi, vel majora commoda impediri; & ideo omnia pensanda sunt, ut, quod magis expedit, eligatur. usus ergo vulgaris linguæ in divinis officiis, licet propter aliquam intelligentiam posset esse utilis, tamen habere posset majora incommoda & pericula, tum quia mysteria sacra vilescerent, tum quia posset esse occasio errandi indoctæ plebi; putaret enim se intelligere sententias, & veros sensus, vel lectionum, vel Psalmorum, eo quod significationem verborum apprehenderet, & tamen frequentissime conciperet errores, vel cortici literæ adhærendo, ubi sensus altior est, vel obscura mysteria non penetrando; tum denique quia vulgaris plebs non est capax multarum rerum & sententiarum, quæ in Latina lingua aptissime & decentissime dicuntur, &c.* hæc ibi. unde prudentissime omnem traductionem Psalmorum, Euangeliorum & Bibliæ sacræ prohibuit sanctum Tribunal Inquisitionis ubique terrarum, ubi est receptum Concilium Tridentinum.

Sed quamvis aliqua, vel minima pars officii divini non liceat lingua vulgari materna decantari, tamen aliquas cantiones vulgares de rebus divinis, & tono gravi, & decenti, & instrumentis musicis decoris cantari, rationabili consuetudine introductum est in Hispaniarum Regnis, in quibus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, & in conventibus Monialium, tum in vesperis, tum ad Missæ celebrationem, cantiones istæ vulgo *Villancicos* magna populi devotione cantantur. quod non parum habet decoris & solemnitatis: neque enim est novum in Ecclesia hujusmodi versus & carmina vulgaria, quæ non pertineant ad divinum officium, nec sint illius pars, inter Psalmos Davidicos cantari. Philo enim lib. de supplicum virtute, loquens de primis illis Christianis, dicit: *Assurgens Hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens a se compositum, aut assumptum ex aliquo veterum Vatum.* Divus Dionysius cap. 4 de divinis nominibus complura refert ex Carminibus Hierotei Magistri sui. quare multi ex Patribus Hymno composuere, ut canerentur in Ecclesia ad laudes Dei. de Hymnis Ambrosianis meminerunt Concilium Turonen. 2. can. 24. Concilium Toletanum 4. can. 12. qui refertur in cap. *de hymnis. de consecrat. dist.* 1, ubi Patres sic loquuntur: *Quia nonnulli Hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & Martyrum triumphos, compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant pro eo, quod de Scripturis sanctorum canonum, vel Apostolica traditione non existunt, &c.* & rejecta hac sententia pluribus & validis argumentis Concilium concludit, dicens: *Hymnos in laudem Dei compositos nullus nostrum ulterius improbet, sed pari modo in Gallæcia & Hispania celebrent, excommunicatione plectendi, qui Hymnum excludere fuerint ausi.*

Quod enim sint lingua vulgari compositi Hymni aut *villancicos* non interest, quia, cum non sit pars divini officii, & verba & toni sint graves & honesti, non est indecens. sic enim receptum est, & semel dato quod aliquid compositum humano ingenio potest intermisceri officio divino, ad augendam fidelium devotionem & festi solemnitatem, possunt cani lingua vulgari quam omnes intelligunt. neque obstat quod Romæ hujusmodi Hymni non permittantur lingua vulgari, sed dicantur aliqua verba devota sumpta vel ex officio festi, vel ad id composita lingua Latina, quia alibi consuetudine honesta & rationabili contrarium introductum est.

Solum posset quis nobis objicere Concilium Bracharense primum, celebratum anno 563, sub Theodosio Min. & Ioanne III. cano. 39. *Extra Psalmos veteris Testamenti nihil politice compositum in Ecclesia psallatur.* & Concilium Laodicenum sub Papa Sylvestro

vestro celebratum anno 320 cap. ultimo. *non oportet* (inquit Concilium) *Psalmos ab idiotis compositos & vulgares in Ecclesiis dici.* cujus canonis ridicula est interpretatio, quam quidam modernus adhibet, *idiotis, id est, hæreticis:* hoc enim nec in mentem venit Patribus, qui loquuntur de Psalmis traductis lingua vulgari, & de cantionibus eadem lingua factis à Poëtis idiotis, quos idiotas vocat, quia linquam Latinam ignorant; unde manet difficilis objecto. Respondetur tamen, quod decreta ista vel sunt jam contraria,consuetudine abolita, vel loquuntur de istis Psalmis, quod non cantentur quasi pars divini officii, quod illo tempore solum componebatur ex Psalmis & ex sacra Scriptura canonica,quorum libros ibi nominatim ponit Concilium. & hæc est genuina hujus Concilii intelligentia.

Hoc unum sufferre non potui, in multis Monialium conventibus, in quibus etsi res, quæ canitur, non sit indecens, modus canendi indecentissimus mihi visus est, cum sit valde Theatralis, Comicus, & profanus, & canitur eadem vocis inflexione & notis, ac in theatro: verbi gratia tonus de *xacara* & aliis, qui modus tam efficax est, ut non sinat attendere ad rem, quæ canitur; sed acriter movet ad lascivas & prophanas cogitationes, & hoc quidem ex primaria compositione illius modi. quare, ut dixi supra ex Domino Cajetano, non dubito has Cantatrices graviter peccare. *Neque excusantur* (ait Cardinalis) *ex eo,quod sonus abstrahit ab omni materia, & quælibet melodia soni potest ad sacra verba applicari: tum quia secundum rei veritatem isti soni fiunt, ut accommodati delectationi auditorum, qui non noverunt illos, nisi ut sonos illorum verborum prophanorum aut turpium, in cujus signum audientes ex illo sono excitantur ad illa prophana seu turpia; tum quia cantus abstrahit ab omni materia, & tamen Ecclesia interdixit prophanos cantus in Ecclesia, ut cantus Theatrales, ut patet 92 dist. capit. Cantantes mementote Apostolicæ sententiæ: nolite errare, Deus non irridetur, aut fallitur.* hactenus ibi. quare precor Dominos ordinarios, ne in Ancillis Christi talia fieri permittant; in memoriam revocent verba gravissima sancti Hieronymi ad caput 5. ad Ephesios *cantantes* (inquit) *in cordibus vestris Domino. audiant hæc adolescentuli; audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colli..endas, ut in Ecclesia Theatrales moduli audiantur, & cantica. sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur, ut spiritus, qui erat in Saule, ab eis ejiciatur qui similiter ab eo possidentur, & introducatur in eos, qui de Dei Domo scenam fecere popularem,* &c.

SECTIO XXIV. *Licent in choro musica organo.*

ORganum idem in sua prima significatione designat, quod *instrumentum*, quo aliquid facimus aut operamur. Hinc Aristoteles manum hominis dicit *organum organorum*; tamen tam apud latinitatis Præceptores, quam apud Patres,organum significat quodlibet instrumentum musicum. Quintilianus lib.9, cap.4, *natura ducimur ad modos: neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum soni, quamquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios modos ducerent Auditorem.* similia dicit Cælius Rodiginius, lib.9. noctium cap. 6. sanctus Isidorus lib. 3. orig. cap. 20: *organum* (inquit) *vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant.* & Augustinus enarrat. in Psalm. 56: *organum*, dicit, *quidquid aptatur ad cantilenam.* Divus etiam Thomas 2. 2. quæst. 91 art.2 ad 4, hos Patres sequens, sub organo comprehendit citharam, fistulam, & si quod aliud est tale. ex Aristotele lib.8. Politicorum cap 6.

Igitur organum, quatenus est musicum instrumentum, aptum ad musicam in templo Dei, & ad ipsi laudes canendas, sive solis instrumentis, sive voce sociante, sive socientibus cantoribus non esse ejus usum ilicitum,ex natura rei mihi manifestum est,quia tota scriptura veteris Testamenti plena est his instrumentis, quibus in Templo utebantur Levitæ laudantes Deum. non est autem credibile, Deum sua lege statuisse id, quod ex se dicit deformitatem & turpitudinem. quamvis enim, cum gens illa Hebræorum puero comparetur, qui his delectabilibus rebus delectatur, & attrahitur, in cultu conservabatur modulationibus organorum, ut dicit Iustinus epist. 107, & ex ipso Divus Thomas ubi supra, & sic populus ille, tanquam durus & carnalis, erat per hujus modi instrumenta provocandus ad cultum Dei, sicut provocabatur per promissiones terrenas, quibus continebatur in Dei servitio. quare instrumenta musica in veteri Testamento ex vi præsentis providentiæ erant necessaria ad populi hujus excitandam devotionem, sicut fuerunt necessariæ promisiones terrenarum rerum, quibus ducebatur ad disciplinam Religionis & cultus. unde organorum usus in veteri ex divina institutione erat honestus & Religiosus, utpote ex revelatione institutus ad instruendum & excitandum ad devotionem populum duræ cervicis & carnalem.

Cæterum cum lex Euangelica data sit, & instituta non pro populo carnali, sed spirituali, cujus cor lapideum ablatum est ex vi gratiæ Christi, unde illi non promittuntur res terrenæ, sed spirituales & æternæ, ut Regnum cœlorum, quod in visione & fruitione Dei consistit, disciplinaque Christi altior est, & excellentior omnibus disciplinis humanis, utpote cum ex vi illius simus omnes *docibiles Dei*, denturque nobis altior scientia & sapientia, quæ sunt spiritus sancti dona, sicut ad disciplinam humanam non sunt necessaria organa musica, nec cantus organici, quæ sunt humanæ inventiones ad delectationem sensus consequendam instituta, fit quod in Ecclesiis legis Euangelicæ, nec cantus organicus, nec instrumenta musica sint necessaria ex vi legis ad cultum divinum, neque ad sacrificium laudis, sicut erant in Ecclesiis veteris Testamenti. & hoc discrimen est, quod voluit constituere Divus Thomas in solutione illa ad 4, & Iustinus Martyr. istis enim instrumentis musicis valde occupatur animus,& distentus tenetur, ut fere nihil ad aliud valeat attendere, nisi ad illorum concentum; cumque nullam edant vocem rem divinam significantem, torpescit anima, & raro elevatur in Deum. quæ est ratio potissima quæ movet Aristotelem, ne in disciplinis adhiberet musica instrumenta, quia ista rapiunt animum, ne ad disciplinam attendat, ut videre est apud Divum Thomam ibi lect. 2. litera. ll. unde inquit Aristoteles instrumenta musica bene reprobarunt antiqui, præcipue tibias,& alia acuti & penetrantis soni,quæ vehementissime animum inclinant, vel ad iram & audaciam, vel ad delectationem sensibilem, quæ obruens intellectus considerationem divinarum rerum, torpescit vera devotio, & solum ad summum excitatur sensibilis affectus, qui indifferens est ad hoc, ut in sensibilibus terminetur, vel ad divina dirigatur, quod intellectu distracto à sensibilibus sonis rarò contingit; unde in primitiva Ecclesia non erat organorum usus in Ecclesia & cœtu fidelium, solum cantus fuit in

usu,

usu, etsi in aliquibus introductus ablatus fuit. erant enim tunc fideles valde devoti, neque his adminiculis indigebant, & hic forsan est verus sensus Iustini Martyris.

Verum enimvero etsi hoc discrimen manifestum sit, dicit & egregie Dominus Cajetanus §. *in cujus signum: licet per se loquendo hoc sit verum, potest tamen per accidens tolerari extensa jam consuetudo organorum, propter nimiam elongationem hominum a divino cultu, ut vel sic allecti divinis intersint. qui tamen organa in Ecclesia medicinam animæ ægrotantis à remotis esse cogitaverit, parce illis utetur, ne sanis noceat minuendo, vel tollendo eorum devotionem. & licet organorum usus licitus jam in Ecclesia sit causa excitandæ devotionis, illicitus tamen est causa delectationis, eadem ratione qua cantus.* hactenus ibi. quæ verissime dicta sunt: si enim quis in Ecclesia aut organice canat, aut organis utatur propter delectationem sensibilem, quæ ex illorum sonis carpitur in delectatione sistens, sicut & faciebant antiqui, de quibus & Philosophi, quamvis hæc delectatio non sit mala, sed adiaphora & indifferens, tamen cum cantus & instrumenta musica adhibeantur in Ecclesiis propter devotionem excitandam, qui ad hunc finem ea non dirigit peccat, cum ex eo pertineant ad cultum Dei, quia excitant ejus devotionem & obsequium in ejus servitium. etenim, ut Divus Thomas dicit art. 2, in corpor. *musica melodica* (& idem est de organis) *salubriter introducta est, ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. unde Augustinus dicit 10 Confess. cap. 33. adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmorum animus in affectum pietatis assurgat.* ergo qui solum sistit in aurium oblectamentis, deficit à fine tum cantus, tum instrumentorum in Ecclesia, quæ dum instrumenta & organa invexit, hunc pietatis affectum intendit.

Vnde organorum usus, ut licitus & honestus in universi orbis Ecclesiis receptus est. quod enim in Capella Pontificia nullus musici instrumenti sit usus, non est argumento, quod illicitus sit, cum in Romana curia in omnibus festivitatibus omnium aliarum Ecclesiarum & Conventuum valde sit in usu, variaque sint instrumenta musica quibus canitur. ideo enim in Capella Papæ illis non utuntur, non ob gravitatem; gravissima enim sunt aliqua, & coram Imperatore & Regibus illorum est gravis usus; neque quia non sunt necessaria, quia etiam non sunt necessaria in aliis Ecclesiis, vel quia cum summus Pontifex habeat solicitudinem omnium Ecclesiarum sitque gravissimis occupationibus intentus, ut breviori tempore finiantur officia, vel quia sic introductum ob aliquas congruentias, & à successoribus in Sede introductio conservatur; & forsan temporibus Divi Thomæ non erat in Italia ita communis in Ecclesiis usus instrumentorum musicalium.

Cæterum ante sancti Doctoris tempora in Ecclesia viguisse organorum & instrumentorum usum, post tempora Iustini Martyris, constat ex quodam Iuliano, qui scripsit super Iob. ad cap. 31, *neque organorum usus prohibitus erat, quandoquidem hoc ipsum cum pietate fieri potest. in Templis enim ipsi illis usi sunt.* qui Iulianus Catholicus longe antecessit sanctum Gregorium Magnum. in Concilio enim Senonensi cap. 17 dicit, quod organorum usus à Patribus ad cultum servitiumque divinum recipitur, fuit autem organorum usus etiam approbatus à Tridentino sess. 22. decreto de vitando, &c. in Missa. quis autem fuerit organi cum follibus inventor, non est hujus loci disquirere. Legatur Durantus lib. 1 de ritibus c. 13, num. 2. ubi probat, quod in Ecclesia fuit Vitaliano Pontifice, qui vixit anno 657.

Vnum adverto, quod si organo vel instrumento musico aliquis versiculus dicatur in choro, debet recitari ab aliquibus, nec vel hic minimus defectus laudis vocalis intersit. Legatur Suarez ubi supra num. ultimo.

SECTIO XXV. *An canente uno cæteris audientibus satisfiat obligationi chori?*

Refert Ioannes Cassianus lib. 2 Institut. cap. 5. quod cum primitivi illi Religiosi ardenti devotionis zelo, & fervente devotionis ardore inter sese decertarent, *quinam modus quotidiano cultui per universum fraternitatis corpus decerni deberet, verentes, ne in quotidianis solemnitatibus inter viros ejusdem culturæ consortes dissonantia, vel varietas exorta quandoque in posterum erroris, vel æmulationis, vel schismatis novum germen emitteret, & unusquisque pro fervore suo non discutiens, quid generaliter pleniudine fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri; diversoque modo enormem Psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute decertarent, & alii quinquagenos, alii sexagenos Psalmos, nonnulli vero nec hoc numero contenti excedi cum deberi censerent, essetque inter eos pro Religionis regula piæ contentionis sancta diversitas, ita ut tempus solemnitatis vespertinæ sacratissimæ succedere quæstioni quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium Psalmos Domino cantaturus exsurrexit. Cumque sedentibus cunctis (ut est moris nunc usque in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos orationum interjectione distinctos contiguis versibus parili pronunciatione cantasset, duodecim sub alleluja responsione consummans, ab universorum oculis repente subtractus, quæstioni pariter & ceremoniis finem composuit.* ex quibus verbis constat, quod Monachi isti ab Angelo edocti, non alternatim canebant versus, sed Psalmos; ita ut uno canente integrum Psalmum, alii sedentes tacerent. quem morem etiam observabant tempore sancti Hieronymi, ut constat ex epist. 4 ad Rusticum, *dicat Psalmum in ordine tuo.* & in Epitaphio Paulæ: *per ordinem psalterium cantabat.* idque videtur institutum à sancto Paulo 1 ad Corinth. 14. vers. 26, *cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet*, id est gratiam psallendi qua Psalmum canat, ut explicat ibi Cornelius; & hos Psalmos alternatim canere mos erat, ut colligitur ex Basilio epist. 63 ad Clericos Neocæsar. & ante docuerat Dionysius cap. 3 de Ecclesiastica Hierarchia, mos enim dicendi Psalmos alternatim per versus recentior est Basilio, & forsan in Ecclesia Latina introductus est à Damaso Papa, qui multum perfecit officium divinum juvamine Divi Hieronymi. alternatim integros Psalmos dicere & concinere tempore Apostolorum fuit introductum, (hinc ni fallor ortum ducit cur in choro ponatur tabella in qua scriptum est, *hic est chorus*, quæ ponitur ad partem illam in qua est Hebdomadarius qui antiquitus erat qui primum cantabat Psalmum, sicut hodie est, qui incipit, *Deus in adjutorium meum intende.* & hinc est, quod uno canente, alii omnes sedebant reverenter attendentes ad Psalmum, qui canebatur. canens autem stabat, ut dicam sectione 26.

Vnde quando sanctus Augustinus lib. 9 Confess. cap. 8. dicit, quod sanctus Ambrosius instituit, quod Psalmi canerentur juxta ritum Ecclesiæ orientalis, & hunc usum ad reliquas Ecclesiæ occidentis dimanasse, quamvis Bellarminus lib. 1 de bonis operibus hoc

hoc intelligat de cantu totius populi convenientis in Ecclesia: *antea enim* (inquit) *Psalmum cantabat usus tantum*, & Ambrosius ad leniendum mœrorem populi in persecutione Iustinæ instituit, ut totus populus caneret, quod fecit in simili occasione sanctus Chrysostomus, in simili occasione apud Constantinopolim, ut refert Socrates lib. 6 Hist. cap. 8. sed hoc mihi non placet: quamvis enim verum sit, quod aliquando fuit in Ecclesia uterque mos, quod totus populus caneret, tamen de hoc usu non loquitur Augustinus, sed de modo canendi Psalmos alternatim perversus: antea enim in occidenti cantabantur alternatim per Psalmos canente uno unius chori integrum Psalmum omnibus tacentibus, & isto finito alterius chori alterum integrum Psalmum canebat.

Ex his oritur dubium, an tunc satisfacerent tam Clerici, quam Monachi præcepto horarum Canonicarum. ut autem dubio fiat satis, prælibandum est ex antiquitate Ecclesiasticæ Historiæ, Septenarium horarum Canonicarum numerum institutum fuisse ab Apostolis edoctis à Christo Domino, & imitantibus Regium Psaltem, qui Psalmo 118. vers. 100. dicebat Domino prævidens nostrum divinum officium, *septies in die laudem dixi tibi*: unde de matutinis cum laudibus prima, tertia, sexta, nona, vespera & completoria; expressam mentionem ad Deum laudandum facere Clemens Romanus lib. 8 constitution. Apost. cap.30. Basilius in Regulis in copiosis disputatis interrogatio 37. Cyprianus in expositione Orat. Domin. circa finem. Hieron. epist. 22 ad Eustoch. & 7 ad Lætam, & 8 ad Demetriadem, & in Psalm. 119. ad illa verba: *cum his qui oderunt*. Cassianus lib. 3 de Institut. Monach. cap. 4. Sanctus Benedictus in Reg. cap. 26. Chrysostomus Homilia 57, ad populum Antioch. Augustinus sermon. 56 de tempore. Beda in libro de meditatione passionis. Isidorus lib. 1 de Ecclesiasticis officiis. Rabanus lib. 2 de Institutione Cleri. Rupertus, Concilium Cabulon.2. sub Carolo Magno, cap.59. unde glossa in cap. Dolentes de celebr. Missæ, ex Patrum horum sententia hos mysticos versus ponit:

Hæc sunt septenas propter quæ psallimus horas:
Matutina ligat Christum, qui crimine purgat.
Prima rep'et sputis: causam dat tertia mortis,
Sexta Cruci nectit; latus ejus nona bipertit;
Vespera deponit, tumulo, completa reponit.

Quas considerationes per septem horas partitas desumpsit Glossa ex Beda ubi supra, easdem ponit Hugo Cardinalis in Psalm. 118. explicans illud *septies, &c.* Guido Bocherius in manipulo curatorum cap.6. quamvis Basilius cap. 37 citato has septem horas non ad considerationem passionis Christi, sed ut diversis horis gratias agamus pro beneficiis acceptis declaret.

Cæterum quamvis, quantum ad antiquissimam septem horarum institutionem, ita sit in Patribus sancitum; tamen, ut advertit Strabo Walafridus, qui vixit circa annum 830, in lib. de Rebus Eccles. cap. 25, *sed in ea distributione Psalmorum & Orationum qua nunc utimur, quam & circa tempora Theodosii Iunioris inchoatam, ac deinceps expletam multis animadvertimus causis, &c.* quare hanc distributionem quidam referunt ad Pelagium II, quidam ad Damasum, quidam ad Gregorium primum, quod intelligit Azorius lib. 10 Instit. moral. p. 1. cap. 1. q. 6. quantum ad hoc, quod temporibus horum Pontificum lex lata sit, qua clerici cogantur ad septem has horas quotidie recitare. Sed quamvis hoc sit verum, ego tamen judico aliter harum precum institutionem ad hos Pontifices referri, non solum quia legem cogentem dedere, sed quia circa distributionem Officii divini Psalmorum, Lectionum, Hymnorum, Capitulorum aliquid vel addiderunt, vel mutarunt, vel minuerunt. sicut Breviarium quod modo habemus, dicitur emendatum & correctum à Pio Quinto, Clemente Octavo, Paulo Quinto, & Vrbano Octavo. quare Divo Gregorio Magno tribuitur, quin pro festis & feriis totius anni fecit collectas, ut in libro qui *sacramentarium* dicitur, Pelagio, qui ipsum antecessit, quia primus invenitur qui legem obligantem omnes clericos tulerit cap. Eleutherius. 91 distinct. quem postea imitatur Concilium Nannatense, quod modo non extat. adducitur tamen eadem dist. cap. 2. refertur tamen ad Damasum, quia, ut legitur in Pontificali, decrevit & præcepit, quod Psalmi juxta versionem septuaginta interpretum noctu diuque alternatim per versus per universas Ecclesias canerentur, ut sanctus Ambrosius instituerat tempore ipsius Damasi, ut bene advertit Durantus lib. 3 de ritibus, cap. 17. num. 5. Notant tamen Walafridus ubi supra, Socrates lib. 5 Historiæ cap. 21. & Calixtus lib. 12. cap. 34. *apud omnes Religionum & Sectarum Ecclesias nusquam reperiri poterunt duæ, quæ imprecandi more inter se conveniant.* quod verum est in illis temporibus & in Ecclesia Græca; & in Latina à tempore Damasi unus est ritus dicendi horas canonicas in choro, alterna voce per versus.

Ex quibus clare constat, quod, licet modus, distributio, additio, vel imminutio Horarum, Psalmorum, Lectionum, Hymnorum sit à Summis Pontificibus institutus aut approbatus, tamen ipse horum numerus ad minus septenarius, non est ex pura humana institutione, sed vel à traditione Apostolica Originem ducente à revelatione facta David, *ut septies in die laudem* dixerit; vel ab exemplo Christi, non secus ac jejunium quadragesimale, quod multi Patres dicunt esse de jure divino, ut late probo tom. 2. de privilegiis fidelium tempore pestis, non quia sit institutum jure divino, sed quia à divino oraculo originatur. Vnde multi, quos refert Azor. non ignobiles Doctores sentiunt pensum horarum Canonicarum esse de jure divino. sed hoc alibi determino.

Ex his respondetur ad dubium in titulo propositum, & dico, quod hodie, si unus choro psallat, aut recitet Psalmos & Hymnos, & alii canentem auscultent in silentio, nihil canentes aut recitantes ibi vel extra chorum, dubio procul non satisfaciunt penso quod habent ex lege Ecclesiastica, quæ sancit, quod canant vel recitent.

Dico II. tempore Cassiani & aliorum Patrum etsi adstringerentur constitutione & traditione Apostolica ad septem horas Canonicas, tamen isti obligationi satisfaciebant, si uno recitante Psalmum integrum, nominis totius communitatis, ista in silentio sedens audiret. ratio est perspicua, tum quia iste modus canendi in choro fuit ab Angelo revelatus, tum quia tunc non erat lex Ecclesiastica Pontificia obligans eos ad canendum & recitandum, sed ipsi ductu Spiritus sancti, uno canente unum Psalmum, meditabantur mysteria divina. Vnde in Psalmodia tunc vigebat usus, sicut modo viget in canendis lectionibus, quas dum unus canit, aut voce alta recitat, alii omnes sine obligatione ipsas recitandi, sed summo cum silentio eas audiunt usque ad responsoria; idem etiam constat in brevibus lectionibus, quæ capitula dicuntur. sic sanctus Isidorus lib. de Eccle-

Ecclesiasticis officiis capite 10. *cum lectio* (ait) *legitur, facto silentio, audiatur à cunctis, & ideo Diaconus clara voce silentium admonet.* idem docent Ambrosius in præfat. in Psalm. & Augustinus lib. 22. de Civitate cap. 8.

SECTIO XXVI. *Quæ positio in choro, stantis an sedentis.*

PRo mea sacra Religione pugno, in qua perpetuus mos observatur, etsi laboriosus, quod stantes canant Choristæ, & cum devotis pausis in versus medio sistant. & quidem suave est pro Religione pugnare, quæ est mater nostra, & nos nascentes Religioso statu excipit: quare ab ipso lare incipiens, consuetudinem standi in choro, quam à suis incunabulis tenet, sicut & chorum ipsum (in quo maxime gloriatur,) propugnare non de dignabor.

Igitur nihil antiquius, quam quod psallentes in choro stare, & non sedere debeant. Sancti enim illi Seraphim, à quorum choris mutuatus est chorus in Ecclesia, ut supra vidimus ex Damasceno, stantes erant, *Seraphini stabant super illud*, canentes alternatim Hymnum Trisagion Isaiæ cap. 6. vers. 5. & Ecclesiasticus cap. 47. vers. 11. inter laudes Davidis octavam ponit, *quod stare fecit cantores contra altare & in sono eorum dulces fecit modos.* & Christus Dominus Marci cap. 11. vers. 25. *cum stabitis* (inquit) *ad orandum.* stare enim, dum Regi nostro voce loquimur, aut genuflectere debemus: hujusmodi enim positiones majorem denotant reverentiam. quod pulchre adnotavit Amalarius, lib. 4. de Ecclesiasticis officiis. *Monachi stantes in choro erant & cantant, ut ex statu corporis demonstrent affectum mentis.* idem docuit Cassianus lib. 2. Institut. cap. 7. quam positionem in choro à Patribus esse institutam dicit. & sanctus Athanasius lib. de Virginitate: *Media nocte* (ait) *surgito, & Psalmos dicito quantum potes stans.* Legantur Basilius epist. 63 ad Clericos, & Chrysostomus homilia 14 in primam ad Timotheum, unde Angelus ille de quo Cassianus ubi supra cap. 5. duo dedit documenta: *unum quod cantans stet; alterum quod audiens sedeat.* qui mos usque hodie servatur in Ecclesia, ut qui canit lectiones aut Martyrologium stet, unde μεσόνικος dicitur à Sidonia Apollin. l. 1. epist. 2. qui vero audiunt sedent. quamvis enim, ut dicunt Tertullianus lib. de corona militis cap 3. Iustinus Martyr qu. 115, in primitiva Ecclesia temporibus Apostolorum fideles orarent vel stantes, aut genuflectentes, tamen nullus publica oratione, & in loco publico, qualis Psalmodia in choro, sedens orabat. unde psallentes in unum congregati stabant, non genuflectebant, quia vox incommode emittitur flexis genibus. quare non dubito, quod illis primis seculis Monachi & Religiosi stantes cantabant. & sic, ut ait Navarrus lib. de orat. cap. 4. *Stamus ad psallendum, sive simus erecti, sive genuflexi, sive sedentes, sive jacentes, sive supini, sive quacumque alia positione constituti*; attamen gravior, decentior & honestior est stando aut flexis genibus. hoc ultimo modo, etsi decenter simus, non tamen ita convenienter & commode ad psallendum & resonandum in choro, nisi quando adest specialis aliqua cæremonia Ecclesiastica, quod sedentes cantemus: ut dum canimus officium defunctorum. sedere enim, requiem significat, quam mortuis precamur, dum eorum officium dicimus: ut enim dicebat Amalarius, *status corporis affectus denotat mentis.* Hinc est quod Beati in cœlo non sedentes, sed stantes erunt. Vnde Divus Thomas 2. 2. qu. 183. art. 1. dicit, *quod stare significat positionem naturalem hominis in loco*, quam obtinebunt in illo felicissimo Regno, in quo infatigabiles erunt, & sic in æternum Deum laudabunt. in hac autem vita, quia gravitate corporis fatigamur, in aliquibus Religionibus, dum psallunt in choro, alternatim in Psalmis sedent, quod nec laudo nec vitupero, meam tamen primo veneror Religionem, quæ, dum canit, semper stat; secundo alias, quæ alternatim sedent. Excipio tamen Superiores dum celebrant solemniter cum cappa, & Dominos Episcopos, isti enim sedere debent in choro. sic enim cæremoniale Romanum determinat. Legantur Baronius tom. 1. anno 45. num. 10. Barbosa in decisio. Apostol. verbo Episcopus quoad sedem. collectio. 289.

SECTIO XXVII. *De Sanctimonialium choro.*

ET quidem antiquissimum esse Sanctimoniales & fœminas Deo sacras in chorum convenire ad Deum Hymnis & Psalmis laudandum, nullus Catholicus dubitat, quidquid in vanum garriant Hæretici, quorum inania fundamina infra tanquam fumus deficient & evanescent: quam antiquus sit Sanctimonialium chorus, in quo sacrificium laudis Deo deferebant, sive Virgines essent, sive Viduæ templo Dei dicatæ, mihi videor manifestissime colligere non solum ex sacra pagina, verum ex Patrum & Historiarum clarissimis testimoniis: ista enim Virginum cantatricum agmina furentium Hæreticorum insaniam eversura sunt suo modulamine sancto.

Igitur Propheta Regius Psalm. 67 vers. 12. dicit: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, vel ut ex Hebræo traducunt Pagninus, Cajetanus, Vatablus, Campensis, Felix, Isidorus Clarus, *Euangeliatricibus*; quamvis enim verbum הַמְבַשְּׂרוֹת humibrastroth, quod est generale fœminini generis, septuaginta Interpretes & Chaldæus Paraphrastes dativum masculini generis verterint τοῖς ἐυαγγελιζομένοις, tamen omnes isti *Euangeliatricibus* transferunt. quibus adjungo Divum Hieronymum, qui *annunciatricibus* transfert, nec nostræ vulgatæ opponitur: nam nomen Euangelizantibus fœminini generis, sicut & masculini est. etsi enim Patres, qui linguam Hebraicam non agnoverunt, de Apostolis hoc literaliter intelligant, tamen Divus Hieronymus fœmenini transtulit ad literam, quod in rigore literæ manifestum est; tamen ut fere certum est, non inconvenit, quod idem locus sacræ paginæ duplicem literalem sensum habeat, & talis est præsens: erat enim familiare Hebræis, ut ad laudem victricem, & ad agendum Deo gratias pro parta victoria choros fœminarum instruerent, velut militum agmina, qui Canticis, Rythmis, fistulis, & omnium musicalium organorum genere victoriam celebrarent, vt cecinit Maria soror Moysis cum cæteris mulieribus submersionem Pharaonis, & exercitus ejus in mari rubro, Exodi cap. 15. & 1 Regum 18. fœminæ præcinebant victoriam David de Goliath. cum autem Psalmus sexagesimus septimus sit compositus in gratiarum actionem pro Victoriis, quas Deus David contulit contra potentissimos hostes & ferocissimos, quales erant Ammonitæ, Syrii & Idumæi, vultque ipse, quod victorias istas concinant pariter fœminæ omnis ætatis, quæ erant conventualiter viventes & veluti acies militum excubantes in ostio tabernaculi, ante ædificatum templum Salomonis, & in ipso templo postquam ædificatum est.

Isti enim chori, acies, & exercitus harum mulierum denotant illa duo nomina, *virtute multa*; pro quibus transferunt Hebraizantes qui supra, *exercitus magni*. vox enim Hebræa צבא, à qua genitivus pluralis צבאות exercitus fœminine significat, quasi dicat Psalmographus: *Dominus dabit Canticum laudatricibus exercitus magni*; scilicet mulieribus illis Religiosissimi exercitus, quæ in ostio Tabernaculi instar militum excubabant in Dei cultum. erat igitur in templo quasi monasterium fœminarum, quæ expeditæ à mundialibus curis totæ erant traditæ divino servitio in jejuniis, Psalmodia, orationibus, & munditiæ templi & tabernaculi occupatæ. ita tenent Origenes tract. 26 in Matthæum ibi: *venit ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo ubi Virginibus quidem existere licet & orare Deum; expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere*. idem docent Cyrillus Alexandrinus lib. adversus Anthropom. cap. 27. Nyssenus, Theophylactus, Cedrenus & alii, quos refert & sequitur Canisius lib. de Beata Virgine cap. 12. & quidem hoc cœnobium extitisse apud Hebræos, clare colligitur ex cap. 38. num. 8, ubi dicit textus: *fecit & labrum æneum, cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*. & Chaldæus, docens quæ essent illæ excubiæ, vertit, *quæ orabant per Vigilias noctis, cantantes & laudantes Dominum*. & in hac congregatione Virginum Deo dicatarum vixit & educata fuit Beata Virgo Maria, postquam in templo triennis fuit præsentata; fuitque cœnobium istud Virginum excubantium coram Domino typus conventuum Monialium, quorum ab initio nascentis Ecclesiæ magna fuit copia, ut jam ostendo.

Quare hujus versus genuinum & literalem sensum sic tradit quidam doctissimus scriptor: *Cum ad bella processeritis, præcipue contra Palæstinos, Assyrios, Chaldæos & Babylonios (Symbola expressa Hæreticorum,) Dominus dabit virtutem mulieribus illis sanctis, quæ in modum exercitus multi, ante ostium Tabernaculi templique excubare solent, quæ votis suis & precationibus Deum precatione vestra orantes ante arcam & propitiatorium tam diu erunt, quamdiu pugna duraverit. Dominus ergo dabit istiusmodi mulieribus Canticum & laudationem, quibus Deum pro victoria è templo precentur; quibus orationibus & vociferationibus fiet, ut Reges potentissimi fugiant attoniti*, &c. hæc ille satis ad rem. voluit enim Deus Diaboli potentiam, quæ in Hæreticis & infidelibus resplendet, infringere fœmineis viribus: sæpe enim in hac pugna fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. unde Patruelis divinus sponsus Canticorum 6, versu 13. admirans valentiam suæ Sunamitidis & adolescentularum suarum consortium, dicit: *quid videbis in Sunamitide, nisi choros castrorum? choros scilicet Virginum canentes divinas laudes*, explicat ibi Theodoretus. unde sancta Clara, divinas laudes canens cum sororibus suis, Sarracenos volentes monasterium conscendere, in fugam vertit. Sanctus etiam Gregorius Magnus lib. 6 Epist. in dictione 15. epist. 187. affirmat: *propter Monialium, quæ tunc erant Romæ tria millia in diversis conventibus, orationem, civitatem à Longobardis liberatam*.

Secundum munimen validum sumitur ex versu 26 ejusdem Psalmi, qui talis est: *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum*. in quæ verba historialiter Hieronymus dicit, quod ibi refertur victoria populi Israël de Pharaone, quando Moyses cum hominibus, & Maria cum fœminis cecinerunt Canticum illud: *cantemus Domino; gloriose enim magnificatus*. unde Vatablus & alii juxta Hebræum legunt: *præcedebant Cantores, post hos laudantes musicis instrumentis, in medio puellæ tympana pulsantes*. sed ad rem nostram juxta literam egregie Lyra ibi num. 4. *conjuncti psallentibus, id est, Virginum devotarum. quia à principio Ecclesiæ aliquæ Virgines fuerunt Deo consecratæ, sicut patet de Tecla & pluribus aliis; & vocantur tympanistriæ, non quia uterentur tympanis materialibus, sed quia cum Apostolis insistebant divinis laudibus. & hoc modo Beatus Augustinus Beatam Mariam nominat tympanistriam in sermone de Nativitate*. hæc Lyra. quod esse omnino certum à primitiva Ecclesia jam demonstrabo.

Et quidem in lege Euangelica dicimus cœnobium Virginum canentium laudes Deo. Actor. 21. vers. 9. Paulus & socii dicunt: *venimus Cæsaream, & intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat unus de septem* (primis Diaconis) *mansimus apud eum. Huic erant quatuor filiæ Virgines prophetantes*. ad quæ verba Cornelius Virgines has prophetantes interpretatur: *divinas laudes celebrantes, uti nunc faciunt Moniales*. tum enim harum conditio cœpisse videtur. sic enim in libris Regum vocantur filii Prophetarum, qui Psalmis & divinis laudibus vacabant (imo isti cantores Prophetæ dicebantur, ut nos supra sectione 12 monstravimus, & eleganter probat Abulensis lib. 1 Paralip. cap. 25 q. 6.) Harum autem quatuor virginum, ut refert Hieronymus in epitaphio Paulæ, extabant suo tempore cubicula, quæ pio affectu sancta Paula Hierosolymam itura, cum venisset Cæsaream, invisit. has autem Philippi Euangelistæ quatuor Virgines post Christi crucem consecratas, esse primitias virginitatis demonstrat idem Hieronymus lib. 2 adversus Iovinianum; esseque distinctas à quatuor filiabus Philippi Apostoli egregie ostendit Cardinalis Baronius anno Christi 58, pagina mihi 335. isti enim nuptui sunt traditæ, illæ vero in virginitate permansere, prophetantes in Hymnis & Psalmis, Domino modulantes. hac ratione Paulus 1. ad Corinth. 11. vers. 5. etsi mulieribus loqui aut docere nullatenus permittat, permittit tamen prophetare, ibi: *mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum*, id est, mulier canens in Ecclesia Hymnos & Psalmos propheticos.

Dicitur enim *prophetare*, ut egregie Divus Thomas ibi lectione 2. qui sibi objicit, quia, si Apostolus 1 ad Timoth. 2. non permittit mulierem docere, quomodo permittit in Ecclesia prophetare publica Hymnodia? Respondet sanctus Doctor, *quod hoc intelligitur de orationibus & Hymnodia, quas mulieres in suis collegiis, id est, cœnobiis proferunt*. Vnde glossa explicans locum epistolæ ad Timoth. dicit: capiunt ergo famosi Doctores mulieres prophetantes, id est, legentes Prophetias, fuisse Religiosas, & à Beato Paulo institutas in Ecclesia. quem morem secuta sancta Martha post publicatum Euangelium, Monialium sibi constructo cœnobio cum puellis vitam cœlestem egit in laudibus divinis, teste Palconidoro lib. 2 Hist. cap. 2. & Iphigenia filia Regis Æthiopiæ baptizata & sacro velamine consecrata monasterium Virginum erexit, ut dicit Abdias lib. 7 Historiæ Apostolicæ, & Beatus Elpidius discipulus sancti Iacobi unici Hispaniarum Patroni, Toleti duxit cœnobium Virginum, inter quas fuit sancta Leocadia Virgo & Martyr (in cujus Ecclesia Parochiali ego fonte baptismatis sum renatus) ut refert Eutrandus in fragmentis Histor.

Vnde Beatus Ignatius Epistola ad Philipp. dicit: *salutat vos collegium Virginum & Viduarum*. & quanti hujusmodi collegium faciat, declarat in Epistola ad Tarsenses, dicens: *eas, quæ in virginitate degunt, in pretio*

pretio habere, vel ut Dei sacerdotes viduas in pudicitia permanentes velut altare Dei. Palladius etiam in vita Abbatis Aphthonii refert, trans flumen Nilum, è regione Monasterii Tabennensis seu Pachomiani, fuisse *Monasterium quadringentarum puellarum sequentium instituta Pachomii*, cui revelata est vita Monastica tam pro viris, quam pro fœminis (& utinam observaretur in tota Ecclesia cap. 82. de non visitandis Monialibus quod sacra congregatio Regularium, aliquibus decretis in Italia receptis confirmavit.) Ambrosius etiam lib. 1 de Virginitate, cap. 8. *hæc est illa militia cœlestis, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris.* & infra: *quid de virginibus Bononiensibus dicam, quæ, relicto parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis; nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent*, &c. Augustinus etiam lib. de moribus Ecclesiæ, postquam de Monachorum vita egerat, capite tertio agit de Monialibus, quæ eisdem legibus & institutis vivebant: *ad quas nullus patebat accessus juvenum, neque gravissimorum & potentissimorum senum, nisi ad vestibulum gratia præbendi necessaria.* verum est, quod seniores quidam Monachi erant delegati, qui tanquam Patres spirituales ipsas instruerent & dirigerent.

Hinc est, quod in Concilio Hispalens. 2, cap. 11. statutum est, quod *monasteria Virginum Monachorum administratione & præsidio gubernentur. tunc enim salubria ducatis Virginibus providemus, quando eis Patres spirituales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint*, & infra: *nec qui præest frequenter eis loqui oportet, sed sub testimonio duarum vel trium sororum, ita ut rara sit accessio, & brevis omnis locutio. absit enim, ut Monachos (quod dictu etiam nefas est) Christi virginibus familiares esse velimus*, &c. fuit hoc concilium celebratum ante mille annos, scilicet anno 620. sub Bonifacio Papa quinto, & Sesibuto Rege, æra 657. quod gravissime docet divus Leander Archiepiscopus Hispalensis lib. de institutione Virginum cap. 2. & interfuit tanquam Præses sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis frater sancti Leandri, & ejus immediatus successor, qui Canonem istum ex libro de institutione virginum decerpit, & est dignissimus observatu.

Accedant in confirmationem chori sanctimonialium insignia Patrum testimonia, præter Historias adductas. Primum sit sancti Hieronymi, epistola 27 ad Eustochium in Epitaphio Paulæ sic loquitur: *post virorum Monasterium, quod viris tradiderat* (Paula) *gubernandum, plures virgines, quas è diversis Provinciis congregarat, tam nobiles, quam medii & infimi generis, in tres turmas monasteriaque divisit; ita dumtaxat ut in opere & cibo separatæ, Psalmodiis & orationibus jungerentur. Post alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat, sed prima seu inter primas veniens cæterarum operiebatur adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespera, noctis medio per ordinem psalterium cantabant, nec licebat cuique sororum ignorare Psalmos*, &c.

Circa quæ verba, quæ clarissima sunt ad intentum, unum adverto non injucundum, in illum modum, quo sorores vocabantur ad chorum & alia exercitia. *Post alleluja cantatum quo signo vocabantur ad collectam.* Alleluja enim, ut bene notat Durantus lib. 2. cap. 20. num. 3. ex Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Isidoro & Theodoreto, idem est ac laudate Dominum הלל verbum Hebræum laudare & celebrare significat, & יה unum est ex Dei nominibus. ad laudes igitur Dei voce clara & alta dicens alleluja, una ex sororibus cæteras convocabat, circumiens monasterium, ad collectam, id est, ad cœtum & congregationem, ut satis erudite demonstrat idem Durantus lib. 2. citato cap 16. num. 1. Hinc est, quod orationes, quæ fiebant super populum congregatum, collectæ dicebantur. & hic modus convocandi communitatem nullibi reperitur, nisi hoc loco; attamen in mea Religione observatur, dum ad matutinum exsurgunt Religiosi. unus enim, qui prius exurgit è lectulo, alta voce dicit, Fratres ad matutinum ad laudandum Deum, & pro isto excitatore omnes precantur.

Sunt etiam alii duo modi convocandi ad congregationem & Hymnodiam in choro apud antiquos Monachos; unus per tubam, de qua sanctus Pachomius in sua Regula cap. 2. *quando ad collectam tuba insonuerit*; non quidem cornea, ut Alardus Gazeus in scholiis existimat, sed ænea, quod paupertati illorum Monachorum non dedecebat. sicut enim habebant alia vasa ænea ad utensilia conventus, ita & tubam, quæ partim ad cultum divinum pertinebat: ut enim ait Ambrosius Calepinus, *tuba est instrumentum incurvum ex ære argenteve, cujus sonitu milites equique ad prælium inflammantur.* cujus primus Auctor fuit Piseus teste Plinio lib. 6. Historiarum cap. 56. quare tuba ex sua impositione ex metalli alicujus materia est facta, & sic nescio quomodo in mentem venit Alardo, quod ista tuba fuerit cornea. pari etiam ratione posset dicere, quod cacabi & sartagines essent cornei.

Tertius modus fuit per lignum durum, quod tabulæ feriens duritiem, rumorem faciebat. qui mos hodie servatur in Ecclesia tribus diebus septimanæ sanctæ, in quibus tenebræ celebrantur propter mœstitiam, in qua sunt fideles: privant enim se lætitia campanarum. hic autem modus convocandi per lignum antiquissimus est. de illo enim sit mentio in Synodo secunda Nicena act. 2. & Cassianus lib. 4. Institut. cap. 2. ibi. *cum sonitum pulsantis ostium, & diversorum cellulas percutientis audierint*, &c. ligno scilicet duro, aut malleo ligneo, ut explicant verba Palladii Lausia 104, *postquam hoc modo solitum tempus implesset, ligno mallei, quo cæteros fratres excitabat, percutiens fores omnium cellarum eos congregabat ad oratorium.* quibus adjungo Leonem Imperatorem in Panegyrico de sancto Chrysostomo; *excubitor* (ait) *ad matutina cantica excitat ligni pulsibus.* his tribus antiquis modis convocandi ad chorum & Ecclesiam, successit campanarum usus, de quo latissime & erudite valde Durandus lib. 1. Rationalis cap. 4. & Stephanus Durantus lib. 1. de ritibus cap. 22, ubi plura satis jucunda congerit. Legatur. & hæc per transennam dicta sufficiant, circa modum convocandi per *alleluja cantatum*.

Et idem Hieronymus, epistola 16 ad principium, sic ait: *Marcella est semper in ore, semper in calamo, nunquam tamen satis laudata: ipsa enim prima in Urbe monasticam vitam, ab Athanasio Alexandrino Episcopo traditam, ingentibus animis calcans festum nobilitatis exercuit. Ipsa itidem prima hæreses Origenis una cum libro Periarchon à Rufino translato Romam invectas, ac in animas plurimorum illapsas, in ipsumque Apostolicum Thronum quodammodo irrepere præsumentes, incredibili fidei zelo, & animi constantia detexit, atque damnanda juravit.* Hæc summatim ille concludens: *Hujus gloriosæ victoriæ* (de Origenistis hæreticis) *origo Marcella est, tuque caput horum, & causa bonorum.* Sanctus autem Athanasius Moniales choro addictas, sequens antiquorum vestigia, instituit. Legatur totus liber ipsius de meditatione. dixerat autem sanctus Hieronymus,

loquens de Marcella & Principia: *multo ita tempore vixistis, ut ex imitatione vestri & conversione multarum gauderemus Romam factam Hierosolymam. crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.* confundantur Hæretici à Monialibus choro addictis convicti, damnati, detecti.

Basilius epistola ultima, quæ est ad Virginem lapsam: *Revoca* (inquit) *in memoriam venerandam congregationem & sacrarum Virginum chorum.* Eusebius lib. 4 de vita Constantini loquens de Constantino ipso: *Virgineum chorum tantum non adorabat, istic habitare Deum, cui se puellæ devoverant, arbitrabatur.* idem est omnium utriusque Ecclesiæ Patrum parilis & uniformis sensus & consensus.

Et quidem sanctas Virgines Moniales sacratas fuisse Deo, ut illius laudibus vacent, constat ex consensu omnium Ecclesiarum quæ ab Apostolis sunt erectæ in toto terrarum orbe. de Ecclesiis totius Orientis & Africæ sic Ambrosius lib. 3 de Virginibus ante medium: *Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis & Africanæ Ecclesiæ quotannis sacrare consueverunt. pauciores hic homines prodeunt, quam illic Virgines consecrantur.* Concilium Carthaginense 3. cap. 33, & Carthag. 4. cap. ult. Hieronymus in epistola 48 ad Sabinianum Diaconum. ubi de Ægypti & Syriæ monasteriis Monialium multa dicit, & de Bethlemitico monasterio, à quo Sabinus iste Monialem eduxerat. de Ecclesiis totius Hispaniæ testatur Concilium Toletanum 4. cap. 55. & antea Concilium Eliberitanum can. 13. & postea Concilium Hispalense 2. c. 12. de Gallicanis Concilium Turon. 2. cap. 16. de Germanicis Concilium Mogunt. sub Arnulpho Imperatore. pro Ecclesiis Italiæ Concilium Romanum sub Sylvestro Papa. Virgines autem quæ vel consecrabantur, vel benedicebantur, dum professionem emittebant, velum capiti suo imponebat Superior, cujus veli multiplex erat discrimen, ut notat Guilielmus Durandus lib. 2 rationalis cap. 1 n. 49. forsan ut canerent velato capite juxta Apostoli mandatum, 1 ad Corinth. 11, vſ. 2. de quo sectione sequenti dicam. & quidem quod Virgines & Viduæ Deo dicatæ, in congregatione viventes, laudibus Dei in choro vacarent in dubium revocare, summa est Historiæ ignorantia.

Hinc est, quod nullus fuit in Ecclesia tam Latina, quam Græca monasteriorum virorum institutor, qui etiam non instituerit Monialium monasteria, ut constat de sancto Pachomio, sancto Basilio in Græcia, sancto Benedicto, sancto Bernardo, sancto Francisco, & sancto Dominico in occidentali Ecclesia Latina. Notat Historia Camaldulensium in vita sancti Romualdi sui Fundatoris, qui vixit centum viginti annis, viginti in sæculo, & centum in Religione, quod ipso vivente fundata sunt suæ congregationis duo millia monasteria Monialium, & tria millia Monachorum: quis hoc non admiratur? quod ramus Benedictinæ arboris tot millia virorum & mulierum fructus dederit, qui diu noctuque non cesset laudare in choro nomen Dei sui; & quidem quæ natio aut secta, sive Gentilium, sive Hæreticorum, hoc habet? certe quidem magnum fidei nostræ argumentum; cui adjungo aliud insigne & admirabile opus Ecclesiæ Romanæ, cujus filii alumni quotannis in alendis Religiosis viris, & fœminis choro vacantibus & laudantibus Deum, plusquam centum quinquaginta milliones ducatorum expendant; miretur Gentilis, confundatur Turca, paveant Hæretici, talia pro vera Religione Romana audientes.

Accedat ultimum argumentum pro Monialium choro. etsi enim Latine laudes Dei concinant, quam linguam major pars ignorat, non ex eo non capiunt & carpunt magnos fructus ex publica Psalmodia tam sibi, quam aliis audientibus: etenim plus aliquando merentur laudes & præces Idiotarum & Mulierum, quam Doctorum, si eas expleant, vel audiant ex majore devotione & pietate, quia scilicet respiciunt finem propter quem psallunt, nempe Dei gloriam, nostram item & proximi utilitatem. quæ attentio & intentio saltem virtualis à quolibet canente in prospectu habere, est necessaria tam doctis, quam indoctis, qui illa maxime mentis jucunditate replentur & reficiuntur; quæ refectio, etsi non semper à Deo concedatur, si tamen attentio & intentio illa virtualis perseveret, cantus non ibit vacuus meriti & impetrationis. ut enim ait Divus Thomas 2. 2. q. 91. art. 2 ad 5. *si quis cantat, propter devotionem attentius considerat quæ dicuntur, tum quia diutius immoratur super eodem, tum quia, ut Augustinus dicit lib. 10 Confess. cap. 33. omnes affectus spiritus nostri pro sua diversitate habent proprios modos in voce ac in cantu, quorum occulta familiaritate excitantur: & eadem est ratio de audientibus, in quibus, etsi aliquando non intelligant quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantatur, scilicet ad laudem Dei; & hoc sufficit ad devotionem excitandam.* hactenus D. S.

Vnde docte & pie addit Anacletus Siccus lib. 2 de Ecclesiastica Hymnodia cap. 18. *simpliciter melius est divinas laudes usurpari ab Idiotis & Monialibus Latino sermone, quem non callent, conscriptas, quam vulgari idiomate quod percipiunt. Arrianorum autem ea fuit conditio penes omnes gentes, ut peregrino eximerentur sermone, & sacris velaminibus circumvoluto, ut majorem haberent venerationem magis quam admirarentur, ne præterea idiotæ & mulieres vim videntes vulgarium verborum, haud semel vel contrarietatem, vel absonum aliquid præ se ferentium, solutionemque eorum minime assequentes, inde aut erroris aut inquietudinis internæ & externæ, aut alterius inordinatæ passionis hauriant occasionem, prout non raro accidere videmus in Germania, Bohemia, & Polonia, ubi Psalmorum & lectionum sacræ Scripturæ libri tam in horis Beatissimæ Virginis Mariæ una cum pii libelli precibus, quam in Bibliis vulgari ipsarum Regionum passim usurpantur idiomate, inde forsan ad errores varios qui adhuc vigent, facilior ac planior via. satius itaque puto venerari, & admirari quod non assequimur, certo tamen novimus ab Spiritu sancto ordinatum, quam perperam intelligere, quæ sexus ingeniique superant imbecillitatem. studeant sacræ Virgines illi cogitationi firmiter adhærere, quod omnia verba in nostris Hymnodiis usurpata sunt à Deo & à sanctis viris tradita, & ad Deum alte pureque colendum directa. Hujus namque sanctæ cogitationis præsidio munitæ munus divinarum laudum explebunt tutius, utilius atque perfectius.* hactenus & prudenter ille. quæ maxime advertant Patres spirituales & Confessores, ut filias suas Moniales dirigant & consulentur. ipsos tamen moneo, ne facile illis enucleent loca sacræ Scripturæ difficilia. ipsæ, cum facilis & vivacis sint imaginationis, mille machinamenta confingunt, & dum sunt in oratione, vel inquietantur, vel si quietæ sunt, fingunt sibi revelatum sensum sacræ Scripturæ.

Ex dictis colligitur Moniales sub gravi peccato teneri ad chorum, cui data est communitas in choro horas canonicas cantare aut recitare, juxta superiorum & regulæ dispositionem, sicut & Religiosi tenentur. An vero Monialis quæ occupatione detenta, aut ex pigritia non adiens ad chorum, teneatur sub mortali officium divinum recitare, alibi in tomo tract. Moralium discussi; hoc unum adverto,

grave

grave ſcandalum generare illum, qui publice & indiſcriminatim interrogatus, dicit, Moniales non teneri extra chorum officium divinum recitare, maxime ſi ſit vir gravis & doctus. verum eſt, quod minor cauſa ſufficit ad excuſandam monialem à recitatione officii ob multas circumſtantias, quas quilibet prudens Confeſſor facile advertet & conſiderabit.

Sectio XXVIII. *Canendum in choro, aperto, vel operto capite?*

HVjus inquiſitionis occaſionem nobis ſubminiſtravit Apoſtolus 1. ad Corint. 11. verſ. 4. 5. & 9. poſtquam dixerat, quod viri caput eſt Chriſtus, mulieris vir, & Chriſti Deus quia vir Chriſto, viro mulier, & Deo Chriſtus, in quantum homo, ſubjectionem & ſervitutem dicunt, addit: *omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum; omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur: nam, ſi non velatur mulier, tondeatur; ſi vero turpe eſt mulieri tonderi, velet caput ſuum. vir quidem non debet velari caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt. etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. ideo debet mulier poteſtatem habere ſuper caput, propter Angelos.* quæ verba non parvam ingerunt difficultatem, tum in ſenſu literali, tum in rationibus quas pro dictis ſuis confirmandis ponit Apoſtolus, quare enucleanda ſunt. videmus enim in Eccleſia viros canere Pſalmos capite cooperto, ut praxis & Eccleſiaſtica docet cæremonia. quamvis enim, ut ſupra ſect. 26. docui, plures canant ſtantes in choro, attamen Pſalmos canunt capitibus coopertis. cui objectioni reſpondet Divus Thomas ibi lect. 2, *quod Pſalmi non cantantur quaſi ab uno ſingulariter ſe Deo præſentante, ſed quaſi à tota multitudine.* Verum hæc ſolutio non videtur ſatisfacere, quia quid intereſt, quod à multitudine canatur, ſi multitudo virorum eſt? qui Prophetare debent, id eſt, canere *detecto capite*, ut ait Apoſtolus.

Vt autem horum verborum Pauli genuinus eruatur ſenſus, notandum, apud profanos & ſacros ſcriptores ſæpe inveniri uſum & conſuetudinem, qua mulieres, virgines ſint, ſive nuptæ, caput velabant, Iudææ, Gentiles, Trojanæ, Romanæ, Arabes, & Lacænæ, ut late Valerius Maximus lib. 6, cap. 3. Plutarchus in Apopthegm. Clemens Alexandrinus lib. 2 Pædag cap. 10. in fine, ubi de mulieribus non ſolum calcaneum nudare eſt prohibitum, ſed etiam caput tegere & vultum adumbrare juſſum eſt: *neque enim honeſtum eſt, corporis pulchritudinem eſſe hominum aucupium.* quod dicit propter Lacænas Virgines, *quibus ſupra genu veſtiri eſt honeſtum: at Chriſtianis nullam partem fœminæ nudari eſt decorum.* Legatur ibi Hebertus.

Tertullianus egregie lib. de velandis virginibus à cap. 2. totus eſt in declarando Apoſtoli præcepto, & primo reprehendit illas, quæ tenui velo utebantur, ſicut modo & noſtræ fœminæ utuntur *Manto de humo, quod magis ſit irritamentum libidinis, quam tegumentum pudoris, gentilium potius fœminarum uſui, quam Chriſto credentium comparatum.* & cap. 15, *velamen* (dicit) *eſſe quaſi galeam contra ictus tentationum, contra jacula ſcandalorum, contra ſuſpiciones & ſuſurros. indue* (inquit) *armaturam pudoris, circumda vallum verecundiæ, murum ſexui tuo conſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* & cap. 17, *judicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput tantum, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo librato contentæ ſint media frui luce potius, quam totam faciem proſtituere; ſe tapande medio ojo.* Cujus modi ſe velandi ſine dubio mihi videtur Sponſus meminiſſe, dum dixit cap. 4. verſ. 8. Canticor. *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in uno oculorum tuorum.* Conſuetudine enim Arabiæ in Palæſtinam introducta; familiare erat ſe velare uno dum taxit oculo libraro. quod velandi genus, ut pudoris galeam & verecundiæ velum introductum, traductum eſt jam in hominum aucupium. proh dolor tam efficax eſt fœminarum malitia, quæ velum capitis & faciei, quod propter Angelos Apoſtolus tunc præcepit fœminis, ut portarent, ne ſcilicet in Eccleſia Clerici provocaremur, ſi hodie illius abuſum videret, illud prohiberet.

II. Noto ex Divo Thoma lectione 2. citata (qui me quidem judice, intelligentiam hujus loci eſt aſſecutus, quamvis ego aliam ſubmittam non incongruam) quod cum aliis animalibus ratione carentibus Deus auxilia dederit ſufficientia vitæ, quibus eam & conſervare, & tuere poſſint, homini tamen ea auxilia imperfecta tribuit, quia homo artificio rationis arma defenſionis ſibi præparat, imitante arte naturam; unde quia tegumentum capillorum, quod natura dedit capiti, ſufficiens non eſt, artificio ſibi homo aliud præparat.

Cæterum eſt diſcrimen valde notandum inter virum & fœminam; quia naturale eſt mulieri, quod comam nutriant; habet enim ad hoc naturalem diſpoſitionem, eſtque illi naturalis inclinatio ad comam nutriendam. in pluribus enim hoc accidit, quod mulieres magis ſtudent ad nutriendam comam, quam viri; & ſic videtur conditioni mulierum conveniens eſſe, quod magis utantur artificiali capitis velamine, quam viri. Vnde ortum ducit, quod viri tempore luctus & mœroris comam nutriant, quaſi conveniens ſtatui luctuoſo, ut caput contegant, imperium & poteſtatem. unde Iſaiæ cap. 6. verſ. 2. dicitur in noſtra vulgata, quod in anno quo mortuus eſt Ozias, duo Seraphini velabant faciem Dei duabus alis, ad ſignificandum mœrorem & triſtitiam, ſicut ille pictor Agamemnonis vultum velo cooperuit ad exprimendum dolorem ſummum & triſtitiam propter Iphigeniæ filiæ cædem. at mulieres tempore luctus comam deponunt, Hieremiæ 7. *capillum tuum tonde & projice, & ſume indirectum planctum.* quare abraſio capitis mulieribus datur in pœnam Iſaiæ 3, *decalvavit Dominus verticem filiæ Sion, & crimen earum nudavit.* fuit enim apud Græcos & Latinos capitis abraſio ſervitutis clarum ſymbolum. Vnde Ambroſius lib. 6. exam. cap. 9. ex Apulei: *ſi cujuslibet eximiæ & pulcherrimæ fœminæ caput capillo ſpoliaveris, licet illa cœlo dejecta, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans & balſama rorans, calva proceſſerit, placere non poterit.* In viris comam nutrire molliciei & animi effœminati Hieroglyphicum.

Hinc egregie Syneſius in calvitii encomio (quod habetur tom. 5 Biblioth. Agrippinæ) circa finem: *ſi quis mœchum aut cinædum in tabella pingendum locaverit, crinitum aliquem ac cincinnatum accipiens, habet quod præceperat, ſin Philoſophum aut Sacerdotem locaveris, calvus in tabella ſtabit, auctoritatis & gravitatis aliquid præ ſe ferens.* dixerat enim ante, aliquantulum poſt medium: *Fœminarum generi & omni & ubivis honeſta fuit ſemper capillitii cura; nec uſquam inventa eſt aut inveniri poteſt, quæ novaculæ caput ſummiſerit, prætorquam in gravi aut inauſpicato eventu. ſi ullum unquam ejuſmodi tempus tulit, mihi certum nec viſum neque auditum unquam; quin etiam cum lege naturæ conſentit: nullam enim ex hominum memoria accepimus mulierem*

fuisse calvam. neque est, quod id reticulo tegi potuisse dicas: Comœdiæ enim & ea oculis penetrare possumus. sin cuiquam pili defluxerunt, hoc ex morbo potius factum est, potuitque vel minima cura pristinum naturæ statum recuperare. Virorum contra, eorum saltem qui hoc nomine digni fuerunt, haut facile ullum nominaveris, qui non ad eandem naturæ conditionem pervenerit. penes enim hoc ipsum (calvitium) naturæ finis esse videtur, licet non omnes eum assequantur, &c. quibus verbis eandem quam Divus Thomas doctrinam dedit.

His notatis, videamus Patrum expositiones præfati loci Pauli. igitur Cælius Sedulius Scotus, qui vixit anno 430, de quo extat celebre elogium Gelasii Papæ in Concilio Romano cap. sancta Romana, 15 dist. is, inquam, Sedulius præfatum testimonium interpretatur, dicens: *mulier velato capite prophetans, dum sub potestate viri est, deturpat caput suum.* Notat *consuetudinem Corinthiorum, qua mulieres eorum intecto capite ad Ecclesias veniebant gloriantes in crinibus, quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat videntibus; & viri comam nutrirent indifferenter. quoniam imago est & gloria Dei (vir,) ergo sicut inter imaginem & eum, cujus est imago, nullum velamen interponitur; ita vir non debet velamen habere, quia nulla creatura inter ipsum & Deum interposita est, si generaliter ad naturalem viri gloriam respexeris: sed mulier est propter virum, id est, adjutorium viri, ut faciamus ei adjutorium simile sibi. Propter Angelos, id est, sacerdotes vel ministros altaris, vel omnem clerum qui Dei præcepta annunciat, sicut scriptum est, quia Angelus Domini exercituum est, ne videlicet carnali concupiscentia eorum impediantur sensus; sive propter honorem Angelorum qui Ecclesiæ assistere perhibentur.* hactenus Sedulius.

Divus Thomas aliam tradit expositionem, huic loco nativam, his verbis: *Restat autem considerandum propter quid vir non debeat velare caput, sed mulier. quod dupliciter accipi potest: primo quidem, quia velamen, quod capiti superponitur, designat potestatem alterius super caput existentis ordine naturæ; & ideo vir sub Deo existens non debet velamen habere super caput, ut ostendat se Deo immediate subesse; mulier tamen debet velamen habere, ut ostendat se præter Deum alteri naturaliter subesse. secundo, ad ostendendum, quod gloria Dei* (quæ est vir) *non est occultanda*, gloria autem hominis (quæ est mulier) *est occultanda*. & in lectione 3, explicans illa verba, quæ est antecedentium illatio: *& ideo debet mulier velamen* (seu potestatem, ut habet alia versio & in idem recidit) *super caput suum habere, & propter Angelos. primo propter Angelos assistentes dum divina celebrantur, propter quos tam mulieres, quam viri ad reverentiam eorum honeste & ordinate se debent habere. Psalm.137, in conspectu Angelorum psallam tibi. ut enim ait glossa, gratuita est sanctis Angelis sacrata & pia significatio. & Augustinus lib.21 de Civit. cap.6 dicit, quod Dæmones alliciuntur quibusdam sensibilibus rebus, non sicut animalia cibis, sed sicut spiritus signis.* alio modo potest intelligi *propter Angelos*, scilicet *sacerdotes, tum propter eorum reverentiam; Ecclesiast.7, honora Deum, & tota anima tua sacerdotes illius; tum propter eorum cautelam, ne ex conspectu mulierum non velatarum ad concupiscentiam provocentur; Ecclesiast. 9, Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in conspectu illius.* Ita etiam interpretantur Clemens Romanus lib.2 constitutionum Apostolicarum; Anicetus epistola ad Episcopos Galliæ; Gagneus ibi num. 3 & 4. Haymo, Eutalius, Diaconus, & alii.

Sanctus Augustinus lib.12, cap. 7. (quem acerrime defendit Petrus Lombardus Sententiarum Magister, in expositione hujus epistolæ) hunc locum allegorice explicat, intelligens per *mulierem* rationem inferiorem, quæ velamen habet, quia circa temporalia & sensibilia habet potestatem superiorem, qua cohibetur, ne ultra modum illa diligat; per *virum* autem intelligit rationem superiorem, quæ respicit æterna, respectu quorum non habet supra se, nisi Deum, circa quem diligendum à nullo cohibetur aut coarctatur: cum deligendus sit Deus ex toto corde, &c. & sic vir, quæ est ratio superior, non habet velamen super caput; sed hæc, ut dixi, non est literalis expositio, sicut est expositio Sedulii & Divi Thomæ, quæ fere coincidunt in eandem. quod constat ex Apostoli rationibus: sic enim argumentatur, ut bene Cornelius à Lapide numero suo 89: *vir est imago & gloria Dei*, id est, imago gloriæ ejus, quippe in hoc mundo visibili in supremo omnium rerum gradu collocatus: nam omnia subjecit sub pedibus ejus: est enim quasi secundarius aliquis Deus, dominans in eos tanquam omnium Imperator naturaliter; atqui gloria Dei occultanda non est, sed manifestanda. cum autem mulier sit gloria viri, sequitur, quod mulier sit occultanda & velanda, declarans potestatem viri, quam supra se habet. unde notat Divus Thomas lect.2. quod, quamvis dixerit Paulus, quod *vir est imago & gloria Dei*; de muliere non dixit, quod sit *imago & gloria viri*, sed solum, quod sit *gloria viri*; tum quia claritas mulieris derivatur à viro Genes.2, *hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*: tum quia esse imaginem Dei commune est viro & mulieri; esse autem gloriam Dei immediate est proprium viri.

II. Argumentum sumit Apostolus ex ipsa naturali inclinatione dicens num. 14, & quasi concludens enthymemate quæ dixerat: *vos ipsi judicate, decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamini ei dati sunt?* quasi dicat, quam indecorum sit & indecens, quod mulier invelata in Ecclesiam iret & psallat, *nonne ipsa natura docet vos? in judicio ipsorum ponit, ut ex sua conscientia convincuntur* ait Sedulius, & Divus Thomas lect. 3, *ostendit unde debeant sumere suum judicium, quia ab ipsa natura; & hoc est quod dicit: nec ipsa* (ex Græco nonne?) *natura docet vos? & vocat hic naturam ipsam inclinationem naturalem, quæ inest mulieribus ad nutriendam comam, quæ est naturale velamen, non autem viris. quæ quidem naturalis esse ostenditur, quia in pluribus invenitur. oportet autem ab ipsa natura edoceri, quæ est Dei opus.* hactenus Divus Thomas, cujus doctrina omnino coincidit cum ea, quam supra ex Synesio adduximus.

Hæc autem naturalis inclinatio ad comam longam & promissam non inest hominibus. quamvis enim aliquæ nationes habent viros comatos, ut Gallia comata, Achæi criniti, & jam etiam nostra Hispania (quod prævidit Salvianus, mala nobis prænuncians ob comam nutritam ita, lib. de gubernatione) imo & Romani antiqui eam nutriebant, ut ait Plinius l.7. cap. 59. siquidem tonsores ad Romam è Sicilia venere anno 454 ab Vrbe condita, & sic antea intonsi fuerunt, de quo late in Appendice de tonsuris & coronis; quamvis, inquam, hoc ita sit, tamen viri non habent naturalem inclinationem ad comam nutriendam, sicut feminæ: istæ enim illam nutriunt ad ornatum suum componentes, pectinantes, unguentis aromaticis ungentes, diversis instrumentis intorquentes; quod viris omnino turpe est. quamvis enim, si non tondeantur pilos ob longos habeant, quia naturaliter crescunt, tamen ipsos non nutriunt sicut mulieres. & hic absque dubio est sensus literalis argumenti Apostoli, qui dubio etiam procul Corin-

rinthiis stricte præcipit (ut constat clare ex num. 17, *hoc autem præcipio*) non quod tondeantur, & non habeant capillos promissos, sed quod comam non nutriant: hoc enim ignominia est illis, non autem fœminis, quibus ad hoc est naturalis inclinatio, cum sit velamen illis à natura datum, per quod significatur factam fuisse subjectam viro, cui ut complaceat, comam nutrit. quare *homini* (ut ajebat Synesius) *turpe non est, imo decens & autoritatis & gravitatis symbolum, decalvari.* at mulieri indecens esset, & sic nulla mulier calva à natura, hoc est ex naturali inclinatione; secus autem vir, cui ex naturali inclinatione inest calvitium, ut bene Synesius. si enim velum capillorum naturaliter significat in fœminis subjectionem ad virum, cujus est gloria, & vir ex natura sua habeat dominium altum & potestatem supra mulierem, & sic non debet velare caput. Capillorum operimentum etsi naturaliter producatur in capite, tamen habet homo naturalem quamdam inclinationem ad calvitium, quo denotatur gravitas, auctoritas, dominium & imperium supra mulierem, ut late ostendo in Appendice citata dum ago de corona naturali.

Hinc colligitur, quod si naturæ inclinationem attendamus, mulier tonderi capillos suos non permittit, sicut homo, cui calvitium honoris est auctoritatis; cæterum mulier accedens ad servitutem Dei in Religione, tonderi non solum permittit, imo & sollicitat ad declarandum se voluntarie consecrari in ancillam Christi. fuit enim antiquitus tam in hominibus, quam in fœminis abrasio capitis symbolum servitutis, ut Cornelius in Isaiam cap. 3, num. 13. ex Pierio lib. 22, cap. 35. & ego late loco citato, unde Hieronymus ad Sabinianum epistola 48. *moris est* (inquit) *in Ægypti & Syriæ monasteriis. ut tam virgo, quam vidua quæ se Deo voverint, & seculo renunciantes omnes delicias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter atque velato.* hujus consuetudinis duplicem tradit Divus Thomas lect. 2. cit. rationem. Prima est, *quia ex hoc ipso, quod votum viduitatis, vel virginitatis assumunt, Christo desponsante promoventur in dignitatem virilem, utpote liberatæ à subjectione virorum, & immediate Christo conjunctæ.* secunda est, quia *assumunt pœnitentiæ lamentum Religionem intrantes: est enim consuetudo viris, quod tempore luctus comam crescant; mulieres autem comam deponunt.* quando autem in Concilio Grang. canon. 17. vetat, *Religionis prætextu virgines tonderi*, loquitur de virginibus secularibus aut uxoratis, ut explicant glossa Clem. 2. de statu Regulari. Villalpandus in epitome delictorum in defensio. c. 6. num. 18. Pineda in Iob. tom. 1. cap. 9. vers. 30. n. 13. Baronius anno 370, ubi explicat lege 27. de Episc. & Cleric. in C. Theodos. ubi Imperator *prohibet virgines tonderi, illas scilicet quæ extra claustra manentes in seculo vivunt, publice castitatem & vitam quasi Religiosam agebant: in istis enim periculum erat ne resilirent à proposito, & si tanquam Religiosæ caput tonderent, fideles scandalizarentur: si enim in monasterio persisterent tonderi debebant, & caput velo operire.* homines tamen, qui se Religioni consecrant, caput tondent, teste Basilio. & sic Clerici tonso capite in modum coronæ debent incedere, ut ait Anacletus epistola ad Episcopos Galliæ. sic habuit sanctus Petrus, quem imitati sunt cæteri Apostoli, ut docent Beda lib. 5. Hist. cap. 22. & Gregorius Turonensis lib. de gloria confess. cap. 28. Durandus in rationali lib. 2, cap. 1. num. 31 & 32. de quo latius sect. 32. & digressione de tonsuris & coronis.

Ex his ergo, circa quæ sumus aliquantulum digressi, colligitur sectionis propositæ Resolutio, quod scilicet, licet antiquitus in lege veteri, ut constat Exodi 28, num. 27. summus Sacerdos nudis pedibus, & Tiara tecto capite sacrificium offerret, in novo tamen Testamento pedibus calceatis & omnino nudo capite Missam celebrant Sacerdotes & altaris Ministri. quia, ut ait Epiphanius hæres. 80, *Christus in novo Testamento nobis manifestus est, in veteri vero circumvolutus & obtectus.* gentiles etiam capitibus velatis precabantur Deos suos in sacrificiis, quem ritum vult Paulus à fidelibus viris excludere, propter rationem Epiphanii; quia *Christus* qui sacrificatur, hymnizamus, *nobis manifestus est*, tanquam caput nostrum revelatum in Euangelio. quare omnes fideles viri in Ecclesia dum sacrificium tremendum celebratur aperto capite sunt, mulieres vero velatæ assistunt. in hoc doctrina Apostoli inviolate servatur usque hodie in universa Ecclesia; sicut dum canuntur in choro Hymni, Magnificat, Benedictus, & canticum Simeonis, sicut & Gloria Patri, & alii versus in novo Testamento inventi; cæterum dum Psalmos canimus (nisi sit sacramentum Eucharistiæ in propatulo) operto capite canimus; quod in istis Christus, qui caput nostrum est, velatus prædicitur; at hoc significat communitas illos cantans capitibus opertis, vel cucullo, vel virreto. neque hoc est contra Apostolum: non enim vir orans operto deturpat caput suum, scilicet Christum, cui immediate subditur, cum ipsemet Christus velatus & coopertus sit in Psalmis, quos solum canimus capite operto. & quidem Paulus loquitur de prophetante Hymnos in laudem Christi manifesti, & de oratione publica, quæ fit in Ecclesia dum celebratur sacrificium Missæ, de quo tractat à num. 18.

SECTIO XXIX. *Canendum in choro cum superpellicio.*

Est sermo noster de Clericis Religiosis: nam Monachi & Mendicantes dum canunt in choro, suis vestibus Religiosis canunt juxta uniuscujusque institutum, secundum quod diversam habent habitus formam. omnes tamen dum sacro altari assistunt sacrificantes vestes habent ab Ecclesia destinatas; & alii ministri minores albam habent superpelliceam, vel lineam, vel laneam; Canonici tamen semper quod choro assistunt, superpellicio sunt induti. quod adeo certum est, quod si Canonici intersint choro sine superpellicio, debet punctari, ut declaravit sacra Rituum congregatio 3 Martii 1633. ut refert Sellius in selectis canon. 63. num. 107: quando autem supra superpelliceum alium deferre debeant habitum, multum pendet ex Ecclesiarum consuetudine. Cæterum in Canonicis Regularibus alia est regula: isti enim semper Roquetum deferunt album; Clerici vero Regulares in solemnioribus festis ad chorum accedunt cum superpellicco, in aliis vero duplicibus & ferialibus in habitu domestico; semper tamen hebdomadarius, qui communitatem repræsentat & capitula ac orationes nomine illius dicit, indutus est superpellicio lineo, quod idem erat, ac stola qua inducebantur Levitæ. *sunt autem stolæ* (ait Abulensis lib. 1. Reg. cap. 2. q. 4.) *vestes albæ de lino, quibus Clerici simplices utuntur, vel alii Clerici cum ad altare non accedunt. de istis stolis Levitarum dicit Josephus lib. 8 antiquit. quod Salomon fecit ducenta millia stolarum pro Levitis, quibus inducebantur ad canendos Hymnos in templi choro. quamvis enim de Levitarum vestibus mentionem non fecerit Moyses, habuerunt tamen postea vestes lineas tempore Salo-*

Salomonis, & ante illum, quibus ministrarent canendo coram Domino, vel in aliis officiis templi. idem constat ex Ezechiele cap. 44. *num.* 17. *& num.* 19. *ubi dicitur vestes has lineas, quibus utebantur in servitio templi, dum foras exibant deponere, & in gazophylacio conservatas custodire.* lib. 2 Paralipo. cap. 5. num. 12. *Levitas & Cantores vestitos & byssinis vestibus legimus.* imo & David 2 Reg. sexto, numero decimo sexto: *Ephod lineo accinctus fuit*, ut saltaret coram arca Dei. de quo loco infra.

Igitur cum certum sit hoc dubium molestum & à nemine tactum, superest an hujusmodi stola aut superpelliceum vestisve linea, quibus utuntur Clerici in choro, à sua prima origine fuerit sicut utuntur Clerici Hispani, manicis nimirum dilatatis & stricta vestibus ordinariis, quibus extra templum vestiuntur; an vero sit placata, sicut roquetus Episcopalis, cum manicis tamen in cuspidi finientibus, incipientibus in amplitudine à principio brachiis, sicut utuntur in cuculla sua Monachi Benedictini & alii.

Et quidem mihi non est dubium hanc ultimam fuisse primævam ejus formam, non primam, quod ex multis mihi omnino persuasum habeo. ut autem persuasio verior, & luculentior evadat, adnotare operæ pretium est, quod stola sive tunica in veteri lege stricta erat corpori, de qua Exodi 28. ut ait Hieronymus epistola 128 ad Fabiolam de veste Sacerdotali: *hæc adhæret & tam arcta est ut nulla in veste sit ruga. (volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato.) solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris & astrictas corporibus ut expediti sint ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem vibrare quocumque necessitas traxerit. ergo & Sacerdotes parati in ministerium Dei utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudinem vestimentorum nudorum, celeritate discurrant.* ex quo manifestum fit quod tunica ista solum convenit Sacerdotibus. & in veteri Testamento Exodi 28. num. 4. dicitur: *tunica linea stricta & post femoralia lignea.* erat prima vestis quæ corpus tegeret Sacerdotis; in novo vero Testamento loco illius strictæ tunicæ Episcopi ponunt rochetum, & alii quorum est habitus superpelliceum. ut enim notat Guido Rocherius, qui scripsit ante trecentos & triginta annos, in Manipulo Curatorum, tractatu 4. p. 1. cap. 8, *hæc parva Camisia seu superpelliceum non est de essentia Missæ in simplici sacerdote, sed solum de bene esse; quod dico propter Episcopos & Canonicos Regulares & Capellanos Domini Papæ, quorum est talis habitus.* hæc ille. ex quibus manifestum fiet infra superpelliceum nostrum non esse corpori strictum, ita ut nulla ruga aut plicatura appareat; imo debet esse larga & copiosa propter spiritum adoptionis in libertate, ut notant Amalarius lib. 2 de Ecclesiasticis officiis cap. 18. Innocentius Tertius libro primo Mysteriorum Missæ cap. 51. Gulielmus Durandus lib. 3 Rationalis, lib. 1. num. 11.

Hoc posito, jam ad rationes veniamus, quibus ad hoc persuasus sim, superpelliceum antiquitus formam, quam nostrum, habuisse, hocque esse plicatum versus collum & humeros, & fimbria latissimum. Prima sit ex *Ephod*, quo utebantur Levitæ, sicut vidimus & videbimus ex Abulensi. illius loco successit superpelliceum in novo Testamento. sed prius notandum ex eodem Abulensi q 9. ad caput 17 Iudicum, *quod Ephod tripliciter accipitur in sacra Scriptura.* primo pro ornamento summi Sacerdotis, quod erat factum de filis multorum colorum, scilicet de purpura & croceo & hyacinto & auro & bysso retorta. Secundo modo sumitur pro quadam veste alba, in qua nihil aliud erat, & erat illa vestis de lino simplici, vocaturque Ephod, licebatque portare illam Levitis. quod patet, quia Samuel erat Levita, & tamen induebatur Ephod 1 Reg. cap. 2, & tandem sumitur tertio modo pro quadam veste linea, qua utebantur Sacerdotes sive ministrarent ante altare, sive non; & utebantur hac veste extra sanctuarium, quam aliqui putant esse eandem cum illa, qua utebantur Levitæ, quod non recuso. de hac habetur 2 Reg. 22. nam octoginta quinque viros occidit Doeg coram Saule, indutos Ephod lineo, & omnis isti erant Sacerdotes.

Ex hoc sumitur non inefficax conjectura, quia Ephod in veteri lege erat idem, quod in novo superpelliceum. atque Ephod non erat stricta tunica linea; sed necessario debebat esse ampla inferius versus pedes, licet complicata versus collum & humeros. ergo idem dicendum est de superpelliceo. antecedens constat ex lib. 2 Reg. cap. 6. num. 14, ubi dicitur quod David *saltabat totis viribus coram Domino. Porro David erat accinctus Ephod lineo.* si autem hoc Ephod strictum esset, sicut modo est in Hispania apud Clericos seculares, facillime rumperetur, aut saltus quos totis viribus David dabat, *rotans se cum aliis*, (ut ait Gregorius lib. 27 Monialium cap. 27.) prorsus impediret. similiter dicitur de Samuele. 1 Regum 2, num. 18. quod gerebat Ephod lineum, de quo sic dicit Abulensis: *erat istud Ephod Samuelis quædam vestis tota alba, qua induebatur Samuel super cæteras vestes suas communes, ut ministraret coram Domino, sicut nunc Clerici simplicis utuntur Clericis vestibus albis ministrando in Ecclesia; qui autem celebrant sacra, vel celebrante adstant utuntur aliis vestibus, scilicet Presbyter, Diaconus & Subdiaconus.*

2. Id ipsum mihi persuadeo ex veteri forma casulæ sive planetæ, (quæ quare sic dicatur, jam subjicio.) erat vestis undique conclusa, quæ totum corpus tegebat, extra quam sacerdos manus extendebat & supra brachia ponebat, ut posset sacrificare. ita omnes qui sacris vestibus tractarunt, Rabanus, Durandus in rationali, Onuphrius, Beda, Ivo Carnotensis, Innocentius Tertius, Rupertus. ex quibus Abulensis quæst. 16. ad 28 cap. Exodi, ubi inquirit, an tunica hyacinthina haberet manicas, dicit: *ista tunica multum ampla erat, & poterat pars anterior replicari super brachia Sacerdotis, sicut fit in Casulis Presbyterorum nostrorum: nam in eis manicæ nullæ sunt, sed supra brachia sacerdotis pars anterior vestis replicatur.* hæc ille. unde suo tempore adhuc forma antiquæ Casulæ conservabatur. hæc autem erat serica aut alterius contexturæ gravis. sic enim dicta fuit Casula ut notant authores citati, quia intra ipsam Sacerdos totus quasi in quadam casa parvula contineatur, & sic extendebatur à collo usque ad pedes, ex qua parte poderis dici potest. & huic similis erat poderis linea ministrorum altaris ampla in circuitu, ita ut replicari possit super brachia. & sic necesse erat, quod circa collum esset plicata, ut ibi accommodari posset, ut collo quasi constringatur. & ob hoc existimo, quod casula dicatur planeta à verbo Græco πλανάω, à quo πλανήτης vagus, errabundus, & πλανῆτις vaga, errabunda; cum enim sit circa collum, per modum circuli vagatur & errat, neque est aliqua pars determinata, per quam ponatur. & sic est de superpelliceo in forma primitiva, quam aliqui ita rigide Romæ observant, ut sine manicis & sine aperturis portent, sed sicut casulam lineam; brachia submittentes per fimbriam illius.

3. Id mihi persuadeo valde efficaciter ex antiquissimis picturis ubique in tota Ecclesia: nulla enim pictura invenietur ante ducentos annos facta, in qua ministri

ministri Ecclesiæ depicti non inveniantur in processionibus & ante altare, in minoribus ministrando, nisi cum superpelliceo in modum Rocheti facto, non illo modo, quo hodie illa utuntur Clerici Hispani. Picturæ autem antiquissimæ inveniuntur Romæ, & in Hispania aliquæ. in Ecclesia Toletana secunda in Orbe post Romanam, in claustro est processio quædam in pariete depicta, in qua Clerici incedunt cum candelis & lineis tunicis in modum Rocheti factis cum manicis oblongis. Argumentum autem à picturis antiquis, præcipue quantum ad habitum, quam magnæ sit authoritatis nullus ignorat, ut omnis criticus de bonis literis bene meritus magnifacit, & Baronius passim contra Hæreticos arietinum argumentum ex antiqua pictura sumit. quod eleganter dicit Epiphanius & multi alii Patres in secunda Synodo Nicæna congregati, quos citat & sequitur Sanderus lib. 1 de honoraria imaginum adoratione, cap. 8. & Ioannes Lindanus lib. 2 de Histor. sacrarum imaginum, cap. 5 sic fatur: *quemadmodum itaque ob venerandam antiquitatem multum tribuitur & defertur libris, Homiliis, & universim quibuscumque scriptis sanctorum Patrum, qui prioribus seculis ad ædificationem Ecclesiæ dati sunt, sic parem quoque authoritatem cognoscimus & reveremur in eorundem temporum picturis & imaginibus, quas iidem Patres approbarunt.* hactenus Lindanus. revereamur igitur antiquas Ecclesiasticas picturas circa casulam lineam clericorum, ejus formam nullatenus reprobantes, & extra Ecclesiam rejicientes, quod facere fas non est.

4. Ad hoc idem est valde efficax argumentum. ut enim ait Rudolphus de Rivo Decanus Tungrensis, lib. de canonum observantia, proposit. 3. *enimvero, quia in speculum & exemplum sancta & Romana Ecclesia, cui Christus sanctum Petrum & ejus successores præesse voluit, posita est, ideo ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinavit perpetuo & irrefragabiliter observandum est.* quod assumptum pluribus probat, & concludit ex sancto Bernardo lib. de præcepto & dispensatione: *quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. non ait non acquiescere, sed nolle acquiescere, ut non mandati ipsi simplex transgressio, sed voluntatis ipsa superba transgressio scelus idololatriæ reputetur. non enim idem est nolle obedire, & non obedire. hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis; illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.* & propositione 4, *mos antiquis & vetusta traditio semper obtinuit. unde Augustinus epistola 58 ad Casulanum: in his rebus, in quibus nihil certi statuit divina illa Scriptura, mos populi & instituta majorum pro lege sunt habenda, & sicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt.* ex hac majori propositione, quæ certissima est, subsumo ego. atqui Romæ in tota Italia, Francia, Alemannia, Belgio & aliis externis provinciis forma superpelliceі est ea, qua nos utimur, magis vel minus precata versus collum; alicubi habet manicas sicut cuculla Benedictorum, & Basiliorum, alicubi non habet manicas sine aperturis ad latus, ut in Portugalliæ Regno, sed est sicut casula antiqua linea, ut apud aliquos Romæ, à qua velut à capite omnes aliæ ecclesiæ nominatæ superpelliceum plicatum circa collum acceperunt, conservarunt, retinuerunt. non ergo habitari potest, hanc formam esse Ephod Ecclesiastici & superpellicei ministrorum inferiorum.

Non reprobo, imo potius laudo consuetudinem, quam habent Ecclesiæ Hispaniarum tam in utroque Regno Castellæ, Legionis & Navarræ, & novi Orbis occidentalis, in quibus utitur superpelliceo manicarum longarum, quas supra collum duplicant (cujus consuetudinis initium & originem nondum inveni. Scio tamen in Toletana Ecclesia non multis ab hinc annis nostro superpelliceo usos fuisse Clericos) sed quidquid sit de hoc, in unaquaque Ecclesia sit sua laudabilis consuetudo, quam semper venerabor. sed nescio quomodo una Ecclesia potest opponi consuetudini alterius, approbatæ à Summo Pontifice. cum autem habitus Clericalis noster in choro, suggestu & aliis officiis divinis sit superpelliceum plicatum versus collum, cum manicis in modum cuspidis terminatis sicut cuculla Monachorum; sitque hæc forma eadem, qua utuntur Ecclesiastici Romæ, non video qua ratione possit aliquis Ordinarius, aut Ecclesiæ Capitulum ea nos privare, & cogere ut aliud superpelliceum sumamus extraneum à nostro habitu, dum sermonem facimus ex suggestu: hoc enim, quid aliud est quam nos invitos habitu proprio expoliare, & alieno induere? non secus ac si Patrem Dominicanum, aut Carmelitam, aut Mercenarium propriis Cappis expoliaret, cogendo, ut suum superpelliceum induant. ita enim est habitus noster à Papa approbatus, superpelliceum plicatum, &c. sicut istis Patribus est Cappa suæ Religionis.

5. Vlterius idem confirmo ex usu antiquissimo cucullarum Monachorum. quam vestem Monachalem nuncupat Imperator Iustinianus novella 5. capite secundo, in textu Græco στολὴν μοναχικὴν, quia ingrediuntur chorum, sermonem faciunt, cui omnino similis est nostrum superpelliceum, ut satis clare innuit sanctus Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, dicens: *ea referunt anabolæa, quæ gerebant vestimenta cucullæ.* Anabolæa autem nomen Græcum est, & ut omnia Lexica habent ἀναβόλαια *mutatorias vestes* significant, & Germanus dicit quod *referunt vestimenta cucullæ*, id est, formam eandem vestimenti habent, quamvis materia sit diversa, lanea in cuculla, & linæa in anabolæis. antiquitus enim linea erat in magno pretio, adeo quod esset lini genus, quod ex Achaia trahebatur, & auri pondere vendebatur, ut refert Plinius lib. 19. cap. 1. qui de lino absolute loquens, ait: *lini eximius candor & splendor, miraque tenuitas, una cum densitate, & æqualis fili nervositate atque constantia.* unde lini, quod ex Achaia portabatur, una uncia centum argenteis nummis appendebatur. Quod sancti Patres Monachi attendentes ad paupertatem, in qua suos Monachos instituerunt, quibus non decebat magnus lini splendor, ejus ingens pretium, & quod ad divites ejus usus pertinebat Lucæ 16. num. 19, omnem materiam lineam in proprio usu prohibuerunt, & lanæ concesserunt in camisia, cuculla, & veste, quæ *Saia* dicitur. cum autem in Ecclesia Dei tot Summi Pontifices præcesserint qui Monachalem vestem traxerant in cœnobiis, & multæ Ecclesiæ, quæ hodie sunt Cathedrales, Monachales fuerint, Ministri Clerici Monachos imitantes cucullam lineam introduxerunt ad ministerium Ecclesiasticum. Cuculla autem Monachalis introducta fuit loco colobii linei quo usus est sanctus Iacobus frater Domini (vel si vis Hispaniarum Patronus) ut testatur sanctus Hieronymus de viris illustribus, ubi dicit: *licitum ei fuisse ingredi sancta sanctorum, quia non laneis vestibus utebatur.* sicut & sanctus Marcus Euangelista instituit in sua Ecclesia Alexandrina, ut testantur Clerici qui dicuntur sancti Marci, apud quos de hoc est traditio. unde & ipsi portant colobium seu Rochetum, ut refert Laurentius Landmeter lib. 1 de veteri Clerico Monacho, cap. 6. p. 3. pagina mihi 75.

Sed quid sit colobium enodare critice opus, non enim

enim omnium idem sensus, κολοβὸν Græce unica λ scribitur, & significat tunicam brevem sine manicis, quasi humero tenus exertam, ut lexica Græca habent, à verbo κολοβόω, quod significat decurto, mutilo, trunco, est vestis κατάκλειστος, id est conclusa. ita Isidorus lib. 19. cap. 22. Alcuinus cap. de significatione vestiment. Cassianus lib. 1 Institutionum cap. 5. Laurentius qui supra, & ubi supra cap. 15. dicit: quod Colobium est idem ac Lebitonarium, Lebeta, Lebiton, quod (teste Hieronymo in procemio ad Regulam sancti Pammachii) *Ægyptiis Monachis vestimenti genus est sine manicis.* ex quo desumpsit sanctus Isidorus ubi supra. *lebitonarium* (inquit) *est colobium sine manicis.* unde Hieronymus in vita sancti Pachomii dicit: *in tanta vero vestimentorum penuria se constrinxerant ut numquam lebitone alio uterentur, nisi cum indumenti sordes necessitas coëgisset elicere; lebeton autem linea vestis, erat instar colobii qua monachi utuntur hodie per Thebaidem & Ægyptum.* hæc sanctus. ex quibus verbis clare liquet, quod lebiton sive lebeton, etsi instar colibii sit, est tamen diversum: nam lebeton erat vestis linea, sicut modo nostra camisia. unde in Lusiacis Palladius cap. 38. *inter institutiones Pachomii una est, quod noctu habeant lebitones lineos scilicet ad dormiendum.* erat autem Lebiton vestis sine manicis, vel cum illis usque medium brachii, quibus induebantur in lecto dormitionis causa, ne ab immundis animalculis inquietarentur. Colobium autem erat amplior vestis, qua interdiu utebantur Monachi, quæ totum penè corpus, veluti cucullà hodie, tegebat. unde in libro de Romanis Pontificibus in Eutychiano statutum reperitur, *ne quis Martyrem sine dalmatica vel purpurato colobio sepeliret.* Hinc est, quod Anselmus decretorum collector dixit: *à sancto Sylvestro & Presbyteris ejus colobiorum, usus sumpsit initium, & Marcus ac Iulius & Liberius ex ordine sunt usi. post hos autem colobia in dalmaticas commutata sunt.* hæc ille. cujus rationem reddit Stephanus Durantus ex Alcuino ubi supra: *propter incommodum colobii, quo antea veteres utebantur.* cur autem esset impedimentum, egregiam reddit rationem Guilielmus Durandus in Rationali lib. 3. cap. 22. *est autem colobium* (inquit) *vestis sine manicis, ut in cuculla monachali apparet.* unde manifestum est, colobium eandem formam habere ac cucullam Monachalem; cum autem nimis lata sit, & Diaconus & Subdiaconus deberent esse expediti ad servitium altaris, loco colobii introducta fuit dalmatica pro Diacono, primo à sancto Silvestro, qui illam solum concessit Diaconis Romæ, & diebus tantum solemnibus, in signum lætitiæ; exteris vero ex privilegio, sine quo illis uti non licebat, ut constat ex sancto Gregorio lib. 7 Registri epist. 111 ad Arogium Episcopum. Et sic Symmachus Papa, sancto Cæsario Episcopo Arelatensi privilegium concessit, ut Diaconi Arelatenses dalmatica uterentur. Subdiaconi vero dalmatica non utebantur, sed colobiis lineis, ut constat ex Gregorio lib. 7. epistola 63. ad Ioannem Episcopum Syracusanum dicens, fuisse usum antiquum Romanæ Ecclesiæ, qui ex Synodo Romana cap. 4. *ne feretrum Diaconorum defunctorum dalmatica, aut colobio rubeo tegeretur, ne honor, qui olim sanctis Martyribus impendi consueverat, cujusque vitæ meriti hominibus impertiretur.*

Igitur ex dictis manifestum relinquitur, colobium ex sua primæva institutione fuisse vestem cucullam Monachalem sine manicis, aut *cum illis usque ad medium brachium*, ut ait Cassianus cap. 5 citato, & ibi Alardus Gazeus. hoc autem colobium laneum fuit Monachis, lineum Clericis, quo usi sunt Diaconi usque ad tempus Sylvestri, & postea usi sunt Subdiaconi; sed à quo tempore non inveni. & sic mansit colobiorum usus in Clericis inferioribus, & in majoribus dum sunt in choro, imo & Episcopis pro quotidiano vestitu supra omnes alias vestes.

Sed cur colobiorum lineorum usus in Clericis? multiplicem rationem adducere non erit difficile, quas enumerat Alcazar in cap. 1. Apocalypsis à vers. 17. ubi supra, quas apud ipsos videre licebit: solum duas, vel tres solutiones adducam, ut morem geram lectoribus. prima sit, quia facile à linea tela sordes detergantur: decet enim mundicies ministros Ecclesiæ, quam Ioannes, ut denotaret ejus puritatem & nitorem, bysso indutam conspexit in Apocalyps. in cujus signum vidit cap. 15. vers. 6. *vestitos lino mundo & candido*; per quos, ut tenet communis Patrum & expositorum sententia, intelliguntur Clerici & Ministri Ecclesiæ vestiti superpelliceo, ut adnotat Alcazar ibi in commentario. Hinc est, quod, ut notat Herodotus lib. 2. num. 46. Sacerdotes Ægyptii vestem tantummodo lineam gerant. & Ezechielis 44. vers. 17. dicitur, *quod super Sacerdotes nihil laneum ascendebat*, sed omnis vestis extima erat linea: ut enim ait Apuleius lib. 2. de lineo textu, lini seges mundissima, in qua manet candori pertinax gratia, ut ait Plinius lib. 4. cap. 19.

Secunda sumitur ex eodem dicente, linum semper injuria fit melius: sunt enim plurimæ injuriæ quæ illi fiunt, & quas tolerat ut ad candorem perveniat; evelli, siccari, macerari, iterum siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spatha lignea, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebro in silice, ex aqua texi, & tundi clavis, ô quantæ injuriæ lino! ut sit manifestum symbolum patientiæ quæ habet opus perfectum scilicet sanctitatem, ad quam per tot pervenitur ærumnas, per tot persecutiones, quas linum patitur ut candescat. Sunt autem duæ alæ, sanctitas & patientia, quas ministri Ecclesiæ ut volent, ut oportet, ad divinum ministerium debent habere, quarum est hieroglyphicum linum album, evulsum à terra, siccatum à carnali humiditate, maceratum fluvio lacrymarum, à quibus siccatur iterum ardore charitatis, tusum malleo persecutionis, aqua decorticatur à passionibus, &c. vestiantur ergo albo superpelliceo Clerici, dum assistunt divinus officiis in choro.

Et quidem Colobium antiquitus idem fuisse Monachis illis primitivis Thebaïdis & Ægypti, ac hodie est; siquidem, ut ait Guilielmus Durandus lib. 3. cap. 1. à num. 10. *denique præter præmissas vestas sacris ordinibus & ministris deputatas, est & alia quædam vestis linea, quæ superpelliceum dicitur, quo quibuslibet servitiis altaris & sacrorum vacantes super vestes communes uti debent: dictum est enim superpelliceum, eo quod antiquitus super tunicas pelliceas, de pellibus mortuorum animalium factas, induebatur; quod adhuc in quibusdam Ecclesiis observatur, repræsentantes quod Adam post peccatum talibus vestitus est pelliceis.* hactenus ibi. antiquitus enim, ut notant Laurentius Præmostensis de Clerico Monacho l. 1, c. 17. part. 2. & alii, supra melotem cucullam, aut Colobium imponebant, ut constat ex Divo Hieronymo in præfatione in regulam sancti Pachomii, ibi: *nihil habent in cellulis*, & infra: *cucullas duas & caprillam pelliculam, quam melotem appellant.* Cassianus lib. 1 Institut. cap. 8. *ultimus autem habitus Monachorum est pellis caprina, &c.* quam Hieronymus in vita Hilarionis, *pelliceam tunicam nuncupat; quam pro dono simul cum colobio, aut pallio,*

pallio, misit sanctus Antonius Abbas sancto Athanasio tanquam legatum ex testamento, ut ait idem Athanasius in vita sancti Antonii, & auctor libri de instructione Monachi, definiens pallium quod est ultimum vestimentum Monachi super alias vestes, illud dicit: *vestem rotundam à collo usque ad tibias totum corpus cooperientem, anterius apertam* (scilicet circa pectus) *ut caput commode ingrediatur, sed alibi undique clausam, superius angustam; inferius amplitudine expansam.* quibus verbis & nostrum & Monachale descripsit superpelliceum; sed nostrum lineum est, illorum laneum.

Et quidem cucullam (quæ sicut casula diminutivum est à casa, ut ait Isidorus l. 21. c. 18.) hanc habuisse antiquissimam formam, plicatam circa collum, & cum manicis oblongis, sicut & nostrum superpelliceum, manifestissimum est tum ex picturis. In civitate Legionensi est monasterium Benedictinum, fundatum à S. Vincentio Martyre ab hinc mille annis, & in altari est pictura ejusdem S. Martyris, cucullati cuculla in hanc formam fabricata. ita eam delinearunt antiquissimi expositores sanctæ Regulæ, Petrus venerabilis qui habetur tomo 12 Biblioth. Agrippinæ, constitut. 29. Eminentissimus Cardinalis Bernardus de monte Casino, qui vixit ante mille annos, in expositione Regulæ cap. 55. quæ literis Gothicis exarata observatur in Archivo Cœnobii sancti Petri de Cardeña, sancta Virgo Ildegardis vel Ludgarda, cujus expositio habetur tomo 15 Bibliothecæ Agrippinæ, Cardinalis Torquemada tract. 121. Illustrissimus Dominus D. Fr. Angelus Manrique mihi amicissimus, & valde venerabilis pro omnigena sua sapientia & eruditione Monastica, qua claruit in annalibus Cisterciens. circa annum 1101, ubi distinguit inter *floccum*, *flocculum* & *cucullam*, quod ista ex vili, ille ex pretioso panno conficiebatur, servata tamen eadem forma. unde Clemens quintus in Concilio Vienn. & refertur in Clementina, Ne in agro. de statu Mona. describens Monachorum cucullam, sic dicit: *sit rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimia aut brevitate notanda, latas etiam manicas habeant usque ad pugnam prætensas, non consutitias vel quomodolibet botonatas*; & infra §. verum. dicit Pontifex: *nomine vero flocci habitum, qui longas & amplas habeat manicas, nos intelligere declaramus.* sed cum floccus, aut flocculus lana subtilissima dicatur, quæ propter sui subtilitatem cadit à velleribus ovium antequam tondeantur, significat cucullam ex subtili materia textam & compositam.

Hanc autem superpellicei antiquissimam in tota Ecclesia, in Monachis, ut dixi, lineam, ex eo manifestissime colligitur, quod nulla est Clericorum Canonicorum Religio, quæ rocheto albo lineo supra alias vestes non utatur. Ita Canonici Regulares sancti Marci, sancti Augustini, Lateranenses, sancti Ruffi, sancti Victoris, Mantuani, sanctæ Crucis Conimbri, Canonici Gronodael, quales fuerunt Pennotus & Tamburinus, Canonici sancti Salvatoris, Canonici sancti Gregorii in alba, Canonici sancti Petri de monte Corbulo, de quibus late Pennotus in Tripartita lib. 2. cap. 54. Tamburinus de jure Abbatum tomo 2. disput. 24. Barbosa de jure Ecclesiast. univers. l. 7. c. 9. hic enim rochetus omnino similis est exceptis manicis nostro superpelliceo. quod videns Philippus secundus Rex Hispaniarum in nostris Patribus, ita summe placuit, ut illo uti mandaverit in servitio altaris, in illo mundi portento, in conventu scilicet sancti Laurentii *del Escurial*, quod inhabitat Religiosissima proles sancti Hieronymi. & denique in fere omnibus Monasterii etiam Hispanis acoluthi & cereferarii superpelliceis utuntur fere eadem forma ac nostra, retinentes colobii antiquam formam, sicut retinent Regnum & Corona Aragonis.

Ex quibus manifeste colligitur, non absque gravissima injuria nos excludi ab aliqua Ecclesia, ne cum nostro superpelliceo prædicemus verbum Dei; hæc enim gravis injuria est, sicut esset alias Religiones expoliare à suis cappis cum quibus concionantur, ipsos obligando quod superpelliceo lineo, quo Canonici utuntur in Hispania, induerentur ad prædicandum, tum vel maxime, quia in sancta Toletana Ecclesia Hispaniarum primate, in Valisoletana, in Compostellana, in Granatensi, in Gaditana, & tandem in ipsa Capella Regia coram Regibus Philippo secundo, tertio, & quarto, & universa curia, nostri cum nostro superpelliceo ad populum sermonem habuerint. Cum enim sola Castellæ & Wandaluciæ Regina strictis Ephod & superpelliceis utantur, & nostra ampla & rotunda fere in universa Ecclesia, notanda apprime veniunt verba Cassiani, tractantis de habitu Monachorum lib. 1 c. 3, *generali omnium constitutioni paucorum non debet præponi aut præjudicari sententia. Illis enim debemus constitutis ac regulis indubitatam fidem, & indiscussam obedientiam per omnia accommodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas tantorum temporum & numerositas sanctorum Patrum concordi definitione in posterum propagavit.* quid enim obest, quod in forma nostrum ab usitata temporum luxuria aliquatenus differat, cum in tota antiquitate solitum sit uti, *& quando insolens non est diversitas, non offendit inæqualitas*, concludit Cassianus.

SECTIO XXX. *Quanta sit in choro habenda reverentia & modestia.*

Hic solum agendum de reverentia exteriori, & corporis veneranda compositione coram Deo & hominibus, ut cantus in choro eum qui canit faciat venerandum & gravem, ut ajebat Chrysostomus, quam reverentiam etiam gentiles agnovere. Tibullus 2. 1.

Casta placent superis, pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Ovidius epist. 7.

Pone Deos, & quæ tangendo sacra profanas:
Non bene cælestes impia dextra colit.

Hic est, quod gentiles, ratione duntaxat naturali ducti ut se ab irreverentia & turpibus actibus cohiberent, dicebant homines existere oportere *Deos omnia cernere, Deorum omnia esse plena*, ut omnia quæ ad Dei cultum pertinent diligenter retractarent, & tanquam relegerent. dicti enim sunt Religiosi ex religendo, ut eligentes ex eligendo, & ex diligendo diligentes. *Cultus namque Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & voce veneremur*, ajebat Cicero lib. 2 de natura Deorum. ponderabat Egesippus lib. 5. cap. 1. reverentiam quam Sacerdotes Hebræi templo veri symbolo habebant, quod in excidio illo Hierosol. tempore Titi & Vespasiani facto, *quamvis frequens super universos rueret telorum seges, & ubique ferverent prælia, tamen sacerdotes sacrificandi ministerium solemniter obibant, nec ferebantur commisso sibi munere.* & Aristophanes in Ranis versic. 347. pulchre cecinit: *Linguis favisse decet, nostrisque choris decedere quisquis horum inscius est sermonum, aut mentem habet impuram, aut generosa Musarum orgia nec didicit unquam.*

Quare

Quare ut hæc reverentia magna diligentia obſervaretur à Clericis, & ne turbaretur ex Secularium commixtione, juxta antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, partem Eccleſiæ, in qua erant Clerici, ſecernebant cancellis ab ea, in qua erant Seculares, quorum nullus quantuſcumque Princeps eſſet, illuc ingredi licite poterat. can. ſacerdotum de conſecratione, diſt. 2. Conc. Turon. 2. cap. 4. & Anſelmus lib. 5. decreto. cap. 75. Bruchar. lib. 3, cap. 102. Iuo Carnot p. 2. cap. 137. & egregie ſanctus Hieronymus lib. 13 in Ezechiel cap. 43. ad illa verba: *fabricati ſumus lumen ſuum, &c.* hinc ſanctus Clemens lib. 2 conſtitut. cap. 57, dicit: *Eſſe officium Diaconorum, ut Laici in altera parte ordine, decore & quiete ſedeant*, ut ſumma in Eccleſia ab eis reverentia obſervetur, quæ multo major debet eſſe in choro, & ſingularior Clericorum modeſtia & gravitas, quanta illis propinquiora ſunt *ſancta Sanctorum*; unde Apoſtolus ad Philip. cap. 4. dicit n. 5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus prope eſt.* id eſt, quia Dominus prope eſt, quia non diſtat ab unoquoque noſtrum. unde quanto magis unicuique appropinquat, vel ratione gratiæ, ordinis ſacri officii Eccleſiaſtici major debet eſſe modeſtia, exactior reverentia, quæ ex timore originatur appropinquantis. ut enim ait Divus Thomas 2. 2. modeſtia eſt quæ modum ponit, & moderatur omnes actiones externas hominis, ſcilicet inceſſum, veſtitum, ſermonem, riſum, & totum hominem exteriorem reverentem facit & compoſitum, in menſa, in plateis, in choro, & in quocumque alio loco; oritur autem hæc externa compoſitio ex interna circa ſeipſum, proximum & Deum: etenim ex actibus exterioribus (ait Ambroſius lib. 1 de Officiis cap. 18.) *homo cordis noſtri abſconditus, aut lenior, aut jactantior, aut turbidior, aut gravior, aut conſtantior & purior & maturior æſtimatur.* & ſanctus Bernardus epiſt. 103. *mentem & corpus componit, cervicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, moderatur inceſſum.*

Quibus verbis ſancti hi patres Clericum in choro canentem deſcribunt. quomodo colent ipſum in loco ad id deputato, ſi non reverenter? & quomodo reverebuntur ſine modeſtia? & quæ modeſtia? ſi adeſt luxus in veſtibus, ſi occulorum conniventia & inconſtantia, ſi multiloquium, ſi murmuratio, ſi inquietudo, ſi levitas morum ſi inconſtantia, ſi ad ſecularia diverſio, ſi vocis elatio, ſi urbanitas indecens, ſi inadvertentia loci, officii & aliarum circumſtantiarum divini cultus. *ô quam metuendus eſt locus iſte! vere non eſt aliud, niſi Domus Dei & porta cœli*, dicebat Iacob Geneſ. 24. vſ. 10. ſolum quia vidit ſcalam, per quam aſcendebant & deſcendebant Angeli, Dominusque erat innixus ſcalæ; quæ Symbolum erat chori Eccleſiaſtici, in quo non aſcendunt & deſcendunt Angeli, ſed inhabitant in ſubſelliis, & Dominus non innixus in ſupremo ſcalæ, ſed prope eſt præſidens choro. ſic viſus fuit ſancto Petro Alexandrino Patriarchæ, ut refert ejus vita, qui cum magna eſſet affectus reverentia erga ſuam Patriarchalem ſedem, nolebat ſe in illa conſtituere etiam in publicis functionibus, & populo bis & ſemel acclamante, *Epiſcope ſede in tua ſede*, reſpondit: *plerumque, cum Throno illi approximare volo, video quendam in illo ſedere divinam virtutem fulgore luminis admodum radiantem: mox ego inter gaudium & pavorem ſuſpenſus, agnoſco me tantæ ſeſſionis prorſus indignum, &c.* ſi ſanctiſſimus vir reverentia ex recognitione ſuæ indignitatis motus, tremebat Thronum aſcendere, quia ibi agnoſcebat Deum præſidere; cum in ſubſelliis alii Angeli inſiſtant: Angeli enim continuo templum chorumque obierant, ſingulorum habitum & geſtus explorantes, ut ſæpius vidit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, ſicut teſtatur ſanctus Nilus ejus diſcipulus in epiſtola ad Athanaſium. quomodo ergo in illo ſtabit Clericus & Canonicus levis, vaniloquus, ſcurra, inquietus, girans oculis univerſum ſexum fœmineum; timeant ergo Clerici irreverenter choro aſſiſtentes, timeant, inquam, & contremiſcant tremendum ibi Iudicis præſidentis & pro Tribunali ſedentis Iudicium, quia nil inultum remanebit; ſicut fuit revelatum ſancto Bernardo, qui canens divinas laudes cum Monachis in choro, Angelum Domini vidit ſumma diligentia in pergameno notantem reverentiam, devotionem, modeſtiam & venerationem externam cujuſcumque. de quibuſdam ſcribebat ea quæ notabat literis aureis, de quibuſdam argenteis, de aliis ferreis, & tandem multis liquore aqueo; & maxime dum canerent Hymnum *te Deum laudamus*, maxima vigilantia punctabat minimam quamlibet imperfectionem. O bone Deus! dum hæc lego, & video in Eccleſiis imperfectiones, diſſolutiones, immodeſtiam, obſtupeſco; & vereor, ne major horum temporum calamitatum pars ex hac radice irreligioſi cultus Eccleſiaſticorum in choro non oriatur; cujus loci ſanctitas veneranda ſemper cohibere debebat omnes actus noſtros, ne in alium finem orirentur, niſi in cultum Religioſum. quam ita venerabatur ſanctus Ludovicus Francorum Rex, de quo Clitoveus refert cap. 6. vitæ ſuæ, quod in choro nunquam fuit, niſi flexis genibus, in quo tanta erat modeſtia compoſitus, exterius tanto ſilentio, humilitate tanta, ut Eccleſiaſticis eſſet exemplum, & Curialibus admiratio: non conſentiens, ut de quibuſcunque negotiis, etiam ad Regni reginem attinentibus, aliquatenus loqueretur ei; &, ſi aliquis id faceret, nihil reſpondens tacebat. O clericorum & Religioſorum confuſio! advertebat Rex pius, quod in choro *Dominus prope eſt*, tanquam Iudex rigidus & integerrimus irreverentiæ, ſi quæ vel minima eſt in loco illo, ut puniat; & ut Remunerator, ut præmiet reverentiam, tanquam clemens exauditor, juxta illud Pſalmi 144. *Prope eſt Dominus invocantibus eum, invocantibus eum in veritate.*

Sed quales eſſe debeant, qui divinis interſunt laudibus, & Deo pſallunt, & quantum gaudeant ſancti Angeli in alacritate devota canentium in choro dulciter Hymnos, egregie nobis depinxit ſanctus Laurentius Iuſtinianus lib. de diſciplina & perfectione monaſticæ converſationis, cap. 17. cujus verba non afferre piaculum judicavi, & ſunt ſequentia.

Mortalium Regum miniſtri, & terrenis Imperatoribus famulantes, quotieſcunque ſuorum ſe præbent aſpectibus dominorum, cunctas, quas vel in veſtibus, vel in facie gerunt, ſordes diluere ſtudioſe conantur, ne quid in ipſis incompoſitium, aut indecorum appareat, quod oculis principis deſpicabile videatur. Dignum quippe eſt, ut quicquid ſordeſcit, quicquid deforme eſt, amoveant à ſe, quatenus aſpectus illorum alliciant, quibus placere concupiſcunt. Capitur enim animus plerumque ex ornatu, & ſpecioſitate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoque morem ſolerter cuſtodire debent omnes Æterno Regi militantes. illis namq; congruit ita exteriorem habitum, corporis greſſus, morum actus, animæ animorumque affectus componere, ut nihil in eis reprehenſibile cognoſcatur, pro quo rationabiliter repellantur à præſentia Redemptoris. Delectatur prorſus Dominus Ieſus in gravitate vitæ, in cordium puritate, & perfectione virtutum ſervorum ſuorum. ſi enim cum tanto ſtudio, & tanta ſedulitate temporales homines miniſtros cupiunt habere formoſos, morigeratos, prudentes, & nobiles;

quanto

quanto magis seculorum Regi immortali & invisibili, cui soli honor & gloria exhibenda est, convenit sibi astantes habere ornatos virtutibus & omni morum elegantia? Propterea angelicam conversationem tenere conentur, quotquot cœlesti Domino gratissimum desiderant exhibere famulatum. Magni nempe periculi res est sordescentes, impudicos, criminososque audere divinis astare aspectibus, & spirituales Deo promere jubilationes. Non enim speciosa laus est in ore peccatoris; sanctos rectosque decet collaudatio.

Proinde Christi servi, qui die noctuque in Ecclesia Dei excubias celebrant, qui septies in die laudes proferunt Creatori, studeant labia habere impolluta, corpora casta & immaculata corda, ut jucunda, grata, decoraque sit ipsorum laudatio unde priusquam in templum Domini intrent, antequam Domino assistant, & divinas erumpant in laudes, toto conamine, & quadam animi virtute de suis cordibus, atque de memoriæ domicilio abjiciant omnem terrenam occupationem, & labentium affectionem, ita ut (si dicere fas sit, & possibile agere) solo spiritu ingrediantur. Revocare quippe non negligant cunctam animi sui intentionem, & omnem cordis sui dispersionem in unum, ut sibi ipsis dicant: venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei. Magnum namque adjutorium, & efficax incitamentum ad pure divinam laudem promendum est, quum corredit ad se, & diligenter intelligit, quid acturum sit. Nam quicumque absque præmeditata intentione cantica profert cœlestia, facile vagatur mente, & elongatur à se, atque admittit immunda phantasmata.

Itaque qui cupiunt strenue spirituales persolvere laudes, & Psalmodiæ sacrificium Deo pure offerre, præsentem habeant, uti est, nihilque inter se & eum habere velint, sed tanquam amicus cum amico, colloquantur Domino. est enim Psalmodia quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris allocutio, quæ immensas in se continet delectationes. ideo indignum est, ut quando anima cum Deo sermocinatur, alio se divertat; intendere debet omnino illi, qui intendit sibi; & omnia verba sacri carminis suspensa debet audire mente, tamquam si ipsi soli essent prolata. Quod autem voce clamat, concordet sensui, seseque coaptet intellectui Scripturarum. Nihil vero de iis, quæ foris sunt, illo beato tempore cogitet, nihil appetat, sed sola ei sufficiat præsentia Redemptoris.

Quicquid enim tunc importune ex impulsione Dæmonum, aut ex propria fragilitate in corde obortum fuerit, mox manu sancti desiderii arceatur procul, ne Sacrosanctum contaminetur Dei sacrificium. Sic namque olim sanctissimus Patriarcha Abraham, quum victimas Deo offerret, egisse legitur. Nam cum in hora holocausti aves cœli teterrimæ irrumperent, ut carnes diriperent, magno charitatis cœlo, & pervigili cura eas ab altari abigebat: ut quod mundum mundo obtulerat corde, totum sine macula adoleret holocaustum. O quam longe distant studia nostra ab hujus senis vigilantia! O quot nostris laudum sacrificiis intersunt rapaces volucres aëris hujus caliginosi, ut ea fœdent illusionibus plurimis! ipsas autem nequaquam abigimus, sed tanquam & insensati, & sine corde cunctis earum suggestionibus aurem præbemus. Multimode namque maligni spiritus observant, ut rapiant psallentium corda ab intentione divinæ laudis. Nunc enim obscœnorum voluptuosorumque phantasmatum fœtorem immittunt, ut Psalmodiæ suave polluant sacrificium. Nunc verba diripiunt, & intercidunt carmina, quum oscitare importune, aut insensibiliter dormitare faciunt. Nunc omnium membrorum ingerunt lassitudinem, ita ut nulla corporis pars illæsa esse, videatur. omnis quippe mora tunc intolerabilis sentitur, hoc totum spiritu acidiæ operante in homine negligente. Nunc mentes psallentum terrena negotia, & secularia ingerendo distrahunt, atque per abrupta & devia noxiarum, & inutilium cogitationum impellentes animum totam dissipant laudis oblationem, & (proh dolor!) quum ita callide seducant, vix reperitur, qui hoc intelligat & vincat.

O quam sæpe, qui divinis occupantur in laudibus, solo assistunt corpore, & tanquam garrulæ aves sine interiore sensu emittunt verba! De talibus per Prophetam Dominus dicit: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. O quoties tædio prægravata mens ab omni gustu cœlestium cantionum jejuna pertransit! loquitur, & ignorat cui; clamat voce, nec seipsum intelligit, nec percipit quid dicat. Nam totaliter extra se evecta, atque velut mens affecta adversus se Deum provocat vehementer. Nunquid hujusmodi sacrificio honorificatur Deus? Nunquid polluta laude effertur divina Majestas? Corda quippe, non corpora; gustum mentis, non solum vocis; affectum animi, non linguæ motum requirit Omnipotens. Hoc Citharædus sanctus Dei spiritu plenus proferebat, quum dicebat: Psallite Deo nostro, psallite, psallite, Regi nostro psallite sapienter. Sapienter utique dicit esse psallendum, ut quod pronunciatur per os, ruminetur in mente. unde Apostolus idem sapiens dicit: psallam spiritu, psallam & mente. Nec immerito, quicquid in Psalmis resonat, quicquid profertur, Spiritus sancti sententia est. Sancti enim Prophetæ cœlitus imbuti, & divinitus afflati sancta cantica condiderunt. unde non loquenti, sed intus revelanti adscribenda sunt. Habent enim sub velamine literæ, & sub verborum cortice mirabilis veritates, & jucunda mysteria, atque arcana Sacramenta, quæ meditationibus ac cogitationibus, tanquam granum de paleis excutienda sunt, & tanquam suave vinum de racemis exprimenda. Sic namque ad lucem veritatis prolata intellectui placent, & cordis palato dulciter sapiunt. Hac edoctus experientia Propheta canit dicens: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! indignum nempe est, ut tam suavissimus cibus absque attritione indulgentiæ glutiatur. Proinde divina carmina, attenta sunt intentione ruminanda, atque alacritate spiritus pronuncianda, alioquin Psalmodia valde onerosa erit; quoniam omne quod sine gustu agitur devotionis, operanti laboriosum est; præcipue tamen divini officii decantatio, quæ corpori cunctam subtrahit voluptatem. Deficiente etenim in Psalmodia interna delectatione, & nihil existente in ea, quod carnales mulceat sensus, omnino fatigatur qui psallit, & mente, corpore ac voce languere dignoscitur. vox namque remissa tempore divinæ laudis, non attenti cordis signum notissimum est. Quæ vero in sensu cordis, & jucunditate vocis prolata sunt cantica, animo dulciter sapiunt, auribus sonora sunt, Angelis fiunt amabilia, atque ipsi Deo suavissimum redolent laudis odorem. In modulatione autem Psalmorum cor & lingua non discrepet, ne repellatur quod petitur. Inexaudibiles namque efficiuntur, quæ in laudibus aguntur orationes, quando, qui postulant, ignorant quid petunt; ut autem exaudiantur intelligendæ sunt; ut vero intelligantur, cogitandum est cui offeruntur; ut autem per cogitationem agnoscatur, cui preces offeruntur, ipsius opera investiganda sunt, quæ ex eorum excellentia prædicant Creatoris Deitatem. unde scriptum est per quemdam: à magnitudine speciei creaturarum facile Creator agnoscitur.

In præsentia itaque tantæ Majestatis jucunda laus exhibenda est. Propterea Psalmographus ait: Jubilate Domino omnis terra: cantate & exultate, & psallite: Psallite Domino in cithara: & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu Regis Domini. Non segnis, neque remissa laus in auribus Domini Sebaoth delectabiliter sonat, sed repellitur & fastiditur. Ab ipsis quoque sanctis Angelis, qui coram cœlorum Rege solemnes indesinenter exercent excubias, & premunt laudes cœlestium cantionum, toties abjiciuntur, quoties negligenter pronunciantur. Hi etenim superni cives & sancta agmina

intersunt choris laudantium, exultantque in laudibus psallentium: si tamen distincte, si attente, si vigilanter, si ardenter, si concorditer, si humiliter dicantur. Discurrunt namque inter illos: utpote ipsorum concives, & consortes regni. Comprimunt & immundorum spirituum impetus, nec eos sævire patiuntur, tamquam fideles custodes. Nunc ascendunt, nunc descendunt semper ad illorum profectum. Vbique vero alacres sunt, ubique festini, ubique soliciti, ne divina interrumpatur laus, ne cœlestia cantica maculentur. At si vel ad momentum tepescat affectus, distrahatur animus, aut dormitet oculus, illico indignantur sic oscitantes, & non invenientes quid offerant, suam mox præsentiam subtrahunt. Verecundum igitur, & valde perniciosum est in conspectu tantorum Principum irreverenter psallere, verba intercidere, inutiles cogitationes tractare, & corde torpescere.

O si præsentiam suam probatare valerent! O si quantum congaudeant de puritate alacriter psallentium, eis liceret ostendere! prorsus omnis torpor abscederit, omnisque ignavia fugeretur. Venustus namque aspectus, & suavis ipsorum affatus, cunctam animi depellunt tristitiam, atque indicibilem intuentibus conferunt jucunditatem. Rutilant enim immortalitatis candore vestiti, nec minus fulgent charitatis diademate redimiti. Toti decori sunt, toti affabiles, toti Deiformes, pulcritudine invincibiles. Si illorum exquiratur sapientia, sciunt omnia, quæ scienda sunt; si eorum gloria contempletur, omnem prorsus transcendit humanum intellectum. Nam sive eleventur per admirationis contemplationem supra se, sive per sui custodiam firmentur in se, sive per dilectionem proximi descendant sub se, Dei semper visione fruuntur, Dei deliciis pascuntur, Dei dulcedine inebriantur; vinculis namque perfectæ charitatis astricti, nullo valent ratione ab amplexibus Conditoris divelli.

Veneremur itaque dilectissimi quum in Ecclesia Dei psallimus, quum in divinis occupemur laudibus, cœli cives & sanctos Angelos. Veneremur inquam, senatores Hierusalem, & cum ipsis pure, alacriter & solemniter semper in corde, ac jugiter ore Domino decantemus. Indecorum valde est, præsentibus Angelorum cœtibus psallere negligenter, atque verba sacri carminis arido corde promere. Proinde in divinis officiis ardeat affectus, clamet vox, vigilent oculi & vita concordet, ut merito dicere valeamus: in conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine. Quid autem sublimius in hac peregrinatione celebrari potest, quam pari consortio Angelorum in Dei laudibus occupari? quid dulcius, quidve suavius cogitari potest, quam in terra agere, quod sanctorum concives, & beata cœlorum agmina in excelsis perficiunt? illis beatis spiritibus sine intervallo, nobis autem certis temporibus huic tam strenuo operi vacare licet: quia illi revelata facie, nos autem sub specie per fidem, & in ænigmate Dei gloriam contemplamur. illi nempe tanquam triumphantis Ecclesiæ Duces honoratissimi, & Deo præsentes, puras, ignitas, immensasque summæ Majestati offerunt laudes: nos autem pusilli & debiles, atque corporis sarcina prægravati, & peregrinantes à Domino, mixtis, interpolatisque laudibus efferimus conditorem. sit tamen, & illis, & nobis una laudandi intentio, par votis, æqua voluntas, quamvis dispar sit laus, & gloria.

Adeo enim hanc reverentiam externam ab interna imperatam, dum actiones cultus divini exercentur, vult Deus, quod etiam urbanitates nimias in choro & Ecclesia prohibeat: dum enim Luc. c.10, n.4. præcipit Apostolis, *neminem per viam salutaveritis*, ostendit tam serio intenteque sacrum opus agendum, ut ne tantisper quidem dum salutatur quispiam cessandum sit. id quod præceperat Elisæus Puero suo Giezi, 4 Reg. 4, num. 22. *si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutaverit te quispiam, ne respondeas illi*; ne scilicet haberet occasionem se detinendi in via, & cessaret aliquantulum à patrando miraculum resurrectionis pueri, qui in magnum cultum Dei cedere debebat; si autem responderet salutantibus, retardaretur, ut ait Abulensis ibi quæst.46. Hujus reverentiæ magnitudinem, qualis debet esse, exaggeravit Serrarius lib.1 de procession. c.7, n.8. quod refert de quodam insigni Rabbino valde docto apud Hebræos lib.1. Jadhal. in cap.4. de fine fol.20. admirandam sententiam: *quæret enim, num si quis in domo Midrasch, forte sternutet, ei debeat alius ut moris est salutem precari? & respondet, ideo eo loco non esse necessarium, quia hujus loci magna sit sanctitas, & quidam major quam domus ceneseth.*

In hanc clericorum reverentiam habendam in choro, dum sacra ministrant & divinas preces canunt, respiciebat Paulus, dum tamen stricte mandat, quod mulier sit in Ecclesia velata *propter Angelos*, 1 ad Corintheos cap.11, num.20. id est, *propter clericos canentes in choro*, ut supra ex Patribus dedimus; & ex commentariis, quæ nomine Ambrosii circumferuntur, adnotat Amalarius lib.3, cap.2. de Ecclesiasticis officiis, per hæc verba: *mulier propter reverentiam sacerdotalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, nec habeat potestatem loquendi, quia sacerdos personam habet Christi. quam ergo ante judicem, sic ante Sacerdotem, quia Vicarius Domini est. & alio modo, quia & viri quidam comam nutriebant, mulieres nudo capite procedebant in Ecclesiam, gloriantes in crinibus, quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat.* hæc ille.

Narrat Simeon Metaphras. in vita sancti Ioannis Chrysostomi, *ob Diaconum, oculos conjicientem in feminam, dilatum fuisse descensum gratiæ Spiritus sancti in ipsum.* simile narrat Moseus in Prato spirituali, cap.150. de quodam Episcopo Rumeliæ celebrante coram Agapeto Papa, propter irreverentiam Diaconi flabellum quo muscas abigebat tenentis. Bene hanc irreverentiam suggillat Tertullianus lib. de oratione cap.13. reprehendens eos qui irreverenter assidebant Missam audientes: *si irreverens est* (ait) *assidere sub conspectu contraque conspectum ejus, quem maxime revereris, quanto magis sub conspectu Dei vivi.* & si Tertulliano irreverentia est damnabilis sedere sub conspectu Dei vivi, quanta erit omni Catholico ridera, cachinnari, multum loqui, corporis indebita & immodesta positio. Legatur Guarricus Abbas discipulus sancti Bernardi, serm. ad excitandam devotionem in Psalmodia. ubi explicat ad propositum illud Cant.8, vſ. 13, *qui habitas in hortis amici. auscultat te, fac me audire vocem tuam.*

Huc spectare videtur antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quod Episcopo in quacumque Ecclesiæ parte, in qua ipse voluerit, constituatur alta sedis aut thronus in quo ipse sedeat; qui mos etiam in antiquitate apud gentiles locum obtinuit in Flaminibus, & Archiflaminibus, ut notat sanctus Augustinus lib.12 de civitate, cap.15. Cornelius Tacitus lib.12 Annalium. Lipsius lib. de Vesta, & Vestalibus, cap.15. quæ cæremonia eo tendebat, ut videntes Sacerdotes sic sedentes tam ipsos, quam suos venerarentur. ob hoc ergo in choro, in Ecclesia, in processionibus Episcopi habent sellam, tanquam digni reverentia; tum etiam ut ipse Episcopus in alto sedens, irreverentias aliorum tam Clericorum, quam Laicorum cohibeant. pulchre hoc dixit Amalarius Fortunatus lib.3. citat. cap. 10. loquens de Episcopi throno: *Ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi intendant & tanquam custodiant populum. Nam & Græce quod dicitur Episcopus, hoc Latine Superintentor interpretatur, quia*

super

superintendit, quia desuper videt: quomodo enim altior sit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est. hæc ibi. est enim Episcopus vinitor vineæ Domini Sebaoth, qui facit reverenter habitare in domo Dei, sedens & superintendens, ut reverenter celebrentur officia divina, & aliæ cæremoniæ decenter fiant; tum etiam cum ipse Episcopus primus reverentiam in choro exhibet, sit aliorum inferiorum exemplar. pulchre hoc dixit Rabanus ad cap. 50 Ecclesiast. num. 14, loquens de Episcopo *in corona fratrum*, hoc est, in choro existente. *Bonum est* (ait) *ut qui primus est in ordine, præcipuus fiat in bona operatione & eruditione doctrinæ. Deinde fratres ejus illum circumstent, hoc est imitentur: fratres enim hic possumus intelligere Presbyteros, Diaconos, & cæteros minoris ordinis viros, qui boni Pastoris pium sequantur exemplum, & coram omni Synagoga Israel, hoc est, credentium multitudine, digne sui ordinis agant officium, ut inde omnes provocentur ad laudandum omnipotentem Deum*, &c. de aliis circumstantiis in choro alibi latius tracto. legatur Anacletus Siccus toto lib. de sacra Hymnodia.

SECTIO XXXI. *De loco ubi collocandus chorus.*

AN ante, vel post altare, & quidem si Templa omnium fere Ecclesiarum Hispaniæ Cathedralium, & Collegiatarum insignium, & multorum cœnobiorum tam mulierum, quam virorum, chorus non post altare, vel ad latus illius est collocatus, sed ante altare, ita ut inter altare & chorum sit secularium multitudo utriusque sexus, quam consuetudinem summa esset imprudentia impugnare. si qua enim est in contrarium aliqua constitutio, temporis successu & decursu aboleta est: solum dubium hoc propono (quamvis in superioribus aliquid tetigerim, dictis tamen sunt plura scitu digna addenda) ut antiqua templorum Catholicorum structura agnoscatur, & usus Religionis meæ & aliarum, quæ chorum post altare ponunt, valde rationabilis esse videatur.

Et quidem in tota antiquitate Ecclesiastica apud antiquos Historiographos & scriptores non invenietur constitutus chorus, nisi post altare, aut ad latus è regione positus, ita quod chorus canentium faciem sacrificantis videant, non terga, hoc mihi ex multis persuadeo: 1. Quia ex veteri Ecclesiarum divisione & constructione chorus est juxta Presbyterium & altare, ita quod nulli pateat ingressus secularium ad locum ubi sunt Clerici canentes, ita ut inter hos & celebrantem sit aliquis laicus vir, & multo minus fœmina. chorus igitur vel ad latus, vel post altare est. antecedens constat quia, ut notat satis erudite Dominus Doctor, D. Didacus de Castrillo in Memoriali Iuridico-historico, pro Archiepiscopo Granatensi defendens præeminentiam Sedis, dum incedit in Pontificali in processionibus sanctissimi corporis Christi, num. 82. Antiqui Catholici trium priorum secularium in quinque dividebant sectiones aut partes (quamvis sanctus Maximus de Ecclesiastica mystagogia cap. 3. Ecclesiam solum partiatur in locum solum sacerdotibus & ministris designatum, qui Græce dicitur ἱερατεῖον, id est sacrarium, & in locum ad quem patet introitus omnibus fidelibus, qui vocatur ναὸς εἴσοδος.) Prima pars vocatur Βῆμα, quæ est eadem cum sacrario, ut dicit Nazianzenus oratione in laudem Patris mortui: est enim locus sacrificio deputatus, ibique est altare, diciturque secretarium in Concilio Arelatensi 2. canon. 15. dicitur etiam diaconicon in Concilio Laodicensi can. 21. & in Agathensi can. 66. quoniam non oportet in sacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod Græci diaconicon appellant (quia ibi solum Diaconis licebat ingredi) Cæsar Bulleng. lib. 3 de Templis, cap. 11. Secunda pars erat chorus, ubi erant Clerici & Cantores. Herisbertus in suo Onomastico post vitas Patrum, verbo Bema. Durantus lib. 1 de ritibus, cap. 17, num. 1. Tertia erat locus in quo erat ambo, seu suggestus, in quo cantabantur Epistolæ & Euangelia. Herisbertus & Bullengerus ubi supra. Quarta erat naus sive ναός, id est, templum ad quod conveniebat populus ad orandum, ibique juxta Hebræorum consuetudinem valde laudabilem, diversa via ingrediebantur viri, ac fœminæ. Quinta erat baptisterium, in quo intingebantur sacro baptismate; hæc Ecclesiæ pars non erat cuilibet pervia, nisi dum Sacramentum celebrabatur. ex qua sacrarum ædium & Ecclesiarum divisione & constructione clare constat, quod inter chorum & altare, & inter celebrantem & Cantores qui in choro residebant, immediabat locus in quo populus divinis assisteret & oraret. sed chorus immediatus erat τῷ Βήματι, id est, altari & sacrario, sive τῷ διακονικῷ.

Secundo id mihi persuadeo ex antiquissima consuetudine primorum seculorum, in quibus pars illa, quæ designata erat Clericis, Presbyteris, Cantoribus & aliis ministris altaris, divisa erat à parte in qua erat populus per cancellos, sive æneos sive ligneos, quibus prohibebantur laici illuc ingredi. & suo tempore conqueritur sanctus Gregorius Nazianzenus hym. 11. ad Episcopos, dicens, quod seculares jam transibant cancellos in Ecclesia:

Hos quoque qui mundos dirimunt,
Divos atque homines discludunt limite certo
Cancellos, talis nimirum erat locus olim.
At nunc ridiculis, contra discrimine nullo
Cum quis haud clausis irrumpit ad intima portis,
Vt mihi jam medio in cœtu ingentique corona
Stans præco hæc alta videatur dicere voce:
Huc agite, ô quoscumque juvat turpissima vita,
Probra hominum, ventres, lata cervice, pudoris
Expertes, fastu tumidi, vinoque madentes.

Et postquam præco convocavit varias hominum vilium sortes, ut intra cancellos veniant, subdit egregie ad propositum:

At mihi quod de Moyse canunt oracula sacra
Dum mecum recolo, gelidus tremor occupat artus:
Ipse etenim solus penetrata nube Tonantem
Conspexit, reliquos autem radicibus imis
Montis, &c.

Quibus declarat quam indecens erat populum transire cancellos, intra quos solus erat Episcopus, Clerus & Cantores: post cancellos enim decenter nullus Laicorum, quamvis dignitate fulgentium, transiliebat. id constat clarissime ex Concilio Chalcedonensi act. 1. ubi dicitur, *quod magnificentissimi & gloriosissimi judices, & amplissimus Senatus ante cancellos sancti altaris sedentes, non audentes intra cancellos intrare*, & sic Auctor orationis Panegyricæ apud Eusebium lib. 10 Hist. cap. 4. Templum, quod extruxit Paulinus Cyri Episcopus, describens, dicit: *altare tanquam sancta sanctorum situm fuisse in medio sanctuarii*, (id est, Capellæ majoris,) *quod autem accedi eo non posset à plebe & multitudine, cancellis ex ligno fabricatis altare circumdatum.* hæc ibi. si ergo altare erat in medio, post altare vel ad latus erat chorus, in quo residebant Cantores & Musici; unde Germanus in Theoria ubi supra dicit, *quod cancelli locum orationis designant quousque populus extrinsecus accedit; intrinsecus autem sunt sancta sanctorum solis Sacerdotibus pervia;* sunt au-

tem revera ad piam memoriam cancelli æneí, ne quis simpliciter aut temere ingrediatur.

III. Quia sella seu thronus Episcopalis constitui debet contra cancellos & post altare, aut ad latus in choro, hoc manifestum est ex Historiis, ut videre est in Herisberto ubi supra, verbo *Bema*, & Bullengerio citato cap. 22. ad thronum autem Episcopalem in choro consitum hinc inde ad utrumque latus sequebantur subsellia Sacerdotum. audi sanctum Clementem Romanum lib. 2 constitut. Apost. cap. 57. *sit solium* (inquit) *Episcopi in medio positum, & ex utroque latere sedeant Presbyteri & adstent Diaconi succincti & expediti.* ecce chorum formatum intra cancellos, extra quos degunt & orant laici. hoc autem solium & subsellia nequeunt constitui ante cancellos è regione altaris, quia impedirent populum sacrificium videre. & sic manifestum est, situm fuisse vel post altare, vel ad latus. unde in Concilio Turonensi 2, cap. 3. dicitur: *pars illa* (Templi) *quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantum canentium pateat.* in illa enim parte & thronus Episcopi & subsellia canonicorum erant. ista autem intra locum chori sunt; & sic ista non extra cancellos, sed intra cancellos ab antiquis constitutus est. unde Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, aliquantulum ante finem, Arrianorum immanitatem deplorans, dicit: *Comes & Catholicus præcipiebant subsellia, thronum, mensam (id est altare) quippe quæ lignea erat, vela Ecclesiæ & cætera, quæ poterant, foris elata combusserunt ante vestibulum in magna platea, & thura insparserunt*, &c. Thronus enim in medio subselliorum erat; ille autem post cancellos versus altare. ergo & ista, & per consequens & chorus.

IV. Quia ut supra cap. 1. vidimus ex Rabano, Fortunato, Isidoro, dictus est chorus eo quod initio in modum coronæ circa aras Cantores starent, & ita psallerent. id quod ex citatis Patribus desumpsit Gulielmus Durandus lib. Ration. cap. 1, num. 18, juxta illud Ecclesiastici c. 50, num. 14, qui loquens Encomiastice de Simone Pontifice, dicet: *& ipse stans juxta aram, & circa illum corona fratrum, & amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus.* Chorus ergo circa altare est, ibique sunt subsellia aut sedilia pro Clericis, Canonicis & Cantoribus. unde sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 20, quæ est de laudibus Basilii, dicit, quod Valens Imperator Arrianus, cum ingressus fuisset Templum, *in quo sanctus Basilius erat cum populo, & ipsius Valentis aures Psalmorum cantu non secus ac tonitruo quodam personaverunt, omnemque ordinem & concinnitatem quæ tam in sacrario, quam prope sacrarium erat*, &c. antiquitus ergo chorus, in quo erat musica concinnitas, intra sacrarium, vel prope sacrarium erat intra cancellos versus altare. & sic satis laudabilis est mos Religionis nostræ, quæ chorum post altare constituit, in quo imitatur Ecclesiam Romanam, in qua cum altare majus in quo Pontifex celebrat in diebus Paschæ, & sanctorum Petri & Pauli, stans circa aram cum magna fratrum Cardinalium Eminentissimorum corona, chorus, in quo sedent & est situs thronus Pontificius, est post altare, & totus cancellis ligneis circumdatus locus; Musici vero & Cantores intra cancellos sunt, sed ad latus post altare.

SECTIO XXXII. *Qui in choro canunt debent esse corona insigniti.*

HVic capiti obtulit occasionem Divus Thomas in 4. dist. 24. q. 3. art. 1. q. 1. ubi sic loquitur: *Ministri Ecclesiæ à populo separantur ad vacandum divino cultui. in cultu autem divino quædam sunt, quæ per potentias determinatas sunt exercenda, ad hoc datur spiritualis potestas ordinis; quædam autem sunt, quæ communiter à toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes, & ad hoc non præexigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quædam deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam, & ideo non est ordo, sed præambulum ad ordinem.* Hinc est quod sanctus Isidorus cap. Cleros. 21 dist. inter ministros Ecclesiæ ponat Cantorem, qui divinis laudibus modulatur. cujus sunt duo genera, Præcentor scilicet, & Succentor. Præcentor vocem præmittit in cantu, Succentor canendo subsequenter respondet; similiter Psalmista tonsuratus dicitur, seu clericatus, cap. cum inter. de regulis juris.

Et capite Cum contingat. de ætate & qualitate. Abbatibus Benedictis conceditur privilegium, ut in suo monasterio clericalem tonsuram, per quam Ordo clericalis datur, possint conferre, qui ordo psalmistatus vocatur, aliquando cantoratus, cap. si Psalmista. 22 dist. & est idem quod prima corona sive tonsura, per quam quis fit Clericus; unde Itali coronam *Cherica* vocant. Clericus idem, quod coronatus cap. seriatim. 32 dist. ex Leone Papa; Psalmista autem dicitur à Psalmis dicendis, sive ab officio canendi; tamen nec psalmistatus nec cantoratus, ut ait sanctus Thomas in additione q. 37. art. 2. est ordo, sed officium ordini annexum. quia enim Psalmi cum cantu pronunciantur, ideo Psalmista Cantor dicitur. Cantor autem non est nomen ordinis specialis, cum non habeant specialem ordinem ad Eucharistiæ Sacramentum. Hinc est quod Cantor & Psalmista pro Synonimis habentur in Concilio Laodicens. cap. 33. quamvis enim cantoratus aliquando specialem habuerit benedictionis formam: dicebatur enim illi, *vide ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, comprobes operibus*, teste Durando in Rationali lib. 2. capite tertio; non erat benedictio consecratoria, sed simplex, sicut erat benedictio Diaconissarum & Monacharum. quod ex eo fit manifestum, quia Cantoris & Psalmistæ benedictio, cum non esset nisi ad officium, nec esset specialis deputatio ad alios ordines absque scientia Episcopi, & sola jussione Presbyteri constituebatur quis Cantor & Psalmista. Corona autem ut à ministro ordinario solum fit per Episcopum, sicut iste solus benedicit vestes, & vasa, & omnia quæ ad cultum divinum applicantur, quamvis ex privilegio aliis competere possit ex Papæ concessione.

Vnde antiquitus Magister Cantorum, *Maestro de Capilla*, dicebatur *Canonarcha*, quia incipiebat mensuram, & metrum modulationis in Hymnis & Psalmis. ne tamen cantores omnino extorres essent à sacrificio, aquam offerebant per manus Archiparaphonistæ, ut tradunt Alcuinus de divinis officiis, de signific. vestim. Amalarius lib. 3 de Ecclesiasticis officiis, cap. 19. Durantus lib. 2 de Ritibus cap. 16. num. 11. Gravina de Sacramento ordinis disput. 6. cap. ult. §. 2. num. 2. dicitur autem Archiparaphonista, ut ait Onufrius in libello Ordin. Roma. in interpretat. vocum Ecclesiasticarum: *Quartus scholæ Cantor, qui Pontifici de Cantoribus cum quid opus erat, nunciabat.* hic autem respectus etsi valde remotus ad Eucharistiam Cantoribus & Psalmistis non conveniebat, nisi vel quia tonsurati, vel quia insigniti lectoratus, qui est unus ex quatuor minoribus ordinibus.

Ex his jam apparet ratio difficultatis, quia nullus legitime potest canere in choro, nisi Cantor vel Psalmista

mista constituatur saltem à suo Presbytero. atqui cantoratus & psalmistatus est officium annexum vel primæ tonsuræ vel lectoratui, & his omnibus debetur rasura corona facta per modum circuli. ergo nisi quis sit corona insignitus in choro canere nequit.

Vt autem id quod sentio explicem, indaganda est origo coronæ, à qua ortum duxit hæc præambula dispositio ad ordines recipiendos, sine qua si illos reciperet, dubio procul mortaliter peccaret si scienter id faceret. quamvis tamen in rigore sermonis non sit idem tonsura & corona, quia si omnes capitis capilli tondeantur, erit tonsura seu rasura, non tamen corona, ut videre licet apud Bedam lib. 5 Hist. Angl. cap. 22. Hujus autem initium & origo fuit à temporibus Apostolorum.

Et quidem antiquitus & in gentilitate, imo & in Christianismo magna infamia erat caput radi aut tonderi in viris, & multo magis in fœminis, quibus naturalis inclinatio est ad comam nutriendam: erat enim capitis rasio servitutis clarum indicium, & ignobilitatis hieroglyphicum; imo testibus Oneiro Criticis Artemidoro, Agmete & Socrate, caput abrasum in somniis videre ita molestiarum & ærumnarum sit hieroglyphicum, ut marium & fœminarum designet interitum, senectutem miseram & infelicem. unde Dominus Levit. cap. 21. vers. 18, Sacerdotibus non radent caput neque barbam; quia, ut ait Hesychius, *caput & barba sapientiæ est & perfectionis nostræ signum.* unde in significationem mœroris Concil. Tolet. 3. cap. 13. præcipit Episcopo, *ut capillos tondeat eis, qui agunt publicam pœnitentiam:* tonsio enim capillorum signum est tristitiæ tam apud prophanos, quam apud sacros Scriptores. & quidem capitis tonsionem esse dedecus magnum, & irrasiones tonsurati tesseram & notam, constat ex Germano Constantinopolitano Patriarcha in Theoria rerum Ecclesiasticarum tom. 8 Biblioth. Agrippin. folio 54, qui refert, *quod cum missus esset Petrus ad prædicationem Domini & Magistri, tonsus est ab his qui sermonem non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit.* Hæc ille. quæ ex Germano desumpsit Beda, ubi supra. & nos dicimus coronam nostram ex auctoritate & consuetudine Romanæ Ecclesiæ esse roboratam. & infra: *non ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus; sed quia Petrus ita attonsus est in memoriam Dominicæ passionis.* hac igitur corona, qua sanctus Petrus est constitutus primus clericus, usi sunt & alii Apostoli. Narrat autem Abdias Babylonius lib. 9 certam. Apost. quod cum sanctus Thomas Apostolus, *quemdam ad fidem convertisset Regem, Rex ab Apostolo baptizatus rogavit sibi caput tonderi.* sed de hoc latius in Appendice hujus digressionis.

Fuit tamen in tanta æstimatione tonsura Clericalis, sicut & monachatus, ut sicut parentes infantulos offerebant monasterio, ita offerebant à primis infantiæ annis, ut à tenera & flexibili ætate Ecclesiasticam disciplinam cum pietate biberent, & si vocis suavitate essent ornati, in Psalmodia canerent in choro Ecclesiæ. de his enim sic loquitur Cardinalis Baronius in Martyrologio 3. Idus Iulii, agens litera h. de multis lectoribus & infantulis, qui sub Hunnerico Rege Arriano passi sunt: *Dum infantulos parvulos legis non eo sensu accipias ut loqui nescirent, cum eodem Victore Vitensi lib. 3 de persecutione Wandalica. iidem ad canendos modulos Ecclesiasticos essent instructi; vetus enim mos fuit, & in præsens viget usus, ut impuberes pueri ob vocis elegantiam ad canendas res Ecclesiasticas modulis musicis imbuerentur.* quod non quidem tantum hic expressum habetur, sed & Venantius Fortunatus, *lib. 2. in carmine ad Clerum Parisiacum, quo describit florentissimum statum & pulcherrimam effigiem ejus Ecclesiæ sub sancto Germano Episcopo, sic canit:*

Hinc puer exiguis contemperat organa cannis,
Inde senex largam ructat ab ore tubam,
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Et in fine:

Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, & infans.

Fuit enim olim in Ecclesia Romana schola ad disciplinam Ecclesiasticam destinata, altera solum ad musicam; & sic in ordine Romano ita habetur: *In quacumque schola fuerint reperti pueri bene psallentes, tollantur inde, & nutriantur in schola Cantorum, ac postea fiant cubicularii. si autem nobilium filii fuerint, statim nutriantur in cubiculo.* hæc ibi. quæ sic intelligo: quod pueri in schola Cantorum eruditi transferebantur in oratorium Pontificis, inter Clericos Pontificios erudiendi in omni virtutum genere, & politica Ecclesiastica, ut ad Pontificatum monerentur ascendere sic Sergius secundus à Leone tertio, Gregorius secundus à Sergio primo, cum ille fuerit duodecennis, & iste valde puer, ut Stephanus tertius, & Paulus primus adhuc pueruli à Gregorio secundo.

Horum autem infantium dedicatio Clericali ordini duplicite fiebat, aut ex parentum voluntate & devotione, sicut & dedicabantur monasterio, ut scientia, virtute, & moribus instruerentur, ut supra dixi, licet cum aliqua differentia inter oblationem Ecclesiæ seculari ac monasterio, ut jam dico, aut quia ex scholis, in quibus prima rudimenta edocebantur, speciales ministri ad hoc deputati eligebant puerulos bonæ vocis, ut in schola Cantorum in arte musicæ instruerentur. sicut enim, ut ait Lipsius de Militia Romana lib. 1. Dialogo 9, *in Romana curia erant Ministri qui vocabantur conquisitores qui extra urbem in agris & villulis conquirebant juventutem idoneam ad militiam, & usque ad annum decimum septimum sub custode tenebantur, & instruebantur in omni armorum genere exercendo, jam equitando, jam arcus tendendo, jam cursu, ictuque, ut ait Virgilius lib. 7 Æneid.* ita & militiæ Ecclesiæ erant conquisitores, qui in scholis quærebant puerulos aptos ad disciplinam Ecclesiasticam tam in canendo, quam in aliis. & hi nutriebantur vel in schola Cantorum, vel in cubiculo Pontificio; nemo tamen istorum erat non tonsuratus. erat enim, ut supra dixi, tonsura prima & necessaria dispositio, quæ præit Clericatum; nec in schola Cantorum quis constituebatur sine tonsura, qua denotabatur tanquam tessara esse destinatus ad militiam Ecclesiasticam, quamvis nullum alium ordinem etiam ex quatuor minoribus haberet. Legatur Cardinalis Baronius lib. 1. tomo 1. Annal. ad annum 58. pagina mihi 128.

Igitur coronæ tonsuræ dispositio erat prima, ut quis haberet clericatum; non tamen ut haberet monachatum. ut enim sanctus Gregorius lib. 8. epistola 28, *nisi postquam triennium in conversatione compleant, nullo modo valeant tonsurari.* quæ fiebat in professione Religionis quæ est ad Clericatum, statim ex quo quis militiam Ecclesiasticam ingrediebatur, tonsuram accipiebat; professio tamen illius non statim fiebat, sed completo anno decimo octavo. sic enim expresse determinatur in Concilio Toletano 2. celebrato anno 531. can. 1. itaque Clerici professionem emittebant cum voto castitatis & obedientiæ Episcopo, sicut modo & antiquitus Monachi faciebant, ad quam solum exigebantur anni 14, ut notat Glossa ad caput de his 28 dist. à quibus si

 oblati

oblati essent, à parentibus exquirebatur voluntas approbativa oblationis Paternæ: solus enim Pater filium offerre poterat ratione patriæ potestatis post decimum quartum annum, & oblati ad clericatum post decimum octavum annum, ut ait Toletanum, cujus hæc sunt verba: *de his quos voluntas Parentum primis annis infantiæ clericatus officio manciparverit, ut mox detonsi vel ministerio Lectorum additi in domo Ecclesiæ, in præsentia Episcopali à Præposito sibi debeant erudiri: & ubi octavum decimum ætatis suæ annum compleverint, coram totius Cleri Plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & promissionem castimoniæ sese spoponderint servaturos, hi tanquam appetitores arctissimæ viæ lenissimo Domino subdantur; ac primum Subdiaconi Ministerium habita probatione professionis suæ à vicesimo anno suscipiant.*

Ex quibus Concilii verbis obiter & per transennam colligo I. contra Hæreticos, quam antiquum sit in Ecclesia Clericos facere votum castitatis; siquidem non solum Subdiaconi ut modo, promittebant solemniter castitatem, sed etiam Clerici in minoribus; siquidem post castitatis votum emissum transacto biennio fiebant Subdiaconi. II. Votorum solemnitas quam antiqua sit. III. Collegia & seminaria, in quibus erudiebantur pueri, ut ibi apti ministri fierent Ecclesiæ servitio. IV. Quod statim ac offerebantur à Parentibus, mox detondebantur prima tonsura. V. Quod Ministerium Lectorum non erat ordo, sed addictio & destinatio vel tonsuræ, vel alteri inferiorum ordinum. VI. Quod ante septennium nullus offerebatur clericatui; quia septennii ætas requirebatur ad tonsuram coronæ, nisi intelligentia repleret ætatem; non enim quis ad Clerum adlegebatur, admittebaturve, nisi esset rationis compos, ut instrui posset in disciplina Ecclesiastica.

Sed quæ esset tonsura, quæ fiebat hujusmodi parvulis, & an esset idem quod corona, non est facile indagare. De quo Abulensis q. 25. in c. 19 Levit. ad illa verba vers. 27, *neque in rotundum attondebetis comam*, sic fatur: *sciendum quod ex hoc non prohibitur tonsura quam faciunt viri Ecclesiastici in vertice capitis, quia à Beato Petro in civitate Antiochena exordium sumpsit, & deinde in totum Clerum derivata est, quamquam Judæi non utebantur hac, nec aliæ gentes ante tempus illud; sed tunc in vituperium facta est Beato Petro, quam postea in honorem universus populus accepit, prohibebatur tamen per istud præceptum corona, quam Clerici gestant, scilicet rotunditas capillorum, nam secundum jura distinguuntur corona & tonsura: dicitur enim tonsura à tondendo, id est radendo, & est quædam parva vel magna tonsio circularis in vertice facta; quamquam aliqui errantes istam coronam vocant. Corona autem rotunditatem capillorum significat, scilicet circulum quemdam ab aure usque ad aurem per caput & frontem veniens: unde corona consistit in habitudine duarum tonsurarum, scilicet superioris quæ est in vertice, & inferioris quæ est ab aure usque ad aurem; capilli autem medii, qui supra & infra circulariter sunt tonsi, corona vocatur, & ideo dicitur de Clericis quod debent gestare convenientem coronam & tonsuram. ista autem corona vetita erat apud Hebræos ex verbis hujus literæ, quoniam corona supponebat tonsuram superiorem & inferiorem; sed inferior vocabatur attonsio comarum in rotundum, & ista est prohibita hic. Sed nos ad istam legem non obligamur, cum cæremonialia exclusa sint.* hactenus ibi satis erudite, quare corona proprie est circulus ille capillorum, qui in gyrum attonsi inferius & superius. Circulus tamen ille qui in vertice raditur, non propriè corona, quia caput non cingit, sed rasura dicitur, vel tonsio verticis. quare coronam proprie solum gestant Monachi & Fratres Mendicantes, Domini Episcopi, & Clerici Religiosi ordinum militarium; alii autem Clerici Sacerdotes propriam coronam non gestant, sed tonsuram in modum circuli majoris, vel minoris, juxta uniuscujusque Diœcesis usum, qui circulus ex communi consuetudine corona vocitatur.

Sed notandum, quod corona, quæ facta est Beato Petro ut ab aliis illuderetur, & versa est in honorem & dignitatem tam ipsi, quam aliis sacerdotibus, erat corona per tonsionem capillorum insuper & desuper. Ita Beda cap. 22. citat. Isidorus lib. 2 de officiis, cap. 4. Concilium Toletanum 4, cap. 4. celebratum sub Honorio Papa anno sexcentesimo trigesimo tertio æra 671, in quo convenerunt septuaginta Episcopi, qui sic gravissime sanxere: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso desuper capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis (ut Laici) comis in solo capitis vertice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanis Hæreticorum fuit; unde oportet ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur; qui secus fecerit fidei Catholicæ sit reus.* hactenus Concilium, cui sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis Præses fuit.

Quod decretum satis conforme est Aniceto Papæ in epistola decretali ad Episcopos Galliæ: *comam* (inquit) *Clerici non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.* & ut notavit Iacobus Sermondus lib. 3, explicans epistolam Sydonii Apollinaris ad Leontium Papam: *brevis ille orbis in vertice, quo Cleri pars magna nititur, insolens olim atque insuetatus in Ecclesia fuit.* & quidem in antiquissimis picturis Romæ coronæ Clericorum, ut exigit Concilium Toletanum, sunt depictæ: & quidem si Anicetus præcipit Clericis Gallicanis, quod comam non nutriant, ergo illam tondere tenebantur; & insuper præcipit, quod desuper caput in modum sphæræ radant coronam, quam exprimit Concilium: nam aliud est comam non nutrire; aliud caput tondere. hoc non præcipit Pontifex, sed prius, scilicet quod comam non nutriant, quod salvatur si cincinni tondeantur, etenim comæ prolixæ in Clericis tunc temporis scandalo erant, & propriæ Hæreticorum: si enim Patres sapientissimi, quorum plures erant Franci, ut Salva aut Selva Narbonensis Metropolitanus in Francia, sensissent quod esset alius coronæ usus, non dicerent quod, *qui secus fecerit, sit fidei Catholicæ reus.* corona ergo, quæ fit per tonsionem verticis desuper, & capillorum inferius ab aure usque ad aurem, erat antiqua & prima institutio coronæ, quæ similis fuit illi, quam irrisorie fecere gentiles Beato Petro. hæc autem fuit figuræ, quam assignat concilium per tonsionem in rotundum comæ; apud Græcos enim in Proverbio fuit *circumtondere comam*, pro eo quod ludibrio habere; & sic stupidis, & fatuis non sentientibus circumtonderi solet Cæsaries ludibrii causa. unde Lucianus in Misanthropo ait: *sedebas cum tibi Cæsaries circumtonderetur.*

Sed cur Deus prohibuerit circumtondere comam Hebræis, cum prævideret hanc formam futuram in Ecclesia Christi valde honorabilem, & insignem regalis Sacerdotii & potestatis, ut ait Divus Thomas ubi supra. existimo id prohibitum, ne more Barbarico id facerent, sic enim tondebantur in comam Arabes & Sarraceni, ut dicit sanctus Hieronymus ad caput

caput 19 Hieremiæ, num. 16. & cap. 25. num. 23, & cap. 49. num 32. id etiam faciebant Sacerdotes Ægyptii, inter quos per aliqua secula habitarunt Hebræi, ut explicat satis bene Vatablus Levit. 19. num. 27. quare ne filii Israel mores Ægyptiorum imitarentur sequentes sacerdotum ipsorum cæremonias; tum insuper quia, ut ait Radulphus ibi, gentiles dum se Dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum tondebant, existimantes Deos suos gaudere figura rotunda & orbiculari, utpote perfectissima & capacissima, ob quod gentiles multa templa rotunda Diis erexere; ut videre est apud Bullengerum lib. 1 de templis. sic Vestæ Numa Pompilius templum rotundum dicavit. legatur Pierius lib. 49. cap. 17.

In Clero Euangelico sunt plures gravissimæ & decentes rationes & congruentiæ, cur debeant gestare coronam, quas sancti tradidere, & ex ipsis scriptores sacrarum cæremoniarum. Selectiores sunt: prima in memoriam spineæ coronæ Christo impositæ, quem spinis coronatū exprimere & imitari debent Clerici. Secunda, propter spirituale regnum, quod possident dum mancipati sunt divino servitio, quod est regnare. Tertia, ut significetur vitæ perfectio, quam profitentur: est enim figura circularis omnium perfectissima, quam antiqui divinitatem circulo significabant propter ipsius infinitam perfectionem. Quarta, in signum pœnitentiæ, quam profitentur Clerici & Religiosi: est enim capitis tonsio Hieroglyphicum pœnitentium. Concil. Tolet. 3. cap. 12. sub Pelagio II, anno 589. Cornelius à Lapide in cap. 7 Hierem. num. 19. tondebant enim veteres comam in signum luctus & mœroris. has omnes rationes egregie Amalarius Fortunatus lib. 4 de Ecclesiasticis officiis, cap. 39 congessit: *oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum Clericatus habentes altioribus se necesse habeant pro Domino continentiæ frenis adstringere, formam quoque coronæ, quam ipse in passione spineam portavit in capite, ut spinas & tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret & auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre, ut se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter omnia sufferre ex ipso etiam frontispicio doceant, & coronam vitæ æternæ, quam repromisit Dominus diligentibus se, se semper expectare, proque hujus perceptione & adversa mundi & se & prospera contemnere designent.* & notandum quod idem Amalarius lib. 1. cap. 5 dixerat, se ignorare quis fuerit primus inventor coronæ in Ecclesia, & solum scire quod ex consuetudine Ecclesiastica fuit introducta, quare lib. 4. cap. 39 cit. iterum de corona sermonem instituit, ut declaret ex Beda coronæ primum inventorem. quod infra in Appendice ad hanc sectionem latius enucleo.

Ex quo manifestum fit quod cum omnis Clericus fuit corona insignitus, nullusque qui Clericus non fuerit ultra cancellos, intra quos erat chorus, impune ingrederetur, nullus qui corona non esset condecoratus canere in choro poterat, totus hic discursus ex dictis tam in hac sectione quam in superioribus probatus est. erat enim tam inconcussum, quod nullus qui non esset è Clero intra cancellos, nedum intra chorum intrare poterat quod & Imperatoribus erat ita prohibitum quod Ambrosius dixerit, esse assentationem vel inscitiam asserere, ut asseruit canon. 56. in Trullo quem defendit Balsamon, quod Imperator posset esse intra cancellos, & juxta altare. unde Theodosius semel eruditus ab Ambrosio non intravit chorum etsi invitatus à Nectario Patriarcha, ajebat enim: *ægre didici quid inter Imperatorem intersit & Episcopum.* quare idem Theodosius constitutione sancivit, ut refert Baronius anno 431. *decet Regiæ Majestati ad sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedere; iis vero oblatis ad extimum communeque atrium mox se recipere, nec quicquam ex propinqua divinitate sibi arrogare.* hæc piissimus Imperator.

Sed ô tempora! ô mores! jam totus iste rigor religiosi cultus exolevit, nullumque quasi vestigium relictum, vel ob negligentiam Ecclesiasticorum, vel superbiam & insolentiam Laicorum, & abusum Regiæ potestatis, aut Civitatum insignium, quibus Episcopi resistere non valent; quare chorum & sanctuarium intrepide ingrediuntur, subsellia ibi collocant ubi aliquando Imperatores subsistere tremebant.

Verum advertere hîc licet, quod in quibusdam oppidis Hispaniæ propter Clericorum paucitatem, ne deficiat cantus in Ecclesia, introductum est, quod Laici uxorati cum superpelliceo chorum ingrediantur, & appellantur isti *coronati*; rursus in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus admittuntur aliqui musici insignes ad canendum voce aut instrumentis, etsi conjuncti sint matrimonio, ne decor & harmonia musica minuatur; quod hodie licite fieri, non dubito, & quod gaudeant privilegio fori, non secus ac familiares Episcopi. sunt enim addicti Ecclesiæ, & illius ministri, de coronatis tamen non ita. de quo alibi latius.

Clerici tamen Regulares & Religiosi alii choristæ chorum ingrediuntur, quia eo ipso quod habitum Religionis assumunt, tonsurati sunt & corona utuntur, qua constituuntur Religiosi Deo dicati, & antiquitus dicebatur *monachatus*, quo quis designabatur divino cultui in Religione. sic enim ait sanctus Ioannes Calabita apud Surium die 15 Ianuarii: *nostris legibus sancitum est, ut quilibet antequam externis militiæ Religiosæ signis, tonsura videlicet & habitu, ornetur, quadraginta dies ante fores monasterii in consideratione nostri instituti exigat.* hæc ille. quare Monachus tonsurabatur dum veste Monachali induebatur, non secus ac Laicus, dum dedicabatur Ecclesiæ, tonsurabatur & dicebatur Clericus; verum est quod tonsura Religiosa non est illa, quæ dicitur præambula & dispositio ad alios ordines: hæc enim debet ab Episcopo elargiri, ut supra dicebamus ex Divo Thoma.

SECTIO VLTIMA. *Non cessat chorus tempore pestis, nec publica Hymnodia.*

Tempus pestis quid sit, late dico in tomo de privilegiis fidelium tempore pestis, tract. 1 præambulo, resolutione ultima. in præsenti tamen intelligitur, quantum attinet ad propositum, per tempus pestis, tunc quando est declaratum à Magistratu ex Medicorum consultatione, esse contagium mortiferum, ex quo plures moriuntur quam sanant.

Igitur indubitanter tenendum, quod etiam tempore pestis & contagii mortiferi chorus non debet cessare, si subsint personæ, quæ in illo possunt celebrare mysteria & officia divina, imo potius in hac calamitate magis est insistendum misericordiæ divinæ, ut misereatur nostri in tempore tribulationis. ita Liborius Papa citatus à Guilielmo Durando lib. 6 Ration. c. 102. n. 4 statuit, *quod pro guerra, pro fame, & pestilentia, & hujusmodi adversitatibus imminentibus, semper Letania fiat.* quæ sanctissima consuetudo semper usque ad nostra secula fuit in viridi observantia, & quantum profuerit, experientia ipsa demonstrat. & quidem quanto malum pestilentiæ universalius & perniciosus est devastans totam gentem, eo magis orationes publicæ, Hymnodia & Letaniæ debent frequen-

frequentari, ita ut nullatenus à divinis precibus & orationibus publicis fiat cessatio, ut saltem propter importunitatem Deus misereatur nostri, concedat nobis salutem & redimat à malo & pestifero contagio, ut satis egregie exponit Rupertus Abbas lib. 9 de divinis officiis cap. 5. ubi, postquam dixit, Litanias majores esse institutas ad placandam pestilentiam inguinariam, quod ego manifeste infra ostendam, ait: *salutares & oportunæ traditiones eodem celebrantur officio, quo commonemur per Euangelicam similitudinem perseverare pulsantes ad ostium amici, scilicet Domini nostri Iesu Christi, cujus ostium jam clausum est, & pueri ejus cum ipso sunt in cubili.* & infra: *atque inde cantamus, exaudi vocem nostram; & confitemur Domino nimis in ore nostro, nimis, inquam, id est usque ad improbitatem, propter quam surgat amicus ille Euangelicus, & det amico suo panes quotquot habet necessarios. epistola (missæ) pulsantem ad amici januam competenter animat ad perseverantiam, de Helia proferens exemplum, ut argumentemur à simili, posse amicum vinci importunitate pulsandi. Nec desperet qui pulsat, eo quod sit peccator, & exemplum propositum sit de justo: peccatoribus enim propositum est,* &c. quare tempore contagii instanter, continue, perseveranter insistendum est orationi publicæ per Hymnodiam in choro, & Litaniis tam in choro quam extra in vicis & plateis, & habitu pœnitentium, ut antiquitus fiebat.

Vnde refert Paulus Diaconus montis Cassini Monachus in Historia Longobardorum lib. 3. cap. 25. alias 11. *quod tempore Pelagii Papæ tanta fuit inundatio aquarum per Italiam, quod aquæ ascenderent usque ad superiores fenestras templi Neronis, quod erat Romæ, nec aquæ intrabant templum. tunc per Tiberim affluxit multitudo serpentum, inter quos fuit maximus draco, ex quorum flatibus aër est corruptus, & inde emersit pestis inguinaria, qua homines passim & subito moriebantur, & cum pene totus Romanus populus deleretur, Pelagius Papa omnibus jejunium & processionem indixit, sed in ipsa processione ipse cum septuaginta aliis expiravit.* hæc ibi. Pelagio successit Gregorius Magnus, qui Litaniam majorem ubique terrarum servari præcepit. erat enim tam sæva pestis ista inguinaria, ut refert Durandus in ration. lib. 6. cap. 12, *quod cum aliquis sternutabat sæpe spiritum emittebat, & sic audiens statim occurrens dicebat Deus te adjuvet, & ab inde, ut dicunt, hæc consuetudo servatur, ut audiens aliquem sternutantem statim dicat Deus te adjuvet*: (quamvis Baronius tom. 7. Annal. anno Christi 590. & Pelagii Papæ anno 13. folio mihi 688. dicat: *quod hic est error vulgaris, nulla veterum testificatione jactatus. inolevit enim hic usus multo ante apud gentiles, ut constat ex Plinio lib. 28. quamvis isti Deum falsum invocant, nos Deum verum.* Sed non est cur hoc rejiciatur: quia tunc fideles possent hujusmodi usum in verum cultum assumere, sicut gentiles assumebant in superstitiosum & falsum) *rursus, ut refertur, cum aliquis oscitabat frequenter subito spiritum emittebat, unde cum aliquis se velle oscitare sentiebat, continuo signum crucis sibi imprimere festinabat.* quæ consuetudo similiter hodie servatur.

Sed elegantissime id præstat sanctus Gregorius Papa in quadam epistola, quam refert Amalarius lib. 4 de divinis officiis cap. 25. enarrans pestiferam luem, & quod hæc fuit causa præcipiendi septiformem Litaniam in Romana Curia: *oportet* (ait) *fratres charissimi, ut flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. conversionis nobis aditum dolor aperiat, ut nostri cordis duritiem ipsa jam quam patimur pœna dissolvat. ut enim Propheta teste prædictum est, pervenit gladius usque ad animam: ecce enim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singulis cæde vastantur, nec languor mortem prævenit; sed languoris moras, ut cernitis, mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur. pensate ergo qualis ante conspectum districti judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt.* & infra: *immmente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. ea autem quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, judicio veritatis placere poterit. Proinde fratres charissimi, contrito corde & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam, juxta distributionem inferius designatam, devota cum lachrymis mente veniamus.* & infra: *Litania Clericorum exeat ab Ecclesia sancti Joannis Baptistæ, Litania virorum ab Ecclesia sancti Martyris Marcelli, Litania Monachorum ab Ecclesia sanctorum Martyrum Joannis & Pauli, Litania Ancillarum Dei ab Ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani, Litaniæ fœminarum conjugatarum ab Ecclesia Beati Martyris Stephani, Litania viduarum ab Ecclesia sancti Martyris Vitalis. Litania pauperum & infantium ab Ecclesia Beatæ Martyris Cæciliæ.* hæc ibi. & propter has septem processiones dicitur septiformis Litania, quæ adeo fuit apud Deum efficax intercessio hæc publica (in qua præter sanctorum in auxilium invocationes, Hymnodia voce lugubri & tristi cantabatur) quod in ipsius processionis fine apparuit Angelus supra Castellum (quod hodie propter hanc visionem dicitur sancti Angeli) mittens gladium in vaginam; & sic cessavit pestifera ac crudelis vastatio. quod bene cecinit Baptista Mantuanus lib. 4 Fastorum:

It populus supplex longis per compita campis,
Mane, recens viridi dum ros in gramine lucet.
Protulit hunc morem olim, dum pestifer annus,
Mauritio Romam premeret sub Cæsare, Major
Gregorius, quando pansis apparuit alis
Angelus Augustæ super alta cacumina molis.

Quare hæc Litania *Gregoriana* dicitur vel *Romana*, in qua in signum mœroris ex tanta hominum strage, & etiam in signum pœnitentiæ homines nigris vestibus induebantur, & cruces & altaria nigris velis velabantur. unde quando lues cessat, in signum lætitiæ, & quod jam aër purificatur, eriguntur vexilla alba. Solet etiam, ut ait Durandus ubi supra, *in quibusdam Ecclesiis quidam draco cauda longa erecta & inflata duobus primis diebus ante crucem procedere; ultimo vero die quasi retro aspiciens cauda vacua atque depressa retro sequitur, quod fit in memoriam illius magni draconis qui inguinariam ante pestem halitu suo infecit aërem, ut vidimus ex Paulo Diacono.* qui draco inflatus erat & erectus primis diebus in quibus devastatus est populus Romanus, sed post Litaniam & Hymnodias Gregorianas depressus & humiliatus fuit, ut vadit tertio die. quantumcumque ergo draco pestifer grassetur in populum, non est deferenda publica Hymnodia in choro, in vicis, plateis, imo tunc magis instandum, quia importunitas solet veritatis placere judicio, sicut communiter placet.

Sic placuit tempore sancti Eutychii, ut refert Eustathius Presbyter in ejus vita: *ille enim tempore in quo tanta pestilentia viguit, quod nisi hic tanquam alter Phinees electus obstitisset, omne genus hominum atque omnis ætas interiisset. quomodo autem placatus est Deus? supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit. dum igitur supplicationes ad Christum Deum nostrum fierent, pepercit ille populo Angelumque cohibuit, qui civitatem sine intermissione percutiebat.*

Narrat etiam sanctus Gregorius Turon. lib. 4. Hist. cap. 5. quod cum eadem inguinaria Lues primam

tnam Germaniam devastaret, Rhemenses accepta palla de sancto Remigii sepulchro, accensisque super cruces cereis atque ceroferalibus, psallentes circuierint urbem cum vicis, addens, *magnum miraculum contigisse, quod cum post paucos dies Lues illa fines civitatis pervasisset, non fuit transgressa locum, quo cum sancti Remigii Palla cives processerant.* ita lib. de gloria Confessorum cap. 59. adeo potens est in hac calamitate Sanctorum intercessio, & Hymnodia cantata in Dei laudem & ipsorum honorem.

Quapropter satis bene Anacletus Siccus de sacra Hymnodia lib. 1. cap. 13. dixit: *si pestis exurgat quae devoret populos, nullum efficacius remedium opponi ab homine potest, quam fervens Ecclesiasticorum Hymnodia. Hæc pestilentiæ non solum obtundit, sed penitus aufert vim, quasi dixerim, inflexibilem. Hoc remedio usus est Hymnographus ipse tempore funestissimæ pestis, qua sublati fuerunt è vita septuaginta millia Israelitarum, Deum placavit: magna enim humilitate pronus in terra Hymnos arripiens, oravit. 2 Reg. 24. vers. 18.*

Hymnodiam quidem simul cum sacrificio esse efficacius remedium ad cohibendum pestiferum mortale contagium, manifeste nobis indixit Deus loco citato, nolens revelare Davidi pestem cessasse, quousque erecto altari in area Areunæ Iebusæi, ibi sacrificia tam holocaustorum, quam pacifica ad quæ assistebant cantores in Hymnis & Psalmis, offerret. unde egregie Abulensis ibi quæst. 43. *quod ideo voluit Deus placari per ista sacrificia oblata in area Areunæ, quia volebat Deus, quod in illa area constitueretur sibi templum, tempore Salomonis. ideo ut haberetur in magna reverentia, voluit Deus ex tunc honorare & approbare locum illum, cessando à plaga constructo ibi altari. Ad hoc enim à tempore Abraham destinatus fuit locus. ibi enim voluit sacrificare filium, & pro illo obtulit agnum inter vepres hærentem cornibus.* In templo autem Salomonis magis arrisit Deo sacrificium laudis & publica Psalmodia, quam alia ex animalibus, ut in superibus vidimus.

Psalmodia igitur publica in templo & choro nullatenus omittenda, imo potius majori ardore, & pœnitudinis signis replicanda incessanter, quantum fuerit permissum ab humana fragilitate & à personis, quæ vincentes naturalem mortis timorem, insistere valent divinæ misericordiæ cubili clauso propter delicta nostra, ut victo Deo importunitate, nostræ malum gentis avertat. quare nullatenus approbo quorundam recentiorum placitum (de quo in tomo 2. privilegiis fidelium tempore pestis) qui dicunt prohibendos esse conventus in Ecclesiis & processiones: in istis enim pestis crudescit magis. Fateor enim quod per contiguum halitum in his synaxibus magis aliquanto pestis augetur, sed si videamus antiquas Historias, hoc motivum parvi pensum est à Patribus, qui conventus magnos fecere, ut vociferantibus fidelibus divinam misericordiam, placaretur divina justitia & cohiberet gladium. sic Pelagius & alii septuaginta in ipsa processione mortui sunt, & non detinuit ejus successorem sanctum Gregorium ut septem faceret processiones ex omni ætate, statu & sexu; quibus compulsus Deus cohibuit iram, & invaginavit gladium. sic fecit sanctus Cardinalis Borromæus in peste sui temporis; sic fecit Hispalensis Ecclesia in Guinaria anni 1649. sic faciunt omnes Ecclesiæ. quare hoc prohibere pietate caret, cum in pestilentia remedia naturalia parum, aut nihil prosint: at divinæ populi frequentes acclamationes & Hymnorum vociferationes maxime. Vnde in hac civitate in Matrice Ecclesia, tempore crudelissimi contagii nunquam cessavit chorus. in civitate sunt plures Religiones, inter quas nostra etsi parva communitas nunquam à divinis laudibus diurnis pariter ac nocturnis cessavit, cum magna fidelium ædificatione.

Quamvis tamen in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus Hispaniæ sit statutum, aut consuetudo, ut possint abesse à choro eo ipso quod sit declaratum, esse tempus pestis, & sic lucrari majorem partem distributionum quotidianarum; tamen nunquam omittitur chorus, quia missis sortibus, tertia pars Clericorum habentium in Ecclesia præbendas remanet, ut offerant sacrificium laudis. Sic habet illustrissima Ecclesia Cordubensis & aliæ. sed ad quem pertineat declarare tempus esse pestis, in quo hæc verificentur, an ad capitulum, an ad solum Episcopum, existimo hoc pendere ex cujuslibet Ecclesiæ consuetudine. duo sunt certa: primum, quod eo ipso, quod Magistratus secularis declaret ex Medicorum consilio esse contagium, & pro pestiferis hospitale commune aperiat, sitque major pars morientium, quam sanantium ex tactu contagioso, quod tenetur declarare ille ad quem pertinet declaratio; alias si nollet, & illi fiat protestatio, possunt mitti sortes ut videatur qui remanere debent. secundum, quod de jure communi Canonicus absens occasione pestis non lucratur distributiones quotidianas, nisi pestis grassetur, & probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi dari consueverunt absentibus ex justa causa; quando autem dicatur pestis grassari, ut sit justa causa absentiæ, relinquendum est arbitrio Episcopi. Ita sacra congregatio in una Mediolan. 9 Novembris 1630. ut refert Ciarlinus in Controvers. Forens. cap. 16. num. 22. Aldana in Compendio lib. 1. tit. 8. num. 11. Barb. in collect. ad Concil. sessio. 24. cap. 12. num. 97. de quo latius loco citato.

Epilogus hujus Tractatus.

HVcusque per triginta tres Sectiones antiquitatem, utilitatem, necessitatem sacræ Hymnodiæ ab Ecclesiasticis personis in publico choro canendæ, vel publice recitandæ, deque ejus fructibus, & qualiter non evertat studia literarum ad proximorum profectum & Hæreticorum defectum, pro modulo nostro elucidavimus, contra Anonymum Zoilum chori, & alios, contra quos Leo Papa epist. 51 ad Anatolium Episcopum dicit: *quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur.* apud nos enim, ait Sozimus Papa, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.* nihil enim antiquius est in Ecclesia, quam chorus, in quo offertur Deo *sacrificium laudis*; & qui hunc spernunt Ecclesiæ antiquitatem parvi pendunt. Concludo igitur Hilarii verbis lib. 6 de Trinit. parum à medio: *quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum. Ignosce omnipotens Deus, quia in his non emendabor, etsi commori possim; tarde mihi hos piissimos, quantum ego arbitror, Doctores ætas nunc hujus seculi protulit; sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, Magistros.* Finitus est tractatus die sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, postquam sacris Ecclesiasticisque officiis in choro interfui.

DIGRES-

DIGRESSIO V.

Appendix ad Sectionem 32. Digressionis de choro.

De tonsuris & coronis Gentilitatis, Synagogæ, & Christianismi.

POstquam digressionem de choro Ecclesiastico perfeceram, & ibi Sectionem trigesimam secundam de tonsura & corona ad chorum antiquitus requisita pertractavi, ad manus meas pervenit opus Reverendissimi Patris Prosperi Stellarii, stellatum quidem varia antiquitatis lectura & eruditione, qua multis difficultatibus lumen effulsit, sed utinam omnibus faustum & felix, cum multis in umbra sit obortum, cum contra communem sensum. quare decrevi hanc lucernam elucubrare, ut melioris notitiæ lux appareat tonsuris & coronis Antiquorum, & corona Euangelica magis splendeat. multoties enim Stellarius crebro divinat, nec scopum attingit. indiget ergo ejus liber censorio judicio.

MEMBRVM I. *De tonsura atque corona (apud exteros) antiquitate.*

VArius fuit usus, variaque Religio circa tonsuram rasuramque tum capitis, tum barbæ apud exteras & Barbaras nationes. Prosper Stellarius l. 1. de coronis, & tonsuris, adnumerat plus quam viginti, sed critice, & sine Historiarum & Annalium notionibus, & sic fidem apud ipsius crisim repono. quare mihi magis arridet eruditissimus Lælius Bisciola, qui horarum succisivarum lib. 7, cap. 5. adnotat varios fuisse mores gentium circa barbam & comam tondendam, quos enumerat Alexander lib. 1 Genialium, cap. 16. & lib. 3, cap. 27. Cœlius Rodigin. lib. 7, cap. 13. Andreas Iunius lib. 2 de Coma.

Et quidem, ut nos etiam infra ex sacris scriptoribus adnotavimus, & mos est Hispanicus, detonsam barbam capillumque demissum signum mœroris, tristitiæ & luctus fuisse apud Ægyptios & Assyrios narrant Herodotus lib. 1. Diodorus lib. 2. c. 3 & 5. Strabo lib. 16. idem observabant Romani. ita Cicero 4 in Verrem, & libro de lege Agraria. Livius libro secundo, & sexto. Suetonius in Augusto cap. 23. quamvis apud Græcos signum fuerit mœstitiæ barbam & cæsariem præcidere. sic Achilles lib. 23. Iliad. in fune re Patrocli, ipsi devovens cæsariem quam nutrierat Spercheo amni, si rediisset in patriam.

Strabo lib. 15. narrat, Indos barba semper intonsa fuisse; Arabes Plutarchus in Theseo abrasa (silice acutissimo, quo vice novaculæ utebantur.) Hunc fuisse morem Siculorum, Dionysii, Syracusani factum indicat, qui, ut Cicero quinto Tusculanarum scribit, candentibus juglandium putaminibus barbam & capillum adurebat.

Græcos barbam nutrire observant pene omnes, nec tamen vera observatio est: Lacedæmonii enim Græci erant, barbam tamen ad cutem usque radebant, ut ait Plutarchus in Ægide, & libro de sera numinis vindicta, qui in libro Apophthegmat. (quem sequuntur Athenæus lib. 13. cap. 6. Chrysippus libro quarto de volupt.) dicit de Alexandro Magno, *quod barbam militibus suis totondit, ne prædæ hostili ansam darent.* Longobardi à multis sic cognominati à *longa barba* quam nutriebant. signum maximi amoris ducebant barbam apud aliquem deponere, sicut de coma & cæsarie dicam Memb. 4. & Philosophi ex barba compta & pallio, ut signo suæ sophiæ, gloriabantur. Vnde Persius Satyra 1. joco dixit:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Et Sidonius:

Quæ Cynici per menta feri rugosaque colla
Rupit odoratam redolens forfice barbam.

Quam nutriebant nimia diligentia unguentis & pretiosis aromatibus. unde Horatius lib. 2, Sat. 3.

Solatus jussit sapientem pascere barbam.

Quod & sacerdotibus veteris legis licuit ut dicitur Psalmus 133, *sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron.* ab horum autem hominum, qui Philosophos affectant contubernio monet Hieronymus virginem Eustochium abstinere: *quorum fœminei sunt crines, hircorum barba, nigrum pallium, &c.* Sed sunt multi, qui barba rasa & tonsis crinibus aliisque astutiis Philosophos simulant & seducunt. sed in barbatos facete Poëta Græcus lusit:

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat,
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Notat Rodiginius lib. 13. cap. 2. lect. Antiquit. quod primus qui barbam rasit Corson fuit appellatus. quod desumpsit ex Athenæo, & iste ex Eustath. lib. 21. Vlyx. ubi ficto nomine primum, qui barbæ rasuram invenit, κόρσην appellat, quod dimanat à verbo κείρομαι, quod significat tondeor, erador, corrador, & κόρση, totum caput rasum significat κόρσις tonsuram, κορσωτὴρ tonsorem, κυρὶς vero novaculam, aut aliud simile instrumentum ad rasuram aptum. quare Corson fictum nomen fuit, non proprium alicujus hominis, nisi qui primo invenit artem tondendi, & novaculum ad radendum pilos, ob officio nomen acceperit, quod non est impervium. igitur κείρειν proprie scindere comam aut capillum designat, ut vult Plutarchus lib. de prudentia animalium: non enim κείρειν à κέρας dimanat, quod apud Visciolam num. 74. non significat comam, sed cornu, nisi velis deducere etymon juxta antiquorum usum, qui in capite capillos in modum cornu colligebant, in quibus ad immortalitatem denotandum Athenienses Cicadas inibi implicabant. unde Aristophanes *in Equitibus* eos *cicadiferos* nominat. & *in Nubibus*, *antiqua sane & cana Iovis tempora cicadarum plenissima* dicit, quas non solum fœminæ ponebant, sed etiam mares. Legatur Bisciola tom. 2. lib. 12 horarum, capite septimo. de quo usu capillos innodandi ad modum cornu Iuvenalis Satyr. 17.

— Et madido torquentem cornua cirro.

de quo antiquo more scripsit Iacobus Manonius lib. 1 defensionis pro Dante, cap. 3.

Notant auctores graves Michonios tam viros, quam mulieres verticem detondere in modum nostræ clericalis coronæ, ut capillo sic raso & tonso capite glabriores appareant. hinc Michonius accipitur pro calvo, eo quod Michonii isti habitantes unam ex insulis Cycladibus, vel radunt caput ut calvi videantur, vel quia gignuntur sine pilis capitis, ut vult Plinius lib. 11, cap. 37.

Turci etiam & fere Mahumetani omnes caput tondent tam seculares, etsi aliqui parum capillorum in coronide relinquant (de quo genere caput radendi mentionem facit Lucianus in convivio & in epistola ad Saturn. ubi introducit quemdam deformem deraso capite, pauculos capillos in vertice gestantem

ſtantem erectos in modum criſtæ) quam apud ipſos variæ pſeudoreligioſorum ſectæ, ut adnotat Nicolaus Nicolai lib. navigationis & peregrinationis Turcicæ, à cap. 15. ubi de eorum habitu, moribus, circumcellionatu, per totam pene Aſiam, Ægyptum & Indiam Orientalem, capite raſo peregrinantes, & cantantes *euohe*, quoad Venerem demulcent audientium aures. & iſte eſt primus ordo, primaque Religio *Gromailariorum*.

Secundus eſt ex oppoſito dictus *Calenderiorum*, quorum ſequaces votivæ caſtitatis navant diligentiſſimam extraordinariis mediis executam caſtimoniam, adeo quod ex penula & virili membro circulum non parvi ponderis transfixum habeant, ut velint nolint continentes ſint. caput & mentum omnino abradunt; pileum non admodum diſſimilem Græcorum ſacerdotum fere portant, procedunt etiam vicatim ipſorum chori, cantantes Odas, quas primus ejus fundator illos edocuit, & ſcriptas reliquit.

Tertius eſt eorum, qui dicuntur *Dervisii*: hi enim capite barbaque omnino abraſi deglabrati ſanctitatis opinionem venantur. ſunt etiam Circumcelliones vagi & peregrinantes per totum orientem, habent ſua monaſteria, ſuoſque Abbates, capitula in quibus de recto eorum tractatur regimine, dum cœnobia inhabitant ſuas Odas & Hymnos communiter canunt.

De Mexicanis Religioſis tam viris, quam fœminis late & erudite Ioſephus Acoſta lib. 5 de Hiſtoria Indica cap. 16. narrat inibi eſſe monaſteria dicata cuidam idolo, unum virorum, alterum virginum; illi habent caput in coronam tonſum, crinis paulo longior qui collateraliter aures medias attingeret; forſan ad modum Sacerdotum ordinum militarium, & ut coronam deſcribit Abulenſis adducendus memb. ultimo; veſtis eorum linea & candida, exurgunt media nocte, & in templo comparentes, buccinas & cornua inflabant, quibus cives excitarentur in laudes idoli; & peracto nocturno officio ſacrificabant; in pœnitentiam novaculis ſibi ſanguinem eliciebant, ſicut & noſtri Religioſi ſanctiores id faciunt aliis inſtrumentis. Virgines etiam Peruanæ, quarum ibi maxima & plura Monaſteria, ſtatim in ingreſſu crines tollunt, caput radentes, quod reiterant creſcentibus capillis, iſti enim non decent virginibus vitam pœnitentem profitentibus: exornatio enim capillamenti indecens eſt illis, ſicut decens virginibus ſeculi. de hoc pulchre Petronius Arbiter:

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidere capilli,
Vernanteſque comas triſtis abegit hyems.
Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura Deum, quæ prima dediſti
Ætati noſtræ gaudia, prima rapis!
Infelix modo crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & ſorore Phœbi;
At nunc levior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis & times puellas,
Vt mortem, citius venire credas
Scito jam capitis periiſſe partem.

Hæc Petronius ſatis egregie, indicans quantæ ſit mortificationis, quantumque Deo offerant ſacræ virgines, dum incomatæ incedunt.

Ex dictis ſatis liquet, quanta ſit tonſuræ & raſuræ antiquitas apud exteras nationes; ſiquidem nullus fuit Diis dicatus homo, vir aut fœmina non tonſurata vel in parte, vel in totum. colligitur etiam, quam antiquus fuerit religioſarum cantus Odarum & Hymnorum in laudem illius, quem Deum putabant. huic enim *laudes ſacrificium* publice offerebant, ut vidimus.

MEMBRVM II. *De Romanorum tonſura.*

ROmani capite intonſi irraſique fuere. Ovidius lib. 2 Faſtorum:

Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

& Iuvenalis Satyra 4.

Facile eſt barbato imponere Regi.

& Satyra 5.

Ipſe capillato diffuſum conſule potat.

& Lucanus lib. 1.

Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos.
Paſſus erat, mœſtamque genis ſuccreſcere barbam.

Quare teſte Livio lib. 5 in bello Gallico, Romanos barbatos fuiſſe conſtat; ſed quo tempore radi & tonderi cœpere? Titus Livius lib. 6, anno 369 ab V. C. ubi de Manlio Capitolino ſolito ſibi radere barbam, ſed rejicitur à Varrone lib. 2 de re ruſt. cap. 11. & Plinio lib. 7, cap. 39. his verbis: *In Italiam ex Sicilia venere tonſores, poſt Romam conditam anno 454. adducente P. Licinio Mena, ut auctor eſt Varro. antea intonſi fuere.*

Poſt hoc vero tempus ſenes barbam non nutriebant, ipſam radentes aut tondentes. Iuvenes vero tondebant; hinc Cicero lib. 1 ad Atticum, epiſtola 11 & 13. *Concurſum juvenum barbatulorum*, irriſorie dicit. ſed quanto tempore barba tonſa aut raſa juvenibus, variant ſcriptores: quidam uſque ad 20. Suetonius de Caligula cap. 10. alii uſque ad 21. Macrobius lib. 1 de ſomnio Scipion. cap. 6. alii uſque ad 25 Dio de Octavio Cæſare. Imperatores tamen uſque ad Adrianum barbam radebant. Commodus vero non ſe credens tonſoribus, ſibi ipſi candente carbone juglandium putaminibus barbam adurebat, quem imitabantur Dionyſius Tyrannus, Lucius Verus, Galienus, & alii Principes.

Sed quanto temporis intervallo raſuræ barbæ uſus extitit? ad Gothorum imperiumve uſque in Italia duravit, ita ut tunc temporis prodigii loco haberetur hominem Italum barbam nutrire ſicut Gothi nutriebant, ut Ennocius Turonenſis in Iovinianum apologetico, verſibus non inelegantibus cecinit:

Romuleam gentem vox oris nubila fuſcat,
Oppreſſit veſtes tenebroſi tegmine vultus.

Et ante dixerat:

Barbaricam faciem Romanos ſumere cultus,
Miror.

Et infra:

Nobilibus collis genium male compta lacerna,
Diſcordes miſcens inimico fœdere proles.

Romanos ſcilicet & Italos, qui barbam radebant, Gothis, qui incultam ac intonſam geſtabant. quare iſta Romanis lacerna erat.

Vſus tamen novaculæ, qua barbæ raduntur & pili. jam apud omnes fere nationes, quæ politia utuntur, invaluit, etſi barbam quæ à mento pendet, multi nutriant; tamen fere omnes genas radunt non ſolum viri, imo etiam fœminæ, ut terſam & ſplendentem habeant faciem; id quod Romani lege duodecim Tabularum rigide fœminis prohibebant, ut ait Plinius lib. 11. cap. 37, aliquantulum poſt principium ibi: *infra oculos malæ homini tantum, quas priſci genas vocabant. duodecim Tabularum interdicto radi fœminis eas vetantes. Pudoris hæc ſedes, ibi maxime oſtenditur rubor à fœminis.* in qua verba Iacobus Alencampius Medicus eruditus, litera FF. ſic loquitur: *Feſto, fidicines,*

cines, rasores veteribus dicti, quod fides radant vel obterant. Ne vel illæ igitur in se raderent, quod decoris affectatione fieri solet à quibusdam, vel ne in viris raderent. Tonsores enim ante annum ab Vrbe condita 454 in Italia non fuisse Auctor scribit cap. 59. lib. 8. *lex illa fuit decemviralis, mulieres genas ne radunto.* hæc ille. ubi clare habetur consuetudo, qua hodie mulieres tonstrices utuntur, radendi lanuginem faciei fœminarum filo, fidibus, aut alio simili: & eo forsan utebantur Romani ad radendam faciem à pilis teneris exeuntibus in juvenibus; partes autem pilosas secretas utriusque sexus, si non fidibus, forsan quodam caustici genere tergebant.

Sed de modis pilos radendi audi Pamelium ad librum de Pallio, numero sexagesimo secundo, ad illa verba Tertulliani, *Asiæ munditiæ exoticæ*, sive (ut unus Vaticanus codex) *Xysticæ, ut alludat ad gladiatores, qui etiam totum corpus radebant, nam Suetonius in Augusto capite quadragesimo septimo, Xysticorum concertationes gladiatorias vocat.* & infra: *habet Iunius Comm. de Coma, capite secundo: senos fuisse observatos ab antiquis modos, quibus crinium silvam tollerent. nam aut tundebant forficula, aut radebant novacula, aut deglabratoriis medicamentis stringebant, aut pice resinave stipabant, aut denique volsellis eradicabant.* hæc ibi.

MEMBRVM III. *Noxii & Rei apud Romanos barba & capite rasi, ubi de beato Ioanne Euangelista raso, & misso in dolium an solium ferventis olei?*

PRima pars certa ex Cicerone orat. pro Roscio comœdo: *nonne ipsum caput abrasum & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, clamare calamitatem videntur.* & infra aliquantulum: *qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne unum pilum viri boni habere dicitur.* Apollonius etiam insignis Philosophus, coma barbaque contemptus causa jussu Domitiani rasus fuit, quo nihil indignius homini Philosopho accidere potuit. satis concinnè Horatius lib. 1. Satyra 3. in Damasippum Stoicum Philosopum imprecatur:

—Dii te Damasippe, Deæque
Verum ob consilium donent tonsore. —

Sed Divus Cyprianus epistola 77 Felici & cæteris fratribus in metallo constitutis Martyribus, num. 15. agens de ignominiis & injuriis, quas patiebantur Christiani ad metalla damnati, ait: *semitonsi capitis capillus horrescit. sed cum sit viri caput Christus, qualecumque illud caput deceat, necesse est, quod ob Domini nomen insigne est.* ad quæ verba Pamelius: *ita olim tundebantur servi ad metalla damnati.* sic 2 Reg. cap. 20. num. 9 legitur: *Hanon filius Naas Rex Ammonitarum rasisse dimidiam partem Nunciorum David*; quæ erat magna ignominia: nam si totam barbam rasisset, quamvis istud inhonestum esset, tamen deformiores erant dimidia parte barbæ rasæ. & sic addit textus: *erant viri confusi turpiter valde*, id est, *erat magnum dedecus quod sustinebant, maxime inter Hebræos, inter quos erant: nam inter Ammonitas non erat valde magnum vituperium*, ait Abulensis ibi. sed fallitur: nam radi dimidia barba, sicut dimidio capite, apud omnes valde ignominiosum est, cum sit signum magni vilipendii personæ sic tonsæ.

Sicut & in sceleratis & noxiis, toto capite radi. sic statuit Carolus Magnus lib. 3. suarum legum art. 9. & lib. 4. art. 17. sic etiam tam Gallia, quam Hispania damnati ad Triremes barbam & caput omnino radunt; & alii Principes absoluti, qui Triremes in mari Mediterraneo possident, ut Respublica Genuensis, Dux Etruriæ, Equites S. Ioannis, & alii, nisi remiges conductitii sint. sed de his alii, & nos iterum infra de damnatis ad metalla.

Ad secundam partem venio, de Beato Ioanne Euangelista, qui, cum Asiæ Ecclesias regeret, jussu Domitiani ab Epheso vinctus Romam perductus, judicante Senatu in dolium ferventis olei missus, à quo purior & vegetior exiit, quam intravit; quo viso miraculo jubente Domitiano capite & barba tonsis, quorum capilli pulchri valde, candidi ætatis provectu, & sicut elatæ palmarum. Baronius anno Christi 92, num. 2. censurans librum pseudo Prochori, in quibus scilicet rebus illis relationi sit fides adhibenda, & in quibus ut Apocryphus habendus, sic loquitur: *inter alia ab eodem Auctore relata verum esse illud credimus, quod ait, jussum esse à Domitiano Ioannem ignominiæ causa tonderi. sed & illa certa veraque esse noscuntur, quæ idem Auctor scribit, Ioannem missum esse in ferventis olei dolium, sive potius solium; nam ejusdem veritatis gravissimi sunt adstipulatores.* hæc Cardinalis.

Cæterum Prosper Stellarius lib. 1 de coronis, capite undecimo, in ea criticorum opinione est, sanctum Ioannem non immissum in *dolium* olei ferventis, sed in *solium*, quod præter sedem Regiam aut Pontificiam, alias habet usitatas notiones: aut vas salignum aut abiegnum & utimur ad oleum & alios liquores transferendos, & ad pannos lineos cum lixivio calido & cinere emaculandos, forsan apud nos *Artesa*, aut vas ad balnea deputatum. de quo Martialis:

Non vis in solio prius lavari?

Et Suetonius in Augusto, qui balnea assumebat ex marinis calidis, ait, *insidens ligneo solio.* quo vase ad balnea domestica usi sunt, in quibus est sedile. & in hujusmodi ligneo *solio*, ait Stellarius, pleno ferventi oleo immissus est Beatus Ioannes.

Sed Stellarius toto cœlo aberrat, & contra omnem antiquitatem Ecclesiasticam; imprimis Martyrologium Romanum Baronii, approbatum à tota Ecclesia, *dolium* ponit, non *solium*. Ecclesia etiam in officio hujus festivitatis idem facit. sed totam historiam comprehendunt antiqui versus inscripti in parietibus sacelli, collocati in loco martyrii ante portam latinam Romæ. & primo ipse sanctus immissus in tormento depingitur, cum hac inscriptione: *Ioannes Christi Apostolus, Euangelista, Propheta & Martyr è dolio ferventis olei vegetior exivit.* & in opposito muro hæc sunt carmina:

Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruorque capilli
Quæ consecrantur inclyta Roma tibi.

Hæc ergo certa sententia. valeat ergo *solium* Stellarii sine fundamine inductum.

Igitur miraculo liberatus Virgo & Martyr Euangelista à morte ferventis olei, in Pathmos insulam relegatur tonsus, vel, si mavis, semitonsus, quia, ut constat ex Cypriano epistola 77 citata, Christiani semitonsi majoris ignominiæ & ludibrii ergo ad fodinas metallicas deportabantur. Igitur in Pathmos exul Beatus Ioannes in medio captivorum constitutus, postquam ad instructionem & Asianorum Euangelium constitutus, visionis vidit Apocalypseos, ut est communis Patrum sententia: quamvis, ut ego existimo, & innuit satis Ecclesia, dum *supra pectus Domini in cœna recubuit fluenta Euangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, ibique revelata sunt ei secreta cœlestia*, & sibi data scientia infusa per sermonem prævidit Apocalypsim, ebibitque omnia mysteria in ea con-

ea contenta, quæ postea suo ordine eructavit, primo Euangelium, deinde revelationes Apocalypseos, Angelo juvante & ostendente visione imaginaria formas, quibus eas enodabat, quas ipse ante perfectissimo genere Prophetiæ sine talibus formis scientia per se infusa agnoverat. Hæc est mea in Beatum Ioannem Euangelistam veneratio, devotio, contemplatio.

MEMBRUM IV. *De servitute Romana, de servorum tesseris & notis, ustione, rasura, annulatione; & sancto Paulo stigmatizato.*

MIsera fuit apud omnes gentes servitutis conditio, & apud Romanos valde dura, apud Turcas durissima & miserrima omnino sine pietate & misericordia. de qua multi sunt in nostra Hispania, qui redempti, tanquam oculares testes, mira & incredibilia narrant; sed de his redemptores dicant, ut moveant fideles ad eleemosynas elargiendas. unum dicam, quod bene notat Garibay de Regibus Arragoniæ cap. 29. & ex ipso Stellarius lib. 3. cap. 9. *ad redemptionem captivorum per ordinem SS. Trinitatis, & Beatæ Mariæ, de mercede in omnibus annis colliguntur & impenduntur tam Hispanis, quam Italis centum circiter & quinquaginta aureorum millia. ex Anglia, Francia, Polonia, Hungaria, Germania & Belgio, à memoria hominum nullus per eleemosynam liberatus est. quo fit, ut tales fere in hanc miseriarum vallem detrusi impotentes consilii & spe destituti ejurent religionem cum ingenti Christianorum damno, Nationis & Principum in ea dominantium dedecore.* hactenus Stellarius. O mira Catholicorum Regum Religio! misericordia! compassio!

Sed de Romanorum servis tractat præsens disquisitio. servitutis onera valde gravia & humanæ libertati importabilia, ut ait Philo lib. quod omnis probus sit liber. origo tamen servorum, ut ait August. lib. 19 de Civitate, *inde creditur deducta: hi qui jure belli possent occidi à victoribus conservabantur & servi fiebant*, à servando appellati. quod confirmat Iurisconsultus lege 3 & 4. D. de statu hominum. quare vita donata omnia onera illius loco ipsis Domini imponebant, utpote vita omnibus rebus pretiosior. quare Romani, etsi alias non crudeles in servos, tamen legibus suis valde extitere terribiles, sibi ipsis illos subjiciendo, ita ut proverbium, *non est otium*, in servis illis verificaretur, &, ut dicit Aristoteles, lib. 7 Polit. cap. 15. *nec auribus scalpendis superfit locus:* unde contra servos tam urbanos quam rusticos plura statuta sunt in libris Digestorum & Codicis utriusque. 1. nunquam obligabatur civis servo; nec isti actionem etiam naturalem contra debitorem concedebant, lege 32. D. de origine juris. unde nec servus proprie debet, nec illi debetur. lege si uxor. 16. §. 2. D. de fidejussoribus. & in judicio personam non habent lege unica. C. si per vim Cassiodorus lib. 6. epistola 8. 2. Servis nuptæ propriæ non permittebantur. ita Tacitus libro 3. appellans conjugium servorum, *contubernium servile*. 3. nullum privatæ sepulturæ habebant jus, sed loco publico sepeliebantur, quoniam servi monumenta non possident, sed liberi. Athenienses tamen, quia pro patria pugnavere, honorem sepulturæ servis communicarunt. 4. servi item & libertini, nisi manumissi, tribuum Romæ capaces non erant. lege Patronus. D. de legat. 3. ubi Accursius plura de servorum vilipendio congerit. illis enim nominum ablata libertas, & uno tantum nomine vocabantur, agnomine seu cognomine, & prænomine carentes Quintilianus lib. 7. cap. 3. Alexand. lib. 5 Genial. cap. 4. annulum enim ferreum gestabant, aureum nequibant. unde Vlpianus passim declarat, servos neque testamenti faciendi, neque connubii, neque patriæ potestatis, neque tutelæ recipiendæ jus aliquod habere. si peccabant, atrocius quam liberi puniebantur. & lege 2. D. ad legem Aquilii, quadrupedi servus comparatur, imo Vlpianus servitutem mortalitati fere comparat.

Quamvis enim antiquitus plures essent servitutis formæ, ut constat ex leg. Et servorum. D. de statu hominum. nam domini alios habebant in pleno dominio, alios in semipleno, alios in nudo jure, id est, sine aliqua utilitate, instar libertatis. cujus etiam erat triplex forma, ut constat ex Institut. de libertinis. sed post Iustinianus Imperator leg. 1. C. de nudo jure. Quiri. tollen. sustulit hoc inane nomen servitutis, quod jus Quiritum dicebatur. & sic novo jure nulla est servorum differentia, sed eodem jure omnes tenentur, quoad eorum statum, quia unus non est alio magis servus; sed hodie, ex Novella 78 Authenti. Sed hodie. C. de jure aur. annull. nulla est liberorum differentia, sed omnes sunt ingenui, nulli sunt libertini. quæ omnia adnotat Misingerus Instit. de jure personarum. §. in servorum. quorum si urbani essent, varia numerat officia: nam alii erant ordinarii, alii vicarii, leg. si servus. D. de pecul. alii atrienses, alii medastini, alii veteratores, lege præcipiunt 37. D. de ædilitio edicto. alii erant monetarii, publicis vectigalibus præpositi; supellecticari, qui supellectilem curant, & faciunt; topari ab opere topiario, quo exercebantur leg. instrumento. D. de suppellect. lega. servi ad pedes, qui Græcis dicebantur ἀνδρόποδα, qui ad dominorum cœnantium pedes adstabant ad sumendas & ponendas soleas. Senec lib. 3 de benef. cap. 27. & de quodam domino ebrio facete Martialis lib. 12. epigram. 89.

Bis Cotta soleas se perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedem servum.

Has omnes servorum ærumnas, incommoda, atque vituperia una superabat capitis rasio aut integra, aut semis, & in rusticis catenatio pedum: erat enim magna ignominia, quod tum ex prophanis, tum ex sacris deduco. Nomine tamen servorum intelligo vel captos jure belli; vel damnatos ad opus publicum, qui eo ipso jure antiquo Romanorum servi efficiebantur, quamvis hodie qui damnantur ad metalla effodienda, vel opus publicum aliquod, non eo ipso efficiantur servi, imo liberi manent ex Novella 22. §. illud. Authent. sed hodie. C. de donat. inter virum & uxorem. corrigiturque §. de maxima. instit. de capitis diminut. & adnotavit Bartholus leg. qui uti. D. de pœnis.

Circa quod, antequam ad probationes deveniam, placuit afferre verba Cardinalis Baronii in Martyrologio die 16 Februarii. ubi litera F. sic loquitur: *Differentiam ponit Iurisconsultus, leg. aut damnum. D. de pœnis. inter damnatos ad metalla, & ad opus metalli: gravioribus enim premebantur vinculis qui ad metalla damnati erant. damnabantur Christiani etiam ad alia opera publica, ut ad fodiendam arenam, ad lapidicinas & alia, ut eorum acta testantur. illa autem pœna immunes fuisse videntur quæ dicebatur ad ludum de qua Vlpianus ubi supra. §. qui ad ludum, & Paulus lib. sentent. tit. 17. & leg. 2. de abolitio. C. Theodos. id enim accidisse arbitror non humanitate gentilium. sed potius verecundia Christianorum, qui mallent quæque supplicia perpeti duriora, quam inter gladiatores, ferarum venatores, Comœdos & Tragicos, & saltatores in Theatro connumerari, nec*

ea agere, quæ vel expectare tum Christianis erant interdicta, ut Cyprianus de spectaculis, cum alioqui sicut fœminas ad lenones, ita Christianos ad ludum fuisse damnatos, apparet ex Clemente lib. 5 constitut. cap. 1, ubi hæc verba: si quis Christianus propter nomen Christi, & charitatem erga Deum, ac fidem, ab impiis ad ludum, aut ad bestias, aut ad metallum fuerit damnatus, &c. *Vetuit postmodum Valentinianus Imperator ullum Christianorum ob quodvis facinorosum delictum ad ludum damnari leg. 8. de pœnis C. Theodos.*

His positis omnes Romanorum servos capite rasos incessisse, sive totum, sive semis, constat; horum autem servorum insignia graphice descripsit Apulejus lib. 9, postquam de vili vestitu dorsoque plagoso ex verberibus fecit sermonem, sic fatur: *frontes literati, capillum semirasi, & pedes annulati.* Quæ tria insignia ex aliis humanitatis auctoribus sic enucleo.

Frontes literati: mos enim fuit Romanis frontes & faciem servorum literis ferro ardenti & atramento indelebili stigmatizare, prius literam K. inurendo, post aliis literis. Plautus in Casina, servus conservo convitium facit dicens:

Si hic literatus me sinat.

Petronius *implevit* (inquit) *Eumolpus frontem utrisque in gentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Seneca de Beneficiis lib. 4, cap. 8, *Improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hospitem testantia.* quasi velit Seneca, quod ista propter ingratitudinem fieret servus stigmatizatus. Zonaras tom. 3, de Theophilo Imperatore loquens, dicit, *quod duos monachos ipsum liberius monentes, facies eorum compunxit, & notis illis hos jambicos versus atramento infuso expressit.* existimo tamen contra Stellarium lib. 1 de coronis, cap. 14. nunquam hanc literarum in facie stigmazationem factam fuisse sine ferro candenti, & atramento aut nigro, aut cæruleo, ut hodie in Hispania fit servis mancipiis Mahumetanis. sic enim sine ferro fieret inscriptio, parum duraret, & si atramento solo, facile ablueretur. unde egregie Valerius (ait) *servus inexpiabili literarum nota per summam oris contumeliam inustus.* recte quidem *inexpiabilem*, dicit: quamvis enim dicat Scribonius Largus cap. 231, *quod Calvisius literaturam istam stigmatizatam uno medicamento obliterarit*: fateor literas abradi posse, at cicatrices manent infusæ, ita tenaciter inhæsit atramentum igne faciei applicatum.

Hinc est quod servi inscripti dicerentur. Martialis:

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Et Ausonius:

Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu.

Hinc est, quod ergastula (quid sit ergastulum proprie Memb. sequenti) dicuntur *inscripta*. Iuvenalis:

Quem mire afficiunt inscripta ergastula.

Quia ibi continebantur servi in facie & frontibus inscripti. hoc autem stigmatisma non solum Romanis fuit in usu, sed Hispanis etiam, in quibus usque hodie perseverat in tonsis & rasis capitibus servorum mancipiorum. fuit etiam Samiis, qui Atheniensium captivis *noctuam* inurebant. Athenienses tamen Samiis vicissim stigma imprimebant *samæam*, quæ est navis genus. Verum Plato lib. 8 de legibus homini sacrilego fronte & manibus inurit crimen, & extra fines patrios extorrem facit.

Hinc venit sanctus Paulus stigmatizatus enucleandus, ad Galatas enim 6. vers. 17. postquam sequentibus Euangelium benedixit, dicit: *de cætero nemo mihi molestus sit. ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, id est, nemo Iudæorum me molestet & inquietet, rogando an servus sim Christi, an Moysis; nam cujus sim servus, patet ex stigmate meo: ego stigma circumcisionis non fero, uti faciunt servi legis, sed Christi stigmate. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Haymo, Anselmus, Divus Thomas, Sedulius, Euthalius Diaconus, Ioannes Agnæus ibi. Thomas Masutius lib. 13 de Vita sancti Pauli, capite tertio.

Sed qualia hæc stigmata fuerunt, quibus se Paulus servum Christi esse ostentabat? non defuit qui assereraret stigmata Christi impressa Beato Paulo sicut impressit Seraphico Beato Francisco, & Ministerio Angelorum multis aliis: ut Beatæ Catharinæ Senensi; sanctæ Christinæ: ut Dionysius Michelius Carthusianus sermone 6 de sacra Eucharistia; Beatæ Ludevinæ, ut refert Brugmannus Minorita lib. 3. cap. 3. vitæ ipsius; sanctæ Gertrudis, ita Surius tom. 7. die 6. Ioann. & Blosius idem affirmat de sancta Elisabet Spalbebec, & Seraphinus Caballi, Magister generalis ordinis Prædicatorum, in opusculo in laudem Beatæ Stephanæ; & multi alii sancti hoc privilegio & tessera servitutis Christi fuerunt insigniti. quid ergo mirum, quod Paulus, qui ardentissimo amore Christum diligebat & in ipso transformatus dicebat, *vivo jam non ego; vivit autem in me Christus*, stigmatibus Christi fuerit inustus & ornatus, ita ut cicatrices in pedibus, manibus & latere perseverarent.

Sed verior est communisque Patrum & expositorum, quos dedi, sententia, per stigmata intelligi cicatrices verberum, plagarum, catenarum, quas pro Christi nomine fuit passus; eleganter Haymo Episcopus Alberstatensis in Saxonia, qui ab hinc trecentis annis & plus vixit, sagacissimus sacrarum Scripturarum indagator, sic fatur: *stigmata sunt notæ servilium pœnarum, quibus solent servi fugitivi vinciri, comprehensi à dominis suis. & Beatus Apostolus stigmata sive notas ferebat, quæ pro Christo sustinuerat, quia adhuc plagæ Virgarum & lacerationum in corpore ejus apparebant, & quomodo catenis fuerat adstrictus & per plateas tractus*, &c. hæc ibi. similia habet Euthalius. his accedit, quod nulla antiqua pictura Apostoli ipsum stigmatizatum ostendit, sicut Beati Francisci & sanctæ Catharinæ Senensis, hæc ex speciali bulla Pontificia.

Paulus ergo solum stigmatizatus, ut servus Christi, cicatricibus plagarum, annulatus tamen catenis & forsan semirasus, etsi de hoc ultimo nullum vidi; quamvis Chrysostomus homilia secunda de laudibus Pauli dicat, *missum fuisse ad bestias & cum eis pugnasse.* & sic fuit damnatus ad ludum, & per consequens, aut *rasus*, aut *semirasus.*

Capillorum semitonsio. hæc secunda servorum nota quam posuit Apulejus. & quidem servi urbani toto capite rasi erant; ergastularii semirasi. de prioribus Iuvenalis satyra 5,

——— Omnia ferre
Si potes & debes, pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati. ———

Plautus in Amphitryone scena 1, ubi servus sic loquitur:

Vt ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

De semiraso extant plura, quæ radendi forma in signum majoris ignominiæ & pœnæ propria erat rusticorum servorum, ad ergastula damnationem. Artemidorus lib. 1 de insomniis cap. 22, *utram autem partem capitis nudam sibi habere visus, si parum meminis damnabitur ad opus publicum: nam & hoc istis damnatis insigne est.* & quidem hæc semirasio capitis major ignominia, & majus erat vituperium, ut supra vide-

vidimus ex 2 Reg. cap. 10. cum Abulensi quem sanctis Martyribus ad metalla damnatis Tyranni imponebant, ut ex Cypriano epist. 77. agnovimus.

Et quidem hæc pœna, capitis rasio, non solum viris, sed etiam fœminis Christianis imponebatur. sic de sancta Fausta narrant tabulæ Ecclesiast. 20 Septembris, *ab Evelasio Idolorum Sacerdote decalvata & ad turpitudinem rasa, suspensa & torta est*; mulieri autem, quam turpe & ignominiosum sit apud gentiles capillis radi, nullus est qui ignoret. pulchre id expressit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11, ut supra enodavimus, & infra amplius enodabo. & facete Apulejus lib. 2 de asino aureo: *Tanta est* (inquit, in fœmina) *capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.* Cyprianus lib. de Idolorum vanitate num. 37, *est & Venus calva, multo hîc turpior quam apud Homerum vulnerata.* quem locum satis docte enucleat eruditissimus Pamelius. de hujus supplicii genere legendus Baronius in notis ad diem 20 Septembris, ubi monstrat etiam aliquandiu apud Christianos Francos perseverasse supplicium hoc muliebre. explicat etiam canon. 17 Concilii Gangren. confirmatum à Symmacho Papa, cujus jussu illi præfuit Osius Cordubensis, latusque fuit in mulieres hæreticas, quæ viros suos deserentes capita tondebant, radebantve.

Quod autem servi libertate donati raso essent capite, sed pileo cooperto, optime monstrat Stellarius lib. de coronis c. 14. exponens modum & cæremoniam qua quispiam à Prætore liber designaretur, raso capite: *fuit enim* (inquit) *antiqui moris, ut qui ex servitute in libertatem vocabatur, raso capite ad Prætorem itaret; apud quem bis terque caput percussus, vel per lectorem percuti jussus, virgula, vindicta dicta, aut festuca in eum jacta, quem vertisset Dominus, prætoris jussu eximeretur jugo servitutis. qui vero libertatem eo modo consequeretur manumissus vindicta dicebatur*, &c.

Vt autem hoc percipiatur, duplex libertatis donandæ erat forma, justa una, non justa altera; id est una juridica, altera privata. justa dabatur vindicta, censu, aut testamento, in quibus interveniebat judicis decretum; non justa & privata dabatur in convivio inter amicos per epistolam. de qua Seneca de vita beata cap. 24. & de libertate justa Suetonius in Augusto c. 40. qua qui manumissi, plane & plene liberi manebant. qui vero non justa & privata vinculo quodam servitutis tenebantur, & ingrati retrahi poterant in servitutem, teste Tacito lib. 13 Ann. his formis manumitendi & à se servos abdicandi, junge tertiam, de qua Isidorus lib. 9 orig. cap. 12. de civibus. Sigonius de jure antiquo Italiæ, & civium Romanorum, qui post admissa crimina suppliciis obnoxii & publice pro criminibus cæsi fuerint, aut in quorum facie, vel corpore quæcumque indicia aut igne, aut ferro impressa ita fuerant ut deleri non possent, vel à Domino vincti fuerant pœnæ causa, vel traditi ut ferro, vel cum bestiis depugnarent, vel in custodiam conjecti fuerant, & quoquo modo manumissi. etenim manumissio, teste Festo, est quando servo immittebatur à Domino manus, caput aut aliud ejus membrum tenens.

Sed manumissio justa solemnior erat; si quando fiebat Vindicta. Boetius in Topicis: *Virgulam quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eundem servum in libertatem vindicabat, dicens quædam verba solemnia. vindictam* dici scripsit & Plutarchus de sera num. vindic. *quos in libertatem Romani asserunt, eorum corporibus festucam tenuem imponunt.* hæc ille, quibus enucleata manet crisis Stellaria.

Verum dum vindiciaria virgula servos manumittebant, aliam adhibebant cæremoniam, quam explicant Romani in una legum duodecim tabularum, & imitati sunt Græci: nam cum manumittebant servos, & liberos emancipabant, colaphum eis impingere consueverant; atque hinc forsasse verbi origo manumittere, quasi palma & alapa mittere. sic enim interpretatur Isidorus lib. 9, cap. citato. & Cornutus in Persium: *quoties manumittebant* (inquit) *eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. unde manumissio dicta est, eo quod manus eis immitteretur.* Claudianus Consulatu quarto Honorii:

Tristis conditio pulsata fronte recedit
In civem, rubuere genæ, tergoque removit
Verbera.

Et forsan ex hoc orta est Ecclesiastica cæremonia, quod unctus sacro chrismate confirmationis, alapa à Pontifice cæditur, quasi liber declaratus, ac libertate Christiana donatus, ut posset coram Tyranno fidem constanter tueri. sed de fistuca & vindicta quibus servi donabantur libertate, late Iacobus Reverdus lib. 4, cap. 9. Angelus Politianus cap. 98. Alexander ab Alexandro lib. 4 Genialium, & ibi ejus additionator Tiraquellus. alia cæremonia, de qua nobis est sermo, pileus capiti raso imponebatur. Plautus in Amphitryone act. 1. scena 1.

Vt ego hodie raso capite calvus accipiam pileum.

Plutarchus in Tito Flamin. *viri isti, ut in more habent servi, cum liberi fiunt, tonderi capita & pileum gestare.* Servius in lib. 8 Virgilii Æneid. ait, servos in Feronæ (quæ Dea libertorum) templo, olim raso capite pileum accipere solitos.

Sed servi ergastularii, quales erant qui damnabantur *in ludum*, sive *venatorium*, sive *gladiatorium*, post quinquennium pileabantur, id est, pileum accipiebant, deinde post triennium rudem & liberari solebant, & cæteris gladiatoribus præfici: unde Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 21. num. 169. Pamelian. *Qui gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* utrumque enim signum erat libertatis. de rude Cicero 2. Philip. *tam bonus* (inquit) *gladiator tam cito rudem accepisti*, id est, explicat bene Pamelius ibi, *dimissus est à munere*, quæ cessatio indicabatur virga rudi, quæ dimissis dabatur. unde & *Rudiarii* dicti, *eo quod tantum rudibus batuerent*, ut confirmat Lampridius in Commodo. de pileo etiam constat lib. de Patientia c. 4. ubi Tertullianus agens de servitute ad Deum, dicit: *Quod non compede aut pileo vertitur, sed in æternitate pœnæ aut salutis.* ad quæ verba Pamelius n. 14. egregie prius illud servitutem, & pœnam, post ejus manumissionem libertatemque respicit: erat enim insigne libertatis pileus. hinc illud ad pileum vocare servos, passim apud auctores obvium. Eodem pertinet numisma Bruti pileo duobusque pugionibus insignitum. Nam ex his inquit Dio lib. 47. Brutus significabat à se & Cassio Patriam servitute liberatam.

Sed addamus aliud singulare insigne libertatis: nam capita servorum rasa coronabantur. ita Tertullianus libro de Corona militis, capite tertio: *Coronat* (inquit) *& corona secularis.* & infra: *si verum judicas, seculi libertatem ut & coronam consignes.* sed ex qua materia corona ista, nullus explicat. conjectura ducor, quod dum servus caput tondebat ad libertatem acquirendam corona ex pilis illi relinquebatur, sicut hodie Monachis. gladiatores enim & cursores sicut Sacerdotes coronabantur, ut ait idem Tertullianus libro de spectacul. capite decimo tertio. Tertiam notam servitutis, quam ponit Apulejus, pedes annulato, ad memb. 6 remitto, ne istud plus justo excrescat.

MEMBRVM V. *Damnati ad metalla, opusve metalli, rasi, stigmatizati, elucidatur Tertullianus.*

ANtiquitus, sicut & hodie aliud est obligare Principem subditos suos ad metalla, opusve metalli, aliud damnare ad hæc: potest enim Respublica ob bonum commune, si desint mancipia empta, aut bello capta, suos subditos obligare ad eruenda metalla, ipsaque igne & aliis instrumentis elaboranda: ob bonum enim publicum licitum est ex ponere periculo vitæ subditos, ut constat in bello & peste, in quibus obligantur subditi ob communem salutem ad inserviendum infectis contagio, & ad pugnandum cum hoste, etiam cum propriæ vitæ periculo, ut est omnibus in confesso; cumque auri & argenti effossio & laboratio sit non solum utilis, immò hodie fere necessaria ad commercia conservanda, non dubito, quin si non adsint alii effossorii operarii, quod Princeps possit subditos inferioris conditionis obligare ad elaborandas metallorum fodinas. quare, quidquid dicant aliqui recentiores, justissime Rex Catholicus cogit Indos ad eruendum & elaborandum metalla, dum non adsunt mancipia emptitia. quæ id faciant. nec enim Monarchia conservari posset sine auro & argento Indiarum in Hispaniam asportato. sed de hoc alibi latius, quia hic non ago Theologum moralem.

De damnatione ad metalla, opusve metalli hic solum est sermo. sed quo modo hæc duo distinguantur, non facile nec pervium. Senatusconsultum in lege, aut damnum. 1. §. inter eos D. de pœnis, & lege 5. D. de extraordi. cognitio. in eo solum invenit discrimen, quod damnati ad metalla durioribus & gravioribus vinculis premebantur; levioribus tamen qui ad opus metalli, qui si refugæ essent, ad metalla eruenda introducebantur. sed melius alii distinguunt, quod in opus metalli damnari, est ad decoquendum & ad massam auri & argenti igne & argento vivo, & aliis variis instrumentis deducendum; ad metalla vero damnari, est ad fodiendam terram, venasque metallorum intra terræ viscera insequendas fere sine luce, sine aëre apto ad respirationem, quo fit ut densitate medii multi suffocati pereant. unde damnatio ad metalla longe gravior pœna est & proxima capitali, ut bene Acosta lib. 3 de procuranda Indorum salute cap. 18. dicitque durissimum imperium, dum quis mancipatur effodiendis metallis. unde Plautus in comœdia *captivi duo*, pœnam istam duriorem illis dicit, quæ in inferno ustulentur. cujus duritiem & gravitatem egregie nobis exposuit Cassiodorus, lib. 9. epist. 3. ubi tam damnationem ad metalla, quam ad opus metalli graphice describit: *Cameris* (ait) *ingeniosa resolutione resolutis talpinum animal imitantes itinera fodiunt, quæ nullis antea patuerunt. Sic ambitio nihil reliquit absconditum, nec ubi interdum sustinere posset extremum; intrant homines caligines profundas, vivunt sine supernis, exulant à sole, & dum sub terris compendia quærunt nuncium lucis derelinquunt; est aliquando ruina via sua, & reditus procurare nequeunt, qui pedibus suis semitas operosis manibus effecerunt.* Hactenus de metallis effodiendis Cassiodorus. sed ipsum audi ibidem de opere metalli: *Mox enim ut supernæ luci fuerint restituti, minuta quæque graviora discernentibus aquis à genitrice terra separant, ac fictilibus recondita vasta fornace decoquunt, donec solvant utiliter in liquorem:* sed qui voluerit hujus pœnæ gravitatem plenius agnoscere, legat Plinium lib. 33. cap. 4. & Senecam lib. 5 Naturalium quæst. 15. illum cum notis Oecolampadii, & istum cum commentario Aromondii.

Ex quibus venit intelligendus locus non facilis Tertulliani lib. de habitu muliebri cap. 4. *aurum & argentum Principes materiæ secularis adsint necesse est, unde sint terra scilicet plane gloriosior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igne reliquit; atque exinde tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* ubi Pamelius, mihi semper venerandus & mirandus, num. 39. ait: *Metallorum operibus adducebantur damnati, inque his sæpe Christiani,* de quibus epistola 77 Cyprianus Martyr: *non fovetur* (inquit) *in metallis lecto & culcitris corpus, humi jacent fessa laboribus viscera, squalent sine balneis membra, situ & sorde deformia. Panis illic exiguus, vestis algentibus deest. Semitonsi capitis capillus horrescit, &c. proinde non frustra dicit feralibus officinis, quia ibi damnati tanquam feræ immaniter & crudelissime tractantur.* quare existimo inter omnia tormenta, quæ experti sunt Christiani à Tyrannis, hoc metallicum crudelius fuisse, quia pœna acerbissima diutius durabat: ut enim ait Seneca lib. 2 de Benef. cap. 5. *acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam; & misericordiæ genus est, cito occidere: quia tormentum ultimum finem sui secum affert, quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars est.* hæc Seneca. unde Lucanus:

——— Moremque nefandæ
Dirum sævitiæ pereuntis parcere morti.

De Martyribus istis ad metalla damnatis non incongrue intelliguntur verba Hieremiæ c. 4. ℣. 8 & 9. in Threnis: *denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus eorum; melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumpti ab sterilitate terræ.* quæ ultima verba sic interpretatur Paschasius ibi: *quod levius fuisset occisis gladio, probatur dum vitæ dispendium in momento tulerunt sub ictu gladii, quam interfectis fame, qui diuturnis atque acrioribus cruciatibus mortem sustinuerunt, variisque afflicti suppliciis siti extabuerunt, & à quolibet pœnarum genere sunt consumpti.* quæ apprime quadrant Martyribus ad metalla damnatis, quibus *panis exiguus, & aqua brevis.*

Pœnali opere misere deplorabant ad metalla damnati, propter horribiles tum carceris ergastularii funestas tenebras, squalorem, horroremque receptaculi, tum propter similia quæ patiebantur tanquam talpæ ambulantes in terræ visceribus, aurum & argentum cæteraque metalla conquirentes, & sic à tenebris subterraneis ad obscurissimum carcerem transmutabantur sine luminis solatio, nisi forsan quod itinerando accipiebant.

De suppliciis ad delicias, de ignominiis ad honores metalli refuga mutatur. hic opus, hic labor, de quo *refuga* intelligatur Tertullianus, an de damnato ad opus metalli, qui fugiens, si capiatur, in metalla conjicitur, ut vidimus; an de ipso auro & metallo. Pamelius num. 42. priori modo intelligere videtur, secutus phrasin Vlpiani leg. aut damnum. D. de pœnis. sed melius Rhenanus de ipso auro intelligit, tum quia refugit nomen, quod in terra habebat & in igne relinquit, & jam non terra, sed aurum dicitur; tum auri nomen etiam relinquit, dum in torquem, & armillam elaboratur; tum denique, quia *damnatus refuga ab opere metalli* ad metalla, *non à tormentis in ornamenta, non à suppliciis in delicias, non ab injuriis in honores mutatur.* imo potius ad majorem & acerbiorem pœnam & strictiora vincula propter fugam.

Hi igitur damnati ad metalla & rasis capitibus, & fronte facieve stigmatizati incedebant. Suetonius

nius in Caligula, cap. 87, *multos honesti ordinis deformatos, id est, tonsos, prius stigmatum notis, in metalla damnavit.* Seneca lib. 4 de Ira: *varia tormentorum genera, inscriptionis frontis, &c.* Notant tamen Panzirollus in Thesauro variarum lib 3. cap. 241. quod fronti imprimebatur prima littera delicti, propter quod damnabatur quis ad metalla, ut calumniatoribus litera K, ut supra etiam ex Bisciola notabam ego. quibus addo Cyprianum, qui hoc videtur innuere epistola 77 sæpius citata, num. 15. ubi de Martyribus ad metalla damnatis & semitonsis ait: *qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est.* quasi dicat, caput rasum & stigmatizatum litera X, quæ est prima Christiani nominis, cujus professionem delictum putabant Romani, insigne est, ob nomen Domini ibi scriptum, propter quod patiebantur.

MEMBRUM VI. *De ergastulo (rasorum carcere) liberatus sanctus Isidorus Hispalensis ab injuria Stellarii.*

SAnctus Doctor Hispaniæ decus, Isidorus lib. 15 Origin. cap. 6. sic ait: *ergasterium locus est, ubi opus aliquod fit. Græco enim sermone ἐργάζομαι operor significat. ergastula quoque & ipsa à Græco vocabulo, ubi deputantur noxii ad aliquod opus faciendum, ut solent gladiatores & exules, qui marmora secant, & tamen vinculorum custodiis alligati sunt.* quæ verba sic censura inurit Stellarius lib. 1 de Coronis: *Glossa Philoxeni definiunt & etymon simul tangunt aptè. ergastulum τόπος ἐν ᾧ δεσμῶται ἐργάζονται, locus in quo vincti operantur. uberius idem, sed non verius* (Isidorus refert verba adducta S. D.) *nam de noxiis primum non usquequaque verum, quia empti servi innoxii sæpe solum ad hoc munus. de gladiatoribus plane falsum, quia in ludis suis bene & commode habiti, in ergastulis nunquam. sed nec de exulibus adsentior, & de marmoribus secandis pars minima fuit ergastularii laboris; præcipuus fuit agricultio, ut mox dicam. de vinculorum custodiis quæ dicit, vera, non sic tamen ut dico, tresve servi vincti ergastulum confecerunt, sed certo numero, quem acceptum referes soli Apulejo. Quindecim (inquit) liberi homines populus est, totidem servi familia, totidem vincti ergastulum. quod tamen de pleno legitimoque ergastulo dictum capio, quia alias scio pœnalem illum carcerem stetisse numero minore.* Hactenus Stellarius, sed non felici aspectu, quia non pio in S. D. dum enim vibrato gladio intendit percutere, repente capulus excussus est è manibus; prius tamen quam ipsum minus attente locutum ostendam, noto ex eruditissimo viro Gasparo Barthi Adversariorum lib. 34. cap. 9. *ergastulum latinis prius carcer servilis fuit, ut centum loca scriptorum variorum docent, post, quamvis conseptam mansionem designare cœpit, ut cœnobium, sive Monasterium apud Alcimum Vitum lib. ad sororem Fuscinam. Eidem ergastulum, in quo fuit Ionas piscis vel balena. Ergastula pati, est custodiæ carcerali mancipatum esse, apud Sidonium lib. 7.*

——— *Pro Christo ergastula passus.*

Vnde, quamvis concedamus Stellario, originem ergastulorum dimanasse ex eo, quod agellos quos victa à Romanis Italia Senatus diviserat militibus in præmium militiæ & sanguinis effusi, potentiores sibi assumpsere. unde isti habebant latifundia, & pauperes ab agris exulabant; unde ut isti colerentur inducta sunt ergastula, in quibus servi exteri & coloni ignoti detinebantur. Plutarchus in Græcis optime id narrat, cujus verba adducit Stellarius (quæ ad propositum in sensu hoc sufficiant) expulsis ingenuis ab agris & eorum cultura, contigit ergastulis compleri servorum Barbarorum, per quos divites agros suos colebant, ut narrat etiam copiosius Appianus lib. 1 Civilium.

Etsi, inquam, hoc demus Stellario, quod non probat, solum concludit nominis originem & initium, non tamen concludit non esse delatum nomen ad alias notiones habendas proprie. id quod passim in multis nominibus inveuies, in quibus spreto eo, à quo impositum est, alias significationes communis hominum consensus illi applicat: lapis enim à lædendo pede est impositum, & nec omne quod lædit pedem lapis dicitur, nec omnis lapis pedem lædit.

Deinde ea, quæ adducit ex Plutarcho, nihil ad intentum probandum conducunt. solum enim dicit, quod ergastula cœpere impleri servis barbaris ad colendos agros ibi detentis, non vero vel leviter insinuat quod ergastulum tunc fuerit adinventum; imo quia antea erant ergastula, in quibus detinebantur servi vincti ad aliquid operandum, dicit quod divites Romani ruri ergastula fecerunt, in quibus annulati & vincti detinebantur coloni Barbari, ne fugerent. unde dum terram colebant catenati erant. id constat tam ex Poëtis, quam ex Oratoribus; erat enim una ex præcipuis notis ergastulatorum, ut vidimus supra ex Apulejo, & huc remisimus ejus probationem, quæ facilis est. Cicero pro Rabirio: *ille ex compedibus atque ergastulo* Gracchus. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 7, *apud Barbaros (inquit) quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos ergastulis habent.* quem locum contra Stellarium infra premo. Seneca lib. 7 de benef. cap. 10, *ò miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* Poetæ etiam Latini idem testantur; Ovidius libro 1 de Ponto, Eleg. 7.

Hæc facit ut vivat fossor quoque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet.

Martialis lib. 9. Epigram. 23.

Et sonet innumera compede Tuscus ager.

Et iterum de Zoilo:

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

Plautus in Mostellaria:

Nisi præferratus apud molas Tribunus vapularis.

Et Plinius lib. 18, cap. 3, omnes notas ergastulatorum comprehendit, dicens: *an nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus & inscripti vultus exercent?*

Sed cur coloni isti Barbari & emptitii concatenati, annulatique pedibus detinebantur in ergastulis? tum ne fugerent labores colendorum agrorum; tum etiam quia terræ cultus magnam requirit assistentiam, quare à propriis fundis nullius negotii causa, aut litium occasione recedere debent. unde Aristoteles lib. 6 Politic. capite quarto, dicit, quod agricolæ propter colendos agros, nec regna, nec Reges curare debent. Legantur Brissonius lib. 2. select. c. 9. Pineda in c. 10 Ecclesiast. ℣. 15.

Ex quibus manifestum fit contra Stellarium, ergastulum proprie non solum inventum pro agricolis servis annulatis & stigmatizatis, imo potius ergastulum; quod jam erat in civitatibus constitutum pro malefactoribus & damnatis, qui inibi custodiebantur ad aliquid operandum, deductum fuit ad rura; sicut & ad metalla, ad aquam trahendam, ad arenam fodiendam, & similia. quare carcer destinatus ad custodiendos homines damnatos ad aliquod opus publicum faciendum, sive fuerit urbanus, sive rusticus, ergastulum proprie dicebatur. Vnde Cardinalis

nalis Baronius, in Notis ad Martyrologium die 14 Martii, advertit, quod carcer Mamertinus Sanctorum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum Martyrum vinculis consecratus, ex quo desiere superstitiosæ gentilitatis Imperatores, desiit etiam esse criminosorum ergastulum. & quidem quod ergastulum idem prorsus sit, quod carcer deputatorum ad operandum, sive rusticus sit, sive Urbanus, constat ex Iuvenali:

— Inscripta ergastula, carcer
Rusticus.

Et Livius agens de Titi Manlii filio, *quem Pater* (inquit) *in opus servile prope in carcerem atque in ergastulum dederit.*

Nec juvat Stellarium, quod Columella lib. 1. c. 5. de re rustica describat exemplar ergastuli pro servis vinctis: hoc enim non est, quia ergastulum proprie non sit nisi in jure; sed quia carcer rusticus in villis sit necessarius, ejus exemplar proponendum erat villarum & agrorum Dominis, ut mancipia secura sint à fuga, ut constat ex cap. 8.

In hujus mei dictaminis confirmationem pondero verba Tertulliani, cujus locutiones semper in propriis significationibus nominum electæ, lib. de habitu muliebri cap. 7, *apud Barbaros quosdam; quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* in qua verba sic Pamelius num. 55. *Sic libro sequenti de cultu fœminarum: quamquam & aurum ipsum cuidam genti ad vincula servire referunt gentium literæ. atque adeo recte addit divitiis malos onerant: quanto enim quisque sceleratissimus, tanto censetur ex aureis vinculis ditissimus. Apud Æthiopes autem hunc morem fuisse adnotavit Theodorus Canterus variarum Lectionum lib. 1. cap. 5. ex Plutarcho in Erotico, & Dione in orat. περὶ πλούτου.* ergastula ergo non sunt primo inventa pro servis agrorum colonis; sed pro captivis etiam & servis, ne fugiant, & pro sceleratis hominibus, Turcis & Mauris, pro captivis detinendis miserrima habent ergastula, quæ lingua Hispanica *Elvaño* dicitur, quale est satis bonum apud Magnum Hetruriæ Ducem in portu Liorni, ubi summa mundicie & pietate captivi Mahumetani tractantur.

Aliquando etiam sceleratos servos & mancipia ad tempus mittebant ad ergastulum sive rusticum, sive urbanum, cum catenatione & pedum annulatione, ut majoris laboris pœnam luerent alicujus mali, quod fecissent. Seneca lib. 1 de Ira: *magnam rem sine dubio fecerimus, si servum infelicem in ergastulum miserimus.* & Lactantius lib. 5 Institut. cap. 9. *quod si servorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque verberibus, vinclis, ergastulo, cruce, & omni malo dignissimus judicatur.* hæc autem consuetudo apud nostrates est: quando enim mancipium aut fugit, aut fur est, ad ergastulum mittitur, *al almona, amazar esparto*, vel ad alium extraordinarium locum, ubi catenatus ærumnis correptus emendetur. Unde Ambrosius: *plerique divitum amandare consueverunt mancipia sua, & in agellulum relegare, atque hæc pœna gravior existimatur.* & Ulpianus D. de hæredibus Institut. *si servus missus fuerit in villam interim illic futurus, quia dominum offenderat, quasi ad tempus relegatus, &c.* intelliguntur hoc de missione temporaria ad ergastula villarum & agrorum.

Sed jam ad censuram Stellarii de sententia sancti Isidori accedamus, ut inscitia manifesta omnibus fiat, sciatque quanta reverentia Patres Ecclesiæ sint tractandi & colendi à viris Catholicis, dicit primum: *de noxiis vero, non usquequaque verum, quia empti servi innoxii sæpe.* hæc prima censuræ pars non subsistit: ergastulum enim primo pro illis, qui judicabantur noxii institutum; & quidem nihil in antiquitate magis obvium, quam quod servi noxii ergastulo includerentur fronte stigmatizata, capite raso, & pede annulato. quod enim innoxii emptitii aliquando eadem patiantur, non est ex vi institutionis ergastuli, quod propter noxios erectum, sicut carcer. & sanctus Doctor primam origenem ergastuli attendit. quæ prima censuræ pars frustranea magis apparebit ex impugnatione secunda, quæ talis est.

De gladiatoribus plane falsum, quia in ludis suis bene & commode habiti, in ergastulis nunquam. sed Stellarius iste ex *Academia venit, turgido fastu*, in sanctum Doctorem falsitatis nota inurens, cum ejus dictum verissimum sit, & antiquioribus omnino conforme. Fuit enim duplex gladiatorum genus, unum liberum & voluntarium, eorum qui ostentandi virium causa in arenam ad digladiandam descendebant prius instructi & edocti. & hos Cicero Philip. *Nobiles gladiatores* dicit. & Iulius Capitolinus ait, *quod Imperatores ituri ad bellum, dabant munus gladiatorium;* hos enim nobiles gladiatores *Lanistæ* (Maestros de Esgrima) *spathis sine cuspide* (espades negras) *edocebant*; de his enim nobilibus gladiatoribus loquitur Iuvenalis Satyra tertia:

——— Inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque Lanistæ.

Aliud genus gladiatorum erat prorsus servile & damnatorum, qui vincti tenebantur in ergastulo, tanquam bestiæ in caveis, ad pugnandum in publico spectaculo temporibus à Senatu determinatis. Hinc Cornelius Tacitus lib. 3 *adduntur* (inquit) *à servitiis gladiaturæ designatis.* Tertullianus lib. de spectac. c. 21. num. 168, & 169. *gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellas invitum.* Idem: *gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* in quæ sic doctus Pamelius: *Huc inprimis pertinere videtur, quod de Cæsare narrat Suetonius capite 27, quod gladiatores sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos servandosque mandavit* (utique in ergastulo) *certe sensit auctor gladiatores à lanistis, si quando tardiores essent in pugna flagellis compulsos.* hactenus ibi. rudi autem donari & pileum excipere dicebatur gladiator, qui jam non cogebatur ad gladiandum; & sic hæc erant insignia gladiatores accipere libertatem, & ex ergastulo exiisse, ab statu servitutis in statum libertatis. unde Alciatus lib. 1 parerg. cap. 23. *qui damnantur* (inquit) *in ludum sive venatorium, sive gladiatorium, reservantur populi voluptatibus, imo vero post quinquennium pileari, id est, pileum accipere, deinde post triennium rudem, & liberari solent, & cæteris gladiatoribus præfici.*

Noxii enim (ut ait Plinius in Panegyr. Trajanis) *solebant in ludum gladiatorium dari, scilicet ut essent spectaculis gladiatores; sicut & ad ludum venatorium, ut cum bestiis ferocibus pugnarent*, quos servos pœnæ dicit Ulpianus lege *aut damnum. §. quicumque. D. de pœnis.* isti enim noxii & pœnæ servi dubio procul in ergastulis detinebantur inclusi, ad populi voluptatem reservati & custoditi. Hinc est, quod, ut ait Cajus Iurisconsultus, *hi qui ad ferrum sive gladium, aut ad bestias, aut in metallum damnantur, libertatem perdunt.* unde in ergastulo custodiri debebant, &c, ut ait ibi Gothefridus litera b. ex Paulo lib. 5. sent. tit. 17. §. 1. in fine, *intra annum consumendi erant.* quæ consuetudo mutata est, cum post quinquennium pilearentur, & post triennium donarentur rude. notet ergo Stellarius, quam malevolo aspectu legerit sanctum Isidorum, cum dicit: *plane falsum, quod gladiatores noxii servarentur in ergastulo.*

Nec

Nec de exulibus adsentior, & de marmoribus secandis pars minima fuit ergastularii laboris. hæc tertia pars censuræ Stellarii, quæ non est cæteris adlectior & cultior: loquitur enim sanctus Doctor non de exulibus absolute, sed de illis, qui patria exulantes damnabantur ad opus aliquod publicum, & tunc fiebant servi pœnæ Instit. *de juris potestatus solutione.* §. pœnæ servus. ubi Iustinianus: *Servi autem pœnæ efficiuntur qui in metallum damnantur, & qui bestiis subjiciuntur.* ubi Meisingerus num. 2. *qui in opus publicum tanquam noxii perpetuo damnabantur, fiebant servi pœnæ.* Similia dicit Silvester Aldobrandinus, Pater Clementis VIII Summi Pontificis: isti enim ad quodlibet opus publicum damnati, sive ad marmora secanda, sive ad arenam fodiendam, sive ad conducendam aquam, vinculis & compedibus in ergastulis detinebantur. nec enim minima pars horum damnatorum, sed magna juxta necessitatem fodinarum Metallicarum & aliorum operum publicorum; quamvis, quia agricultura major erat in toto Imperio Italiæ, major etiam erat pars servorum qui ergastulis ruralibus detinebantur.

Quare fallitur Stellarius, dum dicit, quod *finis præcipuus ergastulorum fuit agricultura.* fallitur, inquam, omnino; nam finis præcipuus & adæquatus ergastulorum fuit servorum operis publici custodia. servorum vero sicut diversum opus, ita & diversus finis; quia tamen agricultura majorem habebat servorum necessitatem in majori numero, ideo servorum ergastulatorum ruralium major erat multitudo; & sic quælibet villa habebat suum ergastulum pro servis rusticis annulatis & stigmatizatis custodiendis. Vberius ergo & verius omni alio originem ergastuli extricavit sanctus Isidorus Hispaniæ lumen.

MEMBRUM VII. *De calvitie, corona, & naturali tonsura, ubi de Eliseo, sancto Paulo, sancto Symeone enucleatus Augustinus Stellario ejus alumno.*

SCite admodum Synesius ex Philosopho Episcopus Cyrenis, contra Dionem, qui, ob auream eloquentiam, dictus est Chrysostomus, & scripsit comæ encomium, & ipse Synesius calvus existens oppositum encomium de calvitie exaravit, cujus assumptum his verbis proposuit: *Homini calvi nunquam esse pudendum.* quod egregie & erudite satis comprobat. & habetur tom. 5 Bibliot. veterum Patrum Agrippinæ, simile opus; & parilem laborem ex locis sacræ Scripturæ perfecit (ut refert Caspar Barthi lib. 46 adversariorum, c. 22. ubi transcribit eclogam adulatoriam de laudibus calvitii, constantem centum quinquaginta versibus, mirabili artificio & ingenio compositis) Hugbaldus Monachus Elbionensis ordinis sancti Benedicti, dubio procul insignis eruditionis vir ebibit enim spiritum Virgilii, Persii, Terentii & aliorum insignium Latinorum Poëtarum, quos, me quidem judice, excelluit, quod in re parum tractata tot invenit laudes nominibus omnibus, ex quibus constant versus, in principio, medio & fine incipientibus à litera C. à qua incipiebat Imperatoris nomen & calvitii: ut

Carmine convicii certus carpere calvos
Conatus cecinit, celebrentur carmine calvi
Conspicuo clari, carmen cognoscite cuncti.

Et pari modo, prosequitur totam eclogam usque ad finem non parvo labore & sudore; vidit tamen orationem Synesii. vixit hic Auctor teste Trithemio de viris illustribus, temporibus præfati Imperatoris anno 880. *fuit vir eruditissimus tam in divinis, quam in secularibus literis; in Musica, Poësi, Philosophia, & cæteris humanitatis artibus nulli suo tempore secundus,* ait Trithemius, & Eclogam direxit ad Imperatorem Carolum Calvum.

De calvitio sic loquitur Plinius lib. 11 Histor. cap. 37. num. 31. *Myconis carentes eo* (pilo) *gignuntur, sicut in camno lenosi, & quædam animalia naturaliter calvent, sicut Struthio, Cameli, & Corvi Alpini* (*qui calvescunt, & Aquatici canescunt.*) *defluvium eorum* (*capillorum*) *in muliere rarum, in spadonibus non visum, nec in ullo ante Veneris usum. Nec infra cerebrum, aut infra verticem, aut circa tempora, aut circa aures. Calvitium uni tantum animalium, homini, præterquam innatum.* hactenus Plinius.

Hinc ortum est adagium, *Calvus Myconius*, desumptum ex Lucilio, qui loquens de Myconiis dixit: *Myconæ omnis calva iuventus.* ut citat Donatus explicans Terentium in Hecyra. Hinc Martialis:

Calvo turpius nihil est comato.

Et alibi idem:

Calvus cum fueris, eris comatus.

Et vere quidem hoc Satyrice dicit, quia calvities decus sit hominis, ut infra ostendam, sitque illius naturalis corona: hac spreta, adscititia coma vult decus occultare, & comatum alienis capillis se monstrare cum dedecore. prius tamen quam collecta ex Synesio & Hugbaldo de laudibus calvitiei inducam, aliqua circa naturalem ejus causam prælibare licebit. sed prius notanda differentia quam ponit sanctus Isidorus in libro Differentiarum, litera C. *inter calvum & calvatum. Calvus est natura, calvatus manu. inde & decalvatus dicimus: valida manu decalvator.*

Oppositam fere causam habent canities & calvities. unde teste Plinio: *Corvi Alpini calvescunt, Aquatici canescunt.* illi enim calidi sunt & sicci, & ætate crescente utraque qualitas augescit, & sic deficit humor cerebri activitate illarum imminuti, ex qua materia pilorum nascitur in capite; ast aquatici humore & frigore abundant & phlegmate, unde & pili albescunt. hanc canitiei causam Aristoteles tradit lib. 5. de gener. anim. cap. 3. & sectio. 10. Problem. 56. Alexander lib. 1. problem. 4. Plinius lib. 11. cap. 36. quos sequitur Medicorum caterva.

Hinc est, quod Eunuchi sæpe canescunt, quia frigidi & humidi, & nunquam calvescunt. cujus rationem Aristoteles tradit Problem. 56 citato, quia multum habent cerebrum, etsi vanum. cur autem tantum habent cerebri? quia Venere abstinent; ita semen non defluit à cerebro, quæ est causa cur boves, qui castrati, majora habeant cornua. quod de Eunuchis affirmat Hippocr. lib. de natura puerili, & de pueris Aristoteles lib. de Hist. anim. cap. 11. de mulieribus Plinius ubi supra; quo dicente, ut vidimus, nullus naturaliter fit calvus ante Veneris usum, qui cerebro maximam & noxiam affert diminutionem, ut late Tiraquellus lib. 15 de legibus connubial. gloss. 1. unde Aristoteles lib. 5. de gener. anim. cap. 3 declarat, quod à venereo coitu dimanat calvitium, quæ forsan fuit ratio, cur Romæ celebraretur *Venus calva*, quia videlicet calvitium causat. quamvis cur templum dicatum *Veneri calvæ*, aliam rationem tribuat Iulius Capitolinus in maximis, aliam Vegetius lib. 4 de re militari, Lactantius lib. 1 Institut. & Augustinus epistola 44 ad Maximum, ubi mentionem facit de *Venere calva.*

Verum enimvero, quamvis Philosophi gentiles causam calvitiei venereo coitui assignent, non tamen est causa adæquata: multi enim viri virginitate flo-

rentes & omnino à Venere se cohibentes calvi existunt; imo dum Veneri vacant non calvescunt, &, dum abstinent, calvi fiunt. Eliseus enim calvus fuit & simul Virgo; Paulus etiam calvus extitit, & tamen Virgo fuit, ut tanquam rem certissimam & gravissimorum Patrum testimoniis comprobatam tradit Thomas Masutius lib. 1 vitæ sancti Pauli, cap. 9. quare jure optimo Tertullianus lib. de Monaga. cap. 3. Paulum appellat *spadonum Euangelium*, *Virginem* autem Epiphan hæres. 58. & Hieronymus Epistola 21 ad Eustochium. vel, si mavis, (quod ego nolo) quod fuerit uxoratus, tamen tempore Apostolatus omnino à coitu abstinuit. multos etiam agnosco Religiosos castissimos annosos, probatos, & tamen canitiæ coronatos, à quinquagesimo anno incipientes pilos capitis amittere. quare adæquata ratio est excessus caloris & siccitatis, quarum activitate excitante nimio capitis exercitio imminuitur cerebrum & exsiccatur; & radicibus pilorum arescentibus, & ipsi pili defluunt, & calvities fit, (non secus ac exsiccata terra, autumni tempore, decidentibus foliis arbores calvescunt;) quorum defluvium in muliere rarum, quia humidiores cum existant, earum superflua humiditate irrigatis pilorum radicibus isti crescunt conservato semper humido cerebro. hanc rationem assignat Hippocrates lib. 6 Epidemicωn, sectione 3. Valesius tamen de sacra Philos. cap. 19. folio mihi 177. ad siccitatem cutis tangentis sinciput reducit. velut enim ex arida terra & duris lapidibus nullæ herbæ nascuntur, ita neque ex dura & crustæ simili facta cute nascuntur ibi pili.

Accedo jam ad collecta encomiorum calvitiei, quæ collegi ex auctoribus, Hugbaldo Monacho, & Synesio Episcopo Cyrenes. de quo multa Baronius tom. 5. ille in Elegia, iste in oratione contra Dionem Chrysost. jam citatis. Igitur primum calvorum encomium sit ex physiognomica prænotione. calvitium namque præmonstrat quod illud habentes futuri Principes supremi, Consules, Cantores, Abbates, Episcopi, exercituum Duces. audi Hugbaldum de principatu:

Conregnant calvi, conscendunt culmina clari.

De Consulibus, cap. 3.

Censorem calvum censuram condere constat.

De Cantoribus, Abbatibus, & Episcopis, cap. 2.

Conjubilant calvi claro clamore canori,
Continuantque choros, castas cantare choreas.
Conformes capiti concordi corpore cuncti
Conficiunt clarum Christi cognomine chrisma;
Consociant cunctos conspersos chrismate cœtus.

Duces exercitus:

Conducunt calvi cunctos certamine claros;
Compugnant calvi cristati casside coni;
Comprehendunt cirros, contendunt talce comatos.

Encomium hoc calvorum expressit Synesius, dicens circa finem oration. his verbis: *calvitium autem quæ tandem illis altera ex parte opponit hominum genera? ii nempe, ex quibus in Deorum templis sacerdotes, Antistites, æditui que fiunt, in literariis ludis præceptores, ac pædagogi, in militari acie, si integræ sint recteque habeant res, imperatores, atque ordinum Ductores: ubique vero qui sagacitate & prudentia cæteris antecellere à plebe existimantur. ego vero Cantorem eum arbitror, cui Clytemnestræ ab Agamemnone cura commissa est, ex nostro fuisse genere: comato enim haud unquam mulierem ex infami familia concredidisset.*

2. Ponit Monachus encomium, quia calvi vigent prudentia, humilitate, charitate, & castitate:

Cur censes capitis cineres conspergere calvos?
Cognoscit calvus cineri concurrere corpus;
Corda cremant calvi Christi concocta calore.
Cur certis castum castrari corpore calvum?
Cor detentus culpis castratur concio culpis.

Quæ omnia valde pulchre descripsit Synesius sic: *quocirca, cum mens cæterorum, quæ superne mittuntur, seminum divinissimum sit, & in ipsum caput introducatur; cui materiæ concreta est mens pro fructu; quemadmodum frumentum ex ratione illa seminis tanquam fructus educitur, in eo natura solito more fungitur. Namque mirabili varietate caput exornat, capillorumque quasi aristarum, aut folliculorum, aut mehercle florum instar, quos in stipibus ante baccas producit, pulchritudine reddit venustius. at neque arboribus fructus prinsquam deflorxerint, nec capiti mens animoque prudentia insidet, antequam perfectionem adeptum, inutilia atque supervacua quæque temporis diuturnitate, quodam quasi ventilabro, excusserit, ac naturæ quodammodo negantis ejectamenta repugnaverit; adeoque hoc esse evidens potest conjiciendæ in fructu maturitatis argumentum. quodcumque tamen accurate depilatum caput animadverteris, sic habeto illud & prudentiæ domicilium, & divinitatis esse templum.*

3. Adducit & ipse Episcopus Cyrenes ex hominibus omni exceptione majoribus in universo, qui calvitio sunt insigniti. Igitur ita loquitur Synesius: *Rursusque ut tamen ut in uno homine pilis vacant eæ partes imprimis, quæ sunt nobilissimæ; ita in genere hominum optimi quique eo modo affecti sint necesse est, neque tantopere à brutis animantibus, quantum à pilorum hirsutie totum ipsum hominum genus abhorret. quocirca cum cæteris animantibus sanctitate & dignitate homines, & cæteris hominibus ii longe antecellant quibus pilorum jactura divina quadam feliciique sorte contigit, sequitur calvum eorum esse quæ in terris sunt omnium divinissimum. libet eas intueri, quas in museo habemus clarorum virorum imagines, Diogenes, inquam, illos, Isocrates, aliosque hominum memoria sapientes, calvorum Theatrum conventumque esse dixeris.* hæc ille.

Cui encomio, ut lucidius appareat, Theatrum aliud virorum sanctitate & apostolatu insignium addam, ut, quamvis comatorum major sit numerus, *calvorum chorus melius consonans sit.* imprimis Eliseus, qui duplicem spiritum Eliæ ebibit, calvus fuit; id quod negari nequit attestante id sacra pagina 4 Reg. 2. num. 23. ubi pueruli illudebant Prophetæ dicentes. *ascende Calve, ascende Calve*; quod ipsi in irrisionem & ignominiam dixere, ob quod dilaneati sunt ab ursis, sic expostulante Propheta, quia id quod magnæ venerationis erat in viro Dei, scilicet naturalem coronam per calvitium à natura impressam, ipsi in vituperium vertere. ad quod cecinit Benedictinus cap. 8, loquens de Eliseo:

Clarisonum calvum, cui conscia consecutura,
Commotum catulum circumlatrante cachinno
Clamantes, conscende citus conscendito calve,
Condemnasse cacos confestim crimine claret
Convici, corrosa cadunt cum corpora carptim.

Vnde male Ioannes Caramuel disp. 13 in Regulam sancti Benedicti numero 155, explicans hunc locum, dicit: *legit Brixianus non duo ursi, sed duo leones, sed cur? indomitæ bestiæ ingrediuntur ut vindices devorantes irrisores: expediebat enim, ut illi qui Eliseum calvum, hoc est servum & domitum & vilem dixerant, à bestiis generosis, indomitis & silvæ dominis lacerarentur.* hæc ille. sed male, dixit, ex ignorantia antiquitatis, quia calvum esse non est signum servitutis, imo dominii & dignitatis, ut vidimus. quare iste auctor confudit calvum & rasum & decalvatum: hoc enim signum est captivitatis & ignominiæ, non prius. Hoc est quod Deus calvitium dat in pœnam non hominibus, sed fœminis filiabus Sion Isaiæ 3. num. 17, quæ

quæ illis est maxima ignominia. hominibus etiam aliquando in pœnam datur, non calvitium quod à natura fit, sed quod forfice aut novacula in signum servitutis. & de hoc ego intelligo Ovidium, dum ait:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus.
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Intellige fœmineum, aut si virile, tonsum aut novacula rasum.

In calvorum choro sunt sancti Apostoli Petrus & Paulus, quorum imagines & picturæ antiquissimæ Romæ ipsos calvos nobis repræsentant; & quidem sanctum Petrum, in cujus persona fundata est Ecclesia, calvum fuisse testatur Divus Hieronymus in caput primum Epistolæ ad Galatas, adducens testimonium Clementis Romani testis ocularis.

Paulus etiam, etsi prolixa barba fuerit aliquibus revelatus, tamen omnino sine coma tonsus aut calvus. fuit enim Nazaræus, qui primum crine servato, denuo post vitæ magnam continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus, &c. ait Isidorus lib. 2 de divinis officiis, cap. de tonsura. unde Benedictinus cap. 9. sic de Paulo Apostolo calvo:

Conjubilent circumfulgenti chrismate calvos
Cæcato cunctis. Christi clamore citatus
Corruerat cito ceu confossus cuspide, conto,
Confestimque capit conscensum culmine cœli.

Et quidem Paulum more Nazareorum caput rasisse, certa fide tenendum. id enim dicitur Actor. 21. ℣. 25 & 26. ubi videndi Lorinus, Cornelius à Lapide & omnino Cajetanus, quem hic non vacat à morsibus Lorini tueri. unde Lucianus Paulum irrisorie describens in Dialogo Philipp. vera tamen dicens, ait: *quando enim me Galilæus ille convenit recalvaster, naso aquilo, qui in tertium usque cœlum per aërem ingressus est*, &c. recalvaster autem est ille, cui à fronte ceciderunt capilli, & est semicalvus, ut constat ex cap. 13 Levit. num. 41.

Sed accedamus ad senem Simeonem, qui puerum Iesum in ulnis suis, dum præsentaretur in Templo, cum puer ipse senis gressus dirigeret. de quo sic sanctus Augustinus serm. 13. de temp. cap. 3. *ad huc in utero* (Puer Iesus) *portabatur, & ex utero matris à Joanne Baptista salutabatur, in Templo præsentabatur, & à Simeone Sene annoso probato coronato agnoscebatur.* circa quæ verba Stellarius lib. 2, cap. 8. ejus titulum sic statuit: *locum Augustini super Simeonis corona mihi non intellectum viris eruditioribus propono.* ita ille. sed *calculo mordet* patrem sanctissimum & eloquentissimum, qui clare & præclare loquutus canitiem S. Simeonis, quæ illi pro corona naturaliter erat, designavit ipsum senem annosum multorum annorum probatum, id est, expertum & prudentem calvum dicens, nec aliud mysterium est in voce *coronato.* & quidem calvitiem dici coronam constat ex Hugbaldo in sua Ecloga capite primo:

Concrescit capitis cervice calva corona;
Consortem cleri consignat consore calvum,
Capturum claram Christo cedente coronam.
Ceu crines capitis convellens crimina cordis:
Corde Creatorem conspectat, corpore cœlum,
Cœlicolas cives cupiens, contingere cultu.

Quibus non solum coronam dicit calvitiem, & calvos esse coronatos, imo quod calvities præsagium sit clericalis & sacerdotalis ordinis.

His viris illustribus calvis in nostro musico positis alios non pigebit adjungere, ut videatur vix hominem insignem tum literis, tum negotiis publicis intentum, qui si ad quinquagesimum annum devenerit, non fuerit vel calvus, vel recalvaster. Calvus fuit primus homo, ab statu illo fœlicissimo sua culpa exul factus, & in agriculturæ ergastulum deportatus. Noë, Sem & Iaphet, Heber & Palech, Regu & Sarug, Tare & Iacob; ex gentibus Homerus, Hesiodus; ex populo Dei Isaias, Ieremias; ex Philosophis Æsopus Ephesius, Pythagoras, Plato, Aristoteles, & innumeri alii, ut constat ex iconibus antiquissimis, quas adducit Guilielmus Rovilius 1 & 2. par. de re *Medagliæ.* ex sanctis Patribus, sanctus Ambrosius, sanctus Dionysius Areopag. sanctus Thomas, quorum calvities imagines antiquissimæ ostentant; ex Pontificibus Summis, ex Monachis tam Occidentis, quam Orientis fere omnes ex rasura continua totius capitis.

Quis ergo fronte modesta, & quæ comata non sit, poterit maledicere calvis, quos ceritus solum collatrat clamore canino. quare egregie Hugbaldus in procemio Eclogæ ait:

Conscendit cœli calvorum causa cacumen.
Conticeant cuncti concreto crine comati
Certo calvos calventes carmine cunctos.
Consona conjunctim cantentur carmina calvis.

Ex aliis principiis plura alia encomia calvorum conglomerat doctissimus Synesius, quæ indicare sufficiat, quia alia me vocant. prius, inquam, ea ad summam redigam, placuit hujus Philosophi Episcopi elegantissima verba adducere. Sic enim loquitur: *Æacides Poeta celebratur. Is enim crines admodum contempsit, quos & mortuo amico profuse spargebat: vita si quidem, carent ii, & viventibus vitæ expertes partes adnascuntur qua ratione inter bruta animantia, quæ à ratione alieniora sunt, per totum corpus pilis vestiuntur. Hominis autem quia vita sincerior est, nuda est oneris cognati pars maxima, qui, ne arrogantius insolesceret, si nulla ei esset cum caducis seu interituris rebus societas, aliquot sui partibus pilos habet. quo fit, ut qui vel in his partibus pilis caret, hic, si cum altero homine comparetur, tantundem eo sit, quanto homo belluis præstantior.*

Ex quibus sumit primum encomium à canibus, qui glabri auribus & venatu meliores sunt: at contra villosi sunt attoniti, temerarii & venatione interdicti. His accedit, quod antiquitus, dum capita pecudum Diis sacrificabant, ipsa novacula à pilis radebant. Homerus Iliad. 3.

Hinc Rex Atrides cultrum, quem forte ferebat,
Eximit, & media villos de fronte revellit
Ambarum pecudum.

Existimabant enim, quod cum caput sit divinissimum membrum animalis, cui cætera serviunt, immundum esset pro sacrificio, si cum pilis offerretur. Calvitium ergo cultus fuit exhibitus Diis, tanquam res ipsis valde æstimabilis.

II. Quia in capite calvo est cœli forma rasa, tersa, expolita, quod multis explicat. III. Quod coma umbra est, & umbram faciei causat; at calvitium lucem, quam auget & rutilare facit. IV. Quia infirmitates ac catharros vetat; & sic Æsculapius Princeps Medicinæ calvus pingebatur, & Bacchus iste calore vini adustus cirris & comis infusiones oculorum & fluxiones fierent. unde egregie ad metrum hoc reduxit Hugbaldus cap. 5.

Comperies calvos columen conferre cerebro.
Comperies calvos capitis curare catharros.
Comperies calvos cæcas curare cavernas.
Chronica cum cancro ceditque cachexia calvo.
Cardia non carpens causatur, colica cessat.
Contrectans Chalybem concisa carne coërcet.
Corruptum capitis cocta cervice cruorem.

Cur

Cur complura cano? clandestina cuncta caduci.
Corpore confutat, collapsaque corpora curat.

V. Quia mulier non est calva, nisi ex infirmitate defluant capilli. & finis hominis capiti à natura impositus est calvitium, quo tanquam ultima completur perfectione, consecuta à natura, inquit, in statu post peccatum; quia in statu innocentiæ forsan non esset calvitium, sicut nec coma, quia humores temperatissimi essent, paucissimaque excrementa. sed de hoc late dixi contra Pozam tomo 2 Præcursore Theologo. VI. A militibus qui comati victi, & alii qui rasis capitibus victores evasere. *Soli igitur* (ut verisimile est) *quotquot in Alexandri acie calvi erant in ordine permanserunt.* & infra: *Classico receptui cani jubet longiusque abducto exercitu ac oportune positis castris tonsores immittit. & hi quidem à Rege pellecti passim Macedonas omnes novacula deraserunt. Dario vero Persisque deinceps pro voto res non successit. sublata enim apprehendendi ansa cum multo superioribus iniquo certamine congrediebantur. quam ob rem coma ipsa neque terribiles ut sint, neque ut videantur facit.* hæc Synesius.

VII. Ex Pictoribus magnum deducit indicium, si ad archetypum atque exemplar non pingant, sed ab aliquo iisdem permittatur, ut formam studio ac moribus excogitent uniuscujusque consentaneam. Nam si quis mœchum aut cinædum in tabella pingendum locaverit, crinitum aliquem aut cincinnatum accipiens habet quod præceperat. sin Philosophum aut Sacerdotem locaveris, calvus in tabella stabit auctoritatis & gravitatis aliquid præ se ferens. hujusmodi enim est hujus nominis insigne.

VIII. Sumit ex proverbio illo antiquissimo quo utitur Aristoteles: *Nullus comatus qui non. Tu vero* (ait) *ad trimetri sonum extremum carminis accommoda. Nec enim ego gravem istam rem, nomenve unquam pronuntiavero. recte sane, quando tu ipse accommodasti. & quid igitur tibi videtur? pape! ô miram veritatem! oraculum procul dubio est. sed quid in comatis reticentia ista insinuet, multa possemus dicere, quod iracundi. quod imprudentes, quod timidi, quod immodesti, quod effœminati, & millia alia, sicut in simili de alia reticentia: Nullus calvatus qui non. Trimetri sonum mille laudibus*, & encomiis plenum hujusque dedimus. quare concludo verbis Synesii: *De Philosophis, Sacerdotibus, Pontificibus, Regibus, Imperatoribus, temperantibusque omnibus bene sum his elogiis meritus, ut in quibus religiose quæ ad eos attinent tractantur, & hominibus optimo consilio subvenitur*, &c.

MEMBRVM VIII. *De utriusque sexus capillis tonsis, & templo appensis, Religionis ergo.*

QVantæ æstimationis apud utriusque sexus personas coma & capillitium; non fucatum in hominibus, more fœmineo; quod teste Paulo 1. ad Corinth. 11. ℣. 13, *ipsa natura docet, quod vir, si comam nutriat, ignominia est illi*, id est, ut ait ibi Chrysostomus, *quia Corinthii non solum comam nutriebant, ipsam ad scapulas usque prætendentes*, sed ipsam crispabant artificio, & in modum cæsariei vittis sericis ligantes, & calamistris intorquentes, in quo non solum fœminas exequabant, imo excedebant. quos egregie carpit Ambrosius epistola 70 ad Irenæum, dicens: *quam deforme autem virum facere opera muliebria! ergo pariant, ergo parturiant, qui crispant comam ut fœminæ, & tamen illæ velantur, isti bellantur. verum habeant excusationem, qui patrios usus sequuntur, sed tamen Barbaros, ut Persæ, ut Gothi, ut Armenii. major quidem est natura, quam patria.* hæc ille, imitans Apostolum in modo loquendi dicentem: *ipsa natura docet hoc.*

Vnde Martialis mediocritatem in coma & barba lib. 2 epigram. descripsit:

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit, nolo; sordida, nolo, cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barbareorum:
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

Et Horatius lib. 1. oda. 5.

Nequicquam Veneris præsidio ferox.
Pectes cæsariem, grataque fœminis
Imbelli cithara carmina divides.

Quare comam moderatam Ambrosius ipse lib. 6 exameron, dicit: *reverendam esse in senibus, venerabilem in Sacerdotibus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris: tolle arboris comam, arbor ingrata est; tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccescit.*

Vnde & Christus Dominus coma usus est moderata, ut notat Nicephorus libro primo Hist. capite quadragesimo. Anselmus in digressione quæ habetur tom. 3. Et scripsit describens faciem Christi Publius Lentulus ad I. R. *habens crines infra aures aliquantulum demissos.* quod innuit Sponsa Cantic. 5. versic. 1, dicens: *caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ Palmarum*, vel ex Hebræo transfert Vatablus, *caput ejus redimitum est auro obrizo, ejusque cincinni ut tiliæ.* tilia enim arbor est, cujus folia mollia in orbem lente crispa; de quo Plinius lib. 16, cap. 14, *foliorum dulcem esse succum. reperitur utriusque sexus, & quod sunt tenuissimæ carum Philyræ, suntque celebres in coronis.* & hujusmodi Taliarum Philyris comparat Sponsa sui Sponsi comam; talisque erat Christi cæsaries, quam totondisse ad tempus mihi persuasibile est, quia, nisi miraculum intercederet, cresceret, & horrorem incuteret, sicut Lucanus de Catone cecinit:

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem.

Quod Christo non conveniebat, qui, si hirsuto supercilio ex prolixa barba & deformibus capillis, potius ablegaret à se, quam alliceret ad se homines barba. ergo & coma ad tempus tondebatur, &, ut dicit Italicus Poëta:

Martia frons facilesque comæ, nec pone retroque.
Cæsaries brevior, &c.

De comæ & barbæ usu apud bene morigeratos viros egregie edisserit Clemens Alexandrinus libro tertio Pædagog. litera C. ubi erudite satis Gentianus Herbetus. sanctus Paulinus epistola 4 ad Severum, pagina mihi 57, agens de immoderata coma: *Coma* (inquit) *pondus est, propter quod Scriptura regali pondere gravem illius Parricidæ comam dicit, 2 Reg. 14, num. 26.* sed de coma Absolonis iterum sermo infra in digress. de Nazaræis.

Igitur comæ æstimatio magna fuit apud omnes gentes non solum Barbaras, sed & Politicas. de Lacedæmoniis testatur Plutarchus in Lysandro. de Lusitanis Alexander ab Alexandro lib. 5 Genial. c. 14. de omnibus Hispanis Rodig. libro decimo octavo lect. capite vigesimo primo, & libro nono, capite vigesimo nono. de quibus Catullus:

Hispanus ego contumax capillis.

Et vere quidem hodie contumaces in oblectamento longitudinis comæ & capillorum: siquidem malo regnante Planeta lex rigida non sufficit, ut abstineant, non cum parvo Nationis dedecore, in quam mortua jam consuetudine nutriendi comam contentis Hispanis ad Gallorum differentiam cum capitibus tonsis, Diabolo instigante iterum comarum & cirrorum

torum usus introductus est. de Gallis, comati passim à Plinio & Poëtis dicuntur, & de multis aliis passim in Historiis.

Sed quanta sit coma & barba, maturitate & prudentia utendum. quanta moderatione pilis in nostris utendum ad operiendum cranium, audi Alexandrinum Clementem ubi supra: *in fœminis vero quanta modestia ligandos tenui aliqua fibula, adnectere frugaliter simplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alemes. Meretricii enim pilorum plexus & catenarum nexus cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis insertis vinculis evellentes: qui fit ut ne sua tangant capita ne capillos confundant, pertimescentes. quin etiam non sine metu eos invadit somnus, dum timent ne texturæ figuram imprudentes spolient.* hæc ibi. quid diceret Clemens si capita ornata mulierum hodie conspiceret? O tempora! ô mores! tam graviter à Patribus reprehensa, & sine fructu ob contumaciam!

Sed quid de alienorum capillorum ad proprium caput accommodatione dicat, audi: *Alienorum autem capillorum appositiones* (nos vocamus Moños) *sunt omnino rejiciendæ & externas comas capiti adhibere est maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. cui enim manum imponit Presbyter? cui autem benedicit? Non mulieri, quæ est ornata, sed alienis capillis, & per ipsos alii capiti. si autem mulieris caput est vir, viri autem caput est Christus, quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere: nam per exuperantem comam viros decipiunt; Dominum autem, quantum in ipsis situm est, dedecore afficiunt, dum meretricie ornantur in fraudem veritatis, & caput quod vere pulchrum est, maledictis incessunt.* hactenus satis bene contra abusum hodiernum capillorum mortuorum. Legatur ibi Hebertus qui rationes Alexandrini enucleat.

Hæc dicta sint ex occasione contra comarum abusum, cum, ut dixi, coma moderata semper fuerit apud omnes civiliter viventes juxta patrios mores æstimata. ex quo ortum duxit quod tam fœminæ, quam viri cultu religioso ducti comas & capillos tonderent, & Religionis ergo templo appenderent. de viris constat ex Suetonio in Nerone, capite duodecimo: *Hic enim Imperator inter Buthysiæ apparatum barbam primam posuit. conditamque in auream pixide, & pretiosissimis margaritis adornatam Iovi Capitolino consecravit.* Hæc Sueton. quod ad Metrum reduxit Martialis libro nono:

Consilium formæ, speculum, dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.
Felix quæ tali censetur munere tellus!
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

Et Epigrammate sequente de alio loquitur ad Æsculapium:

Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies Iudice tota fuit.

Vnde Plutarchus in Theseo ait: illis temporibus usitatum fuisse, ut qui ex Ephebis excessissent, delati in Delphos, de comis Deo primitias darent. Theseus tamen in Delphos accessit, & anteriorem capitis partem solam abrasit & sacravit. Hujus consuetudinis meminit Iuvenalis Satyra 3,

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.

Et Theodoretus quæstione vigesima octava in Levit. *Moris est* (ait) *apud Græcos in pueris capillorum extremitates non attondere, sed sinere capillos promitti, & aliquanto post tempore eos Dæmonibus dicare.*

Idem sacrificium peragebant, si longa peregrinatione, sive maritima, sive terrestri, ad postliminium reverterent, auxiliis illius Divi cui se devovere ante iter arreptum. Hinc Glycæ apud Petronium *in Eumolpum insurrectio, dum fere sub undis in naufragio esset, cui Deo crinem vovisti?* Pharmace responde. & apud Homerum in Apostrophe Achillis:

Hos alios crines tibi nostro nomine Peleus
Sacravit, Pater, in Patriam si forte redissem.

Prius tamen sacrarat aliam comam mœrens in morte amicissimi Patrocli:

Devovio hanc Patrocle comam tibi.

Quem morem commemorat Tertullianus libro de anima cap. 40. dicens: *Quis non exinde totum filii caput reatui vovet? aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione? & Censorinus de die Natali. pro cætera bona corporis valitudine crinem Deo factum pascebant. & forsan id consecrabant, sicut primam frugem, ut deinceps coma & barba pulchra nasceretur & decora.* ut enim ait Augustinus lib. 4 de Civitate Dei capite vigesimo primo, ita fuerunt Romani superstitiosi, ut Deos quibus sacra facerent, fingerent juxta uniuscujusque necessitatem. Audi sanctum Doctorem sic egregie sanantem: *Quid opus erat parturientibus invocare Lucinam? Quid necesse erat Opi Deæ commendare nascentes? Deo Vagicano* (non vaticano) *vagientes? Deæ Cuninæ jacentes, Deo Ruminæ sugentes? Deo Statulo stantes? Deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes? Deo menti ut bonam haberent mentem? Deo volumno, vel Deæ volumnæ, ut bona vellent? Diis nuptialibus, ut bene conjugarentur? Diis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent? & maxime ipsi Deæ fructiferæ? Marti & Bellonæ, ut belli gerarent bene? Deæ Victoriæ, ut vincerent? Deo Honorino, ut honorarentur? Deæ pecuniæ,* ut pecuniosi essent? *Deo Æsculano & filio ejus Argentino, ut haberent æream argenteamque pecuniam.* hæc ibi.

Ex qua Deorum multiplici vanitate, & multitudine varia sacrificiarum genera, quæ illis tum publice tum privatim offerebantur ortum duxere. Iuvenales ludi ad quos teste Suetonio in Nerone capite undecimo, *admittebantur senes consulares anusque Matrenæ.* quod non sine admiratione fert, cum dies isti festi solum essent Iuvenum. Hi enim dies sacri erant in memoriam Barbæ Neronis Deo Capitolino dicatæ, ut tradunt Suetonius capite duodecimo, Xiphelinus in Nerone, Rodiginius lib. 19. cap. 22. quamvis hunc festum primæ barbæ depositæ ad templum alicujus Divi testatur, Dio libro quadragesimo octavo incepisse tempore Octavii Augusti. Capitolinus tamen in Gordianis dicit, hanc superstitionem ita crevisse, ut in omnibus civitatibus Campaniæ Piceni, Vmbriæ de proprio, per quadriennium ludos scilicet & juvenalia ediderit. & suo tempore durasse in Gallia affirmat Sidonius Episcopus antiquissimus.

O quanto feliciores & sanctiores Deoque magis accepti fuerunt ludi, & juvenales & seniles, quos fecerunt fideles tempore sancti Gothofredi Ambiensis Episcopi! qui, ut referunt Surius & Molanus in ejus vita, octavo Novembris: *Cum celebri festivitate Natalis Domini nollet Episcopus eorum oblationes admittere, quia instar mulierculrum intonsa erant coma, quo facto permoti, & cognita Antistitis auctoritate certatim gladiis, & cultris sibi capillum abscindebant. Miseros se existimantes si ob comam tanti viri benedictione privarentur, &c.* istis enim coma gravissima erat. quare eam justo titulo dicarent; lege si placet Divum Paulinum, Epistola quarta ad Severum, ubi satis pulchra ad hoc propositum, de quibus aliqua nos prælibabimus infra.

Igitur deponendæ apud cœlites comæ argumentum invenies, apud Papinium libro tertio Sylvar.

Accipe

Accipe laudatos Iuvenis Phœbeïe crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer.

De fœminis idem constat. Vestalibus enim Virginibus hoc proprium ferunt, ut dejectum capillum tanquam sacrosanctum vulgo atteri non sinerent, sed in Loto arbore conspicuæ magnitudinis, quæ in Lucinæ ara colebatur, apponerent, quæ ob id capillare nomen accepit. de quibus Petrus Crinitus libro vigesimo de disciplina honesta, capite sexto: *Antiquior Lotos est, quæ capillata dicitur, quoniam Virginum Vestalium ad eam capillus defertur. verba sunt Plinii lib. 16. quo loco dubitari video à Doctoribus, quid Plinius designet de Vestalium crinibus; nos vero morem Virginum putamus insinuari, quo tenerentur omnes (quæ Vestæ sacris fuerunt initiatæ) capillum detonderi, qui deinde ad arborem Loton, inter felices receptam, devectus humo obrueretur. quod ipsum ex Flaminum ac Vestalium sacris elicitur, in quibus cautum fuit, ut unguium, & capilli præsegmina subter felicem arborem obtegerentur. quod Aulus Gellius in Atticis noctibus refert:*

Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detondeto.
Vnguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra integunto.

Quam rem in Vestalibus etiam observatam existimo. itaque ad capillatam Loton, earum crines deponi mos fuit. hactenus eruditus Crinitus. unde Euripides in Bacchid. *Sacer capillus est, Deo ipsum nutrio,* & Papinianus lib. 2, *virgineas libare,* id est sacrificare, *comas.*

Hunc morem sacrandi fœminas comas suas Divis, conservant Christiani meliori cultu veri Dei. Mulieres enim, quibus decens est comam nutrire, solent illam abscindere, & in templo ad sacellum Beatæ Virginis aut Christi appensam ponere in signum servitutis. de comis autem virorum hoc nunquam usitatum, quia ipsa natura docente turpe est viro comam nutrire, & sic turpes sint comæ ipsæ, atque ita Divis non dicandæ. Moniales etiam dum monasterium ingrediuntur, etsi comas suas in templo non appendant, tamen illas Deo offerunt, ut ipsius servæ & pro ipso stultæ factæ, quibus omnem sapientiam & libertatem consequuntur filiorum Dei. ita Pachomius sanctus, Monialibus Tebenensibus Angelo monstrante præcepit. & explicat Palladius in Lausiaca (sic dicta, quia Lauso Præfecto amico suo dicavit) cap. 41. quæ tonsæ erant & cucullos in capitibus habebant. loco autem cucullorum hodie Virgines Deo dicatæ & Moniales, vela nigra habent, ut in superioribus tetigi.

Sed nulla inter mulieres perfectiori cultu, majori dilectione, veneratione & affectu comam suam consecravit quam peccatrix illa, quæ accessit ad pedes Iesu, confessa & recessit professa. de qua dicitur Lucæ 7, numero trigesimo septimo: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti & stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* quam capillorum & comæ ad pedes Christi appensionem, & cultu Religioso dedicationem contra Pharisæi murmurationem Christus approbavit, num. 44. dicens: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lachrymis rigavit pedes, & capillis suis tersit.* quæ verba ad propositum satis pulchre explicat Paulinus epistola 4. citata, pagina mihi 67. *Opera* (inquit) *nostra in die retributionis sicut capillos sui capitis Dominus Remunerator adnumeret, ut ipsa jam præfatus est in Euangelio, pronuntianda judicio, cum benedictione divina & attributione Regifica remunerabit merita virtutum, hoc est pulcherrimas sui capitis comas, qualibus & illa mulier Christi vestigia unguento & lachrymis rigans tersit, quæ non tam pretio munerum, quam obsequii placuit affectu.* & infra: *non ad opes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit & cibavit, atque ipsos sibi pedes sacrarium (ut ita dixerim) & altare constituit, in quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu.* hæc ibi. sanctè ergo & religiose fœminarum comæ ad templa Divorum appenduntur.

MEMBRVM IX. *In fletu, ac mœrore crines utriusque sexus attonsi, & intonsi. aliquando signum lætitiæ tonsio. de tonsura sancti Iob.*

VTrumque certum, nec multum in ejus probatione immorandum: in luctu enim & mœrore crines tonderi solere, constat ex humanis & divinis literis. Herodotus enim lib. 1 de Argivis, & libro 4 de Scytis; Lucianus Dialogo de Dea Syria, & Syriis; & Suetonius in Caligula, capite 4 & 5. de quibus Barbaris narrant, quod in signum luctus barbam & capita radunt. quo circa Magnus ille Alexander, qui subjugavit orbem, in funere Hephæstionis amantissimi sibi & suis Principibus capita & barbas rasit, equos similiter & mulos totondit.

Hinc orta est illa gentilitia cæremonia, quod jam jam morituri in signum doloris, & tristitiæ amissionis vitæ capillos capitis tondebant. sic Statius libro 7.

Accipe commissum capiti decus.

Et Seneca in Hippol. act. 5.

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Lacereque frontis accipe abscissam comam.
— Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvi.
Sic ait, & dextra crinem secat, omnisque una
Dilapsus color, atque in ventos vita recessit.

Orta est etiam ei fallor alia cæremonia deferendi capillos ad sepulchra, ubi tonsi ponebantur. de qua Ovidius in Cancia:

Non mihi te licuit lachrymis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulchra comas.

Attondebant se amici & amico mortuo, ut ipsum aliquantulum consociarent, comas suas in signum luctus & mœroris consepeliebant. Hujus ritus meminit Statius lib. 5.

Crinemque effato monte sepulti
Pone super tumulum.

Et quidem quod tonsio in divinis literis signum sit luctus, & mœroris ex multis constat. Iob cap. 2. vers. 20, audita filiorum & filiarum morte, tunc *surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terra adoravit.* quamvis enim Origenes dicat lib. 1 in Iob, hoc fecisse virum sanctum in signum lætitiæ, & non luctus, tamen contrarium sentiunt omnes Patres tam Græci, quam Latini, omnesque expositores. quamvis enim, ut mox dicam, capitis tonsio signum sit lætitiæ, tamen hoc in loco signum fuit mœroris & tristitiæ. unde Dominus Cajetanus ibi: *Internæ tristitiæ conformia signa illo tempore solita monstravit, scindendo vestem & tondendo caput. intelligo autem tonsum caput non solum quoad capillos, sed etiam quoad barbam.* & Divus Thomas ibi lectione 4, *apud eos, qui comam nutriunt solet esse doloris indicium. unde hæc duo signa tristitiæ convenienter præmissis adversitatibus respondent. nam scissio tunicæ respondet amissioni rerum; tonsio capitis amissioni filiorum.*

Idem ritus ex Synagoga constat Micheæ 1. n. 16, *Decalvare & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata*

lata calvitium tuum sicut Aquila, quoniam captivi sunt, &c. quasi dicat (sic explicantibus Patribus) decalvare tu ô Iudæa & Samaria in signum insignis mœroris ob desolationem, excidium, rejectionem, qua Deus rejiciet & reprobabit filios delicatos tuos; & sicut aquila, dum senescit, non solum capitis amittit plumas, sed totius corporis, ita & tu depones omnes tui corporis pilos, & non solum capitis, sed & barbæ attonde, propter calamitates, tristitias & mœrores quos passura es. similia habentur Isaiæ 22. vs. 12. Hierem. 47. vs. 5. Ezechiel 7. vs. 18. & Amos 8. vs. 10. ubi calvitium minatur in signum doloris & tristitiæ.

Sed capillus & barba intonsa etiam signum mœroris & tristitiæ, ut constat ex humanis & divinis. Suetonius in Iulio Cæsare, cap. 67 dicit, quod *Imperator ita mærore est correptus audita clade Titiriana, quod barbam capillumque summiserit, nec ante dimiserit quam vindicasset.* qui mos apud Hispanos fuit aliquando, & modo est usus non tondendi barbam aut capillum in morte carorum. sic etiam 2 Reg. cap. 19. vs. 24. Mephiboseth filius Saul *descendit in occursum Regis, illotis pedibus & intonsa barba, vestesque suas non laverat à die qua egressus fuerat Rex, usque ad diem reversionis ejus in pace.* ad quæ verba sic Tostatus, quem sequitur Cajetanus, ibi: *Descendebat habens pedes non lotos, & barbam non tonsam, sed magnam, veluti si lugeret mortuum longo tempore.* Irridet autem, & jure quidem optimo, quasdam Hebræorum expositiones ad illa verba: *illotis pedibus.* nam in Hebræo habetur *non fecit pedes suos, nec fecit labia sua:* non fecit, exponunt Hebræi, *barbam inferiorem.* sed isti loquuntur impudice, cum sensus clarus sit juxta Hispanismum nostrum, *No se puso çapatos nuevos nise hiso el vigote,* in signum mœroris & tristitiæ.

Mutatione ergo barbæ & capillorum immutationem status denotant homines, sive à festivo & felici in lugubrem & tristem, sive à lugubri & tristi in festivum & felicem. Hucusque priorem terminum enodavimus; modo posteriorem. Igitur capillorum & barbæ tonsio & compositio signum lætitiæ & felicitatis est & illius proclamatio. audi Scripturam sacram Genes. 41. num. 14, ubi Iosephi de carcere adductus imperio Pharaonis, ut insomnium suum interpretaretur, Ministri Regii squalorem barbæ & vestium, totamque pauperibus incarceratis solitam illuviem abluunt, ut decenter & festive in aula præsentaretur Regis. unde sacer textus ait: *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* in quæ verba sic Cornelius à Lapide ibi: *veteres rei in carcere comam & barbam crescere sinebant quasi lugentes & squalentes, uti de Milone ait Plutarchus. absoluti vero & liberati comam & barbam deponebant, in signum lætitiæ, felicitatis & fortunæ.*

MEMBRUM X. *De sterquilinio Iobi contra Stellarium digressiuncula.*

AVdax Stellarii ingenium. dum enim vult sanctum Iobum purgare ab sterquilinio, in quo divina permissione Diabolus eum constituit, ibique, ut omnes quotquot sunt Patres agnoscunt & recognoscunt, seipsum in lutum projecit; igitur libro secundo de Coronis capite sexto, in eam prosiliit novitatem, ut affirmet, sterquilinium Iobi non fuisse locum squalidum & immundum stercoribus designatum, & extra civitatem & sub dio, sed fuisse Mausoleum aut celebre sepulchrum, quod ipse sanctus Iob ædificaverat sumptuosum pro se & suis sepeliendis, quod erat extra civitatem. sicut duo Reges Ægyptii ædificarunt celebrem illum labyrinthum tam celebratum à tota antiquitate; & Adrianus Imperator molem illam vere magnam, quæ Romæ Adriani dicitur Moles, & hodie Castellum sancti Angeli, pro suo sepulchro construxit & muris cinxit. apud Christianos etiam idem mos observatur: siquidem sanctus Athanasius in sui Patris sepulchro per quatuor menses delituit, & sic ejus capacitas magna fuit, sicut est sepulchri Christi, quod hodie visitur à peregrinis, & plurimorum hominum capax. Spelunca etiam in qua sepultus est Abraham, duplex dicitur in sacra Scriptura, propter ejus magnitudinem. Sepulchrum etiam Regum Hispaniæ, quod in Escuriali miro artificio fundatum est amplum, clarum, sumptuosum, speciosum, ubi plures homines, extra locula designata pro mortuis, possunt inhabitare. similiter in Metina sancti Luciferi vulgo S. Lusar de Varramida, insigne est Mausoleum Ducum, ad quod descenditur scalis amplis, suntque altaria, ubi celebratur Missa.

Quid ergo mirum quod sanctus Iob, dum erat in bonis temporalibus, magnus & dives inter omnes Orientales, simile quoddam magnificum sepulchrum construeret extra civitatem, in quo & essent loca designata pro cadaveribus, & alia ad aliqualem habitationem. ibique esset cum Regulis amicis, qui ad ipsum invisendum venerunt? & quidem quis prudens judicabit, quod ipsos sanctus Iob reciperet hospitio in publico sterquilinio, ibique cum ipsis de rebus altissimis philosopharet? Hoc autem sepulchrum sterquilinium dici potest, quia Nabathæos, Sabæos, atque Arabes, inter quos erat sanctus Iob, cadavera mortuorum suorum in stercoribus sepelire consuevisse attestatur Gregorius Giraldus, dicens: *habebant cadavera loco stercoris, ideoque in stercoribus sepeliebant, superponentes cœnum, lutum, deinde terram.* Strabo etiam dicit, *superinjecta stercora cadaveribus defunctorum.* hæc fere Stellarius.

At Dominus Cajetanus secutus Vatablum & alios Hebraizantium, conformans se textui Hebræo, sic interpretatur locum sacræ Scripturæ Iobi 2. num. 8, *sedens in sterquilinio. juxta Hebræum habetur, & ipse sedens inter cinerem. nihil dicitur de sterquilinio, sed quod elegerit sedere in medio cineris ad cumulum dejectionis suæ.* Vatablus: *& accepit testam, qua sese fricaret, seditque in pulvere.* addit num. 6. annotat. *in medio cineris: is enim erat mos lugentium.* eodem modo legit Arias Montanus, sanctus Pagninus, & alii. & quidem cum, ut notat Pineda ibi cap. 2. versiculo vigesimo, numero quatuordecimo, Iobus mortis consideratione ductus caput raserit, satis congrue dictum raso capite in cinere & pulvere sedisse, in quem se convertendum indicabat. *omnia enim cinis,* dixit Lucianus. & Horatius libro quarto, oda septima:

Pulvis & umbra sumus.

Hinc orta illa apud Gentiles & etiam apud Catholicos usitatissima cæremonia, qua mortuis dum sepeliuntur pugnum pulveris injicimus, non glebam, sed levissimum, ut est in proverbio, dum morituris precamur dicentes, *sit tibi terra levis.* Hinc apud Pedonem de obitu suo Mœcenas:

Nunc ego quid possum? tellus levis ossa teneto;
Pendula librato pondus & illa tuum.

Propertius lib. 1. eleg. 17,

Ille meum extremo clamasset pulvere nomen,
Et mihi non ullo pondere terra foret.

Persius Satyra 1,

— Nunc non cinis ille Poetæ
Felix? nunc levior Cippus non imprimit ossa?

Martialis lib. 6. Epigram. 51.

Sis licet, ut debes tellus placata, levisque;
Artificis levior non potes esse manu.

Sic ergo sanctus Iob tonso capite & scissa veste in pulvere sedebat, memor pulveris quem amici in morte erant jacturi, dicentes illi, *vale.*

Sed quamvis hæc Cajetani intelligentia valde sit conformis originali Hebræo, in quo clare idem dicitur; tamen sequentes, ut sequi debemus vulgatam editionem, in qua fuit expressa mentio de *sterquilinio*, sicut fecerunt septuaginta Interpretes (quos secuti sunt omnes Patres Græci,) & Vaticana & utriusque auctoritas maxima est in his, quæ vulgatæ non opponuntur, non possimus Cardinalis sententiam amplecti, & multo minus approbare novitatem Stellarii. quare mihi circa Iobi sterquilinum duo videntur certa, vel tria.

Primum est, sterquilinum hoc non fuisse locum communem, ad quem stercora civitatis deferuntur. hoc enim nullus prudens dicet de viro maximæ auctoritatis, qui etsi exclusus propter lepram & elephantiasim extra civitatem & domum propriam à Magistratibus, & propter timorem infectionis aliorum, ut fuit usus apud omnes gentes; tamen ipse reponendus non erat in loco publico stercoribus communibus designato. nec enim ibi tres illi Reguli amici sui tanto tempore erant mansuri, de altissimis rebus cum illo tractantes in loco tam indecenti; nec enim ille locus designatus erat à Magistratu pro leprosis.

Et quidem sanctissimum in gentilismo Patriarcham lepra infectum fuisse arte & molimine Dæmonis, constans est Patrum consensus. ita Augustinus serm. 32. ad fratres in Eremo, Chrysostomus, Philippus, Beda ad Elephantiasim, quæ infirmitas est contagiosa, respiciunt. sanctus Hieronymus ad illa verba Psalmi trigesimi septimi, versiculi duodecimi: *amici mei & propinqui mei adversum me appropinquaverunt*, id est, ait sanctus Doctor, *quasi contra meam lepram steterunt.* fuit enim lepra infirmitas satis communis in Ægypto & Arabia. leprosus autem omni tempore, quo leprosus est & immundus, solus habitat extra castra, Levit. 13. num. 4. sic Azarias Rex. 4 Reg. 15. num. 5. & 2 Paral. 16. num. 21. lepra percussus urbe & regno cessit, in domo libera separata habitare est coactus. quæ lex non solum apud Hebræos, sed fere apud omnes gentes politice viventes viget, ut dicebam, & de Persis narrat Herodotus apud Cœlium Rodig. lib. 5. lect. antiqua. Iob etsi in sterquilinio extra civitatem posito fuerit, ut transferunt ex Hebræo septuaginta Interpretes, (fuit enim Iob figura Christi, qui reputatus leprosus extra civitatem fuit passus) tamen sterquilinium hoc non fuit locus communis designatus ad stercora civitatis.

2. Est, sterquilinium hoc non fuisse sepulchrum aut Mausoleum, quod sibi ædificavit Iob pro cadaveribus suorum & proprio, hoc certissimum existimo contra Stellarium, tum quia certum non est an tale sepulchrum sibi & suis construxerit: multi enim antiquorum gentilium, inter quos morabatur, genus vesaniæ putarunt de sepultura curare: *quæ ergo dementia est*, inquit Petronius Arbiter, *omnia facere ne quid à nobis relinquat sepultura*, quasi dicat, quid refert, ut qualitercumque cadaver putrescat? quod egregie dixit Thales apud Stobæum serm. 38, *si non sepelieris, quid tibi curæ est? & si non tegeris humo, sed insepultus sis, quæ hæc ad te molestia? aut quid refert igne comburi, aut à cane devorari, aut supra terram existentem à corvis, aut intra eam à vermibus defossum? sane quidquid circa sepulturam fit, veluti quidam ludus ab hominibus excogitatus mihi esse videtur. Nos enim à conspectu, tactuque mortuorum abhorremus; alii vero desiccata cadavera ceu quippiam egregium domi servant, & loco pignorum mortuos accipiunt. adeo illorum mores nostris contrarii sunt.* hæc ibi. & sermone 120. Diogenis egregium dictum inducit: *si canes corpus suum lacerarent, Hyrcanam sepulturam fore; sin vultures, Iberam. At si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcherrimam sibi fore sepulturam, corpore pretiosissimis rebus, sole inquam & imbribus, absumpto.* & Lucanus libro septimo sic canit:

Nil agis hac ira, tabesne cadavera solvat,
An rogus, haud refert. placido natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.

Vnde veteres Persæ, ut Agathias libro 11 Historiarum, Natio in Oriente nobilissima, solemnem ritum habuerunt, corpora defunctorum extra urbium suarum mœnia elata in campo deponere, ut pabula darent avibus, execrabilia ea arbitrati quæ devoratorem aliquem in primo quovis tempore non invenirent, eaque demum lugeri à cognatis solita tanquam solo barathro digna sint, & malis dæmonibus mancipata. similia de Parthis refert Augustinus in epit. Histor. lib. 4. In Hyrcania plebs publicos alit canes, Optimates domesticos; nobile autem genus canum scimus esse, sed pro sua quisque voluntate parat, à quibus lanietur; eamque illi optimam esse censent sepulturam, ait Cicero libro primo Tusculan. quamvis tamen sanctus Iob, utpote Christi confessor & Ecclesiæ filius, sepulchrum agnoverit, utpote meliorem & sanctiorem consuetudinem corpus humandi & sepeliendi terra effossa (de quo ritu Xenophon libro octavo de Cyropædia. ubi *potentissimus Princeps præcepit filiis suis, ne auro vel argento conficiant ejus sepulchrum, sed quod illud terræ reddant, qua re, ait, nihil beatius.*) ergo vanitatem Mausolei & sepulchralis caveæ curiose ædificatæ non est prosecutus Iob, nec amplexatus, nec hujus est aliquod vel leve indicium, nec in ejus sacra Historia, nec in alia.

Tum etiam dato quod Mausoleum omni curiositate & varietate ornatum extruxerit, sicut Reges & Consules terræ, *qui ædificant sibi solitudines*, in quo *somno suo*, id est morte sua, requiesceret: fuit enim apud plures nationes magna cura ædificandi sepulchra magnis sumptibus. Æthiopes enim ditiores ex auro, tenuiores ex argento sepulchra faciebant, ut tradunt Herodotus lib. 3. & Diodorus lib. 3 cap. 5. qui dicit lib. 2. cap. 5. quod apud Ægyptios sepulchra talento taxabantur: habebant enim majorem sepulchrorum, quam domorum curam. Romani etiam ita superstitiosi erant, in ædificandis monumentis tot sumptus faciebant, quod, teste Cicerone libro secundo de legibus, *duodecim tabulæ decreverint sepulchrorum magnificentiam minuendam.* & Lucanus loquens de Pyramidibus, in quibus corpora mortuorum claudebantur, sic fatur:

Et Regum cineres instructo monte quiescunt,
Cui Ptolomæorum manes seriemque pudendam
Pyramides claudunt.

Vnde Alexander Magnus multa talenta dicitur expendisse in ædificando monumento amico suo Hephæstioni.

Sed hujus solicitudinis & curæ causam, quam gentiles Politice viventes habuerunt in construendis sepulchris ad condenda cadavera, Iulius Scaliger libro tertio Poëtices, capite vigesimo declarat his verbis: *Humanum enim ingenium, quod animæ nostræ vis interior est, cum se sciat immortale, optat etiam, ut corpus suum, domicilium vitæ & consors comesque fatorum, quoad fieri possit*

possit, eadem felicitate fruatur. ædificat idcirco Pyramides eisque conditum imponit, ut si non universa temporum spatia æquare possit, aliqua tamen quam fieri possit longinqua superet, atque ita qua licet animæ immortalitatis gloriam participet, atque æmuletur. hæc ille pulchre satis.

Ast quis in tale delirium prorumpat, quod Mausoleola, Pyramides, monumenta ex auro & argento, labyrinthos & sepulchra Mosaico labore constructa, quamvis plena ossibus mortuorum, sterquilinium appellet? hæc enim appellatio per sepulchra omnia Principum, Regum, Pontificum & Magnatum divagabitur, quod ego sic appellare fas non judico, sed mihi temerarium.

Quod dico est, hoc sterquilinium fuisse ruralem locum septum sub dio, ad quem deducebant Pastores Iobi oves & boves, vaccas & capras noctu, vel ad eas emungendas, qui locus proprie dicitur sterquilinium. hoc manifeste deduco ex nomine Græco quo utuntur septuaginta Interpretes κοπρία, ἀπὸ τῦ κοπρῦς, quod proprie juxta omnia lexica Græco-Latina significat stercus aut fimum, quem relinquunt hujusmodi animalia, ut multis probat Ambrosius Calepinus; unde κοπρὼν fimetum, seu sterquilinium, locus in quo fimus congeritur: quia, ut ait Plinius lib. 20. cap. 2, *debet esse sub dio concavo loco, ut humorem colligat*, &c. & Columel. lib. 1 de re rustica, dum domum ruralem ædificare instruit, dicit: *sterquilinia duo sint, unum quod nova purgamenta recipiat, & in annum conservet; alterum ex quo vetera vehantur*, &c. unde doctissimus Pater Fr. Ioannes à Iesu Maria in Paraphrasi illius loci Iob. *sedit Iob urbe egressus in fimeto, ubi fluentem saniem fragmento vasis fictilis abstergit.*

Igitur sanctum Iobum lepra & Elephantiasi contagiosa perculsum excludunt Magistratus, vel ipse ductus charitate, ne alios contagio inficeret, deserit civitatem & hominum commercium, & ad sepem secessit ad quam greges & armenta minabantur; hæc autem sepes quia plena fimis animalium, fimetum vel sterquilinium dicebatur, κοπρὸς enim dicitur boum & gregum stabulum apud Homerum Iliad. 6. teste Scapula. vel si mavis, Iob leprosus divertit ad domum suam ruralem, vel villam, in qua erant duo sterquilinia, in quibus fimi & excrementa animalium colligebantur ad campos fertilisandos, pro segetibus colligendis. sedet mœrens in uno istorum sterquiliniorum, maxime dum saniem radebat, & vermes ex ulceribus putridis excutiebat. in domo tamen ista rurali alia erant habitacula, quam inhabitabant amici, dum ipsum consolandum inviserunt, & in quibus & ipse sanctus Iob aliquantulum requiescebat, nec enim cogitandum, quod semper inesset sterquilinio, ut notant Beda & Philippus; nec enim hoc dicit sacra Scriptura, sed quod sedebat in sterquilinio, quod (salva authoritate vulgatæ, quam ut Catholici semper incolumem servare tenemur) negari nequit. id quod tenent omnes sancti Patres, Origenes, Chrysostomus, Poly-chronius, Philippus, Beda, Divus Thomas, & omnes fere.

Fundamenta Stellarii futilia sunt, ut ex dictis constat. quare ad illa nil præter dicta est respondendum, sua enim nullitate evanescunt.

MEMBRUM XI. *De Nazaræorum coma & tonsura.*

NOtat optime Thomas Massutius libro primo de Vita sancti Pauli capite septimo, ex sancto Isidoro, libro secundo de divinis officiis cap. de corona, cujus verba transcripsit Concilium Aquisgran. 1. cap. 1, *quod tonsuræ Ecclesiasticæ usus à Nazaræis ni fallor exortus est, qui prius crine servato denuo post vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant & capillos in ignem sacrificii poneri jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut qui divinis cultibus mancipati Domino consecrantur quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur.* Hactenus ex Isidoro Massutius, qui prosequitur: *cur autem Ecclesiastici in lege Euangelica Nazaræos antiquæ legis non tam imitentur in alendis, quam in resecandis & tondendis crinibus. rationem reddit Augustinus lib. de opere Monach. cap. 8. quia coma velamen est capitis, velata autem magis erant in veteri Testamento mysteria fidei, quam in lege Euangelica, ut ait Apostolus 2 ad Corinthios 3. vers. 19. nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes.* fuisse autem optime præsignatos Religiosos novi Testamenti in Nazaræis, qui in veteri Testamento fuerunt habiti omnium Religiosiores, & sanctiores fuisse, docent sancti Patres Gregorius lib. 32 Moral. cap. 17. Nazianzenus oratio. in laudes sancti Basilii, Divus Thomas 2. 2. qu. 186. artic. 6. Cornelius à Lapide in cap. 6 Numer. ubi Abulensis q. 22. de ritu ergo horum Religiosorum veteris legis est præsens examinatio, ut exinde transitum faciamus ad tonsuram & coronam Clericorum novi Testamenti.

Igitur Numerorum cap. 6. postquam capite quinto dixerat de muliere adultera lapidanda, ex quo populus electus denigrabatur & pejorabatur, ut melioraretur Deus ipse instituit Nazaræorum ordinem, plurima statuta ab ipsis observanda disponens quæ hic omittam; solum adducens ea, quæ ad comam & tonsuram attinent. igitur institutor Deus sic Regulam Nazaræorum incipit: *vir sive mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerit Domino consecrare, omni tempore consecrationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur.* & numero nono: *sin autem mortuus fuerit subito quispiam, coram eo polluetur caput consecrationis ejus, quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursus septima.* & numero decimo tertio: *cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino.* & num. 18, *Tunc radetur Nazaræus ante ostium Tabernaculi Fœderis cæsarie consecrationis suæ, tolletque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.*

DIGRESSIO VI.

De Religione Nazaræorum.

QUia Religio ista à Deo in veteri lege instituta, & fuit expressa figura & imago ad vivum repræsentans Religiones Euangelicas, quibus opponuntur Hæretici, sintque multa valde scitu digna, ea diligentia qua potuero ex Patribus & Doctoribus Catholicis colligam ea quæ huic instituto sufficiant, ut hæretici desinant effutire contra Religiosum statum.

SECTIO I. *Nomenclatura Nazaræi & ejusdem multiplex notio.*

NAzaræus nomen Hebræum à radice Hebræa originem ducit, à qua etiam dimanat nomen civitatis à qua Christus Dominus fuit oriundus, & in qua vitam degit spatio viginti quatuor annorum, dicta Nazareth, de qua late Adrichomius in descriptione Terræ sanctæ. & latius Quaresma tom. 1. similis

similis descriptionis. igitur Nazaræus à radice נזר vel נצר derivatur. si enim à prima radici per zain oriatur, significat sanctum, separatum, intactum & mirabile, consecratum, coronatum, Religiosum; si autem per tsade, significat germen, floridum, ut videre est apud expositores ad caput sextum Numer. & ad caput secundum Matthæi. unde Eusebius libro 7. demonstr. Euang. cap. 2. demonstrat. 5. dixit: *Nazer septuaginta vertunt sanctum, Aquila separatum, symma intactum. itaque ex his Nazaræum nomen significabit aut sanctum, aut segregatum, aut intactum: at vero prisci quidam Sacerdotes cum oleo comparato, quod apud Mosem Nazar appellatur ungerentur, vocabantur Nazaræi.* hæc ille, & Cornelius à Lapide vir sane eruditus in cap. 6 Numer. num. 9. *Nota Nezir significat primo separationem, secundo consecrationem, tertio coronam, quarto cæsariem, sive comam instar coronæ, quæ Deo consecrabatur.* Hinc, à נזר deductum נזיר Nazir, id est, Nazaræus, significat primo, separatum Deo; secundo, consecratum; tertio, coronatum (unde notat Christianus Adrichomius in Theatro terræ sanctæ, urbs Nazareth, in coronæ formam ædificata fuit;) quarto Cæsariem, sive comatum. quod autem significet mirabilem esse, singulariter advertit doctissimus Hieronymus Oleaster, ad caput sextum Num. *abstinendo enim ab omnibus immundis & à quibusvis delectabilibus, mirabiles se reddebant isti homines omni populo.*

Non tamen assentior huic Doctori, quatenus ibidem dicit quod pro Nazarenus pronuntiandum est Nasarenus, quia litera *zain*, cum qua nomen Nazar scribitur, mollius sonet quam *tsade*, hoc inquam non arridet; etsi enim tsade & zain sint literæ vicinæ & affines inter se, & cum aliis quæ includunt; tamen Nazar scriptum per *zain* aliam habet significationem, quam scriptum per *tsade*: nam priori modo significat sanctitatem, coronam, consecrationem; & secundo germen, florem, virgultum. hoc manifeste constat ex Psalmo 132 juxta Hebræum, vers. 18. ubi germinare ponitur per tsade יציץ & corona per zain נזרו, verum est quod per quandam analogiam Nazaræus, id est separatus, & Domino consecratus per semotionem à terrenis voluptatibus Nazaræus, id est floridus virtutibus, dici queat, unde Hieronymus ad caput secundum Matthæi nu. 23. dicit: *Nazaræus sanctus interpretatur. sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraïcam veritatem in Esaia scriptum est: exiet virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice ejus ascendet.* unde Hieronymus: idem nomen eisdem literis scriptum & sanctum, & floridum significat. sed de hoc infra sect. VII.

Græco tamen Idiomate diversimode etiam nomen datura originatur: nam sanctus Marcus Euangelista loquens de Christo, capite primo, numero vigesimo quarto, per α, non per ω ipsum nominat Ναζαρηνός, Matthæus & cæteri Euangelistæ per ω, ipsum nominant Ναζωραῖος, ut distinguant à Nazaræis, qui voto adstringebantur, ut dicam sectione citata. hinc etiam est, quod in pronunciatione latina quidam Nazoræum, quidam Nasaræum dicant, sed non bene, nisi analogice. Nam Nazaræus per S, floridum, & per z, cui correspondet zain, significat consecratum, segregatum, &c. ob sanctitatem ab aliis, quæ prophana sunt, aut ab hominibus aliis, qui tritam & communem rationem vivendi tenent, nec sunt Deo sacrati & devoti. quare septuaginta Num. cap. 6. Nazaræus vertunt ἅγιος, ut videre est apud Epiphanium hæref. 29. qui inter hos Nazaræos nominat sanctum Ioannem Baptistam.

Addunt Salmeron & Franciscus Burgensis, quod Nazaræus idem quod Samaritanus, id est custos, salvator, defensor. נצר enim, significat servare, custodire; unde Nazaræus servatus, custoditus, vel servator, custos, Iob 7. versiculo octavo, *quid faciam tibi, ô custos hominum.* in Hebræo pro custos est נצר.

Verum antequam ulterius progrediar, cursim & per transitum unum advertam contra Pagninum, Vatablum, Clarum, Oleastrum, & alios Hebraïzantes, & non multum ut par est venerantes Bibliam vulgatam, quam Concilium Tridentinum & tota Ecclesia recepit, ut infallibilis authoritatis; quod isti non possunt dicere se transferre juxta Hebraïcam veritatem, sicut scriptor sacer & translator, cui adstitit Spiritus sanctus, ita ut in translatione de Hebræo, aut Græco, in Latinum errare non possit. habent enim originalia pura Græca & Hebræa infallibilem veritatem; & cum isti non habeant assistentiam Spiritus sancti, ut errare nequirent, facillime labi possunt, & de facto prolapsi sunt in multis. quod de scriptore vulgatæ dici nequit, cui adstitit Spiritus sanctus, pro communi bono Ecclesiæ, ne erraret in translatione vulgatæ. quare hujus authoritas, ut rem faciens de fide, omnibus aliis translationibus anteponenda; quare cessent oblatrare hæretici, qui quotidie juxta suam voluntatem novas originalis Hebræi introducunt translationes & versiones.

SECTIO II. *Nominis Nazaræi dignitas.*

QVanti fecerit Deus Nazaræi nomen, & quantæ dignitatis apud ipsum, constat ex capite secundo Amos vers. 10. ubi inter magna beneficia facta populo suo, numerat tria: primum, quod *liberaverit ipsum de servitute Ægypti*; secundum, *suscitavi de filiis vestris in Prophetas*; tertium, *& de juvenibus vestris Nazaræos*, hoc est, Religiosos viros, qui ut liberius Deo vacarent tot statuta, ut retulimus, observabant. hoc enim magnum est beneficium quod Deus facit Reipublicæ, illi tribuere communitates religiosas, quæ semper pro peccatis populi Dominum deprecentur, & ejus iram cohibeant. quod præstitit Iudas Macchabæus lib. 1 Macchab. cap. 3. vers. 49. videns enim Dux eximius, *quod exercitus adversariorum multus erat, attulerunt viri Israel ornamenta sacerdotalia, ut primitias, & decimas, & suscitaverunt Nazaræos qui impleverant dies, & clamaverunt voce magna in cœlum, &c.* in quæ verba Divus Thomas: *suscitaverunt Nazaræos, ut orarent cum eis, & offerrent oblationem suam.*

Vnde audacter & contra omnes, ut assolet fere semper divinans, ut novitates introducat, Ioannes Caramuel disput. 13. in Regul. sancti Benedicti. num. 147. dicit: *fuerunt Nazaræi antiquissimi in Testamento veteri, quia sanctiones illæ quæ reperiuntur num. 6. potius confirmationi, quam institutioni sunt hujusmodi sodalitati. Geneseos enim 49. num. 26. reperio Nazaræos. Iacobus Patriarcha filiis suis benedicit, & Iosephum appellat Nazaræum.* hæc ille. quibus opponitur universorum Patrum & expositorum sensui. & caput sextum Num. ita clare loquitur de institutione sodalitatis hujus, ut cœcutiat in cœlo aperto qui aliter ferit. tum etiam locus Amos inductus id manifeste ostendit; siquidem inter beneficia de novo facta populo suo est institutio Nazaræorum. locus autem Ioseph, non facit ad rem: nam ibi sumitur Nazaræus non pro Religioso, sed pro *coronato & florido* inter fratres suos, neque enim Ioseph, voto se adstrin-

adstrinxit aliquo ad observandas cæremonias Nazaræatus, sicut Nazaræi instituti Num. 6. se adstringebant, sed solum dicitur Nazaræus similitudinarie & improprie, quatenus separatus à fratribus, & in carcere intonsus fuit, & sic fuit typus Christi Nazaræi, ut dicam latius sectione septima. propterea Nazaræi nomen, quod Iudæi & alii Christo dederunt probro, similiter & Christianis, illustre est, imo nota & Index veri Messiæ, hoc enim titulo Messiam indicarunt, & insigniverunt Prophetæ.

Verum est quod, ut ait Abulensis, qu. 4. ad caput sextum Numer. Nazaræus dicitur sanctus, id est, Domino applicitus, quando crevit cæsaries ejus, id est capillatura, quasi dicat (Scriptura) quod ante hoc non cognoscitur an Nazaræus sit specialiter Domino applicitus, quia non videntur signa in habitu; cum vero permittit crescere omnes capillos, non tondendo eos, sicut omnes alii tondebant, sciebatur quod esset consecratus Domino. Cæterum quamvis hoc habuit Ioseph, non tamen id faciebat ex voto & instituto ordinis, sed aliis motivis sibi à Deo inspiratis. Legatur Becanus analogia veteris & novi Testamenti cap. 9. num. 6.

Hujus nominis magna dignitas ex eo demonstratur I. Quia Christus alumni prius nominati sunt Nazaræi quam Christiani. audi Epiphan. hæresi 29. adversus Nazar. num. 1. *Christiani omnes Nazaræi vocabantur, quamquam pro exiguo tempore Iessæorum penes illos nomen resedit, antequam Antiochiæ Christiani nominari cœperint.* & num. 5. *Hic* (Nazaræis) *quondam primogenitis, Deoque sacratis dignitatis honor est habitus, quorum è numero Samson aliique postquam vel ante ipsum complures extiterunt; imo & Ioannes Baptista ex illo dedicatorum Deo hominum genere fuit, qui vinum aut siceram non bibit. fuit enim hominibus ejusmodi eorum dignitati consentanea vivendi ratio constituta.* & num. 6. hujus nominis dignitatem probat ex Act. 24, ubi Apostolus fatetur se esse de secta Nazaræorum, id est Christianorum.

II. Tanta hujus nominis dignitas, quod Religiosos Euangelicos appellent Patres honoris causa Nazaræos per analogiam & similitudinem. ita Nazianzenus orat. in sanctum Basilium. Isidorus lib. 2 de Officiis cap. 4. Divus Thomas 2. 2. q. 186. art. 6. & egregie id præstant Turrianus lib. 2 de votis, Hieronymus Plati lib de bono status Relig. cap. 19.

Hæretici etiam hujus nominis dignitate se honorare præsumunt. unde ante Christum Dominum fuerunt in veteri lege quidam Sectarii, qui Nazaræi dicebantur, de quibus Epiphanius hæresi 18. qui etsi cæremonias Iudaismi observarent, cum essent & ipsi Iudæi, à sacrificiis tamen abhorrebant, neque animata re ulla vescebantur. itaque carnes in cibum adhibere vel in sacrificiis nefas esse ducebant, & ob hoc segregati & separati ab aliis erant, & sic Nazaræi dicebantur.

Post Christum etiam fuerunt Hæretici dicti Nazaræi, qui nominis hujus dignitate gloriabantur. de quibus Epiphanius hæresi 29, alias 19, *isti enim segregati à Iudæis vel nomen Iudæorum abominantur, sicut & nomen Iessæorum, & Nazaræi cognomine maxime gloriantur, amplectuntur libros sacros veteris Testamenti, & ex novo habent pro authentico Euangelium Matthæi, Hebraice scriptum. omnia Iudæorum dogmata, ut circumcisionem & alia admittunt; Christiani tamen, verum Deum & hominem confitentur, mortuorum resurrectionem,* &c. non tamen dignantur appellari Christiani, sed Nazareni, à Nazareth civitate, à qua & Christus Nazarenus dicitur. sed utrumque Nazareatum egregie impugnant sanctus Epiphanius, & sanctus Augustinus libro de Hæresibus ad quod vult Deus, hæresi nona. qui libro primo contra Cresconium capite trigesimo primo dicit, hos ultimos vocatos Symmachianos.

SECTIO III. *De motivo instituti ordinis.*

ET quidem si de universali motivo sermo sit, fuit Dei gloria, major ejus cultus majorque Israëlitarum utilitas in spiritualibus, & in ordine ad divinum obsequium. sed causa specialis requiritur cur Deus præceperit comam nutrire toto tempore nazaræatus, & ipso finito eam tondere, & Deo in igne sacrificare.

Duplex est sententia; prima asserentium Deum motum fuisse, ut tota amputaretur occasio à filiis Israël superstitionis & imitationis rituum Ægyptiorum. Sacerdotes Ægyptii barbam & comam radebant, & capillos Diis suis sacrificabant. sic enim habetur Baruch cap. 6, num. 30. *in domibus eorum Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas & capita & barbam rasam, quorum capita nuda sunt.* in quæ verba ita sapienter Cornelius: *Tunicas scissas, quod vetatur Iudæis Levit. vers. 6. & barbam rasam, quod vetatur Laicis Iudæorum Levit. 19, num. 27. & Sacerdotibus Levit. 21. vers. 5. tum honestatis & decoris causa, tum ne hac in re communicarent cum Sacerdotibus Isidis, aliorumque Deorum gentilium. rursus Iudæos absterret ab eorum cultu & cæremoniis, quod hæc repugnant ritibus à Deo & Mose institutis.* idem etiam manifeste docet Theodoretus quæst. 28. in Levit. quem oscitanter legit Caramuël: non enim hic Pater dicit quod ritus Græcorum de tondendis barbis & nutrienda coma, ut Diis suis sacrificarent, transtulit ad Hebræos, ut Religiose id facerent; sed post relatos gentilium ritus concludit: *hæc igitur humana lege sunt interdicta, cum enim Hebræi assuefacti conversationi Ægyptiorum, si suæ liberæ voluntati relinquerentur, eorum ritus & cæremonias facillime conjungerent Legi Dei, ut eos averteret ab illis, Religionem Nazaræorum ex consultatione cum Deo in monte Sina instituit, prohibens capillorum capitis aut barbæ rasuram, & præcipiens quod dum raderent vero Deo sacrificarent. sic enim omnibus in universum Iudæis Levit. 19. vers. 27. præcipitur non in rotundum attondebitis comam, neque radetis barbam, & super mortuos non incidetis carnes vestras, nec figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. id autem, quod hic præcipitur universis, ne gentilium mores imitarentur, præcipitur specialiter, de coma nutrienda,* &c. Nazaræis ex eodem motivo.

II. Sententia quam acriter defendit Caramuël disput. 13. in sanctam regulam ex Oleastro Num. c. 6. asserens Deum hoc præcepisse in suo Nazaræorum ordine, ut ritus & consuetudines gentilium ad se transferret, meliorique Religione & cultu eisdem cæremoniis, Deum verum colerent. quod probat ex verbis Cyrilli, quæ adducit Oleaster: *Gentilium* (inquit) *dementissima natio suas consuetudines secuti, & mutarum pecudum more viventes, offerebant comam Dæmoniis eam nutrire permissam; atque alius quidam Nymphis quas Oreades appellabant, alius fluvio cum visum esset, offerebat, atque religionis loco res apud eos habebatur. itaque sapientissimus Moses, imo per Mosem Deus, cum intelligeret non facile Hebræos quos in Ægypto errores imbuissent deponere posse, similes ritus instituere decrevit, sensim eos à prioribus erroribus sejungens, quibus ritibus non Dæmones ultra, sed Deum omnipotentem, quasi sub umbra & figura colerent.* ita Cyrillus apud Oleastrum. Deinde id probat, quia Nazaræi ex vi instituti sui non erant Sacerdotes, neque offerebant

sacrificium, sed pro ipsis Sacerdos; & sic non erat majus periculum quod ipsi comam raderent, quam quod quivis alius de plebe; nec per hoc exponitur, cur radere teneretur expleto Nazareatus voto. III. Quia morem quem gentiles habebant, de quo Tertullianus libro de anima, cap. 34. Alexander ab Alexandro libro 5 dierum Genial. cap. 18. meminerunt, quo nonnulli totum caput filii vovebant, alii partem dumtaxat crinium, ut publicæ aut privatæ adorationi satisfacerent, Diis suis litabant, Dominus lege & instituto ordinis Nazaræorum ab omni superstitione & idololatria purificavit.

Ego vero utramque sententiam veram judico, & ad concordiam facile redigo: veritas enim secundæ ex veritate primæ deducitur, & una alteri non opponitur; imo ex intentione avertendi Hebræos à gentilitiis cæremoniis & Idololatriæ cultu, ipsas transtulit & consecravit veri & summi Dei Religioni; & sic ordinem instituit, ut suavius sibi homines specialiter applicaret & devinciret. sicut enim per legem Mosaicam sibi populum acceptabilem elegit & ab idololatria divertit, ita voluit aliquos in speciali sibi deligere per strictiorem vivendi modum & speciales cæremonias, in populi quidem gentilium sacratas, tamen & elevatas ad altiorem verique Dei cultum, quem propter asperiorem vitam inducunt, noluit sub præcepto, sed sub consilio toti populo proponere; sicut in lege Euangelica Christus non sub præcepto, sed sub consilio aliqua nobis proposuit, tamen Christus ex intentione majoris perfectionis. ast Deus in veteri lege ex intentione avertendi ab Idololatria, & ne ut gentiles cultu irreligioso eas observarent cæremonias: quamvis postquam sacratæ sunt ingredientes Nazareatum id facerent ex motivo strictioris vitæ & vacandi Deo in contemplatione.

Vnde egregie adnotavit Magister Fr. Antonius Fonseca in annotationibus marginalibus ad Cajetanum num. 6. n. 1. *In hac Nazareatus lege ostendit Dominus multum illi placere eos, qui carnem fortiter castigant, spiritui servire cogentes; citra tamen insolentem in externis rebus novitatem. Hi enim Nazaræi, id est, Domino consecrati & separati erant, qui strictius quidem quam vulgus viventes sanctitati unice studebant, incultioribus cibis & vestibus utentes; cujus ordinis extitisse crediderim filios illos Prophetarum, quos in Scriptura sæpe legimus: solitarie enim vivebant & parcissime, ut patet 3 Reg. 14. & 4 Reg. 2. laudibus divinis vacantes pauperes, & populi oblationibus sustentari, ut 1 Reg. 9. & 4 Reg. 3. populo diebus festis concionabantur; nunquam equitabant 4 Reg. 4. & simul convivebant, ut Cœnobitæ 4 Reg. 5. Nazaræus etiam fuit Ioannes Baptista: illud enim prædixerat Angelus, quod vinum & siceram non biberet. Nazaræus fuit Samson, quem Dominus talem voluit etiam ab utero matris.* hæc ille.

Vt tamen mea sententia oppositas concordans agnoscatur rectius, notandum, quod dupliciter Deus cæremonias gentilicas prohibuit populo suo, primo toti communitati; & has prohibuit, quia malas & ad idololatriæ cultum attinentes, quatenus à gentilibus exercebantur. sic Levit. 19. vers. 27, *non attondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam, & super mortuo ne incidatis carnes vestras, nec figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* quod præceptum universo populo est impositum, ut averteretur ab omni specie superstitionis & cæremonias gentilicas & ritus fugerent: stigmata enim illa & figuræ, de quibus hic, sunt illæ quibus utuntur Sarraceni & alii Arabes, & alii qui faciunt pulchras sculpturas in carne sua, ut arborum, herbarum, & similium rerum picturas & similitudines miro opificio, colore subcæruleo, sicut ego multoties vide; alii etiam labia perforant, lapides pretiosos cum annulis aureis ex ipsis pendentes; hæc enim omnia & similia, ut superstitionem & Idololatricos ritus redolentes, omni populo præcepto negativo prohibuit Dominus.

Secundo modo Deus prohibuit cæremonias gentilicas, transferendo ipsas à gentilitio cultu ad cultum veri Dei, & ex intentione avertendi populum ab Idololatria ipsas elevavit ad altiorem religionem, ut fierent ab illo, qui illas voluerit exercere. quare ipsas sub consilio proposuit toti populo, ut illis Deus coleretur, qui ipsam materialem cæremoniam gentilicam reliquit elevatam; tamen ad veram Religionem; & sic duplex motivum fuit Deo in institutione Nazareatus, unum avertendi populum à ritu gentilico; alterum, ut ipsum Deum vera Religione coleret, & sic utraque sententia concors manet.

Sed alia motiva specialia juxta varium usum nutriendi comam, possumus excogitare. I. Quia nutriebatur ob pulchritudinem, ut constat apud Stobæum pag. mihi 63 & 64. ubi ex Anacreonte & aliis. & sic Nazaræi dicuntur ab Hieremia cap. 4 Threnorum num. 7. *Sapphiro pulchriores.* II. Ob Majestatem in Diis, Sacerdotibus, Regibus, ut Agathias lib. 1 de bello Getico. Gregorius Turonens. lib. 6, cap. 6. Iunius de coma cap. 6. Nazaræus tamen *coronatus* dicitur, ob Majestatem Regiam, quam præ se fert, utpote Domino consecratus. est enim *Regale Sacerdotium:* III. Ob venerationem, ut de Cretensium Magistratibus tenet Seneca lib. 9. controv. 4. & in Philosophis, ut Musonius q. de obedientia parentum. sic Nazaræi à toto populo venerabantur, admirabantur ab omnibus; unde Nazaræus *admirabilis*, ut videmus ex radice Hebræa, & notant Cajetan. & Oleaster. IV. Religionis causa. Censorinus de die Natali: sacrum Deo crinem plerique pascebant. sic Nazaræus capillos suos consecrabat, ut Deo sacrificium litaret. V. Ratione majoris tristitiæ, pœnitentiæ. Plinius lib. 7, cap. 27. Seneca ubi supra, & Suetonius in Octavio, cap. 23. Nazaræi comam nutriebant in signum vitæ pœnitentis & abstinentis, quam profitebantur: colebant enim Deum summa vitæ austeritate, cibo castigatiori & contractiori quam alii de populo, ut constat Numeri cap. 6. unde nutritia coma tessera erat summæ austeritatis.

Hinc est quod Numeri 6. vers. 9 dicitur: *sin autem mortuus fuerit, subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus* (id est cæsaries & coma) quia Domino est consecrata. sed cur hoc? audi Abul. ibi quæst. 8. *in voto Nazaræorum quamquam multa essent substantialia, nihil tamen erat magis necessarium, quam ipsa capillatura, scilicet quod crescerent capilli sui & non raderentur, nec tonderentur. ideo consecratio sua dicebatur esse in capite, scilicet quod id, per quod erat magis applicitus Deo, erat observatio capillaturæ. cum ergo observatio præterita Nazaræi irrita fiebat, dicebatur pollui caput, quod principale erat in consecratione, item quamquam alia pertinerent ad statum Nazaræorum, habitus tamen ipsorum, & id per quod cognoscebantur, erat capillatura, quia de quolibet alio observato à Nazaræis poterat dari aliqua causa, quare observaretur etiam ab hominibus qui non essent Nazaræi. capillatura tamen ad nullos pertinebat, nisi ad Nazaræos; & ideo debebant denominari ab eo, quod erat principale, & hoc erat caput.* hactenus ibi. unde pollui caput apud Nazaræos, idem ac solemus dicere de Religiosis viris aliquid indignum facientibus *De sacreditan su habito*, cum habitus Nazaræorum fuerit coma & capillatura.

Sed hujus nutritæ comæ rasura, sua habuit specialia

lia motiva 1. ut capilli Deo dicarentur, ut vidimus. mos fuit gentilibus maxime Orientalibus, capita radere, & comam diis suis sacrificare. 2. quia ratio signum fuit servitutis humanæ & subjectionis. at respectu Dei summæ libertatis filiorum, quales declarabantur Nazaræi per tonsionem. 3. Rasio erat signum ridiculum & morionicum, stultitiæ in illis qui radebantur, ut Artemidorus de Gelotopæis, & constat in rasura sancti Petri, de qua infra Memb. penult. sic Nazaræi & viri Religiosi rasi & tonsi ab ignorantibus reputantur moriones & stulti, non attendentes, *quod stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* 1 ad Corinth. 1, num. 27.

SECTIO IV. *Qui poterant, se huic instituto devovere, an omnes utriusque sexus?*

Loquimur de Nazaræatu proprio, qualis instituitur à Deo num. 6. huic enim aliquis se dicabat per votum Deo factum, quod ut validum sit, dicunt aliqui Iudæi debebat labiis exprimi. unde illa verba num. 2. cum *fecerint votum ut sanctificantur*, sic transferunt: *si expresserint*, id est, *diserte labiis suis protulerint; quare si voci non exprimant, votum erit nullum.* cæterum Hieronymus Oleaster ait, *quod hic sensus est à litera alienus, quoniam, ut Theologi bene probant, votum, etiamsi ore non sit expressum, validum est, quoniam Deo, qui hominum corda novit, fit.* sed hæc impugnatio efficax non est: loqui enim possumus de validitate voti in foro externo, in quo votum Nazaræatus nullum erat si labiis coram testibus non fieret, imo aliter nullus posset admitti ad ordinem, nisi de voto constaret. verum est, quod apud Deum validum erat votum, & qui illud fecit tenebatur ipsum propalare; id enim constat etiam in lege Euangelica: nullus enim admittitur ad professionem, nisi labiis exprimat vota sua coram superiore & testibus.

Igitur Nazaræatus proprius, duplex; unus temporalis, ad mensem, duos, tres, vel annum, ait Serrarius. sed existimo Nazaræatum temporarium debere voveri saltem pro illo tempore, quod esset sufficiens ad crementum comæ, ut tonsa & rasa possit offerri Deo in sacrificium, & ut Nazaræus agnosceretur, segregatus ab aliis, & Domino consecratus per comam. alius erat perpetuus & per totam vitam, si votum ad id se extendebat, ut Samuël, Samson, & alii. rursus alii erant Nazaræi ex speciali Domini præcepto, ut Samson capite 13 Iudicum, num. 5. & forsan sanctus Ioannes Baptista juxta illud Lucæ cap. 1, num. 13, *vinum & siceram non bibet*, quasi dicat, ait Cornelius ibi, *Ioannes per omnem vitam erit Nazaræus, & consecratus Deo.* illa enim verba præceptiva videntur, sicut fuerunt quæ dixit Angelus matri Samson. alii erant voluntarii, quia voluntarie se Deo per votum consecrabant, sed semel consecrati tenebantur ad omnia ordinis statuta.

Ad institutum Nazaræatus ex omni tribu etiam Levitica admittebantur, neque ex instituto tenebantur ad aliquam functionem Sacerdotalem, aut Leviticam. Sacerdotibus enim & Levitis, & nulli alteri determinatæ erant functiones, quæ nullatenus Nazaræo competebant, nisi Sacerdos esset aut Levita. cæterum advertendum cum Abulens. num. 6. qu. 6. *quod status Nazaræorum erat perfectior status Sacerdotum minorum, quia istis erat licitum contaminari super patre & matre, fratre & sorore, super aliis autem non, ut patet Levit. 21. cap. Nazaræis autem non erat licitum contaminari super aliquo. quamvis enim Sacerdotes essent ministri Dei, tamen non vovebant aliquot speciale institutum præter illud, ad quod Deus obligabat, ad legem Sacerdotii. Nazaræi autem seipsos devovebant ad aliquod speciale institutum. & ideo imponebatur istis major strictio, quæ tanta erat in Nazaræis, quantum ad hoc, sicut in Sacerdote magno, qui non poterat contaminari etiam super patre & matre, ut patet Levit. 21. ita autem de istis.*

Rursus in qualibet ætate aut sexu adulti vel parvuli, senes, juvenes, ut de Samuele parvulo constat, 1 Reg. 2. vers. 3. de juvenibus Amos 2. vers. 11. de fœminis & senibus constat, quod libertatem habebant ad vovendum se Deo. sed advertendum valde, quod ea, quæ dicuntur de capillorum tonsione & sacrificio de eis litato, solum intelliguntur de Nazaræis temporariis: nam perpetui caput non radebant, nec Domino consecrabant capillaturam, sed istam semper conservabant, ut principale signum & habitum proprium Nazaræatus. Existimo tamen, quod licet caput nec radere, neque tondere possent, comam tamen, si nimis prolixa fuisset, sicut fœminea, poterant forfice tondere, qui Nazaræatus voto perpetuo erant consecrati; deformis enim esset in viro coma tam prolixa sicut in fœmina.

De fœminis autem quibus turpe tonderi, aut decalvari dubium est, quomodo Nazaræatum voverint? & quidem fœminas fuisse virgines & viduas Deo sacratas in templo, & per consequens Nazaræas constat ex libro 2 Machab. cap. 3. vers. 19, *Virgines quæ conclusæ* (in templo scilicet) *procurrebant ad Oniam: aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant.* quibus verbis tres ordines mulierum distinguit: unus earum, quæ conclusæ erant in templo, & istæ procurrerunt ad summum Sacerdotem Oniam; secundus earum, quæ *ad muros*; & tertius earum, quæ per *fenestras* aspiciebant. primus ordo erat Nazaræarum quæ Domino erant consecratæ. unde juxta Iosephum lib. 5. cap. 12. de bello, *in templo erant turres designatæ pro istis Virginibus custodiendis.*

Constat etiam ex lib. 1 Reg. cap. 2. vers. 22. & Exodi 38. vers. 8, ubi fit mentio *de mulieribus, quæ excubabant ad ostium tabernaculi*, cum quibus filii Heli dormiebant, & ex quarum speculis Moyses fecit labium æneum cum basi sua. ad quæ verba Exodi sic docte Cornelius: *Erant in Israël mulieres Deum colentes, quæ, spreta mundi vanitate, soli Dei placere studentes, sua specula Domino offerebant. Veniebantque per singulos dies ad ostium Tabernaculi, ut orarent & audirent Dei præcepta. quod postea facta fabricato solemni hoc tabernaculo. & præsertim structo templo magis in usu fuit: tunc enim certa ad ostium vel in atrio tabernaculi habitatio constructa fuit hujusmodi piis mulieribus, deditis orationi, jejunio, & servitio tabernaculi, qualis fuit Anna prophetissa, Luc. 2. vers. 27. & de his loquitur Scriptura 1 Reg. 2. vers. 22. lib. 2 Machab. 3. vers. 20. inter has vixit, & educata fuit Beata Virgo postquam triennis præsentata fuit in templo. Erat hic quasi cœtus Religiosus fœminarum devotarum illius temporis, qui quasi typus erat & umbra nostrarum Religiosarum, quæ merito ab hisce originem & antiquitatem suam arcessere possunt.* hactenus ille.

Quare dubitari nequit, quod istæ mulieres erant Nazareæ, & ordinem Nazaræatus institutum à Deo Num. 6. tam pro viris, quam pro fœminis coluisse. unde Abulensis ibi qu. 4. *non dederunt ista specula quælibet mulieres de populo, sed solum illæ quæ valde devotæ erant, & excubabant orationibus & servitiis circa ostium tabernaculi Domino ulterius famulantes, quasi Nazareæ & Domino consecratæ.* hæc est plenior & communior Patrum sententia. ita *Nyssenus* orat. de

Christi nativitate, Evodius apud Nicephorum lib. 2 histor. cap. 3. Damascenus lib. 4 de fide, cap. 13. quos citant & sequuntur Canisius lib. 1 de Beata Virgine, cap. 12. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 7. Spineus lib. 3. de continent. cap. 3. unde Petrus Crepesius in summa Cathol. fidei, folio 643, & 644. concludit: *& quidem Antechristi passionem esse Deo Virgines dicatas in templo, referunt clarissimi plerique Historiographi, & confirmat Ambrosius libro 2 de Virg. in templo (inquit) Hierosolymis fuisse legimus Virgines deputatas.* hoc confirmat Germanus Constantinopolitanus orat. Encomiastica in B. V. M. dum in templo oblata est à Parentibus, Gregorius Nicomedi orat. in eandem festivitatem: quæ latine transtulit Surius tom. 6. legatur Apologia tom. 1. Historiæ propheticæ propositio 2. §. 1 & 2. An vero Nazaræi utriusque sexus voverint castitatem tempore sui nazaræatus, non est hic disputandum.

Nec turpe erat fœminis finito tempore sui voti capillos tondere, ut Domino sacrificarent, sed valde honorificum. & sic fecisse B. V. dum desponsata fuit Beato Iosepho: si enim virgines Vestales, quæ similes erant, in professione fœminis Nazaræis, sibi capillos aliquando tondebant, & ad Loton arborem religionis ergo suspendebant, quid mirum, quod Nazarææ suam totonderunt comam, ut Deo vero sacrificarent. hoc de Virginibus; nam de maritatis alia est ratio, si nazaræatum voverint: non enim illas obligabat votum, quantum ad rasuram capitis, ut egregie adnotavit. Abulensis in cap. 13 Iudicum qu. 12. quem sequitur Thomas Masutius libro 7 de Vita sancti Pauli, cap. 11. & Lorinus in cap. 18 Actor. num. 18.

SECTIO V. *De Analogia veteris Nazaræi cum Euangelico Monacho.*

HAnc similitudinem latè tractant Patres, (quod sufficiebat ut confunderentur hæretici Novatores) præcipue hoc assumptum late differuerunt Nazianzenus, Gregorius Magnus, Divus Thomas, & alii quos supra dedi. Nazaræi separati, consecrati Deo, coronati dicuntur, quod etiam habent Religiosi Euangelici. II, illi vovebant suum nazaræatum, ita Monachus transacto novitiatu suum Monachatum. III, ratione finis, sicut Nazaræi votum & consecrationem suam ordinabant ad Dei cultum & venerationem, ita Religiosi novi Testamenti. IV, sicut Nazaræi alii sunt perpetui, alii temporarii. V, ratione Ecclesiæ: sicut enim in synagoga decus & ornamentum insigne fuit ordo Nazaræorum, ita in Ecclesia Romana ordines Religiosorum; quæ omnia late prosequitur Serrarius quæst. 9. ad caput 13 Iudicum, & egregie discurrens totum institutum Nazaræorum Hieronymus Plati lib. 2 de bono Statu Relig. cap. 29. per totum. quare ad præsens nil amplius; legantur sanctus Gregorius lib. 2 Moral. cap. 39.

SECTIO VI. *Hæreticorum antilogia Nazaræi veteris ad novum, Monachum Euangelicum.*

MIrum est, quanto invidiæ & livoris zelo hæretici Novatores antilogizent Nazaræatum veteris Testamenti, cum novo Euangelii Monachatu. contra quos doctissime Bellarminus lib. 2 de Monachis, à cap. 15. summa veneratione religiosi status enervat antilogizantes hos invidos & cœnosos, suisque impuritatibus deditos, qui pluribus contendunt, in nullo Religiosos Euangelicos analogizare cum Nazaræis.

I. Quia vota non pertinent ad Christianos, sed esse propria Iudæorum. II. Quia Nazaræi non radebant comam, Monachi radunt. Nazaræi non bibebant vinum, isti se vino ingurgitant. Nazaræi non accedebant ad funera, isti nihil tam cupiunt, quam justa, & exequias mortuorum, divitum præcipue, tanquam vultures avidissime expectant, & quæstus quem inde faciunt uberrimus est.

III. Quia quamvis Nazaræorum in Iudaismo præcipuum votum fuerit, non tamen illis interdicebatur conjugium. in aliis *votis*, inquit Origenes, *dabant aut bovem, aut capram, aut ovem, aut aliud quidpiam:* at in hoc voti genere seipsos offerebant, & tamen eorum status cum matrimonio satis congruebat.

IV. Quia Nazaræorum institutum verbo Dei expresso nitebatur, ut constat ex Num. 6. Monastica autem vita Christianorum omni prorsus verbo Dei destituitur.

V. Nazaræi Deo se vovebant & consecrabantur: at Monachi suo sancto Institutori, ut Beato Benedicto, Beato Dominico, & Beato Francisco, cujus regulam sectantur, & cujus dicuntur filii.

VI. Nazaræi sponte sua hoc vitæ genus suscipiebant omnes; at non omnes Religiosi sponte sua, sed inviti à Parentibus, imo & reluctantes in Monasteria, velut in ergastula, detruduntur.

VII. Quia Nazaræi fuerunt Samson & Samuel, qui Religione suscepta nihil de statu vitæ mutarunt, sed matrimonio se conjunxerunt, & Samuel filios habuit: at Monachi faciunt votum castitatis.

VIII. Nazaræis non fuit prohibitus esus carnium, sed potus vini. at Monachis multis jam toto anno, jam multis anni diebus carnium esus prohibetur, & vini ingurgitatio permittitur.

IX. Quia Nazaræorum instituto non scindebatur Ecclesiæ unitas: Monachorum autem votis scinditur vulgus in studia contraria, & infinitæ sectæ in Ecclesiam vehuntur.

X. Nazaræi promittebant capillum, ne molles & delicati viderentur, vel ut significarent se cogitatus suos & omnem vitæ rationem ita Deo dedicasse, ut nihil in eis superfluum sit reliquum. monachi vero radunt barbam & tondentur novacula à vertice infra dimidium calvæ, & hanc capitis rasuram coronam appellant. Deus autem è contra Num. 6. crines capitis prominentes Nazaræi coronam appellat; & ita Monachi omnia pro arbitrio invertunt.

XI. Nazaræi ea solum vovebant, quæ ab homine præstari poterant: Monachi è contra quæ in nostra potestate non sunt, virginitatem seu continentiam, & castitatem perpetuam vovent, cujus tamen donum non omnibus datum est, ut ait Christus.

XII. Nazaræi nemini graves erant voto suo: at Monachi dum voluntariam vovent paupertatem, otiosi ventres aliorum laboribus pasci volunt.

XIII. Nazaræos voti religio non impediebat quo minus Magistratibus & Parentibus, reliquisque omnibus parerent, quibus eos lex obstrictos reddit. Monastica autem vota omnem obedientiam tollunt, & solis Abbatibus Pontificique Romano Monachos adstringunt.

XIV. Nazaræi non propriis meritis, & Monachi non solum se mereri salutem per vota sua affirmant, sed aliis quoque sua merita venalia exponunt.

XV. Quia Nazaræi, finito tempore sui voti, ad victum pristinum aliisque communem redibant: Monachorum autem votum perpetuum est, quod si quis

quis frangit, ut Apostata punitur. *quæ omnia* (ait Vermilius in suo centone de votis pag. 145.) *cum ita sint, nihil superest, nisi ut dicam Nazaræos nihil commune cum Christianorum Monachis habere.*

Hæc sunt argumenta hæreticorum, quibus ostentant blaterantes antilogiam Nazaræatus veteris ad Monachatum Euangelicum. verum ut ait Aristophan. in avibus:

Parit primum subventaneum nox nigripennis ovum.

Iuxta vetus proverbium, quo utitur Plato in Theæteto, *subventanea parit ἀνεμιαῖα*, vana, ventis similia, & inutilia, evanida & sine spiritu vivificante; quam bene de istis Novatoribus Eusebius Philosoph. apud Stobeum serm. 4. dixit: *multa potius ferre, quam vera dicere studio teneri, dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maxime necessariis efficere dubiam conantur.* Cæterum fidei veritas contra hos blateratores inconcussa ob suam vetustatem semper perseverabit venerabunda; ut enim ait Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 29. *veneranda sunt vetusta dogmata, quod ob antiquitatem, ceu quandam canitiem, habeant aliquid reverendum.* & Cælestinus Papa adversus Nestorium: *Desinat novitas incessere vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo* (Novatorum) *turbare.* conantur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. quis portus tutior à contrariis ventis; quæ statio securior, quam Religiosa? ad quam fidenter seculi procellam fugiunt homines, & in ista statione securissima conantur isti naufragio nos mergere, argutiis suis & næniis, & insolentibus conviciis Monachatum impetentes.

Sed eorum doctrinam de mendacio prædicat Tertullianus de præscriptionibus cap. 21, *quia sapit contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei.* & cap. 31, *illud esse dominicum & verum, quod prius fuit traditum; id autem extraneum & falsum, quod posterius immissum est.* Videat ergo Virmilius & suus commilito Hospinianus lib. de origine Monachorum cap. 6. si non ab initio nascentis Ecclesiæ originem Monachatus (si recte inspiciat & apertis oculis) non inveniat. legunt quidem, sed cœci, & impias lucubrationes & studia, (coacervantes sibi similes Magistros) & apta cupiditatibus suis doctrinarum instituta accumulant; nec doceri se cupientes ad id, quod optabant, congregarunt, ut cumulus ipse conquisitorum & coacervatorum Magistrorum æstuantium desideriorum doctrinis satisfaceret, dumque aures prurigine incitatæ vetera fastidientes, nova exoptantes, novella desiderii sui prædicatione scalperentur, totos se fabulis (& conviciis in Catholicos) destinarunt; dum secundum desideria studiorum potius, quam secundum Euangelicam fidem coacervata doctrina est, quam & incentiva seducentium spirituum, & simulatæ Religionis falsiloqua confirmarunt. unde sequitur hypocrisis mendax, ut sit vel in verbis pietas, quam amiserat conscientia. hæc fere Hilarius lib. 10 de Trinit.

Hæc ergo convicia, hæ imposturæ viris Religiosis (quos inimicos habent, quia contra ipsos propugnant veritatem Catholicam) ab Vermilio & Hospiniano & hujus farinæ hominibus blateratæ, nonne ex prurigine hæresis, & novella prædicatione, quam introducere conantur, ex mendaci hypocrisi & simulata pietate dimanant? ô quam pulchre Bernardus sermone tertio de adultera, & Susanna: *Vestras, ô hæretici, manus neque adultera effugit, neque pudica vestras accusationes; nec sanctus; nec peccator evadit: dissimulatis peccata vestra, ubi invenitis aliena; alioquin vero si quis forte suum non habet, vestrum ei crimen impingitis.* frustra tamen & sine fructu aliquo: nam Monachatus Euangelicus utriusque sexus usque ad finem seculi cum analogia ad Nazaræos veteris Testamenti permansurus est. *Nobis enim* (Catholicis) *satis est* (ait Nazianzenus oratio. 2. de Theolog.) *quod nemo ex his, qui divino numine afflati sunt ex Patribus illis & Magistris nostris, sententiam* (Vermilii) *hactenus vel pronunciavit, vel pronunciatam approbavit.*

Argumenta quibus Vermilius aut Vermiculus conatur construere suam antilogiam, facillimo negotio diluuntur. Ad I. respondetur esse falsum omnino: votum enim cum sit perfectissimus Religionis actus, ad Christianos utique pertinent, sive solemne sit, sive simplex, ut late probat Augustinus in Psal. 75. vers. 8. *vovete & reddite.* quare in hoc maxime analogantur Nazaræus & Monachus Euangelicus. Legatur Bellarminus lib. 2 de Monachis, à c. 17 usque ad 36. ubi Catholice probat ex Scriptura & Patribus, votum licitum esse Christianis, satisfacitque egregie objectionibus hæreticorum.

Ad secundum respondetur, illo argumento solum probari Analogiam, non univocationem, quam nos non adstruimus; fatemur autem quod Nazaræi comam nutriebant, & Monachus Euangelicus comam & barbam radit, juxta dicenda infra; sed ex mysterio hoc fit, quod agnoverunt Patres, Augustinus capite ultimo de opere Monach. Epiphanius hæres. 80. quia in veteri Testamento mysteria fidei velata erant, quod velamen adhuc manet in corde Iudæorum, & sic super caput Nazaræi conservatur capillare, tanquam velamentum. at in Euangelio revelata facie, mysteria fidei contemplamur, tam omnes Christiani, quam Christianorum Nazaræi, scilicet Monachi Euangelici, qui specialiter raduntur propter hoc, sicut Nazaræi veteres specialiter & Religiose nutriebant comam. rasuram tamen Monachi Euangelici Patres ex diversis causis approbant, quas infra subjiciemus; & non solum Patres, sed ex Novatoribus Iunius lib. 2 de Monach. capite 40, his verbis: *Simplicissimum est tonsuram apud Romanos olim signum fuisse servorum, qui dominis suis, aperto capite ministrabant, donec ad pileum vocati essent. Tonsura itaque significatur & mollitiei ingenuorum (quam alta coma ostendebat) renunciasse eos, qui ad Ecclesiastica studia officiaque veniebant, & se totos mancipasse Domino in Ecclesia ministraturos ex dono & vocatione ipsius.* hactenus ille.

Cætera autem, quæ in argumento tanguntur, convitia sunt manifesta; vel, si in aliquibus Religiosis reperiantur, vitia sunt propria, non status turpitudines. accedunt utique multi Religiosi ad justa & exequias mortuorum, ut illis suis orationibus suffragentur. quod si eleemosynas accipiant, quid mirum? dignus est enim operarius cibo suo, & Religiosi ex eleemosynis vivunt, quare contra Vermilium etiam loquitur sanctus Prosper Aquitanus lib. contra Collatorem: *Qui in austeritatem & supercilium tam tetricæ frontis se armavit; ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum tanquam insidiosus scrutator, eventilet, magnamque se aliquid conficere præsumpsit, si Euangelico Monacho notam erroris affigat, quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerat impetatur.* nonne Vermilius insidiosus scrutator? de Monacho Euangelico, qui tot convicia statui perfectissimo impingit, & opus magnæ misericordiæ ad voracitatem vulturis detorquet? & moderatam eleemosynam ad turpes quæstus? Valeas ergo Virmilius, qui pingui judicio, *Bœotica auris* tibi donata & tuis dicteriis:

Bœotum in Crasso jurares aëre natum.

Ad III. respondetur 1. non esse usquequaque certum, an Nazaræi votum fecerint continentiæ toto tem-

tempore sui nazaræatus: contrarium enim tenent Chrysostomus homilia quarta in Vigil. Epiphan. quæ habetur tomo secundo: *Nazaræi* (inquit) *secundum legem nuncupabantur, qui castitatem Deo insigni voto mancipabant.* Damascenus libro 4 de fide, cap. 25. Augustinus Eugub. in recognitione veteris Testamenti, ad Hebraic. verit. id probat ex textu Græco septuaginta Interpret. Cornelius ad cap. 6 Num. probans ex Augustino, sermone 107 de tempore, & Epiphanio, hæresi 29. Hugo Cardinalis ibi. legatur Bellarminus ubi supra, cap. 23. Respondetur secundo, eo argumento probari Nazaræos, id est, Monachos Euangelicos longe puriores, sanctiores & nitidiores esse Nazaræis veteribus. unde de illis melius, quam de istis intelliguntur verba Hieremiæ cap. 4 Thren. num. 7. *candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* quæ verba de Religiosis novi Testamenti intelligunt ad sensum literalem intentum ab Spiritu Sancto Catholici, quamvis ad sensum Historialem de Nazaræis veteribus sit sermo. lege Cornelium, & glossam ordinariam, & sanctum Paschasium ibi.

Ad IV. respondetur, negatur assumptum, ut late Bellarminus ubi supra cap. 5. Divus Hieronymus epistola 4 ad Rust. & epistola 13 ad Paulin. affirmant nostros Religiosos originem ducere de illis filiis Prophetarum, qui Nazaræi erant. similiter omnes Patres Græci dicunt, sanctum Ioannem Baptistam Principem & Ducem fuisse Monachorum & Eremitarum. Rursus quamvis non esset expressa mentio Monachorum in Euangelio, est tamen Ecclesiastica traditio, quod sufficit: ut enim ait Epiphanius hæresi 61, *traditione uti opus est: non enim omnia accipi possunt ex Scriptura.* quod verissime dictum, quia sola traditione multa dogmata accepta & definita sunt, sola quoque Patrum authoritate definere Ecclesia potest, & de hæreticis triumphare. Vnde Basilius ille pœnitens in septima Synodo act. 1. *qui doctrinas sanctorum Patrum & traditionem Ecclesiæ contemnunt, quique causantur, & voces Arrii, Nestorii, Eutychetis & Dioscori jactant, dicentes quod, nisi satis ex veteri & novo Testamento instructi essemus, sanctis Patribus & Catholicæ Ecclesiæ sequeremur, execratio*, id est Anathema.

Ad V. respondetur, quod Monachi votis suis Deo soli consecrantur & devoventur, secundum alicujus viri instructionem & disciplinam approbatam à sede Apostolica; dicunturque Monachi sancti Benedicti, sancti Bernardi, sancti Dominici, aut sancti Francisci, ratione regulæ horum Sanctorum. neque hoc negavit Apostolus dum reprehendit Corinthios, qui in receptione Sacramentorum dicebant: *ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.* sic enim faciunt hæretici, qui de Eucharistiæ Sacramento dicunt: *ego Calvini, ego Lutheri.* obmutescant ergo hæretici isti, qui talibus argutiis populum seducunt, & veritatem Catholicam illis obtenebrant. quam bene apud Theodoretum lib. 1 Hist. c. 4. quidam sanctissimus Episcopus exclamavit: *ô impiam arrogantiam! ô insaniam! ô inanem gloriam! cum furore conjunctam! ô spiritus plene satanicos! qui impiis eorum animis velut callum malitiæ induxere.* & elegantius Vincentius Lyrenens. cap. 24. de Proph. hæres. novit. de his in persona Manichæorum sic fatur: *nobis auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus damnate, quæ tenebatis tenete, quæ damnabatis rejicite; antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita recipite; quæ nam illa tandem? horreo dicere: sunt enim tam superba* (adde tu de Novatoribus tam turpia) *ut mihi non modo affirmari, sed ne referri quidem sine aliquo piaculo posse videantur.*

Ad VI. respondetur, mendacium omnino nefandum continere: tantum abest, quod Monachi inviti detrudantur à parentibus in monasteria, quod si filia sit, Pater sit ipso facto excommunicatus ex Tridentino Concilio; si filius, & iste probaverit vim & violentiam, professio nulla sit & irrita.

Ad IX. respondetur, quod jam supra ad illud satisfactum. Legatur Bellarminus cap. 37 & 38. ex cujus doctrina abunde satisfit hujusmodi næniis.

Ad X. respondetur, quod usus carnium sancte prohibetur aliquibus Religiosis, aliis etiam sancte conceditur, juxta uniuscujusque Religionis instituta à Sede Apostolica confirmata. dicere autem, quod omnibus permittitur vini ingurgitatio, mentitur; si enim aliquorum particularium est vitium, non debet in institutum deferri, quod solum concedit moderatum vini usum. videant ipsi Protestantes & Novatores, quomodo à vino, cerevisia, sicera se abstineant, cum passim his compotationibus ebrii evadant. quare egregie Basilius Magnus epistola 69 de istis sic loquitur: *Alii vero, ne de commentis hisce turpissimis argui possint, plebem ad mutuam contentionem instigant, vesanamque reddunt, ut publicis postea malis sua ipsorum delicta obscurent.*

Ad XI. respondetur, quod inconsutilem Christi tunicam, & unitatem Ecclesiæ non scindunt Catholici, nedum Monachi Euangelici; imo potius eam dilacerant & corrodunt Vermilius Calvinista, & Hospinianus Zwinglianus, Lutherus & aliæ hæreticorum sectæ: ipsi enim insidiatores sunt & violatores non solum sanctarum Ecclesiarum, sed & Politiæ ipsius, ut scripsere Archimandritæ & Monachi ad Agapetum Papam.

Ad XII. respondetur, quod tonsura Monachorum non est humana inventio, sed institutio Apostolica. quare dum Monachus Euangelicus comam radit, non invertit omnia, sed observat majorum institutionem, quam hæretici imprudenter omninò spernunt.

Ad XIII. respondetur, falsum omnino esse, quod votum castitatis, quod facit Monachus Euangelicus sit impossibile adimpleri, imo possibile valde cum gratia Dei, qui semper stat ad ostium & pulsat. legatur Bellarminus cap. 31, qui egregie hoc dissolvit argumentum.

Ad XIV. respondetur, quoad Religiosum, qui omnibus mundi divitiis renunciavit & paupertatis voto se adstrinxit, quid mirum, quod fideles illi succurrant in necessariis ad vitæ sustentationem? quando ipsi diu noctuque orant pro populo. & quidem votum paupertatis licitum esse Monacho Euangelico, docent Patres, Augustinus lib. 17 de Civit. c. 4. Hieron. epist. 22 ad Eustoch. Vrbanus Papa I. epistola sua decret. Cassianus lib. 4 Institut. cap. 13. & 33.

Ad XV. respondetur, quod tangit difficultatem, an personæ Ecclesiasticæ exemptæ sint à jugo potestatis secularis? quod non est hujus loci. videatur Bellarminus lib. 1 de clericis, cap. 28. Suarez contra Regem Angliæ libro 4, ubi objectionibus Hæreticorum & Politicorum manifestissime respondent, & omnia inconvenientia, quæ in contrarium adducuntur, clarissime dissolvit.

Ad XVI. respondetur, illo contineri manifestam calumniam jactam cum mendacio in Monachum Euangelicum, qui liberaliter & gratis sicut accepit suas satisfactiones, applicat fidelibus tam vivis, quam defunctis.

Ad XVII. respondetur, longe in hoc excedere Monachatum Euangelicum, in quo qui semel ipsum sunt

sunt professi, & Domino in holocausto consecrati, retro non possunt respicere, & deserere, aut polluere consecrationem suam. Nazaræis tamen temporariis licitum erat, finito voto consecrationis, vitam civilem & laicam iterum accipere, quod non perfectionis erat, sed ita à Domino concessum, attendo hominum & legis illius vacuitatem.

Videat ergo Vermilius, quanta facilitate ejus antilogia Nazaræi ad Monachum Euangelicum evanuit, quanta Patrum doctrina dissoluta. bene de isto & sequacibus dixit Epiphanius hæresi 64. ex Methodio de Origenistis. *nihil in ip[s]is sanum est ac firmum, sed imaginatio solum decore verborum ad stupefaciendum auditores, & persuasione instructa, non veritatis vel utilitatis gratia, sed ut coram præsentibus orationis sapientiam ostendant. Hinc itaque orationes aliquando verisimiles ad pulchritudinem & varietatem variegatæ præstantiores putantur his, quæ ad sinceram veritatem expensæ sunt, dum illarum Doctores nec ad bonitatem ac pietatem contendunt, sed ad hoc, ut placeant & successum habeant, quemadmodum Sophistæ, qui mercedem ex orationibus exigunt de sapientiæ laudibus vili pretio coempti*, &c.

SECTIO VII. *De Nazaræatu Iosephi Patriarchæ.*

SAnctum istum Patriarcham Nazaræum non fuisse Religione & voto separationis, mihi indubium est, ut supra contra Ioannem Caramuelem monstravi; sed solum nomine, typo, & figura Christi. nomine quidem nazaræatus, quatenus nomen istud lingua Hæbræa separationem significat, & ut ait bene Abulensis ibi: *tota vita Ioseph fuit in separatione à fratribus suis.* Fuit separatus à pueritia à pessimis fratrum moribus, quos accusavit de crimine pessimo. II. Quia venerabilior inter fratres. III. Quia venditus in Ægypto, & in tetro ergastulo immissus. IV. Quia ibi tanquam Nazaræus comam nutrivit, & intonsus fuit. V. Quia ob hanc separationem aliam altiorem est consecutus, exaltationem scilicet ad principatum. VI. Quia ob hanc separandus erat in posteris suis ad coronam Regiam, quæ illi obtigit, quoniam decem tribus se separarunt à domo David & à duabus tribubus Iuda & Benjamin, constituendo sibi pro Roboam proprium Regem Ieroboam, qui erat de tribu Ioseph, ut ait optime Cajetan. & ob hoc dicitur *coronatus apud fratres suos.* quare egregie adnotavit Abulensis quæst. 5. ad caput. 33 Deuter. quod *non vocatur Ioseph Nazaræus simpliciter, sed Nazaræus inter fratres suos, quia Nazaræus, si simpliciter poneretur, significaret eum qui observabat votum Nazaræorum. Ioseph autem nihil tale unquam observavit, quia votum Nazaræorum, non fuit ante legem Moysis; sed vocatur Ioseph Nazareus inter fratres suos, id est, separatus à fratribus suis, & electus inter eos, quia inter omnes ipse erat excellentior. Nazaræus autem Hebræa lingua separatus dicitur, & est nomen appellativum, nec significat magis separationem illam, quam habebant observantes votum illud, quam quamcumque aliam separationem. unde si deberemus dicere, quod iste est separatus ab illo, in Hebræo poneretur, iste est Nazer, & nos verteremus in formam nominum latinorum, iste est Nazaræus.*

Typo etiam & figura Christi futuri Ioseph Nazaræus dicitur, quod egregie Rupertus descripsit l. 9. in Genesi cap. 37, his verbis: *quod dixerat in capite Ioseph, repetivit dicendo, & in vertice Nazaræi inter fratres suos; scilicet alludens intonsis quondam ejus capillis, quos longa carceris custodia nutrivit, quod videlicet Nazaræorum est pro voto servare crines, & hoc illi pro Nazaræo, id est, consecrato, imputari debet, quia pro sacra castitate hoc passus est. porro Nazaræus revera D. N. Iesus Christus inter fratres suos est: sanctus quippe sanctorum est, cujus in vertice universæ complentur benedictiones Patris sui.* & infra: *de isto namque, sive de capite ejus, Propheta dicit in Psalm. 20. quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

Nisi velimus dicere, quod tam Iacob, quam Moyses, Deuter. 33, ille Prophetice, iste referens ejus prophetiam completam, num. 6, Iosephum Nazaræum nominavit, non solum quia erat Typus Christi futuri, qui Nazaræus vocandus erat, sed quia Iacob in spiritu vidit Ioseph filium crines in carcere nutrientem, ubi omni delicio carebat ob custodiam castitatis, prævidens futurum esse, quod Deus institutus erat Religionem, cujus alumni crines nutrirent: ut enim ait Theodoretus quæst. 109. in Genes. *Postrema verba Patriarchæ Iacob sunt prophetia*, quæ futura tempora respicit.

SECTIO VIII. *De Iesu Nazaræatu.*

SOlus sanctus Euangelista Matthæus cap. 2, n. 23. appellat Iesum Christum Nazaræum, dicens: *& veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* cæteri autem Euangelistæ & Matthæus ipse cap. 26. vers. 71. Marcus cap. 1. vers. 24. Luc. 4. vers. 34. Ioann. 18. vers. 5 & 7. & cap. 19. vers. 19. & in actis Apostolicis passim non Nazaræus, sed Nazarenus nominatur, à patria, in qua conceptus, nutritus, educatus & conversatus usque ad tempus quo incepit prædicare, cognomen accipiens, sicut Toletanus à Toleto Civitate. Quamvis enim Christus Bethlemites dici posset, quia ibi natus est, ut quis denominationem accepit à civitate originis, tamen in Novo Testamento non vocatur Bethlemites, sed Nazarenus Marci 16. vers. 18. *Iesum quæritis Nazarenum.* & in titulo crucis sic nominatur Ioan. 19, & nos ita vocamus. circa quod notat Abulens. Matth. 2. quæst. 90. *quod licet Christus fuerit Bethlemites, non vocamus eum Bethlemitem; sed istud nomen Nazarenus, quod per errorem Iudæorum introductum est, magis placuit Spiritui Sancto, & sic fecerat pronunciari quod vocaretur Nazarenus, & non Bethlemites. & non fuit error similiter in nomine, sed solum fuit error in motivo Iudæorum, quia verum est, quod Christus Nazarenus erat, & tamen Iudæi vocabant eum Nazarenum tanquam natum in Nazareth, & hoc falsum erat. nam si intelligerent eum esse Nazarenum, id est, nutritum in Nazareth, non objecissent ei quod non esset Messias, & tamen objecerunt (Ioann. 7. Nunquid à Galilæa venit Christus, id est, Messias?) & sic vocabant eum Nazarenum, id est, natum in Nazareth, & ex falso motivo verum nomen ei impositum est; quia alias nos non vocaremus eum Nazarenum, nisi vere esset Nazarenus.* hactenus Abulensis. quare dictum est Christum dici Nazarenum à civitate Nazareth, idque evidenter claret ex textu Matthæi, dicentis: *& habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*, à civitate in qua habitavit. sic qui habitat multum temporis Hispali aut Toleti, dicitur vicinis Hispalensis aut Toletanus.

Si tamen hujus nominis Hebraici נזר, & Latini Nazaræi, primariam significationem attendamus, sive

five fcribatur per zain, five per tfade, Chriftus vere & proprie dicitur Nazaræus: nam fi priori modo per zain fcribatur, fignificat feparatum, confecratum, coronatum, fanctum; Chriftus autem fegregatus fuit à peccatoribus, fanctus & impollutus, & ex cœlis cœleftis factus fuit. fanctus, ex vi unionis Hypoftaticæ; ex vi cujus fuit confecratus & coronatus tanquam Pontifex & Rex, Legiflator, Redemptor, & Sanctificator. egregie utriufque denominationis originem indagavit Eufebius lib. 7 de demonftrat. Euangelica cap. 7. *Salvator & Dominus nofter fuapte natura fe habens & fanctum & intactum & feparatum, nec alicujus indigens humanæ unctionis, tamen Nazaræi appellationem apud homines obtinuit, non quod ab eo quod nazir vocaretur, & Nazaræus extiterit, fed quamvis natura talis effet, tamen à civitate Nazareth apud homines Nazaræus vocatus fit, ubi apud fuos qua homo erat parentes puerilem educationem obtinuit.*

Si tamen Nazaræus aut Nazarenus fcribatur per tfade, à radice נצר, quod fignificat florem, virgultum, germen, & quidquid fponte nafcitur in agro, fic Chriftus Nazaræus dicitur, id eft, floridus, germinans, fuccrefcenfque fpontanee in magnam & gloriofam arborem, fructus uberrimos valdeque pretiofos producentem. & ficut dixit Ambrofius lib. 2 de de Spiritu Sancto c. 5. *Chriftus flos dicitur*, Ifaiæ 11. verf. 2, ubi pro flos habetur נצר, *flos autem avulfus odorem non amittit, contritus accumulat.* quia Chriftus Nazer & Nazaræus in paffione contritus, & occifus, & veluti avulfus majorem & fragrantiorem fuæ divinitatis odorem emifit & profudit. utriufque nazaræatus Chrifti à fanctitate & flore derivati mentionem expreffit Hieronymus Matth. 2 ad finem, dicens: *Nazaræus fanctus interpretatur. fanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. poffumus & aliter dicere, quod etiam eifdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Ifaia fcriptum eft, exiet virga de radice Ieffe, & Nazaræus de radice ejus confcendet.* hæc fanctus Doctor. utrumque conjunxit fanctus David Pfal. 131, ℣f. 18, *fuper ipfum efflorebit ecce Nazarenus*, per tfade נזר, id eft, floridus, fanctificatio mea per נזר, id eft, fanctitas, à qua Nazaræus, id eft, fanctus.

Sed modo fuperfunt duo dubia. primum, an dum dicitur Chriftus Nazaræus, vel Nazarenus, fcribatur per tfade צ, an per zain ז, id eft, an dicatur Nazaræus quia fanctus, an quia floridus, & germinans incrementa virtutum & gratia? Hieronymus de la Rua concivis meus Toletanus, vir non ignoblis literaturæ tam fcholafticæ, quam expofitivæ, tomo 1. controv. 4. pofitiva; Leo Caftrenfis ad cap. 11. Ifaiæ, in ea funt fententia, quod Chriftus nunquam dicitur Nazaræus per tfade, fed per zain, id eft, nunquam dicitur Nazaræus, quia floridus & germinans, fed quia fanctus & feparatus.

Pater Cornelius Cornelii à Lapide ad caput 2. Matth. num. ult. dicit utroque modo fcribi & dici Chriftum Nazaræum, quia tfade & zain funt literæ ut characteres, ita & fono valde vicinæ inter fefe, & cum aliis quibus conjunguntur, & quas includunt, & fubinde commutantur, ut in conjugatione Hitpaël, & fic vidimus ex Hieronymo, & ex Pfal. 131. Chriftus utroque modo dicitur Nazaræus, quia qui feparatus eft ab intrinfeco ex vi unionis Hypoftaticæ à terrenis voluptatibus, ἅγιος eft & fanctus, id eft fine terra; & eft floridus. unde apparet prius Chriftum vocari Nazaræum, id eft, fanctum, quam Nazaræum, id eft, floridum.

Aft mihi omnino certum eft, quod Chriftus Nazaræus vocatus & nominatus per tfade, & non per zain. quamvis enim omnis Scriptura clamet, quod Chriftus fit Nazaræus, id eft, fanctus, & omnes Prophetæ dicant Meffiam futurum reipfa Nazaræum, id eft, fanctum, feparatum, confecratum & benedictionibus Paternis coronatum; quod nullus Catholicus inficias ibit; nulla enim de hoc eft inter fideles difceptatio, tamen hoc eft quantum ad nominis fignificatum & etymon, non vero quantum ad nominis impofitionem, quam illi imponunt Euangeliftæ: fecundum hanc enim non Nazaræus per zain, fed Nazaræus per tfade dicitur Nazaræus. hæc eft indubitata tum antiquorum, tum modernorum fere omnium fententia, quam tuentur Adrianus Finus lib. 6 flagelli Iudæorum, cap. 18. Ianfenius in concordia cap. 12. gloffa ordinaria, Lyranus, Cajet. in Matth. 2 Sixtus Senen. in Biblioth. lib. 2. verbo Pontius Pilatus, ubi titulum trilinguem compofitum Chrifto crucifixo adducit & Hebraice dicitur נצרי Nazaræus: nam צ idiomate Latino æquivalet S. fic etiam fanctus Pagninus in Thefauro linguæ fanctæ, & Stephanus Salazar lib. de genealog. Salvator. quando literæ tituli crucis, qui adfervatur in conventu Ciftercienfi Romæ fanctæ Crucis in Hieruf. non erant teredine corrofæ, ifti duo auctores tanquam teftes oculati deponunt, quod inibi ponitur Chriftus Nazaræus per tfade צ, & non per zain ז, & per eandem literam eft fcriptus in Euangelio Matthæi, quod obfervatur hodie in Hebraico idiomate, ut teftantur idem Auctores. ego etiam dum effem Romæ anno 1623, & præfati conventus effet meritiffimus Abbas D. Hilario Ranchati, vir omni literatura ornatiffimus & mihi amicitia valde junctus, titulum crucis diligenter afpexi & infpexi; & quamvis corrofæ fint literæ Hebraicæ, tamen cum utriusque literæ צ & ז, magna fit in figura diverfitas, veftigia obfcura quæ ibi manent magis ad tfade, quam ad zain inclinant.

II. Dubium eft, an Chriftus Dominus fuerit profeffus Nazaræorum inftitutum, de quo Numer. cap. 6. bene Ofiander in adnotationibus ad lib. 1. Harmoniæ Euangelicæ, blafphemiæ notæ inurit eos qui dicunt Chriftum Dominum ordinem Nazaræorum profeffum, & ejus ftatuta obfervare. quamquam enim quod modo non difputo, tempore Chrifti Domini hæc Religio ut inftituta Num. 6 perfeveraffet, & quod Chriftus cum ejus alumnis, qui montana habitabant, fuerit converfatus tempore quadragefimalis jejunii, quando ductus eft ab Spiritu in defertum, ut multi adfeverant; tamen illorum Regulam non eft profeffus, nec fuit Nazaræus ex inftituto, tum quia Nazaræi Religiofi vovebant tempus fui nazaræatus, Chriftus autem cum fit Deus & homo, habebat voluntatem confirmatam in bono, à quo per locum ab intrinfeco dimoveri non poterat; & fic tanquam comprehenfor voto adligari nova obligatione nequibat, fibique erat impoffibile votum, ut ait Divus Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. deinde, quia ex lege & voto Nazaræus non bibebat vinum, nec mortuos tangebat: at Chriftus & vinum fobrie bibit, quamvis Pharifæi potatorem vini improperabant, mortuos tangebat, & coram illis ftabat, ut conftat in filio viduæ Nain, & in Lazaro, quando utrumque ad vitam ab inferis revocavit.

Ex dictis manifeftum eft ad quem ex Prophetis refpexit Matthæus, dum dixerit: *ut adimpleretur quod dictum eft per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* varii varia dicunt, & non vacat locus, nec oportunus eft ad fingulorum opiniones recitandas. juxta dicta quæ veriora, folidiora, & communiora funt. dicendum, quod refpexit quantum ad nominis impofi-

positionem, ad caput 11 Isaiæ num. 1. *egredietur virga de radice Iesse, & Nazareus de radice ejus ascendet.*

Ita Hieronymus lib. 7 in Isaiam, cujus verba sunt: *illud quod in Euangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici, & non inveniunt ubi scriptum sit, quoniam Nazaræus vocabitur, eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant. sed sciendum, quod hic* נצר *Neser per* צ *litteram scribatur, cujus proprietatem & sonum in z & s Latinus sermo non exprimit. est enim stridulus & strictis dentibus vix linguæ impressione profertur. porro Nazaræi quos Septuaginta sanctificatos, Symmachus separatos transtulerunt, per* ז *zain semper scribitur elementum.* Similia docet sanctus Doctor super cap. 2 Matthæi, cujus verba supra dedi. Cum ergo Nazaræus instituto & Religione semper scribatur per zain, & Christus Dominus talis non fuerit, manifestum est, quod, dum nomen hoc illi imponitur, non ad loca Scripturæ, ubi fit mentio de Nazaræis scriptis per zain, quod Christo Domino non convenire monstravimus, fit allusio quamvis ad omnia loca sacræ paginæ in quibus sermo de Nazaræis separatis, sanctis & Domino consecratis, nazaræatus Christi inferri valet, sed Matthæus de nominis impositione loquitur. sed cur dicat, *ut dictum est per Prophetas*, varii etiam varias rationes inducunt. sed verior est, quod est phrasis Scripturæ ponere plurale pro singulari, sicut & contra singulare plurali, ut tenent passim expositores.

SECTIO IX. *De Nazaræatu sancti Pauli Apostoli.*

Rem prorsus difficilem aggredior, & quæ apud expositores libri Actuum Apostolicorum multis plicata est nodis. duobus enim locis de Pauli capitis rasura fit mentio. I. Act. 18. vers. 18, *Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos fratribus valedicens navigavit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.* II. cap. 21, vers. 20, *Cum enim Paulus venisset cum sociis Hierosolymam, intravit ad Iacobum; & collectis omnibus Senioribus, qui dixerunt illi: Audierunt de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. hoc ergo fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. his assumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita, & scient omnes: quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus, cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.*

Admiranda plane res, & consideratione dignissima, Paulum qui non ab homine, sed ab ipso Christo munus Euangelicum acceperat, qui ea de causa Petro Apostolorum Principi in faciem Antiochiæ restiterat, *quia repræhensibilis erat*; modo, tum ex sua sponte caput tondet, observans ritum Nazaræorum, ut constat ex primo loco, tum obediens Jacobo & Seniorum consilio non solum ipse, verum & sociis ejus voto expleto nazaræatus, omnia quæ Nazaræi faciebant in sui purificationem, non solum quantum ad capitis rasuram & comæ rasuræ incendium, sed etiam quantum ad cætera sacrificia instituta Num. 6. tam ipse quam sui ad unguem observant; sed qua ratione hoc factum sit, & id posset facere Apostolus, cum omnes ceremoniæ Iudaiciæ & sacrificia legalia à morte Christi jam fuerint mortua, non est hujus loci discutere, quod faciunt Suarez tom. de legibus tract. ultimo à cap. 15. sanctum Thomam secutus 1. 2. q. 98. art. 4. Cajetanus ibi & sanctus Augustinus, qui in hac parte oppositus fuit Divo Hieronymo. breviter tamen, ideo hoc licuit Paulo, quia tunc temporis, etsi mortua fuerint sacrificia, non tamen mortifera. quare ad evitandum scandalum Iudæorum recenter conversorum, licite id faciebat, ut synagoga sepeliretur solemniter & cum honore.

His positis, Pauli nazaræatum inquiramus, antequam loca Actorum relata enodemus. Paulum Nazaræum fuisse ex voto & instituto, sicut & secta Pharisæum ex humana institutione, constans omnium Patrum sensus & expositorum. Legatur Cornelius à Lapide cap. 18, ubi id egregie probat. & evidenter colligitur ex cap. 21. num. 11. in verbis relatis supra. hoc enim erat votum sic dictum per antonomasiam, commune inter Iudæos Legis zelantes, & Religiosos, qualis erat Paulus; & hujus voti præcipua materia maxime in hominibus erat comam nutrire, ipsamque radere finito nazaræatus tempore, & illam in sacrificium offerre si esset in Hierusalem, vel solum reddere si mortuus occurreret, ut utrumque fecit Paulus & expresse dicit sanctus Lucas in locis adductis: nec enim Paulus caput rasit, aut alia sacrificia obtulit in signum Christi venturi, aut quia haberent vim aliquam sacrificandi tum temporis etiam ex opere operantis, cum jam tunc essent mortua, vacua, & egena, ut ipse Paulus demonstrat epistola ad Galatas; sed ut Iudæos sacrificaret, & ne ipsos scandalizaret, ut ipse ait ad Corinth. 1. cap. 9. vers. 20. *factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer*; addit Augustinus epist. 11. quæ est Hieronymi ad Augustinum, *compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ.*

Quare nullatenus assentior Lorino ad cap. 18. Act. vers. 18. dum Paulus totondit caput Cenchreis, non fecisse ex voto Nazaræi & ex legali cæremonia, sed ut caput, gravatum coma nimis longa, degravaret: hoc enim est contra communem Patrum sententiam, qui ajunt hoc fecisse Paulum ut morem gereret Iudæis, & ipsos lucrifaceret. ita Beda, ibi citans Augustinum & Hieronymum. sed qua ratione liceret comam tondere sine oblatione illius in sacrificium, quod utique fieri non poterat extra Hierusalem, jam explico.

Et sic optime Thomas Masutius libro 1. cap. 7. vitæ Paulinæ. Paulumque Iudaicos ritus Nazaræorum, & cæremonias illas adhuc Apostolus observabat tanquam ex proprio instituto, multo magis in Iudaismo, cujus erat zelantissimus ante Apostolatum, talia præstitisse, & Nazaræorum Religiosam vitam coluisse; nisi enim, antequam ad Euangelicam fidem conversus esset, observare similia consuevisset, haud apparet verisimile id postea fecisse, & tunc primum voluisse Nazaræum se profiteri, quando novam Euangelii legem suscipiendam, & veterem abolendam demonstrare modis omnibus satagebat. & quidem illud ante Apostolatum, dum erat in Iudaismo, profitebatur Nazaræorum institutum adeo, sicut & se Pharisæum fuisse fatetur ad Philip. 3. vers. 4. & Actor. 26. num. 4. quare sicut post Apostolatum se profitetur Pharisæum Act. 13. num. 6. *ego Pharisæus sum, & filius Pharisæi.* ita etiam mansit Nazaræus ex utroque instituto, solum quantum ad ea, in quibus cum fide Euangelica & perfectione Apostolica mores & dogmata Pharisæorum & Nazaræorum convenirent.

Advertit Lorinus ad caput 21 Act. n. 26, quod, si qui fideles tunc temporis votum fecerint nazaræatus, antequam legalia essent mortifera, etsi fuissent mortua, si erant Sacerdotes, in utraque specie tenebantur sumere Eucharistiam; neque quantum ad

hoc poterat sacerdos abstemius esse, sed in parva illa calicis quantitate debebat consumere sanguinem, ne sacrificium imperfectum maneret, & laici (inquit) nequibant ex vi voti nazaræatus sanguinem sumere; etsi tunc temporis laici etiam non solum communicarent in fractione panis, sed etiam in sumptione calicis. communicabant enim in utraque specie, quamvis Ecclesia justissimis ex causis id jam vetaverit. eandem doctrinam dixerat cap. 2. n. 42.

Hæc doctrina, si intelligatur quod laici fideles, qui nazaræatum voverunt, tenebantur ex vi voti ad non sumendum sanguinem, omnino improbabilis est: quia tunc temporis votum nazaræatus, quatenus ad legalia pertinebat sicut nazaræatus, mortuum erat, quatenus institutum; erat votum evanidum, inefficax & irritum. quare ex vi hujus voti nullatenus teneri sanguinem Christi sub specie vini non sumere; immò, etsi votum istud fecerint, quatenus abstinentia vini ordinatur ad carnis maturationem, non obligabat ad non sumendum sanguinem sub specie vini. sicut si quis voveret votum non manducandi panem in duobus diebus, quis diceret, quod tenebatur non sumere Eucharistiam sub speciebus panis? quare sententia Lorini subventanea est, & nullo modo admittenda, nisi dicamus, quod, sicut Apostolus ad evitandum scandalum fidelium rasit caput, & purificatus est in templo, ita fideles laici qui nazaræatum voverunt, quia tunc legalia permittebantur ad vitandum pusillorum scandalum, abstemii permanebant etiam in sumptione sanguinis sub speciebus vini.

Sed modo restat enodare duo illa testimonia in principio sectionis adducta ex Actis Apostolicis. & primum Ecclesiæ, explicat Dominus Cajet. ibi, dicens: *habebat enim votum. rasio capitis ex voto Nazaræorum est secundum legem duplex, altera per se, altera per accidens. & illa quidem, quæ erat præcepta per se, erat in termino voti, & hæc nullo modo videtur habere in proposito locum, quoniam illa, ut patet Num. 6, debebat fieri ad ostium Tabernaculi Fœderis, hoc est, ad ostium templi & capelli super ignem, qui suppositus erat sacrificio, comburendi erant; quæ, cum apud Cenchreas servari non potuerint, scandalum fuisset ibidem pro voto Nazaræorum radere caput. altera vero per accidens (hoc est intra tempus voti, si contigisset ex subito morticinio Nazaræorum pollui) absque determinatione loci mandabatur fieri; & hanc Lucas significat fuisse, assignando pro ratione rasi capitis in Cenchreis votum: subintelligi siquidem vult occasionem mortui subito, ob quam ex voto tenebatur ad rasuram capitis. tertiam autem rasuram ex voto in lege nescio.* hactenus ibi.

Quæ expositio vera & literalis est, circa quam adnota I, quod quidam codices legunt *qui sibi totonderant caput*, referendo ad Aquilam, Priscillam & Paulum; sed vulgata in singulari legit *totonderat*. quod, quamvis ad Aquilam referri possit, tamen textus satis declarat ad Paulum referri, cum reliqua omnia verba & participia ad solum Paulum referantur. unde Beda ibidem dicit: *Quidam codices plurali numero habent totonderunt caput, & habebant votum, id est, Priscilla & Aquila. sed egregii Doctores Ecclesiæ Hieronymus & Augustinus in suis uterque epistolis & singulari numero ponunt, & de Paulo interpretantur.* hactenus Beda.

II. Quod licet quando in termino voti fieret tonsio, quæ nisi ad ostium templi fieri nequebat, ibique offerentur victimæ quæ disponuntur Num. 6. licet etiam quando ex occursu mortui subito deberent etiam fieri aliquæ oblationes, ut dicitur ibidem n. 9. tamen hoc in casu de pollutione ex mortuo, debebant fieri quando Nazaræus erat in Hierusal. aut prope. quando enim Nazaræus distabat nimis ab Hierus. has victimas non tenebatur offerre, quia nemo ad impossibile tenebatur, sed solum in animi præparatione, quare solum tenebatur caput radere. ita Cornelius & alii.

III. Nota Laconicismum profundissimum Cajet. dum dixit: *Tertiam autem rasuram ex voto in lege nescio.* rectissime dixit in lege, hoc est, per legem statutam: nam ex propria voluntate, ex voto poterat quis radere caput & capillos offerre in sacrificio, orando prius triginta dies, ut Deus averteret ab illo aliquam infirmitatem aut malum, ut refert Iosephus lib. 2 de bello Iudaico cap. 15. statim à principio, ubi de Berenice germana Regis Agrippæ loquens, dicit: *Venerat autem Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias, abstinere quoque vino, & capillos radere. quem morem Berenice Regina illis exercens diebus, nudipes etiam ante tribunal stetit, &c.* Hoc autem votum, vel mos Iudaicus non est in lege scriptus, sed ex gentilitate translatus ad Dei veri cultum. gentilitas enim ob infirmitatem pellendam radebat caput, & capillos offerebat Diis. Diodorus Siculus lib. 2. cap. 4. dicit Ægyptios pro pueris morbo affectis vota concepisse, ut, si Deus adesset, dissectum capillum dedicarent. & Papinius Poëta libro secundo:

Iasides thalamis, ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas.

Idem tradit Censorinus in procemio de die natali. Lilius Gyraldus Dialog. 11. de tonsura & rasione capitis. hic mos etiam apud Catholicos viget, dum fœminæ pro salute consequenda comas libant alicui devotæ imagini Christi aut Virginis.

Non est facilior explicatu alter locus ex cap. 21 Actorum, ỷ.24, 25, & 26. ubi Dominus Cajet. dicit, quod Paulus ibi non rasit caput, nec alias victimas pro purificatione nazaræatus sui obtulit, sed solum fuit Patronus illorum quatuor sociorum, qui votum habebant nazaræatus, ut dicit textus; non autem dicit quod Paulus tunc habebat votum. quare Iacobus hortatur Paulum, ut illorum sit patronus, & impendat illis, ut radant capita sua, & offerant ea quæ lex Numer. 6. mandat. quando enim Nazaræi expleto voto radebant caput ad ostium templi, & deferebant victimas in lege decretas. Patronus consueverat sumptus illis necessarios tribuere, & ad hoc exhortabatur Paulus, ut expenderet necessaria ad horum purificationem, essetque illorum Patronus, ut Iudæi recenter conversi hoc videntes scirent falsa esse, quæ de Paulo dicebantur, quod sperneret legalia & cæremonias Iudaicas, quæ nondum mortiferæ evaserant.

Acuta sane expositio, sed solidior est aliorum Patrum interpretatio, quod non solum illi quatuor expleto nazaræatus tempore raserint capita & fecerint cætera legalia tradita Num. 6. sed quod idem fecisset Paulus, si non esset impeditus à persecutoribus, qui ipsum capere desiderabant ante septimum diem in quo sacrificia fieri debebant. Ita Lyra, Arias Montanus, Lorinus, Cornelius, Glossa interlinealis, Hugo Cardinalis, & cæteri alii fere omnes expositores; & textus sacer satis declarat num. 26. *tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, &c.* quod expressius declarat Syrus Interpres: *tunc Paulus assumpsit viros illos sequenti die, & purificatus est cum eis, &c.* & num. 24. *His assumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita.* ubi ad duo exhortatur Apostolus, primum, ad sanctificandum se expleto nazaræatus voto; secundum, ut sumptus faciat aliis quatuor, quia forsan

forsan pauperes erant, vel ut magis explicaret se non odio prosequi legales cæremonias, cum sumptus faceret ut alii eas observarent; raderent caput, lavarent cæsariem, & forsan aromatibus condirent, ut igne concremata bene oleret. quare, etsi Paulus radens caput Cenchreis votum expleverit Nazaræatus, tamen vel iterum illud nuncupavit quod hic complet, vel quod verius existimo, cum Cenchreis non obtulerit sacrificia præscripta à lege, quia nimium distabat ab Hierusalem, hic illa explet, non radens caput, quod jam raserat. quare textus solum dicit quod quatuor illi radant capita, & quod Paulus cum eis se purificet, offerendo sacrificia quæ debebat offerre.

SECTIO X. *Fuit Christus Dominus tonsus in passione?*

SAmsonem illum Nazaræum ex utero matris fortissimum defensorem populi Israël, typum fuisse expressum Christi Domini, concors est Patrum omnium sententia; esseque inter utriusque opera & Valentias insignem analogam convenientiam ex eorundem Patrum penu, erudite demonstrat Serarius ad caput 16 Iudicum, à qu. 40. usque ad 55. in quibus egregias allegorias à Samsone ad Christum proponit, & qu. 49. quærit, an & Christi Domini tonsus capillus? & q. 52. an illuso recreverit Christo Domino capillus? Vtrumque allegorice affirmat. primum, de Hæreticis Novatoribus, qui Christum & Ecclesiam deglabrant & tondent. secundum, quando, ut ait Augustinus. serm. 107. resurrexit, Domino capillus recrevit, & nunc etiam redit ei virtus roburque pristinum, quando qui servos suos velut infirmus ac imbecillus juvare non videbatur, eos contra hostes excitat, confirmat atque corroborat, quando Turcarum & infidelium à nobis immanitatem propulsat, quando suum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ decus restituit, hæreses exterminat, septenarium Sacramentorum suorum numerum revocat, eorum usum restaurat, septem sancti Spiritus dona partitur. Ita fere ex Ioachimo Abbate ad caput 1. Apocalyp. pagina 43. August. serm. 107. Paulin. Epistola 4 ad Sever. & ulterius legi possunt Ambrosius lib. 2 de Spiritu sancto. Hieronymus in capite 12 Iob. & lib. adversus Iovinianum, Augustinus in Psalmum 107. Greg. hom. 21 in Euang. & Lauretus in Sylva Alleg. verbo *Samson*. Rupertus egregie in lib. Iudic. capite suo 22. & 24. hæc de tonsione Christi veri Samsonis. sed an vere tonsus fuerit in nocte illa horrenda suæ passionis, quando tot & extraordinariis modis est illusus, apud nullum vidi disputatum, cum sit inquisitione dignum.

Posse quidem id affirmari videtur, quia Lucæ 23. vers. 11. cum Pilatus misisset Dominum Iesum ad Herodem, iste illum illusit indutum veste alba, id est, ut explicat ibi Dominus Cajetanus, *ut fatuum tractavit*; indutus enim veste alba multis ludibriis affectus est & punitus, ut morio & fatuus. atqui unum ex præcipuis fatui & morionis ludibriis est tonsio capitis, ut constat ex Artemidoro de gelotopeis, constat ex Beda lib. 5 de Hist. Anglic. cap. 22. ubi narrat sanctum Petrum fuisse tonsum & rasura capitis coronatum, tanquam fatuum & morionem ludibrii causa, cui sic apparuit Christus illi significans quam sibi ita placeret. Verba Bedæ infra dabo. Deinde quia Isaiæ 53. dicitur ad literam de Christo, *tanquam leprosus & percussus ab eo reputabatur*, &, ut optime adnotavit Daniel Malonius de sacra sindone cap. 11. num. 8, *Christus tanquam leprosus leprosorum insignia gestat*. atqui unum ex signis leprosi est rasio capitis & pilorum, ut ex cap. 13 Levit. nu. 33. & cap. 14. num. 8.

At mihi omnino certum, Christum Dominum in passione non fuisse passum ludibrium tonsionis aut rasuræ comæ capitis sui, quamvis capilli multi avulsi fuerint doloris ergo & contumeliæ. ita Paleotus Archiepiscopus Bonon. de sacra sindone cap. 11. num. 9. *Hanc autem cruore purpuras centum comam Salomon ante præviderat, dum dixerat comæ capitis sui sicut purpura Regis. quod sane declarat quod divinæ charitatis ardore totum se nobis traderet, cum extremas quoque corporis partes, id est, capillos, præclarum profecto capitis & decus & ornamentum, suo aspergi cruore sustinuerit, quin etiam sibi evelli sit passus amoris ergo; collige, qui nam dolor sacratissimæ Virginis pectus occuparit, quæ quando nullam tam cari capitis aut inconcinnam aut neglectam partem sineret, quin totum decentissime quidem componeret, per illud tempus dulcissimi nati capillos eosdem & incomptos & evulsos, sanguine tandem tanquam visco consecratos aurea venustate deperdita, præsens inspiceret.* hæc ibi. quæ videntur desumpta ex revelationibus sanctæ Brigittæ lib. 1. cap. 10. & lib. 4. cap. 70. dicentes: capilli ejus quasi restis. quare sanguine congelato concreta cæsaries amplius non crines volatiles, & discretos; sed funem ex capillis confectam monstrabat.

Idem rursus confirmo valde firmo argumento, quod ex picturis antiquissimis ab ipsomet Christo factis, quæ & hodie in Ecclesia perseverant, desumitur. prima imago Christi ab ipsomet depicta est in sudario illo celeberrimo Beatæ illius mulieri, dictæ Veronicæ, cui sudario ab ipsa Christo oblato suam effigiem immobiliter impressit, dum ad crucem iret sudore aspersus, & defatigatus. de quo sic Christianus Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ, in descriptione civitatis Hierusal. num. 44. *Domus Veronicæ angularis fuit, ubi Veronica lineum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret. cui Dominus faciei suæ imaginem perfecte expressit, eique in amoris sui pignus reddidit, quod in hodiernum usque diem Christi faciei insignitum Romæ in sancti Petri Basilica, in Vaticano monte per Constantinum Magnum structa, grandi honore asservatur, ac statis diebus populo ostenditur.* hactenus ibi. quam historiam traditione confirmatam certum est. Legantur Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 54. sect. 1. §. duo. Benzonius lib. 1 de fuga temp. pestis, disput. 2. qu. 2. pag. 59. Medina 3. p. qu. 25. artic. 3. Turrecremata cap. venerabilem de consecrat. dist. 3. & alii apud Malonium de sacro sindone cap. 1. folio mihi 15. similis est alia Christi imago in Giennensi civitate, quæ ex traditione habetur, quod fuit impressa cum ea, quæ observatur Romæ. peplum enim illum Veronicæ triplicatum fuit, & triplex vultus Christi illi impressus. Atqui in vultu ipso est Christus cum cæsarie sua; cum impressus fuerit dum ad Calvariæ locum iret ut cruci affigeretur, prototypon manifestum est quod Christus in tenebricosa illa nocte tonsus non fuit.

Neque etiam dum crucifigeretur, quod constat ex alia imagine quam Christus sui nobis reliquit post mortem impressam in sacra sindone, quæ hodie maxima totius populi Christiani devotione & reverentia adservatur, & visitur Taurini in Sabaudia. Fuit enim sindon ista illa munda, in qua involutus fuit Christus mortuus, quando illum posuerunt in sepulchrum, in qua manserunt impressa sacra illius vulnera, & facies ejus & caput, etsi subobscure, & in capite ejus coma & cæsaries impressa mansit prolongata, etsi capilli conglutinati appareant. de qua

summa pietate & devotione discurrit Archiepiscopus Bononiensis Alfonsus Paleotus, quem eruditissimis adnotationibus illustrat Daniel Malonius de hujus vero sacræ syndonis antiquitate, veritate & veneratione nullus dubitare potest, si intra Ecclesiæ cancellos contineatur. fit enim de illa honorifica mentio in multis & gravissimis auctoribus, quos vide apud Malonium in notis ad caput 1.

His accedit Historia quam Malonius scribit ubi supra cap. 11. num. 9. *novimus in agro typharnete in Ecclesia Cathedrali asservari unam è spinis coronæ Christi Domini, in cujus cuspide sub telis quidam Christi capillus ejusdem sanguine spinæ adglutinatus adhæret, qui quidem sanguis quolibet anno in die parasceves, qua hora Christi capiti corona fuit imposita, rursus colligique fieri, rubescere, & quodammodo ebullire, purpureumque colorem recipere cernitur.* hæc ille. atqui corona spinea posita fuit Christo postquam Herodes remisit illum ad Pilatum indutum veste alba, ipsum ut fatuum tractans.

Sed cur Christus Dominus cum tot ludibria & irrisiones sibi fieri permiserit, tonsionem capitis tanquam fatui & morionis recusaverit? certe quidem nobis occultum est, nec facile quisquam divinabit; an quia Nazaræus vocandus in crucis titulo? an omnes qui ipsum comatum cognoverunt sine coma videntes alium à Iesu putarent? An quia Christus verus Samson, cum nunquam fortitudinem amiserit, sed quando hominibus infirmior apparebat tunc fortius operabatur, destruens Dagonis templum & columnas ejus subvertens, Dæmonis Tyrannidem & imperium dissipavit; & sic caput Iesu rasum non fuit, nec cæsaries ejus tonsa? an quia coma & capillatura in Nazaræis signat velata esse Christi mysteria, & nunquam magis apparebat ejus divinitas velata quam in passione? an quia promissa coma plena sanguine quasi testis apparebat, & sic deformior videbatur Iudæis, qui ob hoc motivum ipsam non totondere. Vnde dissolvitur prima dubitandi ratio; non enim sibi fieri hoc ludibrium tonsionis comæ permisit Dominus Iesus. secunda etiam non subsistit, quia, etsi in aliis visus fuerit ab Isaia ut leprosus, hujusque omnia fere insignia ostenta, non tamen capitis rasuram.

SECTIO XI. *De tonsura Samsonis.*

SAmsonis Historia & tragœdia nota est ex libro Iudic. in quo capite 13. num. 4. & 5. dixit Angelus ad uxorem Manue sterilem, *concipies & paries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum.* Tragœdia autem narratur cum duxit uxorem de mulieribus Philistæis nomine Dalilam, quæ ipsum coëgit ut ostenderet suæ fortitudinis scaturiginem, qua quamvis semel & iterum delusa, tandem persuasione muliebri non sine delicto veritatem illi aperuit, & dixit ad eam cap. 16. num. 17, *ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus*, id est, *consecratus Deo sum de utero matris meæ. si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines. vidensque illa quod confessus sibi esset omnem animum suum.* & num. 19, *at illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cæpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit, dixitque: Philisthiim super te Samson.*

Circa quæ verba ingeniosas valde excitat quæstiones Abulensis, quem sequuntur qui post ipsum scripserunt recentes expositores. ego tamen solum excitabo & prosequar quæ ad præsens attinent, & connexæ sunt cum tonsione Samsonis, & quidem Samsonem vires & fortitudinem naturalem (non enim loquimur de dono fortitudinis quod inter septem dona Spiritus sancti adnumeratur) habuisse in manibus, brachiis, tibiis & pedibus, & cæteris membris, in quibus vis motiva & compulsiva residet, nullus prudens dubitabit: manibus enim & brachiis, cæteris membris impulsum influentibus, & leonem occidit & portas subvertit, & templum Dagonis solo æquavit. sed cur in capillis inesse fortitudo Samsonis dicitur, ita ut illis tonsis, rasoque capite elanguerit valentia & fortitudo recesserit? vigor emarcuerit? Serarius vir eruditus q. 14. ad præfatum caput existimat quod fortitudo Samsonis non fuit in coma, ut in subjecto. & bene in hoc, quia subjectum erant membra, ut vidimus, neque tanquam in causa; alias omnes intonsi fortissimi, cujus contrarium experientia demonstrat, imo multi tonsi valentissimi. quare capillus Samsonis intonsus nec conditio fuit sine qua non, sed solum fuit signum datæ fortitudinis à Deo, fuitque inter Deum & Samsonem initum fœdus, quod semper quod iste habitum Nazaræi præcipuum, comam scilicet intonsam, gestasset, Deus daret illi virtutem & fortitudinem ad vincendos & debellandos inimicos; si tamen comam tonderet, virtus & fortitudo languesceret. quam sententiam eruere conatur ex Patribus. sed Serarius male in utroque, tum sententia, tum probatione ex Patribus; cum Patribus fœdus hoc, non initum sed inventum à Serario, penitus fuerit incognitum, ut jam ostendo.

Existimo enim Deum communicasse Samsoni robur & fortitudinem mediis capillis intonsis, ita quod à capillis veluti à fontis scaturigine dimanavit vis impulsiva invincibilis & insuperabilis in cæteras corporis partes: hoc enim dubio procul conformius est textui sacro, juxta quem tonsa coma emarcuit in aliis partibus fortitudo, quia ejus scaturigo siccata, & crescente coma naturali rursus, fons valentiæ iterum fluxit, & templum evertit, & inimicos occidit. & quid mirum? cum Samsonis fortitudo miracula fecerit, quia Deus tam vilem partem corporis, qualis est coma, assumpserit, ut ex illa tanquam à fonte, imo & causa, elevata Valentia illa dimanaret, & per totum diffunderetur corpus. quod bene Procopius! *Filii Hæreticorum rident, quod in capillis gratia est; rideant igitur quod in Apostolorum umbra gratia est. In fimbria item vestimenti Christi, in luto etiam quod cæcum illustravit. qua propter voti nomine pretiosa apud Deum fuit coma.* atque tam lutum, quam fimbria fuerunt causæ efficientes sanitatis ex Divi Thomæ doctrina 3. p. q. 15. ubi omnes Thomistæ & ego ibi tractat. 15. dubitat. 8. late monstravi. unde, quando sanctus Ambrosius in prologos lib. 2 de Spiritu sancto, & lib. 2 de Officiis cap. 26. sanctus Paulinus epistola 4 ad Severia. S. Ephrem tom. 1. serm. adversus improbit. mulierum, dicunt, quod virtus ista non corporalium capillorum, sed gratiæ spiritualis erat, juxta dicta intelligendi sunt, quod capilli non habebant naturalem fortitudinem & valentiam, sed supernaturaliter illam causabant; virtus quidem naturalis erat, hoc est, ordinis naturalis, sed supernaturaliter causata, diffusa, conservata, in capillis intonsis existente illius scaturigine.

Sed quid, si vi & violentia, in voluntario existente Samsone; aut ex infirmitate Medici mandarent tonderi illi comam, aut per alopeciam pili deciderent, nullaque esset cæsaries in capite Samsonis, essetne

esseťne in illa fortitudo & valentia? affirmant Tostatus quæst. 24. & Serarius quæst. 15. at ego existimo, quod nihil horum contingeret in Samsone ex vi præsentis Providentiæ, qua determinavit Deus, quod Samsonis coma non decideret, nisi ipso volente. quod si ejus voluntas accederet, dubio procul & fortitudo caderet. sin autem per alopeciam aliamve infirmitatem capilli effluerent, Deus sine hoc instrumento valentiam Samsoni infunderet, si vellet populum suum tueri medio Samsone ab inimicorum incursibus.

Notant Serarius quæst. 16. Roa lib. 5. singular. c. 7. ad analogiam comæ Samsonis à Dalila detonsæ, finxisse Poëtas Nisum Megarorum Regem coma aurea insignitum qua invincibilis ab adversariis extitit, quousque filia ejus se illa amore inimici paterni capta comam Patris rasit, sicque fuit ab insidiatoribus victus. quam fabellam eleganter pinxit Ovidius lib. 8 Metamorphos.

Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet, thalamos taciturna paternos
Intrat, & (heu facinus!) fatali nata parentem
Crine suum spoliat, prædaque potita nefanda.
Fert secum spolium sceleris. & hoc hosti tradens,
Cape (inquit) *pignus amoris*
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem
Sed Patrium tibi crede caput. sceleratąque dextra
Munera porrexit. ———

Cujus fabulæ motivum totum à Samsonis coma detonsa est desumptum.

Sed cum in textu Hebræo verbum *rasit* sit fœminini generis, & sic ad Dalilam referatur, cur vocavit ista tonsorem, ut abscinderet Samsonis profunde dormientis comam, raderetque capillos? facilis est solutio ex Vatablo ibi num. 39. *radi jussit, sed rasuræ executor fuit tonsor ipse.* Dalila namque id exequi non valebat, cum in sinu suo recumbentem haberet Samsonem, eratque ejus opera valde necessaria ad juvandum tonsorem: iste enim solus rasuram exequi non valeret, nisi à somno excitaretur Samson. mira res profecto & divina providentia disposita, tum quod Samson non excitaretur à somno, vel in molliendo crine aqua calida ne novacula nimium ferret, vel si sine aqua id factum, quod vis novaculæ siccos capillos abscindentis ipsum non evigilaret; tum etiam, quod cognita Samsonis fortitudine & ferocitate, tonsor auderet accedere ad tondendum caput cum periculo vitæ, si evigilaret Samson semitonso capite; quid tunc pauperculus faceret? nam justa vindicta Samson ipsum occideret, sicut alios ex Philistinis occidit.

Multa consumit Abulensis quæst. 30, 31 & 32 in his nodis extricandis: *credebat* (inquit) *Dalila, quod non esset periculum tonsori, eo quod Samson erat gravis soporis, & quamquam tonderetur non poßet evigilare, quia postquam tonsus erat adhuc non evigilabat, sed Dalila abjiciebat eum à se sæpius quousque evigilavit.* quibus ego addo valde probabile videri, Dalilam motam pecuniæ promissæ cupidine, ut securius procederet tam ipsa, quam tonsor, aliquod veneficium dedisse Samsoni, ut gravissimus illum somnus occuparet. quod videtur innuere S. Ambrosius epist. 70 ad Ireneum: *Illa* (Dalila) *meretriciis delinimentis fessum amoris in soporem compulit, & tonsore adhibito septem crines capitis ejus admota novacula abscidit.* hæc ille. & postquam sic eram philosophatus sine auctore, meam sententiam inveni in Serario viro doctissimo q. 11. *fieri potuit* (ait) *ut vel in cibis papaverea & soporifera ei aliqua daret scortum, vel carotica & somnifica quædam adhiberet illa,* ut sunt apud Delrium lib. 3. disquis. p. 1. q. 2. ex Apulejo, Virgilio, Cæsario, aliisque, non pauca.

Superest dubium qui crines fuerint isti septem, qui scissi & rasi sunt de capite Samsonis? egregie respondet Vatablus ibi, num. 4. *erant ex quibus constabat tota ejus coma: erat enim distincta in septem cincinnos id est, capillos oblongos & contortos.* similia docet Abulens. ibi, quæst. 29 in fine. erat ergo Nazaræorum mos capillos in septem crines contortos & contextos dividere; ne soluti fastidio essent, & colligati & compti pulchritudini deservirent. mirum quidem, quod Deus ordinem instituisset, cujus alumni & professores eo habitu incederent, quem Patres Ecclesiæ, imo & gentiles sunt abominati, tanquam impudicum & cinædorum proprium.

Patres secutus Clemens Romanus lib. 1 const. c. 3, ubi sic loquitur: *tibi enim, qui fidelis & homo Dei es, non licet nutrire comam, & in unum colligere. hæc enim luxuria est & mollities, nec effusam gestare, neque discriminatam, neque facere ut tumescat, neque eam carpendo & formando crispare, neque flavam reddere; quod etiam lex Deuter. vetet sisoem facere aut anaxyridas.* hæc ibi Clemens Alexand. lib. 2 Pædag. c. 11, *crobilo* (quod est cincinne genus) *aureo induebantur, & junctis cicadis ornati ortum suum revera terrestrem cinædo quodam fastu & arrogantia monstrantes.* Tertul. lib. de veland. Virg. cap. 8. *simulque si mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inferunt crinibus à fronte divisis apertam professæ mulierositatem.* quare Artemidorus lib. 11. onirocri. cap. 6. ait: *capillos videri in somno flecti in orbem solis fœminis contigit, aut virorum iis, qui assueverunt.* Hieron. epist. 50 ad Demetriadem de virginitate servanda: *cincinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam pestes & venena pudicitiæ Virgo devitet.* & epist. 12 ad Gaudentium de Infantulæ educatione: *nunquam Juvenculos, nunquam cincinnatos videat.* Et Synesius ex Philosopho insigni factus Episcopus Cyrenens. in oratione de laudibus calvitii. Hinc ortum duxit celebre illud Proverbium: *nullus comatus qui,* id est, *non sit cinædus.* quod celebrat Cælius Rodigin. lib. 15 Antiq. cap. 8. unde sanctus Nazianzenus, *concinna tam frontem cinædam*, dicit.

Audi Oratores: Ciceronem qui in Pisonem dicit, *erant illi compti capilli & madentes cincinnorum fimbriæ,* & pro Sextio, *alter unguentis affluens calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum,* &c. & Chrysis ad Policnum in Arbitri satyr. *quo enim spectant flexæ pectine comæ? quo facies medicamine attrita, & oculorum quoque mollis petulantia? quo incessus apte compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formas prostituas & vendas.* unde egregie Clemens Alexand. lib. 3 Pædagog cap. 3 ait: *plane effœminantur illiberali quidem tonsu ac meretricio se tondentes arte, nisi quis eos nudos viderit, mulieres esse putaverit.* Seneca omnium elegantissime lib. de brevit. vitæ cap. 12. *ingens studium hominum otiosorum affectandi comam. quis est istorum qui non malit Remp. turbari, quam comam suam? qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comptior esse malit, quam honestior? hos tu otiosos voca inter pectinem speculumque occupatos.* Dixerat enim prius: *illos otiosos vocas quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succrevit singulis capillis in consilium itur. dum aut disjecta coma destituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? quo modo irascuntur, si tonsor Paulo indiligentior fuerit? tanquam virum tonderet; quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderint?*

Sed non minus acriter invehuntur Poëtæ gentiles in hos cirratos ac cincinnatos fœmineos homines.

nes. Phocylides, cujus verba adducit Tiraquell. leg. 3 connub.

Ne in masculo quidem filio nutri cincinni gratia capillum.
Nec verticem plices, nec vittas tortuosas corymborum.
Masculum non decet coma. —

Et Plautus in Milite:

— Rogare mirum est
Populi odium quin noverim? magnidicum, cincinnatum.
Mœchum unguentatum.

Comicus Agatho in Thyeste sic canit apud Tiraquell. ubi supra:

Pro nactis ambientes Gnatæ nuptias,
Passi repulsam; mox testes libidinis
Comas totondimus: animi solatium
Prostrati, gloria hinc sequitur cognominis,
Tonsum ob capillum quod Curetes dicimur.

Curetes enim dicebantur, qui ob amorem puellarum cincinnos alebant, & unguentis curabant.

Ex quibus & multis aliis apparet, apud omnem gentilitatem ratione naturali ductam in probro & opprobrio fuisse hominibus concinnos & cirros alere, calamistrare, intexere; hinc est, quod Paulus 1 ad Corinth. cap. 11 dixit: *nam ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi.* nutriat quidem more fœmineo intorquendo & calamistrando. quare in eam deveni imaginationem, Deum permisisse Samsonem, & rasum valentiam & fortitudinem, in coma Nazaræa sitam ut in fonte, amisisse, eo quod illam aleret nimia curiositate pectinando, intexendo, in crines intortos dividendo, ut mulieribus Philistinis, quarum amore rapiebatur, placeret: coma enim à Deo instituta in Nazaræis non compta, non cirris distincta, non discriminata, sed plane modesta, leviter pectinata, erat enim habitus Religiosus Nazaræorum. quare Religiose tractandus ut non verteretur in crimen, sed deserviret in cultum. unde egregie Ambros. lib. 3 de Virg. explicans illud Cant. 5, *& cincinni mei guttis noctium*, ait: *noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum. non illa ornamenta, sed crimina sunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis. alios cincinnos Nazaræus habet, qui non calamistris compositi & arte digesti, sed multiplici crispante virtutum nitentium gratia refulserunt.*

Quare quidam eruditus sic pro gloria Hispana antiqua decertat: *Adeo* (ait) *mores ad mollitiem sunt prolapsi, ut viri fœminarum in modum compti & cincinnati procedant? facessant istæc virorum opprobria, masculæ virtutis dedecora, nobilissimæ sexus maculæ, atque ab equis & armis ad colum & pensa trudantur. O mores! ô tempora! ô duces integerrimi! virtutem Hispanam, cujus vel nomen terrori Barbaris, nationi gloriæ fuit, eo deductam, ut pro galeato cirratum caput ostentet, pro galea peregrinos pileos, pro hirsutis cristis molles nitidosque cincinnos, felicioris seculi ritu puerorum insigne aut fœminarum, maxime cinædorum, libidinis testis, & infamiæ nota, Christianis minime permissum, & damnatum ab ethnicis.* hæc ille satis pie. O si Hispani infamiam istam adverterent, ut tonderentur nescio an dicam, quod postquam in gentem nostram cincinni & cirri sunt introducti, effeminati sunt homines, & nomen gloriosum manus semper victricis amiserunt. Vnde Fabius lib. 1, velli, & comam in gradus frangere, quamlibet hæc invaserit civitatem, & erit consuetudo. De hac comæ plicatura & nutritione abominanda lege Martianum Capellam lib. 6. statim in initio. si enim Deus Isaiæ 3. vers. 16. pro crispante crine mulierum tradidit populum suum dilectum in manus inimicorum, cum mulieri sit naturale comam nutrire; solum quia in hac nimiam diligentiam adhibebant, quid faciet, si homines similia faciunt? quid ni? Stellarius lib. 2 de coronis, cap. 11. pestem & alia mala à Deo illata ob comæ & vestium tam in viris, quam in fœminis abusum adducit. male tamen intelligit sanctum Paulinum in carmine ad Cytherium, ubi de eruditione filii ipsius Cytherii, quem Domino sub Severo Magistro dicaverat, ubi habitum & mores Nazaræorum comamque moralizat, ut filius erudiatur, non tamen docet, quod reipsa in puero cincinni & cirri nutriantur, ut legenti constabit.

Sectio XII. *De Tonsione annua Absalonis.*

De Absolone sic loquitur lib. 2 Reg. cap. 14. vers. 25 & 26, *porro sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in illo ulla macula, & quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillus capitis sui ducentis siclis pondere publico.*

Ad quæ verba dubitat Abulensis quæst. 19. an Absalon fuerit Nazaræus referens Hebræorum affirmativam sententiam, quod scilicet esset Nazaræus perpetuus; istis enim quando gravabat nimis cæsaries, licebat eam tondere. id quod Abulensis concedit ex suppositione quod esset Nazaræus perpetuus. *quo concesso* (ait Abulensis) *necesse erat dici, quod licebat Nazaræo tonderi, quando gravabat eum cæsaries. Non tamen constat Absalonem Nazaræum esse.* Postea tamen sui oblitus tam cito (quod mirum in Abulens.) sibi contrariatur, dicens: *si autem fuisset Nazaræus perpetuus, nunquam tonsus fuisset, etiamsi gravaretur cæsarie: nam status ille qui erat perfectionis in veteri Testamento sumebatur ad tolerandos labores, & ideo non erat inconveniens etiamsi gravaret cæsaries caput, quod sustineretur: majores namque difficultates sunt quas tolerant nunc ex voto, qui consilia observant & Religionis statum.*

Mihi tamen videtur, quod, si Absalon fuisset Nazaræus perpetuus, ac cæsaries nimium caput gravaret causans magnum dolorem, quod ei liceret infirmitatis vitandæ causa tantum de coma & cæsarie tondere, quantum Medici judicarent necessarium; nunquam tamen licebat radi novacula, quod expresse prohibitum fuit num. 6. nisi infirmitas id exposceret; infirmus tamen rasus, si temporarie erat Nazaræus, iterum Nazaræatum incipiebat. Nec enim credibile est, quod Absalon caput raderet, sed tonsor forfice abscindebat de capillorum longitudine, & intersecabat ex capite aliquos cincinnos, ut pondus minueretur capillorum. sicut modo etiam faciunt qui comam nutriunt. An vero re ipsa Absalon Nazaræus extiterit, mihi non constat, fides maneat apud Hebræos.

Circa tempus quo tondebatur Absalon variant Doctores. sed Hieronymus in traditionibus Hebræis ad lib. 2 Reg. ait: *non enim semel in anno, ut Latini codices habent, tondebatur caput ejus, sed statuto tempore, ut in Hebræo legitur, id est, de triginta in triginta diebus.* Hieronymum sequitur glossa interlinealis; sed non placet, tum quia in originali Hebræo correctissimo non ita legitur, *sed ab initio dierum in dies.* quæ verba sic explicant Cajetanus, Pagninus, Arias, Vatablus, *cum tonderet caput suum, quod fiebat singulis annis ad finem anni.* Iosephus lib. 7 Antiq. cap. 8. censet quod, *tanta erat cæsaries, ut vix octo diebus tonderi potuisset.* & Historia Ecclesiastica Comesto-

mestoris lib. 2, c 24, *habet novem dies*. Gelenius vero ad Iosephum, dicit: *tanta fuit ejus cæsaries, ut intra octavum quoque mensem ad ducentos siclos, hoc est, ad quinque pondo accresceret*. sed quod semel tandem anno tonderetur Absalon, verius est & conformius editioni vulgatæ. quam sequitur Abulensis ibi quæst. 19, dicens: *dicendum quod accipitur pro anno: nam in Hebræo habetur hic jamin, & significat dies. quando autem ponitur jamin sine certo numero, accipitur pro anno. & sic est hic; maxime quia dicitur in Hebræo, post finem dierum ad dies: in quo innuitur, quod finiebatur annus antequam tonderetur, quia gravabat eum cæsaries, id est, non tondebatur propter aliud, nisi quia cæsaries, id est, multitudo capillorum gravabat eum: nam erat nimietas capillorum in Absalone plus quam in aliis hominibus; & in hoc apparebat pulchritudo, quia de necessitate pulchritudinis oportet esse capillorum abundantiam*.

Sed circa pondus comæ Absalonicæ quotannis tonsæ duplex superest dubiolum I. Circa numerum siclorum quos ponderabat: nam vulgata *ducentos siclos* assignat *pondere publico*, aut *petra Regia*, ut est in Hebræo, ad differentiam siclorum *Sanctuarii*, qui duplo pondere erant. siclus enim publicus, ut ostendit Villalpandus lib. 2 de ponderibus cap. 28. pondus erat semunciæ, & ejusdem ponderis cum siclo sanctuarii; quamvis Lyranus, Abulensis, Dionysius Carthusianus, & alii hic asserunt, duplo magis ponderare siclum *Sanctuarii*, quam siclum *petræ Regiæ*. dicitur autem pondus publicum *petra Regia*, quia in petris erant pondera designata & obsignata ex Regis decreto, sicut apud nostrates sunt in ferro, vel alio metallo. sed quamvis vulgata secuta omnium fere linguarum versiones ducentos siclos assignet, tamen in Biblia Regia centum dumtaxat habentur, quod sequitur sanctus Paulinus epist. 4 ad Severum. quare miror viros eruditos Ducæum & Rosweydum in notis id non advertisse, dicentes Beatum Paulinum, fallente memoria, centum pro ducentis posuisse, cum non ex fallacia, sed ex inscitia sic posuit, quia tunc vulgata non erat canonizata infallibilis auctoritatis.

II. Dubiolum est, qua ratione capilli Absalonis quotannis tonsi tanti ponderis potuerint esse. nam 200 sicli faciunt 100 uncias, quantum vix totum caput humanum ponderat, propter quod aliqui, quos referunt Lyra, & Abulensis, putant eos capillos tonsos non fuisse tanti ponderis, sed propter ipsorum pulchritudinem mulieribus vendi solitos ducentis siclis: sed ipsi improbant, quia turpe lucrum filio Regis, & quia pretium injustum atque improbabile, & muliebribus ineptum ornamentis. Sed non placent impugnationes. non prima, quia filius Regis non vendebat comam tonsam, sed vel tonsor, vel camerarius, qui pro suis habet Principis ornamenta relicta. non secunda, quia propter personæ dignitatem & comæ pulchritudinem, quam maximi fœminæ æstimabant ad flosculos ex capillis regiis sibi faciendos, ut caput suum ornarent, multo majore vanitate quam gemmis & lapidibus pretiosis, quare tantum valebant, quanti æstimabantur ab emptoribus. Quare existimo, quod hic ponderatio non ad pondus Physicum, sed ad morale referenda, quod accipitur ex humana æstimatione; sicut gemma, margaritave dicitur ponderare centum uncias argenti, non ratione gravitatis, quæ aliquando nec quatuor drachmas excedit, sed ratione æstimationis, quæ desumitur ex albedine, rotunditate, &c. & apud Latinos scriptores ponderare pro æstimare passim sumitur, & pro valore in quo æstimatur. & hæc sint satis de Nazaræorum tonsura.

§. 12. *De Tonsura & corona sancti Petri Apostoli.*

IN digressione de choro section. 32. diffuse egi de corona & tonsura, ubi ex occasione dixi, Beda & aliis testibus, Beatum Petrum Apostolum fuisse primum, qui corona clericali fuerit usus, Christo Domino approbante & vertente in honorem totius Ecclesiastici status vituperium & opprobrium factum illi, ob Euangelii prædicationem. cæterum Prosper Stellarius, postquam integram epistolam Ceolfridi Abbatis scriptam ad Aytanum Pictavorum Regem, cui interroganti de tonsura & corona Clericorum, respondet; cujus responsio magna veneratione lecta coram Regi, multisque viris doctioribus accepta est, & ad praxim reducta, & omnes ministri altaris attondebantur in coronam. non secus ac Monachi. Ipse tamen Stellarius malo influxu ductus *ovum subventaneum edidit* cap. 4, lib. 3 de coronis, dicens: *equidem si fides adhibenda iis, quæ ab erudito scriptori Beda recitantur, jam ipsis Apostolorum temporibus non modo Simon Petrus adtonsus est, sed & Simon Magus tonsuræ quoddam genus excogitaverat. verum quia hæc à majoribus tradita non leguntur, merito labascat in hoc nostra fides; adeo ut nihil fidei super hujusmodi scripto Ceolfridi relinquendum videatur*.

Nam & de eadem epistola, quam recitat vir ille sanctitate venerabilis, locutus esse videtur Amalaricus (alias Amacaricus) *lib. 1 de Eccles. offic. cap. 5. qui eam haut tanti pretii fuisse asseverat, ut ab omnibus recipiatur ipse namque de tonsuræ origine disputans scite quidem atque prudenter, interrogatur (inquit) ab aliquibus, quis primus tonsus sit nostro more? legi in epistola cujusdam viri: Petrus. sed quia non tantæ authoritatis est, ut ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus illam silentio præterire; non tamen abs re est si dixerimus, illum, aut aliquem successorem ejus, primum fuisse tonsum nostro more. Quoniam ab illa Ecclesia sumptus est talis usus, in qua illi sederunt: sed quid ad nos? cum multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum auctores non perferuntur, specialiter, sicut nec observationes quadragesimalis tempore ante Pascha. scimus tamen, ex demonstratione sancti Augustini, consensione Ecclesiæ esse roboratam. sic & nos dicimus, tonsuram nostram ex auctoritate & consuetudine Romanæ Ecclesiæ esse roboratam*. hactenus Amalaricus.

Quod autem ait, etsi non à Petro, saltem ab aliquo Petri successore tonsuræ usum antiquam sibi originem vindicare, certe de nullo alio quam de Aniceto est testimonium, qui, cum vicinus adeo fuerit Apostolorum temporibus, quidquid ordinavit ab ipsismet Apostolis constitutum esse potuit. Irenæus namque testatur lib. 3. cap. 3 & 4. ad sua usque tempora (Eleutherii nempe) traditiones Apostolicas in Ecclesia Romana illibatas atque incorruptas esse servatas, ut merito ea de causa scriptor idem Romanam Ecclesiam appellet dives depositum Apostolicarum traditionum. hæc omnia Stellarius.

Sed Stellarius Prosper non prospere & benigne aspexit Venerabilem Bedam, cujus authoritatem transversum agens non æstimat; cum tantus Pater, qui ob doctrinæ gravitatem cognomen Venerabilis est assecutus ab universa Ecclesia, ex professo lib. 5 Histor. Anglic. probet sanctum Petrum Apostolum primum fuisse, qui coronam & tonsuram habuit, cujus auctoritatem minuere & non magnificare nefas est & piaculum. quod advertens idem Amalaricus lib. 4 de divinis officiis cap. 39. sententiam quam tenuerat lib. 1. cap. 5. mutavit, secutus Bedæ authoritatem, approbans epistolam Ceolefridi. sic enim ait:

Memini me dixisse in superioribus dubitando, utrum corona Clericorum nostrorum formam primo acciperet à sancto Petro, an à successoribus ejus, scilicet Episcopis urbis Romæ. Reperi postea authoritatem hujus cerei Bedæ famuli Dei, in Historia Anglorum cap. 21. ex epistola Ceolfridi Abbatis ad Aytanum Regem Pictavorum; verum etsi profiteri nobis liberum, quia tonsuræ discrimen non noceat quibus pura in Deum fides & charitas in proximum sincera est, maxime cum nunquam Patribus Catholicis sicut de Paschæ & fidei diversitate conflictus, ita etiam de tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controversia; inter omnes tamen quas vel in Ecclesia, vel in universo hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam nobis amplectendamque jure dixerim, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait, tu es Petrus: nullam magis abominandam detestandamque merito cunctis fidelibus crediderim ea, quam habebat ille cui gratiam Spiritus Sancti comparare volenti idem Petrus ait: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri. non est tibi pars neque sors in sermone hoc.

Neque vero ob id tamen in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eandem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. & infra: *dicit idem Beda de tonsura, in vita venerabilis & sanctissimi Cuthberti, postquam servitutis jugum tonsuræque Petri formam, in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, Domino adjuvante susceperat.* hactenus Amalaricus. quibus declarat, quomodo fides Bedæ & Ceolfridi non labascat, sed firma & inconcussa maneat. quando enim cap. 5, lib. 1 Ceolfridi fidem non admisit, ideo fuit, quia nondum Bedam venerabilem viderat. & quidem indubitatum mihi est, quod venerabilis Pater hanc historiam ex cerebro non finxisset, sed ex aliquo probato auctore sumpsisset: si enim, ut Stellarius affirmat, sentit clericorum tonsuram & coronam originem sumpsisse ex traditione Apostolica, quid moratur concedere quod illam primus raserit sanctus Petrus Apostolorum Princeps & Pastor?

In hujus rei veridicum testimonium placuit adducere verba eruditi Patris Danielis Melonii, de sacra syndone cap. 15. pag. mihi 227, sic fantis: *Quod vero ad capitis tonsionem, vel rasionem attinet, qua Clerici tam seculares quam regulares utuntur, laudabilis plane consuetudo est: hæc enim causa saltem in Regularibus circularis inducta est, ut notat Guilielmus Durantus in ration. divi. offic. cap. 1. in memoriam coronæ spineæ quam pro nobis Christus gestavit. quare sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum: Tonsura capitis vice coronæ spineæ est, & Divus Petrus missus ad prædicandum attonsus est à non credentibus ut illuderetur, sed Christus infamiam in honorem convertit. verba autem Patriarchæ sunt: duplex corona circumposita capiti sacerdotis capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, qui cum missus esset ad prædicationem Domini & Magistri ei tonsa est ab his, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit,* &c. *Quibus addit Baronius tom. 1 Annal. pag. mihi 539. hæc cum scribat Germanus, quantumlibet unde acceperit autorem non citet, ea ex majorum traditionibus mutuatum esse credendum est, cum sciamus consuevisse hujusmodi ludibrio Romæ affici sapientes viros qui Philosophi dicerentur, eandem in Petrum illatam esse contumeliam aut vanum erit existimare: sic enim Apollonius Tyaneus rasus fuerat à Domitiano, ut refert Philostratus in Apollonio lib. 7. & de Beato Ioanne Euangelista, supra diximus. universaliter autem Clerici omnes tam seculares, quam regulares caput abradunt in memoriam illius abrasionis, quam sanctus Petrus Apostolus ab Antiochenis passus est: cum enim verticem ipsius ignominiæ causa abrasissent, ipse deinceps abrasione ista gaudens perpetuo eam in gloriæ signum retinuit. in cujus facti memoriam abradendi capitis consuetudinem in Clericis induxit Ecclesia, prout referunt Beda, Durantus ubi supra, & Tostatus q. 25. in cap.* 19. loquitur hæc Malonius contra Stellarium.

Et lib. 1 de antiquo ritu Missæ, qui dicitur gemma animæ cap. 195, ita habetur: *Petrus quoque Apostolus à gentibus captus, & ad ludibrium Christianorum traditur, barba rasus & capite decalvatus. quod ipse deinceps in mysterio fieri jussit, quod incredulos, quamvis inscios, tamen Deo permittente in figura operatos intellexit. sicut & Crux olim fuit subsannatio, nunc est Ecclesiæ gloriatio. per caput principale animæ, scilicet mens, denotatur; quæ sicut caput capillis, ita cogitationibus pernotatur. quæ novacula timoris Dei debet à superfluis cogitationibus radi, ut nuda facie cordis valeat cœlestia contemplari. Rotunditas tamen quæ remanet crinium est ornatus virtutum: capilli vero in circulo coæquantur, quia omnes virtutes in concordia charitatis consummantur. quia autem barbam radimus imberbes pueros assimilamus, quos si in humilitate imitabimur, Angelis, qui semper juvenili ætate florent, æquabimur.* hæc ibi. & cap. 196, agit de corona Simonis Magi, qui, ut Divum Petrum æmularetur, *tam ipse quam sui sequaces sibi caput radebant, & ab aure usque ad aurem per medium caput quasi plateam, unde adhuc vulgo plata dicitur. faciebant; & per caput cœlum, & per viam tonsuræ Zodiacum intelligi volebant, quia cœlestes se asserebant.* idem dicunt Albinus Flacus, Alcuinus lib. de divinis officiis §. de tonsura Clericorum. Rabanus lib. 1 de institutione Clericorum, capite 3. videndi sunt Baronius anno Christi 58. n. 122. Binnius tom. 1. Concil. p. 1. in notis ad epistolam Aniceti Papæ, litera C.

Quæ cum ita sint, & Ceolfredi epistola conformis sit scripto à Beda, & iste Germano Constantinopolitano Patriarchæ, & omnibus iis liber de antiquo ritu Missæ, miror audaciam Stellarii dicentis, hæc à majoribus non esse tradita, & sic in hoc merito labascere fidem de hac historia, quam nullus præter Stellarium dubiam fecit, sed ut indubitatam fide humana veneratur & colit. unde egregie Baronius ad annum Christi 58 dicit, id certa assertione constare ex Beda; quamvis pagina 542. non videatur epistolam Ceolfridi approbare propter testimonium primum Amalarii, quod ideo dixit, quia non vidit secundum à nobis allatum. quare Stellario convenit dictum Sophoclis in Ajace flagellifero:

Ne magna loquere, non vides quo in sis malo?

§. 13. *De Tonsura Monachorum.*

TOnsuram posui in titulo, non rasuram, quia, ut optime Bellarminus libro de Monachis, capite quadragesimo, ex Dionysio, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Athanasio, Palladio, Isidoro, Beda, Concilio Carthaginensi & Toletano, antiqui fere omnes nusquam nominant rasuram, sed tonsuram; quamvis Anicetus epistola sua decretali, *rasuram* dicat, sed forsan rasuram pro tonsura accepit. non tamen damnandus usus monasticæ rasuræ, ut infra adnotabo. loquimur hic de Monacho professo: nam novitius nisi transacto biennio, non radebatur ejus caput, ut constat ex Historia sancti Placidi Monachi novitii, qui ex lacu eductus fuit à sancto Mauro apprehensus capillis, ut refert sanctus Gregorius lib. 2 Dialog. qui lib. 8 epist. scribens ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, præcipit omnibus Abbatibus,

bus, ut eos quos *ad conversandum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare.*

Igitur hujus temporis Novatores, ut omne quod in Ecclesia Romana venustum & honorabile est deturparent & vilipenderent, habitum & tonsuram Monachorum res superstitiosas & sacra Scripturæ difformes esse affirmant. Ita Centuriatores Centuria 4. cap. 6. pag. 467. quos sequitur Hortensius Landus lib. de persecutione Barbarorum; in cujus comprobationem adducit aliqua Scripturæ testimonia Levit. 19. vers. 10, *non attondebis comam in rotundum.* Hierem. 9. vers. 25, ubi Dominus dicit: *se dispersurum omnes circumtonsos in comam.* & Levit. 21. num. 12. idem habetur. & Baruch cap. ultimo num. 21. Hieremias ridet idolorum Sacerdotes habentes caput & barbam rasam. Quibus, ut baculo arundineo nitentes, blaterant tonsuram & Monachatus institutum originatum non à primitiva Ecclesia, sed quarto seculo post Christum natum, temporibus Augustini, ut innuit Calvinus lib. 4 Institut. cap. 19. §. 27.

Sed toto cœlo aberrant isti, & caligant in media luce, cum sancti Patres Apostolorum discipuli & coætanei, & illorum successores uno consensu de tonsura Monachali mentionem faciant, tanquam una ex cæremoniis quibus Monachatus suscipitur. sanctus Dionysius Areopagita capite 6 de Ecclesiastica Hierarchia, §. 3. juxta versionem Corderii, sic ait: *qua finita* (mystica invocatione) *Sacerdos ad eam accedens rogat ipsum primum, an omnibus rebus dividuis renunciet, non solum vitis, sed etiam imaginationibus; deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam vivendi rationem superare. quæ ubi omnia is, qui initiatur continenter professus est, Sacerdos cum signo crucis consignatum tondet, tres personas divinæ Beatitudinis invocando, aliaque veste detracta alia induit, & cum aliis viris sanctis adstantibus ipsum salutans participem facit divinorum mysteriorum.* & contemplat. 3. §. 3. explicans hujus tonsuræ mysticum sensum ait: *tonsuram porro capillorum vitam omnino indicat nullatenus fucatam, nec figuris fictis, adscititiisve, quibus mentis deformitas tegatur, calamistratam, sed per seipsam non humanis ornamentis, sed singularibus ac unificis virtutibus ad divinam penitus conformitatem evectam.* hactenus ibi sanctus Doctor, quæ verba illustrant sanctus Maximus & Gregorius Pachymera, ille scholiis, iste paraphrasi.

Tam clarum est hoc Dionysii testimonium; ut non aliam ad ipsum solutionem adhibeant, nisi negando opera sancti Dionysii esse legitimum partum Areopagitæ illius, quem ad Ecclesiæ gremium Paulus adduxit, sed alicujus alterius, qui multo post tempore vixit. sed hanc negationem futilem esse ostendunt egregie discurrendo per omnia secula, à temporibus Apostolorum usque ad nostra, Petrus Halloix. q. 2. de operibus sancti Dionysii, & Martinus del Rio in vindiciis Areopagiticis, ubi ita nervose & erudite ostendit opera quæ nunc extant esse Areopagitica, ut nemo prudens amplius de his dubitare posse videatur. Vterque Doctor est apud Corderium tom. 2. operum sancti Dionysii.

Sed aliorum Patrum sententia Monastica & Clericorum tonsura confirmatur. Anicetus Papa, qui vixit anno Christi 167, in epistola decretali ad Episcopos Galliæ circa finem, sic dicit: *prohibete fratres per universas vestrarum Regionum Ecclesias, ut Clerici qui laïcis & simplicibus virtutis, honestatis, pudicitiæ & gravitatis exemplar esse debent, ac seipsos tanquam signum perfectioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant; quia sicut discreti debent esse in conversatione, ita & in tonsura & in omni habitu discreti debent apparere* hactenus Pontifex, cujus epistola, nescio quo fundamento an, sit ejus dubitatur à Bellarmino; cum Binnius in notis eam approbet ut decretalem. & Ivo p. 6. cap. 46. similiter & correctores diligentissimi Decreti, ut authenticam accipiunt cap. prohibete. 23. dist. constat autem, id quod supra innui, rasuram accipere pro tonsura, cum his nominibus indiscriminatim utatur. verum est, quod apud Anicetum primo reperitur decretus modus tonsuræ coronæ.

Epiphanius hæresi 80 contra Masibanos hæreticos, qui totos se orationi dabant: *apud illos vero nullum erat jejunium, verum toti in orationes intenti à secunda tertiave hora, vel etiam noctu si esuriant, nihil non pro sua libidine faciant, ac cibo potuque se ingurgitant. O singularem hominum vecordiam!* Isti etiam cum vitam agerent Monasticam in oratoriis & Ecclesiis, *radebant barbam, comam tamen prolixam habebant*, quod sanctus Doctor impugnat num. 7. Epiphanium imitatur Augustinus libro de opere Monachorum cap. ultimo, acriter carpens Monachos crinitos, qui more aliorum tonderi recusabant. Hinc est quod invaluit antiqua jurandi consuetudo per coronam sacerdotalem. Hieronymus epistola 26 ad Augustinum, ipse epistola 147 ad Proculianum Episcopum.

Concilium etiam Toletanum 4. cap. 40, sic habetur: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut & Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis (ut laici) comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispaniis hucusque Hæreticorum fuit. unde oportet, ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo, hoc signum dedecoris auferat. qui secus fecerit fidei Catholicæ reus sit.* hactenus in Concilio celebrato anno 633, sub Honorio Papa; quare in Hispania mihi indubium est olim omnes Clericos adtonsos fuisse, & coronam gestasse, sicut hodie Monachi & Mendicantes; imo in aliis provinciis ita fuisse in usu colligi potest ex his, quæ sanctus Gregorius Turonensis in vita sancti Patricii cap. 17, narrat de sancto Niceto, *qui è ventre matris natus est cum corona Clericali, capite toto raso; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.*

Et Concilium Carthaginense 4. cap. 42. celebratum sub Athanasio anno 398, & fuit approbatum à Leone tertio: *Clerici nec comam nutriant, nec barbam, sed radant vel tondeant.* qui canon factus est propter hæresin Euchaitarum & Masalanorum, de quibus & contra quos Epiphanius ubi supra, & Augustinus. hi enim manibus operandum esse negantes, intonsi prolixam comam & barbam alebant, muliebrem comam circumferentes vagari concuscebant. de quibus Augustinus: *& hoc quo pertinet quæso, tam aperte contra præcepta Apostoli conari? an ita vacandum est, ut nec tonsores operentur? An quia Euangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint?* Legatur Cardinalis Baronius anno Christi 398. num. 74 qui anno 58. pagina mihi 54. refert Canonem Nicænum, in quo determinatur, quod Monachi caput tondeant in modum coronæ.

Hieronymus item Epistola ad quemdam suum Levitam de duobus generibus hominum relata cap. duo sunt. 12. qu. 1. *Clerici, id est, forte electi, hi sunt Reges, id est, se & alios in virtutibus regentes. & hoc designat*

signat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio: illi enim victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. & in eandem sententiam cæteri Patres tam Græci, quam Latini conspirant, quantum ad tonsionem coronæ in capite in Monachis & Clericis. Legantur Paulinus epistola 7 ad Severum, & Socrates libro tertio Hist. capite 1, ubi de Iuliano Apostata scribit: *ipsum abrasa cute vitam Monasticam simulasse.* Gregorius Nazianzenus oratione in Maximum de Cynno, qui ex Philosopho Episcopus factus comam rasit.

Quid ni? non solum Monachi, verum Moniales caput radebant. Hieronymus epistola 48 ad Iovinianum: *Moris est in Ægypti & Syriæ Monasteriis, ut tam virgo, quam vidua quæ se Deo voverint, ut seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcarint, crinem Monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ, sed ligato pariter ac velato.* Similia docent Athanasius lib. de Virginitate, & Palladius in Historia Lausica cap. 42. explicans regulam sancti Pachomii.

Hujus tonsuræ rationes egregie compilavit Guilielmus Durantes lib. 2. cap. 1. anno 26. quas referre placuit, etsi sint aliquantulum diffusæ: sunt enim gravissimæ & ex probatissimis authoribus & Patribus decerptæ in hæreticorum confusionem, qui, utpote carnales, omnia carnaliter interpretantur, & ad desideria carnis implenda ordinant; sic enim ait: *circa coronam Clericorum tria attendenda sunt, scilicet capitis abrasio, capillorum detruncatio, formæ circulatio. ad capitis abrasionem tria sequuntur: munditiæ conservatio, deformatio, & denudatio; munditiæ conservatio, quia ex capillis sordes in capite aggregantur; deformatio, quia capilli ad ornatum sunt, significat ergo tonsio mundam & non formabilem vitam, id est, non exquisitum habitum interius secundum Dionysium in Eccles. Hierar. Rasura quoque & tonsura capillorum est depositio omnium temporalium: Clerici enim victu & vestitu contenti omnia communia habere debent 12. qu. 1. Clericus, & cap de lectissimis. unde juxta Apostolum comam non nutriant, sed caput desuper in modum sphæræ radant. 23. cap. prohibite. denudationem ipsa superioris partis capitis sigillum debere esse medium inter nos & Deum demonstrat, ut revelata facie gloriam Domini contemplentur.*

Rursus: *radimus caput relictis inferius in modum coronæ capillis, quia caput mentem signat, capilli vero seculares cogitationes. si ergo caput mundatur superius à capillis, ita mens nostra dum superiora, id est, cælestia cogitat, à secularibus cogitationibus, mundari debet. Sed pars inferior capillos habet, quia non est prohibitum aliquando de secularibus cogitare, sine quibus vita præsens duci non potest, 1. qu. 1. cap. si quis abjecerit. circa detruncationem capillorum notandum est, quia illa significat, quod Clerici omnes superfluas cogitationes debent à mente abscindere.*

Attonso igitur capite, & patentibus auribus incedere debent, ne capilli crescendo aures operiant, & oculos impediant 23. dist. cap. non liceat, quoniam providendum est ne seculares cogitationes aures & mentis oculos impediendo nos ad secularia trahant. unde capillos super aures tondeamus, ut quinque capitis sensus expeditos ad Dei servitium habeamus bene igitur ad Ezechielem dicitur cap. 44. Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua, siquidem ut ait Gregorius in Pastorali lib. 2. cap. 18. capilli in capite exteriores sunt cogitationes in mente, qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas præsentis vitæ exprimunt, quæ quia ex negligentis sensu importune aliquando prodeunt, quasi non nobis sentientibus procedunt.

Quia ergo Sacerdotes, qui sacri fidelium duces, sollicitudines exteriores habere possunt, nec tamen eis vehementer incumbere debent, recte caput radere & comam prohibentur nutrire, ut cogitationes cordis de vita subditorum nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent, & bene subditur, ut tondentes attondeant capita sua, ut videlicet curæ secularis sollicitudinis etsi quantum necesse est provideant, tamen rescindantur citius, ne immoderatius excrescant. dum ergo per administrationem exteriorum providentia corporum vita protegitur, & rursus per moderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite Sacerdotis reservantur ut curas cooperiant, & resecantur, ne oculos claudant.

Circa formæ circulationem seu coronam sciendum est, quod fit propter multa; primo in signum quod Christus Rex noster seipsum in ara crucis oblaturus spineam coronam portavit, ut & nos, qui per eandem passionem salvari desideramus, Dominicæ passionis signum, id est, formam spineæ coronæ, quam ipse, ut spinas peccatorum nostrorum auferret, in passione portavit in capite, in verticibus nostris portemus, ut sicut ille pro nobis, ista nos pro illo irrisiones, opprobria paratos esse libenter sufferre monstremus.

II. *Quia circulus capillorum virtutem æqualitatis undique rationi consentientem signat: tunc enim temporales res bene cogitantur, si conveniant rationi.* III. *circularis figura fit, quia hæc figura non habet principium neque finem, per quod datur intelligi quod Clerici sunt ministri Dei, qui non habet principium neque habebit finem.* IV. *hæc figura nullum habet angulum, per quod significatur, quod Clerici non debent habere sordem in vita, quia ubi angulus, ibi sordes, ut ait Bernardus, & debent habere veritatem in doctrina, quoniam veritas angulos non habet, ut dicit Hieronymus.* V. *quia hæc figura omnium figurarum est pulcherrima; unde in hac Deus cælestes creaturas fecit: per quod significatur, quod Clerici debent habere pulchritudinem interius in mente, & exterius in conversatione.* VI. *quia hæc figura est omnium simplicissima: nam, secundum Augustinum, nulla figura ex una linea tantum consistit; nisi sola circularis, quæ unica linea clauditur; per quod significatur, quod Clerici debent habere simplicitatem sicut columbæ, cap ex mente. 6. q. 1.*

Et infra: num. 31. *potest autem dici, quod usus tonsuræ è lege occasionem traxit. Sacerdos namque legis tiaram, id est, pileum ex bysso in modum mediæ sphæræ in capite; Rex vero coronam gestabat. pars vero capitis rasa tiaram, circulus crinium circulat coronam, ad denotandum quod instituit illos Deus genus electum, in regale sacerdotium. rursus coronam quatuor digitorum lex super mensam, & desuper aureolam fieri jubebat; cæterum ad Ezechielem Dominus dicit: sume gladium acutum, & educ per caput tuum & barbam. Longitudo namque capillorum multitudinem significat peccatorum. hinc igitur Clerici barbas sibi radere informantur: ratio namque pilorum barbæ, qui ex superfluis stomachi provenire dicuntur humoribus, designat quod vitia & peccata, quæ in nobis superflua sunt, resecare debemus. Radimus enim barbas, ut per innocentiam & humilitatem pueri videamur, & Angelis, qui semper in juvenili ætate florent, coæquemur.* hactenus vir piissimus & doctissimus.

Ex dictis Hæreticorum fundamenta corruunt. aliqua enim ex illis fundantur in cæremoniis antiquatæ legis, quæ hodie non magis obligant quam circumcisio & sacrificia, quæ vacua, inania & mortua sunt, imo & mortifera. ad primum respondetur, cum Esichio, quod ibi Deus prohibet comam in rotundum factam ornare & variis floribus componere, ut faciebant gentiles, qui calamistris & variis artificiis comam nutriebant. ad secundum respondetur, quod ibi

ibi Deus, ne Sacerdotes, qui cæteris debent esse constantiores, in morte alicujus propinqui caput radant in signum luctus & tristitiæ. Ad tertium respondetur, quod illa prohibitio tonsuræ facta est non quia ista in se mala sit, sed ne Sacerdotes Domini imitarentur sacerdotes gentiles, qui in eorum confiniis habitabant (legatur Baronius tomo 1. anno Christi 50. pagina mihi 544.) & hac de causa, ut notat Bellarminus temporibus Optati Milevit. Ambros. & Hieron. Sacerdotes Christiani non radebantur, sed tondebant se, quia adhuc idololatria in vicinis civitatibus non erat extincta, & extabant Isidis sacerdotes radentes caput, ut ajunt Ambrosius epist. 33. & Hieronymus in cap. 44 Ezechiel. postea quam vero illa causa cessavit, nihil absurdi faciunt qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt, & hinc est, quod Hieremias irridebat sacerdotes Idolorum, quia caput radebant in honorem Idolorum & deorum ligneorum.

Quare confidere debemus Catholici, hæreticos derisores & subsannatores Monasticæ tonsuræ prorsus extinguendos & abolendos, propter hoc unum piaculum inter cætera quæ habent turpissima scelera; ex quibus ortum ducit odium in Monachos attonsos sanctissimos & castissimos. quam pulchrum totum hoc in personis Afrorum expressit D. Salvianus lib. de vero judicio, dicens: *quis non omnes omnino Afros* (Hæreticos etiam) *impudicos sciat, nisi forte ad Deum conversos, id est, fide & Religione mutatos. Sed hoc tam rarum est ac novum, quam rarum videri potest quemlibet ganeonem non esse ganeonem*; & infra: *tam enim rarum est hoc, & inusitatum, impudicum non esse Afrum quam novum & inusitatum Afrum non esse Afrum. ita enim generale in eis* (etiam hæreticis) *malum impuritatis est, ut quicumque ex eis* (hæreticis) *impudicus esse desierit, Afer* (hæreticus) *non esse videatur.*

Et ex hac impuritate animi ortum ducebat, (prosequitur Salvianus) *quod intra Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum & recisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum videre infelix ille populus & infidelis sine convicio atque execratione vix poterat*, &c. & subdit: *& miramur si nunc Barbaros illi perferunt, cum videamus quod sancti viri in illis barbaros pertulerunt? justus est ergo Deus & rectum judicium suum.* hæc ille. & tu Hæretice tonsuræ Monachalis irrisor, arrige aures.

§. 14. *Diversitas tonsuræ capitis & barbæ, in Monacho-Clerico, vel Clerico-Monacho, tum Orientis, tum Occidentis.*

Explicata Volsella Tertulliani contra Stellarium.

EMinentissimus eruditione Ecclesiastica magis quam purpura Cardinalis Baronius tom. 1. ann. Christi 58. pagina mihi 54. sic fatur summa gravitatis altitudine: *Antiquum* (tonsuræ) *usum si inspiciamus, præter illa, quæ de Apostolica institutione atque traditione sunt ex dictis nuper auctoribus recensita, non aliunde id certe, quam ab Apostolico fonte fluxisse Oriens Occidensque pariter, ac omnes denique Regiones, in quibus Christiana fides est aliquando propagata, pari consensione visæ sunt, nedum hæc esse, testatæ, sed æque omnes idipsum firmissima ejus rei observatione probasse. doceat quis velim, Provinciam orbis aliquam, quæ Christi nomen acceperit, ejusdem fuisse tonsuræ Clericalis expertem? Quonam alio quæso, quam Apostolorum præconio rem tam novam, atque adeo insitatam, ac penitus ab aliis intentatam radenda in modum sphæræ vel coronæ capitis, Christianus orbis potuit suscepisse ac firmiter tenuisse, nullo præcedente majorum exemplo? Nam si Judæos spectes, unde fluxit Christiana Religio, divina lege radere caput Sacerdotibus interdictum fuisse reperies, dicente atque monente, Sacerdotes nec radant caput nec barbam; & communiter omnibus vetitum in rotundum attondere comam, & radere barbam, licet illorum verborum diversa lectio habeatur. De gentilibus diximus, plane diversum à nostro fuisse illorum ritum; quippe qui non tantum capitis capillos omnes usque ad superci ia, sed totius corporis pilos, Isidis præsertim Sacerdotes, radere consueverint. & quis existimet, Christianos voluisse illos imitari, quorum non tantum sacra, sed & Sacerdotes eam præsertim ob causam tantopere deriderent? consulat, qui de his dubitat, antiquorum Patrum adversus gentes scriptas Apologias; in iis utique hæc omnia fusius inveniet explicata. Nemo igitur sanæ mentis, leviter dixerit esse introductum atque servatum absque exemplo, quod Catholica ubique Ecclesia custodivit.* hactenus ibi, satis ad rem contra hæreticos Novatores, ubique enim gentium ubi Apostolica insonuit prædicationis Euangelicæ tuba, tonsura Monastica & Clericalis fuit in usu, Petri & aliorum Apostolorum exemplo & præconio.

Sed quamvis Catholica Ecclesia tam in toto Oriente, quam in Occidente toto, coronæ formam tam in Monachis, quam in Clericis custodierit, cæterum Patres Græci, quantum ad tonsionem capitis & barbæ, diversa consuetudine utuntur ac Patres Latini. Pædagogus enim Christianus Clementis Alexandrini tonsionem barbæ & novaculæ usum tanquam illiberalem omnino prohibet. sic enim ait lib. 3. cap. 11. *Hoc viri signum* (barba) *per quod vir apparet, est Eva antiquius, & signum melioris naturæ, in eo ergo violando, quod est virilis naturæ signum, eo scilicet quod est hirsutum, contra legem facere est impium.* & post multa: *si quis autem barbæ nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda: est enim turpe spectaculum, barbaque ad cutem usque tonsis non videtur multum abesse avulsione & lævore*; & aliquando post: *Qui in superiori labii parte inter comedendum polluuntur, pili tondendi sunt, non novacula, est enim illiberale, sed tonsorum forficibus; barbæ autem pili, qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, ut qui cultui gravitatem afferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.* dixerat prius Clemens: *quod virorum sit rasum caput: non enim solum facit severum vultum capillorum raritas, sed etiam efficit, ut minus facile lædatur cranium, cum & frigori & æstui ipsum assuefaciat, & incommoda quæ ab eis proficiscuntur repellat; quæ quidem coma spongiæ instar in se recipiens, perpetuam ex humore noxiam cerebro infligit. viris ergo barba sufficit.*

Pædagogo consentit ex Latinis Hieronymus in Ezechiel. cap. 44. & in Isaiam cap. 3, & 6. ubi comæ & barbæ tonsuram more gentilitio reprehendit: deinde capillos tondendos esse forficibus, ita ut cutis non appareat, non novacula ad cutem usque radi. barbæ tamen non approbat tonsuram. at ipse in Oriente agens, quid mirum si Orientalis Clerici-Monachi consuetudinem comprobavit?

Epiphanius etiam hæresi 80 contra Massilianos citans authoritatem Apostolicam apud Clementem Romanum: *de barba quidem* (ait) *constitutio Apostolica dicit, divina Scriptura ac doctrina, non corrumpas, hoc est, non seces pilos barbæ.* hinc est, quod omnes Patres Græci in antiquissimis picturis & iconibus barbati inveniuntur, similiter & Monachi & Clerici Orientis cum barba & cum capitis tonsura rasurave, ut Divus Basilius in regula Monastica disposuit in Oriente.

Ast

Ast è contra omnes fere Patres Latini, & fere omnes Clerici-Monachi aut Monachi-Clerici raso capite & barba inveniuntur. Fuit enim Romanorum plurium Imperatorum mos radere barbam, quem observabant cæteri Romanorum, quos, ne superstitiosi viderentur, Christiani imitabantur. de qua consuetudine sic Herbetus ad lib. 3 Pædagog. cap. 11. folio mihi 283, *primus omnium quotidie radi tradit Africanus, sequens Divum Augustum, cultris semper usus est. hæc cum barbæ radendæ consuetudo multis seculis perpetuo durasset, primus ex Imperatoribus Nerva, ut quam in facie habebat tegeret cicatricem, barbam aluit.*

Vnde Baronius ubi supra, pagina mihi 545 dicit: *Aliam prorsus diversam Orientalium ab Occidentalibus consuetudinem moremque fuisse certum est. nam in Ecclesia Orientali nunquam barba rasos invenimus Monachos Clericosque; secus tamen in Ecclesia Occidentali. unde cum tam Orientis, quam Occidentis Patres in Conciliis convenirent, nulla de his controversia reperitur, rati nimirum omnes, id esse legitimum quod quisque pro more suorum gentilium (à quibus non tonsione barbæ, sed vestitu discernebantur) facere videretur, qui primus omnium hæc de barbæ tonsione & rasura exprobare Latinis Sacerdotibus ausus est Photius, schismaticus Episcopus Constantinopolitanus fuit, scribens ad Nicolaum Romanum Pontificem, cum aliqui Photius ipse Eunuchus esset & glaber. sed parvi pensa à Pontifice ejus objectio.*

Hujus autem diversæ consuetudinis barbam radendi aut nutriendi in Oriente & Occidente introductæ inter Christianos ea fuit origo, quia cum barbæ abrasio nutritiove à natura non sit instituta, sed adiaphorum quid & indifferens sit; & hujus vel illius cultus externi nulla appareret superstitionis aut levitatis nota; & Christiani tam laici, quam Clerici Monachi inter Gentiles viverent, viderentque tam Iudæos, quam Græcos barbatos incedere, & ipsi barbam gestabant. In Occidente vero, & potissimum Romæ, teste Aulo Gellio lib. 3. cap. 4. præsertimque maturioris ætatis tamquam quoddam nobilitatis insigne, radere barbam consueverunt. Christiani Romæ agentes, sicut cæteri abrasi incedebant barba; imo teste Dione Chrysost. orat. 38. cum Romani Orientis regiones subjugassent, multæ ex illis, ut exteriori cultu & cæremonia Romani Imperii studiosos se ostenderent, barbam Romano more radebant, cum haberent etiam Orientales quos imitarentur; quamvis enim Græci maxima ex parte barbati essent, tamen Lacedæmonii ante Romanum Imperium florentes barbam radebant.

Quam novacula aut cultris rasuram imitabantur cæteri Occidentales Monachi-Clerici. de Clericis Gallis id constat manifesto exemplo Germanici Episcopi Cantillanenses, quod adducit Sidonius libro 4. epistola 13. qui mos in multis Galliæ partibus usque hodie durat. In Hispaniis etiam omnes Ecclesiastici barbam & coronam radunt, adeo quod Clericus barbatus male audiat apud Ordinarios; nisi judex sit aut minister publicus, quibus barba permittitur aliquatenus longa, sed sine pilis ablongis in labro alto. Sed de hoc §. ultimo. Romani tamen hodie Clerici Seculares & multi Regulares Eminentissimi Cardinales & Summus Pontifex barbati incedunt, abrogata contrario usu Romana consuetudine antiquorum Christianorum; cujus usus plurimæ suppetunt rationes, quibus confirmatur & defenditur, quas ad longum adducit Pierius Valerianus in eruditissimo tractatu, quem dicavit ad Eminentissimum Cardinalem Hippolytum Medicem, quibus moti Orientales & hodie ut totius fere Clerus Romanus barbatus incedit, sine mystaciis tamen.

Prima, quia, ut ait Clemens Alexandrinus barba est pulchritudo generosa, virilitatis argumentum; & cum sit antiquior Eva Adam barbatus, est à Deo productus, essetque ita in statu illo fœlicissimo innocentiæ. unde venusta est & venerabilis, fuitque tantæ æstimationis, ut ejus contactus signum esset fœderis & amicitiæ, imo, & paternitatis adoptivæ; ut constat ex Aimoino lib. 1 de gestis Francorum cap. 20. imo pro pretiosissimo pignore oppignoraretur, teste Iacobo Vitrico in Historia Orientali cap. 75. II. Quia Christus Dominus barbam habuit, sicut & cæteri Hebræi, qui ex legis præscripto barbam radere nequibant. unde in revelationibus sanctæ Brigittæ hæc oratio ad barbam Christi habetur: *Domine mi Iesu Christe, qui secundum ætatem tuam barbam speciosam in tua facie decora decenter portasti, ideo sempiterne veneretur & adoretur barba tua venerabilis, Amen.* III. Quia barba à natura congenita est viris ad ornatum, sicut & mammæ in pectore; quamvis hujus & harum nullus sit usus. unde fœminis barbam natura ordinarie negavit, & lac viris; ut ajunt Cicero lib. 3 de finibus, & Augustinus lib. 22 de Civitate cap. 24. & lib. 6. cap. 1. dixerat antiquos templum construxisse *fortunæ barbatæ*, ut pulchram barbam conferret. dixi *ordinariè*, quia extra ordinem naturæ plurimæ visæ sunt barbatæ fœminæ. ego agnovi anno 1596 unam vetulam cum barba quidem prolixa usque ad pectus; aliam anno 1624 Neapoli juvenem lactentem ad ubera puerum, quam despectam adduxit excellentissimus Dux de Alcala; & alii alias agnovere. Similiter Cardanus de subtilit. affirmat se vidisse hominem cujus ubera lacte plena puerum lactabant.

IV. Quia barba indicium est boni viri, sapientia & prudentia ac bonis moribus ornati. ita in Apophthegmatibus Laconicis, interrogatus quidam, *cur barbam nimis prolixam gestaret*, *respondit*, *ut canos meos aspiciens nihil illis indignum admittam.* Plutarchus lib. de adulat. Socrates lib. 3. de successio. alias congruentias addunt. & Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 11, quia nobilitatis signum. V. quia antiquos Sapientes barbatos legimus, quia promissa & longa barba ipsos venerabiles omnibus faciebat. & sic Marcus Antonius ulmus in prooemio ad librum suum de fine barbæ, dixit: *in viri barba maximam Dei sapientiam elucere.* unde sapientissimos illos Græciæ Patres Basilium, Gregorios, Athanasium, Ireneum, Epiphanium & alios prolixa barba Icones antiquæ tradunt, ut dicebam; Stellarius tamen libro tertio de coronis cap. 18. imberbem, attonsa non rasa barba Augustinum, juxta decretum 42 Concilii 4 Carthaginensis, cui interfuit, agnoscit, non obstantibus antiquis imaginibus. plura alia congerit pro Sacerdotum barbis Pierius. Cum enim quia Sacerdotes pulchritudinem ingenitam, virilitatem, sapientiam, prudentiam, nobilitatem & alia, quorum est barba indicium, non amittant, non videtur cur barba privandi.

Hinc est, quod in viris barbæ avulsio summa fuerit ignominia. quod adnotavit Franciscus Ferrerius ad caput 50 Isaiæ: *habet vellicatio barbæ dolorem & insignem contumeliam, quemadmodum & in faciem spuere: sunt enim pili barbales alte carni impressi.* Hinc est, quod antiqui proverbio, *barbam vellere*, summum contemptum & ludibrium significabant. Horatius libro primo Serm.

— Barbam tibi vellunt
Lascivi pueri. —

Et Persius:

Idcirco

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam,
Iupiter. —

Et idem Persius alibi:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellit.

Vnde Tertullianus lib. de cultu Fœmin. capite 8, ait: *siquidem & viris propter fœminas, & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita est placendi voluntas, propriasque præstigias formæ & hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, disponere & colorare capillum, primam quoque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cætera pulveris cujusdam asperitudine lævigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere,* &c. similia habet Tertulliani Magister Pædagogus Christianus Alexand. lib. 3, cap. 3. *eum qui vir est pelli & tonderi, crines componentem ad speculum genasque radi, velli ac deglabrari, quomodo non plane muliebre est?* & infra: *nefas est barbam vellere, quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo generosa & ingenua.*

Vnde Tertullianus lib. de pallio. cap. 4, inter artificiosos modos quibus antiqui pilos barbæ & cæsarie tollebant, quos egregie ibi Pamelius num. 62 enumerat, unus *est furax à mento volsella.* quam Stellarius lib. 3, cap. 7 ex Baronio ad annum Christi 58, pag 545, intelligit instrumentum Chirurgicum, quo Chirurgi aliis adjunctis medicaminibus fœmineum vultum in viris adfectabant. sed uterque fallitur: nam volsella Chirurgica teste Celso lib. 6, cap. 18 est instrumentum quo caro ex ulceribus præscindenda apprehenditur. quare volsella Tertulliani est instrumentum pilis à corpore evellendis idoneum. de quo Martialis:

Pungentque sævæ cana labra volsellæ.

Quas nostro idiomate *Punzas* vocamus, quibus pili radicitus evelluntur, non parvo dolore.

Quare Christianus pius compassione summa consideret, quantum dolorem, quantum opprobrium & contumeliam Dominus Iesus fuerit passus in nocte illa lugubri, quando *genas suas* (juxta vaticinium Isaiæ) *dedit vellentibus.* unde Lanspergius devotissimus Carthusiæ filius homilia 24 de passione dicit: *Christus flagellatus, conspputus, vellicatus, hoc est, barba privatus, & capillis per evulsionem pro bona eorum parte.* & Divus Bernardus tractatu de Passione, cap. 38, *Tertia sanguinis effusio fuit in vellicatione genarum. video sacrilegas manus etiam ad genarum ipsius vellicationem,* &c.

Sed è contra Episcopi Hispani, & Monacho-Clerici & Clerico-Monachi congruentias suas habent ad barbam tondendam radendamve. I. Quia pilorum & capillorum tonsio designat nos ad perfectionis summum pertingere, ex Greg. 2 Moral. cap. 3. 9. Deinde consuetudinem antiquam cleri Romani observant, qui in signum nobilitatis radebant barbam, ut supra ex Baronio dedi. III. Quia barbæ tonsio signum est pœnitentiæ, & mansuetudinis, quam Ecclesiastici profiteri debent. IV. Quia, etsi Romani Laici postea barbati incederent, tamen (ut ait Baronius ubi supra pag. 546) quoad Clericos sic viguit ejus rei observatio, ut vivere more majorum fere Religio haberetur; sicque factum est, ut penes eos ejusdem rei usus inviolatus & constans plurimis seculis perdurarit, monentibus præsertim Romanis Pontificibus: extant enim eo argumento scriptæ literæ Gregorii Papæ Septimi ad Iacobum Episcopum Calaritanum, *jubentis, ut clericos suos omnes barbam radere cogeret, idque ex Majorum consuetudine vindicantis.* affirmantis nimirum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ id illibate esse servatum, idemque de iisdem etiam ad Ducem Sardiniæ dedit Epistolam. hæc omnia anno Domini 1083, tertio nonas Novembris, Indict. 4.

Quod argumentum pluris valet, quam ea omnia quæ pro Clericis barbatis adduximus; siquidem tunc temporis Romæ, & fere in omni Occidente Clerici & Monachi & Ecclesiastici, omnis etiam summus Pontifex barba rasi incedebant, ad quod cogit Clericos Sacerdos summus; & hanc antiquam consuetudinem nascentis Ecclesiæ non habendi barbam prolixam observat nostra Hispania. aliqui vero attondent cuti cooperta; alii ut in Lusitania radunt; quid vero sit decentius jam explico.

§. ultimus. Quid decentius Monacho-Clerico, aut Clerico-Monacho radi, an tonderi.

BEne Cardinalis Baronius ubi supra: *de hac re non habetur constans ubique ritus, cum alii tondeant, alii radant, alii rursus eandem barbam promittant; absque jactura fidei unusquisque abundans in sensu suo.* sed quid statui Monachali sit decentius magisque conveniens superest ultimo examinare. Prius tamen adnotabo cum Salorzano de jure Indiarum tom. 2, lib. 1, c. 24, justissimam fuisse Regiam schedulam editam à Philippo Hispaniarum Rege hujus nominis secundo, anno 1581, qua jubetur, ne Indorum qui in ætate adulta baptizantur, coma & capilli tondeantur: horum enim prolixitate & usque ad scapulas extensione in multis provinciis ipsi maxime delectantur, & infamiæ & gravissimi supplicii loco habeant si quem forte tonderi contigerit. quæ consuetudo illis non est auferenda, & ægre ferentibus immutanda; cum secundum se superstitiosa non sit, aut Religioni Legive naturali, aut fidei Catholicæ repugnans, cum multæ nationes Catholicæ tam olim, quam hodie comatæ sint, ut in superioribus late monstravimus. quare minus prudenter quidam Prædicatores Euangelii apud Sinas & Iaponios, dum quidam illorum comati, qui Sangleres dicuntur, baptizari desiderant & ad fidem converti, id non faciunt Religiosi isti, nisi prius Cæsarie abscissa tonsaque, sub prætextu quod, nisi tondeantur, cum aliis facile commiscentur, & fidem abjurant; at tonsi & coma deposita propter ignominiam apud ipsos non facile ad vomitum revertebantur, sed prætextum hunc nullum fuisse, supremum Indiarum Consilium declaravit, cum perseverantia in fide ex capillis non pendeat. etenim quos amor Dei & timor non detinet, non detinebit capillorum abrasio. quare nisi ex aliis circumstantiis superstitio aut non abrenunciatio infidelitatis ex prolixo capillo deprehendatur, ut deprehenditur in retentione nominis Iudaici aut Gentilitii, quam prohibuit Concilium Liniense 3, act. 2, cap. 11, & late probat Menochius de arbitrariis, casu. 547, n. 5, Indis coma abscindenda non est, sicut non aufertur sumptio tabaci, quamvis in illis magis propinqua sit superstitioni, ut dixi tom. 2. tract. de sumptione tabaci.

Igitur circa propositam difficultatem, aut rasura & tonsio est capitis, aut barbæ; si capitis rasura usitata est apud Monachos & Mendicantes, nisi ex rasura infirmitas exurgat, & sic tonsio forficibus adhibeatur, dummodo circulus capillorum in ea parvitate, qua regula disponit, relinquatur. in nostra autem Religione & omni alia Clericorum, non circulus capillorum, sed corona in modum circuli tondetur, vel abraditur; quem morem etiam observant Patres Minimi, nolens sanctus Franciscus de

 Paula

terrenorum sollicitudinem habere designent. quapropter etiam illam minimam particulam retinent capillorum, quia dum in hoc seculo sunt, à terrenis cogitationibus omnino vacui esse non possunt. quisquis ergo Clericus ad sortem Domini vocatus qui comam nutrit, & capillos radere aut tondere erubescit, profecto non se de Dei, sed de mundi sorte esse testatur. quanto enim quisque carnis crines diligit, fovet & nutrit, tanto cor suum non in cœlis, sed in terra fixum esse ostendit. quanto autem radit & edomat, tanto se non terrena, sed æterna diligere comprobat; si vero, ut prædiximus, crines idcirco radimus, ut inter nos & & Deum nihil interesse approbemus. Cessent itaque Clerici psalmodiæ Hymnisque spiritualibus insistentes, capillos, mitras, cæteraque velamina in capitibus portare, ne, dum cum Deo loquimur, famulatus sui signa occultantes, ejus indigni judicemur propitiatione, cujus salubri doctrinæ præsumimus non obedire. his enim signis clericalibus prælibatis quibus à Laicis secerni debemus, &c. hæc ibi. quamvis enim censura Lovaniensium hunc librum non esse Augustini dicat, tamen dubitari nequit doctissimum fuisse ejus Auctorem, qui valde est Augustini phrases imitatus.

Hujus auctoris doctrina conformis est consuetudini Ecclesiasticæ, & sacris canonibus, & decretalibus summorum Pontificum Epistolis, & Bullis Apostolicis, ut sæpius in superioribus est inculcatum. quare omnes Clerici in sortem Domini assumpti coronam tonsam, vel rasam in vertice capitis apertam gestare debent, majorem vel minorem, juxta regionis vel Religionis usum & consuetudinem. capite prohibete, cap. non liceat. cl.2. dist.23.cap. duo sunt. 12. quæst. 1. cap. Clerici. cl. 2. de Vita & honestate clericorum. & hoc esse Apostolorum institutum etiam est in superioribus probatum; & attestantur Bonacina de sacram. disp.8. q. unica. §.ultimo, num.4. Belletus disquisitio. Clerica. p.1. tit. de disciplina clericorum. §.17, num.19. Barbosa de potestate Episcopi, allegatio.9, num.10. eandem tonsuram deferendam à Clericis etiam in minoribus constitutis, vel habentibus beneficium aut Ecclesiasticas pensiones, strictè præcipit Sixtus quintus constitutione edita die 18 Ianuarii, anno 1589, quæ est 92 constitutio hujus Pontificis apud Cherubinium tom.2, pagina mihi 643. quam explicat candelabrum aureum pag.3, circa quam adverto pœnam, quam Pontifex ponit privationis ipso facto sine ulla alia admonitione, citatione, judicis decreto aut ministerio, non cadere supra non portantes tonsuram, quamvis hanc portare præcipiat, sed supra *non portantes habitum clericalem*, ut constat ex verbis ipsius dicentis: *alioquin ipsos, vel ipsorum quemlibet qui quoad gestandum habitum clericalem, vel militarem supra dictum*, &c. nulla facta mentione de tonsura, sicut fecerat supra. sed an peccent mortaliter, qui absque causa excusante coronam apertam non gestant, vel si Monachus mutet coronam suam, in fratrum mendicantium tonsura alibi tracto. Legantur Barbosa lib.1. de jure Ecclesiastico cap.4. anno 6. Peyrinus quæst 1 cita. Trotus de perfectione clericali lib. 2, p.2, requisitio.1, num.17.

Circa barbam quid decentius sit radere, vel tondere, uniuscujusque regionis vel Religionis consuetudo & usus veneratione servandus, quia unaquæque ex motivo honesto in suo sensu abundat. Patres Capuccini barbam promissam gestant in signum pœnitentiæ; alii Regulares radunt, vel supra cutem supra pectinem tondent; in aliis Religionibus Fratres laici barbam protendunt, & sic Barbati dicuntur, ut apud Carthusianos, & fratres sanctissimæ Trinitatis excalceatos, qui omnes suas rationes honestas habent. sicut multi sancti Eremitæ antiqui, nec caput nec barbam aut radebant, aut tondebant, omnes quascumque seculi delicias contemnentes. Nostra tamen Religio observantiarum communium cap.12 num.16, sic disponit: *Porro barbam nemo radat, nemo decurtatam gerat, nemo vel nimis longam, vel nimis latam nutriat: sed in tantum pili dimittantur, ut in divisione mediocritas quædam observari videatur; regionum tamen diversa ratio diversusque ritus ubique servetur.* hæc ibi, quæ sapienter sunt ordinata: nam quod barba non radatur, juxta antiquam lectionem statuitur in Concilio.4. Carthag. cap. 44. quamvis in capite Clericus de Vita & honestate Cleri, solum dicatur, quod Clericus *comam non nutriat nec barbam* ubi deficit, *nec radat.* quod habetur, ut dixi, in antiquis Concilii exemplaribus, & est satis conforme Clementis Romani institutionibus lib. 1, c.4. quem sequitur Clemens Alexandrinus lib. 3. pædagogi, cap.11. dicens, *illiberale esse barbam radere, & contra naturam: nam barba antiquior est Eva, & simul cum Adamo creata: iste enim barbatus fuit de nihilo eductus.* quare nec nos in Hispania, ubi barbæ prolixitas ulla non admittitur, non raditur, sed tondetur vel supra pectinem, vel alio modo forficibus.

Cæterum Pius V in Bulla reformationis Cleri Romani secularis, inter utrumque extremum antiquitatis mediam viam est secutus, statuens ut Presbyteri à superiori labro ita tondeant, ne corporis & sanguinis Domini sacramentum sumendum impedimento sit, quod in multis orbis partibus observari testantur Navarrus, in Manuali cap. 25, num. 110. Menochius de Arbitr. casu.3,92, num.27. Pierius Valerianus tractatu de barbis Sacerdotum. & hæc de tonsuris & coronis dicta sufficiant, finita die 14 Septembris 1651, & incepta die 20 Iulii ejusdem anni, ætatis meæ 64.

TRACTATUS VLTIMUS.

De Prædicatione Euangelii ad Sinas, Iapponios & alios Indos tum Orientis, tum Occidentis, pro quorum conversione & Christi Nominis exaltatione Martyres subierunt mortem, sanguinem effuderunt.



REm gravissimam aggredior, quam, si pro dignitate tractarem, tomum non brevem typis darem; quia tamen viri gravissimi in ea insudarunt satis fructuose, & de missionibus ad Indos longas instructiones & catecheses dederunt, ego ab istis abstinebo, & solum delibabo ea quæ præsenti instituto visa fuerint necessaria. De conversione Indorum qui tractarunt ex professo, & de missionibus ad occidentales & orientales plagas prædicandi Euangelii & exaltationis nominis Christi ergo, sunt Antonius Possevinus lib.9 & 10 & 11, Bibliothecæ selectæ; Iosephus à Costa vir valde eruditus & expertus, cum apud Sinas multis fuerit annis commoratus in opere de procuranda Indorum salute, & præcipue libro quinto, uti de missionibus; Fr. Thomas à Iesu de procuranda omnium gentium salute, 2 p. lib.2. & p.3. per totam. ubi adducit ordine Alphabetico omnia privilegia, quæ usque ad suum diem con-

concessit Sedes Apostolica Regularibus procurantibus Indorum conversionem, & in quibus conversi possunt dispensare. Ioannes Focher in suo Itinerario ad Indos. Manuel Corda Lusitanus quæst. 5. scholastica, pag. 220, num. 9 & 10. referens omnes regulares illius regni votum facere de suscipiendis missionibus ad Indiam orientalem, quotiescumque id à suis superioribus fuerit injunctum. Iustus Heurnius tract. de legatione Euangelica ad Indos capessenda. Ioannes Nunez de Torres de Institutione statuum Ecclesiasticorum tract. 6, cap. 4. §. 2. Petrus de Santjago Regius concionator, Augustinus excalceatus, in relatione progressuum Apostolicorum suæ familiæ in Insulis Philippinis, Sinis & Iaponiis; qui omnes instruunt Prædicatores Euangelicos in illis gentibus, quomodo se debeant gerere vita, moribus, constantia & fortitudine, quomodo instruendi in fide conversi, quanta suavitate & prudentia convertendi ad fidem ex rationibus naturalibus.

Ad quod magno adjumento erit opus Divi Thomæ contra gentiles, de cujus operis excellentia & altitudine ejus, egregius Commentator Franciscus Sylvester Ferrar. in epistola dedicatoria ad Clementem Septimum Pontificem maximum, dicens: *se nunquam schedulam à Beato Thoma neglectam legisse, quæ illum in ejus admirationem non traxerit, aut nunquam B. Th. evolvisse quin abierit doctior:* (ego etiam dico quin abierim humilior veritatis & antiquitatis amator, & novitatis osor) in libris tamen istis, quos adversus gentium errores inscripsit, seipsum Divus Thomas visus est superare: neque enim Christianæ Reipublicæ aut nostræ fidei, aut humanæ divinæque Philosophiæ splendidius, luculentius, utiliusve aliquid afferri potest? ut enim eos suis coloribus pingam, sunt eruditi, sunt ingeniosissimi elaborati, & ita divini, ut, qui eos diligenti studio perlegerit sibi ipsi constanter polliceri queat, secum Philosophorum, tum hæreticorum omnium ratione naturali pollentium, & viventium politice, argumenta refellere quam facillime posse, & cum ipso sancto Doctore, dum hunc librum scribit, dicere conclusum est contra Idololatras Sinenses & Iaponios, in quibus modus vivendi politice maxime viget, & ratio naturalis & voluntas excolitur, ad quod liber contra gentiles ordinatur, ut ratio naturalis excludat errores, & voluntas bonum rationis amplexetur. Quare judico nullum Patrum opus utilius, clarius, efficacius ad missiones Indorum posse conducere; & sic missionarii, si docti sint, semper illud manibus terant, intellectu digerant, voluntate & affectu contrectent. ex hoc enim clarissimo & purissimo fonte Paradisi Ecclesiæ. Fontes scatuerunt salutiferi Catholicis, mortiferi Hæreticis & Idololatris, qui in ipsomet latice alexipharmacum contra erroris venenum invenient:, ex hoc enim rivo bibit Ludovicus Granatensis ea omnia fere, quæ in symbolo fidei piè, doctè, & prudenter eructavit, quibus tot animarum millia consecuta sunt salutem; ex eodem omnes fere Catechistæ in Catechesibus salutaribus pro omnium fidelium & infidelium instructione, conversione & salute sanam & Catholicam doctrinam ebiberunt.

Concludo igitur, quod licet multi sancti Patres contra Judæos, idololatras, & alios infideles expugnatorios libros ediderunt, quos nominatos invenies in Possevino & Sixto Senensi, tamen omnes ad splendidius lumen Divus Thomas eduxit; & sic unus Thomas sufficit ad profligandos omnes fidei adversarios, sive hæretici sint, sive idololatræ: Doctrina enim Divi Thomæ illa procul dubio est, de qua sanctus Dionysius ait cap. 4. de divinis nominibus, *quæ est perfectiva & adhuc conversiva ad vera existens, à multis opinionibus convertens, & varias visiones, vel, ut magis proprie dicatur, phantasias ad unam veram, & uniformem cognitionem uno unitivo lumine complens*; quare bene quidam valde pius & doctus Magister dixit: *Thomam audire, est Patres auscultare in eo loquentes.* Sed hæc differentia inter sancti Thomæ doctrinam & sanctos Patres assignari potest, qualis inter pugnum & palmam assignatur; quod ille strictior, hæc apertior; vel qualis inter Virgas aureas & monetas publicas atque currentes, quod illæ originales sint & monetarum materia, istæ commodiores ad commercia humana: & peculiare quid inspicitur in isto Thomistico numismate, quod his Christi verbis sit obsignatum, bene scripsisti de me Thoma, pretium & valorem ex Dei existimatione obtineto. unde quod de Augustino dixit Cassiodorus, apprime convenit Divo Thomæ: *Qui est literarum omnium egregius Magister, eo quod ubertate cautissimus disputator. decurrit quidem tanquam fons purissimus, nulla fæce pollutus, sed in integritate fidei perseverans nescit hæreticis locum dare. unde sese possint aliqua colluctatione defendere; totus Catholicus, totus Orthodoxus invenitur, & in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens superni luminis claritate radiat.* hæc Cassiodorus in prolog. in Psalt. quod Divo Thomæ convenire sol in ejus pectore totum mundum illustrans declarat. quare Sinenses, Iapponios & remotissimas orbis partes, ejus splendoribus cœlestis sapientiæ Missionarii Apostolici qui conversionem desiderant eorum, ut desiderata consequantur lucem Euangelii inducant; cæremonias, catechesim, ritus, cultus ad lapidem istum Lydium probent, qui statim manifestabit, quid auri, quidve plumbi contineat, quidve novitatis habeant statim apparebit: ritus enim & cæremoniæ antiquæ, semper retinendæ, conservandæ, & de divino antiquitatis deposito eruendæ: ut enim ait Iamblicus in suis Mysteriis: *Par est in Deorum cultu ritus veteris tanquam sacros & optimos semper custodire, eosque intactos & inviolatos servare, ne quid omnino addatur, aut etiam adimatur. Hinc enim manifestum est, ut numina ipsa & vota comminuta & debilitata appareant.* hæc ille. quare si gentiles in suis antiquis ritibus religiosis ita immutabilibus gloriabantur, & de illorum mutatione lamentabantur, quanto rationabilius Catholica Religio suos ritus & Catecheses in convertendis ad fidem infidelibus immutare non debet ab antiquitate sua, & Ecclesia plangere quod antiquitate relicta, contra Patrum sensum novas inducant Missionarii sui doctrinas circa ritus & cæremonias; quomodo isti verum consequentur martyrium? quæ omnia in sequentibus comprobanda sunt.

RESOLVTIO LXIV.

Quas qualitates habere debeant Missionarii Euangelici inter Sinenses, Iaponios & alios idololatras, ut martyrium verum consequi possint si pro fidei dilatatione moriantur?

Titulus ipse Resolutionis declarat, nos non loqui, nisi de Missionariis ad infideles convertendos, & ad prædicandum Euangelium Christi Idololatris & aliis fere nullam illius notitiam habentibus. hoc autem munus mittendi viros Religiosos & Apostolicos ad remotas partes, in quibus non sunt erecta ipsorum cœnobia & monasteria, summo jure magnoque fructu sibi specialiter arrogavit sacra Eminentissimorum Cardinalium congregatio

tio de propaganda fide, instituta summo consilio & Spiritus sancti speciali illustratione à Summis Pontificibus, in qua sunt viri zelo pollentes Dei, prudentia & experientia, qui examinant spiritum mittendorum, an sit vagabundus, & an habeat eas proprietates requisitas ad tam altum & sublime Apostolicum ministerium, ut cum fructu animarum disseminent verbum Dei. quæ autem sint hujusmodi qualitates, breviter apperiendum ex Patrum veterum penu & doctrina.

Et primus eas graphice expressit Isidorus magnus ille Pelusiota libro secundo. epist. 251. ad Petrum. verba epistolæ sunt: *Duo hæc in causa fuisse existimo cur omnes ad divinam prædicationem lubentibus animis accurrerint, nimirum sermonem authoritate ac fide plenum, & prædicantium mores. Alterum enim alterius nervus ac robur erat, nimirum sermo qui fide dignus erat, & vita sermonem confirmans: non enim alia prædicantes alia faciebant (alioquin enim ridiculi fuissent) verum congruentem atque consentaneam sermoni vitam præbentes homines subigebant. quo circa etiam Christus, cum illud exploratum haberet, sermonem actionis expertem, mancum & imbecillem esse, eum autem qui ab actionibus inspiretur, vivum & aërem & efficacem esse, eos in omni prius virtutis ac Philosophiæ genere tum per opera, tum per sermonem erudivit ac divinis gratiis coornavit, atque ita demum ad hominum aucupium emisit: illud enim perspectissimum habebat, quod præconum mores ad alliciendos mortalium animos non minorem quam miracula vim habituri essent. Itaque cum per universum terrarum orbem dispersi essent, ac veluti pennati agricolæ pietatis doctrinam disseminassent, moresque suos ex Magistri præscripto composuissent, vitamque non modo ab omni reprehensionis nota remotam, sed etiam prorsus admirabilem præberent, hac demum ratione quidquid terrarum sol illustrat devicerunt, ac neque sapientia & doctrina, nec potentia, neque opes, nec regnum, nec tyrannis, nec barbarica crudelitas, nec Dæmonum phalanx, nec Diabolus ipse, nec fames, nec præcipitium, nec vincula, nec denique aliud quidquam ex his quæ horrenda esse videntur ac revera sunt, ipsos fudit ac dejecit, verum omnes cesserunt ac manus dederunt, cladem que omni victoria ac trophæis splendidiorem esse duxerunt. Præstantius enim esse judicantes, honeste vinci, quam male vincere, cœlis cives constituti sunt.* hæc Pelusiota. quibus declarat primam Missionarii Euangelici qualitatem esse vitam bonis moribus instructam, qua se admirabiles præbeant Barbaris, ut ipsorum aucupes esse possint: boni enim & compositi mores prædicatoris non minorem vim, quam miracula habent. unde istis sic prædicantibus, cum ipsos nihil horribile, etiam omnium horribilium horribilior mors non dejecit aut effudit, Euangelii prædicatio fuit causa martyrii.

Ex hac enim qualitate prima, quam tanquam radicem aliarum posuit Apostolus 1 ad Timoth. 3, ℣. 2. *oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, qui subit onus & laborem docendi & prædicandi, quale subeunt Missionarii Euangelici, sicut erant in primitiva Ecclesia Episcopi, ut ex Hieronymo bene docet Alvarus Pelagius lib. de planctu Eccles. cap. 18. de illo enim tempore (cui simile est hodie inter Sinenses & Japponios) dictum est ab Apostolo: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quo quisquis plebibus præerat primus ad Martyrii tormenta trahebatur. tunc enim fuit laudabile Episcopatum quærere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire.* quod nostris Missionariis, qui Episcopali munere sibi delegato ad prædicandum infidelibus à Summo Pastore funguntur, convenire quisque judicabit: si quis missionem ad Indos convertendos desiderat, *bonum opus desiderat*, quia primus ad Martyrium & graviora supplicia pro Christi nominis exaltatione pervenit.

Sed oportet *talem irreprehensibilem & sine crimine esse*: quibus verbis ait Hieronymus epistola ad Oceanum, *omnes virtutes uno sermone comprehendit*. primus enim Episcopus, & qui ejus nomine Missionarius Apostolicus mittitur ad exteras nationes, veluti Angelus cum hominibus versatur in terris, tanquam vir cum puerulo infante, tanquam spiritualis cum animalibus, ut ex ipsius contubernio ingentia illi lucra acquirant. quare hoc verbo posuit Apostolus ea quæ multis exposuit Pelusiota. ex quo deducit Paulus alias conditiones, quas tam Episcopi, quam Missionarii Apostolici debent habere. novem affirmativæ sunt, & sex negativæ. Prima affirmativa, quod sit *unius uxoris vir*, id est, *uni Ecclesiæ dicatus & unitus*, ut explicat ibi Ambrosius, & ad propositum hæc explicatio conducit omissis aliis, quas adducunt expositores, & non est hujus loci examinare. Missionarius enim illam provinciam deserere non debet, quam sibi superior induxit, nisi ex ipsius superioris beneplacito, nec nisi vocatus ad adjutorium ad eam civitatem debet commeare, in qua sunt introducti alii Missionarii; ut Vrbanus octavus decrevit suo motu proprio, de quo infra. II. quod sit *sobrius*, quia sobrietas mater est vigilantiæ, ingenii & solertiæ. III. quod sit *prudens*, qua omnes dirigat, & omnibus quid agendum, quid cavendum sit præscribat, sciat eligere locum, tempus & occasiones ad suum munus prout oportet exequendum. IV. quod sit *ornatus*, id est, decorem servet in motu, incessu, habitu & sermone. V. Quod sit *pudicus*, id est, quod mulierum consortia quam maxime vitet, nisi quantum oportet ad earum conversionem & Catechesim; qui enim contrarium agerit & animam suam periculo exponit perditionis, & nihil est, quod magis se opponat eorum functioni & muneri. VI. quod sit *Hospitalis*, id est, recipiens hospitio pauperes & peregrinos tam alios Missionarios, etiamsi alterius sint Religionis, quam alios Catholicos & peregrinos si ibi domum aut conventum habeant. sic enim docuit Christus dicens, *hospes eram & suscepistis me*. si enim Missionarius proprium habens conventum inter Sineos & Japponios, alios alterius ordinis non suscipit, inhumanus est. VII. Est, quod sit *doctor*. Doctrina enim; sicut Episcopi, ita & Missionarii virtus & Character est. VIII. quod non sit *percussor*, id est, qui lingua non feriat, non jurgetur, non convicietur, non male dicat. IX. quod sit *modestus*, id est, ut explicat ibi Divus Thomas, *patiens* sit, juxta illud Psalmi 91 versiculo 8. *bene patientes erunt ut annuncient*, utique Euangelium gentibus. X. Non sit *litigiosus*, verbis lites excitando aliis Missionariis. XI. Non sit *cupidus*, id est, sit omnino alienus ab argenti & aurii cupiditate. quod aliis verbis expressit epistola ad Titum cap. 1 vers. 7, *non turpis lucri cupidum*, id est, munus suum nonobeat ut ex mercium aliarumque rerum commutatione aut negociatione lucrum aucupetur. Hanc enim negociationem graviter prohibet Missionariis Summus Pontifex Vrbanus octavus in Bulla infra citanda.

RESOLVTIO LXV.

Animarum zelus in Euangelio annunciando in Missionariis prælucere debet.

ISTæ duæ qualitates ita necessariæ sunt in Missionariis, ut sine illis fructuose, & prout oportet, munus suum exercere non valeant; animarum

enim convertendarum ad fidem zelus fons est scaturiens animositatem, fortitudinem, tolerantiam, laborum infatigabilitatem, vigilias, velocitatem, & omnia ea media ad consequendam salutem proximorum. Hinc est, quod, ut notat sanctus Gregorius homilia duodecima in Ezechielem, *bene beatus Paulus sartaginem ferream sumpsit, cum ze'o animarum cruciatus dicebatur: ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam sartaginem fecerat.* unde zelus iste sanctus semper est junctus cum ingenti animi dolore de proximorum perditione & idololatrarum cæcitate, eo quod non acquiescant veritati Euangelicæ, seducti ab inimicis crucis Christi, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, & mundi astutia & politia ducuntur in prædicatione Euangelii; unde Apostolus ad Galatas cap. 1. vers. 15, *cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus, non acquievi carni & sanguine*, id est, non acquievi mundi politiæ, amicorum & propinquorum fratrum consilio & dictamini, ad exequendum munus euangelizandi, sed zelo Dei & Christi accensus ipsum manifestum feci gentibus & idololatris. unde sanctus Dionysius libro de cœlesti Hierarchia capite 3 dixit: *divinorum omnium divinissimum esse cooperari Deo in conversione peccatorum.* & Ricardus de S. Victore: *nescio* (ait) *an majus beneficium possit homini à Deo conferri, quam ut per ejus obsequium alii consequantur sa'utem; si tamen homo Deo cooperetur ex charitate.* quod consonat Divo Gregorio homilia 12 in Ezechiel. *nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* unde Ambrosius in Psalmum 118. art. 18. dixit: *Angeli* (id est, nuncii & missionarii Euangelici, de his enim loquitur sanctus Doctor, non de spiritualibus substantiis, ut legenti constabit) *sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore conservent.* Hinc est, quod à tempore Constantini Magni, ut refert Rufinus, libro 1 Historiæ, cap. 10. Missionarii ad totius orbis barbaras gentes legati sunt, viri zelo accensi doctrinæ, ac vitæ moribus præclari, quorum virorum agmina selectissima à summo Ecclesiæ Duce aliisque Principibus Ecclesiasticis enixe poscebat, ad debellandas aëreas potestates, & Dæmonis imperium subvertendum. Horum Præceptorum missiones sunt illæ, de quibus Epithalamicus Sponsus Cant. 4. vers. 13. *emissiones tuæ paradisus ma'orum punicorum.* quæ teste Philone Carpatio Ἀποστολαὶ dicuntur, per quas sanctissimi Apostoli & Missionarii Apostolici velut deliciarum horti intelliguntur, qui in laboribus & ærumnis tanquam mala punica foris, postremo & sanguine Martyrii, permultos hominum Christi fidei veluti grana pepererunt.

Ex hoc zelo oritur summa spiritus paupertas, qua præ omnibus aliis perfectionibus ornatus debet esse Missionarius Euangelicus: non enim quæsiturus est Indorum divitias & temporalia bona, sed sine spe lucri temporalis ita peregrinari debent inter Indos, Sinæos, Iapponios & cæteras barbaras nationes, ut ipsos homines solum quærant, ut eos Christo lucrifaciant. quare bene Rupertus lib. 7 in Genesin c. 21, loquens de Iacob, qui tempore peregrinationis suæ adeo tenuis erat & pauper, ut de terra sua exiret per necessitatem in baculo suo: *Hunc imitantur* (inquit Abbas) *quicumque benedictione Dei Patris & Filii ejus Iesu Christi cum gratia Spiritus sancti Missi ad spirituale semen seminandum, depositis seculi oneribus, nudi & expediti ad destinatum tendunt vigilantque, & in omnibus laborant, & sobrii sunt, nihil se scire judicantes, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, & cum Apostolo dicentes: non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquiremus.* hæc ille, satis ad rem. Igitur Missionarii Euangelici, venatores animarum divini, celeres excursores nihil præ oculis habere debent, nisi Iesum, & animarum lucra, nulla alia commoda sibi parentes aut expectantes, nisi famem, sitim, frigus, nuditatem, ærumnas, barbarorum minas, supplicia, carceres, tormenta, vitæ amissionem, & illius quotidiana discrimina, quorum nostro seculo antesignanus & prototypon fuit unicum Apostolorum exemplar Angelus velox, qui alatis pedibus totum fere Indiam Orientalem peragravit, sanctus Franciscus Xaverius, qui Sinas & Iaponios Apostolico spiritu & animarum zelo accensus quasi volitans circuivit in fame, & siti, in frigore, & nuditate; & undique circumvallatus ærumnis & laboribus plurimis perpessus propter Euangelium, & ob hoc non simplici labore veluti in vacuum itinera percurrens emensus est vastitates, dum ita investigans barbarorum antra & tentoria, post ipsos currens pedibus nudis per spineta & sentica loca, ut vel unum baptismo intingeret ô vere Indiarum Apostolus! quem si sicut ipsum proponit Ecclesia omnes imitarentur, quantus esset fructus Euangelicus! at proh dolor! multi enim ex Missionariis non quærunt quæ Iesu Christi sunt, sed sua, & inter barbaros ita commode & laute vivunt & bibunt, quasi non prædicarent illis Euangelium, & ut agerent converti pœnitentiam in remissionem peccatorum, certe quidem (quod & animi dolore refero) viri gravissimi sanctitate & moribus conspicui, testes oculares omni exceptione majores, talia & tanta de quibusdam Missionariis detulerunt, ut pigeat ea referre. sed hoc corrigere & emendare ad sanctissimum Papam & Cardinalium Eminentissimorum congregationem de propaganda fide defero, qui agnita veritate remedia adhibeant. quis & qualis erit zelus prædicandi Euangelium gentilibus illis barbaris, inter quos sunt multi ratione naturali pollentes, si videant novæ legis Christi Prædicatores in deliciis vivere. certe quidem non zelus Dei & conversionis animarum, sed commode devivendi & temporalia acquirendi in talibus Missionariis agnoscetur. hinc est, quod, ut refert Ioannes à Torquem in Monarchia Indiarum lib. 21, Indi multum ament & revereantur alumnos sancti Francisci, sancti Dominici & similes, quia nudi, excalceati, pauperes, pœnitentes disseminant verbum Dei, non jurgia, non odia, non seditiones ad Magistratus civiles & politicos; sed in sapientia simplici, & in sapiente simplicitate, prædicant Iesum crucifixum, & aliis mysteriis fidei imbuunt gentes illas, quantum in Domino illis donatum est.

Quare zelus animarum in Missionariis & disseminatoribus Euangelii junctus debet esse cum scientia Christiana, non politica (nisi quantum prudentia infusa dictaverit,) multi enim habent quidem æmulationem & *zelum Dei, sed non secundum scientiam*, ut ait Apostolus ad Rom. 10. vers. 2. id est, ut explicat Divus Thomas ibi lectio 1. *per rectam scientiam non ordinatur.* unde Bernardus sermone 49 in Cantica: *Importabilis* (ait) *absque scientia est zelus, ubi enim vehemens æmulatio, ibi maxima discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur; plerumque autem & permitiosus valde sentitur. quo igitur zelus fervidior ac vehementior spiritus profusiorque charitas, eo vigilantiore scientia opus est, quæ zelum supprimat spiritum*

tum temperet, ordinet charitatem. & sermone 19. *Apostolus* (ait) *rationabile sit obsequium vestrum. alioquin facillime zelo tuo spiritus eludet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute & non cum ratione ambuletur.* hæc Bernardus satis apte ad Missionarios.

Hunc zelum insipientem *zelum amarum* appellavit Iacobus in sua Canonica c. 3, numero quatuor decimo: *quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem.* qui enim non habet zeli disciplinam qua discreto illo utatur, zelum amarum habet, & contentiones in cordibus nutriens mendacem se ostentat adversus veritatem, quam prædicat, & evanidum reddit semen Euangelii & sine fructu. quare hunc zelum amarum, mendacem, contra veritatem contentiosum, invidia plenum, novitatum inventorem, quam maxime debent vitare Missionarii, ut veritas Euangelii eluceat, & martyrii gloria consequatur; ut enim ait Augustinus epistola 9 ad Hieronymum: *incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum: pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroës adversus Trojam dimicant.*

RESOLUTIO LXVI.

Novitas in prædicando Euangelio est inimica veritati illius.

PVlchre Stephanus Cœnobita respondens Theodosio Ephesino hæretico Iconomacho, qui quærimonias formabat, quod in numero hæreticorum reponebatur, respondet: *adverte quid de Elia Propheta Scriptura prodiderit, nimirum quemadmodum Achab dixerit: non conturbo Israël, sed tu & domus Patris tui. Non ego sum qui conturbo, verum hi qui contempta veterum Patrum eruditione novum quidem dogma in Ecclesiam invexerunt. nam si quidquam antiquitate præstat, veneratione dignum est, ut Basilius dixit, recentia utique hæc & adscititia vehementer absurda atque imbecillia sunt, ut quæ perspicue adulterinæ Ecclesiæ fœtus facti sint; ac proinde non intempestive Propheticum illud mihi dicere in mentem venit: Reges terræ & Principes cum mercenariis Pastoribus ac Regis proditoribus convenerunt in unum, adversus Christi œconomiam inania meditati sunt.* hæc ille. Quare nihil est quod magis conturbet novellam Euangelii inter Barbaros plantationem, quam novitas: sive in prædicando, sive in catechesi, cæremoniis & Religioso cultu; aspicientes enim inter Missionarios in istis diversitatem. *Rident nos fideles,* (ait Basilius epistola 74,) *nutant qui modicæ sunt fidei, fides ipsa in ambiguum vocatur, ignorantia offunditur mentibus, propterea quod formam ac speciem veritatis prætexunt, qui sermonem versute adulterant: silent enim pie docentium ora,* &c.

Hinc est, quod Patres Alexandrini Concilii, ut refert Socrates libro 1 Hist. cap.5. determinarunt: *quod sicut antiquis viris visum fuit non novam aliquam Religionem excogitare inque Ecclesiam introducere, sed quæ ab initio traditio Ecclesiastica prædixerat & sapientes Christiani certis rationibus inquisierant, stabilire voluerunt. atque ad hunc modum veteres omnes scriptis prodiderunt ad posteritatem.* quæ omnia non solum de dogmatibus, sed de cæremoniis & ritibus exhibendis intelligenda sunt, ne in illa Deo vero exhibendo aut Dæmoni negando, aliqua sit inter Missionarios Euangelicos differentia notabilis, etiam sub pietatis specie. quod manifeste liquet ex reprehensione Hormisdæ Papæ ad quosdam Monachos Scythas, qui sub specie cultus, pietatis & Religionis, Trisagio illi sanctissimo, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* addebant, *sanctus qui crucifixus est pro nobis contemptores (ait) auctoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum, solum putantes scientiæ rectam viam quamlibet concepta facilitate sententiam, ejusque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utrinsque orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis Paternæ, si suæ viderint nolle cedere sententiæ, Doctis crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus edisse, seditiones instruere, invidiam concitare.* hæc Pontifex. quibus declarat omnem novitatem in Ecclesia esse fugiendam, maxime in seminando Euangelio. quamvis enim Monachi illi hæretici non essent, & additamentum, quod ponebant, verum & Catholicum sensum possit habere, ut erudite ostendit Vasquez tom.1. in 3. p. disput.15, cap.2 & 3. tamen legati cum Episcopo Constantinopolitano præsentes, & Hormisda sua epistola decretali noluerunt admittere, quia novus erat in Ecclesia ritus, novus loquendi modus. unde ad Iustinum Imperatorem de eisdem Monachis sic loquitur: *cavenda est subtilium magna circumspectione calliditas, qui ingerunt difficilia.* & sic ex consuetudine & praxi ab initio nascentis Ecclesiæ illis & similibus novitatis amatoribus frenum imponendum docet, *ut nihil amplius, quam quod antiquitus est observatum curiosus scrutator inquirat aut opere, aut institutione perfectius, nisi forte maluerit quispiam dubitare quam credere, certare quam nosse, sequi dubia, quam servare decreta.*

Missionarii enim qui novitatem in disseminando Euangelio, in cæremoniis, & cultu non approbato saltem permissive ab Ecclesia sub specie & pelle ovina ipsammet plantationem novellam dilacerant & conturbant. quam bene Basilius epistola 74, *qui ovinam pellem, mansuetudinem ac placitudinem externe quidem simulant, interne Christi gregem dilacerant, & hoc nomine quod ex nostro gremio progrediuntur simpliciores facile lædunt, hi sunt perniciosi illi, & qui non ita facile caveri possunt, quos per vestram diligentiam omnibus Ecclesiæ Orientis publicari & manifestari petimus. quorum intus* (prosequitur Prosper lib. adversus collat c.1.) *inserpens domestica malignitas non minus spernenda est, quam foris loquens hæretica loquacitas, nisi ejectis juxta Dominicum ovile lupis, sub nomine ovium suffragarentur, essentque hujusmodi, ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur; siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem differenter in sensu trahunt ad se multos ineruditos, & non habentes spiritum discretionis, corda conturbant.* hactenus Basilius & Prosper. unde contra Missionarios, novitatem in cultu, prædicatione, catechesi inducentes, sic fatur Hormisda Papa epistola 67 ad Possessorem: *fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta, sive prædicatio, sive verbum populi ædificationi compositum, si cum fide recta & doctrina sana concordat admittatur, si discordat aboleatur. errat autem is, qui à via, quam sancti Patris electio monstravit, exorbitat.*

Sed quid sit doctrina sana, quam Missionarii debent amplecti, & à qua, ne errent, non debent exorbitare, explicat Divus Thomas 2 ad Timoth. cap.4, num.3. lectio.2. quæ excludit novam, inauditam, curiosam & noxiam, & quæ habet admixtam falsitatem. unde Actor. 17, num.21 de Atheniensibus dicitur, quod *omnes Athenienses, & advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi;* est enim, ut quidam ex Plutarcho lib.

lib. de garrulit. *insita novorum aviditas, novarum comœdiarum insitus appetitus.* adeo quod, ut idem Plutarchus ait lib. de gloria Atheniensium. *his plus in comœdias novitatis officinas, quam in bella insumere soliti essent.* quare malum, quod ex consuetudine novandi oritur, inexpugnabile & immedicabile est: ex quo veræ doctrinæ & morum oritur corruptio. Hinc egregie Plautus in Casina, ait:

Nam novæ quæ prodeunt comœdiæ,
Multo sunt nequiores quam novi nummi,

Sicut enim novitas in comœdiis Rempublicam evertit, quia novos mores inducunt, ita novitas in ritibus, Catechesi, cultu, & plantatione Euangelii, plantationem ipsam conturbat, & conversorum animos inquietat; si in mysteriis fidei illis enucleandis diversus ordo, diversusque chathechizandi modus in Missionariis invenitur, ita ut jure doctrinæ sibi traditæ unus baptizatus dicat, *ego sum unius, ego alterius Doctoris, sive Magistri.* quod Paulus valde reprehendit 1. ad Corinth. 1, num. 12. *obsecro vos* (inquit) *fratres, per nomen Domini Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. divisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* & infra num. 17. *non enim misit me Christus baptizare, sed Euangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est.* circa quæ verba sanctus Thomas lectione 2. dicit: Apostolus simul cum baptismo agit de doctrina. est autem sciendum, quod inter Corintheos fideles erat quædam dissensio propter Baptistas & Doctores: illi enim qui erant instructi, contemnebant alios quasi qui meliorem doctrinam acceperint, melioremque catechesi. faciliorem intellectu, minusque horribilem, & sic novitate ipsa dulciorem. & eos redarguit Apostolus, quod Euangelizandum *non in sapientia verbi, ut non evacuetur virtus Christi.*

Vnde cum Bernardo ad Canonicos Lugdunenses epistola 174. *ego* (ad Messionarios Sinarum & Iapponiorum exclamo) *miror satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, mutare colorem optimum, novitatem inducendo, quam non probat ratio, non commendat antiqua traditio? nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? periculose præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit.* unde contra hos inductores novitatis, quanta sit ejus pernicies in Ecclesia declarans, loquitur Nazianzenus tract. de fide: *Hi quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes & soli Deo debitas fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per nostra bona defendunt. Nihil enim periculosius hic esse potest, qui cum integre omnia decurrant, uno tamen verbo acsi veneni gutta veram illam ac simplicem fidem, & exinde Apostolicæ traditionis, conficiunt; quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei integritatem ipsius fidei violari: ut enim gypsum aqua permixtum lactis colorem mentitur, ita per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur.* hæc ille satis apte ad Missionarios inter Sinæos & Iapponios & alios Indos tum Orientis, tum Occidentis degentes, qui, cum integre ipsi per omnia decurrant mysteria fidei, quæ profitentur, uno verbo numisma falsum inducunt, colorata Religionis zelo idololatria publica & externa, dum publice thus deferunt Idolo simulata & occulta cruce, ad quam intentionem ajunt defertur adoratio. hæc quid aliud est, *quam veneni gutta & gypsum mixtum aquæ, quod lactis colorem mentitur,* occultare Christi crucifixi imaginem, à propriis Ecclesiis eam exulare; altare Regis idololatræ in propria Ecclesia juxta altare majus erigere, illique incensa offerre, quid est, *quam fraudulenta societate innoxias mentes scandalizare & percutere.*

Quare contra hos Archimandritæ & Monachi sic loquuntur ad Agapetum summum Pontificem: *in multas domus eorum, qui in excellentia sunt & indecentia faciunt, & in ipsis propriis domibus & suburbiis altaria & baptisteria erigunt in oppositum veri altaris, omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui potentes sunt. Nolite pati, Beatissime, non uti soluta fiducia ad refrenandum tantum malum, sed sicut prius contra Anthimum insurrexistis, & lupum qui conobatur per pellem ovis etiam transcendere ostium Ecclesiasticorum ordinum, sanctionum & canonum, pelle denudastis & ipsum demonstrastis, & procul à mandra expulistis* & infra: *dabit vobis potestatem, coopitulante vobis pijssimo & à Deo custodito Imperatore nostro, istos expellere tanquam insidiatores & violatores non solum sanctissimarum Ecclesiarum, sed & Politiæ ipsius. Nam cum hos ad suam malitiam convenientia organa Insidiator boni Diabolus invenisset* (totum Sinarum & Iaponiorum Imperium) *commotum fecit, & sanctorum sanguine terram contaminavit, & civitates jugulationibus & tumultibus turbavit.* hæc ibi.

Quæ omnia advertens sacra congregatio, de propaganda fide speciali consultatione facta cum sanctissimo Vrbano VIII, volens præscindere has novitates in Missionariis Apostolicis ad Sinas & Iaponios, singulare decretum edidit, prohibens, ne præfatis ritibus uterentur. quod decretum ad verbum adduxi tractat. *de delictis generantibus suspicionem in fide.* & ad instantiam Philippi IV Hispaniarum Regis Catholici idem Vrbanus VIII Bulla edita anno 1632, die 22 Februarii, præcepit, ut omnes Missionarii cujusvis ordinis & ex quacumque parte missi uniformes sint in prædicatione Euangelii, & in Catechesi conversorum, & ad hoc præcipit, ut Catechismo Eminentissimi Cardinalis Bellarmini utantur. & jure optimo in re gravissima novitates præscinduntur, quando in aliis non ita necessariis Potæ subventanea ex decreto sanctæ & generalis Inquisitionis tam Eminentissimorum Cardinalium Romæ, quam Hispaniæ Inquisitorum præclusa sunt & prohibita speciali decreto.

Quare Missionarii prudentes zelo veræ fidei imbuti, ne novitates in catechizandis conversis, & morum in illis partibus instructione, ne novitas, veritatis inimica, introducatur in cultu & Religione, quæ postea sine magno animarum detrimento evelli nequeat, ad Summum Ecclesiæ Pastorem recurrere debent, ut ipse pascua salutifera decernat; & cæremonias assignet, quæ superstitionem aut idololatriæ malitiam, aut alterius sectæ sensum non involvant: sic enim (ait Theodosius Imperator, Hispanam redolens pietatem & fidei ardorem ac puritatem, scribens ad Leonem Papam) *Paulus Præco veritatis ad magnum Petrum precurrit, ut iis, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferrent solutionem. quare multo magis hi, qui abjecti sunt ad Apostolicam Sedem debent accurrere, ut Ecclesiarum ulceribus medicinam à Petri successoribus accipiant.* sic fecerunt Missionarii Apostolici tempore Victoris Papæ, ut tempus paschatis celebrandi, ne Iudæis videremur assentiri, determinaret. & fecit Victor, victor evadens contra Episcopos Asianos, & magnæ partis Orientis. sic fecit sanctus Bernardus contra Petrum Abaylandum, qui in materia gratiæ & prædestinationis

tionis & mysterii Trinitatis alitudine novas doctrinas non plane hæreticas, sed quæ hæresim redolebant, quamvis Abaylardus gloriaretur inani jactantia, versute interpellaret Apostolicam sedem dicens, se trahere post se populi sibi credentis magnam multitudinem, Eminentissimosque Cardinales & Clericos curiæ Romanæ discipulos habere, tamen Mellifluus Doctor epistola 190 ad Innocentium ipsum interpellans, dicit: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei.* & Constantinus Pogonotus Imperator consulens Dominum Papam: *Acerba* (ait) *quædam novitatis intromissa sunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus vero incongrue scrutantibus incomprehensibilia judicia Dei. propter viles igitur inquisitiones non fit infinita consensio* (inter Missionarios) *ne nobis insultent Pagani & Hæretici, neque in nobis usquequaque locum accipiant semina adversarii.* quare si Missionarii inter Sinas & Iaponios novitates in catechesi & cultu sine consultatione Sedis Apostolicæ introducunt, Ecclesiæ doctrina, cui portæ inferi non prævalebunt, nutare videbitur. quod eleganter expressit Nazianzenus oratione 46 ad Nectarium: *si illis ut pie sentientibus & quæ sentiunt docere libereque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari perinde ac veritate pro illorum partibus stante? Nec enim fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse.*

Hinc est, quod Adrianus secundus, cujus decretum continet Lateranensis Synodus, dixit: *dignum est, & à ratione non discordat, quod ea, quæ inter se dubietatis scrupulum videntur continere, ad Apostolicæ Sedis judicium referantur, & inde Christi fideles in dubiis certitudinem se gaudeant invenire, unde noscuntur Magisterium fidei suscipere.* quare Missionarii qui alios ministros Euangelii vident cæremoniam, cultum, doctrinam, etiamsi Catholicam, tamen in externa apparentia novam & dubiam, si correcti non emendentur, tenentur certiorem facere summum Romæ Episcopum, ut quid sequendum sit determinet. sic sanctus Basilius epistola 6 ad Athanasium Magnum, quæ est 46 in ordine: *visum est* (inquit) *mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ geruntur consideret, detque consilium. & quoniam difficile est, ut communi & Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in hac causa usus, viros eligat & ad ferendas itineris molestias idoneos, & ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine & docilitate ingenii eos qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant.* Vnde Hormisda Papa epistola 67 ad Possessorem: *decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum.*

Quis ergo Catholicorum ambigere potest valde dubia esse & gravissimæ considerationis, quæ agebantur inter Sinæos & Iaponios à Missionariis Apostolicis, etsi bono zelo, non tamen *secundum scientiam*, quam requirere debebant, ut certam cognitionem agendorum haberent, à Summo Ecclesiæ Capite, in quo est medicamentum sanitatis membrorum, ut scilicet eos instrueret, ut recenter conversos in fide solidarent. serpit enim morbus membrorum, ut cancer, & vitiosa & superstitiosa propago ad infinita porrigitur, nisi Euangelica & Apostolica Petri falce amputetur.

Hoc considerantes Apostolici Missionarii ad Angliam, Scotiam & Hiberniam delegati à Summo Pastore pro fidei dilatatione & vero Primatu Ecclesiæ Romanæ prædicando, consulunt Summum Pontificem Paulum V, an liceret Catholicis Ecclesiæ Romanæ filiis Hæreticorum templa ingredi, eorum conciones audire, & communicare in ritibus & cæremoniis religiosis; quibus Pontifex duplici decreto, uno misso anno 1606, decimo Kalendas Octobris, altero sequenti anno 1607, decimo Kalendas Octobris, id nequaquam illis licere sine detrimento divini cultus & propriæ salutis. quam responsionem Pontificiam non esse legem, qua res istæ sint malæ, quia prohibitæ à legislatore humano; imo potius legislator Christi Vicarius declarat esse mala, quia prohibita jure divino, ut egregie ostendit Pater Franciscus Suarez libro sexto contra Regem Angliæ c. 7, anno 16. secutus Eminentissimum Cardinalem Bellarminum in illa doctissima, piissima pariter & Catholica responsione Apologetica ad scriptum Regis Iacobi, cujus titulus *Triplici nodo triplex cuneus*; & tamen, ut ait Pontifex in primo brevi Missionarii *atrocissimas persecutiones & infinitas propemodum miserias perpessi erant.* & in secundo ait, quod Missionarii illi *opus, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam pie ac generose nihili fecerunt.* Hos Missionarios Anglicos, Scotos, Hibernos imitati sunt Missionarii sancti Dominici & sancti Francisci Sinenses, qui consulentes sacram Congregationem de propaganda fide, ut novitates introductas extinguerent; & ne ex cineribus iterum reviviscerent, divina acceperunt responsa à Summo Pontifice confirmata, quæ ad finem hujus tractatus iterum ad verbum ex Authentico instrumento una cum notis non inutilibus reponam, quia non obvia omnibus.

Quare jam hodie Missionarii Euangelici ad Sinas, Iaponios & alios infideles Orientis & Occidentis, hac antiqua Patrum sententia confirmata Eminentissimorum Cardinalium (consultatione prius facta cum Sanctissimo) inviolabili decreto cum August. lib. 1 contra Iulianum, cap. 2 dicunt, *quod credunt credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico, istis cede & mihi cedas, acquiesce istis, acquiescas & mihi: nam fragilis, & quasi argutula novitas sola authoritate conteratur istorum.* addit sanctus Doctor lib. 2, cap. 3. *qui enim* (ait Theodoretus lib. 1 Histor. cap. 4.) *neminem volunt ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illis, quibus nos ab ineunte ætate usi sumus, præceptoribus se pares existimari sinunt, imo vero sic unum quidem collegarum nostrorum, vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent, sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectantes, solos dogmatum inventores & sibi solis & ea doctrinæ patefacta esse mysteria, quæ in nullius unquam sub sole cogitationem mentemque venerit, arbitrantur.* contra quos Alex. Alexand. Episcopus in epistola Encyclica ad Orientales Episcopos exclamat: *O impiam arrogantiam! ô insaniam! ô inanem gloriam cum furore conjunctam!* abhorreant ergo Missionarii novitates. *Novitas enim* (ut ait Chrysostomus homil. 9 in 2 ad Corinthios) *omnium animos offendit. ea vero acerbitatem majorem affert, quæ priscorum rituum fundamenta effringit.* pro hac enim vitanda, & ut veteres Ecclesiæ ritus conservarent, multi sancti mortem subierunt.

RESOLVTIO LXVII.

Quibus utantur Missionarii Apostolicis indultis, in Sinensibus & Iaponiis convertendis ad finem, ne novitatibus acquiescant in Euangelica doctrina enucleanda.

NOn est animus inpræsentiarum omnia indulta Apostolica Euangelicis Missionariis concessa referre, quæ ordine alphabetico, ut supra dixi, recensuit frater Thomas à Iesu lib. 12 de

de procuranda omnium gentium salute, sed aliqua solum quæ præ oculis debent habere, ne errent & alios in errorem inducant: nisi enim indulta essent Apostolicæ Sedis, neque in jejuniis Ecclesiæ, nec in observatione festorum ullatenus possent dispensare, sicut neque in matrimoniis contractis cum impedimento dirimente inducto jure Canonico, nec possent cœmeteria benedicere, vota, exceptis duobus dumtaxat, Religionis & peregrinationis ultramarinæ, commutare & dispensare, & alia multa quæ refert Rodriguez tomo 2. qu. 9 tota. Miranda in Manuali, tom. 1. qu. 45 ab art. 5. quæ omnia possunt Missionarii in illis regionibus ubi non sunt designati Episcopi. Sic concesserunt Nicolaus Quintus, ante inventum novum Orbem, Missionariis ad aliarum Barbararum gentium terras, Bulla 3. quam confirmavit Leo Decimus, bulla prima. Adrianus Sextus, bulla octava, & alii apud Bullarium Rodericum. Vrbanus etiam Octavus bulla citanda, *omnibus Christianis inter Japponios degentibus* (& me quidem judice, etiam inter Sinas & alias Barbaras gentes) concessit, *ut à quibusvis Sacerdotibus à generalibus illorum illuc missis* (& idem esto judicium si renuentibus Generalibus mittantur à sacra congregatione de propaganda fide, quæ ad has missiones habet plenissimam potestatem, contra quorumcumque Regularium Superiorum voluntatem) *ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta (ordinem tamen Episcopalem non requirentia) etiam Parochalia durante præsente rerum statu suscipere, libere & licite valeant.* hæc Pontifex, quare ea omnia circa Sacramentorum etiam matrimonii impediti jure Ecclesiastico dumtaxat administrationem, quæ anteriores Pontifices concesserunt posse in illis partibus exercere; nisi ea quæ habent ex vi, vivæ vocis oraculorum. quæ omnia à quocumque sint habita, etiamsi sit S. R. E. Cardinalis, abrogavit speciali Bulla Vrbanus Octavus. quæ qualiter sit intelligenda, & in quibus vivæ vocis oraculis, alibi sæpe explicui, quæ explicatio multis viris doctis placuit. Legatur tomus secundus tractat. Moralium, tractat. 8. Resolut. 30. numero 50.

Adduxi verba Bullæ Vrbani, quibus Sacerdotibus inter Indos, Sinæos atque Japponios Summus Pontifex durante præsente statu concedit administrationem Sacramentorum, etiam assistentiam Parochi & ipsius munus requirentium, ut cæteri Regulares Indiarum Occidentalium & Orientalium advertant, dum sunt in Monasteriis & Conventibus erectis in diœcesibus jam formatis & habentibus Episcopum designatum, & habentem territorium, & in ipsum jurisdictionem ordinariam, non posse secularium utriusque sexus confessiones audire; & Episcopi illarum partium possunt à Regularibus etiam Societatis Iesu exigere licentias, quas habent, confessiones audiendi, non assignatis causis hujus postulationis, etsi fuerint ab Episcopo antecessore approbati, possunt licite & libere examinare ad suæ conscientiæ securitatem; ita in contradictorio judicio determinatum est ab speciali Congregatione ad id conjuncta de Ordine & mandato Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Decimi, in lite exorta in diœcesi de la Puebla de los Angeles in nova Hispania inter Patres Societatis & Illustrissimum Dominum D. Ioannem de Palafox illius dignissimum Episcopum. & ipsemet Innocentius decimus anno 1648 die mensis Maji 16. speciali bulla confirmavit, quam authenticam ad verbum refero ad finem hujus tomi, gravissimis & piissimis motivis ductus. quam facultatem juxta Bullam Pii quinti editam anno 1571. octavo Idus Augusti, multis aliis Episcopis Hispaniæ alii Summi Pontifices concesserunt, ut Episcopo Cordubensi, Episcopo Giennensi, Archiepiscopo Hispalensi. Vnde Cardinalis de Lugo disputat. 21 de pœnitentia, sect. 2, num. 29. referens specialem Bullam Vrbani Octavi, sic fatur: *quidquid sit de hujus sententiæ probabilitate* (quod scilicet Regulares possint confessiones secularium utriusque sexus audire ubique Gentium semel approbati) *tempore præterito, nunc jam non videtur habere locum post decretum Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octavi editum anno 1628. quod revocavit omnes licentias audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis diœcesanis, & absque examine facto ab ordinario; & si quæ erant privilegia contraria cujuslibet ordinis mendicantis aut Monachalis, vel congregationis aut Societatis, etiam Societatis Iesu, omnino abstulit, abrogavit, exclusit.* bullam hanc ad verbum referunt Cherubinus tom. 4. Bullarum Apostol. bulla 92. Vrbana edita anno 1628. die 12 Septembris. Reirenis tom. 3. privileg. Minim. capite 12. pagina in parvis 508. Barbosa in Decisionibus Bullarum, collectio. 602, num. 6, & loquens de Patribus Societatis Iesu prius declaraverat sacri Concilii congregatio. die vigesima Iulii 1619, apud Sellium in selectis cap. 14. num. 81.

Et quamvis aliqua hujus bullæ subterfugia conetur memoriale oblatum pro Patribus Societatis folio 23 & 28 inducere, ea hic præcludere non vacat locus, cum omnia jam sint præclusa constitutione Apostolica Innocentii Decimi, confirmante decreta specialis Congregationis in favorem omnium Episcoporum Indiarum; tenor vero ponendi est ad finem hujus tomi.

Quæ bulla in eaque inserta decreta registrata fuit & acceptata à supremo Indiarum Consilio, sine cujus registro ex privilegio Apostolico, inviolabili consuetudine observato, si aliquod Privilegium impetratur à Papa, quod tangat gubernationem in spiritualibus in Indiarum terris, non debet poni in practica, ut late Solerzanus vir omni sapientia ornatissimus, & mihi semper venerandus, tom. 2 de jure Indiarum lib. 3 cap. 25, num. 42.

Nec patrocinatur Patribus Societatis & aliis Regularibus participantibus eorum privilegiis, ut vigor Bullæ Vrbani, & Bullæ Innocentii Decimi in illis marcescat, quod habeant privilegium à Gregorio Decimo tertio concessum in Bulla quæ incipit ascendente edita octavo Kalend. Iulii 1572. in qua habentur privilegia concessa Societati Iesu non censeri revocata, nisi revocatio personaliter illis fuerit intimata: nam de Bulla Innocentii claret, quia posita lite in contradictorio judicio lata fuit, & sic ipsius Societatis Procuratori Generali fuit notificata: de Bulla Vrbani hodie manifestum est, tum quia Cardinalis de Lugo ita affirmat, nec recurrit ad hoc refugium; tum etiam, quia, licet Diana amplissimus hujus temporis in opinionibus deligendis scriptor ita senserit 3 p. tractat. 2, Resolutio 68. tamen re melius & prudentius considerata mutavit sententiam p. 7 tractat. 10, resolutio. 29 cum stilus curiæ sit in contrarium, ut ex multis Bullis Pontificiis apparet, derogari privilegia Societatis sufficienter, quando de ipsa fit expressa mentio, & in bullis supradictis etiam in fine apponitur clausula, *ac si eis personaliter fuerint intimata.* &, quamvis citatis ad longum P. Amici verbis tom. 5 de Iustitia & jure, disputatio. 9 num. 148 & sequentibus, addat ipse Diana: *tu cogita; nolo enim privilegia meretissimæ Religionis minuere.* quibus suam lubricitatem in scribendo ostendit, suam in aliis minuens authoritatem:

rem: ego tamen in hac determinatione immobilis persistam, quod non obstante privilegio concesso à Gregorio decimo tertio in præfata bulla, eo ipso, quod Successores in Petri Apostolica Sede in suis bullis derogent omnium Regularium privilegia, facta expressa mentione Societatis Iesu, quod, quamvis non observetur forma indicta à Gregorio decimo tertio, privilegia ipsius in utroque foro manent derogata, cujus determinationis rationes & fundamenta manifestissima sunt.

I. Quia illa expressa mentio Societatis non ponitur frustra à summo Legislatore, sed maxima cum advertentia & reflexiva notitia, & expressa intentione super privilegia Societatis revocanda. alias, ut dixi, frustra de illa fieret expressa mentio; & cum aliæ Religiones fere omnes saltem participative hoc privilegio gaudeant, nisi forma præscripta à Gregorio decimo tertio, cum omnibus, sicut Societas Iesu prætendit quod observetur cum ipsa, fere frustratoria esset Regularium in amplissima forma privilegiorum revocatio, quod quidem valde temerarium est.

II. Quia, si facta mentione expressa Societatis Iesu, fiat expressa revocatio privilegiorum sibi concessorum, revocatur privilegium quod induxit formam præfatam; quod mihi indubitatum est, quia eo ipso quod fiat expressa mentio privilegiorum Societatis, & voluntas Legislatoris revocantis illa efficax sit, æquivalenter & virtualiter fit sufficiens intimatio per expressam mentionem factam ipsius Societatis, & privilegium illud inducens illam formam evanescit: non enim Successores Pontifices possunt in vi legislativa & aliarum legum priorum derogativa comprimi & ligari; quamvis quæ sit potestas humana, quæ homines obligare nequit nisi manifesta illis fiat sufficienter, hæc manifestatio, quacumque forma fiat, sufficit, ut est manifestum in materia de obligatione legis humanæ & divinæ.

An vero, si non obstantibus Bullis Vrbani octavi & Innocentii decimi, possit semel approbatus virtute Bullæ eligi ab ovibus alterius Episcopi, ab illo quem approbavit Confessorem, alterius est negotii, quod tractavi tomo Moralium tractatuum, cujus declaratio non est hic repetenda.

Hæc quæ verissima judico, dicta sint per transennam; accedamus ad Missionariorum propia Apostolica indulta, non omnia, ut dixi, quia in longum iret disputatio, sed aliqua: igitur Nicolaus quintus Bulla citata, potestatem tribuit ad irritandum & reprobandum ea quæ sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore viderint expedire: hæc tamen potestas reduci non debet ad actum quando timetur aut pusillorum scandalum, aut nimia contentio inter Missionarios ipsos; sed Summus Pontifex consulendus, ut determinet quid sit sequendum, uti fecerunt Patres Dominicani degentes inter Sinæos videntes alios Missionarios novas doctrinas docere inter illas gentes: nam quantam perniciem doctrinarum novitas inducat, & supra ex Patribus monstravi, & Resolutione sequenti amplius monstrabo contra Hieronymum de Guevara, & Theophilum Raynaudum in hoc tomo Novitatis acerrimos propugnatores.

Sed omissis privilegiis Missionariis potestatem dantibus ad aliquid operandum in illis partibus: hæc enim plurima sunt, de quibus alii ex professo tractant: ad alias Bullas Apostolicas aliquid prohibentes transeamus. Alexander Sextus, ut refert Rodriguez tomo 2. qu. 100. artic. 7. concessit Regibus Hispaniæ & commisit conversionem infidelium Indorum Occidentalium, & præcepit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut nulla persona cujuscumque dignitatis, etiam Imperialis, & Regalis status, gradus & conditionis, pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa Indiarum terras subjectas & subjiciendas jurisdictioni Regum Hispaniæ, & inventas & inveniendas, accedere possit sine licentia dictorum Regum, quam excommunicationem hodie non ligare, sentit uterque Rodriguez: quia, inquiunt, non est sufficienter promulgata per modum statuti perpetui, sed per modum sententiæ, quæ est ab homine, & cum homine evanescit ejus efficacia: sed de his alias & dixi, & dicam; melius (sicut mihi semper ullo alio recentiore visum) discurrit Dominus de Soto lib. 1 de Iustit. qu. 1, artic. 4, §. at vero de Summo Pontifice. Ast existimo hac bulla non comprehendi Missionarios Euangelicos, qui zelo animarum & spiritu Dei acti transeunt ad Indos convertendos, cum ergo hoc cedat in Religionis Christianæ augmentum, nisi exprimamatur quod hi Missionarii ibi non accedant, non comprehenduntur in præfata Bulla.

Sicut comprehendebantur in diplomate Clementis octavi, quod impetrarunt Patres Iesuitæ, ut sibi solis & non aliis liceret ad convertendas Iapponioniorum gentes, qua bulla irrevocata nulli Regularium ordinum adire ad insulas illas licebat. quamvis tamen hujus bullæ impetratio præsumi tunc non liceret facta alio motivo, quam ex martyrii desiderio, & ne turbaretur aliis Missionariis fructus quos ipsi soli faciebant, tamen hæc bulla derogata fuit, ut refert Doctissimus Ioannes Solorzanus, cujus verba quia in hac parte non sunt interclusa à decreto sanctæ Inquisitionis Eminentissimorum Cardinalium (de quo supplicatum à supremo Castellæ Consilio) placuit referre, omissis aliquibus quæ magis eruditionem summam, qua hic auctor pollet, quam doctrinam concernunt. sic enim fatur lib. 3. cap. 18. ex num. 11. tom. 2. de jure Indiarum.

Cæteri aliorum ordinum, præcipue Mendicantium Religiosi graviter de hoc questi sunt coram Rege nostro Catholico & Supremo Indiarum Senatu, dicentes verbum Domini alligatum non esse, nec esse debere juxta illud Pauli 2 ad Tim. c. 2. & omnibus fidelibus præsertim Religiosis, à Domino imperatum fuisse ut euntes per universum mundum Euangelium disseminarent. & ego adduxi Propheticum oraculum Divi Vincentii Ferrer, qui dixit Euangelium prædicandum plenarie & generaliter in totius orbis humano genere, cunctis Regionibus tam apertis, quam aperiendis, tam cognitis quam cognoscendis, per fratres Prædicatores & alios mendicantes.

In qua pia & gravi colluctatione cum Iesuitæ suo diplomate niterentur, & præter alia allegarent, non satis commode per Religiosos diversorum ordinum & institutorum illud negotium peragi, & cum ex multitudine in varietate confusio & discordia causetur, unde & inter ipsos Apostolos Provinciæ sortitæ sunt, & hodie inter jam conversos Episcopatus & parœciæ dividantur; adhuc tamen reliqui Regulares dicto generali præcepto suas partes defendebant ex textu expresso in cap. quam sic, versicul. insuper de Iudæis, ubi Clemens tertius, sic dicit: insuper indulgimus ut quicumque Religiosi seu Clerici ad annunciandum gentibus Catholicam veritatem, requisita & habita Prælatorum suorum licentia, tibi voluerunt adhærere, id, absque interventione qualibet, liberam exequendi habeant authoritate Apostolica facultatem.

Et num. 17, quibus & aliis multis, quæ in hanc rem pie & docte & eleganter expendit Nobilissimus & eruditissimus vir Dominus D. Emanuel Sarmiento Ecclesiæ Hispalensis Magistralis Canonicus meritissimus, in libro quem

quem circa hoc argumentum scripsit, & militiæ Euangelicæ titulo indigitavit, gravissimi & lectissimi viri ex consiliis status, justitiæ, & Indiarum, quibus Rex noster Piissimus & Potentissimus hujus disceptationis examen & consultationem commisit, inter quos ego (licet indignus) cooptatus sum, in ea sententia fuerunt, ut quoniam multum tempus effluxerat postquam Iesuitæ soli ex Brevi Clementis Octavi his Iaponiorum missionibus intendebant, & in eo magni illi progressus, quos sperabant, non usquequaque provenerant, Summo Pontifici ab eodem Rege nostro qua decet summissione & reverentia proponeretur & supplicaretur, ut rem hanc ad pristinam Euangelii formam reduceret, juberetque ut omnes undique Religiosi prout melius & commodius possent sedulam operam huic Iapponiorum, & Sinarum piæ & Christianæ conversioni atque expeditioni navarent; ita tamen ut ab omni mercatura & temporalis lucri ac quæstus suspicione abstinerent, & in provinciis & aliis occupatis & sufficientibus operariis instructis se alii non immiscerent, & omni contentione, dissensione & æmulatione postposita in catechizandi & prædicandi modo; imo & in moribus & in habitu, si fieri possit, penitus conformarent, quia in uno eodemque officio non debet dispar esse professio cap. in nova 16, q. 7. vere enim Diaboli instinctu studium in Religione factum est, ut dicatur in populu, ego sum Pauli, ego autem Apollo, &c.

Et num. 23, *de quibus omnibus Rex noster certior factus per consultationem, cujus ordinatio mihi commissa fuit, ei assensum præbuit per decretum 21 Ianuarii 1632. & Regiæ literæ expeditæ sunt ad Romanum Pontificem, ut suis Apostolicis confirmaret, si opportunum & expediens esse censeret, prout statim ad verbum confirmavit per Bullam Apostolicam datam Romæ 22 Februarii 1633. quam quia notabilis est, & paucis cognita, hic non gravanter insererem, nisi admodum prolixa esset. Sed eam in compendium redigam. Relata Superiorum Pontificum ad solos Religiosos Societatis Iesu in hac prædicatione licentia, ut per solam Indiam Orientalem emitterentur, tandem jubet ut quicumque & undecunque mittantur, ita tamen ut in docendis infidelibus uniformes sint, & Catechismo Cardinalis Bellarmini utantur, atque ab omni quæstu & mercatura & negotiatione prorsus abstineant, & ab aliis, quibus possit inter illas gentes aliquod scandalum vel offendiculum puritatis prædicationis Euangelicæ generari, & ut Sacramenta illis libere durante præsenti rerum statu administrare possint, exceptis his quæ Episcopalem Ordinem requirunt; nec non etiam ut Episcopi illarum partium controversias, si quæ inter Religiosos earum oriantur, tanquam Sedis Apostolicæ delegati decidant & terminent; si vero graviora quædam negocia occurrerent, ea ad Sedem Apostolicam referant, ut ab eadem matura deliberatione & consultatione adhibita, provideantur & decernantur.* hactenus vir ille magnus.

Qui ad verbum placuit referre, quibus summarium negotii gravissime continetur, quod summa maturitate decisum fuit tam à Summo Pontifice, quam à Summo Orbis Monarcha, & uterque sancto & secundum scientiam zelo motus diploma Apostolicum unus, & decretum Regium alter pro animarum salute edidere, quod utinam observaretur utrumque, ut Missionarii magnos colligerent fructus tum in animarum salutem, tum in politiæ conservationem, non attendentes ad propriæ laudis commodum & lucrum; quis unquam Euangelicus Missionarius in tota antiqua prædicatione Euangelii attendit ad lucra temporalia acquirenda inter Barbaras nationes? sed in frigore & nuditate, & paupertate Euangelica. quis unquam respexit ad inanem gloriam capessendam ex animarum conversione? quis contentiones induxit? quis disseminavit zizania? ut impediretur seges copiosa tritici verbi Dei; Ecclesia enim Dei (cujus vestigia sequitur Euangelicus Prædicator & Missionarius) *hoc unum omni studet industria, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si quæ sunt illa antiquitus confirmata & inchoata, accuret & poliat; si quæ jam expressa & enucleata, consolidet & firmet; si quæ jam confirmata & definita, custodiat ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem posterius diligentius crederetur; quod antea lentius prædicaretur, hoc idem constantius prædicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea solicitius excoleretur.* hactenus Lirenensi lyra cecinit Euangelica, cap. 32, lib. 2. contra hæreses sonitus consonantiam si attenderent novi Concionatores, non tam absurdam dissonantiam induxissent apud Sinas & Iapponios. quam ut excluderet summus Ecclesiæ Præcentor, tum Bullam præfatam edidit anno præfato 1633, & quia nondum dissonæ voces cessarunt, anno 1645 edidit Apostolica responsa sacra Congregatio de propaganda fide, quæ, ut dixi, ad finem hujus tractatus ad verbum referam.

RESOLVTIO LXVIII.

Impugnantur propugnatores novitatum, Hieronymus Guevara, & Theophilus Raynaudus.

QVi novitates cudunt, ut supra vidimus, multo sunt pejores & Reipublicæ perniciosiores, quam novatores falsæ Monetæ, cujus tanta est efficacia ut Regna & Respublicas consumat. Ast inopinando novitas & libertas quandoque & mores evertit, licita commercia, Catechismum fidelium, veram & solidam doctrinam exauthorizat, dogmatum depositum dilapidat, Novatores hæreticos & schismaticos corroborat in suis erroribus, dum vident Patrum antiquorum venerandam canitiem à Catholicis parvi pendi, ut novandi maneat illæsa libertas in intellectu, corrupta erga Parentes nostros pia voluntatis affectione, cujus contrarium semper fuit in Ecclesia veneratum. ut enim ait Lirenensis commonitorio 1, cap. 9, adversus profanas hæresum novitates: *Semper hic mos in Ecclesia viguit, ut quanto quisque foret Religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contra iret.* Quare quanto quis se separat ab hoc laudatissimo more & quanto in opinando liberior, tanto irreligiosiorem se monstrat, cum circumferatur omni vento doctrinæ, *liberum habentes pro voluntate sermonem*, ut ait Cælestinus Epistola ad Episcopos Galliæ, ut sugillet Semipelagianos. quam graviter Pelusiota lib. 1, epistola 214 ad Domitium: *abstineas velim ab Ecclesiæ minime congruentibus disputationibus, quæ nullam auditoribus utilitatem afferunt, verum religionem nostram in contumeliam trahunt infessosque atque infestos nobis hæreticos, & ad pietatem conviciis maledictisque incessendam stimulant: non enim justitiam tuam respiciunt, verum piæ doctrinæ imbecillitatem risui ac ludibrio habent.* quam bene contra novitates & quæstiones inauditas Pozæ, qui spretis antiquis Magistris & pessundatis eorum doctrinis quæ veluti murus inaccessus (ab hostibus) fuere Ecclesiæ, novas invexit opiniones. *tolle Thomam* (ajebat ille impius) *& dissipabo Ecclesiam.* & cur dissiparet? nisi quia sine muro inexpugnabili antiquæ doctrinæ novitate introducta. Desinant ergo novitatis avidi auditores anticipatæ dumtaxat opinionis deservire, atqui adversum veritatem impetum facere, ne Salvatoris facinus omni Sermone præstantius inane atque infrugiferum reddant. quare Cælestinus Papa, ut refert Lirinensis ubi supra, cap. 43, *desinat* (inquit)

quit) *si ita res est, ut apud me, quidam urbes ac provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis, desinat, si ita res est, incessere novitas vetustatem.* ergo (ait Vincentius) *hæc fuit Beati Cælestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem, sed potius novitas desineret incessere vetustatem.*

§. 1. *Novitatis Propugnatorum fundamenta propono.*

PLura congerunt Guevara in cap. 1 Matth. verſ. 1. obſervatio. 15. & Raynaudus in Hoplotheca de calumnia ſectio. 2. ſerie. 3, cap. 5, quam collegit ut calumnias in ſuum ordinem everteret, & calumniatores ſugillaret, qui valde ſocietatem torquent novitatis calumnia: utriuſque Authoris ordine ſuo fundamina adducam.

Igitur Hieronymus Guevara num. 3. ſic fatur: *aliqui ita ſunt nimium vetuſtatis cultores, ne dicam adoratores vel idololatræ, ut nonniſi antiquitatem ſapiant, & illius legibus velint adſcribi; quos puto eam tantopere venerari, quia novam ſcientiam veritatum cognitionis, quas Spiritu divino obſtetricante Eccleſiæ Doctores Neoterici quotidie parturiunt, vere non capiunt, & ideo & rumpuntur & diſcerpuntur ſane ſicut prioribus ſeculis plerique novitati Euangelicæ doctrinæ æmulabantur, quia veteribus non aſſorabat: novo enim vino eorum mens ebria facile proſternebatur, nec agnoſcebant veritates, diſciplinamque novam, quam Chriſtus tradidit in lege veteri à Deo fuiſſe repromiſſam, ita multi nunc ita veterem doctrinam & ſententias obſtinato proſequuntur ſtudio, ut novas veritates & indagandæ veræ lucis planiores vias deteſtentur, credo quod eas non capiant & optimi vini fervore excerebrantur.* hæc ille.

Ad hæc quæ Author iſte ſcripſit in antiquitatis amatores, præter aliqua, quæ potius ad ſuggeſtum, in quo ad complacendum auditoribus dicuntur, adducit plus quam ad rationis nervum conducentia; alia adducit ex aliquibus Patribus qui fidei prædicationem nolentes admittere infideles, quia novam doctrinam continet, unde & lex nova dicitur, appellant utres veteres qui vinum novum abſque diſruptione continere non valent. Ita Tertullianus lib. 4. contra Marcionem; Peluſiota lib. 1. epiſt. 57. Victor Antiochenus in c. 2 Marci; quare ſacri Doctores qui exploratores ſunt & inquiſitores veritatis, non debent obſtinato animo Seniorum traditionibus & ſententiis adjacere, quando firmior & fortior vis ab illis mentem avocat, & ad oppoſitas advocat.

II. Quia quamvis præteritis ſeculis plures fuerint in Eccleſia Doctores ſapientia præditi, erant autem veluti utres in pruina frigore ignorantiæ, quæ tunc amplius graſſabatur, compreſſi, & illius veluti gravati tenebris, veritatis & ſapientiæ vini non ingens pondus capiebant; temporibus vero curſum peragentibus, cum ignorantiæ rigor & obſcuritas, luce divina vires recipiente & irrumpente, fugari cœpiſſent, illius calore utres ab illa contractione ſolvebantur & ampliores capacioreſque Sinus efficiebant, in quibus novarum veritatum liquores inveniebant hoſpitium, & veteribus ampliori ſcientia referti procedebant.

III. Quia teſte Ariſtotele lib. 3. Elench. capite ultimo. Caſſiodoro, & Seneca epiſtola 65 ad Lucilium, non omnes veritates antiqui invenerunt, multæ ex illis poſteris ſunt relictæ. quis enim non cæcutiens audeat effari humanam & ſacram Philoſophiam jam ultimas metas attigiſſe; omnes illarum veritates & perfectam cognitionem in aperto eſſe, nihilque amplius eſſe quod elaboretur, perquiratur, elucubretur. ſi ergo aliquid in eis, quod effodiatur & aperiatur ſupereſt, quorſus adverſum ea ingenia quæ abdita explorat, abſtruſa rimantur & ad propatulum trahunt, ſuccendendum eſt? quod egregie explicuit Rupertus in prologo Apocalypſ. *ſed dicet aliquis,* (ait) *jam ſatis eſt, quod alii meliores & ſanctiores nihilominus & doctiores invenerunt, atque ſcripſerunt, illicitum eſt, & temerarium adjicere quidpiam ad ea quæ Catholicis Patribus dicta ſunt. Ad hæc inquam ſanctarum ſpecioſus ager ſcripturarum omnibus Chriſti confeſſoribus communis eſt, & tractandi illas nulli jure negari poteſt licentia, dummodo ſalva fide, quæ ſentit, dicat & ſcribat. quis namque recte indignetur eo, quod in eadem poſſeſſione poſt unum aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio labore fodiant filii ſuccedentes.* quare poſt puteos quos excavarunt Hieronymus, Auguſtinus, & quos profundarunt ſanctus Thomas & Divus Bonaventura, poſtmodum alii ſucceſſerunt Doctores, ſubtilis Scotus, *Ieſuitæ, qui altius fodientes* ad huc novas ſapientiæ ſcaturigines invenerunt.

IV. Quia ſola veritas amanda eſt, & inſcrutanda, ignorantia affectanda non eſt, quamvis vetuſtate coloris fucata & authoritate fulcita, & veritas amplectenda quamvis novitatis nomen velut in ſcopulos illi datur. dummodo dogmata fide immobilia perſiſtant, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem, operante ſcilicet & perficiente uſque ad finem gratia Dei, ait Tertullianus lib. de velandis Virginibus cap. 1.

V. Quia, Eccleſia Dei ad veritatem firmandam non ſolum antiquos Patres, verum & modernos Doctores conſulit; quippe quæ ſciat plura iſtos aſſecutos quæ illis non occurrerunt. ita fecit Concilium Vienn. relatum in Clem. de ſumma Trinitate & fide Catholica. ubi gloſſa per Doctores modernos intelligit Alenſem, Albertum Magnum, Divum Thomam, & alios qui tunc Pariſiis publice legebant.

VI. Quia Chriſti doctrina novitatis cenſuram non effugit, Acto. 17, num. 18. Paulus carpitur ab Epicureis & Stoicis tanquam *novorum Dæmoniorum*, id eſt, *novarum ſententiarum Prædicator*, ut ait ibi Lyra, & Hæretici tempore Baſilii Magni, ut ipſe ait lib. de Spiritu Sancto capite 6, *novitatis architectos novos tractatores, & novorum inventores Patres Catholicos appellabant.* unde ſapienter Peluſiota libro ſecundo, epiſtola 46 ad Athanaſium Presbyterum, loquens de Ethnicis qui contendebant Euangelium non eſſe admittendum, quia novam quandam atque à veteri conſuetudine diſſidentem vitæ rationem inducat, dicit: *Vir ſapientiſſime, illud ignorare videris improbam conſuetudinem novitate ſola comprimi atque extingui ſolere.* & infra: *Neque enim grave atque ſceleratum eſt, aliquid innovare cum utilitas novitati conjuncta eſt. nec enim noxia & utilia temporis diuturnitate perpenduntur.* hæc ille. quare Guevara compellit & hortatur verbis Bernar. epiſtola 110 ad Baldui. *noli fruſtra aſſumere excuſationem quaſi de tui novitate atque imperitia: nam neque ſterilis verecundia grata eſt; neque humilitas præter veritatem laudabilis: age ut magiſter novus, ſed debitor; nunquid novitas excuſabit apud debitorem damna lucrorum?*

Tamen Raynaudus alia via procedit, diſcurrens per Sanctorum vitas & Religionum inſtituta, quæ in ſuis primordiis novitatis cenſuram non effugerunt, & tandem vicit veritas in ipſarum favorem. ſic de Carthuſianis in epiſtola ad Fratres de monte Dei; Guilielmus Abbas ſancti Theodorici in epiſtola ad Carthuſianos. idem convicium patiuntur diſciplinæ

Regularis in Monasteriis collapsæ reformatores & reductores ad sua primordia, ut annotat Ioannes Nider. lib. 1 de reformatione, cap. 7. institutum etiam sacræ Religionis Societatis Iesu passum fuit non parvas calumnias in novitatibus quas illi impingebat alii, tum propter chori in communitate defectum, tum propter simplicia vota in quibus in statu Religioso constituuntur. multa & alia quæ contra jus commune & antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem videntur instituta: & tandem evanuit novitatis calumnia; tum ex bullis Pontificiis quibus institutum hoc plene confirmatum primum seculum duravit & amplius, ipsumque acerrime defendunt tam sui quam exteri.

Et tandem postquam Ludovicum Molinam, Lessium & alios ejusdem Societatis alumnos à censura novitatis in materia de gratia & libero arbitrio tutatus est. seipsum defendit sic loquens: *abhorrui sane ego semper à novitatibus, & quantum per veritatem & doctrinæ soliditatem licuit instituti quam libentissime semitis antiquis. Fuit tamen qui opus meum de martyrio per pestem eo duntaxat nomine, quod ea doctrina nova esset pressum voluerit, liberarunt tamen nos ea criminatione Romanæ Tabulæ, in quibus ipsis solis radiis exaratam eam doctrinam legere est 28 Februarii, Scripturas & Patres eidem doctrinæ suffragari demonstro ibidem copiose. & subscripsit copiose nostra, illa allegans, Philibertus Marchinus in opere de bello divino p. 1. capite 7. itaque per calumniam doctrina illa notabatur novitatis, de pello plenius eam criminationem in opella cui titulus, Triplici modo triplex cuneus.*

Aliam calumniam novitatis sibi impositæ à Constantino Cajetano purgat circa opera Petri Damiani, quem semel & iterum sanctum & beatum appellat. Legatur apud ipsum Raynaudum, qui in hoc bene & erudite procedit, solum non admitto nomenclaturam sanctitatis, quam appingit Cardinali, cum expuncta sit ab expurgatorio Romano Eminentissimorum Cardinalium sacræ congregationis indicis, tum etiam ab expurgatorio novissimo sanctæ Inquisitionis generalis Hispaniæ.

§. 2. *Enucleatur duplex novitas, una perversa, altera permissa.*

NVllus erit ita desipiens, ut omnem omnino novitatem excludat: hoc enim nihil aliud esset quam ingenia præcludere & captivare, quod in obsequium fidei & dogmatum præcipit Apostolus. Igitur cum omnes Catholici conveniant, novitatem in doctrina dogmatica nulli intra Ecclesiæ gremium licere, duplex in aliis doctrinis Theologicis & ad mores attinentibus novitas enucleanda est, & an sit conveniens, ut usus ejus licitus: una quæ, quamvis non sit circa fidei dogmata, est tamen contra doctrinam fere totius Antiquitatis, quare est novitas contraria; altera quæ ab antiquis fere intactas relicta noviter adinventa ab aliquo Doctore publicatur; & hæc est novitas negativa, hæc permissa, illa perversa fuit semper in Ecclesia: novitas enim contraria Patribus & gravioribus Scholasticis semper sugillata fuit in Ecclesia Dei; altera autem negativa permittitur, & aliquando à Patribus amplectitur dummodo ex ea scandalum in Ecclesia non sequatur. quam duplicem novitatis speciem expressit Themistius oratio. 15, dicens: *Novi aliquid ulla in re facere atque excogitare, perpetuo scelus videri, non tum solum cum istud ipsum, quod agitur malum, est perniciosum ac noxium: si enim quidquid extra consuetudinem est, sceleratum est, cur non artes omnes criminantur & accusant, quod non prima inventione contentæ ac circumscriptæ sunt, sed augent eas insuper, ac novi semper aliquid veteribus attexentes in hunc usque diem perseverant?* &c. Sed utriusque novitatis tum permissio, tum perversio aperienda in sequentibus.

§. 3. *Novitatis negativæ permissio aperitur.*

VTinam hujus temporis neoterici hac novitate contenti non debacharentur in Patres & antiquos sanæ doctrinæ Magistros: hanc enim duntaxat aliqui antiqui amplexati sunt, dum vetustis principiis & veris doctrinis imbuti tanquam veteres utres novitatem non pungentem, non rumpentem vetustatem, contemnebant. sic Sanctus Gregorius Magnus in procemio ad libros Regum, postquam dixit, *divina eloquia è mensura tractatorum nunquam æstimanda sunt, neque idcirco sunt vilipendenda quia non subtiliter considerantur, nec celsa, aut venerabilia ducenda, ideo quia facunde & subtiliter exponuntur.* & infra contra quosdam sui temporis Doctores nova scribendi studia superflua esse judicantes: *hi nimirum* (ait) *ratione convincendi essent, nisi signum calumniæ exposita fronte prætenderent. namque nova velut nova contemnunt, ac illa quæ probant vetera, curarum secularum saturitate fastidiunt.* & infra: *sed quia in diversis sanctorum Patrum operibus diversa hujus Historiæ testimonia inveniuntur, exposita notare lector debet, quod aliquando eorum sensus tractando subsequor, aliquando autem enodare Historiam aliter insudo, ut opus quod spe divinæ inspirationis aggredior, & antiquorum Patrum auctoritate sit validum & lectori nequaquam fastidiosum, dum interea quæ novit vetera, ea etiam ei, quæ non novit nova, repræsentat. ad quam profecto sententiarum pronunciationem aliquando ex necessitate ducor, quia & Patres venerabiles si seriatim cuncta exponerent quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere usi sunt, observare nequaquam potuissent. Dum igitur sanctorum Patrum intellectus prætermitto necessitate, aliquando commoditate utor, quia & fastidium lectori amoveo, & dum totum seriatim discutio, multa ex mediis contra me veniunt, quæ illorum sequi sententias non permittunt.* hactenus ibi.

Quibus quanta veneratione de Patrum auctoritate loquendum sit, ut ipsa sit validum ejus opus, & dum nova inducit non sint contraria sensui literali quem Patres venerabiles tradidere, sed circa alios sensus allegoricos, aut tropologicos, ut ipsemet sanctus Doctor dicit, in principio prologi: *sed hæc nimirum plana sicut placet simplicioribus, Doctores sancti ut digna sublimitate perciperent eorum intellectum, non in simplicitate quæsierunt literæ, sed in volatu allegoriæ,* &c. sensus enim allegorici majore ex parte liberi sunt expositoribus, ut novos quotidie pro populi eruditione exerant, & repletis eorum vasculis suæ plenitudinis impetu (sacra Scriptura) quotidie implendis aliis decurrit.

Summum Pontificem secutus est Rupertus post verba citata pro sententia Guevaræ: *Itaque* (ait) *juxta hanc regulam nobis quoque concedant post illos puteos quos foderunt, post illos tractatus quos tractaverunt Patres & Priores nostri, & alios fodere nos puteos proprio vomere ingenii, dummodo vivam aquam & nos reperire possimus quæ nulli noceat viventi, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.* Licet ergo novitas quando Patribus & prioribus Magistris non est contraria, quando nulli scandalosa, quando non aperit erroribus viam, quando nulli nocet, quando singularitate sua non offendit; & hoc est *vivam aquam vomere ingenii ex fosso puteo invenire*, non turbidam & emortuam. unde Augustinus epist. 111 ad Fortunatianum Episcopum

circa finem, dixit: *neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habeat divino adjutorio ab aliis intellecta, vel à nobis. talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse lectores meorum.* hactenus Augustinus, cujus verba singula notentur, quia in nullo favit adversariis, confirmant tamen novitatem permissam, non adstruunt perversam.

Verum enimvero quamvis hæc licentia novitatis negativæ permissa, sit potius speculativæ partis intellectus, quam practicæ, quæ mores & prudentiam sibi subjicit: novitas enim quæ vias aperit licentiose vivendi perniciosa est, non negativa, aquaque ex ejus puteo non viva, sed nociva est omni bibenti intra Ecclesiæ gremium; quamvis inquam novitas speculativa negativa permissa sit, ut minus malum, cæterum habenæ non sunt laxandæ, sed freno cohibendus intellectus, ut ne in omni materia tam Philosophica, quam Theologica juxta beneplacitum discurrat, novitates quæ nihil conducunt ad fidem tuendam proxime vel remote quotidie adinveniens, ut auditorum demulceat aures, & his intenti à magis necessariis distrahantur: quid obsecro juvant Ecclesiam novitates multæ (quas do, quod sint negativæ) Pozæ, & aliorum similium; quæ doctrinalia documenta ex illis ducuntur? quid pulchritudinis, vel decoris speciosissimæ Societati attulerunt? nonne plus honoris contulit solidissimus Suarez & alii, qui raro à communi & trita via exorbitant? quare ut novitas ista negativa proficua sit, deduci debet ex principiis alicujus probati Doctoris, illique adhærere tanquam muro suæ novitatis. quod expressit Hieronymus ad cap. 9 Danielis: *scio de hac quæstione ab eruditissimis viris varie disputatum, & unumquemque pro captu sui ingenii dixisse quod senserat. quia igitur periculosum est de Magistrorum Ecclesiæ judicare sententiis, & alterum præferre alteri, dicam quod unusquisque senserit, lectoris arbitrio derelinquens cujus expositionem sequi debeat.* Igitur novitas negativa ne nimis laxata habenas rationis rumpat, & terminos transgrediatur permissionis, & perniciosa fiat & otiosa, principiis probatorum Magistrorum nitatur, ita ut novitas non in principiis, sed in conclusionibus reluceat. si enim unusquisque scholam vult erigere, redundabunt in Ecclesia scholæ velut in Ægypto ranæ, quorum raucæ voces omnem doctrinam sanam contundent.

Indisciplinata enim ingenia & audaces intellectus nihil aliud intendunt nisi puteos effodere, non quidem Iacobi, ut invenirent abundantiam solidæ & veræ doctrinæ, sed Abrahami, quos obstruxerunt Palæstini implentes humo & cœno, ut exinde educant inania & novitates. quare etiam in novitatibus negativis & permissis cohibendi sunt ne cœno & humo puteos Iacob obturent, ita ut oves Christi aquam vivam & salientem in vitam æternam vix bibant. securam enim doctrinam difficile assequetur qui est novitatibus assuetus: nam ea, in quibus non relucet novitas, parvi pendet, quasi ab alio prius excogitata, quasi antiquitas velut vermis veritatem doctrinæ corrodat, quum potius sit velut vinum vetus, quod cum suavitate bibitur, & doctrinæ novitas sit vinum novum, quod cerebrum conturbat & circumgirare cogit, & circumferri versus omnem ventum & latus.

Sed audi gravissima incommoda quæ ex amore & insito appetitu erga novitates etsi permissas sequuntur, quia nihil certe stabilitur, sed omnia in barathrum incertitudinis trajiciuntur. Et via Regia spreta per anfractus & callis tortuositates nunquam perficitur intellectus, nec quietus perseverat in possessione veritatis, sed ambulans vias non bonas, de novitate negativa permissa transit ad perversam: ubi enim opinatio sine principiorum freno manet, sed omnia placita licet amplecti spretis Magistris, Reipublicæ inquietudine, scholæ confusione, animi discipulorum ad invicem amaritudine, Chaos formatur ex diversitate novarum opinionum, quarum Præceptores polypis assimiles ludificant auditorum imaginativas, & tanquam chamaleontes de suo corio ludunt, dum obtutibus objiciuntur pro libito diversorum colorum: qui enim in principiis alicujus scholæ inter Catholicos firmatæ, & in universitatibus admissæ novas conclusiones eliciunt ex vi habitus suorum principiorum, semper perseverant stabiles, nec circumferuntur omni vento doctrinæ; at illi qui novitatibus gloriantur, spretis antiquorum principiis, difficulter scias cujus sint, & unusquisque vult novam erigere scholam monstruose, tanquam hippocentaurum compositam ex diversorum animalium membris. O tempus! ô opinandi libertas licentiosa! quot mala in ducis, quot dissensiones! & dum novas formas fingis, nova figmenta componis.

Deinde, quia ubi opinatio libera viget ejus novatores doctrinis, quæ primo inter Catholicos ad morum instructionem & dogmatum tutamen ordinantur, ludunt ut pueri, ut ait Horatius:

Ludere par impar, mustelæ adjungere mures,
Ædificare casas, equitare in arundine longa.

Tamen eas modo ajunt tanquam veras docentes, modo negant tanquam falsas & inutiles; & quas nunc ædificant postea destruunt. quare nunquam inter sese conveniunt, sed invicem se mordentes invicem se consumunt & evertunt, & si conclusione conveniant dissentiunt fundamento, & multas consumunt charras in istorum fundamentorum eversione. *& quæ utilitas in utrisque?* at qui principiis & fundamentis alicujus scholæ receptæ insistunt, ad novas conclusiones ex illis deducendas deveniunt absque turpitudine mutabilitatis, imitantes Beatos qui in cœlis ex una divina essentia tanquam ex principio novarum creaturarum in verbo attingunt cognitiones.

III. Quia ex libera opinandi etiam in adiaphoris placitis & indifferentibus licentia oritur, quod multæ opiniones antiquorum Nominalium, quæ quia exoletæ & inveteratæ multis ab hinc annis possessione sepulchri gaudent, in quo sunt ut improbabiles consepultæ, prurigine novitatis solicitati moderni eas exsuscitarunt & plausibiles reddunt, cum magno scholarum detrimento, qui utilibus sententiis explosis & rejectis sequuntur Magistros prurientes auribus, & quod antea non audiebatur jam amplectatur in publicis disputationibus. ex quo jam videmus transitum factum ex his opinionibus ad mores formandos, unde sequitur non parvum animarum periculum.

IV. Quia antiqui ita soliciti extitere ne doctrinæ variabiles essent, neve nova inducerentur, quod Plato in Dialogo de legibus, merito id *sancitum à legislatoribus non mutandos rythmos in cantionibus cultuque Deorum, ne cum mutatione rythmorum religio quoque immutaretur.* O prudens & rationibilis timor! ex quo ortum duxit apud veteres Romanos, ut Magistros cæremoniarum constituerent, ne dum singuli suas devotiones & precationes coram aris Deorum persol-

solvunt, quid verborum prætereatur aut præposterum dicatur, ut adnotat Plinius lib. 18, cap. 2. & Plutarchus libro de superstitione sic fatur: *nos quoque postulamus, ut recto & justo ore Deum invocetis, neque in hostia quidem examinetis an pura sit & recta, lingua interim vero vestras ipsorum linguas pervertentes & inquinantes, absurdis nominibus & barbaris vocibus fœdetis atque pervertatis divinam atque à majoribus acceptam Religionis authoritatem.* & Livius in epitome lib. 31, *Prophani à sacris arcebantur, ne Sacerdotes aliquid prophanum audirent.* de quibus multa Brisonius de Sacrorum formulis non immutandis. & Virgilius lib. 4 Æneidos:

Nequa inter sanctos —
Hostilis facies occurrat, atque omnia turbet.

Vnde fere in omnibus sacrificiis velatis capitibus sacra operabantur, ne quid prophanum & insolitum aspicerent, quod mentem offerentis turbaret. sed cur hoc tanta diligentia peragebant? *ne novitas incesseret vetustatem*, sed ista perseveraret & non turbaretur, nec in verbis male prolatis: pulchre totum comprehendit Lirenensis Monit. 1. cap. 26, *Devita* (ait) *inquit Apostolus prophanas vocum novitates, non dixit antiquitates, non dixit vetustates, imo plane quod è contrario sequeretur ostendit. si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas, & si prophana est novitas, sacrata est vetustas.* hæc ille. quare qui ad novitates excitat, impellit & interpellat suos, spretis sacratis ad prophana solicitat, dum aurum, argentum, lapidisque pretiosissimos antiquitate consignatos spernit, plumbum, æs, aurichalcum, vitrum & stipulam & fœnum novitatis colligit.

V. Quia si in his, quæ fidei non officiunt, licita est opinandi libertas, & novitas impune introduci valet, spretis receptis philosophandi & theologizandi principiis, introducantur antiquorum Philosophorum sectæ, Stoica, Academica, Zenonica, Pythagorica, & omnes illæ quas enumerat Plutarchus in opusculo de dogmatibus & Apophthegmatibus clarorum Philosophorum per decem libros. quis enim tam hebes erit ingenio, quod si spernat venerandam canitiem principiorum, quæ recepit antiquitas Christiana, non inveniat vel apparentes solutiones rationum, quas contra hanc Philosophorum catervam invenerunt alii probabiles Magistri. hoc autem quam utile sit Christianis & Catholicis quis non videt? imo quam pernitiosum? quæ utilitas obsecro in punctis introductis Zenonis? in constitutione duarum dumtaxat primarum qualitatum exclusis siccitate & humiditate? quæ in Philosophia Thomæ Campanellæ? quam hæretici amplexati sunt & pro viribus defendunt contra Philosophos Catholicos, qui fidei mysteria Peripatetica doctrina explicant; è contra hæretici sua deliria Campanellæ doctrina, quia hæretici acri odio antiquitatem prosequuntur & novitates libentissime amplexantur, de quibus verificatur dictum Homeri lib. 1 Odyss.

Cantio enim hæc hominum longe est celeberrima vulgo,
Et ratissima quæ nuperrima venit in aures.

Ast contra novos istos Palæphatos vox Catholicorum insonat, *veteri moneta contenti simus*, qua prisci seculi homines usi sunt incorrupte, non adulterando novitate antiqua, qui secus faciunt cauponantur vinum vetus, solum perquirentes aurium delinimenta, quare novitatis propugnatores Philosophiam & Theologiam, Politicam & Ethicam antiquorum cauponantur, & ut hominum popularium & Principum gratiam captent, illis placentia, ut eorum aures scalpant, docent.

§. 4. *Novitatis perversæ exclusio.*

PEr novitatem perversam, ut supra vidimus, intelligitur quæ antiquorum Patrum & Theologorum sententiis opponitur & in scholis introducitur. hujus novitatis venenum quàm perniciosum sit, ex sequentibus solidis fundamentis cuicumque bene affecto manifeste constabit.

I. Quia in humanis scientiis proprio ingenio comparatis conclusiones novæ oppositæ principiis antiquis male semper audierunt apud Philosophos, & tanquam adulterinum & spurium fœtum rejiciebant. unde Eusebius apud Stobæum antiquus Philosophus dicebat: *homines multa potius scire, quam vera dicere, studio proinde teneri multos, dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maxime necessariis efficere dubiam.* unde Socrates Epistola ad Nicoclem ait: *Novitatem semper abhorruerunt Sapientes*, quare qui novitatis prurigine agitur, non sapientis sed temerarii & audacis prototypon se ostendit. quam pulchre hoc arguit sanctus Gregorius Nazianzenus oratione de moderatione in disputation. habenda: *Non grave & intolerandum putes, si non in omni disputatione domineris, atque in omni quæstione & problemate primarum sedem obtineas.* & infra: *Nos quidem ne in levibus parvique momenti disputationibus temeritatis specimen edamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in majoribus abutamur.* quod contingit novitatis amatoribus, ô utinam non contingat, ut illi, qui antiquos Patres & Magistros spernunt & suas illis oppositas opiniunculas invehunt, *propter animi elationem cadant, pennisque propter volatus sublimitatem liquefactis misere corruant.* Hos novatores idem sanctus Doctor in Apologetico collocat in tertia Classe: *eos qui adversus sanam doctrinam per imperitiam ejusque comitem temeritatem adversus omnem doctrinam stullo quodam affectu gradiuntur, pulchrasque margaritas conculcant.* vel in ultima Classe: *qui nec certam ullam opinionem, verum sermonibus omnibus Magistrisque se subjicientes, tanquam ex omnibus id quod melius certiusque est electuri, ac sibi ipsis hoc est malis veritatis Judicibus confidentes, a discretis postea verbis ad persuadendum comparatis subinde circumferuntur omnibus sermonibus obruti protritisque Doctoribus permutatis, &c.*

Et in Oratione prima de Theologia pulchre satis has novitates nullam veritatem afferentes excludit, & impugnat earum introductores: *qui hoc unum sibi proponunt ut quæstiones nectant & solvant, quemadmodum qui in Theatris Palæstræ artem profitentur, eaque certaminum genera quæ non juxta Palæstræ leges ad victoriam ferunt, sed imperitorum dumtaxat oculos perstringunt, & laudem à spectatoribus captant.* quia videlicet cauponantes veras doctrinas novitates venditant, statuentes id quod solum est probabile pro certo, & quod certum est intra probabilitatis duntaxat limites constringunt. hujusmodi autem Doctoribus, ait sanctus Doctor, periculum subest, ne magnum fidei nostræ mysterium in argutiarum quandam artem desciscat.

Quod de Paulo Samosetano ante manifestationem veneni dicit Eusebius lib. 7 Histor. cap. 28, *qui in congregationibus Ecclesiasticis volebat à viris & mulieribus sibi nova dicenti applaudi & acclamari, antiquis Patribus & scriptoribus defunctis insultari.* Wiclephi etiam discipuli ut notat Waldens. tom. 3. doctrina 4. *Laudabile esse si quid contra antiquos saperent, & aliquid novi, ut periti viderentur, invenissent.* Arriani etiam *gloriabantur sibi solis patefacta esse mysteria do-*

ria doctrinæ, quæ in nullius usque sub sole cogitationem mentemque venerint. videant ergo obsecro in visceribus Iesu Christi (& ipsi judicent an ad cor ipsorum loquar) quantum periculum subeant dum gloriantur in novis doctrinis spreta Patrum & Magistrorum canitie, imo in ipsam oblatrantes & pessundantes, dum non sequentes aliquem Magistrum probabilem se omnibus Magistris subjiciunt, & seipsos solos constituunt judices veritatis, quam assequi judicant si novi aliquid quod ipsis solis sub sole in mentem venerit adinveniunt; & dum omnes Magistros nolunt habere nulli reverentiam exhibent, sed suo judicio, quod arbitrum veritatis constituunt, omnes illos despicientes.

II. Quia si in quæstionibus Theologicis de quibus nihil est definitum expresse, contra Patrum & Scholasticorum antiquorum sententias licitum est hodie novas credere opiniones illis oppositas, sequitur quod censuræ, quibus semper usa est Ecclesia, temeritatis, improbabilitatis & singularitatis prorsus sint eliminandæ, cum locum jam non habeant si in istis quæstionibus est licita licentia novitatis. quod quantum absurdum sit constat ex Bulla Pii Quinti, & Gregorii Decimi tertii, edita contra Michaelem Baium, ubi admittitur *temeritatis* censura. de hac & aliis adductis censuris late tractant Lorca 22. sect. 1, disput 40. Turrianus ibi disputat. 55. dubit. 3. & in selectis disputat. 30. dubio 1. Canus lib. 12 de locis capit. 11. Albertinus lib. de agnoscendis Catholicis assertionibus quæst. 61. Turrecremata lib. 4 Summ. cap. 10 & 11, & alii; notat tamen prudenter Magister meus Petrus de Lorca num. 18, *quod temeritas notari potest in his conclusionibus quæ remotiores sunt & minus manifeste deducuntur ex principiis Theologicis: hanc enim censuram meretur qui despicit alia, quæ communiter recipit Ecclesia non tanquam documenta fidei, sed tanquam pias & verisimiles assertiones, temeritatis nota communiter inuritur, quæ torrenti Doctorum adversatur, deinde temerarium est pluribus Ecclesiæ Doctoribus contradicere, nisi aliorum Doctorum sufficiens subsit auctoritas, &c.* improbabilis propositio ea est, quæ caret fundamentis quibus niti potest probabilitas. de quibus auctores tractant dum de conscientia probabili agunt. quare improbabilitas sub censura est, ea quæ caret fundamento apparente deducto ex principiis communiter approbatis, saltem ut probabilibus. hujusmodi enim censuræ sunt habenæ, quibus Mater Ecclesia cohibet filios suos ne libere opinentur in conclusionibus Theologicis gravioribus, etsi remotis, in quibus novitas perversa sibi semper adsciscit ut filiam temeritatem & improbabilitatem, quæ sunt obnoxiæ censuræ ex officio, propter quas sacrum Tribunal Inquisitionis cohibet libros devulgari, & prohibet divulgatos, quousque corrigantur.

Hac ratione & propter hanc notam prohibuit congregatio eminentissimorum Cardinalium aliqua opuscula Theophili Raynaudi. I. de Martyrio per pestem, quem imitatus est Marchinus, cujus liber quousque corrigatur interceptus est. II. cujus titulus est *error vulgaris communio pro mortuis*, Bozæ tom. 1 Elucidarii, & omnes ejus defensiones prohibitæ sunt per utramque generalem inquisitionem, Romanam & Hispanam, cum plures propositiones ejusdem temeritatis notam non excedant, tum in doctrina contra veteres Ecclesiæ Patres, tum in istorum injuriis & vilipensione. His fundamentis alia gravissima adjungo excerpta ex libro nunquam satis laudato Vincentii Lirenensis contra hæresium prophanas novitates. ejus auctoritati alias aliorum Patrum adjungam agamque quasi ipsius libri Commentatorem in tomo speculi, quem jam habeo præ manibus vita comite, post evulgatum tomum & privilegiis fidelium tempore pestis.

§. 5. *Satis fit Argumentis adductis pro Raynaudo, & Guevara.*

ET quidem ad verba præfatoria Guevaræ alia alterius Authoris objicio, ejusdem quidem Societatis: *Ego quidem* (ait Pater Daza ad caput 1. num. 5. §. 3 in epistolam Iacobi) *non sum ita novitatis amator, ut eam alicui laudem invideam quod dici commeruerit novarum inventor assertionum & assertor inventionum, ut praeclare dixit Bernardus; neque eorum studium probaverim, qui illam Dei vocem æmulari videntur, ecce nova facio omnia adeo nihil non movere audent, magnumque aliquid se præstitisse putant, si id dicant, quod nemini in mentem venit, cum ne ipsis quidem venire in mentem debuisset. Quippe in rebus veritas quærenda est, non novitas; atque in causa æquali id quod usu receptum est antiquitatis prærogativa amplectendum. satis multas in re qualibet habemus sententias: non pluribus, sed melioribus indigemus, &c.*

Nunc facillimo negocio ea quæ Guevara & Raynaudus congerunt tanquam novitatis propugnatores facillime ex dictis evanescunt. ad primum respondetur: aliquam novitatem qua doctrina antiqua & primitus revelata multifarie multisque modis lucem novam habeat, & faciliorem & dulciorem intelligentiam, licitam esse & laudabilem; siquidem ista non evertit antiquitatem, sed perficit: qui enim fieri potest, ait Tertullianus, *ut diabolo semper operante & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessarit, aut proficere destiterit? cum propterea paracletum miserit Deus, ut, quoniam humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu sancto, &c.* Neque enim in gignendis & inducendis ex principiis ab antiquis, & probabilibus Magistris constitutis conclusionibus, aliis quas ipsi non expresserunt emortuum & effætum est ingenium humanum. sed de his latius in Commentario Lirinensi, quod quam proxime prælo dabitur.

Idem probat nihil amplius (si sine temeritate sit sermo) dicens: *Patres antiquos utres veteres frigere ignorantiæ contractos & gravatos.* miror valde, quod hominis zelo fidei & lacte Romanæ Ecclesiæ nutriti, talia verba de Patribus nostris proferant; & ipsi volunt quod in suos scriptores qui similia dicunt alii sileant & taceant nihil amarum in illos proferentes; nisi de Augustino, Hieronymo, Basilio, Nazianzeno, sancto Thoma & aliis similibus Doctoribus vindicatis ab Ecclesia publico decreto, apage tanta audacia! cum sint lumina fulgentissima fidei Catholicæ & omnem veritatem supernaturalem irradiantia, non tenebris ignorantiæ obruta. quid enim amplius volunt Hæretici pro clypeo suorum errorum? nisi viros Catholicos de Patribus suis audire, quod sunt *utres veteres contracti ignorantiæ frigere, & illius tenebris obruti & conclusi.* horum Catholicorum modo loquendi incitati ac audaciores facti Hæretici nixi, tot in sanctissimos & antiquissimos quosque Patres & Apostolorum discipulos effutiunt opprobria & contemptus, dicentes quod *multi libri Augustini nihil sunt.* quod Nazianzenus *nihil syncere de Deo scripsit.* de Hieronymo, *quod totus nihil est.* de Areopagita, *quod multa garriat.* de Chrysostomo, *quod est auctor sine re*; & similia, quæ invenientur in Iodoco Coccio libro ultimo Thesauri, & in doctissimo

Feuardentio in adnotat. cap. ultimo lib. 1. Irenei num. 1. quare istis novitatis amore capti *stultiores sunt Choræbo*, qui Cassandræ amore solicitatus, cujus pater contrariis auxilium ferebat, ut cecinit Virgilius:

— Iuvenisque Chorœbus,
Venerat insano Cassandræ (novitatis) *captus amore,*
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.

Ad tertium respondetur, nihil aliud probare, quam præcedentia. & quid sentiat Rupertus clare monstravimus ex ejus verbis subsequentibus: non enim negamus, novos excavare puteos ex venis occultis, antiquis tamen, aquarum viventium licere; sed altius fodere ut novas aquas invenias, quæ in venis seniorum non continentur, magno & infructuoso labori & periculo est expositum. Audi sanctum Martyrem Ireneum in prologo suo: postquam enim dixit, *se in libris contra hæreticos tradere ea, quæ usque adeo erant abscondita, nunc Dei beneficio in lucem venerunt*, subdit: *verum ea quæ simpliciter & vere ac vulgari sermone, benevolo tamen animo, ad te scripta sunt, tu quoque pari animi benevolentia accipies, eaque ipse utpote nobis eruditior quasi semina quædam & initia à nobis accepta, apud te amplificabis, atque in mentis tuæ latifundio quæ breviter à nobis dicta sunt uberius efferes, quæque nos imbecille narravimus, ea tu iis, quibus tecum consuetudo est, non sine robore declarabis, &c.* pulchra sane. quid enim scriptoribus Ecclesiasticis magis gloriosum esse potest, quam novam lucem novum robur antiquis addere, & dicere antiqua nove, sine novitate in sententia? sed de hoc latius in commentario Lirinensi.

Ad quartum respondetur: latissimum & perniciosum valde campum aperit, dum dicit, quod *dum dogmata fidei immobilia persistant, cætera jam disciplinæ admittunt novitatem.* cui phrasi Tertullianicæ consonat Cyprianus epistola 63 ad Cæcilium, & 73 ad Iuvajanum, & 74 ad Pompejum: *Consuetudo* (inquit) *sine veritate vetustas erroris est.* quis enim dubitet quod hæreses etiam suam habeant antiquitatem? sicut & Idololatria, & Iudaismus, atque Mahumetanismus, nunquid ob præcisam antiquitatem approbandi? absit. & hoc est Tertulliani & Cypriani intentum: tamen si antiquitas in dogmatibus & sana doctrina venerabilium & probabilium Patrum sententiis fundetur, quis cordatus dubitabit quod non omnia quæ ad disciplinam attinent non admittunt novitatem in sententia, sed solum in modo ea enucleandi? sicut enim hæretici novitate sua revincuntur, ut ait ipse Tertullianus libro de præscript. capite primo, ita moderni Scriptores dum novas in Theologia, tam Scholastica quam morali, introducunt sententias, novitate sua etiam revincentur; est enim Tertulliano indubitatum principium, inter Catholicos *id verum esse quod sit prius traditum.* quo principio utitur semper, cum contra Novatores insurgit, ubi supra cap. 29 & 39, lib. adversus Hermog. 1. & libro 1 adversus Marcionem, & libro adversus Praxeam: *id esse verum* (ait) *quodcumque primum, id adulterum quodcumque posterius.* hujus rationem tradit Ireneus libro quarto, capite quadragesimo quarto: *reliquos vero qui absistunt à principali successione, & quocumque loco colligunt suspectos habere vel quasi Hæreticos, vel malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas quæstus gratia, aut vanæ gloriæ id operantes.* Itaque Auctorum successio in aliqua opinione sequenda validus est murus; à quo qui recedit, vel ipsum transcendit sibi placens, malam sententiam & adulteram patrocinatur, quia nova & contra antiquorum successionem, quæ semper etiam in rebus fidei definiendis validum fuit argumentum, ad quod tanquam ad asylum Hieronymus in dialogo contra Luciferanos confugit, contra tot sectas dissectas quæ in Oriente toto vigebant. Augustinus lib. contra epistol. Manich. capite 4. & alibi sæpe.

Ad quintum respondetur, Concilia valde æstimare opiniones modernorum Scriptorum novas, quia istas vilipendant, sed quæ consonant antiquis Doctoribus, illis novam lucem adducentes, non oppugnantes, sed propugnantes, enucleantes & renovantes, ut enim ait sanctus Gregorius Magnus libro 36 Moral. cap. 12, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, quia in virtute antiquorum Patrum, si qui postmodum prælati sunt, subrogantur, ut cum annosa arbusta succiduntur, in eorum vigore tenera virgulta succrescunt, &c.* quia videlicet loco Patrum recentiores & moderni tam Scholastici, quam morales, quam expositivi succedunt; ut enim, ait idem Doctor vere Magnus, capite quinto ejusdem libri: *per expositorum sequentium linguas divinæ fluenta scientiæ diu abscondita largiori effusione patefacit: nam quid illi sub brevitate locuti sunt, hoc exponendo multipliciter auxerunt.*

Ad sextum respondetur, frivolum omnino esse, cum Pelusiota loquatur de novitate evertente pravam consuetudinem, qualem destruxit lex nova, quæ suam utilitatem hominibus induxit, & sic ejus novitas ut valde proficua mundo amplexanda ex toto corde & ex tota anima est; at novitas in doctrinis, quæ secum inducunt consuetudinem nocivam, illa explodenda & vitanda, ne cum hæreticis in desiderio novitatum conveniamus.

Ad ea quæ Raynaudus adducit non oportet respondere, secum enim responsum adducunt: nam novitates quibus applaudit, aut sunt eversivæ consuetudinis improbæ & perniciosæ vitæ regularis; aut sunt confirmatæ diplomate Apostolico, sine quo nullatenus subsisterent; aut sunt inductivæ majoris perfectionis, ut fuit novitas vivendi Carthusianorum. novitates vero, quæ in operibus Raynaudi sunt expunctæ à sacro Inquisitionis tribunali, late sunt impugnatæ in hoc meo tomo, & tom. 2. tract. Moralium, tract. ultimo. Concludo igitur contra hujusmodi novitatum amatores, appetitores atque solicitatores, cum Nazianzeno oratione prima de Theologia, cujus verba non piget iterum referre: *Non aures duntaxat, sed & lingua atque adeo manus ipsæ, ut video pruriunt, prophanis videlicet vocum novitatibus & contentionibus falso nominatæ scientiæ, pugnisque disputationum nullam utilitatem afferentibus.* & infra: *hoc unum sibi proponunt, ut quæstiones nectant vel solvant; quemadmodum qui in Theatris Palæstræ artem profitentur, eaque certaminum genera, quæ non juxta palæstræ leges ad victoriam ferunt, sed imperitorum duntaxat oculos perstringunt, ac laudem ab spectatoribus captant.*

RESOLVTIO LXIX.

Vtrum in Catechesi Indorum & Chinensium Crucis mysterium ante Baptismum debeat edoceri, & Christi crucifixi imago in publico monstrari?

HOc ita omnino à Missionariis cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, debere fieri & practicari jam in dubium revocari nequit; cum anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, sacra Congregatio de propaganda fide sub anathematis pœna ipso facto incurrenda ita fieri determinaverit, facta speciali consultatione cum Sanctissimo,

ctissimo, cujus prudentissimi & sanctissimi decreti authenticum exemplar ad finem hujus tractatus subjiciam. cujus contrarium quidam Missionarii in praxim reducebant, antiquitus imagines Christi crucifixi occultantes, & solius resurgentis & gloriosi publicantes, & ante baptismum Catechumenos de mysterio crucis Catechesim non faciebant, sed illud manifestandum post baptismum in commodiorem occasionem reservabant.

Hos Missionarios curat à calumnia liberare Pater Theophilus Raynaudus in Hoplotheca contra ictum calumniæ sect. 2, serie 2. cap. 15. dicens, hoc esse ita calumniosum ut longa confutatione non egeat; esseque illis impositum à Patre Magistro Dominico Gravina; *quia* (inquit Raynaudus) *ora Indiarum, quam iste sic delusorie imbui Evangelio contendit, vel est Orientalis vel Occidentalis. In Orientali habemus praxim sancti Francisci Xavierii, de quo acta ejus liquido testantur, nihil æque habuisse commendatum inter concionandum quam proponere Christi pro nobis cruciatus, & tanquam potentissimum pietatis incentivum eos inculcare auditoribus quos imbuebat in fide Christiana; nullosque sermones de rebus divinis fuisse Iapponiis acceptiores, quam qui de Christi passione essent, testatur in epistolis ipse Xavierius, & idem ab aliis factum constat ex Nicolai Trigaultii opere de Sinica expeditione. quoad Indias occiduas legendus est Iosephus Acosta, qui libro quinto de procuranda Indorum salute, capite secundo, explicatissime tradit quanta esse debeat Christiani Concionatoris solicitudo, ut Neophiti imbuantur Christi Redemptoris pro nobis cruci confixi notitia. itaque non est ambigendum quin per meram calumniam Patres Societatis Iesu graventur eo probro suppressæ tam necessariæ veritatis, sine qua non est salus.* hactenus ille.

Cæterum quidquid sit de veritate, quod Gravina non fuerit temere locutus constat ex Archivis Regiis Hispaniarum Catholici, & aliorum Principum, in quibus est doctissimum memoriale oblatum Regi nostro Philippo IV, à Provincia sancti Gregorii Philippinarum Fratrum discalceatorum Seraphici Patris Francisci, cujus exemplar authenticum apud me retineo (quod homo Gallus non vidit, & sic mirum non est, quod suam Societatem affectu filii tueatur & defendat) in quo puncto primo sic dicunt: *Han observado asta ahora estos Padres en la conversion de aquellas gentes* (*de los Chinas*) *esconder las imagines de el sancto Crucifixo y que en sus altares ni otro lugar patente de la Yglesia aun los mismos Christianos no las vean ni parescan. Consta de la sobre dicha informacion remitida à V. Magestad foxa segunda en la quinta pregunta que se hizo à el Padre Francisco Hurtado Vice-provincial de la Compañia en China, y de la respuesta del Papel del Padre Bartholome de Roboredo sobre dicho num.*8 *&* 9. & in artic.2. ejusdem puncti sic habetur: *Ansi mesmo han puesto dichos Padres particular estudio no solo en no la tener sus R. si no tanbien en persuadir à nuestros Religiosos y à los Padres Dominicos en China, por si y por terceras personas que no tengan la dicha ymagen del sancto Crucifixo en sus altares ni Yglesias ni otro lugar patente donde pueda verse consta de la respuesta à el Papal del Padre Roboredo num.*8 *&* 9. & artic. 3. sic: *las raçones en que se fundan dichos Padres para tapar el sancto Crucifixo es porque los infieles de verla no se escandalicen*, ne fiat gentibus illis stultitia & scandalum. *Consta del Papel del Padre Roboredo n.*4. *de su respuesta num.*8. *Por las mismas dicen que en predicarle Crucificado y muerto se ha dexr con mucho tiento de modo que si los oyentes mostraren pia affìcion à los misterios mas creibles que se propusieren para la encarnacion y muerte de Christo, y sino dexarlos porque lo demas seria*, dare sanctum canibus *consta de el Papel de Roboredo, num.*2. *y de su respuesta numero quinto, y de la sobre dicha informacion foxa.* 3. *en la decima pregunta que se hizo, à el Padre Francisco Hurtado.* hactenus ibi.

Videat ergo Raynaudus, quo fundamento nixus Magister Gravina id asseruit, quod ipse Theophilus non solvit: nam Gravina non loquitur de Iaponiis quibus evangelizavit, & de quibus loquitur Apostolus illarum partium sanctus Franciscus Xaverius; sed de Sinis, de quibus loquitur congregatio, & de Missionariis ad illas gentes Orientales, non de Occidentalibus; cum præcipue quia Missionarii isti non habent eum zelum & fidei Catholicæ ardorem ac vir iste sanctissimus, si ita est ut narrat memoriale præfatum, quod mentiri non est præsumendum, tum quia de re gravissima oblatum tantæ Catholicæ Majestati, tum quia determinationes sacræ congregationis de propaganda fide exierunt in lucem; ad extirpandam hanc praxin quæ incipiebat in illa conversione Chinarum, à quocumque fuerit introducta, quod non disputo, sed refero quæ ex memoriali vidi. apud me enim habeo prædictum memoriale, quod obtulit mihi vir gravissimus Pater Guardianus Capucinorum Conventus Hispalensis, Fr. Franciscus Goth, & manibus omnium fere teritur.

Verum enimvero antequam ad alia faciam progressum, inquiro, an jure divino sit prohibita hæc suppressio veritatis tam necessariæ ad salutem, & occultatio imaginis crucifixi? & quidem omnino respondendum est affirmative. quod pluribus & manifestis ostendere operosum non erit. Dico igitur I, Imaginem Christi Domini crucifixi abscondere, etsi id fiat ne scandalizentur fideles recenter conversi, vel ne alii qui ipsas vident non convertantur, & illis sit scandalum & judicetur stultitia: omnino est illicitum jure divino & ex natura rei, & sic est prohibitum, quia malum. probatur: 1. Quia ut clare probabo conclusione sequenti, supprimere & occultare Catechumenis veritatem passionis & cruciatus Theandricos Christi, quos pro nobis pertulit, & quibus nos redimit, est omnino illicitum. ergo & occultare Christi crucifixi imaginem & figuram, cujus sit prototypon Christus crucifixus. consequentia est omnino indubitata apud Catholicos, quia ea ratione imaginum propalatio & earum in Ecclesia est veneratio, qua veneratur prototypon. ergo si hujus veritas non est occultanda, nec imago. unde egregie Cyrillus Hierosolym. Catechesi 13. dicit: *non pudeat vos crucifixum confiteri* (utique publice) *& in omnibus actionibus in panibus comedendis, in poculis bibendis, & in ingressu & egressu, ante somnum, recumbendo & resurgendo, eundo & quiescendo*; & addit Tertullianus lib. de corona militis c. 4, *& quandocumque quæcumque nos conversatio exercet harum & aliarum disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. traditio prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix*, &c. quare nec pudor invadat Catholicos Missionarios imaginem Christi in publico collocari, in qua Christus patiens depingatur & adoretur.

II. Probatur ex Conciliis, & inprimis in 8 Synodo sub Adriano secundo act. 10. canon. 3. determinatur: *sacram Domini nostri effigiem eadem qua sancta Evangelia colendam statuimus.* quamvis enim Concilium in particulari non exprimat imaginem Christi crucifixi, tamen cum indefinite loquatur omnem quamcumq; imaginem comprehendit, cum omnium sit idem prototypon. quare nulla abscondenda; sed omnis publicæ adorationi exponenda, sicut sanctum Evangelium non solum in occulto, sed in publico prædicandum; quia sicut istud continet infallibilem

veritatem, ita imago Christi crucifixi repræsentat auctorem nostræ salutis. & in Trident. 23 in decreto de sacris imaginibus ait: *illud vero diligenter doceant Episcopi per Historias nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei.* ubi sub universali expresse comprehendit imaginem Crucifixi. ista ergo non est occultanda, sed anxie & summa cura publicanda, tanquam medium ad populi eruditionem & confirmationem in fide Catholica. quare subesse nequit ratio prudentialis, nisi mere politica & Diabolica, quod imago Christi gloriosi exeat in publicum, & maneat in occulto imago Christi patientis; omnes Christi imagines egregie comprehendit sanctus Gregorius Magnus epistola 154 ad Secundinum, quæ habetur libro septimo epistol. in dictione secunda: *imagines quas rogasti misimus. valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras. imaginem Salvatoris nostri quæris, ut in ejus amore recalescas, & nos illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in Throno sedentem recordamur, & ut nobis per ipsam picturam ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.* hæc ille.

At dicet aliquis ex illis Missionariis, quod ipsi non occultant imaginem Christi patientis quia velint, quod non veneretur & adoretur: hoc enim ipsi, ut vere Catholici fatentur cum Gregorio, & Tridentin. & Synodo 8. sed ideo occultant, ut vitent inconvenientia, quæ sequi possunt apud illos infideles, ut retrahantur à fide & Religionem Catholicam contemnant: hoc enim videtur licitum ex natura rei. sed hæc,ut dixi,est prudentia mere humana,politica & opposita veræ doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ; quia sicut non est in fidelibus occultandum mysterium crucis, etiamsi illis videatur stultitia, ita neque ejus imago; aut si pictura Christi patientis, ut in sepulchro abscondunt, abscondenda est etiam ejusdem mysterii lectura, & sic à symbolo, quod Missionarii tenentur edocere & Catechumeni scire, abstergenda & occultanda illa particula *crucifixus, mortuus & sepultus.* quod si in lectura & scripto auferri nequit, ut ad tempus occultetur, ita nec pictura ejusdem mysterii Redemptionis nostræ occultanda erit. hæc enim excitat devotionem & reverentiam in mysterium creditum, ut tradunt Patres & Concilia contra Iconoclastas Hæreticos.

Et quidem miror, quod præfati Missionarii lingua Sinensi ediderint impressum Catechismum omnia mysteria passionis Christi continentem, etiam mortis & crucifixionis, & tamen in Ecclesiis suis pictam imaginem Christi crucifixi non habeant, sed occultent, & occultandam ab aliis curent. ut enim ajunt Patres & Concilia,*quod doctis est Scriptura, indoctis est pictura.* Synodus 8, & Tridenti. ubi supra; sanctus Gregorius lib.9, epistola 9. & refertur in capite Perlatum. de consecratione,dist.3. *nam quod legentibus Scriptura, hoc Idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt, ut & præcipue gentibus pro lectione pictura est.* unde manifestum est, quod si legentibus judicant isti Missionarii proficere librum scriptum tractantem de Christo patiente, etiam judicare debent proficere doctis & idiotis imaginem Crucifixi; & sic illam ab Ecclesiis & à publicis locis exulare non debent, quod erit toti Ecclesiæ magnum scandalum. hujus veritatis rationem reddidere sanctus Thomas in 3.distinctio.9, quæst.1, artic.2 ad 2. Basilius & alii Patres, quia *ex visis efficacius excitatur affectus, quam ex auditis.*

Vnde quamvis præfati Missionarii bono zelo ab Ecclesiis excludant crucifixi imaginem, tamen non est secundum scientiam. de illisque videtur Prophetice loqui sanctus Paulus, & egregie ipsos redarguit sanctus Gregorius epistola 9 citata, alloquens Severum Episcopum Massiliensem: *perlatum* (ait) *ad nos erat, quod inconsiderato zelo succensus sanctas imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari* (latria) *debuissent, confregeris, & quidem eas adorare vetuisses, omnino laudamus, fregisse vero reprehendimus. sic frater à quo factum Sacerdote auditum est, quod fecisti? si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis fratribus solum te sanctum esse crederes & sapientem? aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ Historiam, quid sit adorandum addiscere. unde & præcipue gentibus pro lectione pictura est.*

Ex quibus verbis manifeste convincuntur qui contrarium practicarunt, cum non parva injuria Religionis Christianæ. quis Prædicator Apostolicus unquam,etiam Idololatris & Gentilibus, instruens imaginem Christi crucifixi, cujus fidem & Euangelium prædicat, abscondit? quis unquam tale factum audivit ab Apostolis & cæteris Missionariis à principio Ecclesiæ? si non aliud, hoc solum debebat eos revocare: si enim nullus Catholicus Prædicator erubuit Euangelium, Christi mortem & passionem Gentibus prædicare, cur erubescet & Historiam passionis pingere, & pictam publice ostendere? ne solus sibi sapiens esse videatur.

Hinc est, quod imago Christi crucifixi tot edidit miracula, tot conversiones fecit, quas refert Beatus Athanasius, cujus verba referuntur in secundo Concilio Nicæno act.4,ex integro libro satis eleganti, quem ante 1200 annos conscripsit, & Historiam refert accidisse in Beryto civitate sita inter fines Tyri & Sidonis, dicens: *quod ad illius crucifixæ imagines aspectum,& miracula & prodigia,quæ faciebat, omnes Principes Sacerdotum & seniores & omnis turba Iudæorum parvulorum & majorum & mulierum,videntes quæ facta fuerant in illa imagine Christi denuo crucifixa, crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* hanc autem Christi crucifixi imaginem, ut ibidem hagiographice refertur, factam fuisse propriis manibus à Nicodemo Christi discipulo, qui moriens Gamalieli eam testamento reliquit, & iste aliis legatam reliquit, & sic conservata est Hierosolymis usque ad ejus excidium factum à Tito & Vespasiano, ante quod biennii spatio possidentes cimelium pretiosum admoniti ab Spiritu Sancto, simul cum aliis Ecclesiasticis supellectilibus ad Syriam usque transtulerunt. Si ergo Christi crucifixi imago tot obstinatorum Iudæorum conversiones operata est, cur dum prædicatur Euangelium gentibus est occultanda & exulanda ab Ecclesiis inter illas erectis? imo potius publicanda, prædicanda, præconizanda est, & contrarium magis redolet Missionarium politicum,quam Catholicum.

Et quidem qui fieri potest, quod imago Crucis ex traditione Ecclesiæ, ut vidimus ex Tertulliano & Cyrillo, semper præ manibus sit habenda, & in omni Ecclesia collocanda publice, quam testatur Baronius tomo primo ann.52. fuisse consuetudinem inter Catholicos ab ipsis Apostolorum temporibus in memoriam Christi Redemptoris nostri, & tam apud Iudæos, quam gentiles fuisse salutis insigne, & ea utantur isti contra quos agimus, & quod Christi in ea crucifixi imago eliminetur à publicis congressibus, cum crux non solum adoretur, quia instrumentum passionis, sed quia Christum in ea clavis affixum nobis

nobis proponit. Cur ergo si crux publice admittitur Christus ab ea pendens ejicitur à publico aspectu? de hoc iterum in fine resolutionis.

Dico 2. de Mysterio crucis Christi, hoc est de Christo patiente in cruce, ante baptismum est quilibet gentilis Catechizandus, & contrarium est error in fide contra sacram Scripturam & traditionem Ecclesiæ: hujus conclusionis rationem fundamentalem tradit Angelicus Doctor, quæ antequam alia inducamus præ oculis est habenda. sic enim loquitur Divus Thomas lectione tertia ad cap. 1, epistola 1 ad Corinthios ad illa verba num. 18, *verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est*, *tunc autem* (inquit) *maxime modus docendi est materiæ incongruus*, *quando per talem modum destruitur id, quod est principale in materia illo. principale autem in doctrina fidei Christianæ est salus per crucem Christi facta. unde cap. 2 n. 3, dicit: non judicavi aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. qui autem principaliter innititur in dicendo in sapientia verbi, quantum in ea est evacuat crucem Christi. ergo docere in sapientia verbi non est modus conveniens fidei Christianæ.* hactenus Divus Thomas. atque ita Christus crucifixus cum sit principale in fide Christiana, de illo mysterio catechumeni ante baptismum catechizandi & instruendi sunt expresse, ut capaces sint aquæ salutaris; & Missionarii Euangelii postposita omni humana prudentia, aut sapienti discursu naturalis rationis, stulti propter Christum facti, sicut & ipsa crux stultitia est gentibus, inter has nihil aliud principalius debent scire & prædicare, nisi *Christum crucifixum*, *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* quod ipsemet explicat num. 18, *verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt*, *id est nobis*, *Dei virtus est.*

Et quidem ut Missionarii isti agnoscant, quod non quia Chinenses Idololatræ Christi crucifixi mysterium stultitiam dicant & scandalizentur, ideo desistere debent aut supprimere veritatem crucifixi adeo necessariam, sed sibi quod in eo est virtus Dei, qui prædicatus non tam gloriosus, quam crucifixus & patiens pro nobis magnum faciet progressum, sicut antiquitus fecit. audiant Chrysostom. homil. 4 ad præfatum Pauli locum, ubi aliquantulum ante finem sic loquitur: *dicere quod non sunt Dii qui coluntur*, *sed Dæmones*, *quod qui in crucem actus*, *est Deus*, *scitis quantum accenderit iram*, *quantum fecit luere supplicium quantum excitaverit bellum. Etenim apud eos Protagoras*, *quoniam ausus est dicere novi Deos*, *atqui id ausus est dicere non solum orbem terræ non abiens in eo prædicans*, *sed in una civitate*, *in extremum venit periculum*; *& Diagoras & Diodorus*, *quamvis amicos haberent & dicendi facultate essent præditi*, *& haberentur in admiratione propter Philosophiam*, *nihil tamen eorum eos juvit. magnus quoque Socrates*, *qui omnes qui apud eum erant*, *vincebat Philosophia*, *propterea bibit cicutam*, *quod in his quæ dicebat de Diis*, *venerat in suspicionem quod aliquid transmoveret. si autem sola quam de his conceperant opinio innovationis tantum attulit periculum Philosophis & Sapientibus*, *& qui ab innumerabilibus fuerant culti & observati*, *non solum non potuerunt efficere quod volebant*, *sed ipsi & vitam & patriam amiserunt: quemadmodum non admiraris & obstupescis cum videas piscatorem in orbe terrarum tanta fecisse*, *& ea in quibus studium posuit præclare gessisse*, *& superasse omnes Barbaros & Græcos? at isti non inducebant Deos alienos sicut ille. verum hoc dicis maxime mirandum*, *quoniam duplex est innovatio*, *nempe & eos qui erant tollere*, *& crucifixum annunciare. unde enim eis venit in mentem ea prædicare. unde de suo fine audenti & confidenti esse animo? Quosnam ex his*, *qui præcesserunt ejusmodi aliquid egisse potuerunt videre? nonne omnes adorabant Dæmones? nonne omnes elementa in Deos referebant? nonne erat diversus ac varius modus impietatis & Religionis? sed tamen omnia sunt aggressi & omnia fregerunt & brevi tempore omnem orbem terræ tanquam alati percurrerunt*, *non pericula reputantes*, *non mortem*, *non rei difficultatem*, *non suam pravitatem*, *non multitudinem adversariorum*, *non eorum*, *qui bellum gerebant*, *potestatem*, *vires & sapientiam. In his enim omnibus habebant copias auxiliares ejus*, *qui in crucem actus fuerat.* hactenus Os aureum.

In his enim & instructionem Apostolicam, & solatium habent Missionarii in *Chinarum* instructione, quia Christus crucifixus edocendus est catechumenis ante baptismum, sicut quod Dii gentium sunt Dæmonia. solatium in efficacia crucifixi, in qua nixi pauci Apostoli totum orbem converterunt ad fidem Christi, persuadentes (ait doctus Cornelius ibi num. suo 30.) *Doctrinam non de Deo glorioso, sed crucifixo, eoque Salvatore credendo & adorando, legemque Christi naturæ & carni non gratam, sed repugnantem.*

Et quidem quod Christus crucifixus & crucis mysterium edocendum sit ante baptismum, constat, quia est traditio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis Magistris edocta: Symbolum enim fidei, quod credere tenentur catechumeni, hoc mysterium exprimit. quare nulla humana ratione ejus veritas supprimenda. hunc catechizandi modum nos edocuit Spiritus sanctus dum sua speciali providentia disposuit, ut Eunuchus ille Reginæ Candaces Actorum 8, num. 32, illum locum Isaiæ cap. 53, quod est totum de Christi passione legeret, *tanquam ovis ad occisionem ductus est.* ex quo Philippus sumpsit occasionem Eunuchum catechizandi ut Baptismi aquam reciperet, & sic incepit edocere & prædicare Iesum crucifixum antequam aqua Baptismi ipsum ablueret. Vnde ex sententia omnium Patrum catechismus de Christi passione præire debet baptismo, ut baptizandus de illa tanquam de re omnino necessaria ad salutem præilluminetur. sic omnes quotquot de catechizandis rudibus & infidelibus tractarunt; sic sanctus Clemens epistola tertia; Dionysius capite secundo de Ecclesiastica Hierarchia; Hieronymus in capite 28 Matth. Augustinus libro de fide & symbolo, & libro de catechizandis rudibus; Beda in cap. 11 libri secundi Esdræ; Amalarius libro primo de Ecclesiasticis officiis cap. 8. Durandus lib. 6 rational. cap. 56. Cyrillus Hierosolym. catechesi. 1 & 2. Ambrosius lib. de initiandis; ex recentioribus Bellarminus in catechesi; Possevinus lib. 4 Biblioth. cap. 6, 7, & 8. unde sanctus Ireneus lib. 4, cap. 40, loquens de hoc eunucho dicit, quod cum esset instructus & præcatechizatus à Prophetis quorum scripta venerabatur, ut aquam Baptismi reciperet solum indigebat catechismo de Christo crucifixo, quod facile ei suasit credere eum esse Christum Iesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & passus est, quæcumque dixit Propheta, eumque esse filium Dei: quo credito statim baptizavit eum & recessit. & capite 42, ideo explicat illud Apostoli 1 ad Corinthios 15, num. 10, plus illis omnibus laboravi, *quia* (inquit) *illis facilis fuit catechizatio*, *cum ex Scripturis haberent ostensiones*, *& qui Moysem & Prophetas audiebant facile recipiebant fidem.* & infra: *quapropter plus laboravit qui inter gentes Apostolatum acceperat quam hi*, *qui in circumcisione præconizabant filium Dei: illos enim adjuvabant Scripturæ; hunc vero* (Paulum) *peregrina quædam eruditio & nova doctrina*, *Deos gentium non solum non esse Deos*, *sed & Idola esse Dæmoniorum. esse autem unum Deum qui est super omnem principatum & dominationem & potestatem*, *& hujus verbum naturaliter*

liter quidem invisibile, visibilem, palpabilem in hominibus factum, & usque ad mortem descendisse, mortem autem Crucis, & eos qui in eum credunt incorruptibiles & impassibiles futuros, & percipere regnum cælorum. & hæc sermone prædicabatur gentibus sine Scripturis; quapropter & plus laborarunt qui inter gentes prædicabant. hactenus Irenæus, qui modum, quem Apostoli observabant in prædicando Euangelio gentibus, eas catechizando, nobis ab oculis proponit, à quo discedere piaculum magnum & scandalum in Ecclesia est.

Hoc totum prædixit Hieremias Threnorum capite 4, num. 2, *Spiritus oris nostri Christus Dominus, cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus.* ubi prophetice agit Propheta de Christo crucifixo & patiente, de quo lamentatur, ad quem respicit Hieremias tanquam ad clausulam & catastrophen suarum lamentationum. Ita sanctus Clemens, Ireneus, Iustinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, & Olympiodorus. alii quos refert Christophorus de Castro ibi. quamvis enim Historialiter sit sermo de Iosia vel Sedecia, tamen negari nequit quod prophetice intelligatur de Christo patiente, quem dicit Propheta *Spiritum oris*, quia Christus crucifixus in ore prædicantium est Spiritus quo disseminant Euangelium, & sub cujus umbra inter gentes, dum euangelizabunt, vivent. & sine tali Spiritu oris nequeunt cum fructu prædicare; Audi Gregorium in glossa ordinaria: *Christus crucifixus sub umbra passionis nos protegit, qua alis in cruce extensis caro ejus nobis umbra fuit, crux quasi tribunal judicis præsignavit*, &c. ergo protegantur Missionarii sub umbra Christi crucifixi, dum Euangelium gentibus & infidelibus prædicant, non timeant scandalum, nec quod reputetur stultitia. hoc enim jam prævidit Apostolus, & tamen dicebat, *se nihil scire inter gentes, nisi Christum crucifixum* quem prædicabat, & de cujus mysterio illos instruebat & catechizabat. Audi Lyram ad cap. 15 Matth. num. 13, *finite eos, cæci sunt & duces cæcorum.* ubi sic eleganter ad propositum loquitur: *veritas vitæ, justitiæ & doctrinæ non est dimittenda propter scandalum aliorum, quia hoc procedit ex malitia ipsius scandalizati. unde dicit Beatus Gregorius: si de veritate scandalum oritur, rectius oriri permittitur, quam quod veritas relinquatur.*

Hoc Christi crucifixi catechismo instruere curavit Dominus, illum nostros edocens, ab origine creaturæ proponens nobis occisionem, mactationem, & sacrificium filii sui variis figuris obvolutum, & sacris velaminibus circumtectum. quod dixit Spiritus sanctus in Apocalypsi cap. 13, num. 8. *in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* in suis typis & figuris, ut explicant Ambrosius, Anselmus, Hugo, Ausbertus, & communiter expositores; quia, nisi in fide ipsius, nulli salus contingere potest, antiquis implicita, post adventum ipsius explicita, saltem incarnationis, passionis, & resurrectionis. unde eleganter & vere sanctus Paulinus Nolanus epistola 27 ad Aprum sic fatur: *ab initio seculorum Christus in suis patitur & triumphat. in Abel occisus est à fratre, in Noe irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Ioseph venditus, in Mose expositus & fugatus, in Prophetis lapidatus, in Apostolis terra marique jactatus, in Martyribus & tam varie occisus ipse, & in te patitur opprobria, & ipsum ante odit mundus. sed gratias ipsi, quod vincit cum judicatur, & triumphat in nobis.* hactenus Paulinus. nullus fere fuit in testamento veteri Patriarcha, Propheta, aut Dux, nullum sacrificium, quod non esset imago Christi patientis, & in sacrificio æterno Patri in cruce se offerentis, ut videre licet in sacris expositoribus. unum solum adducam Hugonem Cardinalem ad caput 4 Geneseos, & Apocalyps. 13. num. 8, *Agnus occisus ab origine mundi, id est, in morte Abel præfigurabatur occidi; vel in agno quod immolavit Abel, & hoc ab origine mundi, id est, statim post originem.* Concludo resolutionem verbis Lipomani & Lyræ. iste enim Numerorum 21. num. 8, agens de serpente æneo, quem erexit Moyses ut aspicientes sanarentur à contagio, dicit: *serpens ille significat Christum passurum in cruce, per cujus intuitum sanamur fide & devotione à morsibus satanæ.* quæ est intelligentia omnium Patrum, imo & Christi Domini dicentis: *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* bene ergo dicunt Patres est Ecclesiæ traditio, quod credere exaltationem Christi in cruce, est *principale in fide Christiana.* nequit ergo in catechismo Sinensium & aliorum infidelium supprimi mysterium Christi crucifixi. adjungo egregia Lipomani verba sic loquentis: *si licuit serpentem exaltare coram populo ad Idololatriam prono, cur non licebit nunc Christum in cruce exaltatum depingere & insculpere, ut ex illius imaginis aspectu reducamus ad memoriam immensa beneficia, quæ generi humano in cruce moriens exhibuit.*

Ex quibus omnibus colligitur, quod, cum sit Ecclesiæ traditio catechismus de Christo crucifixo & patiente, nulla est potestas in terra, quæ possit in hoc dispensare, quod omittatur hujus articuli veritas, & edicatur post baptismum, sed ante ipsum necessario est præmittenda, enucleanda, proponenda catechumenis, nisi instans mortis alicujus instet. nam sufficit ut baptizetur, vel quod petat baptismum, & quod credat quod sancta mater Ecclesia Romana tenet, docet, proponit fidelibus credendum, vel quod adsint testes (si baptizandus amisit auditum & loquelam) qui de hac petitione deponant.

Quare contrarium docentes occultandam scilicet esse imaginem crucifixi videntur suspecti de hæresi Gnosticorum, de quibus Epiphan. hæresi 27, *habent imagines per colorem depictas, quidam etiam ex auro & argento & reliqua materia, quas sane imagines Iesu esse dicunt, & sub Pilato factas esse, habent tamen eas occulte.* contra quos videtur Synodus Antiochena ab Apostolis celebrata, in qua est talis canon: *non debere servatos circa idola errare, sed pro eis incontaminatam veri Dei simul & hominis Salvatoris nostri Iesu Christi, & servorum ipsius manibus efformatam imaginem contra idola & Iudæos erigere.* ex quo canone clare habemus gentium Idolomaniæ & Iudæorum superstitioni opponendas Christi & Sanctorum imagines. nulla ergo occultanda est, hunc autem canonem legitime Apostolicum esse demonstrat Turrianus libro primo, pro Canon. Apostol. cap. 25 accidit, quod antiquitus nulla erat Ecclesia, in cujus conspectu publico non esset Crucifixi imago. quod pie & docte tradit Lactantius libro de passione Christi versibus elegantissimis exarato.

RESOLVTIO LXX.

Vtrum gentilitiæ cæremoniæ possint inter Chinenses Christianis permitti, & à Missionariis Catholicis exerceri.

Gentilitia cæremonia multiplex, de qua istam Resolutionem instituo, ut certa ab incertis separemus: alia est pure civilis, & ad urbanitatem pertinens, nec exercetur Religionis ergo, sed solum politiæ causa; alia est, quæ etsi ex civilis honoris motivo fiat, est tamen non circa vivos, sed circa mor-

mortuos in inferno existentes secundum fidem Catholicam. alia est etiam ejusdem generis quæ fit erga Principem & Dominum ejusve imaginem, sed in Ecclesia Catholicorum alia est, quæ fit in venerationem alicujus hominis privati ob insignem ejus doctrinam moralem, non quia ut Deum ipsum venerentur & colant. alia est, quæ immediate fit Idolis, sed non refertur ad Idolum, sed ad imaginem crucis, quam absconditam deferunt, ad quam referunt thurificationem & alia quæ ex lege sua tenentur Idolo offerre. & de his omnibus ordine retrogrado agendum, & vera Catholicorum & Ecclesiæ proponenda juxta venerandam Patrum & virorum Apostolicorum canitiem.

§. 1. *Licetne coram populo in templis & fanis Idolorum sacrificia, quæ ab Idololatris fiunt, ipsa dirigendo ad crucem quæ in occulto sit, impune offerre?*

HOc punctum late discussi in tractatu de delictis generantibus suspicionem in fide, videturque fundari in illa sententia Lessii & aliorum, quod licita sit in humano convictu sermonis æquivocatio, & mentalis restrictio coarctans vocum communem significationem, ut fugiant mendacium in locutione. quam doctrinam etiam impugnavi in meis tomis tractatuum moralium in speciali tractatu, ibique, ni fallor, manifeste ostendi hanc opinionem esse contra Augustinum in libris de mendacio, & contra mendacium: ut enim hoc fugiant & fucatam defendant veritatem; & suam veracitatem antiquis omnibus incognitam tueantur, titulum gloriosum & splendidum illius defensionis apologeticæ in libris ponunt, sicut fecit Theophilus Raynaudus, qui apologiæ in tutamen Lessii contra Barnesium sic cognominavit: *splendor veritatis moralis*, quæ auctore Raynaudo lucem vidit, & adjuncta est libro Lessii de Iustitia & Iure, impressa Antverpiæ anno 1620. & prius mandavit prælo Frater Emonerius Ordinis Minorum Convent. S. I. D. anno 1627. contra hunc titulum de opinione nova invictum quadrant ea, quæ ipse in aditu ad disputationem num. 8. contra Barnesium, qui se Philalethem nominat, ex Hilario lib. 6 de Trinit. initio: *ingerunt nobis primum nomine splendorem veritatis, ut virus falsitatis introeat:* quod Augustinus lib. contra Epistolam Firmiani cap. 11 nuncupat, *ornatam januam, qua errores & novitates imperitorum animis latenter irrepunt.*

DIGRESSIO VI.

De amphibologia vocum earumque mentali restrictione.

QVamvis enim, ut dixi, hujus opinionis suppressio, & oppressio à me sit præstita, & à doctissimo Ioanne Maldero Episcopo Antverpiensi in speciali opusculo contra Lessium & sequaces veritas antiqua propugnata, & falsitas novella expugnata, quia tamen obscurus iste splendor veritatis restrictæ & æquivocæ ad manus meas pervenit, postquam remisi prælo tomos tractatuum moralium, & ex doctrina ista si non impugnetur, maxima absurda sequantur, sitque origo hujus dogmatis pestiferi, quod voluerunt aliqui in conversione Indorum introducere, quod liceat sacrificium idolo offerre & suffumigationes, adorationes externas facere, dummodo per restrictionem mentalem omnia hæc referantur ad crucem, quam occultam habent in palma manus, aut inter flores superimpositos altari idoli. operæ pretium judicavi hanc restrictionem vocum pure mentalem à fundamentis evertere. quod præstabo hac digressione, quam spero non parum utilitatis allaturam, ut veritatis lux splendeat.

SECTIO I. *Sententia Emoneri Raynaudi.*

IGitur Emonerus in splendore suæ veritatis, in aditu ad disputationem n. 10. sic in summa suam proponit opinionis mentem, exprimitque sententiam: *in publica commoda contulisse aliquid videbimur, si tutam illam declinandorum tam multiplicium lapsuum viam aperuerimus, unaque Lessii, in quem Barnesius præcipue conniscat, doctrinæ soliditatem demonstraverimus. quod assecuturi commode videremur, si dilucide exponamus tria illa quæ disputationis epigraphe prætulit, veritatis inquam splendorem & inextinctum semper ac fulgentissimum jubar, mendacii è contra tenebras densissimas & noctem æternam, locutionum denique ambiguarum, aut ex parte suppressarum nubilum, sive, ut Cassianus collatione 17. cap. 17 appellat, nubeculam seu lucem obscuritate permixtam, id est, implexitatem aliquando quidem vitiosam; alias culpa & labe vacantem: nam si hujusmodi locutionibus virtus aliqua à veritate & simplicitate distincta interdicat, ut fides, ut Religio, ut obedientia superiori aut Magistratui debita in judicio vel extra judicium, ut justitia alia, vel alicujus modi aliqua virtus, improbandæ sunt ac damnandæ.*

Si idem silentibus illis virtutibus collocutioni veluti extraneis, sola autem veritate & simplicitate ad candide loquendum urgente, desit idonea causa ad usurpandas locutiones illas aut ambiguas aut ex parte suppressas, illicitæ sunt & fugiendæ, tanquam mendacium continentes, & aliqua labis veluti aspergine sordentes. at si virtutibus illis locutioni quasi extraneis non urgentibus, idonea autem aliqua causa interveniente, puta gravi damno alioqui secuturo, ad implexitatem istam locutionum sive ambiguarum, sive ex parte suppressarum adigaris, nihil præstas probo homine, nihil virtutis studioso indignum, ambigue vel restricte loquendo, justa necessitate nubilum illud collustrante, & vitium quod alias intervenerit dispellente. hæc est summula hujus disputationis.

Ex qua occasionem absque dubio sumpserunt Missionarii illi Sinarum ad introducendum inter illas gentes licitam esse in factis æquivocationem & mentalem restrictionem, ita quod quamvis fumigatio, prostratio, ad terram usque genuflexo exterior ad Idolum externe referatur ex institutione & lege Idololatrica inter illas gentes recepta, tamen mentali directione excluditur à labe Idololatriæ, ab illaque purgata ad crucem in occulto positam, quia, nisi illa cæremonia exterius fiat coram Idolo, exponitur homo magno damno amissionis officii, & vitæ manifesto periculo; propter quod vitandum docent licitam esse hanc Religionis simulationem æquivocatione & facti ambiguitate, quam inducit mentalis restrictio. sicut ex sententia Lessii, aliqua idonea causa veniente, si quis adigatur, potest uti in verbis restrictione mentali, quod multo melius poterit in factis externis.

Verum enimvero contra hanc illationem egregie insurgit Emonerius Raynaudus cap. 4, num. 8, cujus verba, quia erudita & totam complectentia materiam, ad verbum traduco (ubi enim bene pauci elegantius) ut ex ipsiusmet doctrina ipsum in aliis materiis præcludam, ait igitur: *Inprimis in negotio fidei divinæ illicitum est errorem verbotenus quomodolibet profiteri, adhibita locutione ambigua vel mente restricta, præsertim*

fertim, si propter debitum fidei exterius profitendæ urgeret præceptum vitandi scandalum proximis circa fidem ingenerandum, vel honoris divini substructionem quasi contrariam. neque injuria veræ fidei declinaretur ambigua vel restricta locutione, qua error ille veræ fidei contrarius obvolveretur; sed aperte & candide quod corde creditur ad justitiam, ore confitendum est ad salutem: non quod semper sit necesse profiteri fidem exterius actu positivo, sed quod illicitum semper sit & virtuti fidei adversans, verbis aut quomodolibet aliter profiteri fidem veræ fidei contrariam, quæcumque subintellectio vel ambiguitas verborum adhibeatur.

Quod late confirmat Valentia 22. disp. 1, quæstio. 3, punct. 2, dub. 4. Sanchez in decalog. lib. 2, cap. 4, num. 14, spectantque eodem quæ habet Chrysostomus homil. 15 imperfecti. Hugo Victorinus tom. 3, lib. 1 Miscellan. titul. 79, epist. ad Archiepiscopum Hispalensem, qui fidem exterius negaverat; & quæ habet in simili argumento Campianus epistola ad Rohardum Episcopum Glocertiensem; legenda item quæ Divus Augustinus 6 de Civit. cap. 10, disputat contra perniciosam simulationem quam Seneca libro de superstitione, cujus ibi fragmentum refert Augustinus, concedebat sapientibus, quoad ethnicismum & spurca numina, quorum eo tempore superstitio vigebat; quo eodem modo Origines libro septimo contra Celsum, fere in fine adducta ex Celso Heracliti sententia, qua pronunciabantur stulte facere, qui simulacris falsorum numinum preces offerebant, nisi deos & heroas nossent quinam essent, subdit sugillans Celsum de Epicuri grege Philosophum, non eos tantum stulte ac impie fecere quos ex Heraclito damnaverat, sed eos quoque qui eos simulant vulgi opinionibus se attemperantes: quod faciunt (inquit) Philosophi Peripatetici, & qui sectantur sectam Epicuri & Democriti: nihil enim adulterinum debet esse in anima vere pia erga Deum Optimum Maximum, nihil adulterinum, id est, nihil simulatum, nihil non solidum & introrsum pervadens. Sed extrinsecum tantum facie & veluti in extima crusta, tale non admittit in fide & Religionis causa Origenes.

Hunc fuisse jam olim Christianorum sensum discimus ex Epicteto apud Arrianum lib. 2. cap. 9. ubi sub Judæorum nomine de Christianis agens ita loquitur adversus eos, qui ostentabant solis verbis Philosophiam, Curios simulantes & viventes bacchanalia: quando conspexerimus aliquem incertarum partium, atque ancipite fide, dicere solemus Iudæus non est, sed simulat; cum autem affectum induit baptizati & inter sectatores asciti, tum revera est & appellatur Iudæus, ita nos quoque Parabaptistæ sumus & non legitime tincti, duro quisque verbo tenus dumtaxat Iudæus, re autem vera aliud quid existit. affectum baptizati nominat apertam illam atque sinceram fidei suæ professionem, sine ambagibus ullis aut vacillatione, qualem hic ipse de Christianis alibi refert.

Iisdemque patrocinatus Celsus apud Originem libro primo, non multum ab initio, approbat quod in ea fide quam veram rebantur persistarent inconcussi, nihil dissimulantes aut negantes ob intenta supplicia, omnem fictionem negationemque in fidei negotio damnans. Illustre etiam est quod de Constantio, Magni Constantini Patre, Diocletiani in Imperio Collega, refertur ab Eusebio lib. 1 de vita Constantini, cap. 11, nimirum renunciatos ab eo Dei proditores & à palatio procul ablegatos quosdam, qui metu privationis bonorum, aut tormentorum, Ethnicos se è Christianis vel finxissent, vel præstitissent: negans fidem erga terrenum Imperatorem inviolatam servaturos qui fidem Deo ipsi datam syncere profiteri Erubuissent. quod Imperatoris nondum Christiani insigne factum æmulatus est, cum laude Theodoricus Rex Gothorum apud Niceph. lib. 16. cap. 35. itaque inimicis nostris Judicibus in rebus fidei est aperte & candide loquendum.

Ratio vero breviter est, quia datur in hoc negotio præceptum negativum, quæcumque verba, aut aliam falsæ fidei professionem interdicens, cujus præcepti originem radicitus educere spectat ad alium locum, consule Auctores allegatos, & quos illi in eandem sententiam allegant. breviter igitur concludo in hanc ambiguæ vel restrictæ locutioni implantatam erroris professionem apte cadere, quod à Basilio scriptum est, Orat. in Gordium Martyrem: manifesta insania est, cum artificio perire. hactenus ille, num. 4. satis perpolite contra introductionem illam Missionariorum.

Numero vero quinto, fatetur, *etiam in judicio Sacramentali fori pœnitentiæ, nefas esse & contrarium virtuti Religionis, peccatum quod sit materia pœnitentiæ necessaria diffiteri per restrictionem mentalem vel æquivocationem, ostendendo incommodum erubescentiæ ex simplici ac plena detectione consecuturæ: sic enim confessio non esset formaliter integra atque adeo, quia quod non novit medicina, non curat, peccatum ambagibus illis obvolutum non perpetretur à judice hujus fori, ac proinde non comprehenderetur in ejus sententia, quæ non potest directe cadere in incognitum, ut per se evidens est.*

Et numero sexto, limitat. 3. *in judicio externo sive Ecclesiastico, sive seculari, cum judex debite, & his servatis quæ recepto jure præscribuntur, interrogat reum, virtus Iustitiæ & debita ad superiorem subjectio obligat reum, ut candide & aperte respondeat, absque usu restrictionum mentalium vel æquivocationum, etiamsi interrogatio fiat in ordine ad ipsius rei gravamen & punitionem.*

Et num. 11, limitat. 4. *non posse uti æquivocatione aut restrictione mentali, cum virtus Iustitiæ mandat perspicuam & apertam locutionem, passuram dispendium, nisi candide & absque ambagibus agatur, propterea quod Doctores nominatim advertunt eum, qui fictis ineundi postea conjugii promissis aliena pudicitiæ florem delibat, non posse perfidiam suam contegere involucris verborum; nec posse existimare nihil à se contra veracitatem admissum, quod non intenderit se obstringere, sed verbis suis subintellectionem aliquam mente retentam, aut ambiguitatem adjunxerit: ajunt enim nihilominus eum non turpem modo esse castitate violata, sed etiam violatione justitiæ injuriam personæ deceptæ ac fœdatæ, tandemque locutionis ambiguæ vel restrictæ usurpatione indebita simplicitatis in loquendo corruptorem censendum esse.*

Et tandem numero decimo tertio, limitat. 5, *in fœderibus & pactis publicis: virtus enim illa, quæ adstringit ad prospiciendum paci publicæ, & evertenda infinita mala, quæ ex fœderum dolosa pactione & infractione sequerentur, adstringit etiam ad simpliciter & candide sine velis ambagibus atque subintellectionibus tacitis, vel æquivocationibus paciscendum. multoque magis ad pactum semel rite initum, cujus observatio peccato vacet, constanter & firmiter observandum, juxta illud Augustin. epist. 207, fides quando promittitur etiam hosti servanda est, contra quem bellum gerat.* hactenus ex Raynaudo.

SECTIO II. *Impugnatur manifeste Emone-Raynaudus.*

MIra antithesi Divus Augustinus tractatu quadragesimo secundo in Ioann. mendacii patrem cum Deo componit, ut quemadmodum Deus Pater genuit Filium veritatem, sic Diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium, ut veritate fucata, & illius splendore ementito ornaret & spectabilem faceret mundo æquivocationes vocum, earum restrictionem mentalem & amphibologias propugnat, ut iterum introducat filium suum in Orbem terrarum, ipsumque Catholici venerentur sub figura veritatis.

ritatis. *Verum enimvero veritas semper vicit & vincet contra fictionem, contra inusitatam hominibus æquivocationem & occultam humano convictui mentalem restrictionem; quem humanum convictum & societatem respicit veritas aut veracitas, cujus honestas teste Divo Thoma 2. 2. quæst. 109. in eo sita est, ut verba nostra vel facta debite ordinentur ad aliquid, sicut signum ad signatum, ut debito quod humana Societas & conversatio postulat satisfiat. unde hujus virtutis munus est curare veritatem in signis externis, quibus aliquid alteri significamus, procurantes conformitatem horum signorum externorum & mentis. alias pessum iret civilis societas, & actum esset de humana conversatione.

Igitur contra hunc novum mentalem restrictionem (nullus enim tale dixit, nisi à tempore Lessii, nisi ex communi usu in modo loquendi tale signatum posset cognosci. quidquid magnam authorum congeriem inducat Emone-Raynaudus) argumentor primo ex his, quæ ab eo dicta ad verbum retulimus, quia in casibus quos enumerat confessionis fidei, & in judicio fori pœnitentiæ, in judicio externo, dum quis à judice juridice interrogatur, quando intervenit obligatio Iustitiæ, & tandem in fœderibus & pactis publicis, in his, inquam, casibus, non est licita æquivocatio, Amphibologia aut mentalis restrictio; sed syncere & aperte est declaranda veritas. quod adeo certum est, ut contrarium in multis in his casibus sit error, & in omnibus magna temeritas. in his ergo inquiro, si quis utatur æquivocatione aut restrictione mentali interrogatus sub juramento, vel ipse voluntarie jurans, aut erit perjurus aut solum peccabit contra virtutes, fidei, Religionis, justitiæ, & aliarum inclinantium ad aperiendam syncere veritatem. de hoc ultimo nullus dubitabit; & primum omnis Catholicus admittit. si ergo perjurius est, dubio procul adducit Deum in testem mendacii. ergo mentitur, atque ita mentalis restrictio manifestissime mendacium est. quod enim virtus fidei, Religionis & Iustitiæ ad non restringendum mentaliter in suo negocio obliget, ideo est quod in materia gravi obligat ad non mentiendum: si enim mentalis restrictio non esset mendacium, jurare in ipsius confirmationem in quacumque materia non esset perjurium; quia, ut ait Divus Thomas, quem omnes Catholici sequuntur, 2. 2. quæst. 98, articul. 1, in corp. *à falsitate præcipue specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur, & ideo falsitas est de ratione perjurii.*

Vrgetur hoc argumentum, quod, me quidem judice, evincit Emone-Raynaudum ex doctrina certissima. Dominus quidem Cajetanus ibi art. 2. §. & ut melius: *Advertendum* (inquit) *est, quod juramentum habet duplicem vim, scilicet testificativam & obligativam: inter quas hæc est differentia, quod vis testificativa est juramento essentialis: nam jurare est Deum in testem invocare; & hæc via testificativa indifferenter se habet ad quamcumque materiam, quoniam respicit directe id, quod est testificabile, quod est quodcumque verum in quacumque materia unde vis testificativa pertinet ad intellectum & cognitionem testis, cujus est objectum verum; & propterea fit injuria directe Deo, si invocetur testis mendacii.*

Ex qua doctrina, ab omnibus recepta qui bene & sane sentiunt, tale formo argumentum. vel ille qui coram judice, vel exigente justitia legitime interrogatur, & utitur occulta æquivocatione & abstrusa amphibologia aut restrictione mentali sub legitimo juramento, dicit verum aut mentitur. si dicit verum, non est perversus, quia vis testificativa juramenti extenditur ad omne verum testificabile in omni materia; aut mentitur, & sic habemus intentum, quod in omni materia amphibologia, æquivocatio, & ad libitum mentalis restrictio secum habent inseparabile mendacium, & itur contra rationem rectam, ut infra manifeste ostendo.

Sed audiamus quid in communi respondet Emone-Raynaudus, cap. 5, ubi sic egregie loquitur (utinam & ita sermonem concluderet) *Ante omnia ponendum est nemini fas esse, si causa legitima & sufficiens desit, sive æquivocatione & enunciationis ambiguitate præsertim minus recepta & frequenti, sive mentali restrictione uti inter loquendum. hac in parte omnes quos mox referam unanimes sunt; & ratio manifesta suffragatur: Nam aliter se gerere, esset pervertere usum in quem instituta sunt verba, & ad quem loquendi munus divinitus accepimus; omnis colloquiorum & sermonum certitudo, omne humanum commercium, quod verborum trajectu peragitur, convictus denique hominum cum hominibus, atque adeo fructus humanæ societatis tolleretur, dum nemo alteri fidere possit, sed semper merito suspicaretur subesse dolum, & eum secum agit ludere sermonis ambiguitate.* & addit: *quod si non subsit causa prudentis arbitrio sufficiens judicata ad non utendum restrictione mentali, erit culpa non opposita præcepto negativo non mentiendi; est tamen violatio præcepti affirmativi ad veracitatem pertinentis: quo quisque, nisi causa proportionata & justa, aliud concedat, jubetur loqui prout humanus convictus & civilis conversatio postulat. itaque duplex præceptum involvit virtus veritatis: alterum de non mentiendo, & alterum de aperiendo syncere & candide veritatem. qui vero utitur restrictione mentali sine justa causa, non agit contra negativum de non mentiendo, sed contra affirmativum de aperienda candide veritate.*

Ad id vero, quod de perjurio objicimus, quod prorsus adversatur doctrinæ, ut penitus everratur à fidelium mentibus, ejusque demonstratio manifeste deducitur, nihil in speciali respondet; sed cum hoc inconveniens inter plura alia, quæ docte congerit Baronesius, (vir dubio procul doctus & ingenio acutus, quamvis ipsum velit deprimere Raynaudus, sed semper ejus liber est, ut dici solet, *Sileni Alcibiadis)* nihil respondet in particulari, sed in universum satisfacit verbis Augustini contra literas Petiliani cap. 14, quæ sanctus Doctor viperam nuncupat, & illi cum suis dicit Augustinus: *non enim extrinsecus quæro documenta ut vos viperas probem, ecce idipsum vipereum est non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis,* (ò quam bene mentalis restrictionis) *sicut scriptum est, venenum aspidum sub labiis eorum.* quare cum ad hoc inconveniens nihil in speciali respondeat, illud devorare videtur.

Rursus duplex istud præceptum, negativum unum, & affirmativum alterum, quod secum adducit virtus veracitatis, inauditum est antiquis Scriptoribus & incognitum. unde sanctus Thomas, qui diligentissime egit de virtutibus & vitiis oppositis cum qu. 109, agat de virtute veracitatis seu veritatis, nullum aliud agnovit præceptum, nisi negativum, quo prohibetur mendacium; de quo agit qu. 111. & de jactantia quæ est vitium oppositum veracitati, quatenus aliquis effert se supra id, quod in ipso est; & sic est quoddam mendacium, ut dicit quæst. 112. artic. 3, & quæst. 113, ubi agit de ironia per quam quis minora de se fingit, & hæc etiam est peccatum mendacii, ut dicit Augustinus relatus 2. 2. quæst. 2, cap. 9. ita & Gregorius libro vigesimo sexto Moralium cap. 2. ecce ubi sanctus Doctor nullum agnovit vitium oppositum veritati, nisi mendacium; ac

per consequens non est præceptum inductum à veracitate, nisi negativum: nam positivum, quod ponit Raynaudus, est confictum quid ad evadendas difficultates quas novitas opinionis istius secum trahit. & si est aliquod præceptum affirmativum, ad candide loquendum, quod admittunt aliqui, secum trahit inseparabiliter præceptum negativum de non mentiendo.

Vt autem & energia modi loquendi Patrum in hac quæstione, & vis argumentorum clarescat, & inefficacia rationem Raynaudi; & insuper ut luce clarius appareat, quam superficialiter intellexerit Auctores, quorum catervam convocavit, notandum, quod, ut ait Divus Thomas quæst. 110, citat. art. 1, & sequitur universa Patrum sententia: *mentiri est contra mentem ire*, quia aliud in mente, aliud in verbis, quam quod debebat esse, inest. at dicit Emone-Raynaudus cap. 5, num. 6 & 10, quod licet illicita & sine causa facta mentalis restrictio aut subintellectio supposita notioni vocis, sitque in eo loquendi modo iniqua quædam astutia, & illicita audientis circumventio veritati dissentanea interveniat, deest tamen mendacium proprie dictum: quia tamen hæc mentalis restrictio talis est, eadem sequantur incommoda atque ex mendacio; quamvis à mendacii natura & specie sit diversa, mendacio suppar habita est à Patribus, revera tamen mendacium non est, quia, dum quis utitur restrictione ista, non it contra mentem, imo in mente habet id quod per vocem addita restrictione vult signare: sed ô bone Deus! quot subventanea & monstra hucusque inaudita tum à tempore Lessii, vel alterius Auctoris, sequuntur.

I. Quia ex omnium consensu sic *mentiri est contra mentem ire*. atqui jure naturæ non est in ratione, quod est contra rationem. ratio autem naturalis dictat, quod vocibus utamur ea ratione qua sunt institutæ, ut conservetur vere, candide, & syncere convictus & conversatio humana. unde est præceptum negativum non apponendi in ratione & mente restrictionem, qua alio divertantur nominum notiones, ne decipiatur concivis & audiens; & ex hoc præcepto oritur obligatio loquendi & declarandi conceptus nostros candide & syncere: nec ista obligatio diversa est in malitia morali & specifica, opposita præcepto positivo à malitia mendacii opposita præcepto negativo, quia unicum dumtaxat est præceptum negativum non mentiendi. ex quo necessario oritur, quod syncere & candide loquamur, aliasque mentitur, cum non syncere loquatur. sicut ille qui sine causa honesta utitur restrictione mentali, duplicem haberet malitiam, utpote quia mendacium opponitur duplici præcepto, negativo & positivo, quod separabilia sunt.

II. Quia, dum quis vocibus & signis externis prorsus externe immutatis utitur, & relinquit in eis vim movendi auditorem ad illorum notionem, quam habent ex publica Reipublicæ impositione vere & proprie, vadit contra mentem sibi implicans in conceptionibus suis. ergo vere & proprie mentitur, dum utitur restrictione mentali. probatur evidenter, quia dum quis utens authoritate privata, proferens verba in sua significatione (quam non potest immutare, cum sit privata persona) propter quodcumque bonum privatum, etiamsi sit mortis vitatio, quia id quod juridice ex authoritate publica est institutum nulla particularis potestas invertere potest, alias dum intervenit eventurum simile damnum, posset invertere vocum notiones & significationes, (quod asserunt & nihil aliud qui dicunt licitum esse mendacium, non quidem quatenus mendacium est malum morale, nullus enim demens hoc dixit; sed quod licitum sit aliquid dicere contra significatum, quod habent nomina ex communi impositione & usu) quare sicut hoc non potest, ita nec potest invertere per restrictionem mentalem vim nativam vocum ad movendum audientes in significata sua. hæc autem sine restrictione mentali sunt contra mentem loquentis formaliter. ergo etiam apposita restrictione mentali. consequentia est evidens, quia restrictio mentalis est pure interna, nullo modo indicata exterius; & sic est extra ordinem loquentium, sicut & extra ordinem audientium. hoc argumentum evidens est, quod non prævidit Raynaudus; & si prævidit, ejus evidentia convictus, ut Lessium defenderet, tacuit.

Declaratur, quia significatio nominum, si non est ex natura rei & ejus significatio naturalis, sed solum ad placitum, ut est communis sententia, tamen hoc placitum non est particulare, sed totius communitatis cui deserviunt voces ad convictum, commercium, & humanam conversationem & societatem. hanc autem significationem & vim excitativam audientium ad intelligendum conceptus loquentis, quæ ordinata est ad bonum commune, non potest quivis particularis coarctare, aut immutare propter damnum imminens particulare. unde non est solum præceptum affirmativum syncere & candide loquendi; sed negativum non alterandi vim significativam, quam habent à communi institutione. neque enim bonum particulare præferendum est bono communi, quod est bonum divinum, ut ait Philosophus, idque ratio naturalis dictat. quando tamen intervenit damnum boni communis, ex natura significationis impositæ à communitate potest quilibet alius audiens subdubitare, an in tali vocum significatione sit aliqua subintellectio restringens & coarctans significationem à sua præcisa & adæquata notione, & in hoc nullum intervenit mendacium, aut falsitas in significatione, quæ à sua primæva origine & institutione sicut fuit ordinata ad bonum communitatis, ita subintellectio imbibita in illa, quando ex vocum præcisa & adæquata significatione sequitur damnum communitatis, aut impeditur ejus bonum. sicut nullus potest privata auctoritate alium occidere ob malum proprium vitandum, potest tamen ad vitandum damnum commune, si aliter (cum sit proxime imminens) impediri nequit; neque ob damnum illatum potest propria auctoritate hominem interimere, sed id solum facit publica auctoritas.

Restrictores tamen & æquivocantes id quod in est vocibus ex natura suæ institutionis ob bonum commune extendunt ob quodlibet particulare & & privatum, quod sine mendacio & cordis duplicitate fieri nequit. quod loco citato ex Augustino & aliis Patribus manifeste ostendi, & modo non gravabor iterum ostendere, ut falsitas novitatis contrariæ liquido appareat. Audi Augustinum tract. 7 in Ioannem, ad illa verba Christi loquentis de Nathanaele: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est*; ubi sic loquitur: *quid sibi vult, in quo dolus non est? aliquanto intentius quæramus, apparebit modo in nomine Domini, dolum dicit Dominus & omnis, qui verba Latina intelligit, scit, quod dolus est cum aliud agitur, aliud fingitur. intendat charitas vestra: non dolus dolor est, propterea dico, quia multi fratres imperitiores latinitatis loquuntur sic, ut dicant dolus illum torquet, dolor est, dolus fraus est, simulatio est, quando* (notate restrictores) *aliquid aliquis in corde tegit & loquitur aliud, dolus est, & tanquam duo corda habet, unum quasi sinum cordis habet ubi videt veritatem, & alterum sinum ubi concipit mendacium*

dacium; *& ut noveritis hunc esse do'um, dictum est in Psalmis labia dolosa. quid est labia do'osa? in corde & corde locuti sunt ma'a. quid est in corde & corde, nisi duplici corde.* quid clarius? ex quo tale formo evidens argumentum. ubi est duplex cor, est duplex sinus, unus veritatis, & alter falsitatis, id est, unus in quo videt veritatem, alter in quo concipit mendacium. atqui ille qui utitur restrictione mentali, aut æquivocatione aut amphibologia inusitata, etiam apud peritos habet duplex cor, ut fatetur Raynaudus capite quinto, numero septimo; ergo habet duplicem sinum, unum veritatis, alterum mendacii.

Augustinum sequitur Isidorus libro de conflictu virtutum ac vitiorum (qui tomo 9 nomine Augustini inter ejus opera circumfertur) cap. 19, sic ajens: *fallacia & mendacium & ipsa unum dicunt. fallacia autem fit ingenio, mendacium vero simplici verbo* (nota obsecro prudens & Catholice lector, quod fallacia & mendacium unum dicunt, quia fallacia sine mendacio non subsistit) quod autem sit utrumque in substantia idem, quamvis in modo differant (sicut furtum & rapina) enucleat sanctus Doctor: *fallacia igitur* (ait) *dicitur cum in non dando aliquem illudere quærit. quid in petendo moras innectis? non habeo quod tibi tribuere possim, celans utique in corde quæ habet, vel quod sibi conservat, quod aliis voluntate tribuat. mendacium dicit, omnino quod postulas non habeo, scilicet non artificioso ingenio sicut fallacia, sed simplici negationis verbo frustratur poscentem. sed veritas ad utramque respondet non artificioso ingenio, sicut fallacia; nec simplici verbo oportet decipere quemquam, quia quolibet artis modo mentiatur os quod mentitur, occidet animam; & omnibus mentientibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.* hactenus ibi.

Vide obsecro quo modo Isidorus distinguit hic duos mentiendi modos: unum dicit fallaciam quæ *ingenio & arte fit*, per restrictionem mentalem, ut ipsemet Raynaudus fatetur ubi supra; alterum, *simplici verbo* sine artificio. & de utroque concludit dicens, *quolibet artis modo mentiatur os quod mentitur, occidet animam*, & tam qui fallit, quam qui mentitur, omnes mendaces sunt, quia tam mendaces simplici verbo, quam fallacia, quæ est mendacium cum artificio, conveniunt in ratione mendacii & differunt in modo: quodlibet enim horum contra mentem it. sicut tam latro, quam raptor auferunt rem alienam invito Domino, sed differunt in modo auferendi. hoc testimonium, sicut & præcedens ita magnificum judico, quod omnino in re tam manifesta sit contemnenda solutio Raynaudi.

Accedit sanctus Gregorius Magnus lib. 10 Moralium cap. 17, ubi sic loquitur: *hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare. hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur* (utinam & non edoceretur) *hæc à pueris pretio discitur; quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur.* & infra: *at contra sapientia Justorum est nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare.* & infra: *quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere, nihil callida machinatione simulare, &c.* Ecce ubi sanctus Doctor simulationem (quæ proprie est mendacii species) ex callida machinatione, subintellectione & restrictione mentali duplicitatem appellat, & hanc simplicitati opponit. simplicitas autem eadem virtus est cum veracitate, ut ait sanctus Thom. 2. 2. q. 109. artic. 2. ad 4. & quæst. 111. artic. 3. ad. 2. ubi: *ad simplicitatem* (inquit) *pertinet directe se præservare à deceptione. Et secundum hoc virtus simplicitatis eadem est virtuti veritatis; sed differt sola ratione: quia veritas dicitur secundum quod signa concordant significatis; simplicitas autem dicitur secundum quod non tendit in diversa, scilicet ut aliud intendat interius, & aliud prætendat exterius.* quare sicut veracitas non refert præceptum, nisi negativum, non dicendi falsum nec mentiendi, ita neque simplicitas; & sic qui utuntur sine causa restrictione mentali, non solum sunt mendacio *continentes & contermini*, sed continentur intra terminos mendacii, mendacesque sunt.

Et quidem Augustino incognitam fuisse hanc restrictionem mentalem, mihi adeo manifestum est, ut cæcutiat in media luce qui non videat. quod ex duobus manifeste confirmo testimoniis Scripturæ, quæ ipse explicat probans ibi esse mendacium. & tamen si Augustino cognita esset tanquam licita mentalis restrictio, aut amphibologia & æquivocatio non usitata, quando adest causa licita, aut vitandi malum grave, aut commodum privatum, non diceret ibi fuisse mendacium, quod Deus non remuneravit, sed alios actus quos enumerat. si autem cognita esset Augustino tanquam licita & honesta hujusmodi restrictio, & ipsam etiam diceret remuneratam; cum vitandum malum populo Dei sufficientissima esset causa restrictionis, si alias esset licita. Primus locus est Exodi 1, num. 19. ubi cum obstetrices Ægyptiæ non obediissent Pharaoni, qui illis indignatus dixit: *quid nam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? quæ responderunt non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & prius quam veniamus ad eas, pariunt.* quæ verba possunt habere verum sensum, si subintelligatur aliqua restrictio mentalis, scilicet de aliquibus mulieribus Hebræis, quæ talem scientiam haberent, & de aliquibus, quæ, antequam veniant obstetrices Ægyptiæ, parerent. & tamen Augustinus sic loquitur lib. de mendacio cap. 5, *de his obstetricibus Ægyptiis, quod scriptum est bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. non est ita in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non malignitas mentientis. mirandum non est, quod uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer & factum fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc bonum ma'um illud ignovit.*

Secundum testimonium est ex capite secundo Iosue num. 5, ubi Rachab abscondit exploratores missos à Iosue, quod cum nunciatum fuisset Regi Hiericho, Regis decreto illi intimato, ut traderet, respondit: *fateor venerunt ad me, sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur in tenebris & illi pariter exierunt; nescio quo abierunt: persequimini cito & comprehendetis eos.* quæ verba per restrictionem mentalem verum sensum habent, quæ in hoc casu etiam subest illius causa licita, victoria scilicet populi Dei contra idololatras cum qua, si illam admitteret Augustinus, facillime dissolvebat argumentum, quod sibi objiciebant Græci, & tamen respondet his verbis: *Rachab in Hiericho, quia peregrinos homines Dei suscepit in hospitio, quia in illorum susceptione periclitata, quia in eorum Deum credidit, &c. etiam supernæ Hierusalem civibus imitanda laudatur. quod autem mentita est, etiamsi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur. quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer agnoverit.* hæc Augustinus. ex multis aliis principiis sancti Doctoris idem possem confirmare, sed hæc sufficiant, ut nisi obstinatus acquiescat, quod hæc est Augustini mens.

His accedit valde urgens consideratio, quod Patres Græci, qui dicunt licitum esse mendacium & simulationem, quos sequitur quantum ad simulationem Hieronymus, de fallentia, simulatione & mendacio loquuntur, vocantes mendacium & simulationem locutionem æquivocam, amphibologicam & coarctatam restrictione & subintellectione mentis. quod manifeste constat ex Origene lib. 6. stromat. ubi postquam adduxit Platonis sententiam lib 3. de Republica, quod Deo indecens & inutile mendacium est, hominibus quandoque utile, ut utantur eo quasi condimento atque medicamine, nulli dubium est, (subdit) expressans opinionem Raynaudi his verbis: *homo autem cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat, ut sic utatur interdum mendacio tanquam condimento & medicamine, ut servet mensuram ejus, nec excedat terminos, quibus usa est Iudith contra Holofernem, & vicit eum prudenti simulatione; imitetur Ester, quæ Artaxerxis sententiam diu tacita gentis veritate correxit; & inprimis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones Patris artificioso impetrasse mendacio. ex quo perspicuum est, quod, nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc aliquod generatur bonum, judicandi sumus quasi inimici ejus qui dicit: ego sum veritas.* hæc Origenes. quibus graphice descripsit Raynaudi sententiam, & quod iste dicit æquivocationem, amphibologiam, & subintellectionem aut restrictionem mentalem, Origenes dicit *artificiosum mendacium*. idem clare constat ex Chrysostomo libro primo de Sacerdotio, & homil 32 & 53 in Genes. & in epistola ad Olympiam. quem ejus Diaconus & discipulus Ioannes Cassianus sequitur collat. 17, à cap. 17, eisdem exemplis Scripturæ id probans, quæ manifeste simul dicunt simulationem per æquivocationem aut restrictionem mentalem ex bono zelo additam dictis vel factis externis, ex quibus sic factis sequitur auditoris fallentia. & hoc medicamen & condimentum, ex quo sequitur aliquod bonum, vel impeditur malum imminens, Patres Græci dicunt, & bene, *mendacium*, quia revera est. & in hoc bene dicunt; errant tamen in eo, quod affirmant hoc medacium esse licitum. contra quod directe scipsit Augustinus libro de mendacio, in quo satisfacit omnibus quæ Græci in confirmationem sui erroris adducebant ex sacris literis exemplis. quem errorem notat ibi, cap.2, in Priscilliano.

Et epistola vigesima nona ad Hieronymum, eam sententiam aliquando fuisse ab Hieronymo defensam, sic inquit: *Legi quædam scripta, quæ tua dicerentur, in epistolas Pauli, quarum unam ad Galatas cum enodare vellem, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus à perniciosa simulatione revocatur, ibi patrocinium mendacii susceptum esse abs te tali viro, fateor, non mediocriter doleo: mihi enim videtur exitiosissime credi eos homines, per quos nobis divina Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid fuisse mentitos.* hæc Augustin. unde clare constat Hieronymum & Græcos solum dixisse mendacium simulationem aut factis aut verbis subintellectione restrictis, qua videntes & audientes decipiuntur & falluntur. & hujus mendacii commissi ex justa causa patrocinium defendere Hieronymum dolet Augustinus. egoque valde etiam doleo, immò & crucior, quod qui, ut catechistæ morum instructores per totum fere orbem sunt diffusi, hac imbuantur doctrina de artificiosa simulatione & mendacio, hac enim si Iuvenes instructi sint, nihil securum est in Republica & humano commercio & societate, non respublica, non vita cujuscumque quamvis magni: quilibet enim apprehendet, quod si non simulet ut utatur mentali restrictione, aut perdere magnum commodum, aut imminere ingens periculum. unde egregie Sixtus Senensis libro quinto Bibliot. anno 107, dicit: *Omnes Theologi Scholastici pleninissime decernunt, non solum omne mendacium esse peccatum, sed omnem seu noxam, seu officiosam simulationem, seu fraudem esse vitium veritati contrarium, & ad mendacii crimen pertinens: nam sive sermone sive quocumque facto, vel lædendi, vel juvandi studio quispiam mentiatur, mendax est.*

Sectio III. *Impugnatur manifeste ex Tertulliano.*

Quod contra Raynaudum sentiant Augustinus, Isidorus & Gregorius Magnus vidimus. quia tamen loca Tertulliani ea solum adducit Emonerius cap. 23. num. 13, quæ sibi facilem videntur solutionem & effugium habere; alia, quæ etsi adduxit, intacta reliquit, quale est illud ex libro quarto contra Marcio. cap. 38, ubi agit de responso quod Christus dedit consultationi factæ à Iudæis Lucæ 20. vs. 28, cui in resurrectione deputanda est mulier, quæ septem fratribus nupta est, quia nullus semen fratris sui suscitavit, & sic unum post alium mortuum duxit, & sic omnium dum vixit uxor fuit. hæc fuit materia quæstionis, hæc substantia consultationis: *Ad hoc respondisse Christum necesse est*, (ait Tertullianus) *qui prius duxerat. Iusta & digna præscriptio est, in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. ceterum aliud consulenti aliud respondere dementis est*; cumque Christus adæquate respondisset consultationi Saducæorum, quod in seculo illo neque nubent, neque uxores ducent, sensus responsionis non ad aliud dirigendus, quam ad propositum interrogationis; & hoc quidem ex vi vocis & pronunciationis, ut ipsemet Tertullianus subdit, dicens: *Itaque qui ipsam vim & vocis, & pronunciationis, & distinctionis exceperant, nihil aliud senserunt, quam quod ad materiam consultationis pertinebat. atque ideo* Scribæ Magistro inquiunt: *bene dixisti.* si ergo responsio consultationi ita debet conformari, ut ex vi vocis & pronunciationis nullus alius sensus sit, quam qui ad materiam pertinet consultationis, dubio procul qui restringit se mentaliter ad alium, quam qui ex vi vocis infertur, tergiversatur contra vocis significativam vim, & ita dubio procul mendacio se alligat.

Accedat idem Tertullianus libro de spectaculis cap. 20 & 21. ubi ponit principium, ex quo in sequentibus plura de spectaculis damnat, & plura in superioribus juraverat, scilicet: *Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, non immutare sententiam, nec variare judicium non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum, seu malum.* at qui utitur æquivocatione, amphibologia aut restrictione, pro arbitrio suo mutat sententiam, & judicium variat: namque in una significatione aliquid significat, in alia ad libitum suum aliud loquitur & intendit; & sic in eo nec *veritatis integritas, nec discipinæ plenitudo*; & sic sicut in aliis quæ subdit Tertullianus, concludens, *non amat falsum Auctor veritatis. adulterium est apud illum omne quod fingitur. proinde vocem sexus aut ætatis mentientem amores, iras, gemitus, lachrymas, ad versantem non probabit, qui omnem hypocrisin damnat.* quæ verba si retulisset Raynaudus, non insultaret Barnesio, cum omnem simulationem exterminent, quam conterminam, si cum causa fiat, facit ipse veritati quam absurdissime.

SECTIO IV. *Quanta sit efficaciæ auctoritas Concilii Toletani quarti contra Emone-Raynaudum.*

CONcilium Toletanum quartum Nationale, congregatum in Basilica Beatissimæ & sanctæ Confessoris Leocadiæ (sumitur hic confessor pro Martyre, ut late dixi supra tract. 2. resolutio. 2. ex Cypriano & aliis) anno 633. sub Honorio primo, & Sisenando Hispaniarum Rege gloriosissimo. in hoc igitur gravissimo Concilio cap. 74, & juxta aliud exemplar, 75, sic dicunt Patres, quibus præsidebat sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: *Multarum quippe gentium (ut fama est) tanta extat animorum perfidia, ut fidem sacramento promissam Regibus servare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. jurant enim Regibus suis, & fidem quam profitentur prævaricant; nec metuunt vo'umen illud Iudicii Dei, per quod inducitur maledictio, mu'taque pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. quæ ig ur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda est? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis Regibus juratam fidem conservant?* & infra: *illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus suis inferre exitium. hostibus quidem fides pacti datur, nec violatur. quod si in bello fides valet, quanto magis in suis servanda est. sacri'egium quippe est, si vio'etur à gentibus Regum suorum promissa fides, quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio.* & infra: *Quod si divinam iracundiam vitare volumus & severitatem ejus, servemus erga Deum Religionis cultum, cum timore custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem: non sit in nobis sicut in quibusdam gentibus infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda mo'imina.* hactenus Concilium, cujus decretum trino anathemate repetitum à Patribus in Concilio quinto cap. 7. jubetur, ut in omnibus sequentibus Conciliis confirmetur & publica voce pronuncietur.

In hac tam sancta sanctione manifestissime damnantur mentales restrictiones, quamvis intentum Concilii fuerit, ne machinetur mors Regis, & nequis sibi persuadeat posse & debere occidere quoslibet Tyrannos, quod detestabilissimum & impiissimum nefas est adhuc etiam inter gentes, quanto magis inter Christianos & Catholicos & Christianissimos Principes. tamen ad hoc dogma stabiliendum Concilium assumit principia in fide indubitata, quibus clare exulantur, profligantur, & in malam rem projiciuntur æquivocationes extra ordinariæ, & mentales restrictiones. Primum, quod est animorum perfidia ore simulare sacramenti professionem, & mente retinere perfidiæ impietatem. quod Principium indubitatum est in Augustino tract. 7 in Ioannem, cujus verba supra dedi: hoc enim est habere duplex cor, duplicemque sinum: unum ubi videt veritatem, alterum ubi concipit mendacium & iniquitatem. & desumptum est ex psalmo 11. vers. 2, *diminutæ sunt veritates à filiis hominum, vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* id est, *mendacium*, ut ait ibi Glossa. *Labio do'oso, in corde & corde locuti sunt*, id est, *ore aliud promunt, aliud corde tegunt.* Iudas enim dicendo Ave Rabbi, intendebat eum tradere morti; & Pharisæi ipsi loquendo blande, quærebant eum tradere, in sermone amicitiam simulantes, & hostilia committentes. & sic cordis geminationes denotat David inimicos suos secum æquivocatione & restrictione mentali usos, promittentes exterius fidelitatem, & secreto inter se contrarium tractantes, ipsius mortem machinando in favorem Saulis. ut invenies in Theodoreto; Lyra, interlineali; August. & aliis expositoribus, ut videas quibus fundamentis nitatur principium assumptum à Concilio.

Secundum principium est comminatio divina super, eos qui jurant in nomine Dei mendaciter; hoc principium non indiget probatione, cum sit notissimum in fide Catholica; solum manifeste ex illo cum concilio deduco, quod ille, qui duplici corde jurat, hoc est mentali restrictione ore simulat sacramenti professionem, dum retinet mente perfidiæ impietatem. ex quo principio manifeste deducit concilium perjuros esse, qui tali restrictione utuntur. quæ, si excusaret à proprio mendacio, excusaret etiam à proprio perjurio. ex qua inconcussa veritatis doctrina deducit concilium ea gravissima inconvenientia, quæ infert: quamvis enim Emone-Raynaudus ultro fateatur licitam non esse in hoc casu restrictionem mentis, non tamen ideo, quia sit contra præceptum negativum mendacii, sed contra affirmativum syncere & candide loquendi. at hoc expresse rejicit concilium dicens, *hos esse perjuros*; & sic opponuntur præcepto negativo non mentiendi, & insuper affirmat *eos mendaciter loqui nomen Domini.*

Ea autem quæ Raynaudus cap. 23 num. 10. in solatium suorum magis, quam in soliditatem suæ opinionis meditatur, frivola sunt & evanida. dicit enim: *quis putaverit ulli se aliquando persuasurum, monstra illa hominum, quæ ad a'iud criminum fastigium nunquam pertingerent, nisi per omnium scelerum gradus antea scanderent omni honestate protrita, in ipso tamen immanis parricidii procinctu adeo sapere, ut caveant ire contra mentem, sed subterfugia æquivocationum & mentaliter restrictarum locutionum conquirant?* hæc, inquam, bona sunt latinitate conscripta, at pessimo sensu prolata; cum concilium expresse dicat, quod unum tenent ore, & aliud in corde, atque ita illud quod in corde restringit, non est in ore; & sic si in hoc non est mendacium, nec sacrilegi, nec perjuri, nec mendaces erunt, cum ex vi suæ restrictionis subterfugium, sacrilegum mendacium est.

SECTIO V. *Ex ratione mendacii perstringuntur Restrictores mentium.*

DIxi contra Restrictores mentium, nam contra æquivocantes & amphibologizantes infra in expositione veræ & securæ sententiæ edisseram. Igitur Restrictores mentium manifesto se alligare mendacio (quidquid in utrumque latus se vertat Emone-Raynaudus) hoc discursu concludo, qui etiam lippis (si studiosi veritatis & non obstinati in mendacio) manifestus est, quia, ut Aristoteles 4 Ethicorum cap. 7 ait, est falsa vocis significatio, qua quis aliquid significat audientibus quod est contrarium ei, quod retinet in mente. unde est commune & receptum axioma inter Philosophos morales & Theologos Catholicos, *quod mentiri est contra mentem ire*, ut refert Divus Thomas 2. 2. q. 110, art. 1, in corp. & Augustinus libro de mendacio, & contra mendacium. cumque voces, teste eodem Augustino lib. 2, de doctrina Christiana cap. 3, teneant præcipuum locum inter alia signa externa, quæ sunt notæ earum quæ sunt in animo passionum, ideo dicitur quod mendacium est falsæ vocis significatio, intelligendo nomine vocis omne signum, ut ait Divus Thomas ad secundum; unde omnis qui loquitur, dicit esse ita sicut

voces ex vi suæ impositionis significant, eo ipso quod eas proferat audientibus externe & sensibiliter proloquens; nec est in sua potestate eas divertere à sua nativa vi & significatione, quam habent ex impositione communitatis. ergo eo ipso quod per mentalem restrictionem quis se coarctet & perstringat (cum externe & sensibiliter non immutet nativam vim vocis, ejusque communem significationem, in humano commercio & Republica hominumque societate) voce sensibiliter dicit esse, quod intellectualiter judicat non esse; aut sensibiliter dicit non esse, quod intellectualiter judicat esse; & sic vadit contra mentem & mentitur Deo & hominibus, quia quod insit restrictio mentis hæc immutatam relinquit sensibilem vocum significationem, secundum quam consocialem homo se facit aliis hominibus, quibus omnino etiam implicite est incognita talis restrictio, ut suppono. ergo si per hanc judicat homo esse quod voces sensibiliter denotant non esse, aut è contra, evidens est quod mentitur & loquitur voce externa contra id quod mente occultum tenet, & nullo modo sensibiliter intimatum.

Mirum est, quot lineas consumat in solutione hujus argumenti, cujus ictus semper ipsum ferit; & sic ab eo dolore actus sensim avertere nequit in toto suæ veritatis splendore Raynaudus. sed nullus veritatis radius ei affulsit. igitur cap. 24. num. 3. sic respondet primo quod restrictio quoties justa & licita est, subindicatur verbis, impliciteque in earum significatione continetur; atque ita non vadit contra mentem, qui justo motivo se mentaliter restringit. Ast solutio *subventaneus est partus*, non solidus; quia voces suam significationem habent à communitate, vimque excitativam restringere nequit aliqua causa quamvis justa, nisi sit causa communis aut utilitatis aut communitatis, aut vitandi commune damnum, vel quid simile; ratione cujus juxta rectam rationem subintelligitur aliqua conditio in intellectu retenta, & implicite significata voce externa. at quando damnum vitandum, utilitas aut bonum consequendum, est particulare, respiciens non communitatem, sed particularem personam, quatenus persona particularis est, non potest talis conditio aut restrictio implicite significari vocibus & signis externis à communitate pro hominum societate conservanda institutis, quia auctoritas particularis nequit evertere quod à communitate est introductum, sicut nequit in legibus dispensare.

Respondet 2. quod propositio vocalis nihil significat exterius, quod non judicetur interius quale enunciatur & significatur exterius; quamvis motivum sub quo objectum concipitur interius, & significatur exterius, non exprimatur voce externa. verbi gratia, dum dico: non habeo nummos, subintelligendo ad dandum vel mutuandum tibi, ego significo carentiam nummorum, quam interius agnosco non simpliciter, sed ad dandum vel mutuandum tibi; tamen hoc complexum, carentiam nummorum, ad dandum vel mutuandum vere agnosco, & eam significo verbis non habeo nummos, quamvis motivum ob quod sic judico loquendum in mente retineo, neque exprimitur, quia ad hoc occultandum habeo causam justam. unde concludit: locutio externa mente restricta, etiam prout exterius significat vera est, quia non significat aliquid contrarium ei quod est in mente; quamvis non significaret vere, nisi præter illud quod exterius enuntiatur & significatur, aliquid præterea interius conciperetur, ratione cujus signum vel expressio vocalis rei conceptæ inadæquate continet veritatem. Verumtamen *funis hic etiam nihil traxit*, sed inania prorsus & futilia: reincidit enim hæc solutio cum priore, & est nihilo illa melior, quia illa carentia nummorum reipsa non est, cum nummos habeam, sed solum est in voluntate mea, quatenus nolo nummos dare aut mutuare. hæc enim voluntas & judicium de illa est prorsus & omnino occultum; neque ad illud significandum ordinatæ sunt voces hæ, non habeo nummos. rursus non est in voluntate alicujus personæ particularis, ex causa & motivo sibi omnino occulto & nulli alteri aliquatenus manifesto, vocem restringere & ordinare etiam implicite, etiam complete ad significandum id, quod non significat ex communi usu & impositione, aut interpretatione. quare ista solutio, me quidem judice, inutilis est, & eversiva totius humanæ consociabilitatis & communionis. quare ea omnia quæ in sequentibus adducit Raynaudus, nullius sunt ponderis, sed multæ loquacitatis, etsi non *more Caio*, quia eleganti sunt condita latinitate, tamen *talpa loquax* effectus tumultuatur *ταμβεῖ* in Barnesium, cujus alia plura omissa facio. nolo enim in aliquem conviciari, sed bono bello, si Deus faxit, convincere, propter veritatis defensionem & fidelium utilitatem, Regum & Principum majorem securitatem & commercii humani stabilimentum. *caveat* ergo Raynaudus *Thracem*.

SECTIO VI. *Quibus in circumstantiis sit imbibita subintellectio in vocum externa significatione.*

HOc est præcipuum punctum hujus controversiæ, quod si advertisset Emone-Raynaudus, non tot paginas consumpsisset in inducenda omnium fere Theologorum & Iuristarum caterva, quos catervatim & sine delectu adducit. sed vereor, ne immodica auctorum adductione agricolationem perdat, inveniatque *Oenoe Charadram*, & quos summo labore in tutamen suæ sententiæ congessit inde pernicies ei adfeatur; ex quibus nihil (ut dici solet) ad *Bacchum*, quia nihil ad punctum hujus controversiæ conducunt.

Vt tamen luce clarius punctum controversiæ appareat, notandum, nullum Catholicum jure posse negare vocum & orationum externæ significationi aliquando admisceri subintellectionem alicujus, quo restringatur. hæc autem subintellectio non additur mere interne & intellectualiter, & ad placitum à proferente verba, moto ex convenientia particulari, aut commodo suo proprio acquirendo, aut damno singulari vitando; sed additur vel ex communi usu, interpretatione, & populi consuetudine sic voces usurpantis cum illa subintellectione; quia vel commune bonum aut Reipublicæ civilis aut status Ecclesiastici, aut firmitas alicujus Sacramenti, aut integritas & rectitudo alicujus officii publici, aut superioris præceptum de conservando secreto, aut quia à judice non juridice expiscatur veritas: in his enim & similibus casibus ex sensibilibus actionibus & externis oritur quod in communi vocum significatione subintelligatur aliquid, quod implicite sensibiliter significatur ex actione sensibili vel acceptatione hominum. at in his casibus nullus Catholicus dubitat de subintellectione sensibiliter implicite restringente, ut jam sigillatim enucleabo ex Auctoribus quos adducit Emone-Raynaudus. quare punctum difficultatis est, an quando ex actione sensibili anteriori limitante vocum amplam significationem & vim significativam, possit quis intelligibiliter ad placitum suum restringere

gere vocum communem significationem, in qua imbibatur implicite sua mentalis restrictio. Hoc dicunt licere ex causa justa restrictores mentium. ego audeo dicere, quod nullus antiquorum Auctorum tale dixit; sed solum à tempore Lessii hæc sententia introducta est, sicut à tempore Ludovisii Molinæ introducta est sententia de scientia media Dei ante decretum efficax divinæ voluntatis, ipsomet Molina fatente. quare sicut ejus asseclæ catervam auctorum in illius defensionem coacervant, ita Emone-Raynaudus coacervavit in tutamen restrictionum mentalium. sed utrisque proverbium quadrat: *nihil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri.*

Sectio VII. *Dicta in præcedenti Sectione manifeste enucleantur ex Auctoribus à Raynaudo adductis.*

SUismet armis Raynaudus feriendus est, & diruendi muri Hiericho eademmet luce quam ipse occultam posuit fractis vasibus testaceis, in quibus ipse occlusit; immerito quidem cum supra candelabrum componi debuisset, ut ejus splendor non occultus, sed manifestus omnibus appareat. igitur suam liberam & ad placitum mentis restrictionem non accedente aliquo sensibili, quo restringatur vox, ejusque commune significatum, multis probat auctoritatibus tum sacræ Scripturæ, tum Patrum, quibus responderi operæ pretium est, ut canamus Raynaudo cantionem Waldensis, quam ipsi occinit Barnesio (viro dubio procul docto, & qui punctum difficultatis profunde attigit, uti constat ex his quæ de ipso refert adversarius) luctatur cum argumento sicut Iacob, quousque emarcuerit nervus in femore, & sua ipsius responsione succumbat?

Igitur objectat primum ex verbis Christi Matth. 24, num. 36, ubi post quam in anterioribus diem tremendi judicii descripserat, dicit: *de die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* & Marci 13, num. 32, *de die autem illo atque hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater:* quæ verba sic interpretatus est Augustinus enarrat. in Psalmum 9. fere in fine: *dies ille occultus etiam judici dictus est, non ad cognoscendum, sed ad prodendum.* quasi dicat Augustinus, Christus dum illa verba protulit, cum vera sint, utpote à prima veritate dicta, ne falsa sint, subintelligenda est mentalis restrictio, quod scilicet Filius diem illum non scit, non quia ipsum ignoraverit simpliciter: hoc enim esset Arrianismus (Arrius enim & sequaces hoc testimonio utebantur ad probandum Filium esse minorem Patre, quia ignorabat aliquid quod Pater sciebat. unde Ambrosius lib. 5 de fide, cap. 8, negat in textu Græco esse illam particulam *neque Filius*, sed ab Arrianis dolose adjectam) sed dicitur quod non scit diem illum ut aliis revelaturus. in hujus interpretationis (quæ verissima & Catholica est) confirmationem, adducit Hilarium 9 de Trinit. Ambros. ubi modo; Hieronymum in caput vigesimum quartum Matth. Anselmum & Bedam Marc. 13. num. 31. Pelusiotam lib. 1. epist. 1. Divum Thomam, Matthæi 24. & 3 p. qu. 10. art. 5 ad 1. estque communis & certa sententia.

Respondetur, Raynaudum invenisse cultellum sui juguli: Iudex enim & magister publicus, quando non expedit diem sententiæ reis dicere, aut veritatem manifestare, quia non expedit discipulis eam scire ob ipsorummet utilitatem communem, rei essent tam Iudex, quam Magister, si diem illum aut veritatem propalarent. quare ex vi Magisterii & judicaturæ eorum verbis negationis inest subintellectio sensibiliter implicite significata, dum dicunt se nescire ad manifestandum & propalandum. esset enim damnum boni communis spiritualis animarum. Hanc solutionem me docuit Augustinus in locis citatis à Raynaudo: *dies (inquit) occultus etiam judici est dictus, non ad cognoscendum, sed ad prodendum.* & in Psalm. 36. concione 1, *utiliter* (ait) *Deus latere voluit diem illum, ut semper sit paratum cor ad expectandum quod esse futurum scit, & quando venturum sit nescit. Quia Dominus noster Iesus Christus Magister nobis missus est, etiam Filium hominis dicit nescire illum diem, quia in Magisterio ejus non erat, ut per eum sciretur à nobis.* quid clarius, (melius ergo quam Raynaudus) aut in rem nostram expressius? aut quid aliud dicimus, qui præstringimus restrictiones mentales ex quacumque causa particulari, etiam honesta, noviter introductas, nisi interveniat publica aut sensibilis implicita significatio illius, uno ex his modis sectio. 6. propositis, ubi necessaria non est expressa restrictio mentis, sed ex vi significationis verborum Iudicis & Magistri, nolentis exprimere suum conceptum adæquatum, subintelligitur.

Objectat 2. prophetias comminationis, quas omnes restrictas vult, ut salvus sit honor divinæ veracitatis: verbi gratia Ionæ 3. num. 5, *Ninivitis adhuc 40 dies, & Ninive subvertetur.* ubi de subversione materiali & desolatione civitatis est sermo, ut certum est apud Patres; quamvis etiam secum compatiatur sensum mysticum de subversione spirituali vitiorum, quibus illa gens valde erat irretita. Deinde Isaiæ 38, num. 9, in nomine Domini ad Ezechiam Regem dixit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives;* & postmodum visa à Deo Regis pœnitentia, jussus est regredi Propheta & nunciare Ezechiæ additos divina liberalitate ad dies ipsius quindecim annos. Impossibile igitur est, ait Raynaudus, capite decimo, numero 4, *denunciationem illam mortis imminentis quæ tamen postea tamdiu dilata est, indemnem à mendacio servare, nisi subintelligatur aliquid quod verbis expresse & aperte expressum non est, etiam si in mente Dei Prophetam ad loquendum moventis occultetur. & ita id perspicue intellexit Augustinus libro sexto de Genes. ad Litt cap. 17, ubi post multa sic concludit sanctus Doctor: Nec tamen illi anni additi recte dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in aliis causis habuerat. secundum aliquas causas inferiores jam vitam finierat; secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus esset, & vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam. vide Augustinum apertissime subscribentem mentali quarundam locutionum restrictioni. subscribit etiam sanctus Gregorius libro 12 Morali. cap. 1. nisi quod aliam facit subintellectionem quam fecerat Augustinus.*

Respondetur, mirum esse cur non adduxerit sanctum Thomam, qu. 12. de veritate, art. 10 ad 7, & 2. 2. quæst. 171. art. 1. ad 2. cum eodem modo loquatur ac Augustinus, cujus est lingua veridica sine restrictione mentali in mente divina præhabita. Igitur sanctus Thomas in illa solutione ad 2 sic fatur: *divina præscientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in seipsis, in quantum scilicet ipsa præsentialiter intuetur, & secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. & quamvis contingentia futura prout sunt in seipsis sint determinata ad unum: tamen prout sunt in suis causis non sunt determinata quam possint aliter evenire. & quamvis ista duplex cognitio semper intellectui divino conjungatur,* non

non tamen semper conjungitur in revelatione Prophetica, quia impressio agentis non semper adæquet ejus virtutem. unde quandoque revelatio Prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in seipsis (& talia sic eveniunt sicut prophetantur, secundum illud Isaiæ 7. ecce virgo concipiet :) quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus; & tunc quandoque aliter evenit, quam prophetatur, nec tamen prophetiæ subest falsum: nam sensus Prophetiæ est quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, ut talis effectus eveniat: & secundum hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis, morieris & non vives, id est dispositio corporis tui ad mortem ordinatur; & quod dicitur Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur, id est, hoc ejus merita exigunt ut subvertatur. dicitur autem Deus pœnitere metaphorice, in quantum ad modum pœnitentis se habet, prout scilicet mutat sententiam, etsi non mutet consilium. hactenus Divus Thomas. omnino ergo impertinens est restrictio in mente Dei monentis Prophetam, ut veritas immutabilis Prophetæ salvetur; sed sat est, quod Prophetæ imprimatur unius veritatis ejus quod est in Dei præscientia, similitudo, & non alterius.

Objicit 3, alia loca Scripturæ (& posset innumera, si locutionibus mentaliter restrictis esset locus, quem Deus non vult in Ecclesia concedere:) Primus est ex libro Tobiæ cap. 5, num. 16, *rogo te* (ait Tobias ad Raphaelem) *indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es?* cui Raphael angelus dixit: *genus quæres mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* hoc autem in cortice verborum, nisi accedat mentalis restrictio, falsum est. Secundus est ex libro Iudith, cap. 8 & 9, 10, & 11, ubi sancta matrona loquens cum Holopherne multa dicit quæ in cortice literæ falsa sunt, nisi subintellecta restrictione mentali. ut dum. cap. 11, num. 6, *indicatum est omni seculo, quod tu solus & potens es in omni regno ejus.* & multa alia similia. Tertius est ex Genes. 28. num. 19. ubi interrogans Isaac, *quis es tu fili mi? & dixit Iacob: ego sum primogenitus tuus Esau.* Quartus est ex Genes. cap. 22, ubi pergens Pater multarum gentium sanctus Abraham ad filii unici sui mactationem & exustionem in holocaustum Domino, qui id præcepit, num. 5 dixit *ad pueros suos, expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus revertemur ad vos.* & n. 7 dixit *Isaac Patri suo, Pater mi. at ille respondit, quid vis fili? Ecce.* (inquit) *ignis & ligna, ubi est victima holocausti? dixerat autem Abraham, Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* quomodocumque autem (ait *satis putide Raynaudus,) hæc loca exponantur necessarium prorsus est, aliquam subintellectionem facere, ut veritas retineatur: nam sive verba illa prolata sint in typo & imagine, sive spectata divina ordinatione, sive juxta notionem nominum, & denique quocumque alio modo ea verba à variis sacris interpretibus enodentur, manifestissimum est ea mendacio vacatura, si nudus eorum cortex attendatur. proinde non excusantur, nisi ratione congruæ subintellectionis. itaque necessario aliquid subintelligendum est in illis locutionibus, in speciem falsis ac proinde mente restrictis.*

Respondetur, eodem argumento posset in medium proferre totam Ioannis Apocalypsim, quæ, sicut plena est figuris, quæ in nudo cortice literæ videntur habere falsitates, & in substantia rei significatæ & intento à Spiritu Sancto sunt verissimæ; ita plena esset restrictionibus mentalibus quas habuit Euangelista dum illam scribebat: nam, ut ait Raynaudus cap. 11, num. 9, *quæcumque figuratæ locutiones objecto in speciem dissonantes, ut veritatem retineant nec mendaciis annumerentur, necesse est, ut per rationalem loquentis subintellectionem externis verbis conjunctam, & per ea tantum, quatenus sunt hominis rationaliter loquentis, subindicatam, conformentur objecto quod enunciatur, cum quo alioqui dissonaret, essentque mendacia.* cumque tota Apocalypsis, & omnes libri Prophetarum pleni sint hujusmodi locutionibus figuratis, aut pleni sunt restrictionibus mentalibus, aut mendaciis, juxta doctrinam Raynaudi. cui pulchre quadrat dictum Augustini libro 3 contra Maxim. cap. 1, *quid tibi visum est tam multa dicere, & pro causa quæ inter nos agitur nihil dicere? quasi hoc sit respondere posse, quod tacere non posse.* certe quidem Raynaudus, ut Barnesio respondeat, in præcipitium ruit multa loquendo, & causam de qua agimus subdole tractando; quasi idem sit quod Spiritus Sanctus sacræ Scripturæ auctor, qui loquitur per Prophetas multoties ipsis nescientibus quid loquantur, & tamen Spiritus Sanctus per ipsos loquitur in sensu & significatione formali ejus conceptus non quem Propheta format, sed quem Spiritus Sanctus in mente habet. ut de Abraham dixit Ambrosius: *Prophetavit quod ignorabat: ipse solus disponebat redire immolato filio, sed Dominus per os ejus locutus est quod parabat: captiose enim loquebatur cum servulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet.* & mox, tractans responsum datum filio: *& hic prophetat sermone, non scientia: ovis enim à Domino ad sacrificium parabatur.* ita libro primo de Abraham cap. 8, simili locutione prophetavit Caiphas non scientia, sed sermone cui sensum dedit Spiritus Sanctus. unde sic arguo contra Raynaudum. neque Abraham in his Prophetiis, nec Caiphas in sua, agnoscebant quod prophetabant; ergo illis non fuit necessaria restrictio mentalis, quia ea verba proferebant in sua significatione, non attendentes ad sensum formalem & intentum à Spiritu Sancto, qui non restricte loquebatur, sed involute & non explicite: non enim hæc prophetia per sermonem humanum, ut per instrumentum quam facit Deus, in exemplum debet adduci in causa de qua agimus, an scilicet restrictio mentalis in quolibet negotio privato, cum causa privatim licita ad libitum assumpta, sufficiat ad excusandum mendacium, cum sit tam diversum sicut creator & creatura.

Verum est, quod locutio Abrahæ cum servis, de reversione cum puero post adorationem, fuit *captiosa*, ne proderet secretum sibi impositum à superiore per Angelum; posito autem superioris præcepto, uti dixi sect. 6, verba coarctant significationem juxta præcepti observantiam, ne prodatur arcanum; neque enim ad libitum admittitur restrictio, ut vult admitti posse Raynaudus: restrictio enim quam Catholici admittunt, ita necessaria est, ut nefas & crimen sit in multis casibus illam non admittere, & contra illam operari, cum in bonum commune sit introducta.

Ad illud de Iacob qui se dixit Esau, omnes quotquot sunt Ecclesiæ Patres veteres excusant à mendacio formali, quamvis verba aliter videantur inuere: etenim sensus verborum Iacob præcisus fuit & formalis, attendendo ad interrogationem Isaac, qui de filio benedicendo interrogabat; & hic non Esau, sed Iacob erat ex ordinatione divina. Audi obsecro: Audi si vis animo pacato, quid Divus Thomas ex Augustino respondeat ad ea, quæ objecisti, 2.2. q.110. art. 3 ad 3, *quod in Scriptura, ut Augustinus dicit libro de mendacio cap. 5, tom. 4, inducuntur aliquorum gesta quasi exemplar perfectæ virtutis, de quibus non est æstiman-*

mandum eos fuisse mentitos. si quæ tamen in eorum dictis appareant quæ mendacia videntur, intelligendum est figuraliter & prophetice dicta esse. unde Augustinus dicit in libro contra mendacium cap. 5. tom. 4. credendum est, illos homines, qui Propheticis temporibus digni authoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis prophetice gessisse atque dixisse. Abraham autem, ut Augustinus dicit, libro vigesimo secundo contra Faustum cap. 34 tom. 6, dicens Saram esse suam sororem, veritatem voluit celari, non mendacium dici: soror enim dicitur, quia filia Patris erat, unde & ipse Abraham Genes. 20, dicit: vere soror mea est. filia Patris mei & non matris meæ filia, quia scilicet ei ex parte patris attinebat. Iacob vero mystice dixit se esse Esau primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. usus autem est hoc modo loquendi per spiritum Prophetiæ ad designandum mysterium, quia videlicet minor populus, scilicet Gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scilicet in locum Iudæorum. Quidam vero commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter virtutis indolem ex qua movebantur ad quædam indebita facienda. & hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habebat ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum. hactenus sanctus Doctor. ex quibus verbis utriusque luminaris Ecclesiæ constat, quomodo loca inducta à Raynaudo & ejus nomine ab Emonerio sine restrictionibus mentalibus intelliguntur, quia prophetice locuti sunt qui ea verba dixere; nisi dicat adversarius, quod non possunt esse Propheticæ locutiones istæ, nisi sint mente restrictæ, quod absurdissimum esse, ne amplius dicam, quis non videt?

Quantum ad id, quod sanctus Doctor dicit Iudith mentitam in multis fuisse, in his quæ locuta fuit Holoferni, constans antiquorum expositorum sensus & expositio est, ut tenet Lyra ibi. *verba Iudith in pluribus sunt mendacia conficta ad liberationem populi Deum colentis.* ita cap. 10 & cap. 11. ad illa verba, *vivit Rex Nabuchodonosor* &c, dicit: *Nec est hoc juramentum, ut dicunt aliqui, quia non excusaretur Iudith à juramento falso, quod est peccatum mortale, sed est simplex assertio falsi ad fallendum fallacem*, verum est quod tenet glossa ordinaria ad cap. 10, *apud Holophernem Iudith de adventu suo & Iudæorum casu futuro loquitur, non adulatorie mentiendo, sed futura prophetice prædicando, dum Regi alto sermone imaginariis verbis blanditur.* addit Augustinus sermone 229. de temp. *& sic ironice ita alloquitur.* quam Ironiam ex modo dicendi & motu labiorum si ebrius Holofernes advertisset, intelligeret; & sic omnino superflua in Iuditha mentalis voluntaria restrictio: ut enim pulchre satis adnotavit Quintilianus lib. 8, *Ironia aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura: nam si quæ earum verbis dissentit, apparet esse diversam orationi voluntatem.* quare Iuditham ironice fuisse locutam sentit Carthusianus. His adde, quod si Iuditha usa est mentali restrictione, ideo est, qui coram Iudice omnino iniquo sistebat, qui de statu suorum iniquissime interrogabat. quare ambagibus & circumlocutionibus uti sine mendacio licebat.

Ad illud, quod de Raphaele Angelo dicit, postquam meditaveram solutionem, eam inveni in Serrario in quæstiuncula illius c. 5, & placuit ipsius verbis proponere: *dico ergo* (ait) *vere Angelum dicere se Azariam esse; idque dupliciter, primo, quia illius formam & personam præ se ferebat, quemadmodum Divi Petri imago dicitur divus Petrus. Neque enim hic majus mendacium quam cum dicit Angelus Gen. 31, Ego sum Deus Bethel, ut eum in locum fatetur Calvinus. & Exodi 3 & 20, Ego sum Dominus Deus tuus. Hinc Divus Athanasius in Synopsi: Raphael comitatus est illum in specie hominis qui Azarias diceretur. unde Hieron. Daniel 8. sanctus Augustinus sermone 226. celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem: si enim diceret ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Secundo vere talis est Angelus, qualem se dicit, si nominum notionem spectemus: Azarias est auxilium Dei; Ananias, Hananeel, gratia & donum Dei. quemadmodum Divus Hieronymus in Matth. 23, Zachariam ostendit ex nominis interpretatione Patriarcham esse: ita Raphael est Azarias, quia Dei auxilium adfert, est filius Dei & gratiæ. unde Lyranus & Carthusianus inquiunt, quæ ab Angelis inter homines & dicuntur & fiunt sunt figurativa, & locutio qua dicit Raphael se ex Israelis filiis esse, signat esse charitatis conjunctionem qua sancti Angeli devotis fidelibus conjunguntur.* hactenus Serrarius. ubi ad loci intelligentiam cum communi sententia non recurrit ad mentalem restrictionem, quia indigna est Angelis sanctis, sicut recurrit quæst. 10 ad cap. 13 Iudith, ut eam excusaret, secutus omnino sententiam Restrictorum, quos perstringo.

His omnibus accedit efficax & demonstrativum argumentum contra hujusmodi restrictores mentium, quia si libera restrictio, sat est ad excusandum mendacium, & ut licita sit & non incurrat in præceptum de syncere & candide loquendo, interveniente causa justa, multi, quos in Scriptura mentitos fuisse ajunt Patres & expositores, omnino à mendacio excusarentur. Sic David, antequam ad vitæ perfectionem ascendisset, mentitus est Achimelech Sacerdoti. lib. 1. Reg. cap. 21, num. 2, dicens, *se habere Regis Saul præceptum*, &c. Vbi Lyra: *non oportet hic excusare David à mendacio officioso.* & Abulensis ibi: *si possit hic excusari mendacium David, scilicet, quod vera essent hæc, quæ dicta sunt per eum, posset excusari à peccato; sed non potest excusari à mendacio, quia Rex non dixit ei quod iret ad aliquem locum, sicut ipse hic dixit; nec etiam commendavit aliquam rem secretam. ideo necesse est quod peccaverit.* hæc ibi. & tamen David habuit causam justam utendi restrictione, qua non obstante officiose est mentitus. sicut & Ionathas 1 Reg. 20, n. 28, ut excusaret Davidem coram Saule cur non venisset ad mensam, mentitus est, ut probat Abulensis ibi quæst. 33. & in utroque casu idem tenet doctissimus Salianus ad annum mundi 2973. num. 77 & 97. similiter Iehu 4 Reg. 10, num. 20, mentitus est, dum congregavit omnes Sacerdotes Baal, ut ipsos occideret. quem mentitum fuisse expresse dicit Augustinus libro contra mendacium cap. 2. & tamen justissimam habuit causam utendi restrictione mentali, ut everteret scilicet idololatras Baal occidendo ipsius Sacerdotes. Augustinum sequitur Abulensis ibi quæst. 26. Michol etiam 1 Reg. 19, num. 14, mendacio se adstrinxit, ut satis faceret Patri suo Sauli interroganti cur illusisset ei dimittens Davidem. ita Lyra ibi. Abulensis quæst. 14. 21 & 24: Salianus ad annum citatum num. 23, & in scholiis ad dictum numerum. cum ergo nullus usque adinventionem restrictionis mentalis voluntarie excusavit à mendacio, ideo est, quia etiam à mendacio non excusat, nisi quando vocis ipsa sensibilis significatio ex circumstantiis extrinsecis & sensibilibus coarctatur; ita quod restrictio incipiat ab extrinseco determinante, non vero dimanet ab intrinsecus intelligente, & pro suo beneplacito restringente: & hoc est punctum totius difficultatis male intellectum à Raynaudo, & aliis Restrictoribus.

Quare in cassum nititur Emone-Raynaudus c. 9. sen-

sententiam doctissimi Malderi in speciali opusculo de hac materia concordare cum sententia sua & Lessii, dicens: *mihi vero penitus binas sententias hactenus propositas inspicienti subiit cogitatio, eas nonnisi in speciem discrepare; & idcirco dixi Doctores in duas partes scindi videri, quia reipsa quoad præcipuum dubitationis caput consentiunt.* sed in hac concordia fallitur hic Auctor, ejusque in concordiam judicium est *Connæ calculus*, de quo Aristoph. in Faucis: *te quidem Connæ suffragium existimant*, id est, tanquam ficulneum folium, quo nuditatem suæ opinionis vult tegere, nihili faciunt: est enim, ut modo dicebam, manifestum discrimen inter utramque sententiam. Nam restrictio Malderi incipit à voce restricta sensibiliter, ex circumstantiis sensibiliter occurrentibus: at restrictio Raynaudi, & Lessii incipit ab intrinseca subintellectione & restrictione voluntarie assumpta, quam audiens ex nulla circumstantia extrinseca potest olfacere, aut venari; & sic necessario fallitur per se & ex principio intrinseco: in vera tamen sententia Malderi, cum restrictio dimanet ab extrinseco sensibili, non necessario & per se fallitur audiens, sed per accidens, quatenus ad ejus notitiam non pervenit tale restrictivum sensibile.

SECTIO VIII. *Æqua lance librantur Patres quos pro se adducit Raynaudus.*

Dixi æqua lance, nam libra Emoneiri non æqua est, ejusque confirmatio ex Patribus *labra, non palatum rigat*, quod aridum reliquit & siccitate restrictum. *Embarum enim agit*, dum restrictiones vanas suas ex Patribus vult adstruere. I. Epitheta laudis dat illis, appellans Hilarium *Latinæ eloquentiæ Rhodanum*, Ambrosium *florem speciosum*, Basilium *Spiritus sancti lusciniam*, Hieronymum *Catholicorum Magistrum*, Augustinum *fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni.* qui Patres (inquit) affirmant diem Iudicii Christum dixisse nescire subintelligendo ad dicendum, atque ita usus est mentali restrictione. Sed jam respondi manifeste, quod Christus tanquam Magister judicavit non expedire manifestare hunc diem, ut semper tanquam in excubiis constituti peccandi consuetudinem vitaremus. unde locutus est tanquam Magister & judex vivorum & mortuorum in sensu præciso & formali; & sic non ex vi restrictionis puræ intellectualis, sed ex vi Magisterii publici: ex vi cujus non conveniebat diem manifestare, intelliguntur voces ipsæ restrictæ in sua sensibili significatione. rem explico manifesto exemplo: Ministri sancti officii Inquisitionis habent juramentum, non manifestandi ea, quæ eis sub secreto committuntur servanda: si quis vero crimen hæresis commissum à Patre scivit casu aliquo, vel quia alius revelavit, & vult se certificare, inquirit ab Inquisitore, an ita sit sicut ipse scit: tenetur Inquisitor ex vi officii & juramenti dicere, quod ipse nihil scit; nec indiget quod in mente libere restringat verba ad dicendum vel revelandum; quia hæc restrictio superflua omnino est, & concomitans, nihilque influens in verba externa, quæ ex vi officii publici & boni communis restrictionem illam imbibunt, & sensibiliter, implicite tamen, significant illam restrictionem *ad dicendum vel propalandum.* sic fecit Christus, qui ex vi Magisterii sensum formalem adhibuit, dicens, quod neque Filius scit diem illum. & hunc esse scopum Christi declarat Theophylactus ad caput vigesimum quartum Matthæi, verbis relatis à Theophilo Raynaudo.

Sed libremus statera justa ex non dolosa (illa enim placet, *ita abominatio est Domino*) ea testimonia quæ subinfert omnia fere Patrum Græcorum, qui majore ex parte cum Platonem sequerentur & Origenem, (quos docuisse, mendacium aliquando hominibus licere, nulli dubium, ut supra ostendi) ut suam restrictionem mentalem licitam esse ex causa ostendat. quæ statera dolosa ponderat, & sic mendax est in stateris ut palliatum mendacium propugnet. *in eo* (inquit Hilarius) *mendax, ut decipiat in stateris*, id est, ponderationibus fallacibus verborum Patrum. & Cassiodorus ad illud Psalm. 61, vers. 10, *mendaces filii hominum in stateris, sibi placens in ponderationibus suis, justus atque immobilis videri vult cum deceptrice mutabilitate, fallaces in stateris enim hoc significat, quia in libra Iustitiæ collocatus non creditur amare fallaciam.* quod ita contigisse Raynaudo manifeste, ni fallor, ostendam adducendo testimonia, quæ in sui patrocinium ipse in medium inducit.

Synesius Episcopus.

Et in scenam primo introducitur Synesius ex Philosopho factus Episcopus Ptolomaidis Epistola 105. in qua ut ab Episcopali jure se eximeret, & poneret impedimenta ad sui consecrationem & electionem, usus est artificio mentalium restrictionum, sibi imputans plura dogmata Philosophica Catholicis non usquequaque congruentia. inter quæ, *Animus certe quidem* (ait) *Philosophia imbutus ac veritatis inspector mentiendi necessitati non nihil remittit.* & infra: *hæc si mihi Episcopalis nostri muneris jura concesserint, subire hanc dignitatem possem.* & paulo post: *sin etiam ita movere se oportere dixerint, ac Episcopum esse popularem opinionibus, ego nec illico manifestum omnibus præbebo.* ecce ubi vir egregius & doctus ut infulas dignitatis Episcopalis fugiat, sub restrictione mentali multa de se proferat ut electores à suffragiis avertat, & alium elegant aptiorem; quod artificium restrictionis verbis à Synesio compactum factis præstitisse Ambrosium, ut fugeret Episcopatum, admittens domi inhonestas fœminas, & insontes quosdam animadverti jubens, ut sanguinarius & impurus audiret, & sic dignitate Episcopali indignus judicaretur ab electoribus. quod advertit Cardinalis Baronius tom. 4 ad annum 410. parum ante finem, ubi de Synesio sic: *simul ac enim diu reluctatus, creatus fuit Episcopus, scribens ad suæ Ecclesiæ Presbyteros, plane de se testatur, omnem ornatum insuper & omnem adhibuisse artem, ut Episcopatus onus effugeret. & quam artem? nisi ut simulate agens, & illa inculcans adeo Christianæ fidei & disciplinæ adversantia, rejiceretur omnino à munere Episcopatus. & ut sentio, haud aliud præstitit Synesius verbis, quam quod sanctus Ambrosius factis exhibuit, dum, ne Episcopus ordinaretur, se adulterum & sanguinolentum publica professione ab hominibus credi voluit.* hactenus ibi. atque ita simulate processit verbis Synesius, sicut factis Ambrosius; quod sine mentis restrictione, sine peccato fieri nequit.

Respondetur, hoc argumentum quo os Barnesii (imo veritatis) contundere putat Raynaudus multiplicem habet solutionem, I. sit, quod ea dogmata, quæ refert Christianæ disciplinæ adversantia, tunc temporis defendebat, & vere illa de se dixit (inter quæ, uti dixi, unum erat de licito mendacio in casu necessitatis) non simulatè; agnoscens tamen docilitatem ingenii Theophilus Alexand. vir prudentissimus & probatissimus Præsul, ut Sanctus Leo Papa epistola 52 ad Galliarum Episcopos, & epistola 64 ad Marcianum Imperatorem confidens, quod fa-

ctus

ctus Episcopus ea deponeret, electionem ejus confirmavit; uti de facto contigit, ita referunt Evagrius lib. 1 hist. cap. 15. & Nicephorus lib. 14, cap. 5. quamvis enim tunc temporis præfata Philosophica dogmata fidei non erant consentientia; tamen ob ipsius probitatem & puritatem morum coactus est ad Episcopatum: etenim ad munera publica maxime Ecclesiastica exercenda puritas & probitas gravissimi sunt testes. quare sicut vere & non simulate narrat sæpe se deditum ad venationem canibus & variis venatoriis instrumentis, unde fatetur epistola 154 & 157, se scripsisse libros venatorios, & ejus ad hoc exercitium inclinationem enarrat oratione de laude Calvitii, uti, dum epistola 155, dicit se habere illa dogmata, vere loquitur & non simulate aut restrictione mentali adductus.

II respondetur, quod si Synesius illa dogmata fidei Catholicæ adversantia reipsa non tenebat, sed omnem Orthodoxam disciplinam, mortaliter peccasset se infamando in re gravissima, & contra divinum præceptum, Ecclesiastici 41. num. 15, *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille Thesauri pretiosi.* unde Syrus transfert: *reflecte super nomen tuum, quia ipsum comitabitur te plus quam millia Thesaurorum fraudis.* & sic Rab. Simeon in Sententiis Patrum capite 4, *tres* (ait) *sunt coronæ, Legis, Sacerdotii, & Imperii. Verum corona bonæ famæ illustrior longe & pretiosior est his omnibus.* & in hoc est Apostolus dicens ad Rom. 12, vers. 17, & 1 ad Corinthios 4, vers 14, dum dicit: *quod providet bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, quibus & Angelis factus est spectaculum. unde Augustinus de verbis Domini Sermone 25, *cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras. Veritas autem ipsa in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod est dicas: nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* hactenus Augustinus. quomodo ergo Synesius mendacii defensorem & aliorum falsorum dogmatum se poterat dicere ex humilitate, ut non eligeretur in Episcopum? *nam non est humilitas ubi regnat falsitas.* & Alexander Papa rescribens omnibus Orthodoxis epistola 1, cap. 2, *damnat eos, qui cogunt Sacerdotes pro alieni erroris secta Scripturas facere, & coram populis recitare & confiteri.* quanto magis hæc damnaret Pontifex si se erroribus contra fidem complicatum publice recitaret & confiteretur. quod eleganter expressit Glossa ibi verbo *erroris* dicens, id est, *qui confitetur se tenere aliquam hæresim. sed nonne peccat mortaliter qui confitetur hoc? Respondetur: sic neque excusat eum aliqua coactio, quia talis coactio non est absoluta, sed conditionalis; non excusat peccatum, sed attenuat.* hæc Glossa. nullus ergo falsum errorem aut hæresim sibi imputando potest se infamare, etiam immanium tormentorum vi coactus, ut eleganter Dominus Cajetanus 24, quæst. 73, artic. 2, §. ad hoc dicitur. quamvis enim se posset infamare vera crimina de se publicans, ut fecit latro ille apud Climacum gradu 4, possetque detrimentum suæ famæ pati, ut ait Divus Thomas qu. cit. art. 4, ad 1. tamen sibi imponendo crimen hæresis aut erroris contra fidem quem non habet, nullus Catholicus id licere dicet. contradicit enim Augustinus lib. contra mendacium, in quo concludit hæreticos asserentes licitum timore tormentorum sibi imponere errorem, quem interius quis non habet, sed fidem Catholicam. videat ergo Raynaudus qua statera ponderet Synesium, quem ut mentis restrictorem faciat, hæreticum constituit.

Respondetur III, Synesium ita manifeste publicasse fidem suam esse conformem Catholicæ disciplinæ, ut, quamvis diceret se illa falsa dogmata profiteri, electores ex circumstantiis sensibilibus collegerint ea publicare virum egregium de se, ut fugeret infulas dignitatis & Episcopi altum munus. quare ejus dictis inhæreat restrictio implicita sensibilis, ratione cujus eximebatur à gravissimo ac perniciosissimo mendacio, à quo non excusabat illum restrictio pure mentalis. hoc modo simulare verbis aut factis, ex quibus aliquod famæ detrimentum patiatur, ob aliud majus bonum consequendum, aut malum vitandum licet; & innocentes manent Synesius in verbis & Ambrosius in factis simulantes, videat modo Emone-Raynaudus qua ratione nostrum os suo fallaci argumento occludat & oppilet. *alia Menocles, alia Porcellus loquitur.* vel ut Lucilius in quodam Epigrammate:

Multo aliud dicit sus, aliud Menecles.

Postquam enim hoc argumentum tot verbis extulit, fere nihil ad punctum difficultatis attinens adduxit.

Origenes.

INtroducit II. eos Patres Græcos, qui manifeste in eo fuerunt errore, quod pro magno damno vitando, aut eximio bono consequendo tam sui, quam proximorum licitè uti possumus mendacio. Hi sunt Origenes, Chrysostomus, Cassianus, Dorotheus. quorum testimoniis Emone-Raynaudus utitur, ut probet licitas esse pure mentales restrictiones. unde vel male omnes antiqui Scriptores intellexerunt Græcos hos Patres, aut per mendacium hanc subintellectionem aut restrictionem mentalem intellexerunt; & sic ista, sicut mendacium, semper est illicita, ut de mendacio fides docet.

Pensemus singulorum dicta. de Origene sic loquitur Hieronymus epistola 65. ad Pammachium, postquam illius sententiam ebibitam ex Platone proposuit, & fundamenta multa ex sacris literis quæ pro sua restrictione adducit Raynaudus, concludit sanctus Doctor: *negare non possumus quod scripsit in his libris quos ad perfectos & discipulos loquebatur, docetque Magistris mentiendum, discipulos autem non debere mentiri. qui ergo bene mentitur, & absque ulla verecundia quidquid in buccam venerit confingit in fratres, Magistrum se optimum probat.*

Ex quibus verbis & aliis, quæ subdit sanctus Doctor, evidens elicio argumentum contra Raynaudum, quia sanctus Hieronymus Origenis sententiam, quam propriis verbis adducit, rejicit, tanquam Christiana puritate indignam. ergo sive intelligatur nomine mendacii proprium mendacium, aut restrictio pure mentalis, hoc asserere ex sententia Hieronymi est Christiana veritate & puritate indignum consequentia est evidens, quia id, quod circa mendacium dixit Origenes, hac censura inurit sanctus Doctor lib. 1 contra Ruffinum qui est Apologia 1 ad Pammachium & Marcellinum, ubi verba quæ refert Raynaudus inveniuntur, non in epist. 65. vel ergo intelligit mendacium, vel restrictionem mentalem. dicere autem quod Origenes pro mendacio accepit restrictionem mentalem ex causa honesta; Hieronymus sumpsit mendacium proprie. ita autumat Raynaudus c. 12. n. 13. sed omni, caret probabilitate; siquidem Auctor iste taxat Hieronymum non bene intellexisse Origenem, & quod ipse melius intellexerit. quod, me quidem judice, omnino temerarium est, & pluris facere Originem, quam Hieronymum. ô quam bene ad propositum

positum Hieronymus epist. 65, *quod si quando urgeri cœperint, & subscribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæ concinnant, ut & nostram & adversariorum confessionem teneant, quasi non eodem spiritu & Apollo Delphicus atque Loxias oracula fuderit, Crœso & Pyrrho diversis temporibus, sed pari illudens stropha.* Ambigue enim, æquivoce & restrictione Diabolus in oraculis fundebat responsa, ne mendacii, cujus ipse est pater, argueretur: & Raynaudus similia responsa ambigua, æquivoca & restricta ut licita approbat & confirmat.

Sanctus Dorotheus ex Agathone.

INtroducit III. Sanctum Dorotheum Archimandritam, virum sanctissimum (est enim valde alius ab altero Dorotheo Anacephalæoseos propugnatore) & inter Patres Græcos celebrem sapientia & puritate vitæ. Igitur sanctus vir (cujus opera sunt tom.4 Biblioth. Agrippinæ) doctrina 9, quæ est de mendacio, sic fatur: *Quæsivit Abbas Alo[illegible]us ab Abbate Agathone, ita dicens: conjurarunt homines duo in cædem tuam, atque alter illorum in cellam tuam fugit, dum eum quærit judex, & abs te ubi sit petit, nunquid hujusmodi hominem in mortem tradas? aut verba commutes? licere (ait) puto, in hoc tali articulo & necessitate, debet autem qui hoc egit non negligere factum, sed pœnitentiam agere & flere amarissime in conspectu Dei, atque hoc tempus habere uti tempus tentationis, neque adhuc assuescat, sed semel ob multa. eum enim in usum & consuetudinem deducta noceant, ad tempus & summa necessitate præsunt. sic itaque quis uti debet hac re, ut non nisi in summa necessitate verba commutet, & tunc quoque cum timore, ostendens Deo & innocentiam suam & urgentem necessitatem; & sic potest quis protegi & excusari, ne offendat.* hactenus Doroth.

Quibus verbis tanquam insigni testimonio sibi patrocinante utitur Raynaudus, num. 8, notans, & bene, quod *mutare verba* apud Dorotheum idem est, quod mentiri: agit enim tota illa doctrina de mendacio. quæ *mutatio verborum* dupliciter fit, aut reipsa, aut dum quis mutat verba earumque notiones pervertit, aut dum quis mutat in speciem ob urgens discrimen proprium vel alienum, ut in exemplo posito ab Agathone. & hæc commutatio secunda licita est & honesta, urgente causa, & idem est quod restrictio mentalis & Amphibologia insensibilis. Cæterum hoc medicamento restrictionis non ample est utendum, ne simplices licentia accepta sine justa causa utantur.

Respondetur, quod Raynaudus appressus verbis Dorothei, ut ipsum in suam sententiam ducat, verba mendacii moderatur, & ad mentalem restrictionem reducit, ea in suam opinionem violenter interpretando, & quasi *super aristas pendenti incedens gradu, loquitur:* nam si pes labatur à restrictione, decidat in mendacium, cui contermina est restrictio, ut ipse ait. Verum, ut ait Hieronymus Apolog.2. contra Ruffin. *hæc possunt quasi simplicis hominis excusari, & cum eruditos non subterfugiant, apud indoctos præferre innocentiæ similitudinem.* igitur manifeste ostendo Dorotheum in eo fuisse errore (quamvis hæreticus non fuerit) restrictionem mentalem, quam Raynaudus dicit esse verborum commutationem, verum & proprium esse mendacium, etiam in urgentissima & summa necessitate: dicit enim quod *de hoc facto debet quis agere pœnitentiam & flere amarissime in conspectu Dei.* quis obsecro agit pœnitentiam & amarissime flet, nisi pro malo culpæ? quis dolet de actu virtutis? & quod satisfecerit præcepto? quale ait Raynaudus habet quis utendi sua restrictione mentali, cujus exercitium, si subsit causa justa & honesta, actus virtutis est.

Sed audiamus quod Raynaudus respondet ad hoc tam manifestissimum argumentum, dicit: *non deposci pœnitentiam ex eo quod perversio illa verborum mala sit: stultum enim foret præbere consilium admittendi quod mox largo lachrymarum imbre abluere cogaris. idcirco igitur deposcitur pœnitentia & fletus ab eo, qui ex justa necessitate loquitur restricte, quia periculum est ne limites concessos transgressus sit, aut ne causam restringendi ejusque idoneitatem minus quam par erat æstimaverit. ita quia verendum est, ne à Deo in hoc tentationis tempus devenire permissus sit ob aliquod peccatum, quod proinde fletu & pœnitentia congruenti sit diluendum.* ita Emone-Raynaudus. verum in istum auctorem insurgit sanctus Gregorius Nazianzenus epistola ad Eusebium Cæsariensem quæ est 17, *quoniam mihi cum eo viro sermo est, qui nec ipse mendacium amet, & ad istud in altero deprehendendum omnes homines acumine superet, quantumvis scitis & labyrinthis absolvantur.* talis est Emonerius quem mendacio ligatum deprehendo, quamvis velit *scitis & labyrinthis* implexus nodum extricare, sed in vanum. quam bene Prudentius in Hymno, cujus initium *cultor Dei:*

O tortuose Serpens
Qui mille per Mæandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.

Attendas obsecro lector ad *frondes flexuosas*, quibus veritatis fulcrum vult evertere, & tortuose respondens argumento, intorta & serpentina exiit solutio. I. quia lacrymosa est sententia & planctu lamentabili digna, quæ si exequatur, debeat lacrymis ablui, quia in eam impingit ratio suos limites transgrediendo, *aut quia causam idoneam plus æquo æstimavit, aut quia ob peccatum permiserit Deus in has angustias hominem constitui;* quomodo licita est restrictio quæ tot periculis est exposita, & quæ in pœnam peccati datur à Deo? II. Evidenter est contra Dorotheum, qui loquitur, ut vidimus, in causa urgentissima & *in summa necessitate*, qualis est hominem à morte liberare, in quo casu ait Raynaudus non solum licet restrictio mentalis, sed etiam obligat & est actus virtutis; & tamen dicit quod de ea oportet agere pœnitentiam, & amarissime flere coram Deo, valeat ergo Raynaudus in sua restrictione: *non agitet quieta corda.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus.

QVartam inducit personam, sanctum Ioannem Chrysostomum, non unum de plebe Doctorum, cujus respirationem aut lapsum non sit grave concedere, sed is quem Isidorus Pelusiota lib. 1, epist. 156, *Ecclesiarum omnium oculum nominat*, & Proclus Constantin. in Panegyrico: *scripturæ impollutæ à Deo inspiratæ Bibliothecam, divinum Thesaurum intelligentiæ, vehemens diluvium Hæreticorum, hominem lingua cœlis altiore, Magistrum Euangelica tonitrua temperantem.* de quo etiam alia insignia Epitheta dicit Cassianus ejus Alumnus, discipulus, & Diaconus lib. 7 de Incarnatione, cap. 31. Is, inquam, tantus vir & Doctor lib. 5 de pœnitentia expendens responsum Rachab: *Respice* (ait) *quomodo multa cum sapientia bonam ejus inferunt voluntatem. cum enim transmissi à Rege sunt qui exploratores quærerent, dicunt ei si ingressi sunt ad te viri? ipsa vero ad eos. Ita, inquit, ingressi. Prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit*

ducit: nequaquam enim mendacium ex se creditur, nisi præveniens veritatem ostenderit. propterea qui credulitér mentiuntur prius vera fatentur atque omnibus manifesta: deinde mendacium inducit ac dubium, ingressi ad te inquiunt exploratores? dicit sic. si enim à primo dixisset, non, ad scrutinium provocaret absentes; sed ingressi sunt, inquit, & egressi, eadem vià persequimini & comprehendite eos. ô bonum mendacium! ô bonum dolum! divina non tradentem, sed pietatem custodientem. hæc ibi. multa his similia habet passim sanctus Doctor, ut probet licere mendacium, ubi vides Chrysostom. aperte locutioni restrictæ ex necessaria causa atque adeo admodum medicamenti usurpatæ patrocinari. quod autem eam mendacium appellat, ad externam ejus faciem respicit, qua mendacium apparet, ut de Origine jam dixi, dicit Raynaudus, num 14.

Verum enimvero hac Patrum nubila intelligentia Raynaudus ut *pyrausta lucernis advolans sibi parat interitum alis exustis.* quis non miratur hominis ingenium? qui, ut suam falsam sententiam de mentali restrictione defendat, tuetur mendacium defensum à Chrysostomo, quod non vult Raynaudus esse mendacium, sed restrictionem mentalem licitam, honestam, & aliquo in casu cadentem sub præcepto; est enim hoc *Pyrrhandi commentum* callide inventum ad subterfugiendam & colorandam opinionem usque ad tempus Lessii inauditam inter Catholicos: quis unquam Catholicus linguæ sive Latinæ sive Græcæ, sive cujuscumque alterius gentis, restrictionem mentalem, quæ veritati non opponitur, (ut ait Raynaudus) mendacium appellavit? cujus hominis notio virtuti veracitatis inimica est, ejusque honestatem evertit. unde dum pro mendacio actum honestum ponit, est *pro malo cane suem reponere*; & sic nec aures habet, cum vox mendacium ad aliud significatum divertit, nec tangit, cum palpabilem veritatem non agnoscat, nisi in hoc etiam ipse restrictione sua utatur.

Fatemur sanctum Ioannem Chrysostomum maximum esse Ecclesiæ lumen, tamen fuit acerrimus defensor Origenis & Origenistarum, ob quod maximum fuit dissidiū & contentio inter ipsum & Theophilum Alexand. ut narrant Ecclesiastici annales: fuit enim Theophilus acerrimus Origenis & discipulorum impugnator, & osor eorum qui eum defendebant; unde usque ad mortem nec nomen Chrysostomi voluit audire. quare mirum non est, si Chrysostomus, qui secutus est Originem, mendacium diceret esse licitum: quod bono & sancto zelo docuit, non proterve & pertinaciter, etsi docuerit errorem non tamen fuit Hæreticus, sicut de Cassiano adnotat Castro de hæresibus, verbo *mendacium*, in fine. & quidem Chrysostomum sensisse mendacium licitum aliquando in urgente necessitate ad vitandum magnum damnum, vel consequendum bonum necessarium ad vitam, docent Sixtus Senensis lib. 5 Biblioth. anno. 107. Velosilus in advertentiis ad tom. 2, quæsito 6. Sylvius 2. 2. qu. 110, art. 3 ad 6. quod enim sanctus Doctor hoc docuerit, non facit ad rem. nam Chrysostomo opponimus Augustinum, Cyprianum & Ambrosium, quos Augustinus opponit Hieronymo epistola decima nona ad ipsum, agens de eadem materia, quod sufficere deberet Raynaudo. Si enim Hieronymus, Chrysostomus, Origines & Cassianus non loquuntur de vero mendacio, sed de mentali restrictione ex justa causa, male impugnaret Augustinus Hieronymi opinionem de simulatione Petri, propter quam reprehensus est à Paulo, ex eo quod talis simulatio non potest consistere sine mendacio; si hæc ex causa justa consistit sine illo, non ita acriter Augustinus Hieronymum impugnaret.

Ioannes Cassianus.

SI Deo placet etiam Ioannem Cassianum sibi adjutorem ascifcit Raynaudus, qui collat. 17. c. 17. usque ad 25, totus est in probando, licitum esse mendacium ex causa urgente, quam opinionem ebibit è Magistro suo Chrysostomo pro hoc errore citant Cassianum fere omnes recentiores, qui tabulas errorum conscripsere. videatur Castro ubi supra, & Eutychius Cassiani commentator Cassianum & alios Græcos Patres in hoc errore extitisse manifeste ostendit, ipsos refutans, ac veram & sanam doctrinam solide confirmavit. Excusari tamen possunt prædicti Patres, quia illo tempore scripserunt quo necdum aliquid hac de re definitum erat ab Ecclesia, in eoque non Ecclesiæ sensum, sed Platonis Philosophiam secuti sunt.

Et quidem Cassianum in hoc fuisse errore, omnino certum est, etsi quibusdam, ut suas opiniunculas tueantur, contrarium in mentem venerit. legatur caput 17, ubi sic ait: *quando grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia; ita tamen ut reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur. Ubi autem nulla conditio summæ necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum devitandum est; quemadmodum de elleboro diximus potu, quod salubre est quidem, si tum demum sumatur cum inevitabilis atque mortifera imminet ægritudo; si vero integra & imperturbata corporis sanitate sumatur, statim ad praeoccupandum vitalia vis perniciosa pervadit.* hactenus Cassianus omnino concors in doctrina cum sancto Dorotheo, cujus testimonium supra æqua lance ponderavi: si enim hoc mendacium late sumptum, quod est idem quod mentalis restrictio, ut vult Emone-Raynaudus, quoniam fit ex summa necessitate, culpa vacat, imo est actus virtutis, *cur humilis conscientia illius reatu salubriter morderi debet?* quare culpa non vacat, nec actus virtutis est, sed putidum mendacium animam maculans, ut idem Cassianus adfirmat verbis infra adducendis. quare in ipsius defensores convenit quod Euripides dixit de Spartanorum moribus:

Heu omnium mortalium invisissimi
Spartam incolentes, fraudulenti consilii,
Mendaciorum Principes & Opifices,
Tecti malorum tortuis, sani nihil.

Sed videamus oportet, quod fuerit Græcorum Patrum fundamentum ad talem tuendum errorem. illud posuit Cassianus cap. 17, ubi sic fatur: *non enim Deus verborum tantum inspector est. qui, si aliquid causa salutis æternæ ac divinæ contemplationis intuitu ab unoquoque vel factum viderit, vel præmium, tametsi hominibus durum atque iniquum esse videatur, ille tamen intimam cordis inspiciens pietatem, non verborum sonum, sed votum dijudicat voluntatis, quia finis operis & affectus considerandus est perpetrantis, quo potuerunt quidam, ut supradictum est, per mendacium justificari, & alii per veritatis assertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere. Ad quem finem etiam Iacob Patriarcha respiciens hispidam fraterni corporis speciem obvolutione pellium simulare non timuit, & instiganti ad hoc mendacium matri laudabiliter acquievit. Videbat enim ex hoc majora sibi lucra benedictionis atque justitiæ, quam per simplicitatis observantiam conferenda. Non enim dubitabat mendacii hujus maculam (nota amice) inundatione Paternæ benedictionis protinus abluendam, & velut nubeculam quandam flatu Spiritus sancti velociter absumendam, atque uberiora sibi*

sibi per hanc affectatitiam simulationem, quam per illam ingenitam veritatem meritorum præmia conferenda. Hæc ille.

Igitur Cassiani & aliorum fundamentum hoc est, quia putant, quod, quamvis verborum & eorum notionis immutatio macula sit reatus, & veluti nubecula quædam, etiam quando adest summa necessitas, tamen quando hoc fit ex intentione gravis mali vitandi, aut magni boni consequendi, Deus respiciens ad hanc bonam intentionem & pietatem, non attendit ad verborum sonum, quorum notiones sunt contra id quod fit per pietatem & bonam intentionem, cujus intuitu & condonat culpam & maculam mendacii, & largitur meritorum dona. quare mendacium non emundant à macula, sed dicunt licere se hac macula veluti nubecula obumbrare ut malum majus vitetur, aut ingens bonum consequatur. Videat ergo Raynaudus, si sibi convenit hoc fundamento uti, ut suam restrictionem defendat: teste enim Apostolo, *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* unde concludunt omnes, Orthodoxi nec pro humani generis redemptione veniale peccatum esse committendum.

Sed audiatur hujus Cassiani fundamenti solutio, quam adhibet Augustinus in Enchiridio ad Laurent. capite vigesimo secundo: *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum, quando scit ipse quod verum sit, sed etiamsi quando errat aut fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Omnis enim qui mentitur, ea, contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi, & utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius notitiam cogitationes suas proferant. verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Neque ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando alicui prodesse, si pauper cui datur palam sentiat commodum, nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.* hactenus luminare majus Ecclesiæ. quod si adversarii intuerentur, non ita effutirent in defensionem Cassiani & restrictionem insensibilem. quare bene Terentius in Adelphis dixit: *Pol Æschine haud Paternum istuc dedisti*: non enim concinit Patrum Catholicas cantilenas; sed quas ipse composuit. quare *ad Myrtum canit Admeti modos, & cantilenas cantionesque duplices.*

SECTIO IX. *Trutinantur justa statera auctores Scholastici, Summistæ, & utriusque Iuris Doctores, quos pro se adducit Raynaudus.*

SEptuaginta duo (ni fallor) sunt auctores quos tanquam interpretes diversis cellulis constitutos, sui libelli & opinionis nobis obtrudit Raynaudus sibi associans tantam auctorum multitudinem, ut vel illis apparenter circumdatus tueatur apud indoctos & populares; sine quibus trepidaret *Phrynichius in morem Galli cujusdam, ne victus alas summittat suas*; ut spero submissurum trutinatis Doctoribus quos pro se in tragœdiam de mentali vocum restrictione introducit. Vt tamen trutinatio ista pondere fiat *sanctuarii* & non *regio* & populari, quod ut plurimum mendaciis & dolis scatet, notandum 1. ad quod supra innui, scilicet difficultatis punctum non in hoc consistere, an licitum sit uti vocibus restrictis à sua primæva significatione, imposita à communitate: hoc enim licitum esse nullus Catholicus in dubium vertit, immò nec vertere potest, ut in confessore interrogato & reo percontato ab iniquo Iudice transgresso juris ordinem, & in trutinatione auctorum dicemus; sed punctum difficultatis eo tendit, ut hujus vocum restrictionis indagetur scaturigo primæva, an dimanet à libera restrictione loquentis, an ab alia communi causa ad ordinem sensibilem vocum attinente, ita ut restrictio non proveniat à loquentis subintellectione, sed potius subintellectio & restrictio loquentis à causa sensibili dimanet, taliter quod vadat à vocibus ad intellectum loquentis, non vero ab isto ad voces. hujus veritatis radicem & demonstrativam rationem nos docuit sanctus Augustinus in Enchir. cap. 22. cit. *Vtique verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem se homines fallant, sed per quæ in alterius notitiam cogitationes suas proferant. verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* ergo si vocum restrictio non ab institutione & communi usu, sed à subintellectione libera loquentis dimanat, ut sic audiens fallatur, manifestum est quod utimur verbis contra suam institutionem (quæ est ut cogitationes internæ alteri proferantur) & sic licitum erit uti vocibus non ad id, ad quod sunt institutæ tanquam sensibilia signa posita à communitate, ut ad invicem homines conceptus mentis occultos manifestent. & ita vocum restrictio ab externa & sensibili causa dimanat, non ab interna & insensibili intellectuali. si enim aliter fiat, est ordo perversus contra vocum institutionem.

Secundo notandum, tripliciter posse homines cum hominibus loqui: primo occultando veritatem, sive interrogati sint, sive non interrogati; secundo respondendo ad interrogata; tertio libere loquendo cum non sint interrogati. Inter hos tres modos maximum est discrimen: Nam primus est omnino licitus, & aliquando præceptus; secundus aliquando licitus, aliquando illicitus; tertius, in quo est difficultatis hærentia, semper est omnino illicitus, & de isto nullus (audeo dicere) antiquorum dixit quod sit licitus. Probemus singulas: de primo nulla est difficultas, est certissimum licere occultare veritatem quando & ubi oportet, ita ut expresse Augustinus enarrat in Psalmo quinto: *Nequis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima sive sua, sive alterius, debere mentiri. sed quoniam aliud est mentiri, aliud veritatem occultare; siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, ut si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem perdere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius.* hactenus Augustinus. cui consentiunt sanctus Gregorius lib. 6, in lib. 1 Reg. cap. 3. Divus Thomas 2. 2. q. 40. art. 3. & in hac veritatis ocultatione fundatur justificatio insidiarum in bello contra inimicos, ut infra dicam sectione. . . . .

Secundum probatur, quod scilicet homo interrogatus aliquando possit negare id, quod interrogatur, dicendo non feci, nescio id quod interrogas. indubitatum etiam est, negare nequit. sed non quia hoc liceat per restrictionem liberam mentalem constringentem vocum notiones: hoc enim usque ad tempus Lessii nullus dixit antiquorum, nec somniavit; sed quia, ut egregie advertit Dominicus Bañez (quem nescio qua ratione pro se adducat Raynaudus) 2. 2. q. 69. art. 2. dub. 1. tertiæ partis tractatus: *Quando in aliqua propositione possunt intelligi & suppleri aliquæ particulæ ex circumstantia loci & temporis & personarum, quia tunc idem est quod ponantur expresse illæ particulæ in propositione, vel quod non ponantur, quantum attinet ad veritatem, vel falsitatem propositionis.* quod optime probat

bat ex dicto Christi Domini Marci 9, *non est mortua puella, sed dormit*, & tamen revera mortua erat, separata jam anima à corpore; & tamen Christus non mentitur, quia ex circumstantia personæ Christi, respectu cujus perinde se habebat ac si dormiret, vocatusque erat ad puellam suscitandam: addit Bañez plura exempla in hujus veritatis confirmationem. sequentia subdo: juramentum præstitum de dicenda veritate in aliquo negotio particulari, intelligendum est quantum ad juridicam interrogationem. Item quando judex sciens aliquem esse innocentem condemnat illum, quia probatur nocens, secundum allegata & probata vere fert sententiam, dicendo condemno istum hominem, ut occidatur; quia certe intelligitur ex circumstantiis condemno istum secundum allegata & probata. idem etiam constat in confessore, qui adducitur in testem criminis, quod scit tantum in foro animæ & conscientiæ, potest negare se scire aut audivisse tale crimen, quia ut confessor illud scit, & ut talis nullo judici etiam Summo Pontifici est subjectus, ut juridice interrogetur, ad propalandum crimen in sacramento confessum; quamvis illius non dederit absolutionem: nam verba negativa in his casibus non ex restrictione mentali libere adhibita, sed ex communi usu & intelligentia illam restrictionem habent. verum est, quod in Amphibologicis & æquivocis à sola loquentis mente dependet, in qua significatione accipiatur; sed ipsa duplex significatio non ad loquentem reducitur, sed ad sensibilem hominum impositionem: & sic in casu urgente, & quando quis non juridice interrogatur, & in aliis casibus quos supra dedi, potest quis uti vocibus in significatione qua maluerit; quamvis audiens fallendus sit. si vero quis juridice interrogetur, tenetur veritatem liquide & syncere aperire. alias mentietur manifeste, & si juramento adstringatur perjurus erit si veritatem non fateatur. & in hoc nullus Catholicus dubitare quit.

Tertium in quo est cum Emone-Raynaudo & aliquibus illi consentientibus, qui magis assentiunt vel assentantur, quam sentiant quod dicunt, & sic restrictione vocum videntur mihi uti. probatur hoc esse manifeste falsum; quia si licet pro vitando aliquo damno, aut consequendo aliquo bono privata restrictione mentis suæ vocibus limitationem addere, quam ex circumstantiis externis personæ, loci, temporis, officii & similibus non habent, ut sic audiens fallatur, & aliud necessario concipiat quam loquens tenet in mente, sequitur manifeste quod quis possit exterius jurare habens in animo intentionem non se obligandi, vel si mavis intentionem non jurandi; consequens autem quam absurdum sit, his verbis dixit Eminentissimus Cajetanus 2. 2. q. 89. art. 7. §. ad evidentiam primi dubii: *Actus iste sic est perniciosus in seipso, ut sibi ipsi sit contrarius: jurare namque cum animo non jurandi, est confirmare & non confirmare veritatem: nam qui jurat actu exteriori firmat veritatem, quantum est ex specie actus exterioris; qui vero non jurat mente, non confirmat veritatem. unde actus iste est perniciosus toti generi humano, tollens à juramento exteriori finem quare sit, scilicet confirmationem veri, & similiter quantum in se est enervans fidem dandam exteriori juramento. Magis autem apparet directe pernicies hujus ficti juramenti, considerando juramentum in ordine ad Deum: nam sic jurare est illudere divino testimonio, quia ex actu exteriori inducit divinum testimonium, & ex actu interiori dissentit ab invocatione divini testimonii, quod nihil aliud videtur quam quædam divini testimonii illusio.* sequela est manifesta ex doctrina quam impugno; quia licet verbis externis ex sola subintellectione libera addita, restringere significata sua, juxta restrictionem mentalem omnino occultam quam habent. ergo dum dicit quis, juro per Deum, potest addere restrictionem, juro per Deum solum externe, non interno juramento; & hoc est evidens in sententia Raynaudi. videat ipse si aliquis antiquorum hoc dixit, vel somniavit, quamvis Sanchez infra adducendus id insinuet, ut stet à suis. verum hoc juramentum fucatum & restrictum est quoddam perjurium exterius non minus illicitum ac idololatria exterior retenta internè propria & Catholica doctrina. quod quam turpis sit abominatio quisque videt.

SECTIO X. *Auctorum trutinatio ponderibus veritatis.*

EX dictis in præcedenti sectione evanescit machina, quam ex Auctoribus contrusit Raynaudus, ut veritatis arcem impeteret in quam arietem emittit. sed exoticos milites conducens *in Care periculum fecit*; errabundus per tot auctorum libros nihil quod veritati adversaretur & suam sententiam juvaret in antiquis invenit.

Igitur ad sequentia capita reduco doctrinas Doctorum quas sibi proficuas esse, & suam opinionem juvare sentit Raynaudus. I. in tegendo arcano alicujus rei, vel negotii sub secreto commissi, vel ministri Principum & Reipublicæ, vel alicujus personæ particularis. II. dum agitur de Restitutione famæ detractæ ex manifestatione injusta alicujus delicti, aut defectus secreti. III. cum confessarius interrogatur à Principe, vel à judice de peccato confesso. IV. cum per vim extorquetur juramentum. V. cum judex interrogat à testibus aut reo delictum occultum & extra ordinem juris.

Pro primo capite adducit sapientissimum Patrem, Magistrum meum Petrum Lorca 2. 2. sect. 1. disp. 9. memb. 2. num. 24. Sylvestrum verbo mendacium q. 6. in quarto modo. Rodriguez tom. 1 Summæ, cap. 190. num. 7 & 1. in quibus hæc habetur propositio: si quis interrogetur de re occulta quam manifestare non debet, potest etiam cum juramento affirmare se nescire, aut non fecisse: en manifesta mentalis restrictio à qua dimanat vocum coarctatio, ut non significent nisi quod coarctatur: hujus dicti legitima & justa ponderatio ea est, hoc esse licitum, non quia restrictio libera & ad placitum posita sit licita, sed quia in ipsa obligatione tegendi negocium & rem quam in secreto habui est imbibita, & vox ipsa implicite illam continet sensibiliter antequam mea libera restrictio accedat. hujus manifestam rationem tradit Magister Lorca, qua ponderantur syncere & ad æqualitatem omnes alii auctores, quos pro aliis capitibus superflue adducit. ratio autem est hujusmodi: *Nam qui interrogat, solum censetur interrogare quod jure & recte interrogare potest; & ideo responsio æquatur interrogationi, & sine mendacio profertur non esse, aut non fecisse intelligitur, eo modo, ut manifestare debeat.* hactenus prudentissimus Vir. quare ipsa sensibilis interrogatio restringit sensibiliter responsionem loquentis, quia interrogatio debet esse secundum jus & rectam rationem: voces enim ex se sunt institutæ ad manifestandos conceptus dum interrogamur, ut manifesti sint juxta juris & rectæ rationis metas. quare voces ex sua primæva institutione habent hanc implicitam restrictionem, ut non manifestentur conceptus qui jure & recta ratione manifestari nequeunt. unde quoties quis interrogat rem, quæ jure & recta ratione manifestari nequit, responsio quamvis verbis videatur falsa, re ipsa verissima est, quia ex sua insti-

institutione habent verba hanc subintellectam restrictionem sensibilem, scilicet non scio ut tibi manifestem, quam implicite significant, & semper loquens habet in actu exercito; & sic profert verba juxta mentem, & per consequens non mentitur.

Quia tamen pondus hoc rationis est, quo in statera justa & non dolosa omnes quos congerit Auctores Raynaudus, & aggerat Thomas Sanchez in Summ. lib. 3. c. 6, à num. 15, trutinerari & ponderari debent; enucleandum & limandum est, ut luce clarior appareat falsitas sententiæ oppositæ turmatim adducentis Doctores illorum sensibus non penetratis. Igitur ut indubitatum apud omnes nationes etiam Barbaras pono, nullam personam particularem ex sua dumtaxat auctoritate posse nedum licere vocibus communibus & institutis ad colloquendum inter se homines, sive cum causa, sive sine illa, imponere novam significationem; sicut nec vocibus scriptis potest: nam scriptura ad colloquendum inter absentes, quibus vocibus loqui non possumus, est inventa.

Audiant obsecro menteque syncera, non restricta, Illustrissimum Malderum Episcopum Antverp. virum in scientia & prudentia nulli secundum, libro de abusu restrictio. mental. c. 4. *per restrictionem tuam mentalem nec res significata mutatur, neque vox significans. si ergo vocis significatio ante illam restrictionem sola mente factam fuit falsa, ut fateris, etiam post ipsam erit falsa. falsum enim est quando quod est non esse, vel quod non est esse significatur. fatentur hoc ita esse, sed dicunt, eo ipso quod mente restrictionem addunt se voci suæ imponere novam significationem, qua jam incipiat significare restricte secundum mentem sic restrictam. Parvula res sane! quasi privati cujusque sit quotidie vocibus, quæ publici usus sunt, novas imponere pro arbitratu suo significationes. voces imposuit rebus primus homo, imposuerunt & alii primi. potuerunt hoc aliqui certi in Republica, hoc denique populorum consuetudo potuit. At demus faciamusque tuum esse exemplo Hermogenis (qui, ut ait Plato in Cratylo, putabat pro cujuscumque arbitrio nomina imponi posse) omnibus omnino rebus nomenclaturam indere novam, cui institues novam istam nominum significationem si eam nemini indices? an tibi soli? fatere ergo ubi verum loqui cum proximo splendide mentiaris. sane sicut dum mente sola loqueris nihil proximo significas, ita dum partim lingua, partim mente loqueris in proposito nihil nisi falsum proximo significas.* O verè Philosophica, Politica, Theologica doctrina! quam nullus Christianus Philosophus, Theologus Christiano-Politicus, negare queit.

Quis unquam Antiquorum tale quid effutiit, licere cuilibet pro suo arbitrio nominum notiones immutare & pervertere: *ita ut possit absque mendacio verba usurpare* (ut ait Thomas Sanchez) *etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, ne cum sensum verum admittant ex se, neque ex circumstantiis occurrentibus, sed tantum verum sensum reddant ex aliquo addito in mente proferentis retento, quodcumque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit; vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec perjurus est. sed tantum non dicit unam veritatem determinatam quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam.* hæc Sanchez. quibus quaque doctrina valde timendum est, ne in gravissima incidant homines nocumenta contra Principes, Rempublicam, & bonum commune, quis quæso erit securus in humana conversatione quod non fallatur, si quilibet sine mendacio, & si adsit juramentum sine perjurio, ex quocumque fine dicat se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquod aliud? proclamat Augustinus contra hos ut exaltet vocem suam & dicat: *verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem homines fallant, sed per quæ in alterius notitiam cogitatione suas proferant.* quomodo ergo profert ille qui mentali restrictione ad libitum & beneplacitum ex quocumque fine adhibita communem vocum notionem immutat, alio deferendo omnino occulto audientibus significatu communia, nonne occulta & inusitata restristrio à vocibus rationem nominis aufert? nam nomen competit voci secundum quod facit notitiam de re: nomen enim dicitur quasi notamen ex impositione communi vocibus imposita, ut ait D. Thomas in 4. dist. 3. qu. 2. art. 2. quæstiuncula 1 ad 8. si ergo restrictione mentali ad beneplacitum assumpta commune notamen aufertur, hinc est, quod ratio nominis à communitate imposita etiam aufertur. Hinc est, quod ratio nominis, quæ vel ex primæva impositione, vel ex usu communi, ex quo extenditur ad alia, salvatur, vere per restrictionem mentalem nullum nomen, etiam quo significamus divina, maneat ita syncerum in sua notione, quid ad aliam ex voluntaria restrictione non possit ad libitum adulterari; & passim erunt obviæ fallaciæ, deceptiones, fraudes in humano convictu & conversatione, sine mendacio. quod dicere vel scripto tradere contremisco.

Non pigeat iterum audire Antistitem Antverpiensem ubi supra: *si eadem scribas quæ loqueris, nemo dixerit te vera scripsisse eo quod mente restrinxeris scriptum tuum ad sensum verum, cum sine mentali illo additamento in se sit falsum. Itaque frustra conaris per supplementum mentis jam præjudicatæ vocis tuæ corrigere falsitatem. quid enim refert an scripto vox ligata sit an liberiori sono in aërem avolet? cum sit alligata semper suæ significationi, quam non magis ipse mutare potuisti, quam novo à te excogitato scribere Alphabeto. hæc licentia etiam calumniam struere potest omni sacræ & divinitus inspiratæ Scripturæ, cum citra mendacium potuerit Hagiographus falsa scribere mente sola eam corrigendo suis supplementis; atque ita vacillabit in omnibus ejus auctoritas, cum semper suspicari aut dubitare possis anne hic eo artificio sit usus, qui semper eo uti potuit. Fateor tamen in revelatione mysteriorum fidei Deum non tantum restrictione pure mentali non uti, nec uti posse; at ne quidem ambiguis locutionibus, quæ non habent sensum obvium, ne moraliter sit causa erroris. in Scripturis tamen interdum utitur sermone ambiguo & tropico ne vilescat & segnes simus in earum scrutinio, & ne infideles rideant cognita, aut ne futura quædam quæ sic præsciri non expedit. eodem pene recidit quod dicunt esse suam orationem mixtam ex vocali & mentali, & esse veram ut sic mixtam. Dicam enim parum id referre, quando proximo, cui veritatem debes, tantum ea parte orationem tuam manifestas qua falsa est.* hæc ibi.

Quod argumentum ita ponderat in statera justa, ut omni pondere gravius sit. veracitati enim divinæ solum indispensabiliter opponitur mendacium; omnibus tamen illis cum quibus veritas consistit non adstringitur. si ergo cum restrictione mentali vitatur mendacium & veritas subsistit, quæ ratio potest Deum cogere ut de sua potentia absoluta non revelet orationem mixtam ex nominibus & restrictione mentali; & sic necessario sequatur homines decipi per divinam revelationem. si enim homo habere quit causam justam ad restrictionem mentalem ad suum placitum adsumendam, nunquid ratio justa deficiet Deo, ad similem orationem & restrictionem faciendam? hoc autem vel dictu absurdum est.

Notandum secundo discrimen manifestum, quod

versatur

versatur inter loquentem qui interrogatus respondet, & illum qui ultro loquitur & non obligatus est ex aliquo munere aut restitutione famæ, quam injuste abstulit, de quo infra cum Divo Thoma: quod qui interrogatus respondet, & nequit manifestare veritatem, quia indebite interrogatur, vel quia petitur aliquid quod sibi non convenit donare, aut mutuare, aut commodare, si neget scire aut nolit dare, in ipsis vocibus ex circumstantia interrogantis aut petentis est restrictio imbibita sensibilis, *nescio ad propalandum*; non habeo *ad dandum*, aut *commodandum*; ita ut interrogatio aut petitio sensibilis restringat voces respondentis. In hujus verissimæ doctrinæ confirmationem in hujus digressionis Theatrum introduco illustrissimam personam Antistitem Antverpiensem cap. 10. sect. 2. tractatus citati: *Noto tertio* (inquit) *eodem modo quo de Amphibologico sermone sumus locuti, etiam judicare non posse de restrictione mentali, quando ea aliquo modo verbis exterioribus propter circumstantias significatur, quod facilius fit quando interrogati respondemus: possum enim sensum interrogationis eo modo accipere quando exorbitans est, quo exorbitans non sit, & quomodo accipi interrogatio ab ipso interrogante debebat. verbi gratia, si inquirat de aliquo quod secretum esse debet, potest ei respondere quasi nescias, quia debebat non ulterius inquiri quam quatenus revelari potest. verbi gratia cum sis legatus Regis interrogatus ab alio Principe ad quem missus est, an Rex cogitet inferre bellum tali Provinciæ, respondebis recte te nescire, etiamsi scias, quia interrogans debebat exigere scientiam hujus secreti cum ea restrictione, si dicere id tibi liceat; & quia nemo præsumitur peccare, merito præsumis non alio sensu te esse interrogatum. dicens ergo te nescire, eo scilicet modo ut liceat dicere, satisfacis importunæ interrogationi, ejus exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum: quando enim restrictio mentalis aliquo modo in verbis indicatur, hic & nunc, & tali occasione, & cum ejusmodi circumstantiis proferuntur, non est major in ejus usu difficultas, quam in uni amphibologici sermonis.* & infra: *Si ergo ratio subsit tunc sic loquendi, & absit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet, licebit tibi uti restrictione mentali aut subintellectione: falsitatis enim & mendacii deformitas cessat, quia isti etiam mentis conceptui, qui rei respondet, verba respondent in quodam suo sensu. ubi observo differentiam inter casum quo locum habeat restrictio, sic ut debeam dicere, & illum quo loco habeat restrictio, sic ut possim dicere: prior enim locum solum habet, quando indebito actu exercito interrogans tanquam debitam exigit responsionem, ut de usurpante officium judicis diximus. alter autem semper locum habet, quando non potest dicere quod interrogaris. qui enim à te petit responsum, cum nemo præsumatur malus aut male agere, merito censetur petere responsum possibile, salva lege divina aut naturali & æterna.* Hactenus Illustrissimus Doctor.

Ex quibus manet obscuratus color ille optimus, quem suppostitiæ opinioni suæ de restrictione mentali ad libitum assumenda, ad excusandum mendacium & perjurium, depinxit Raynaudus; quare qui restrictionem istam liberam & independentem à circumstantiis extrinsecis defendunt, quid aliud faciunt, quam arare mendacium, id est, concinnare & adornare? & quid obsecro est restrictio ista, quam concinnatio & adornatio mendacii? quare comedent fructus mendacii, ut dicitur Oseæ 10. n. 13. noli ergo Emonere, *arare mendacium adversus fratrem tuum*.

His ponderibus sanctuarii & veritatis trutinati Auctores fere omnes, quos adducit Raynaudus, manifestissime inveniet omnes non loqui, nisi de restrictione mentali, non libera & ad placitum cujusvis personæ particularis, sed de restrictione qua quis in actu exercito utitur, dum interrogatus respondet interroganti ea quæ vel non potest respondere, vel non decet aut convenit veritatem propalare. Pro confessore, interrogato de crimine quod scit sub sigillo confessionis, adducit S. Thomam, Scotum, Altisiodorensem, & posset adducere omnes quotquot sunt Catholici Scriptores. miror quod ad tam paucos se restrinxerit, dum tam late disputat de sua restrictione. quam pulchre Hieronymus Apologia 1 contra Ruffin. in principio: *volebat* (ait) *me interpretatione quasi prævium sequi, & auctoritatem operi suo ex nostris opusculis* (Divi Thomæ, Scoti & aliorum) *mutuari.* & infra: *vidit nos intelligere prudentiam ejus, & prædicationis diasyrticæ strophis in scholis sæpe lusisse simplicitatem obtendere non potest, in quo artifex defenditur malitia.* & quomodo sine malitia ad tuendum artificiosum mendacium restrictionis mentalis tantos accumulat antiquos Magistros, qui de puncto difficultatis nihil agant? dum enim Scholastici, Summistæ & Canonum Doctores dicunt confessorem, dum negat interrogatus scire se crimen in confessionem susceptum, posse & debere negare se illud scire, etiamsi patiatur tormentum mortis, & quod sic loquendo verissime loquatur; tum quia non loquitur respondens in tribunali hominis, & illud scit in tribunali divino; tum quia cum interrogatur, quantum ad hunc articulum manifestandi, nec Vicario Dei Summo Pontifici sit subjectus, à quo ille nequit de hoc juridice interrogari; etsi interroget, interrogatio ipsa sensibilis secum trahit restrictionem responsionis, quare responsio sensibiliter implicite significat quod confessor illud non scit ad manifestandum. quod ita certum est, quod in judicio fori recto nihil probet contra Reum testimonium confessoris inique revelantis peccatum, ut alibi doceo.

Pro reo interrogato à judice contra ordinem juris multos etiam adducit Theologos, Iuristas & Morales, qui omnes & multo plures, quos adducere posset, dicunt, non teneri aperire veritatem etiam sub juramento expiscatam inique & non juridice; quia ipsa iniqua interrogatio subministrat ex vi nominum impositionis (quæ facta est non ut significetur conceptus injuste expiscatus & extortus) restrictionem loquenti & respondenti, quæ verba *non feci*, *non audivi*, *non vidi*, & similibus intelligatur subintellecta, *ut dicam tibi*, qui es iniquus Iudex in interrogatione, vel es percontator imprudens secreti, quod non possum vel non debeo manifestare. sic omnes fatentur reum negantem crimen, si non juridice interrogetur, non committere mendacium, quia negat crimen secundum rationem accusationis aut interrogationis, qua quis de publico aut juridice notorio crimine reus agitur. idem enim est dicere non feci crimen, ac si diceret non publice feci; quod verum est. quæ responsio cum sit vera, nullum erit in ea peccatum, etiamsi intercedat juramentum. ita late & egregie Salon. 2. 2 q. 68. art. 2. controversia 11. quem male intellexit Raynaudus, cap. 14. num. 16 post multa quæ ea quæ diximus confirmant, concludit Valentinus Magister: *quando quis voluntarie & libere loquitur, debet uti vocibus juxta communem sermonem, at quando vis vel fraus ei infertur non teneri, sed posse partem mente retinere, quia videlicet interrogatio injusta constringit voces ad significandum secundum id, quod sine vi & fraude debet interrogari, quia* voces, ut ait Augustinus, non sunt institutæ ad fallendum, fraudibus & violentiis utendum. & sic egregie Sotus in doctissima illa relectione de secreto tegendo, membro 3. q. 3. conc. 4. dixit, illa verba nihil scio, *jure ipso restricta sunt, ut*

intelligantur de illis criminibus quæ juridice possunt inquiri, in quibus revelandis testis subjicitur tali judicio. alias si præter jus interroget, qui respondet ad intentionem juris, non mentitur. Ecce ubi Sotus restrictionem juris admittit, quia ex vi juris publici restringentis voces ad hoc significatum, hoc significatum in vocibus imbibitur; alterius autem restrictionis ad placitum cujuscumque nec mentionem facit.

Hæc est genuina mens & justa libratio omnium eorum Auctorum, quos tam longa manu ex antiquis adducit Raynaudus. qui omnes loquuntur de respondente ad interrogationem indebitam. ita Guido de Monte Retherii, qui scripsit abhinc trecentis annis Manipulum curatorum p. 2, tract. 3, cap. 11. Sylvester verbo Mendacium, quæst. 6. Tabien. verbo Iuramentum, num. 14. Philiarchus tom. 1 de offic. facer. p. 2, lib. 3, cap. 14. Sayrus lib. 12 Clavis, c. 17, num. 21, ubi manifeste loquitur de verbis æquivocis & amphibologicis, quibus uti posse reum injuste interrogatum nullus dubitat; cum omnes fere id adseverent, quos ibi lato calamo citat. cæterum n. 26, agens de restrictione, hanc ponit regulam, quando in aliqua propositione possunt intelligi & suppleri aliquæ particulæ ex circumstantia loci & temporis, & personarum, quas alteri quispiam exprimere non tenetur, idem est ac si particulæ illæ expresse in illa propositione ponerentur, quantum ad veritatem, vel falsitatem propositionis attinet. legatur num. 29. ubi ex Salone egregiam tradit doctrinam, de teste & Tabellione se ultro offerentibus judici, cui debent veritatem aperire, & veras scripturas proferre sine æquivocatione, amphibologia aut restrictione. secus vero, si vocati à judice contra juris ordinem interrogentur. Eandem doctrinam tradit Hieronymus Angestus lib. 2 de Virtutibus, cap. 4, punct. 3, docum. 6, corollar. 7, ubi hujus veritatis hanc tradit universalem & certam regulam: *verba quæ exiguntur in aliquo foro, suscipiunt interpretationem secundum qualitatem fori.* hæc ille. ergo non dependet interpretatio à restrictione mentali ad libitum & beneplacitum loquentis, sed ex fori qualitate interpretatio anteit mentali restrictioni, quæ conformatur interpretationi externæ fori, in qua proferuntur verba. idem & non aliud docent Navarrus in capite Humanæ aures 22, quæst. 5. cap. inter verba conel. 6, coroll. 22. & in Manuali cap. 12, num. 8 & 9, & 19. & cap. 18, num. 61. & cap. 25, num. 43. Molanus lib. de fide rebellibus servanda c. 8, ubi nihil aliud dicunt, nec mentionem faciunt de restrictione mentali omnino libera, & ad libitum adhibita, sine circumstantiis extrinsecis restringentibus, ut nos loquimur.

Idem prætendunt Catholici Christiani politici & Philosophi morales, quos introducit cap. 18. & primum semper mirabor hominem Religiosum & dubio procul eruditum, qui, ut suæ opinioni auctoritatem accrescat, illam emendicet ab illis Auctoribus, quorum verba, ut jacent scripta, Hæretica sunt juxta regulas fidei, & dogmata Catholica, quamvis juxta Ethicam moralem naturalem possint sustineri, ut egregie dixit Iavellus non penetratus à Raynaudo lib. 4 Ethicorum, tract. 7, cap. unico, ut mox enucleabo. miror igitur quod Raynaudus, qui ut Catholicus loquitur, assuescat sibi pro sua sententia Auctores afferre quorum verba hæretica sunt. tales sunt Iacobus Faber in introductione ad Ethic. cap. de veritate; & Iodocus Clytovæus in commentario ejusdem. ille dicit, *mendacium quod nulli nocet, at prodest multum, licitum esse*; iste vero affirmat, *quod dicere falsum interdum nulli nocet, & prodest multum, & si grande ex illo futurum bonum imminet, licere absque peccato. quamvis ait hæc falsa enunciatio non sit mendacium, quia istud dicit fraudulentam deceptionem ad alterius detrimentum sicut fornicatio & adulterium: licet enim omne mendacium sit falsum, non tamen & omne falsum est mendacium.* hæ locutiones hæreticæ sunt, si in proprietate sermonis usurpentur, ut usurpatæ sunt à suis doctoribus. & tamen Raynaudus, ut non recedat à veritate Catholica, tam mendacium, quod licere ait Faber, quam falsum dicere, quod esse licitum confitetur Iodocus, ad improprium mendacium & improprie dicere falsum, quia in specie opponitur veritati, non tamen reipsa, reducit. cujusmodi est restrictio mentalis.

Sed cur Machiavellum illis non jungit, qui non minus clare loquitur, quam isti, in tractatu de Principe, dum loquitur de licito mendacio in Principe, ut sic illi versus Homericus aptetur:

Ter ternas naves Rhodiis præstantibus aptas
E Rhodo agit.

Et illud Virgilii lib. 5 Æneidos, ubi agit de Cretensi labyrintho, quem dicit,

——— Ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Si horum errorem in fide omnino irremeabilem filo restrictionis mentalis ad libitum accepto, fallaciisque vult tueri, & in suum patrocidium adducere Iacobum Fabrum, cujus opera tot sunt asteriscis infamibus notata à judicibus fidei tam Romæ, quam Hispaniæ: magis quidem debuerat adducere Iustum Lipsium lib. 4 civilis doctrinæ, cap. 13 & 14, qui modestius loquitur & magis conformiter Patribus Græcis, quorum phrases & modos loquendi & ipse Raynaudus & approbat & defendit, ut suam mentalem restrictionem defendat. quam lumine naturali ductus exclusit Salustius in Catilinam: *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magis vultum quam ingenium bonum habere.* quibus verbis totam Raynaudi expugnat & rejicit opinionem.

Sed jam videamus alios Politicos, quos ut pro se loquantur introducit. Primus est sapientissimus Magister Fr. Ioannes Marquez in opere *del Governador Christiano* lib. 2, cap. 7, §. 2. sed etiam in Politicis adducendis in favorem suum Raynaudo jus periit, *perdens oleum & operam.* Sapientissimus igitur vir semperque venerandus pro suæ doctrinæ soliditate & virtute in illo §. 2, tract. 5, *Virum sit licitum mentiri aliquando,* ad evitanda magna inconvenientia, & Catholice respondet negative, & agens de Legato Regis misso ad alium Regem, dicit duo, quod aut Princeps apud quem munus legationis exercet, incipit inquirere de potentia, exercitibus, Thesauris, & aliis necessariis ad Regni tutamen sui Regis, aut ipse legatus ultro se offert ad hæc omnia dicenda & referenda. & hoc posito, dicit duo: I. si Legatus non ultro se offerat, sed Rex incipiat inquirere, potest uti verbis æquivocis aut amphibologicis: *O si estas no le ocurrieren, ó con ellas no se asegurare bastantemente de que encubre la pobreza ó desapercebimiento de su Principe, puede decir redondamente que su Rey esta muy poderoso de gente, &c. Y todo lo demas que fuere necesario para que el que lo pregunta se engañe en la substancia de la respuesta con que en su entendimiento añada una restricion a las palabras con que las mude el sentido ó diciendo mi Rey tiene todo esto en el deseo de los Vasallos ó en el mio, &c. O si solo dixesse esta muy sobrada y apercebido podria añadir para comigo, de virtud y oraçiones para con Dios, que se desvia menos del sentido de la palabra y se*

tuerce,

tuerce, y le tuerce de manera que el Rey que le haze la pregunta se engañe en la substancia de la respuesta y se le encubra lo que es necessario que no alcanze, esta doctrina es comun entre los Doctores Catholicos, que concuerdan que quando la pregunta es injuriosa, ó el que responde tiene justa causa para encubrir la verdad respecto de que tiene grave daño si la descubriesse puede valerse de estos medios para encubrirla y añaden, que podia interponer la Religion del juramento, &c.

Pero advierta el Ministro mucho, que de este remedio no puede usar si no como hemos dicho para salir de el aprieto en que le pusiere la pregunta, que se le pusiere porque si el desvio entra en la platica esta obligado à hablar en sentido llano y conforme a la intencion del que le escucha y en este caso procede la Regla de San Isidoro, libro secundo de Summo bono cap. 31. y san Bernardo tract. de interiori, domo cap. 51. quacunque forma verborum quis juret, Deus autem, qui conscientiæ testis est, ita accipit sicut cui juratur intelligit. Que con mas artificio que tenga el que jura en eludir con palabras la esperança del que entiende el juramento Dios, que es testigo de la conciencia, lo recibe de manera que el que lo oye y no como quiere sentir el que jura, y asi lo entiende expressamente Sancto Thomas 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4. y la raçon de diferencia es muy clara, porque en el un caso no se puede pretender por esse medio, otro fin si no engañar a el Rey, y esto es contra la verdad que el derecho natural pide en el trato humano, y en el otro se pretende salir de el aprieto, &c. quæ sequuntur valde egregia.

Videat ergo Raynaudus qua simulatione & verborum restrictione Magistrum Marquez pro se adducit, qui expresse rejicit restrictionem, nisi dum quis injuste interrogatur: tunc enim ex circumstantiis personæ, officii, negotii, loci & temporis voces ipsæ ex sua impositione habent restrictionem sensibilem, quæ implicite significat mentis restrictionem. unde oratio exterior non est mixta ex mentali & vocali, sed tota est sensibilis ad unam partem expresse, ad aliam implicite. quam implicitam significationem non potest loquens adhibere, nisi coactus respondere, ut contra rationem & jus interrogatus.

Duo alii adducuntur Politici, Helias Pitardus in Morali Philosophia dissertat. 5. p. 3. cap. 7. sed iste temerarie loquitur in aliquibus, dicens: *mendacium vitiosum non esse simpliciter definiendum penes pugnam verborum & mentis, sed insuper exigi, ut ea contrarietas malum aliquem finem spectet.* quæ doctrina erronea est: nam ex Scriptura & Patribus, *mentiri est contra mentem ire.* videat Raynaudus si sibi placeat pro se adducere auctorem qui pro fundamento habet doctrinam contra omnes Theologos, Patrum consilia, & Scripturam. sed in sequentibus Elias iste, sicut & Fredericus de Marselaer lib. 1 de Legat. dis. citat. 39, loquitur his qui respondent ad interrogata, non vero de ultroneis locutionibus, cujus discriminis rationem supra dedi ex Marquez.

SECTIO XI. *Fallax Raynaudi statera.*

OLfecit dubio procul hanc solutionem Pater Raynaudus, postquam congessit tantam Auctorum multitudinem, quam evanidam & nullius efficaciæ agnovit, nisi prius ostenderet nullum esse discrimen inter suam sententiam & communem, quæ asserit licitam esse restrictionem quando ex circumstantiis loci, temporis & personæ, &c. hic & nunc restrictio mentis & subintellectio sensibiliter implicite continetur in vocibus. hoc autem præstat cap. 9, in quo postquam posuit discrimen inter illum qui interrogatus respondet, & eum, qui ultro se ingerit ad loquendum; quod iste salva veritate nequeat uti restrictione mentali, secus vero ille, juxta dicta à nobis in superioribus. interrogatio enim etiam externa & sensibilis debet esse secundum jus, rectam rationem & politiam Christianam imperata, unde imbibet in se sensibiliter implicite eas conditiones, quæ, si exprimerentur in responsione, interrogans non deberet esse rationabiliter offensus, aut posset prudenter querimoniam formare. unde interrogatio externa sensibiliter secum trahit restrictionem, quam respondens adhibere potest. Ast dum quis ultro loquitur, non habet jus aliquod ut externa ejus locutio concipiatur ab audiente restricte, juxta restrictionem omnino mentalem & omnino disparatam ad verba, quæ profert ex vi suæ institutionis; & ita est evidens, quod nequit verba secundum veram significationem alio divertere ex vi suæ restrictionis ad suum placitum adhibitæ interius.

Verum, ut dixi, Raynaudus hoc manifestum discrimen statera dolosa ponderatis dicit, quod nullum esset, aut negligendum: *Quia* (ait) *is quoque qui ad loquendum se ingerit, quia subest causa non promendi integre conceptum, ita vere loquitur sicut juxta leges veracitatis & simplicitatis loqui tenetur, si id exprimat quod potest sine incommodo exprimere; & ejus locutio debet rationabiliter accipi ut cadens in hoc duntaxat. ergo quamvis non interrogetur, potest tamen recte subintelligere se non teneri plus dicere, & verba ejus apte censentur exprimere quod concipit, in quantum debet illud exprimere. Atque adeo cum non teneatur aut debeat plus exprimere, quam revera faciat, subauditio illa apte purgat locutionem sic restrictam, & per verba aliquo tandem modo subindicatur, ac implicite exprimitur. sicut vice verba qui interrogatur de re quam celatam habere portet, potest sub audire illud, ita ut possit effari, quia si tenetur de ea silere, merito negat se posse de ea loqui.* hæc Emone-Raynaudus.

Sed ista solutio est in luce *Smaragdus obscurus & cæcus*; cum non videat Raynaudus luce clariorem distantiam, quæ est inter utrumque, ultro se ingerentem ad loquendum, & eum, qui interroganti respondet: nam interrogans secum trahit in sua interrogatione sensibili & expressa restrictionem; at ultronea locutio externa audienti non proponit restrictionem, quam ipse ad placitum adhibet. & responsione ad interrogata Lex divina tam naturalis, quam Euangelica, leges & jura humana, & omnium Auctorum totius antiquitatis catholice loquentes illam restrictionem agnoscunt: at in locutione ultronea nullus antiquorum, aliquod vel jus divinum, vel humanum illam admittit, utpote cum sit manifestum mendacium, utpote alterans ad cujuscumque placitum vocum significationes, quæ ordinatæ sunt ad bonum commune; quod, juxta rationis regulas, ex quacumque causa, convenientia aut fine particulari nullus singularis homo potest invertere, neque in parte, quod hac manifesta ratione evincit Episcopus Malderus ubi supra, sic loquens pagina mihi 69.

Noto primo (ait vir sapientissimus) *non sufficere subintelligi a te, vel mente suppleri illam sermonis tui restrictionem, qua desinat esse falsus qui falsus alioquin erat; imo quando non aliud concurrit, sermonem ejusmodi tuum non tantum manere falsum, sed vere ibi esse mendacium. utrumque liquido probo. Falsum enim esse quod dicis, quando rei significatæ signum orationis non respondet, certissimum est. suppono autem in proposito non respondere, dicis enim te non fecisse quod fecisti, non scire quod nosti, & similia. Neque juvat quod subintelligas te non fecisse, aut non scire sic ut tenearis dicere; quia illa restrictio non signifi-*

significatur ullo modo verbis exterius, ut suppono, neque ex circumstantiæ hic & nunc concurrunt, ut merito tale quid subintelligi exterius etiam significatum judicare possit. verba enim tua non sunt conformia menti tuæ, sed contra mentem tuam proferuntur, ideoque neque mendacii labem effugis, & contrarium enuncias. quod vero non sic feceris ut tenearis dicere, verum quidem est, sed sola id mente dicis, verbo autem exteriori id siles. neque consuetudo hominum, qui voces rebus significandis imposuerunt, hoc fert, ut eo te excusare queas, quod verbis tuis tam restrictam significationem imponas, ut non nisi secundum mentem tuam jam restrictam significent; si tibi soli loquaris colorem id aliquem habere posset, sed his loqueris quibus significatio talis præstituta est, ut tuam omnino refugiat restrictionem, quando aliud non additur manet ergo mens tua in mendacio, si vel mentem aliter verbis tuis, aut verba menti non conformes. hactenus ibi. Similia habet cap. 8. pag. 55.

Et ego manifesto argumento confirmo; quia, dum quis habet justam causam sibi soli cognitam, in menteque reconditam non aperiendi veritatem, dum ultronee se ingerit ad loquendum, cum alias ad loquendum non adstringatur, jam causa illa suam honestatem amittit, quæ attentis omnibus circumstantiis agnoscitur. Si autem possit non loqui & ultronee loqueris, cum alias prudenter silere possis, nulla adest circumstantia exterior ex qua audiens possit & debeat colligere te restrictionem illam adhibere; & sic alte manet in mente occulta, & falsitas locutionis malagmate restrictionis omnino mentalis correcta non manet, cum illa restrictio omnino concomitanter se habeat ad externam vocum significationem. ex quo constat quam eleganter dixerit Theophrastus cap. 1 Ethicorum Charact. *Ab istiusmodi ingenuis neque simplicibus neque apertis, sed ex occulto & ex insidiis omnia agentibus diligentius cavere debemus quam à viperis.* & Homerus Iliad. 4.

Haud minus ille mihi exosus quam janua ditis,
Mens aliud cui tecta tegit quam lingua loquatur.

Si enim concedas quemlibet ob suam dumtaxat convenientiam particularem, dum ultro & non interrogatus loquitur, posse alterare vocum notiones & ad suam restrictionem, ut ad mensuram veritatis dicta, reducere, nihil certi manet in hominum libera locutione, sed unusquisque facile posset proximum eludere, filius etiam patrem, uxor maritum, subditus superiorem, discipulus magistrum; eritque hæc doctrina janua quædam gravissimorum malorum, à qua procul sint viri Religiosi & spirituales.

Audi virum & doctrina & synceritate plenum & Antistitem secularem, sic loquentem ubi supra cap. 9. pag. 58, *videre debent illæ personæ quæ ad perfectionem Christianæ vitæ adspirant, sive in statu perfectionis exercendæ, sive tantum in statu perfectionis addiscendæ, an non obliviscantur suæ professionis, quando adeo sunt proclives ad mentales restrictiones, ut iis longe frequentius utantur, quam qui non ita præ se ferunt sectationem perfectionis. sane propter rationem dictam credo longe eos melius facere, qui etiam quando licent (quod perrarum est) à mentalibus restrictionibus omnino abstinent. Omitto, quod sæpe parum in his subtilioribus versatis putabuntur licere, quando revera secundum Dei legem non licent. Facile enim continget scandalum oriri, quando putatur mentitus qui dicta sua mentaliter restrinxit. abstineat ergo timorata conscientia à talibus propter syncerum simplicitatis affectum, propter studium perfectionis, aut saltem propter periculum peccandi; aut denique ne quem scandalizet; etiam tunc, quando veritas sui dicti nititur restrictione, quæ non ita in mente sola latet, quin etiam exterius quodammodo significata sit: nam si nullo modo exterius significata queat intelligi, hæretur in mendacio.* Aurea quidem verba viri prudentissimi.

Quibus ego addo, quod ex tali doctrina imbuti juvenes in scholis assuescent eructare verba obscura, suspensa, in speciem composita, orationem intortam, verborum involucra; & sic *Persarum Magisterium* reviviscet, qui, ut ait Xenophon, *scholas habebant in quibus pueri docebantur decipere, calumniari, fraudare proximum & amicum.* maxime enim interest qua doctrina pueri alantur: nam male pasti macrescunt, bene pasti fiunt salubres, ex quibus populus, aut ex illis aut amplus fit. & hoc est situm valde in Magistrorum doctrinis. quod egregie Aristoph. in equitibus sub persona Cleonis, cui cum objiceretur, quod paululum cibi præmansi in os insereret, maxima vero ipse deglutiret, respondet:

Ita per Iovem. Nam dexteritate ego mea
Exilem & amplum valeo populum reddere.

Videant obsecro restrictores mentium, an ita faciant. ego vero restrictiones pure mentales tanquam *sulliti filium* abominor, vel quia in specie mendacia, vel multo magis, quia reipsa sunt; & quidem, ut sæpe dixi, nec gravabor sæpe dicere, quod omnes Patres Græci & Latini ita nominarunt, nec agnoverunt restrictionem mentalem sine mendacio, quamvis aliqui Patres Græci illud consilient, ut minus malum, *in summa necessitate.* At Augustinus & Patres Latini nullum mendacium etiam jocosum seu officiosum (illud fit ad solatium auditorum, istud vero ut prosit sibi vel alteri, aut caveat sibi vel alteri à malo imminenti) excludunt. exemplum quod adducit de sancto Francisco, qui inquisitus, an homo reus transisset per locum ubi assistebat, respondit non transiisse per illum, apponens manum in manica; jam facto externo, restrinxit verba. quod si non viderunt inquisitores, fuit per accidens.

SECTIO XII. *Explicatur sententia Chrysostomi Iavelli male intellecta à Raynaudo.*

Doctissimus Iavellus, cujus claritate ingenii & doctrinæ veritate permaxime delector lib. 4 Ethicorum, tract. 7, capite unico, sic fatur: *quarto adverte quod declinare à vero in minus mentiendo: non propter bonum consequendum, aut malum vitandum, est secundum se malum, quia non subest causa mentiendi; nec verax sic declinabit à vero. Causa autem consequendi boni aut vitandi mali, videtur Philosopho morali, quod liceat veraci declinare à vero, mentiendo. & hoc videtur intentio Eustratii & Domini Linconiensis, qui dicunt, quod verax non mentietur, nisi gratia evidentis utilitatis, & propter alicujus commodum, aut vitandum incommodum, & cum sic mentitur libenter declinabit à vero in minus quam in majus. Arbitrantur enim loquendo moraliter, quod mendacium non sit turpe, si quis propter alicujus salutem mentiatur. quod dictum salvari potest in mendacio jocoso & officioso, non tamen in pernicioso, quod fit cum detrimento proximi, quale est mendacium proditorium aut diffamatorium. dixi autem loquendo moraliter, quoniam hic intendimus de Philosopho morali. Virum autem quocumque modo mentiri liceat sine peccato coram Deo, determinabimus cum loquemur de veritate & mendacio in doctrina morali Christiana p. 2. tractat. 3. cap. 3. pagina mihi 410.*

Stomachatur in hanc doctrinam Raynaudus c. 18, num. 2. & *canina victitans, cynocephalum oppugnat*; & zelo mentaliter restricto insurgit in eum, quem melius posset in suam trahere sententiam, sicut trahit Cassianum, & alios minoris auctoritatis similia verba

verba ac Iavellus eructantes, exponendo de mendacio improprio & in speciem dumtaxat. sed forsan ideo non placuit Iavellus, quia dixit hoc genus mendacii nullatenus licere *in Christiana doctrina*.

Igitur Raynaudus nimium scrupulosus dicit: *falsissimam esse Iavelli sententiam si sensus illius sit, mendacii alicujus prolationem quæ illicita est secundum veritatem Philosophicam, cum moralis Philosophia non dissentiat à Christiana, sicut nec unum verum alteri vero repugnat, ut habetur in Concilio Lateranensi adversus eam reprobam Philosophandi rationem, quam Pomponatius & alii ejusdem furfuris Philosophi per ea tempora invexerunt*. quare nullatenus dicendum, Philosophos principales morales sensisse, licitum esse mendacium proprie sumptum, quando subest urgens causa.

Sed antequam sententiam Iavelli extricem, inquiro à Raynaudo cur tam durus sensor sit contra mendacium etiam jocosum & officiosum ex urgentissima causa commissum, & tam largus distributor restrictionum pure mentalium? cur obsecro Aristoteles & alii Philosophi, Patres & Doctores virus mendacii damnarunt? Raynaudus ipse respondet cap.2, num.19, *idcirco* (inquit) *reprobatur mendacium, quia mentiens pervertit usum ad quem data est loquela, efficiturque audienti causa erroris quantum in ipso est. Ita expresse dixerunt Basilius hom. in illud attende tibi. sanctus Ephrem Syrus opusc. de virtutibus & vitiis cap. de mendacio. Antoninus Imperator libro nono de vita sua num.1. Augustinus in Enchir. cap.22, & lib.15 de Trinit. cap. 11, ubi concludit verbum exterius insonans auribus audientis esse quoddam signum verbi intus latentis*. atqui restrictio pure mentalis pervertit usum ad quem data est loquela, & insuper quantum in se est efficitur causa erroris audientibus: ergo restrictio pure mentalis eandem habet malitiam ac mendacium. minor evidens est ex toto libro Raynaudi, quia, ut ait, restrictio pure mentalis usum loquelæ invertit, & communem vocum significationem transmutat ad libitum; ex quo necessario & infallibiliter sequitur, quod audiens decipiatur; & in utroque est sita malitia mendacii, ideoque contra mentem ire malum est jure naturæ, quia est perversio usus loquelæ & signorum, & quia ex hoc ad libitum assumpto audiens decipitur; & quidem si Augustino & aliis Patribus agnita esset hæc mentalis restrictio immunis à malitia mendacii, sitque tam apta, ut prædicant ejus defensores, ad occultandam veritatem etiam prolatis verbis in communi inter homines sensu, per hancque excusetur malitia mendacii, quomodo de ea mentionem non faciunt, dum contra hæreticos Priscillianistas agunt, imo contra istos qui illa se defendebant, dicentes, *jura, perjura, secretum prodere noli*, utentes restrictione mentis, dicunt eos esse mendacio alligatos, quod nunquam est licitum; sicut nec restrictio illa dementata pure mentalis, introducta ut nomen mendacii excludentes retineant tamen notionem & significatum ejus, callide mendacium introducentes tanquam licitum.

Hac astutia plures Hæreticorum disputantes cum Catholicis usi sunt, dum vocibus conveniebant cum Catholicis, sed in alia longe significatione utentes nominibus communibus, ea ad aliam notionem mente conceptam interius divertentes. sic Pelagius naturam appellabat *gratiam*, intelligendo *creationis*; Semipelagiani similiter eadem simulatione utebantur; Semiarriani etiam videntes, quam abominabilis fuit error Arrii, dicentis, verbum Divinum esse creaturam & non Deum, ipsi symbolum confecerunt fatentes *verbum esse Deum de Deo*, & occultantes nomen creatura, illud subintelligentes, addebant, *esse verbum Deum de Deo voluntate productum*. in quo erat hæresis Arrianæ virus pestiferum. quare in prioribus verbis restrictione utebantur, legatur Concilium Ariminense illegitimum, quod in tomo 2 Conciliorum reperietur. quod prævidens Epiphanius hæresi 64, ex Methodio contra Origenistas sic eleganter fatur: *sunt hi qui verborum prætextibus tragico modo conati sunt velut mulieres, quæ forinsecus de industria ad fraudem ornantur. quare cavendum est, ut talem sermonem ne in cor admittamus, antequam exacte consideremus. præoccupant enim sæpe impositores veros Doctores: quemadmodum enim Sirenes vocis jucunditate odium erga homines procul occultant & fugientes ipsas alliciunt*.

Sed veniamus ad explicationem Iavelli non intellecti à Raynaudo: verissimam enim doctrinam tradit (si verum est quod sit in morali Philosophia tale principium) ex Divo Thoma, ut manifeste ostendam. potest enim aliqua propositio esse vera juxta principia proxima alicujus scientiæ, quæ veritas non subsistit secundum principia alterius scientiæ. ita Doctor sanctus in 4. dist.44. quæst.2. art.2. q.3 ad 2, dicens, *implicare in adjecto & esse contra principia Mathematica, quod duæ lineæ aut superficies aut profunditates sint in eodem situ & loco, quia Mathematicus considerat quantitatem secundum situm, judicans diversam quantitatem ratione diversi situs; atque ita si duo corpora sint in eodem situ, Mathematicus non habet principium ad judicandum esse duo, sed judicabit esse unum dumtaxat*. quod judicium secundum sua principia evidens est, & verum; tamen cum Theologus, quantitatis distinctionem judicans sumi à subjecto, judicat quod etiamsi Deus duas quantitates ponat in eodem situ, retinebunt suam distinctionem, & docet quod duo corpora de potentia absoluta possunt esse in eodem loco. similiter multa sunt in Scriptura, quæ veritatem habent secundum causas proximas & secundas, quæ deficit secundum causam superiorem. unde in veritate intelligitur conditio, nisi aliter disponat causa superior. ut est illud dictum ad Ezechiam Regem: *Cras morieris*, quod verissimum fuit juxta exigentiam causarum secundarum, & tamen non fuit secutum ex dispositione contraria causæ superioris. ita similiter dicit Iavellus, si principia Philosophiæ moralis attendantur, non est turpe mendacium jocosum aut officiosum ad fugiendum grande malum, vel ad consequendum grande bonum proprium vel alienum, quia Philosophus moralis considerat virtutes quatenus sunt media ad consequendum finem ultimum naturalem, sicut Philosophus moralis Christianus eas considerat quatenus sunt media ad consecutionem finis ultimi supernaturalis, in ordine ad quem nihil conducit mendacium, etiam jocosum. & sic nullo titulo, nullove colore est admittendum, sed semper turpe est ab intrinseco. at Philosophus moralis naturalis judicat licitum mendacium juxta sua principia, secundum quæ veracitas non dictat semper & in omni necessitate, etiam urgentissima, pro defensione Reipublicæ aut vitæ propriæ dicendum verum; sed aliquando quod non sit turpe mendacium officiosum, ex quo oritur magnum bonum, aut vitatur magnum malum proprium vel alienum; quamvis si hoc consideretur secundum regulas Christianæ doctrinæ falsum sit, sicut falsum est, quod duo corpora non possint penetrari in eodem loco, ut vere judicatur secundum principia Mathematica. neque verum opponitur vero, ut falso putavit Raynaudus; sed solum in principiis alicujus scientiæ imbibitur ea conditio, nisi aliter disponatur per principia superioris & altioris scientiæ, juxta quæ aliter evenire

evenire potest & quando debet; & sic principia Philosophi moralis, ut sic corriguntur per principia Philosophi moralis Christiani, qui omne mendacium ex quocumque fine prohibet.

Ex alio tamen capite mihi non arridet Iavelli dictamen; quia non est verum, quod Philosophus Moralis, recte judicans & non errans, habet principium practicum, quod non sit turpe mendacium, quando ex bono fine mentitur. Hæc enim doctrina falsa est; quia juxta communem & certam sententiam ita mendacium est intrinsece malum & contra legem naturæ, quod, etiamsi nulla lex supernaturalis esset, semper esset malum & dissonum naturæ rationali; cujus contrarietas, quæ consistit in discordia vocum & mentis, semper perseverat immutata quocumque fine bono posito, qui non reducit ad concordiam discordiam præfatam. atque ita cum Philosophus moralis naturalis præcepta naturalia habeat pro principiis suarum conclusionum, nequit habere dictamen quod mendacium ex causa urgenti liceat, quia est oppositum principio naturali practico; alias si ex lege & doctrina Christiana habet mendacium, quod sit malum, non esset indispensabile, quod dici sine temeritate nequit. sicut Deus potest operari ex altiori principio, quam habeat Mathematica, ut sint duo corpora penetrata, quia quod sint penetrata non est contra principia naturæ ipsorum, nisi naturaliter & secundum legem communem, quæ attendit Mathematicus.

SECTIO XIII. *De abusu simulationis in factis per restrictionem mentalem.*

IN *dolio figularem artem discere* proverbium antiquitus venerandum contra eos, qui artificii & fictionis suæ in rebus majoribus capiunt experimentum; quod scripsit Raynaudus de figurali sua arte ad libitū exercente restrictionem pure mentalem in verbis, quę sunt præcipua signa externa, quibus significamus alteri conceptus internos; & ex illis corollarie progreditur ad facta quibus etiam aperimus sociis hominibus mentem nostram, & de his dicit I. & bene, cum Divo Thoma 2.2. q.111. art.1. in corp. *ad virtutem veritatis pertinere, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet, ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur, unde simulatio proprie est mendacium quoddam in externorum factorum signis consistens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.* hactenus Doctor sanctus.

Dicit II. cap.16, num. 4 & 5, consequenter ad ea quæ in superioribus dixerat: *statuendum universe est* (ait) *simulationem, qua quis usurpat signum consistens in facto aliquo, vel re externa ad significandum aliquid ad quod ea res, vel factum non solet usurpari, supplendo per mentalem restrictionem accommodatam, quod signo deest juxta usum communem, eodem modo licitam, vel illicitam esse quo licita, vel illicita est usurpatio signi vocalis in speciem falsi, adhibita mentali restrictione, accommodata. atque adeo hujusmodi simulatio interdum licita est, nempe & cum necessitas eam usurpandi intervenit, & lex urgentior non prohibet; cujusmodi nominatim est lex fidei syncere profitendæ, qua cuivis interdicitur usus actionum quibus exterius significatur falsa fides. salvis ergo prædictis temperamentis, nihil est quod vetet assumere res vel exercere actiones, ex quarum assumptione & exercitio alius prævidetur forte capturus occasionem falsi judicii, ac delusionem subiturus; neque enim semper illicitum est præbere errandi occasionem, etiamsi nunquam liceat esse causam erroris.* & infra: *eo porro facilius est in hoc genere signorum permittere alienum errorem, cujus consecutio ex eorum usurpatione prævidetur secutura, quo hæc signa minus determinata sunt, quam vocalia: verba enim principatum obtinent significandi quæcumque animo concipiuntur, si quis ea prodere velit. ut sanctus Augustinus recte dixit lib.2 de doctrina Christiana cap. 3. & oratio est, quia significat expressius quam res; neque alium habent proprium usum quam significandi ad quod fuerunt instituta per se primo. quod non potest asseri de actionibus, quæ, quamvis interdum veluti per redundantiam quædam significent, tamen per se primo alium usum habent, quam exhibendi aliis mentem operantis. ex quo efficitur multo plus exigi ad idoneitatem causæ, ex qua fas est assumere signa vocalia ambigua, vel cum restrictione tacita, quam ad idoneitatem causæ ex qua signa realia assumuntur; quod per hæc multo minor erroris occasio præbeatur, ob minus expressam minusque determinatam vim significandi rebus quam vocibus adjunctam.* hactenus ibi.

Ex qua doctrina infert: I. Licitum esse in bello simulare. II. Quod usus stratagematum est honestus insuper, & insidiæ in bello justo, & ad capiendum reum. similiter advocato qui causam justam in judicio defendit, fas esse significatione intra veri ac recti fines eludere adversarium, quantum necessitas causæ tulerit, subministrata ei occasione ex qua seipse decipiat, & fiat sibi erroris causa. de quo Covarruvius lib i variarum, cap. 2. anno 1. & ultimo. colligit licere judici uti simulatione aliqua, ex qua reus deceptionis occasionem capiat; quamvis non possit Iudex circumvenire reum promissa fraudulenter impunitate, si crimen ultro fateatur, rescissurus promissum statim atque confessionem extorserit; id enim omnino illicitum est, cum sit mendacium & fidei datæ infractio. quod confirmat ex multis Cevallos quæst.292 communium contra communes.

Prius tamen quam ad alia progrediar, hoc ultimum Raynaudi manifeste impugno, ut omnino inconsequenter dictum: ipse enim cap. 15, num.3, approbat doctrinam Angeli de Clavasio verbo Iuramentum 5, num.9, *quod licite potest quis dicere, promitto quod dabo tibi centum, cum ista subauditione, scilicet si sim tibi obligatus ex debito & non aliter, licet hoc non exprimat; quia sic utitur simulatione quæ licet, ut in cap. utilem 22. quæst.2.* hæc Clavasius, quæ placent Theophilo. Ergo etiam placere tenetur, quod Iudex ad expiscandam veritatem à reo potest sine mendacio promittere illi, quod si crimen ultro fateatur impunis evadat, cum hac subintellectione, si possum secundum jus facere, quod reus impunitus evadat. quare si hoc est omnino illicitum, cum sit mendacium, & id quod dicit Clavasius, si de subauditione & restrictione omnino mentali intelligatur.

Igitur ut ad alia gradatim procedamus, & alia dicta Raynaudi pensitemus, notandum est, quod simulatio propria & hypocrisis; & mendacium proprium non distinguuntur propter formale; omnia enim ista eandem formalem malitiam habent contra Decalogi præceptum de non mentiendo. differunt tamen ex parte materiæ, quia mendacium est falsa vocis significatio; simulatio vero proprie est falsa facti significatio, & utrobique est propria malitia mendacii, quod formaliter consistit in hoc quod est *contra mentem ire*; facta tamen ut considerantur ut facta, & res quædam sunt & ut signa aliquid significantia ex communi hominum acceptione, sicut & voces, considerari possunt; & ut sunt soni quidam qui

qui ut tales etiam conveniunt brutis significantibus effectus suos quibusdam sonis ex naturali instinctu, non ex collatione vo is in actu exercito adsignificata: quam collationem habet homo, quod voce ut significativa utatur. unde est discrimen valde advertendum ex Cajetano 2. 2. q. 111. art. 1. §. 3. *quod de fictione David.* ubi dicit quod facta, nisi ex intentione significandi fiant, signi vim non habent ex parte facientis; at verba respectu loquentis non sic; quia ex institutione sua independenter ab intentione loquentis habent, etiam respectu loquentis, signi vim & efficaciam: verbi gratia aliquis dicit verbum contumeliosum, quamvis loquens non habeat intentionem inferendi contumeliam, vere contumeliam infert quam verbum significat. at si quis faciat factum contumeliosum, quod ignorabat invincibiliter tale. nullatenus efficaciter infert contumeliam; quia ut factum illud sit efficax, dependet ab intentione facientis. cujus ratio est manifesta, quia factum illud habet alium usum præter significationem contumeliæ: at nomina ut talia primo & per se non sunt instituta ad aliud quam ad significandum.

Notandum secundum, quod neque in factis ut signa sunt, sicut neque in vocibus, habet locum mentalis pura restrictio. hoc constat ex dictis, quia in neutro casu excusatur mendacium. hoc satis abunde in superioribus est probatum. in præsenti tamen probandum est ex authoribus ejusdem Societatis Iesu, & sit primus Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp. 4 de fide, sect. 5 num 62, ubi agens de sententia Raynaudi, sic fatur: *hoc ita universaliter prolatum mihi semper durissimum & difficillimum visum est. ratio præcipua est, quia veracitas obligat quidem ad conformanda verba menti, non ad conformandum mentem cum mente, adhoc enim necessitate cogitur homo; sed ut non appareat aliud in verbis ab eo, quod est in mente loquentis. debemus ergo comparare verba ipsa cum mente, & videre ex una parte voces externas cum sua significatione, & ex alia parte mentem loquentis, & considerare an verba exprimant id quod est in mente, an vero aliquid contrarium. si enim contrarium exprimunt, fit contra veracitatem; si exprimunt idem, satisfit plene veracitati. & quidem cum tota hæc obligatio veracitatis proveniat, ut diximus, ex necessitate conservandi fidem humanam adeo necessariam ad convictum, ac commercium publicum politicum; nescio quomodo ea veracitas non debuerit æque prohibere restrictiones illas mentales, ex quibus, si licitæ essent, eadem omnino inconvenientia orirentur. Æque enim dubitarent homines audientes, an loquens ultra voces externas adderet restrictiones mentales, quibus sensus contrarius contineretur sensui, quem voces exprimerent, sicut dubitare possunt de veritate si mendacium liceret. Vnde inutilis omnino esset prohibitio mendacii: omnes enim qui mentiri non auderent propter prohibitionem, easdem omnino usurparent voces quas mentientes usurpassent, & eundem finem obtinerent adhibita restrictione mentali. Nec satisfacies dicendo id non licere, nisi cum causa: nam eodem modo dicerent alii mendacium etiam non licere, nisi cum causa; occurrente autem causa idem omnino liceret, & eadem inconvenientia sequerentur, si restrictio illa pure mentalis licita esset, quæ sequerentur si licitum esset mendacium cum causa. quare frustra lex naturalis mendacium etiam cum causa prohibuisset.* hactenus ibi.

Eandem doctrinam sequitur Ægidius Coninck de actibus supernaturalibus disp. 10. dub. 3. n. 41. ibi: *Sequitur quarto, locutionem mere internam non posse complere significationem locutionis externæ, efficiendo ut hæc plus aut aliud significet quam sine illa significaret; quia, ut ostendi, verborum significatio nec pendet ab intentione loquentis, nec ab ea immutari potest, nisi per adjunctionem alicujus signi externi. illa autem locutio mere interior nullam habet rationem signi nec quicquam aliqua ratione significat.*

Ex quo & multis aliis colligit n. 62. *Quod Deus nequit uti aliqua locutione externa, quæ, prout exterius profertur, nequit habere verum sensum, quantumvis juncta verbis, quæ mentali restrictione eis subintellecta, haberent verum sensum. quia, ut patet ex conclusione tertia, talis locutio est simpliciter falsa & mendacium. atqui impossibile est Deum mentiri. ergo impossibile est eum uti tali oratione. deinde, quia, si Deo hoc esset possibile, possemus in omnibus Scripturæ locis dubitare, an forte Deus non utatur ibi tali restrictione; atque ita nihil in ea posset esse certi. Nec sufficeret, si Deus diceret se in tota Scriptura non uti tali restrictione mentali, aut se constituisse Ecclesiam infallibilem veri sui sensus interpretem, quia posita semel ea potestate in Deo, possemus dubitare an non etiam in his verbis fuisset usus simili restrictione, & consequenter similiter possemus de eorum sensu dubitare.* hactenus ille, post plura ad propositum.

Ex eadem societate (multos alios omittens) hos duos leones objeci Raynaudo. utinam & ipse eorum vestigia videns nihil aliud requirat veritate convictus, aut stupefactus, quia nec *Hercules contra duos* pro veritate testes.

Et quidem valde notanda est validissima illa Cardinalis ratio, quam in superioribus pressimus efficaciter, & iterum premere non pigebit. quod si cum causa licita est pura mentalis restrictio, omnino audientibus occulta & alta mente reposita, & excusat à malitia contra veracitatem & simplicitatem in loquendo; etiam posset cum causa excusari à mendacio tam in verbis, quam in factis. hoc est evidens, *Quia virus & malitia mendacii, quæ in eo sita est, quia pervertitur usus ad quem data est loquela, quæ triplicem habet respectum ad tres diversos terminos, hoc est ad rem verbis significatam, ad ipsum proferentem, & ad audientem, cum quibus certam commensurationem servare debet. quæ si tollatur, triplex insignis perversio contingit. nam ad rem significatam comparatur locutio, ut ejus, sicut vere est, expressio esse debeat, ad proferentem vero comparatur tanquam internuncius earum quæ in animo sunt passionum; Denique audientem respicit locutio, ut signum excitativum ejus ad sui perceptionem. quæ omnia cum locutioni competunt, ingens omnino efflorescit concinnitas; eam vero exterminat quisquis mendacium obstetricante lingua parit. Nam & aliter rem externam enunciat, quam ipsa revera se habeat, & falsum internuncium assumit, & falsitatis in alieno intellectu sementem facit. quæ qui non videt magnam plane perversionem continere, Ophthalmiam vel etiam exoculationem suam male agnoscit. Porro quidem initium prædictæ perversionis à loquente ipso sumitur, qui rem à se preciosissimam exterminat, & falsum quidem suæ mentis, simulachrum, atque internæ suæ inanitatis idolum exhibet, ut optime attigit Plato in calce lib. 1 de Republica. sicut è contrario oratio vera honesti ac fidelis animi simulacrum est, juxta Isocratem ad Nicoclem; tamen ejusdem perversionis consummatio ex alieno malo petitur (hoc est ex errore, qui alteri per mendacium ingeneratur, quantum est ex vi operis) atque adeo ex convictus humani excidio, quod voluntariam illam erroris in alio pro seminationem consequitur.* hæc omnia fere ad verbum ex Raynaudo cap. 2. n. 19. elegantissime exarata de malitia mendacii.

Cujus malitiæ virus agnosco. sed, ni fallor, evidenter idem virus agnoscere debet Raynaudus in sua pura restrictione mentali, quam ex causa ortam legitimam prædicat *factiosus maximus* (ut ajunt;) fateor etiam quod ex mendacio triplex illa insignis perversio nascitur, & corruptio triplicis illius habitudinis verborum ad significata, ad proferentem, & audientes. quæ omnia etiam invertuntur in restrictione pure men-

mentali; nam ista posita verborum significatio alio divertitur, & lingua obstetricante nascitur oratio, cujus veritas est impossibile quod ab audiente cognoscatur; & sic ex vi verborum externorum in mente audientis falsitatis & erroris semen immittitur. at dicunt hoc licere ex causa justa. ergo cum nullus antiquorum dicat mendacium licere, nisi in summa necessitate & urgentissima causa, ista interveniente licitum erit; & illa triplex inversio solum erit materialis & non infecta morali formali malitiæ, sicut occasio proxima ex causa fit remota, & excludit malitiam formalem. addo quod eo ipso quod mendacium tam in verbis quam in factis, ut est hypocrisis, fiat necessitate urgente, in qua concipitur finis honestus qui mente retinetur, necessario fit restrictio mentalis juxta quam corrigitur significatio externa vocum, fitque oratio mixta; & sic si restrictio pure mentalis licet, pari modo licebit & mendacium in summa necessitate ex fine honesto.

Notandum III. quod hæc tria nomina *fictio*, *simulatio*, & *dissimulatio* valde differunt, si in sua propria significatione, quam habent ex impositione & usu hominum, usurpentur. de fictione egregie Augustinus lib. 2. de qq. Euangel. cap. 51. tom. 4. ita loquitur: *Non omne quod fingimus peccatum est, sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium; cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed figura veritatis.* & subjungit exemplum de figurativis locutionibus in quibus fingitur quædam res, non ut asseratur ita esse, sed eam proponimus, ut figuram alterius quod asserere volumus. sic ergo Dominus in Euangelio finxit se longius ire, quia composuit motum suum quasi volentis longius ire ad aliud figurative significandum, scilicet quod ipse ab eorum fide longe erat, ut egregie ait S. Gregorius homilia 23 in Euangelio, vel, ut Augustinus dicit, *Quia cum longius recessurus esset ascendendo in cœlum per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra.*

Simulatio vero, ut ait Divus Thomas quæst. 111. art. 1 ad 4. si proprie sumatur, est quando aliquis per exteriora signa factorum, vel rerum significat aliquid quod non est, non vero quando tacet quod est, quod aliquando licet. unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione: nam peccatum manifestare Sodomitici moris est, ut dicitur Isaiæ 5. ubi Hieronymus dicit, quod secundum remedium post naufragium est peccatum abscondere, ne exinde aliis scandalum generetur. & hæc simulatio est impropria, quæ dissimulatio dicitur & licita, ut docet sanctus Doctor opusculo 73. cap. 17.

Vnde elegantissime Subtilis Doctor in 3. dist. 38. quæst. unica, in fine sic fatur: *Aliquis potest simulare multipliciter. uno modo per aliqua signa probabilia ostendendo se habere aliqua bona quæ non habet, ut per genuflexiones & orationes potest ostendere devotionem sibi inesse quæ non inest: & talis simulatio est hypocrisis & peccatum. alio modo potest aliquis simulare mala non inesse sibi, & hoc dupliciter, vel ostendendo signa opposita illis malis, vel non ostendendo signa quæ communiter consueverunt sequi mala illa. Primum istorum videtur pertinere ad hypocrisin puta si aliquis luxuriosus audiens loqui de mulieribus, spuat in signum castitatis, ostendens oppositum se habere in corde. secundum non est aliquod malum, immò, si qua potest esse laus in malo est laudabile, quia vituperabile est prædicare peccatum proprium eo modo quo dicitur de quibusdam: peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. etsi enim malum sit si esset malum interius in corde, addere tamen malum signum est addere malum malo. in indifferentibus autem potest aliquis facere aliqua facta, quæ ex natura sua sunt signa alicujus, sicut sudare ex natura rei est signum fatigationis, vel alicujus resolutionis naturalis corporalis, & aliqua quæ ex natura rei non sunt signa, sed scit ea concipi à circumstantibus tanquam signa, sicut spumare ita quod saliva decurrat per barbam, ex natura sua non est signum insanæ mentis, tamen potest aliquis scire illud judicari à circumstantibus tanquam signum furiæ, puta quia talia consueverunt esse signa furiosorum in terra illa.*

Vniversaliter ergo de prima & secunda simulatione dicunt, quod sunt peccata & frequenter mortalia, quia hypocrisis. simulatio tertia, dummodo aliud malum non committatur, est laudabilis, ita quod homo non ostendat unum malum per aliud malum in indifferentibus. simulatio prima in aliquibus licet esset fortassis mala, non tamen graviter. puta, si quis posset se facere sudare sine labore prævio, sicut quidam jaculatores utuntur suis corporibus ad aliquos motus significantes aliquas dispositiones quæ non insunt eis, nec præcesserunt. simulatio quinta, quæ est secunda in indifferentibus, nullum peccatum est; & talis fuit simulatio David coram Rege Achis, &c. subdens, quod *simulatio Iehu non oportet excusari, quia præter illam simulationem, quæ forte posset, adduxit mendacia.* unde constat, quod propria simulatio excusari nequit, sicut nec mendacium; quamvis simulatio impropria, quæ dissimulatio dicitur, culpa vacet multoties & aliquando sit laudabilis, aliquando etiam virtuosa, non propter restrictionem mentalem puram, apage; sed quia licet aliquando malum occultare, & aliquando celare veritatem juxta communem omnium sententiam.

Ex quibus constat, quod Duci exercitus, Iudici, Advocato, & aliis nunquam licet simulare, etiam restrictione mentali adhibita; licitum tamen est dissimulare & supprimere veritatem; stratagemata & insidiæ bellicæ, ut honestæ sint, dissimulationem & veritatis suppressionem dumtaxat continent, non simulationem propriam, quæ nunquam licet, utpote cum contineat mendacium, à cujus labe non purgat, ut satis superque vidimus, pura mentalis restrictio. quare dum noster Pater Laurentius de Aponte in librum Sapientiæ Salomonis, in quadam digressione de licito usu simulationis, hanc licere confirmat, de simulatione impropria loquitur, quæ est dissimulatio & suppressio veritatis non necessario revelandæ, vel in bello, vel in pace: nam, ut dixi, simulatio propria est mendacium, etiamsi restrictione pure mentali condiatur. quod hoc manifesto discursu, quem ex Augustini libro contra mendacium loquens de mendacio facit Scotus, ubi supra: *Stultum est credere illi cui licet mentiri. sed multis est credendum; alioquin totaliter periret convictus humanus, & manifestatio conceptuum & affectionum mentis. igitur illis quibus est credendum non licet mentiri.* Hæc est demonstratio Scoti ex Augustino, quam contra restrictionem pure mentalem sic præstringo. mentienti ideo stultum credere, quia fallit. at qui utitur restrictione mentali, ex vi impositionis vocum non minus fallit, sed perniciosius, quam qui mentitur. atqui multis est credendum; alioquin totaliter periret convictus humanus, & manifestatio conceptuum & affectionum mentis. Igitur illis, quibus est credendum, non licet uti restrictione mentali, sive in verbis, sive in signis factorum. *Eat* ergo restrictio ista *ad corvos.*

Cum hæc ita sint contra Raynaudum, qui *virgultea scaphula Ægæum transmittere tentavit*, contrariis omnium recte sentientium ventis; & quamvis plurimum in evolvendis auctoribus insudaverit, tamen cæcus ad sua, & dicax de aliorum placitis *Suffenus evasit*; quid igitur miratur, si Barnesius zelo veritatis accensus excandescat adversus novitatem restrictionis

ctionis pure mentalis, & amaro animo evomat bilem, & per modum consequentiæ inferat contra Lessium & sequaces tot inconvenientia absurdissima, quæ infert in suo opere satis erudito, etsi in aliquibus locutionibus, quia tacere non potuit & animi ardorem cohibere, asperior extiterit quam decebat. potuit enim sumere satisfactionem de falsitate sententiæ verbis, quibus Eminentissimus Cardinalis de Lugo utitur, quod sit *durissima*, *difficillima*, quod *inutilis esset mendacii prohibitio*, quod *convictus humanus everteretur*, & similia; quibus non adæquate satisfacit Raynaudus, qui in Hoplotheca contra ictum calumniæ sectio.2. seri.2. cap.14, dicit: *Non modo omnes sancti Patres veteris Testamenti, qui sæpe æquivocationes & restrictiones mentales adhibuerunt, (ut sanctus Augustinus late versat duobus de mendacio libris) sed etiam plerique sancti Patres novi Testamenti, quos ambiguis ac mente restrictis locutionibus ex causa interdum usos esse, est extra dubium.* hæc ille. quis hoc æquo animo patiatur, quod id quod est contra omnes fere Patres, dicat esse extra dubium? hoc autem dicere nequit, nisi qui ita adhæret suis dictis sicut alii suis scientiis. quare indiget *crambe recocta*, ne inebriatus suo dictamine erga falsitatem effutiat affectus. melius enim illi esset *piscem gustare*; etsi qui contra splendorem veritatis audax fuit aliquando, nimium suæ eloquentiæ fidens, periculo degustato, vel timidus videretur: nam ubi timor, ibi & pudor; audacia enim impudentiam parit.

SECTIO XIV. *Regulæ Prudentiæ Christiano-Politicæ ad rectum usum amphibologiæ, æquivocationis & restrictionis reperta in vocibus externis.*

CVm per restrictionem pure mentalem, quæ nullo modo antecedenter continetur in signis externis, peccatum, ut diximus, committatur veniale, vel mortale, juxta materiæ gravitatem; peccatum hoc triplicem illum habet respectum & conscientiæ ligamen, quod difficile rumpitur, & anima involuta & irretita manet, de ordinatur homo quantum ad se, cum non conformet mentem suam vocibus ad id institutis; quantum ad proximum, quia dolose restringens verba respondet, & proximum in errorem ducit, facitque illi injuriam, tum contra justitiam politicam, secundum quam habet jus audiens ne utaris verbis ita, ut generet falsum intellectum: neque enim sufficit veritatem in corde loqui restrictione mentali, quando in lingua dolum agis proximum fallendo, dum minus dicis quam cogitas. utrumque conjunxit Propheta Regius Psal.14. vers.4, *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* ubi Augustinus: *lingua agitur dolus cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* quid aliud facis Raynaudi, dum restrictione pure mentali etiam cum causa uteris? Egregie Lyra ad intentum: *Qui loquitur veritatem in corde suo, id est, prout existit in corde suo. & hoc facit quædam virtus quæ à Philosopho 4 Ethic. veritas nominatur; per quam homo in verbis & factis se ostendit exterius qualis est interius.* nota reduplicationem *prout*. Deordinatur etiam homo in Deum; quia cum restrictio ista pure mentalis sit illicita, juramenta, quæ supra illam cadunt, inquinantur, & maculatur. Religio in Deum. est enim juramentum restrictione ista adulteratum perjurium quoddam exterius, ut vidimus. cum ergo sententia nostra, ut aliquando dixit Hieronymus, *vinculis Hippocratis adligata sit*, fortissimis scilicet argumentis Scripturæ, Patrum, Conciliorum & rationis roborata maneat: aliquot Regulæ tradendę sunt, ut christiano-politice quis tuto uti possit æquivocis, amphibologicis & restrictis verbis, ut uno fasce & mendacium fugiat, & veritatem supprimat; extra quas regulas semper est illicitum uti restrictione aut oratione fucata dolis & fraudibus. Nam veritatis simplex oratio, ut pulchre Euripides in Phœnissis:

Nam veritatis suevit esse oratio
Simplex, vafris neque est agens ambagibus
Interpretum; siquidem ipsa per se congruit.
At sermo iniquus, quia per se sit morbidus,
Medicamenta exquisita quærit sibi.

Quo testimonio utitur Seneca epistola 48 in fine, ideoque illam veritatem implicare non oportet: nec enim quidquam minus convenit, quam subdola ista calliditas animis conantibus magna. reprehendit Terentius in Eunucho hos restricte & perplexe loquentes:

Pergin: scelesta mecum perplexe loqui?
Scio, nescio, abiit, audivi, ego non adfui.
Non tu mihi dictura aperte es quidquid est?

Igitur cum abusus restrictionis ad restrictionem pure mentalem reductus non hodie aut heri sit exclusus, sed à tota antiquitate, utpote cum sit κακῶν σώρευμα, quem tuetur frivolis argumentis Raynaudus, volens *volsellis gladium delphicum oppugnare*. Iam accipe Regulas quas adamante in pectore insculpe ad veritatem occultandam, quando, & quomodo, & ubi oportet, quas vere ad verbum transferam ex Episcopo Antverpiensi viro noto magnæ auctoritatis cap. 10. sect. 1. quibus praxis sequenda præscribitur.

Prima sit: non licet vero sensu verborum proximum fraudare, quando ei ultro & serio loquimur, nec ab ipso interpellati, nec ulla prorsus necessitate aut justa causa simus excusati ad aliter sensum formandum quam ipse intelligit: est tum veniale, si proximum non lædat, neque Dei honorem gravius tangat; mortale autem, si lædat graviter proximum, aut Dei tangat honorem.

2. Si reus interrogetur de crimine suo capitali jam semiplene probato, non tenetur secundum probabilem opinionem fateri veritatem, si non est deprehensus aut convictus, sed spes sit evadendi; sed potest uti amphibologia aut restrictione mentali (de quali supra dixerat,) vere enim quoad hoc non censetur secundum juris ordinem perurgeri: ideoque recte ex circumstantiis censebitur restrictio quam subintelligit (verbi gratia non feci, scilicet ut tenear fateri) significata verbis exterioribus: merito enim intelligitur judicis interrogatio secundum juris ordinem restricta, ut quando interrogat reum an fecerit, subintelligatur, ad eum modum, ut fateri teneatur. *Nec enim*, ait Augustinus libro de mendacio cap. 13, *peccat quispiam cum evitat supplicium, sed cum facit aliquid dignum supplicio.*

3. Legitime, hoc est à competente judice & servato juris ordine, interrogatus tenetur planis verbis confiteri veritatem tam reus, quam testis idoneus, nec potest judicem aut superiorem amphibologia, aut restrictione mentali illudere.

4. Quando non legitime, aut non à suo judice aut superiore quis interrogatur, potest se habere in proposito sicut se habere potest in colloquio cum privatis, quando ab eis interrogatur, imo id accidit commodi. ab eo qui se, cum non sit judex, pro judice gerit, quod posset ei responderi liberius æquivoce aut diversa mente, quia ad respondendum non ita cogit ut judex. cum enim Iudex intelligatur sic interrogare, ut tenearis dicere, dat ansam totum negandi, nimirum

mirum sic ut teneatis dicere. qui enim in judicio interrogatur an hoc fecerit, ex circumstantia præsumptæ formæ judicialis potest hoc sic accipere, quasi additum sit, sicut teneatur dicere, itaque merito potest hoc mente supplere.

5. Quando urget necessitas confitendi fidem, non potest id fieri tecto artificio, sed opus palam clare confiteri. Audi Augustinum lib. contra mendacium cap. 18 sic hanc regulam proponentem, ubi dubio procul contra doctos, qui regulas præscribunt ad subintellectiones & restrictiones pure mentales, contra quas sic loquitur deplorans: *Quid quod vitæ hujus tales amatores & jam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imo homo quandoque moriturus aliquanto serius moriatur, non tantum mentiri, sed etiam pejerare nos volunt; ut videlicet, ne aliquanto citius transeat vana salus hominis, nomen Dei nostri accipiamus in vanum. & sunt in eis docti, qui eas regulas figant, finesque constituant, quando debeat, quando non debeat vitari. O ubi estis fontes lachrymarum? & quid facimus? quo ibimus, ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus etiam docere perjuria? Viderint enim insuper assertores defensoresque mendacii, quale genus vel qualia genera mentiendi eos justificare delectet, saltem in Dei cultu concedant non esse mentiendum*, &c.

6. Peccatum est in communi sermone, sive rogeris, sive ultro loquaris, alio sensu velle intelligi quam loqueris, nisi duo concurrant: 1, quod aliter non poteris celare illam veritatem, quæ revelata damnum infert. 2, quod istam veritatem jus habeas tali modo tegendi; puta quia vel Dei honori, vel tibi, vel proximo tuo ejus revelatio obesset, taleque incommodum inferret, ut ejus vitandi causa merito à simplicitate sermonis à Domino commendata nonnihil deflectendum videatur, non mentiendo aut falsum enunciando, sed tantummodo verum tegendo; quam tectionem licere docuit Divus Augustinus, cap. 10 contra mendacium: quando enim duo præcepta juris naturæ videntur concurrere, majus præceptum obtinet contra minus in affirmativis utrisque. alioquin contra affirmativum obtinet negativum, & similiter inclinationes ponderandæ sunt, quando duæ inclinationes diversarum virtutum etiam citra obligationem concurrunt, aut concurrere videntur. quando tamen dicimus concurrentibus duobus negativis præceptis juris naturæ, cedere illud quod minus est, non hoc volumus tunc fieri licitum, quod natura sua & intrinsece malum est omnino & illicitum, & prorsus tale ut malitiam exuere non possit, qualia nonnulla sunt, ut dicitur; sed hoc solum volumus, illa quæ malitiam exuere possunt, admitti posse, quando graviora urgent: verbi causa, occurrit præceptum non occides, cum præcepto non furaberis; si fureris, ne occidas, fieri potest, ut furtum jam non sit injustitiæ actus, adeo quod furtum non sit, sed quædam misericordia. in proposito autem nostro potest hoc locum habere aliquo usque, non tamen omnino: cum enim mendacium in eo genere sit ut nunquam propriam suam malitiam exuat, sed semper maneat intrinsece malum, non potes mentiri, ne occidas; & in hoc multi erraverunt, quando statuerunt licere aliquem necessitatis aut utilitatis causa mentiri. itaque si restrictio mentalis mendacii deformitatem non tollat, non potest ulla necessitate excusari, quin saltem venialiter mentiatur, qui vitandi majoris incommodi causa eam adhibet, quamvis hujusmodi necessitas efficere possit, ne sermo tuus sit injustus aut injurius proximo, adeoque non sit mendacium perniciosum proximo & mortale, quale sine necessitate idem sermo prolatus forte fuisset. hactenus Regulæ Episcopi Malderi satis prudentes; ex quibus sectione sequenti aliqua utilia deducemus corollaria. sed aliæ regulæ sunt statuendæ.

7. In nullo casu licitum est uti restrictione pure mentali, etiam pro totius mundi salute; hæc regula constat ex dictis, quia mendacium nunquam est licitum, ut est de fide restrictio pure mentalis, quæ est infecta intrinsece malitia mendacii, & ita in nullo casu licita; & ita semper cavenda & fugienda tanquam vipera, cujus linguæ venenum evertet convictum humanum, & ab illo nullus vivet invulnerabilis.

8. Quanto remotior fuerit à communi usu æquivocatio, amphibologia, & restrictio imbibita in verbis externis, tanto major causa & urgentior necessitas requiritur ut quis illa utatur. ratio regulæ est perspicua, quia tenemur ex præcepto naturali, quantum in nobis est, vitare ne proximus illudatur, decipiatur, fraudetur, & ne dolo capiatur. quare inest nobis obligatio ex virtute veracitatis, ita conformare mentem nostram cum dictis & factis, quatenus notæ sunt conceptuum interiorum, ut amputetur omnis occasio proxima & periculum proximum, ne audiens incidat in errorem & fallaciam; & quando causa subest, licet seipsum in periculum constituere, & per consequens & proximum, argumento ex cap. consultationis de frigidis & malefic. unde Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 4, *qui urgente aliqua causa & necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; & ideo magis providebit Deus ne in illo pereat.* ex quo fit, quod cum hæc obligatio vitandi occasionem oriatur ex virtute veracitatis, ex qua tenemur, ut dixi, ita nos monstrare exterius, sicut sumus interius in mente, ne proximus fallatur; quanto verba magis proxima sunt ad inducendum errorem, tanto major causa ad sic loquendum exigitur. quare hoc relinquendum est prudentis arbitrio, sicut ponderatio majoris causæ relinquitur in vitanda occasione peccati proxima. quare præsenti Regulæ applico doctrinam Sanchez lib. 1 Summ. cap. 7. num. 12, (quam ego latissime probavi tom. 1. tract. Moralium, tract. 1. de solut. 1. & 2.) dicentis: *ut arbitrium prudens sit, debet homo attendere tanto majorem causam requiri, quanto peccatum, ad quod illa ministratio occasionem dat, est gravius, & quanto proximius attigit illud, seu de se est magis ad malum determinata, & quanto certior est effectus peccati*, &c.

SECTIO XV. *Corollaria ad praxim ex prædictis regulis utilia.*

AD praxim præfatas regulas deducere operæ pretium judicavi, ut earum usus innotescat, ne transitus fiat ad restrictionem pure mentalem, quæ trica est qua utitur Raynaudus, volens introducere contra omnium verborum rectum usum & receptam notionem: est enim *venenatæ patellæ operculum*.

Igitur colligitur 1, ex prima regula, quod si quis à me librum, scripturam, litteram, aut pecuniam petat quam habeo, non tamen mihi convenit ostendere, dare aut mutuare, possum negare me habere id quod petitur aut commodatum, aut donatum, aut mutuatum, non ex præcisa restrictione mentali pure & nullo modo expressa signis externis, sed quia verba ipsa ex usu communi implicite significant negationem subintellectam ad dandum: similiter si latroni aut piratæ centum promittam, si non interficiat; &

& qui venit è loco qui non eſt infectus peſte, ſed falſo putatur infectus, poteſt dicere quod non venit ab illo loco ſcilicet infecto peſte, quia de illo ut ſic interrogatur. ſi tamen tranſiit per locum peſte infectum, non poteſt uti æquivocatione aut reſtrictione ſi interrogetur an tranſierit per illum, ut latius dicam tom. 6. ratio eſt, quia, quamvis ipſe non fuerit peſte tactus, quia fortis naturæ poteſt ſemina peſtis, quibus aër plenus per quem tranſiit, portare in veſtibus aut in mercibus, ut quotidie docet experientia. quare tenetur veritatem dicere ratione boni communis.

Similiter qui videns proximi afflictionem, quia patitur injuſte, ſi ſe offert ut teſtem ultro & nullo exigente. poteſt uti amphibologica, æquivoca & reſtricta oratione, ut defendat innocentem, quia hæc eſt cauſa juſta, ex qua reſultat in verbis reſtrictio & ſignificatio exterior implicita. ſi vero ad beneplacitum ſuum ſe offerat nulla exiſtente cauſa, nulla in verbis ex circumſtantiis occurrentibus eſt reſtrictio; ſi tamen eſſet licita pure mentalis reſtrictio, licitum eſſet ea uti eo ipſo quod ſe ultro in teſtem offerat. amplius ſi quis creditorum litem fecit, aut commiſit crimen ob quod bona confiſcantur, interrogatur an præter bona, quæ manifeſtavit, habeat alia occulta, quæ re ipſa occultavit ad ſuſtentandam vitam uxoris, & filiorum, poteſt reſpondere quod non habet alia præter ea manifeſtata & multa alia omitto, quæ infert Bonacina circa in ſecundum decalogi diſp. 4. quæſt. 1. punct. 12. à num. 4. quæ vera ſunt juxta mea principia non ex vi reſtrictionis puræ mentalis, ſed ex reſtrictione imbibita in ſignis externis ex uſu communi & ex circumſtantiis extrinſecis. alias nullatenus poſſunt orationes ſenſibiles veritatem habere, & eam ſignificare audientibus.

Colligitur 2. qualiter ille qui dicendo verum virum magnatem infamavit injuſte, teneatur reſtituere illi famam ablatam, & quidem teneri uti æquivocatione & amphibologia, ſi judicet prodeſſe & non obeſſe, omnes quotquot de hac materia ſcripſêre docent, ſed an teneatur uti mentali reſtrictione affirmat Raynaudus, probans ex Petro Navarra Toletano concivi meo lib. 2 de reſtitutione, cap. 4. num. 379. cum quo dicit, quod ille qui infamavit aliquem de vero crimine aut macula ſanguinis occulta, tamen teneatur dicere per reſtrictionem pure mentalem ſe mentitum eſſe & falſum dixiſſe, ſubintelligendo crimen aut maculam publicam, ita ut ſenſus ſit, falſum ei crimen aut maculam affixi prout publicam.

Verum inquiro à Raynaudo, cur verba Toletani Magiſtri, prout ſunt, non retulit, ſed uſus eſt reſtrictione illorum. ideo judico feciſſe, quia contra illum ſunt; ſed ipſum audiat Lector, quam contra Raynaudum ſit id, quod ex antiquis refert. inquirit, an, dum quis crimen aut ſanguinis maculam tectam & occultam patefecit, teneatur dicere ſe mentitum? & reſpondet: *omnes quotquot ego legerim fatentur, quod cum crimen detectum erit verum. non eſt fama reſtituenda dicendo ſe eſſe mentitum, quia in eo mendacium admitteret. ita docent Navarrus, Gabriel, Sylveſter, Scotus, Divus Thomas, Alcozer Pedraza, Almilla Corduba. Sotus, Mercatus.* & infra ſuam ponens ſententiam, dicit: *ego ſalvo meliori judicio exiſtimarem, ſimpliciter dici poſſe ſe falſum dixiſſe & mendacio infamaſſe. neque in hoc intervenit mendacium: licet enim revera commiſſum ſit delictum, tamen non eſt publicum, ſed ſecretum. & ita ſenſu eſt quod non dixit verum publicum. ſicut confeſſor poteſt ſimpliciter aſſerere, ſe nihil ſcire de illo peccato, quia, licet revera ſciat in foro ſigilli Sacramenti, tamen ad dicendum publice non ſcit. & idem eſt de omni alio ſecreto. & revera intelligere non poſſum quomodo poſſit negare delictum quod revera fecit, quia negat ut publicum, & non poſſit dicere falſum eſſe quod commiſerit. ſi enim ſine mendacio negat verum ergo dicit aliquo modo cum dicit non commiſi. eſt enim verum publicum, quia confirmatur ejus dictum rei ut publicæ in quo eſt innocens. ſi ergo veritatem publicam dicit ſe non commiſiſſe, ergo et qui contradicit poteſt in aliquo ſenſu dici falſum dicere. alias duo contradictoria eſſent vera in eodem ſenſu. Igitur in illo ſenſu in quo ille verum dicit cum negat, in eo falſum dicit cum confitetur & revelat. & ita poteſt dicere falſum dixiſſe cum revelavit ſecretum, quia rem carentem veritate publica affirmavit publice; & ita in eo ſenſu verum dicit, cum dicit falſo impoſuiſſe; ac per hoc fama ſine mendacio integre reſtitui poteſt per retractionem.* hæc ille. quam doctrinam confirmat in judice, qui evidenter ſcit eſſe innocentem, qui ſecundum allegata & probata eſt inventus nocens. & tamen dicit quod eſt dignus morte aut fuſtigatione, quia eſt latro aut homicida. in qua ſententia intelligitur publice & ex probationibus. ergo pari, &c.

Ex qua doctrina Navarræ plura deduco notatu digniſſima contra Raynaudum qui ipſum oſcitanter legit, & de *calcaria ad carbonariam digreditur*, auditaque ſemel ſubintellectione in aliquo Auctore, ambulans per *extentum funem*, ad ſuam puram reſtrictionem mentalem *vel ſaltibus* traducit, & ſic nos *plumbeo gladio jugulat.* quam pulchre Auguſtinus lib. 3 contra Iulianum Pelagii ſectatorem cap. 6, de ipſo Iuliano loquens: *Dialecticorum quaſi jaculis oneratus acutis in certamen procedis, & jactas plumbeos pugiones.* ut facit paſſim Raynaudus onuſtus Oratorum & linguæ Latinæ bonis phraſibus.

Igitur primum deduco Navarram & alios quos citat Navarra, non agnoviſſe reſtrictionem mentalem puram, quæ, ſi admittatur, manifeſte evaditur mendacium, nam dum quis reſtituens famam injuſte ablatam publicando verum crimen aut ſanguinis infectionem, dicit ſe mentitum, qua poſſet mentali reſtrictione dicere falſum dixiſſe in ordine ad publicum? & omnes iſti dicunt non poſſe qui reſtituit hoc dicere, quia eſſet mendacium. ergo reſtrictiones Raynaudi penitus ignorarunt, ut expreſſe tradit ſanctus Thomas 2. 2. qu. 62. art. 2. ad 2. & legi poteſt Dominus Cajetanus ibi §. in eadem reſponſione. Ludovicus Turrianus de Iuſtitia & jure diſp. 53. dubio 2. ubi ex Soto lib. 4 de Iuſtitia q. 6. art. 3. ad 4. §. veruntamen dicit: *certum eſſe detractorem hunc non poſſe dicere ſe falſum dixiſſe.* idem docent Toletus lib. 5 Summæ; cap. 69. Valentia 2. 2. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 5. Ricardus in 4. diſt. 15. quæſt. 4. §. de ſecundo. Major quæſt. 16. Adrianus ibi de reſtitut. quæſtio. quæ incipit *Viſo de bonis animæ* §. an autem peccet mentiendo. Corduba de detract. quæſt. 3. concluſ. 9. & omnes quotquot ſcripſerunt. Antiqui vitantes omnes mendacium. at ſi reſtrictione mentali vitaretur, faciliime ad præfatum dubium reſponderent. unde prudenter Toletanus meus videns, quod id quod dicebat erat contra antiquos omnes, dixit: *ſalvo meliori judicio exiſtimarem, &c.* non audens in re graviſſima abſolute proferre ſententiam uſque ad ſua tempora inauditam; & ne ipſo ſuimet tibicen eſſet addit, *ſalvo meliori tibicine.* quamvis ad bonum ſenſum & conſonantiam ego mox reducam.

II. Eſt diſcrimen manifeſtum, cur confeſſor etiam interrogatus de crimine in confeſſione ſuſcepto, poteſt jurare ſe nihil ſcire, & ille qui verum crimen injuſte publicavit non poteſt dicere ſe mentitum & falſum dixiſſe; quia confeſſor nunquam interrogatur juridice & etiam à Papa, de peccato audito in

confessione. unde ejus denegatio semper in vocibus ipsis externis est imbibita restrictio ad propalandum. Similiter & ille qui interrogatur de crimine omnino occulto, dum negat scire similem, ex communi hominum receptione & usu, habet in verbis suis sensibilem implicitam restrictionem, non dimanantem à pura mentali, sed ex hominum usu & acceptione; ast ille qui infamavit publicando crimen occultum, aut tectam notam sanguinis, nequit veritatem restringere verbis suis, quibus illam publicam fecit, dicendo mentitus sum in illis verbis; implicat enim in illis dictis: nam mendacium est contra mentem, & verba illa vera fuerunt & conformia menti loquentis, qui veritatem dixit, quamvis injuste publicaret. hoc enim potius pertinet ad veritatem practicam, quam ad significationes & notiones vocum, quæ dicuntur veræ vel falsæ juxta conceptus intellectus speculativi non practici, juxta quem dicuntur bonæ vel malæ, non veræ vel falsæ; & sic mendacium proprium veritati speculativæ opponitur, non practicæ; alias omne peccatum verbis significatum esset proprium mendacium, quia omne est contra intellectum practicum. Verum est quod aliquando improprie omne peccatum dicitur improprie mendacium, ut mox dicam.

III. Quod deduco contra Raynaudum, imperite adduxisse pro se Navarram, qui manifeste loquitur non de restrictione pure mentali, sed de restrictione vocum ex communi usu & acceptione hominum, quam ex circumstantiis sensibilibus nomina accipiunt, ut constat exemplis quæ adducit de confessore, & de illo cui commissum est secretum, de judice condemnante innocentem, qui secundum allegata est nocens. Omnes enim isti utuntur restrictione vocum quæ in ipsis imbibetur sensibiliter ex hominum acceptione. quare judex iste tenebitur dicere sibi constare hominem, quem condemnat, esse innocentem.

Sed quomodo in isto casu fama restituenda, multipliciter & variè respondent Doctores citati. & videri potest Dominus Cajetanus ubi supra & in summa verbo *Detractio*, cap. 7. Toletus & alii citati. duplex tamen modus mihi occurrit valde probabilis in praxi, excludendo & eliminando restrictionem mentalem, quæ *Salacona* labefactrix veritatis est. Primus sit, quod quis potest uti æquivocatione vocis *mendacium*, & dicere quod mentitus est: nam nomen *mendacium* etiam in Scriptura est æquivocum, significans mendacium proprium & improprium; hoc enim nomine notantur omnia peccata, sicut omnis veritas est justitia, & omnis justitia veritas, improprie quidem & æquivoce; & sic veritas accipitur pro operatione virtutis, & mendacium pro operatione vitiosa, & sic restituens famam ex manifestatione injusta veri criminis potest dicere imo & jurare se falsum dixisse, & mentitum secundum significationem impropriam vocis *mendacium*. unde non contrariatur priori dicto, quia in utraque propositione non accipitur nomen æquivocum *mendacium* in eadem significatione, sed in diversa. unde notandum discrimen inter illum, qui abstulit famam imponendo falsum crimen, & illum, qui abstulit manifestando crimen, quod ille tenetur dicere communiter se mentitum, sumendo nomen æquivocum in utraque significatione; at iste solum improprie: & sic uterque satisfacit obligationi justitiæ, quam læsit. dixi *communiter*, quia, si sit vir illustris, qui infamavit hominem plebis, aut Prælatus qui subditum non valde gravem dedecoravit, non tenetur dicere se mentitum, si alias verum crimen occultum patefecit; sed debet aliis modis quos vir prudens dictarit satisfacere.

Si vero dum quis restituit famam, quam abstulit detegendo verum crimen occultum, dicendo se mentitum, subintelligendo vocem *mendacium* improprie, aliquis sciolus qui adest interroget, an loquatur de mendacio proprio; quid dicendum? Respondetur quod inquirens mortaliter peccabit, utpote curiositate perniciosa actus, & ponens impedimentum restitutioni ablati honoris, quæ fiebat illis verbis æquivocis sufficienter. Respondetur II. quod respondere potest se loqui de proprio; nam vox *Ly proprium* est communis ad proprium peccatum & ad proprium mendacium, ut intelligat de proprio peccato, & de improprio mendacio.

II. Modus restituendi famam ablatam, quem in hoc casu ponit Cajetanus 2. 2. ubi supra & sequitur communiter, ubi sic loquitur: *Coram talibus* (coram quibus infamavit) *debet tacendo de priori delicto laudare, cum veritate tamen, personam illam pluries, aperiendo quod credit ipsum virum & nobilem, & dare operam ad hoc quod sic habeatur ab illis; & hoc ita caute, ne videatur hoc facere pro restitutione, quia hoc esset infamiæ confirmatio.* hactenus ibi. sed de hoc alias, ubi plures deductiones ex præfatis Regulis. sed priusquam ad alia divertamus, corollarium pono valde necessarium pro personis spiritualibus & orationi & contemplationi vacantibus: nullatenus illis licere, cum Magistro spirituali, dum suum pandunt spiritum, æquivocatione aut amphibologia uti; sed synceris verbis aperire debent quid inimicus circumiens Diabolus suggerit, & quidquid illi interius Dominus alloquatur. solet enim Dæmon se in Angelum lucis transfigurare, ut animas decipiat. quare necessarium est Patri spirituali omnia summa synceritate patefacere. unde valde vitupero Patres illos spirituales, qui spiritu arrogantiæ & superbiæ ducti docent filias suas spirituales, ut nulli alteri confessori etiam interrogatæ dicant aliquid de his, quæ sibi contingunt in oratione, sed solum ipsis communicent, etiamsi absentes sint. hæc enim doctrina valde suspecta est & magnis inconvenientibus plena, in profectus animarum detrimentum: nam quomodo dirigetur anima valde agitata spiritu maligno, toto illo temporis intervallo quod intercedit usque ad literarum responsionem? si illusa, quomodo illuminabitur? si tentata, quomodo juvabitur? præterquam quod, ut dixi, suspecta est hæc doctrina. quidam fuere illuminati, qui filiabus spiritualibus hoc dicebant, ne eorum pessima doctrina manifestaretur, quare indubiè tenendū, quod si confessor interroget pœnitentem de profectu spiritus & modo se gerendi in oratione, debet pœnitens illi syncerè animum suum aperire, ut instruatur & doceatur, & dirigatur; quamvis possit alias eadem communicare Patri spirituali absenti, & contrarium, ut dixi, superbia est, & adversatur omnibus Regulis vitæ spiritualis, estque expositum magnis deceptionibus & erroribus.

SECTIO XVI. *Argumenta Raynaudi à ratione deprompta evanescunt.*

Filis solutis lacera pereunt pallia, dixit facete Euripides. Mendaciorum pallia dubio procul sunt restrictiones pure mentales filis laneis contexta: quantum enim compendii fecit novæ doctrinæ, tantum est consecutus dispendii Raynaudus, aranearum telam texens solum ad muscas & cyniphes capiendas aptam, multiplicans auctoritates doctorum extra rem quam intendit, & congerens nugatorias rationes

tiones sophisticas imbecilles & succo vacuas, tragulam universis trajicientes, ut mox monstrabo.

Sit igitur I. Argumentum, quod longa Latinitate discurrit, & projiciens *ampullas & sesquipedalia verba* proponit, & cap. 10. sic ad breviorem & scholis magis proprium stylum reduco. dimidiata illa conceptus expressio, altera parte retenta omnino in mente per restrictionem pure mentalem, aut est illicita, aut quia non exprimit totum conceptum internum quem formavit loquens, aut quia est contra mentem loquentis, aut tertio, quia est contra jus audientis deturpatque simplicitatem & synceritatem loquelæ, quam moderatur veracitas tanquam debitam convictui & conversationi humanæ. atqui in præsenti rerum statu locutio exterior sola mente restricta, nullo ex his capitibus est illicita. ergo, &c. non ex I. quia apud omnes est indubitatum, non teneri homines totum suum conceptum & animum aperire, sed posse & aliquando teneri partem occultare, ut nos etiam in superioribus diximus. non ex secundo; quia, qui restricte loquitur, habet conceptum quem exprimit, quamvis habeat & alium, quem justa ex causa premit & occultat interius. itaque in omnibus mentaliter locutionibus restrictis,& pars quæ occultatur, & illa quæ exprimitur ambæ habentur in mente. unde expressio externa unius non est contra mentem, nec dissentit judicio interno, in quo dissensu verborum atque judicii sita est ratio mendacii. non ex tertio capite; quia, si quis proferret unam partem conceptus alta voce, & alteram partem voce summissa, jus audientis non læditur; quamvis iste quia non audit vocem summissam in errorem incidat, non intelligens adæquatum conceptum loquentis, & tamen qui loquitur oratione mixta & voce alta & summissa, vere loquitur, nec facit contra jus audientis; ergo qui loquitur oratione mixta & vocali & pure mentali. deinde quia ex justa causa possumus uti amphibologia & æquivocatione; quamvis in audiente sequatur error, sumens vocem in diverso sensu ac est à me prolata. ergo quamvis hoc inconveniens sequatur ex oratione mentaliter restricta, licitus erit ejus: non enim jus alterius obstringit semper & ubique, sed tantum cum fieri potest absque gravi proprio incommodo vel alieno, quod merito sit magnifaciendum, & pro quo violatio simplicitatis debitæ humano convictui merito non attendatur judicio prudentis.

Respondetur, hoc argumentum esse funiculum ex arena nexum, & sic claudicat & intrepide vacillat: est enim ex triplici capite infirmum valde. ex primo, quia licet non tenearis totum tuum conceptum aperire alteri, tamen ne quis restrictione omnino mentali vocem externam ad aliam significationem, quam ex sua impositione habet, extendere, ut, ni fallor, est in superioribus monstratum. ex secundo manifeste apparet falsitas sententiæ, quia ut in verbis reperiatur conformitas ad mentem; & sic vitetur mendacium, debet esse conformitas inter voces, prout signa; & conceptus, prout significatos: est enim veritas ista conformitas signi & significati, atque conceptus quem omnino in mente retines nullatenus est significatus externe, & à te intra mentem tuam ad libitum tuum, etiamsi causa subsit, retentus, & specu intellectus occlusus. ergo verba illum non significant aut exprimunt vel explicatæ, cum verba ex communi usu & primæva institutione talem restrictionem non respiciant, ut illius signa externa; & ita semper quod quis utitur restrictione communi usu publico non recepta, manifeste id contra mentem & mentitur, quia illa restrictio concomitanter omnino se habet ad vocum notiones, quæ non conformantur conceptibus per illas notatis & designatis. certe miror homines ingenio magno præditos ita obcæcari suis affectibus erga opinionem quam semel conceperunt, quod videntes non videant, & intelligentes non intelligant hanc rationem, quæ dubio procul convincit morigeratum animum.

Et quidem quod restrictio mentalis pura nullatenus neque implicite significetur sensibiliter & exterius, manifestum est. nam si quis dicat hanc propositionem, *Deus est*, & mente addat, *Angelus*, vere & proprie est hæreticus apud Deum; & tamen in foro externo nullam censuram incurrit, quia propositio ut hæretica, constans ex subjecto sensibiliter expresso & prædicato omnino in mente retento, nullo modo est significata exterius: qui enim & omnino solus & nullo auscultante exterius significat hæresim, omnes hæreticorum pœnas incurrit, sicut & ille qui voce æquivoca aut amphibologica in sensu hæretico utitur, vel ille qui voce alta pronunciat unam partem Catholicam, si alteram partem hæreticam voce sensibili, etsi summissa & à nullo audita, dicat. Et quidem quod expressio implicita ex communi usu recepta sat sit, ut quis incurrat pœnas impositas hæreticis, manifestum est apud omnes, ut late alibi dixi.

Ex tertio etiam penitus claudicat, quia jus inviolabile, quod habet audiens, fundatur in vocum significatione externa & sensibili, omnino immutabili, nisi ex usu communi & impositione, quam nullus particularis homo potest alterare pro quacumque causa particulari, per restrictionem mentalem, etsi possit uti æquivocatione, amphibologia, & dicere partem alta voce, partem summissa, ex quo sequatur deceptio audientis; quam non tenetur quis ex rationabili motivo vitare, dummodo voces id significent exterius. sicut non tenetur homo ex causa justa vitare proximo occasionem peccandi, ut vidimus.

Sed antequam ad ulteriora ejusdem farinæ argumenta Raynaudi procedam, (omnia proponam, ne conqueratur me sua spicula fugere, etsi, *ut spondilis morsus, possem*) inquiro quid sibi velit hic autor, dum dicit, *quod in præsenti rerum statu* locutio exterior sola mente restricta non est illicita, &c. quid denotant voces, *in præsenti rerum statu?* anne status & stylus rerum, quantum ad vocum notiones, est hodie diversus ab illo, quem à principio habuerunt? vel ex communi usus introductione habent? nunquid nominum significata, & stylum significandi nova opinio potest invertere? certe quidem cum homines scientias acquirant, & credulitatem præstent dicenti ex vocum & nominum significationibus, ex usu communi & impositione introductis, omnis scientia æquivocabitur & amphibologizabit, omnis humana fides vacillabit, & fere nihil certi erit inter homines, & bonum possent dicere malum, & malum bonum, adhibita mentali restrictione, eritque hominum societas non humana, sed leonina: nam utens mentali restrictione lucrum, alius vero damnum solum sentiret ex communi vocum usu & significatione; nisi dicat Raynaudus quod ad se suosque asseclas reducta est universi auctoritas & potestas, ut possint nominum notiones immutare. sed hoc delirium est, & dum illis verbis à manifesto ad occultam restrictionem retorquet verba, in limine offendit communi societati; & *Medicis pyxidulis* utens, dum remedium promittit, intus venenum & mortiferum virus occultat, obtrudens palpum, fuco & artificio mentali decipiens.

Secundum argumentum sit, quia licitum est reo contra jus interrogato uti restrictione mentali, uti

supra vidimus. licet etiam Principis Legato & Nuncio, ut legitimo Procuratori sui Principis, licet etiam Consiliario, cui commissum est secretum à Rege, restrictione mentali illud celare; & sic multo magis Princeps ipse, qui primarium sui negotii curatorem agit, eodem jure ad restringendum & occultandum mente negotium potiri debet. & hoc est extra controversiam. ex quo deducit: *Atque similiter unusquisque privatus curator est negotiorum suorum; & plerumque non minoris interest privatorum ad rectum & prudentem rerum suarum administrationem celari aliqua ad ipsos attinentia, quam intersit Principis premere quædam eorum arcana, proportione servata. Ius igitur est unicuique, quatenus prudenti curatori rerum suarum aut alienarum Procuratori, profiteri ignorantiam eorum quæ simpliciter, sed sub alia consideratione, & quatenus aliam personam sustinet, perspecta habet, quia quatenus rationabiliter loquens & rebus suis alienisve inter loquendum prospiciens, vere profitetur nescire quod subticet. qua ratione omnes omnino locutiones restrictæ, usurpatæ ex justa causa, liberantur à mendacio per eam subintellectionem.* hæc ille.

Respondetur, quod hoc argumento Raynaudus *delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum*, rem totam invertens, fugiens difficultatis nodum quem *in scirpo* quæritat; totum enim quod intendit concederem, si ipse sanam restrictionem vellet in Rempublicam introducere. itaque si vocibus ex communi usu expressio implicita insit, cui conformetur mentis conceptus, licitam esse restrictionem diximus; dum de reo, Legato, Confessario, & Consiliario, vel quolibet alio cui commissum est secretum omnino celandum, vel de eo cui non convenit totum animum propalare, dum exquisitus extra prudentiam, respondet prudenter: in his enim casibus & similibus, de quibus infra argumento quarto edisseram, voces ipsæ ex communi usu restrictionem patiuntur ad significandum, vel implicite mentis restrictionem. at restrictio pure mentalis ad libitum adsumpta omnino iniqua est, quia nec Confessor, nec Rex, nec reus, nec Legatus, nec quilibet alius, immò nec ipse Deus, ut verax uti possunt, utpote cum vel sit mendacium, vel illud immobiliter sibi habeat adnexum. quare nullus prudenter & rationabiliter loquens restricta in sola mente subintellectione verba proferre quit, & ad hoc nulla subesse potest justa causa aut rationabile motivum.

Tertium argumentum fit, quia restrictio pure mentalis vocum & earum significationis nihil officit præcepto affirmativo veracitatis aut simplicitatis, quo adstringimur ad curandam synceritatem in conversatione & convictu per claram cum aliis locutionem: etenim hoc præceptum cum sit affirmativum non obligat semper & pro semper; sed pro circumstantiarum varietate, & quoniam alias non adstat alia obligatio evitandi damnum, aut non perdendi occasionem consequendi majus bonum, quod præponderet malo illato per talem restrictionem. sicut cuique inest obligatio succurrendi proximo in extrema constituto necessitate, nisi egomet sim in simili, & tenear vitandi illi occasionem proximam peccandi, nisi subsit causa mali proprii incurrendi, aut mali vitandi. ergo similiter, etsi simpliciter inducat obligationem ad candide & syncere loquendum cum proximo, vitandamque sermonis duplicitatem & loquelæ suppressionem, tamen, si subsit honesta causa, id licebit.

Respondetur, negando esse solum præceptum affirmativum non utendi mentali pura restrictione; imo cum ipsa sit manifestum mendacium *Sisyphi arte* introductum astutia & dolo novitatis, est præceptum negativum de illa, sicut de non mentiendo. Verum est esse præceptum affirmativum de simplicitate servanda in collocutione, non utendo amphibologia, æquivocationeve, sed in communi & usuali significatione; nisi gravis causa interveniat propria aut proxima: tunc enim licet, ut constat ex dictis; & sic quando in superioribus dixi non esse præceptum affirmativum, ut constat, id dixi de non utendo restrictione pure mentali.

Quartum argumentum depromit ex pensione privatorum, publicorumque incommodorum sine restrictione pure mentali indeclinabilium. I. quia, si filius dilectissimum Patrem occultum habet, quem Tyrannus rabidus persequatur, si ab eo quærat ubi sit, quid respondebit? silentium non sufficit, quia videtur æquivalere manifestationi. certe quid? nihil facilius Patrem liberavit quam mentalis restrictio, dicendo non vidi modo, nescio ubi sit, in quo de determinato loco subintelligens. idem judicium esto de uxore quæ fidem tori violavit, si interrogetur à marito, an tantum patraverit scelus. idem de Viatore invaso à latrone occidendo, nisi lytrum ingens promittat. simile est de Virgine quæsita ab iniquo ad stuprum. & tandem exemplum ponit in assasino qui quærit Principem occidendum, & interrogat servum obvium ubi sit Princeps occidendus: in his enim & similibus exemplis posse & licite posse uti æquivocatione, amphibologia & restrictione mentali.

Ad hoc argumentum respondet Barnesius in suo libro contra Lessium §. 53. licitum non esse respondere per æquivocationem, amphibologiam, restrictionemque mentalem, sed utendum verbis Augustini proposita hac circa mendacium necessitate. *scio ubi sit, sed tibi non teneor ad hoc respondere*. ita lib. de mendacio cap. 13, ubi id confirmat exemplo Firmi Episcopi Tagastensis, qui dixit nec mentiri se posse, nec tradere apparitoribus hominem ab ipsis quæsitum, quem ipse magna occultarat diligentia. quod Augustini dictum & Firmi exemplum magnificat Barnesius. sed vir alias doctus in hoc excessit, & sibi est contrarius, qui §. 19. n. 2 & 3, doctrinam omnium Theologorum de reo interrogato à judice contra jus, admittit quod possit uti tergiversatione per æquivocationem, amphibologiam & restrictionem, quæ imbibitur in vocibus ex circumstantiis. eisdem ergo possunt uti homines in casibus adductis, ut bene contra Barnesium Raynaudus cap. 21. num. 4 usque ad 13. Existimo ergo doctum Barnesium cum restrictiones pure mentales Lessianas ex professo impugnare intenderet, in aliud extremum declinasse, imitantem Patres, quæ rejicientes unum errorem, contrarium visi sunt propugnare. quare ego media via incedo, reprobans restrictionem pure mentalem, etiam in his casibus & aliis urgentibus, approbans tamen æquivocationes, amphibologias & restrictiones contentas sensibiliter implicite in ipsis vocibus ex communi hominum acceptione, ut admittunt omnes. Quare nec unius Barnesii & alterius Raynaudi semitam ingredior, sed viam plane regiam.

SECTIO XVII. *De mente Augustini.*

SEd modo videndum est ex professo quid sanctus Augustinus sentiat, cui omnino esse incognitam restrictionem pure mentalem licitam, manifeste constabit: quamvis enim illam agnoscat, tamen illam sicut mendacium rejicit, & mendacium appellat, libro de Mendacio cap. 1, satis docte dicit: *Magna quæstio est de mendacio, quæ nos in ipsis quotidianis actibus sæpe conturbat, ne aut temere accusemus mendacium, quod non est mendacium, aut arbitremur aliquando esse mentiendum*

tiendum honesto quodam & officioso ad misericordiam mendacio. quam concordiam tam solicite tractabimus, ut quæramus cum quærentibus latebrosa: est enim nimis latens, & quibusdam quasi cavernosis anfractibus sæpe intentionem quærentis eludit, ut modo velut elabatur de manibus quod inventum erat, modo rursus appareat, & rursus absorbeatur. Ad extremum tamen sententiam nostram velut certior indago comprehendet, in quasi ullus error est, cum ab omni errore veritas liberet, atque in omni errore falsitas implicet, nunquam tutius errari existimo, quam cum in amore nimio veritatis & restrictione nimia falsitatis erratur. hæc omnia Augustinus cap. 1, ubi manifeste suam in hac quæstione diligentiam adhibitam exprimit. unde ignarus erit, qui dixerit Augustini ingenium usque ad miraculum magnum fugisse mentales restrictiones, æquivocationes, & amphibologicas phrases. & quamvis sanctus Doctor lib. 1 Retract. cap. ultim. dicat librum de mendacio cum aliquo labore intelligi, *Quem ait auferre statueram de opusculis meis. quia & obscurus & anfractuosus & omnino molestus mihi videbatur, propter quod eum neque edideram. Deinde cum postea scripsissem alterum, cujus titulus est contra mendacium, multo magis istum non esse decreveram & jusseram, sed non est factum. itaque in ista retractatione opusculorum meorum, cum incolumen reperissem, etiam ipsum retractatum manere præcepi, maxime quia in eo nonnulla sunt necessaria quæ in illo altero non sunt. propterea vero illius scriptio est contra mendacium, quoniam per illum totum oppugnatio est aperta mendacii. istius autem magna pars inquisitionis in disputatione versatur. Ad eundem tamen finem uterque dirigitur.* hæc ibi quæ placuit afferre propter Raynaudum, qui ubi supra num. 13. dicit: *Ex libro de mendacio non satis plerumque apparere quid Augustinus ex suo, quid ex ejus cum quo disputat sensu prodat.* sed speculanti & studenti satis apparet Augustini mens in illo libro, *qui* (ut ipse ait) *habet non inutilem ingenii & mentis exercitationem, magisque moribus ad veriloquium diligendum proficit.* unde in illo restrictiones pure mentales expugnat, sicut & quodlibet mendacium, & tam ad istud, quam ad illas eliminandas dirigitur.

Igitur Augustinum agnovisse restrictiones vocum ex variis circumstantiis loquentis, quibus vitetur mendacium, clare constat ex capite secundo libri præfati, ubi sic ait: *Exceptis igitur jocis quæ nunquam sunt putata mendacia: habent enim evidentissimam ex pronunciatione atque ex ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enunciantes: quo genere utrum utendum sit perfectis animis, alia quæstio est, quam modo enodandam non suscipimus.* hæc ibi: & ita sicut in jocis vitatur mendacium ex pronunciatione & affectu significato implicite in modo loquendi, ita & in aliis locutionibus seriis ex variis circumstantiis voces restringuntur, ut quis non mentiatur. deinde restrictiones pure mentales agnovisse easque mendacia judicare, constat ex cap. 3, ibi: *Quapropter ille mentitur qui aliud habet in animo & aliud in verbis, vel quibuslibet significationibus consentiat, unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat & non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans.* quid obsecro dicunt restrictiones puras, nisi hoc impurum mendacium? ex capite quinto constat se agere contra Patres aliquos Græcos, qui dixere licitum esse mendacium, quorum fundamenta proponit, quibus & utitur Raynaudus, ut suam probet de restrictione pure mentali sententiam, ipsosque in eam trahit: forsan melius intellexit quam Augustinus? qui omnibus satisfacit concludens: *Quod si auctoritas mentiendi nec de antiquis libris proferri potest, vel quia non est mendacium quod figurate gestum aut dictum recipitur, vel quia bonis ad imitandum non proponitur, quod in malis cum proficere cœperint in pejoris comparatione laudatur. Nec de novi Testamenti libris, quia correctio potius quam simulatio, sicut lachrymæ potius quam negatio Patri est imitanda* ecce Augustinus æquivocationes & amphibologia, quæ inter figuratas continentur locutiones, admittit ex causa licitas.

Et cap. 6 ostendit, non esse mentiendum etiam pro salvanda vita alterius, hoc argumento: *Enimvero isti qui stomachantur & indignantur, si nolit aliquis mendacio perimere animam suam, ut alius senescat in carne, quid si etiam furto nostro, quid si adulterio liberari possit aliquis de morte, ideone furandum est aut mœchandum? nesciunt enim ad hoc se cogere, ut si laqueum ferat homo & stuprum petat, confirmans quod sibi collum ligabit, nisi ei concedatur quod petit, consentiatur propter animam, ut ipsi dicunt liberandam. Quod si absurdum & nefandum est, &c.* Videant obsecro Restrictores mentium, an sicut in lege naturali de non mentiendo inveniunt remedium restrictionis pure mentalis, inveniant etiam in aliis de non furando, de non mœchando & stuprum faciendo ob liberandam animam vel vitam proximi. certe quidem si pro vitando mendacio remedium inventum est in restrictione, qua posita abstergitur locutio à malitia, sequi videtur quod posita circumstantia gravissima accedere ad non suam, vel surripere aliena possit à malitia adulterii & furti exui.

Et cap. 7, confirmat Virginem potius pati debere deflorari & stuprari, si aliter potentiam stupratoris effugere non valeat, si tamen affectu non consentiat, quam mendacio se alligare. quod enim violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius quam corruptio nominanda est; ac si omnis vexatio corruptio est, non omnis corruptio turpis est, sed quam libido procuraverit, aut cui libido consenserit. Videat ergo si est mendacium restrictio omnino mentalis, quam quis solum mente concipit animo, ut decipiatur audiens, ejusque deceptioni consentiens, si audiens nullum habet sensibile signum ex quo errorem possit effugere, vitare, divertere.

Et cap. 8, contra Raynaudum his verbis, loquens de mendacio officioso evidenter argumentatur: *ipsius doctrinæ auctoritatem incipit penitus imcrimere, si eis quos ad illam conducere conamur mendacio nostro persuademus aliquando esse mentiendum: cum enim doctrina salutaris partim credendis, partim intelligendis rebus constet, neque ad ea quæ intelligenda sunt perveniri possit, nisi prius credenda credantur, quomodo credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte tunc mentiatur cum præcipit ut credamus? unde enim sciri potest utrum & tunc habeat aliquam causam* (nota restrictor ex causa) *sicut ipse putat officiosi mendacii, existimans falsa narratione hominem territum posse à libidine cohiberi, atque hoc modo etiam ad spiritualia se consulere mentiendo arbitretur? Quo genere admisso atque approbato, omnis omnino fidei disciplina subvertitur. Qua subversa nec ad intelligentiam pervenitur cui capiendæ ista parvulos nutrit; atque ita omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso alicunde penetrandi aperitur locus. Aut enim temporalia commoda, vel propria vel aliena, veritati præponit quicumque mentitur. quo quid fieri potest perversius? aut cum veritati adipiscendæ opitulante mendacio vult facere idoneum, intercludit aditum veritati. Volens enim cum mentitur esse aptus, fit cum verum dicit incertus. Quamobrem aut non est credendum bonis, aut credendum est eis quos credimus debere aliquando mentiri, aut non est credendum bonos aliquando mentiri. Horum trium primum est perniciosum, secun-*

dum stultum. Restat ergo ut nunquam mentiantur boni.

Quæ Augustini demonstratio etiam evincit restrictiones pure mentales. nam unde sciri potest, an qui restringit pure mentaliter, habeat causam, qui putat aliquando cum ea licitum esse tali restrictione uti? ut illi credamus, an restrinxerit mentem suam, in qua unum tenet in verbis expressionibus significativis, & alterum mente reservat? *quo genere admisso atque approbato, omnis omnino fidei humanæ disciplina subvertitur.* & dum restringens vult esse aptus, fit cum sine restrictione loquitur incertus; & sic bonis non est credendum. quod est perniciosum.

Et cap. 16, (nam de capite decimo tertio quomodo intelligatur, ad finem sectionis) ita manifeste loquitur de restrictione pure mentali, ut omnino cæcus sit qui non videat: *Plerumque enim Scriptura cum os dicit, conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet & decernitur quidquid per vocem cum verum loquimur enunciatur, ut corde mentiatur cui placet mendacium; possit autem in corde mentiri, qui per vocem aliud, quam est in animo ita profert, ut majoris mali vitandi causa malum se admittere norit. & qui hoc asserunt etiam dicunt illud intelligendum, quod scriptum est Psal. 15. vers. 3. qui loquitur veritatem in corde suo, quia semper in corde veritas loquenda est; non autem semper in ore corporis, si aliqua causa cavendi majoris mali, aliud quam in animo est voce proferri exigat.* hæc ibi. quæ est ipsissima sententia Raynaudi, quam sanctus Doctor acriter impugnat in sequentibus.

Et cap. 20 alio argumento urget satis efficaciter: *si quisquam* (ait) *preponeret sibi sic amandam veritatem, non tantum quæ in contemplando est, sed etiam in vero enunciando, quod in suo quoque rerum genere verum est, & non aliter proferendum ore sententiam, quam in animo concepta atque conspecta est: ut fidei veridicam pulchritudinem non solum auro & argento, & gemmis, & amœnis prædiis, sed & ipsi universæ temporali vitæ, omnique corporis bono præponeret, nescio utrum à quoquam sapienter errare diceretur, & si hoc suis omnibus talibus rebus recte anteferret, plurisque penderet, recte etiam temporalibus rebus aliorum hominum, quos in exentia benevolentiaque sua servaret, atque adjuvare deberet. Amaret enim perfectam fidem non solum bene credendi ea, quæ sibi excellenti & fide digna authoritate dicerentur, sed etiam fideliter enunciandi quæ ipse dicenda judicaret, ac diceret. Fides enim appellata est in Latina lingua ex eo quia fit quod dicitur. Quam manifestum est non exhibere mentientem.* Videat ergo Restrictor pure mentalis, si puram fidem exhibeat dictis suis, dum causa occulta sibi posita in mente restringit vocum significata; videat si fideliter enunciat ea quæ voce externa profert; videat si aliter profert ore sententiam quam habet in animo conceptam & conspectam.

Fateor librum hunc de mendacio *implexum, obscurum, anfractuosumque* ab Augustino vocari, tamen ipsum, ut filium legitimum agnoscit, & correctum nobis testamento tanquam veritatis heredum propugnatorum reliquit: neque enim aliquod mendacium in ipso invenit, aut mentalem puram restrictionem, ut licitam venditavit, sed exclusit, rejecit, expugnavit. quare hujus libri auctoritatibus contra mendacium usi sunt Albertus Magnus, Alensis, sanctus Bonaventura, sanctus Thomas, Scotus; quamvis aliquando obscure in illo loquatur, ut notavit Ariminensis & ipse per omnia Augustini discipulus in 2. dist. 39. quæst. unica, art. 2. conclus. 1, in fine.

Sed accedamus ad alium librum *contra mendacium*, quem contra Priscillianistas scripsit rogatus à Consentio, cui illum remittit; quidam etiam Catholici pii & docti existimarunt Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent, ut ipse Augustinus refert libro secundo Retract. cap. 60. quos etiam sanctus Doctor impugnat. Et quidem Augustinus in toto hoc opere restrictiones pure mentales, quibus Catholici se simulabant hæreticos, ut eorum latebras penetrarent, *perniciosissimum mendacium* appellat, ut mox dicam, si prius hoc argumentum conficio, quod supra insinuavi, quo probem quod restrictio mentalis, etiam sine causa adhibita, aufert malitiam mendacii, & ad summum oratio erit mala, quia opposita synceritati & simplicitati cordis; & sic proprie oratio mentaliter dumtaxat restricta non erit mendacium leve, nedum perniciosum, ut vult Augustinus; sic argumentor: Aut posita restrictione pure mentali oratio exterior est falsa & mendacium, aut non est mendacium. si des primum, semper manebit mendacium, manente immutata significatione exteriori & sensibili, quantumcumque adveniat causa justa de novo mente dumtaxat concepta. nam mendacium ita est intrinsece malum, ut nulla causa adveniente, etiam de potentia absoluta, possit honestari, ut est indubitatum, & late probat ipse Raynaudus cap. 2. aut posita restrictione pure mentali oratio exterior est vera, & non est mendacium, ut tenetur fateri Raynaudus, & sic quamvis non adsit justa causa, sed iniqua & perniciosa, contra simplicitatem aut contra confessionem externam fidei non erit infecta malitia mendacii: quod in eo consistit, quod quis dum loquitur contra mentem vadat; at non vadit supposita restrictione pure mentali, ut fatetur hic Auctor.

Et quidem Catholicos hos, contra quos disputat Augustinus, usos fuisse restrictione mentali, quam appellat Augustinus *perniciosum, imo perniciosius mendacium*, dum quis Catholicus hæreticum se monstrat, quam si hæreticus Catholicum se monstraret: quoniam quisquis credit Catholicis mentiendo tentantibus, aut efficitur, aut confirmatur hæreticus. Quisquis autem credet hæreticis mentiendo sese occultantibus, non desinit esse Catholicus. Igitur certum est ex Augustino Catholicos se simulantes hæreticos, ut latebras hæreticorum agnoscerent, sola pure restrictione mentali usos, patet evidenter; quia restrictione ista solum se occultabant, & sufficiebat ad intentum suum: sic enim, ut ait Raynaudus in libro contra ictum calumniæ, sect. 2. serie 2, cap. 14. Sanctus Ephrem Syrus, ut refert sanctus Gregorius Nyssenus in oratione de ejus encomiis, se simulavit hæreticum Apollinaristam, ut libros Apollinaris, quos adservabat quædam femina, acciperet, quorum folia omnia ita illinivit glutino, & ea invicem conjunxit, ac si unum dumtaxat folium efficeret & salva exteriori forma mulieri librum reddidit, ubi sanctum Ephrem restricte ex causa locutum non fuisse mendacium docet expresse Raynaudus, nec sic dici posse, nisi per calumniam: ergo pari modo Catholici (contra quos Augustinus) se simulabant hæreticos, loquentes mentali dumtaxat restrictione, neque eorum verba aut ipsos mendaces dicere aliquis potest, nisi per calumniam. atque Augustinus & mendaces dicit, & eorum simulationem perniciosius & periculosius mendacium. ergo Augustinus est calumniator horum Catholicorum, quod dicere audacissimum est in sancti Doctoris calumnia. & quidem non video, cur sanctus Ephrem simulans se hæreticum, ut libros hæreticorum capiat, excusetur à mendacio per restrictionem, & Catholici isti non excusentur, qui se simulabant hæreticos, ut Priscillianistarum latebras agnoscerent ad eos impugnandos & evertendos. quæ causa, sicut in sancto Ephremo fuit justa,

justa, erit etiam in istis Catholicis quos acriter redarguit Augustinus, plurimis & validissimis argumentis probans ipsos mentitos. & sic malitiam mendacii restrictio pure mentalis non evadit neque effugiet unquam.

Audi sanctum Doctorem cap. 6, *An vero Christum coram hominibus non negat, qui eum coram Priscillianistis negat, ut eos latentes blasphemo mendacio nudet & capiat? sed occultos lupos inquies indutos pellibus ovium & Dominicum gregem latenter graviterque vastantes aliter invenire non possumus. unde ergo innotuerunt Priscillianistæ priusquam hujus mendacii fuisset excogitata venatio?* & infra: *Sed multo facilius inquies eorum latibula penetramus, si quod sunt nos esse mentiamur. Hoc, si liceret, aut expediret, posuit Christus præcipere ovibus suis, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent, & eos hujus artis fallaciis invenirent, quod eis non dixit. nonne ibi erat locus ut hæc moneret & diceret, & vos ut eos inveniatis assumite vestitum luporum, intrinsecus autem oves manete.* Quid ni Raynaude? dum Scriptura proclamat quod simus veraces, hoc dicit ut intrinsecus solum id simus & non extrinsecus? nonne hoc est habere vestem lupinam, intrinsecus manente veritate tibi non proximo, cui das errorem & fallaciam, aliud habens in ore, aliud in corde?

Quis ergo ita evanescat, (prosequitur Augustinus) *ut existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quoniam Christum negavit? nempe in illa negatione intus veritatem tenebat & foris mendacium proferebat. Cur ergo lachrymis diluit quod ore negavit at si saluti sufficiebat quod corde credebat? cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore depromsit? nisi quia magnam videt esse prædicationem quod corde quidem credit ad justitiam, sed ore non confessus est ad salutem. quapropter illud quod scriptum est, qui loquitur veritatem in corde suo, non sic accipiendum est, quasi retenta in corde veritate loquendum sit ore mendacium.* quid clarius? cum idem sit retenta in corde veritas ac restrictio veritatis in mente, ita ut proximus audiens verba sonantia necessario antecedenter fallatur, defraudetur, decipiatur. Quis ista dicat, nisi qui res humanas omnes, qui conatur mores legesque subvertere? ait Augustinus capite septimo. quantum ad audientis fraudem & errorem, propter quem vitandum est prohibitum mendacium, assignet Raynaudus discrimen inter mendacium & puram restrictionem mentalem, cum in utroque & fallit docens, & fallitur dicens. plura alia ex hoc libro ponderavi tomo secundo tractat. de restrictione mentali quæ hic omitto.

Sed superest enodare id, quod valde in Augustino est perplexum & anfractuosum: narrans enim factum illud Episcopi Tegastensis nomine Firmi, dicit c. 13 de mendacis: *cum Imperatoris satellites & apparitores ab eo poscerent hominem, quem occultum tenebat, illis dedit responsum, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis, mansit in sententia.* quare concludit sanctus Doctor, dans doctrinam generalem, quam colligit ex hoc facto Firmi, dicens: *quapropter si* (interrogatus) *nescis ubi sit, nulla est causa occultandæ veritatis, sed te nescire fatendum est. si autem scis ubi sit, sive ibi sit ubi quæritur, sive alibi, non est dicendum cum quæsitum fuerit utrum ibi sit, an non sit, non dico quod quæris; sed dicendum scio ubi sit, sed nunquam monstrabo. Nam si de uno loco non respondeas, & te non esse proditurum fatearis, tale est, ac si eundem locum digito ostendas: movetur enim certa suspicio; si autem primo fatearis te scire ubi sit, sed non dicere, potest fortasse inquisitor ab illo loco averti & tibi jam incumbere, ut ubi est à te prodatur. Pro qua fide atque humanitate quid-quid fortiter tuleris, non solum non culpabile, sed etiam laudabile judicatur.*

Difficilius loquitur cap. 17 sic: *cum autem homini dicitur etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector. Sed plane de ipso testimonio non absurde quæritur, apud quem quis testis sit, non enim apud quoscumque loquimur, testes sumus, sed apud eos quibus expedit & debetur per nos cognoscere aut credere veritatem; sicut est Iudex ne in judicando erret, aut qui docetur doctrina Religionis ne erret in fide, aut in ipsa Doctoris auctoritate dubius fluctuet. cum autem ille te interrogat, aut vult ex te aliquid nosse qui eam rem quærit, quæ non ad eum pertineat, aut quam nosse ei non expedit, non testem, sed Produtorem requiret. itaque si ei mentiaris, à falso fortasse testimonio eris alienus, sed à mendacio profecto non eris.* hæc Augustin. quibus clare videtur docere etiam judici contra jus interroganti etsi teneamur occultare id quod contra jus inquirit, tamen non posse illi mentiri, neque uti restrictione pure mentali, quæ si non esset mendacium putidum, illam nobis consuleret Augustinus.

Respondetur, sanctum Doctorem ita infensum fuisse mendacio restrictionive pure mentali, & quæ non exprimitur verbis saltem implicite ex circumstantiis sensibilibus, & veritatis amatorem, ut videatur in contrariam partem inclinare sententiam, ut solum occultetur veritas & nulla restrictio sit licita. sed cum infirmitas humana tantum non patiatur rigorem, cum sanctus Doctor restrictionem admittat ex circumstantiis sensibilibus, ut vidimus, ex capite *secundo de mendacio*, ubi agit de jocis, etiam admittenda est in rebus seriis, si similes adsint circumstantiæ. rursus admittit usum æquivoci & analogi nominis, *qui passim* (ait) *in veteri Testamento invenitur.* quare in his locis adductis solum docet, quod perfectius est, non quod est necessarium ad fugiendum mendacium. quod fugiendum omnino dicit & pro nulla utilitate eo utendum propria vel aliena; quamvis semper, quando oportet, sit occultanda veritas, & pro ejus occultatione sit laudabile tormenta pati, sicut passus est Firmius; qui noluit manifestare hominem, quem occultum habebat, pro qua fide servanda multa sustinuit; non tamen negat sanctus Doctor, quod si ex circumstantiis loquentis & aliorum usu possit restringi locutio, id non sit licitum facere, cum munda sit à mendacio, cum tota mens loquentis ex locutione & responsione exterius circumstantionata exprimatur, & colligi ab audiente possit. hoc enim evidens est in Confessore interrogato à Iudice de peccato accepto in foro pœnitentiæ; quem posse & teneri negare se scire docet Ecclesia, à qua non dissentit Augustinus, sicut nullus Catholicus; dissentit tamen Augustinus à restrictione pure mentali in latebris intellectus omnino contenta, cujus rationem evidentem tradit, dicens: *quia, cum homini loquimur, ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector.* quæ ratio evidenter revincit restrictionem pure mentalem, quam, cum omnino sit corde retenta, inspicere nequit homo.

Quare illa responsio, quam docet Augustinus dandam, dum quis enixe interrogatur à Iudice: *scio ubi sit, sed nunquam monstrabo*, quam Firmius dedit lictoribus Imperatoris, consilium est perfectorum & voluntate firmiorum, non præceptum infirmorum, qui interrogati extra jus, possunt uti æquivocatione aut vocibus restrictis ex circumstantiis sensibilibus; non enim tenetur pati tormenta, ut manifestet quem dicit scire ubi sit, sed potest dicere non scire ubi sit. quæ verba ex injusta inquisitione restringuntur, ut intel-

intelligantur *ad manifestandum* inquirenti. quamvis perfecti possint illa tormenta pati si dicant scire ubi sit, ut non manifestent: propter confessorem qui nullo modo, vel remote debet fateri se scire peccatum in confessione, quia hic urget præceptum de servando sigillo confessionis; ibi autem solum est consilium de majore synceritate & simplicitate in loquela, quod exequi laudabile judicatur, dicit Augustinus; non tamen necessarium, quando autem dicit capite decimo septimo, quod qui mentitur Iudici contra jus interroganti, *etsi excusetur à falso testimonio, non tamen à mendacio*, optime dicit; quia si mentitur, non excusatur à mendacio, cæterum si utatur restrictione ex circumstantiis sensibilibus orta, non mentitur. sed si uteretur æquivocatione aut figurata æquivocatione, inquam, quæ in usu sit accepta, non quæ noviter sit adinventa, & introducta per restrictionem pure mentalem, qualem vult Raynaudus, & impugnat docte Barnesius, etsi aliquando mordacius quam par sit viro Religioso. quibus non acquiesco tamen veritati oppositæ restrictioni pure mentali, quam perniciosam esse non dubito utpote cum ex ea sequantur monstra horribilia contra Rempublicam, bonos mores, rectam gubernationem, convictum, & humanam communicationem, contra Reos miseros quos seducere possent Iudices illis promittendo etiam cum juramento immunitatem & mortis liberationem, utentes restrictione mentali omnino occulta, si veritatem fateantur delicti commissi & non plene probati: hoc enim & nihil aliud volunt Bodinus lib. 4 Dæmonomaniæ, cap. [illegible] Marcus Marullus lib. 4 de institutione bene vivendi, c. 4. loquuntur enim de mendacio, hoc est, de locutione ex qua infallibiliter decipiatur audiens. sicut loquuntur Plato, Origenes, Chrysostomus, Cassianus, quos ita interpretatur Raynaudus. & quidem hoc illis sufficit, ut judex expiscetur veritatem à reo seducto restrictione pure mentali, ad quam habet sufficientem causam, ut ea utatur, scilicet, ut delicta puniantur, & ab illis patrandis homines arceantur. quod nullus Catholicus concedet, cum sit dolus malus; quamvis omnes conveniant posse judicem æquivocatione usu recepta, amphibologia & ambigua promissione verbis subdolis promittere liberationem, quia ex istis loquendi modus potest reus advertere an decipiatur. at si mera & pura restrictione mentali, ex qua resultet æquivocatio nova & incognita in verbis, nullo modo indagare deceptionem quit, & sic antecedenter decipitur à judice, quod impium est asserere.

Ex quo ultimo concludo, quod si restrictio pure mentalis excusat à mendacio proprio, nullus Philosophus gentilis, nullus Politicus, nullus Atheus, nullus hæreticus, nullus denique homo quantumvis gravissimis facinoribus adstrictus, non quilibet Priscillianista negans suum errorem exterius & fingens se Catholicum, & nullus Catholicus ob timorem negans fidem exterius, imo & Idolis sacrificans exterius dumtaxat, possent de mendacio convinci, si usus restrictionis pure mentalis eluat mendacii malitiam, ut fatetur Raynaudus; qui etiam licitus est, si causa honesta subsistat, quod expresse est contra Augustinum, ut vidimus & legi potest lib. contra mendacium cap. 18. unde qui exterius simulat sanctitatem, non convinceretur hypocrita, si restrictione mentali utatur in factis virtuosis: non enim mentiretur in signis factorum, sicut non mentitur in signis vocum. quare sicut qui factis simulat sanctitatem, à Catholicis appellatur hypocrita & mendax; ita qui utitur verbis alia significatione, quam habent ex communi usu, mendax est & dicitur.

Non decet Raynaudum propter suam sententiam conviciis onerare, nec vacat locus faciendi panæresim, ut ab hac sententia abducatur, & eam corrigat propter scandala quæ ex illa oriri possunt. exuat *Polypi figuram*, audiat quid illo notet Phocylides:

Pectore neve aliud celes, aliudque loquare,
Proque loco variare, petris uti Polypus hærens.

Quid enim prodest viro Religioso & pio, in virus mendacii ita acriter insurgere, apologizare pro veritate, & ostendere mendacii prohibitionem etiam potestate absoluta esse indispensabilem, si postea mendacium subdolum introducit per restrictionem mentalem? qua etsi malitia loquentis vitetur, tamen damnum audientis, ad quod vitandum prohibitum est mendacium, ita manet irreparatum, sicut si mendacio loquens uteretur. itaque restrictio pure mentalis ad summum est alexipharmacum veneni loquenti, non tamen audienti; & sic virus mendacii, quantumvis verbis oppugnet Raynaudus, in sua perseverat efficacia; manet enim immedicabile respectu audientis, qui infallibiliter decipitur; hoc enim Patres appellavere mendacium; & in hoc sensu & notione Philosophi hoc usurparunt nomen, & dixere multi, ut vidimus ex Iavello supra, quod si non adsit expressa intentio fallendi, sed potius intentio vitandi malum, vel ut consequatur bonum, mendacium licere. contra quos acriter & vere disputat Augustinus sumens mendacium in hac significatione, ad quam ex sua primæva impositione in ordine ad humanum convictum sine fraude conservandum ordinatur; & in ordine ad hanc tandem audientis sumitur radix malitiæ mendacii. quare si ille infallibiliter sequitur ex restrictione mentali, malitia sine malagmate immedicata manet, nec veritas ex illa oriri quit, ut enim est in Proverbio apud Theogenem:

Non etenim è squilla rosa nascitur aut hyacinthus.

Est ergo in una restrictione pure mentali, quam introducere cupit Raynaudus, sita *lerna malorum, lacusque Mycenæus*, nutriens illa ferocem septem capitum indomitam bestiam, *Hydram* nuncupatam, ex fœtidis purgamentis illuc delatis. quare qui restrictionem pure mentalem licitam & immunem à peccato mendacii facit, *fumos Aulicos vendit*, ut in Regum & Pontificum curiis nihil sit sanum, nihil securum in verbis & factis, sed omnes, omnes decipient restrictionibus pure mentalibus, & eo audaciores erunt, quod sine mendacii labe eis utuntur ad decipiendum; ne vel amittant commodum aut gratiam Principis, vel ad quodlibet damnum vitandum. quo quid absurdius in humano & politico convictu? quare Raynaude aut totum muta, quod malum est; aut totum prode, quod optimum putas. Quam bene Eusebius Philosophus apud Stobeum sermone quarto: *homines multa potius scire, quam vera dicere studio teneri; proinde multos, dum contrarias opiniones veteribus probant, veri cognitionem de rebus maxime necessariis efficere dubiam.* caveat ergo obsecro in visceribus Iesu Christi quicumque hujus restrictionis pure mentalis constituitur novus assertor & propugnator, ne magnum ostium non Catholicis, sed hæreticis aperiat ad suas hæreses sine mendacio tuendas: his enim novitates maxime arrident, utpote cum semper profanis novitatibus gaudeant, ab antiquitate scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientia, fide naufragent. Contra vero *Catholicorum hoc fere proprium, deposita Patrum & commissa servare*, ait Lyrenensis capite trigesimo quarto.

Concludo ergo contra Sectatores restrictionis pure mentalis verbis Nazianzeni oratione de fide:

vehe-

vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet; quia nihil tale cogit in mortem, quam sub obtentu fidei integritatem ejusdem fidei violare. (dic tu sub obtentu veritatis integritatem veritatis violare.) *ut enim gypsum aqua permixtum lactis colorem mentitur, ita hic per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur.* qua de re non similitudo confessionis (id est restricta mente confessio pervia hæreticis, dum constringebantur, ut constat in Pelagio & Semiarrianis) *sed sensus mentis est ponderandus.* quibus concinunt sanctus Prosper contra collator. capite primo, qui agens de Semipelagianis, hanc restrictionem damnat, dicens: *Iustis interpres domestica malignitas non minus spernenda esset, quam foris loquens hæretica procacitas, nisi ejectis extra ovile Dominicum lupis sub nomine ovium suffragarentur, essentque hujusmodi, ut neque ordo eorum in Ecclesia, neque ingenia despicienda videantur; siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos, & non habent spiritum discretionis, corda conturbant, atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut nostros affirment non veraciter pro gratia* (pro veritate) *locutos.* & infra: *non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis pravisque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo longius longiusque distenditur; sed studendum est, ut fallacium calumniatorum detegatur hypocrisis, qui misero perversoque successu facile mendacio consensum eliciunt.* hæc ibi.

Et Sanctus Epiphanius hæresi sexagesima quarta, ex Methodio contra hos restrictores sic fatur: *sunt hi qui verborum prætextibus tragico more ornati sunt, velut mulieres quæ forinsecus de industria ad fraudem ornantur; nisi quis caute & sobrie fidem respiciat in his, quæ ad hunc sunt juniores. quare cavendum est, ut talem sermonem in cor admittamus, antequam exacte consideremus: præoccupant enim sæpe impostores ipsos veros Doctores, quemadmodum etiam Sirenes vocis jucunditate odium erga homines procul occultant, & fugientes ipsos alliciunt*, ut supra etiam retuli. Sirenes sunt ex Epiphanio, qui exterius verba adulterant restrictione pure mentali: restrictores enim isti præoccupant homines, silent enim piè docentium ora, dum illi sermonem versute adulterant, formam ac speciem veritatis prætexentes, & dum exterius vestem ovilem synceram ostendunt, intus sunt proximis veritatis lupi rapaces, & seductionis inductores.

SECTIO XVIII. *Vtrum liceat exercere per simulationem cæremonias falsæ sectæ?*

HIc est finis & scopus totius hujus digressionis, cujus resolutione satisfactum erit titulo § primo proposito, an liceat coram populo in templis & fanis idolorum sacrificia, quæ ab idololatris fiunt, ipsa dirigendo ad crucem, quæ in occulto sit, impune offerre. sensus est an licitum sit hujusmodi sacrificiis & cæremoniis gentilium uti, si materialiter sumantur, non ex animo exercendi cultum falsum: sic enim sumuntur formaliter; materialiter vero sumuntur quando exercetur actio illa exterior, puta thurificatio, mactatio animalis, genuflexio & profunda coram idolo inclinatio, non quatenus est cultus delatus auctoritate publica idolo, sed quatenus est crematio thuris &c. quæ fit coram Idolo per intentionem, tamen defertur cultus formalis non Idolo, sed cruci occultæ. dubium igitur est, an ex gravissima causa vitandi mortem, aut magnum damnum in temporalibus tam honoris, quam vitæ, licitum sit his cæremoniis materialiter sumptis uti, (quando non urget præceptum confessionis fidei, & abest scandalum) ita quod simulatio ista in tali casu non sit prohibita. multa dixi de hac difficultate tomo secundo tractat. moralium; quia tamen res est gravissima & valde necessaria, acrius est premenda & urgenda.

Sapientissimus Pater Magister meus Fr. Petrus Lorca 12. sectio. 5. disputatio. 35. memb. 2. & 22. sectione 1, disputatione 24. à num. 7. Medina 12. q. 103. art. 4. Cajetanus 3. p. quæstione 73. art. 1. speciali quæstione, quam ibi movet, in ea sunt sententia, cujus primus auctor fuit Adrianus (contra omnium fere Scholasticorum consensum, qui sequuntur Augustinum contra Hieronymum, qui in hac controversia acerrime debellarunt) in 4. q. de baptismo art. 1, in solutione argumentorum, ut asserant licitum esse ex causa gravissima uti cæremonia falsæ Religionis & sectæ, si materialiter sumatur, & non quatenus protestativa falsi cultus, & sic licita erit ex causa simulatio. unde Medina ubi supra, §. ad quartum dicit: *serio simulando contingit verum velle occultare per signum, quo verisimiliter credimus alios decipiendos, quomodo David coram Rege Achis simulavit se furere. & si quis hoc modo simulet idololatriam, dummodo non requiratur profiteri cujus sectæ sit, aut talis apud alios habeatur quis facto suo, alios in errore confirmet, vel à veritate dejiciat, non videtur magis peccare idololatriam simulando, quam si metum, ut Iosue, aut furorem simularet, ut David. & hoc videtur concessisse Elisæus Naaman, & Hieronymus commendare in Sehu. & sic licuit maxime ex causa simulate servare legalia; quomodo si quis coram sortilego levando nomina inscriptorum dicat, si videbas furem currebas cum eo, non animo invocandi Dæmonem, sed ut sciscitetur an alius talis sit, & eum ab errore revocet, dicitur simulare superstitionem.* hæc Medina.

Hæc sententia urgentissimis firmatur argumentis: Primum, quia ex sententia Hieronymi legalia omnia fuerunt cæremoniæ mortiferæ immediate post mortem Christi, & tamen Apostoli illis sunt usi: ut Paulus circumcidit Timotheum, & seipsum purificat lege Nazaræorum; Petrus etiam & Bernabas cæremonias legis Mosaicæ exercuere, ut constat ex Paulo epistola ad Galatas capit. 2. eas autem ex animo & intentione nullatenus poterant observare, quia mortiferæ erant, ut vult Hieronymus, & peccarent mortaliter, quod dici nequit de Apostolis post adventum spiritus sancti; & ita usi sunt simulatione ex causa, ac per consequens ista licita est, tunc sic; sed sententia Hieronymi, quod cæremoniæ legales fuerint mortiferæ statim à morte Christi, qui fuit illarum finis adæquatus, est valde probabilis, nec dici valet probabiliter quod sit singularis, temeraria aut aliqua censura digna. dicit enim Hieronymus in comment. epistol. ad Galatas cap. 2, *ego è contrario ad Augustinum loquar, & reclamante mundo libera voce pronunciem cæremonias Iudæorum perniciosas esse & mortiferas Christianis; & quicunque eas observaverit, sive ex Iudæis, sive ex Gentilibus, eum in barathrum Diaboli devolutum.* pro qua sententia citat Eusebium, Theodorum Heracleotam, Chrysostomum. quem sequuntur Theophilactus, Oecumenius, Anselmus, Cajetanus ad Galatas 2. ergo licet ex causa probabili & urgenti uti simulatione exercendo cæremonias reprobatæ sectæ & Religionis. consequentia ista est evidens, quia licitum est sequi opinionem probabilem.

2. Probatur ex factis in Scriptura contentis, quæ probabiliter excusantur ab auctoribus Catholicis; quamvis alii ea damnent: 1. est ex 4 Reg. cap. 10. nu. 18 & sequentibus, ubi Iehu insidiose agit, ut disperderet cultores Baal, quos congregavit ut holocaustum offerrent Idolo, simulando verbis se velle cum illis

illis sacrificare, ut post omnes occideret. quod factum, etsi Divus Thomas, Augustinus & alii non excusent à simulatione & mendacio, tamen alii excusant. quod satis docte præstat Eminentissimus Cardinalis Lugo disputatione 14 de fide, sectione 5. §. 4. & quidem quamvis insidiose egerit Iehu, tamen laudatur à Domino hæc simulatio, dicente nu. 30, *quia studiose egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* quare factum Iehu excusat etiam Abulensis ibi quæstione 25.

Secundum sumitur ex capite quinto ejus lib. 4. nu. 18, ubi postquam Naaman promisit Elisæo se ultra non sacrificaturum Diis alienis, subdit: *Hoc solum est de quo depreceris Dominum pro servo tuo; quando ingredietur Dominus meus templum Remmon ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* qui dixit ei, *vade in pace* hæc ibi. circa quæ notat Magister Lorca, quod ex *Prophetæ responso manifeste colligimus actum illum non fuisse peccatum. Nam gravis esset negligentia Prophetæ & à culpa non foret immunis, si homini inquirenti veritatem & de salute sua solicito non indicaret actionem illam esse malam & cavendam, etiamsi mortem oppetere (nedum Regis indignationem incurrere) oporteret. cum ergo dixerit vade in pace, docuit nihil sibi esse timendum, quia absque peccato id facere poterat. quare Cajetanus ex Lyra, Abulensis ibi quæstione 25, censet actionem illam Naaman liberam à culpa fuisse, quæ, quamvis vocetur adoratio, non est intelligendum fuisse veram adorationem, sed signum externum in adorationem exhiberi solitum, puta genuflexionem. quia ergo genuflexio actio erat indifferens, & quæ ab idololatria præscindi poterat, & facta à Naaman non animo adorandi Idolum, sed solum ut sustineret Regem manui ejus incumbentem, & eo incurvato ipse erectus non maneret, quanquam & Regi ipsi & circumstantibus videri poterat eum simul cum Rege idolum adorare, nihilominus neque exterior idololatriæ actus, neque illicitus fuit.* hactenus Magister. cujus sententiam etiam sequuntur Suarez de fide, disputat. 14. sect. 4. Castro Palao tom. 1. tractat. 4. punct. 16. num. 4. Coninck de actibus supernaturalibus, disputatione 15. num. 46. quare dum Naaman poscit ut ignoscat illi Dominus pro hac re, non petit remissionem peccati futuri: hæc enim est impossibilis, si iterum committendi illud adest propositum, ut est certum de fide. quare illis verbis solum petivit licentiam aut potius consilium, an illa actio esset illicita? cui respondet Propheta, dicens: *vade in pace*, ac si clarius diceret, actio illicita non est, nec tibi imputabitur ad culpam.

In doctrina horum Doctorum male & perverse intellecta fundabant errorem suum Missionarii illi, qui inter Chinas docebant licitum esse sacrificare in publico coram magno Idolo illius gentis, si tamen in altari Idololatriæ designato esset occulta crux, cui ex intentione offerentis deferretur cultus thurificationis & oblationis aliarum rerum. sic enim refertur in memoriali oblato Philippo Quarto Hispaniarum Regi magno à Patribus ordinis Seraphici Provinciæ sancti Gregorii in Philippinis, ubi sic habetur puncto 5. *Enseñan a sus Christianos Mandarines (que son los que tienen los officios mayores del gobierno de las villas y ciudades) que por causa de cierta ley que ay en su Reyno de yr todos los meses y quando entran à tomar la posesion de su officio al templo de un Idolo llamado, chincho an abacerle sacrificio adoracion y reverencia y perdirle buen a cierto en su gobierno &c. que all dicho su templo vayan los que ya son Christianos que lleben consigo una cruz, y que ponundola ante el altar y esta tua del dicho Idolo escondida dirisan a la cruz y no al idolo sus adorationes, oblaciones, petitiones, y demas ceremonias que allisc hacen. siguen en esto el parecer de un Neophito letrado aquien consultando los dichos messionarios sobre el caso de esta ley que respondio lo que se ha dicho.* hæc ibi. ubi ponuntur nomina propria Missionariorum qui hæc practicabant, & ego reticeo modestiæ causa.

Verum enimvero cum animus non sit impresentiarum discutere de veritate sententiarum Augustini & Hieronymi: esset enim nimis longa discussio, & non necessariæ ad id quod intendo, supposita probabilitate utriusque sententiæ, & quod Augustiniana sit in scholis magis recepta: Hieronymus enim non usquequaque suæ adhæsit, imo ultimo se remittit ad Augustini placitum & decretum, ut clare docet epistola 89 ad Augustinum, quem alloquitur dicens: *Tu ut Episcopus in toto orbe notissimus, debes hanc promulgare sententiam, & in assensum tuum omnes eo Episcopos trahere; ego in parvo tuguriolo cum Monachis, id est, cum peccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenue confiteri me majorum scripta legere, & in commentariis secundum omnium consuetudinem varias ponere explanationes, ut è multis sequatur unusquisque quod velit.* hæc Doctor maximus. Data igitur utriusque sententiæ probabilitate, in præsenti omnino est enervanda doctrina horum Missionariorum tanquam pietati & Religioni contraria & inimica, utpote qui ex inanibus paleis triticum veræ fidei velint extricare, operam sterilem & infrugiferam ad salutem animæ assumentes; & dum lupo agnum eripere quærunt agnos & pastores canibus objiciunt dilaniandos; & dum de Idololatria victoriam quærunt, turpissima evadit dolis malis quæsita; tragulam enim injicientes, quam fabricam facere quibunt in Religione ipsi, si volunt videant. jam enim sancta Mater Ecclesia hoc prohibuit: nam in congregatione de propaganda fide re mature discussa, consultatione facta cum sanctissimo Domino Nostro Papa, hæc praxis penitus est explosa. cujus verba adduco ad finem hujus tractatus, & adduxi iterum tomo 2. tractat. Moralium, dum hanc eandem difficultatem expedirem contra eosdem Missionarios. contra quos videtur locutus Plutarchus in vita Romuli, Ἀπογνῶναι μὲν οὖν παντάπασι τὴν θειότητα τῆς ἀρετῆς, ἀνόσιον καὶ ἀγεννές, οὐρανῷ δὲ μιγνύειν γῆν ἀβέλτερον. In totum *abnegare divinitatem virtutis impium est & ingenerosum. cæterum cœlo miscere terram stuporis est.* quid enim obsecro faciunt isti, dum in altare Idolo dicatum abscondunt idololatris crucem, ut miser Catholicus cruce Domini posita super altare Dagonis thus offerat & alia sacrificia, Dagoni ipsi & Dæmoni inibi habitanti dicata? quid aliud, inquam, cœlum inferno miscere, & Dominum cœli & terræ adsociare Principi tenebrarum? hoc enim impium, ingenerosum & stupidum est. unde glossa ordinaria moralizans positionem Arcæ juxta Dagon dicit satis ad rem: *per quod figurata est positio sanctæ crucis in fano, quod Cosroes fecerat, & ibi tanquam Deum adorari faciebat.* unde in eodem altari & cultus debitus datur cruci & Dæmon adoratur, saltem in publica notoria & manifesta adoratione latriæ, qua satisfit legi publicæ de adorando Idolo. quo quid absurdius in Religione Christiana excogitari queat?

Sed amplius existimo, & est evidens, quod hæc doctrina sit tanquam hæretica damnata à Divo Augustino in libro contra mendacium ad Consentium, ubi duo intendit sanctus Doctor: primum quod falsa sit omnino hæresis Priscillianistarum, qui dicebant

bant licitum negare fidem in tormentis exterius, tamen illam retinendo interius. unde inter ipsos: *jura, perjura, secretum prodere noli*; quare suam sectam occultandam dicebant interius, etiamsi exterius abjurarent. secundum est id, quod percontatur Consentius contra quosdam Catholicos, qui existimabant licere se hæreticos fingere & simulare, ut hæreticos caperent & eorum astutias agnoscerent, ipsosque ad fidem veram revocarent. quare se hæreticos cum hæreticis faciebant in publico, in secreto tamen & inter Catholicos veri Catholici erant, & cæremonias hæreticorum dum illis assisterent simulate dumtaxat exercebant, ut caperent hæreticos ad fidem.

Hoc prorsus faciunt Missionarii, qui dicunt Mandarinos Christianos publice se monstrare idololatras, sacrificia offerendo publice & coram populo universo, servando in occulto Christianitatem intentione omnino occulta & mentali restrictione dirigente sacrificia ad crucem occultam; nunquid malagmate hujus occultæ restrictionis & directionis sanatur blasphema illa externa & publica idololatria? quare perniciosissimi isti operantur, quia qui credit hos Catholicos se simulantes exterius Idololatras, aut efficitur aut confirmetur idololatra; *imo multo perniciosius aut periculosius*, quam si quis idololatra interius exterius se simularet Catholicum. nam, qui credit Idololatræ simulanti se Catholicum, non desinit esse Catholicus, nec confirmatur in idololatria, quod est argumentum Augustini cap. 3.

Deinde cap. 11. hæresim Priscillianistarum referens (cum quibus in hac parte conveniebant Catholici qui se hæreticos simulabant) dicit: *Porro inter alia dogmata eorum, quæ subvertenda sunt, etiam hoc est utique quod dogmatizant ad occultandam. Religionem Religiosos debere mentiri, in tantum, ut non solum de aliis rebus ad doctrinam Religionis non pertinentibus, sed de ipsa quoque religione mentiendum sit, ne patescat alienis; ut videlicet negandus sit Christus, quo posset inter inimicos suos latere Christianus.* & infra cap. 12 agens de eisdem, dicit, quod suam hæresim probant *ex locis veteris testamenti, in quo sunt tam dicta, quam facta multa figurate dicta; tamen in Epistolis & Actus Apostolorum non invenitur* (ait) *talis aliquis innuens ut istis ad mentiendum licentiæ proponatur exemplum; quandoquidem illa Petri & Barnabæ simulatio, qua gentes judaizare cogebant, merito reprehensa atque correcta est, & ne tunc noceret & ne posteris ad imitandum valeret.* & post multa, quibus simulationem Petri reprobat, concludit de Paulo: *nam si propterea, quia dixit factus sum Iudæis tanquam Iudæus, & iis, qui sub lege erant, tanquam sub lege, putandus est mendaciter suscepisse (sicut Petrus suscepit) legis veteris Sacramenta, debuit idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, quia etiam dixit, iis qui sine lege erant tanquam sine lege se factum, ut eos lucrifaceret. quod utique non fecit: non enim alicubi sacrificavit idolis, aut adoravit illa figmenta, ac non potius libere tanquam Martyr Christi detestanda & vitanda monstravit*: ô mirandum Augustini ingenium! nihil ad Religionem attinens intactum reliquit. ex cujus indubitata doctrina colligitur, quod licet Apostoli simularent aliquas cæremonias veteris legis, quæ, sive mortiferæ fuerint à morte Christi, ut vult Hieronymus, sive mortuæ, ut docet Augustinus, usque ad Euangelii prædicationem; tamen fuerunt aliquando honestæ & institutæ à Deo in cultum honestum & Religiosum; & sic vel non fuit peccatum illas tunc temporis exercere, vel earum simulatio fuit dumtaxat veniale. Ast nunquam in Ecclesia legitur ab ejus exordio & institutione, quod Apostoli ejusve discipuli, aut aliquis vere Catholicus simulaverit idololatriam, offerendo sacrificia, & orationes (quæ ex publica institutione proxime & immediatè ordinantur ad cultum idoli) exercendo; quia in istis non separatur ratio falsi cultus, àb earum exercitio facto coram idolis; sed Respublica ipsa videns eas judicat fieri in honorem, non pure politicum, sed Religiosum, datum falso Numini.

Deinde eadem Missionariorum praxis reprobatur, excluditur, rejicitur, expugnatur tanquam absurda, iniqua & contra totius Christianitatis & Catholicismi praxim & usum, & Catechesim à temporibus Apostolorum edoctam, quia anno Christi 286, Imperatores Diocletianus & Maxim. edictum publicum edidere, ne quis Christianis venderet, neque alia naturæ usui necessaria impartiretur, nisi idolis sacrificarent incensum. quod alii referunt, & Beda in actis Iustini Martyris cecinit:

Non illis emendi quidquam aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam dabatur licentia,
Antequam thurificarent detestandis idolis.

Et hoc quidem sub gravissimis pœnis, nisi prius Idolum in plateis, vel loco manifesto positum adoraretur, veneraretur, & cultum externum darent, & tamen Christiani prius fame consumebantur, quam talia exercerent, cum possent facile crucem occultam deferre & illi cultum dare intentione ad illam directa; quamvis in prospectu esset idolum cui materialiter deferebatur cultus. at talis inventio nunquam visa est inter Christianos Catholicos.

Vlterius est manifestum argumentum contra hujusmodi superstitiosi cultus inventores, quia, si hoc licitum esset coram populo idolo sacrificare, deferendo per intentionem cultum cruci occultæ, evidenter sequitur libellaticos non peccasse libellos expiscando, data pecunia judicibus & officialibus publicis, ut scriptura facta certificarent se jam idolo sacrificasse, ut à persecutione liberarentur. Consequens autem ita falsum est, ut de proposito sanctus Cyprianus, contra hos graviter insurrexerit multis in locis. prius tamen libellatorum horum crimen exaggeratum audi à Clero Romano in epistola ad Cyprianum quæst. 31. ibi: *hoc nos non falso dicere superiores nostræ literæ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus adversus eos qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quo non minus quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant tenerentur. Sed & etiam adversus illos, qui acta fecissent, licet præsentes cum fuerint non adfuissent, cum præsentiam suam utique, ut sic scriberentur mandando, fecissent: non enim est immunis à scelere, qui, ut fieret, imperavit: nec est alienus à crimine, cujus consensu, licet non à se admissum crimen, tamen publice legitur, & cum totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit, & qui vult videri* (notate ô Missionarii) *propositis adversus Euangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit. absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; & cum adhuc non tam jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur. Vbi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? si tantummodo operit vulnus* (advertite Sinarum Catechistæ) *nec finit necessaria temporis remedia obducere cicatricem, hoc non est cu-*

rare, sed, si dicere verum volumus, occidere. hæc ibi.

Et ipse sanctus Cyprianus epistola 52 ad Antonianum dicit num. 41, *quæ inclementia est, & quam acerba duritia, libellaticos cum his qui sacrificant jungere? quando is cui libellus acceptus est dicat, ego prius legeram & Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere, & ideirco, ne hoc facerem, quod non licebat (cum occasio libelli fuerit oblata, quem ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio) ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi: Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse; dare me ob hoc præmium, ne quod non liceat faciam. Nunc autem iste qui libello maculatus est, postea quam nobis admonentibus didicit nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam; flet auditis nobis & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quam errore deceptus, quod jam de cætero instructus & paratus sit contestatur, &c.* ubi sanctus Doctor, etsi libellaticos ab his qui sacrificant sejungat, tamen illos graviter peccasse contra fidei confessionem & cultum veri Dei sine dubio fatetur, & hos libellaticos ad pœnitentiam admittendos esse probat. & epistola 68 de Basilide & Felice Episcopis Hispanis, libellis idololatriæ dicit maculatos, & num. 22, *Basilidis & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sunt.* & epistola 15 ad Clerum Romanum num. 11, *nefandis libellis conscientiam polluissent.*

Audi sanctum Doctorem, quantum ad rem loquatur lib. de lapsis, num. 100. postquam de libelli facinore egit num. 97, sic fatur: *plus imo deliquit, qui secundum hominem dum cogitans evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit. Christus enim in præceptis suis dicit, qui confusus in me fuerit, confundetur cum venerit Filius hominis: & Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur, aut veretur? quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit? minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando: Hoc eo proficit ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia, facilius potest ad veniam criminis pervenire, non est tamen immunis à crimine.*

Ex quibus omnibus constat crimen nefandum fuisse libellos à judicibus accipere, quo quis Catholicus declarabatur sacrificasse, quamvis minus delictum quam sacrificare. ut tamen hoc plenius concipiatur, adnotare ex dictisque colligere licet, ut facilius mens Cypriani & nostrum intentum contra Missionarios hos percipiatur, quatuor genera fuisse libellatorum, (quæ non advertit Cardinalis Baronius tom. 2 ad annum Christi 253, pagina mihi 396 & 397. dum fallitur in Cypriani intelligentia, unum dumtaxat genus admittens:) I. genus est eorum, qui profitebantur se Christianos esse, &, ne cogerentur sacrificare, pretium dabant Magistratui, ut in sua fide perseverantes relinqueret, sicut antiquitus, dum Hispania erat sub Maurorum tyrannide Christiani dicti Muzarabes faciebant, accipientes de hoc publicum libellum & instrumentum: hoc enim licitum esse nullus Catholicus in dubium vertit contra Tertullian. lib. de Fuga in persecutione cap. 13 & 14. quem ut notat Hieronymus de Scriptor. Ecclesi. in Tertul. scripsit contra Ecclesiam, quem errorem late refutat, ex Canone Petri Alexand. Episcopi & Martyris, Baronius ad annum Christi 205, ubi aperte excusantur, utpote laude dignissimi, qui pecunia redimissent sacrificationem aut Christi abnegationem.

Secundum genus erat eorum libellatorum non ab accepto, sed à dato & oblato libello Magistratui, quo se Christum negare profitebantur. de quibus Plinius libro decimo epistola 97 ad Trajanum Imperatorem, ubi sic fatur: *Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cum præsente me Deos appellarent & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris Numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi dicuntur, qui sunt revera Christiani,* (notent Missionarii ex sententia Plinii, qui revera sunt Christiani, nec thure, nec vino posse Diis supplicare; possent quidem, si liceret occulta cruce,) *alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt, fuisse quidem sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos; non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam Deorumque simulacra venerati sunt; hi & Christo maledixerunt.* Hactenus Plinius.

III. Genus libellatorum sic proponit Baronius, pagina 396 citata: *quantum igitur ex citatis nuper locis de libellaticis assequi licet, hunc in modum geri consuevisse putamus: ut propositis à Provinciarum Præsidibus Decii Imperatoris edictis ut Christiani omnes sacrificarent, qui autem id facere erubescerent Magistratum adirent, vel ad eum suo nomine mitterent, rogarentque ne ad sacrificium immolandum compellerentur. Cæterum se Christianos negarent, iidemque pro hujusmodi dispensatione consequenda pecuniam sponderent. Magistratus vero post negationem concessionis libellum scriberet, atque ei qui petiisset daret, vel absenti mitteret, quo munitus tutus absque pœna consisteret. Qui igitur hunc in modum fidem prodidissent & similiter perdidissent, libellatici dicebantur, quod libellum securitatis à Magistratu conscriptum accepissent quod negassent. & hoc modo fuisse libellatum Martialem Episcopum constat ex Cypriano epistola 68 ad Hispanos, & sic isti dicebantur libellati non à libello oblato Magistratui, sed ab eodem Magistratu accepto.*

IV. Genus libellatorum erat quod expressis verbis posuit Cyprianus epistola 52 ad Antonia. quæ supra retulimus, ubi formulam libellatorum magis usitatam & communem posuit, qua libellatus fatebatur expresse se esse Christianum, cui non licet sacrificare. cum autem hoc scirent & timerent ad sacrificandum urgeri, mandato Imperatoris solvebant certum pretium Magistratui, aut Imperatoris Ministris, qui se offerebant ad illud officii, ut publicam fidem facerent eos sacrificasse; atque eo fine dabatur illis libellus continens publicum testimonium quod sacrificassent, & mandato Imperatoris paruissent. unde consequens erat, ut cum aliis Christianis constantioribus non censerentur, eosque scandalizarent, quasi jam thurificati aut sacrificati. quod libellatorum genus si velit excludere Baronius, manifeste opponitur Cypriano epistola 52 citata. nos non negamus libellatos etiam dici, quos in tertio genere adducit Cardinalis, de quibus Cyprianus lib. de lapsis, num. 100. & Clerus Romanus epist. 31. cæterum libelli forma quarta expressa est, & continet manifeste fidei injuriam, dum scripto publico, quamvis false dato, constabat omnibus legentibus sacrificasse, quamvis reipsa non ita esset.

Ex quibus manifeste deducitur, quod si licet coram aris idolorum thus, sacrificia & libamina offerre in publico, ea deferendo per intentionem ad crucem occultam vel in altari vel in manu, etiam licitum esse libellum publicum exposcere, quo innotescat sacrificia obtulisse, quamvis reipsa non ita sit: quid enim refert quod scripto fiat vel facto? nam utrumque potest fieri referendo eo per intentionem ad Chri-

ad Christum; imo non solum libellati sed thurificati qui thus cremabant coacti à Plinio, & sacrificati, qui sacrificia faciebant coram simulacris Numinum, idem facere possent; & sic effugere mortem & damnum in temporalibus divitiarum & officiorum, quid enim magis habent Christiani tempore Imperatorum, quam habeant modo Christiani Sinenses? quidni? nonne Sacerdotes idoli Chinchoan, & alii ministri publici publicam fidem faciunt Mandarinum sacrificasse, ut moris est ex vi legis suæ perfecisse; & sic publice constabit tum Imperatori Chinarum, tum toti populo, qui videt publicum illud sacrificium fieri idolo, constabit; & sic firmabitur in idololatria & cultu dæmonum, videns gubernatorem id fecisse, & satis fecisse edictis & legi publicæ. unde non est alienus à crimine, cujus consensu licet non sit à se admissum, crimen tamen publice legitur: *& cum totum fidei Sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur digestum, qui fallaces in excussatione præstigias quærit negavit, & qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse à se voluit. absit enim ab Ecclesia Romana, &c.* ut ajebat Clerus Romanus Cypriano.

Vltimo denique horum Missionariorum praxis ut penitus aboleatur, rejicitur, quia, ut supra vidimus cum Suarez lib. 6 defensionis fidei cap. 6. ex decretis & brevibus Pauli Quinti, & quia ex natura rei est malum, non licet Catholicis illis Rege hæretico præcipiente adire hæreticorum templa, ibique precibus & concionibus adesse. id quod Romæ responsum est à præstantissimis Theologis de hac re consultis; inter quos fuerunt duo Eminentissimi Cardinales Baronius & Bellarminus; estque jam hodie extra omnem controversiam, ut affirmat alter Cardinalis Lugo disput. 14 de fide, num. 174. §. *omnino ergo fatendum est.* & fatentur omnes scriptores societatis, qui sua scripta prælo mandarunt. Granados de fide tract. 11. disput. 3. num. 18. Turrianus disputat. 35. dubio ultimo. Balmasedanus disput. 48. sect. 5. Coninck disput. 15. num. 57. Amicus disputat. 16. sect. 5. Thomas Sanchez lib. 2 Summ. cap. 4. num. 27.

Sed quia Eminentissimus Cardinalis de Lugo hujus veritatis rationem assecutus est, quæ deservit ad nostrum de quo tractamus intentum, eisdem Eminentissimi verbis eam proponam, etsi sint aliquantulum longiusculæ. sic enim ait num. 176, *Rationes multæ adducuntur à prædictis auctoribus ad ostendendam culpam adeundi templa hæreticorum in his circumstantiis, tum ex offensione & scandalo, tum ex periculo perversionis quod est intrinsece annexum, saltem in communi; tum etiam ex incremento hæresis quæ favorem & incrementum accipit ex hujusmodi concursu, & ex aliis capitibus, quæ apud ipsos videri possunt.*

Ego enim nolo rationes ab extrinseco petere, quæ fortasse non sunt ita universales, sed ab intrinseco & à priori ex natura & conditionibus propriis talis actionis. Prima, quia licet aditus ad templa hæreticorum ex se possit esse actio indifferens, in his tamen circumstantiis non est indifferens, sed determinata. ut sit actio Religiosa, significans cultum sacrum erga locum illum & actiones quæ ibi fiunt. suppono enim exerceri hanc actionem propter observantiam legis Regiæ eam præcipientis, & hanc ipsam observantiam significari ab adeuntibus templa; quando non apparet alia causa civilis, ut comitari Principem, interesse comitiis, &c. sed solum metus pœnarum, ad quas evadendas ponitur observantia legis, & tunc dico non posse hanc actionem esse obedientiam mere civilem, sed actionem Religiosam, includentem protestationem falsi cultus.

Quod sic ostendo; quia lex humana non potest præcipere aliquod opus, nisi sub motivo alicujus virtutis & honestatis, in cujus specie illud constituit eo ipso, quod id præcipiat; quæ etsi non obliget ad modum virtutis, hoc est ad operandum propter finem virtutis; ipsa tamen lex debet habere pro motivo honestatem talis virtutis, & illam intendere, ut latius traditur in materia de legibus. Quibus suppositis certum est, hanc legem Regiam, ut legis larvam & apparentiam haberet, debuisse honestatem aliquam apparentem intendere in præcepto adeundi templa. quæ non potest esse alia, nisi sacra vel Religiosa, nempe cultus Religiosus & ejus major solemnitas & frequentia; vel certe ut hujusmodi preces ac conciones, & concionatores ipsi ac ministri honorem ac auctoritatem à frequentia haberent. (addi tu in præsenti, & ut idolo Chinchoan cultus deferatur publicus in templo, & ara ipsi dicata) *præcipitur ergo ea lege actio non civilis, sed Religiosa unde subditus, qui nullam causam habet, aut significat adeundi templum, nisi legis observantiam quam exercet exterius ad vitandas pœnas transgressoribus impositas, eo ipso significat, saltem exterius, se intendere observantiam legis, & ponere actum à lege præceptum; qui certe erit Religiosus actus vel falsæ Religionis vel ad eam fovendam ordinatus: significat enim se legi obedientem & exequentem, id quod lege præcipitur, & Principis voluntati se conformantem, & per consequens exercentem actum Religiosum, qui solus lege illa præcipiebatur.*

Secunda ratio, esse potest à simili & ab exemplo, ad ostendendam malitiam intrinsecam illius actionis; quia si licitus esset templi ingressus in his circumstantiis, licite etiam possent Catholici Rege hæretico præcipiente sumptionem falsæ Eucharistiæ & communionis Calvinisticæ, illam sumere ad vitandas gravissimas pœnas; quod tamen nullus Catholicus concedit. sequela vero probatur, quia sicut adire templa hæreticorum de se indifferens est, & aliquando potest esse licitum, sic comedere panem illum qui merus panis est de se indifferens, & potest esse actio non sacra, sed politica seu naturalis ad corporis sustentationem. si ergo comestio illa in his circumstantiis illicita est, quia præcipitur ut actio religiosa & sacra, & ideo significat in his circumstantiis falsum cultum; idem dicendum est de adeunte templum in his circumstantiis, & audiente concionem & preces hæreticas. ad observandam legem, quia hæc omnia præcipiuntur intuitu Religionis. non ergo mirum, quod posita illa lege, Catholici omnes abhorruerint à præsentia sua his precibus & concionibus exhibenda, & habuerint pro signo certo desertæ Religionis Catholicæ, vel hæresis saltem simulatæ (adde tu Idololatriæ simulatæ) *si quem viderint ejusmodi legi obtemperantem, & eo intuitu accedentem hæreticorum templa* (tu Idolorum) *& sacrilega conventicula.*

Explicatur & confirmatur utraque ratio exemplo aptissimo Idolothyti, quod videtur omnino simile casui nostro. Nam comestio Idolothyti secundum se indifferens est, & aliquando potest esse licita. si tamen Rex gentilis præcipiat tibi ut de illo comedas, non poteris jam de illo tunc comedere, etiam ad vitandam mortem, vel gravissimas pœnas; quia urgente præcepto qui comedit, ostendit se actionem religiosam exercere, qualis à Tyranno præcipitur, cum solum propter præcepti observantiam faciat. Imo addit Chrysostomus homil. 15 operis imperf. in Matth. si quis tibi dicat non manduces Idolothytum, sed aspice tantum ad Idola, quomodo speciosa sunt; si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum, non quia aspicere Idola aliquid sit, sed quia invitatus aspicis, peccas. tanti nimirum refert invitatio & provocatio quæ motivum sit operandi quid ergo operabitur lex habens pro motivo cultum religiosum, & hunc ipsum præcipiens, quando subditus intuitu talis legis actionem exhibet ad cultum ordinatam, etiamsi seclusa tali lege, & in aliis circumstantiis diversis. posset

 for-

fortasse aliquando actio illa esse licita? eodem plane modo dicere possumus si adieris templum provocatus & jussus à Principe Heretico(adde tu Idololatra)*ingressu tuo Christum negasti, non quia ingressus ille semper & in omni casu illicitus sit, sed quia jussus & provocatus ab heretica lege ingressus es, ut precistus & concionibus hæreticis adesses.* Hæc sapientissime apud Cardinalem de Lugo, quæ nostro intento conveniunt. adest enim lex præcipiens quod Mandarini singulis mensibus sacrificia offerant Idolo, & actio ipsa exterior Religiosa est, & in his circumstantiis exercetur in ordine ad cultum publicum Idoli,&c. & sic nullatenus exercenda,quia esset simulata Idololatria. & instante lege præcipiente, simulatio in materia Religionis nullatenus est admittenda, ut egregie Augustinus lib. contra mendacium, tanquam fidei dogma statuit.

Vrgetur hoc argumentum, quod juxta omnium Catholicorum recte sentientium sententiam omnino est illicitus usus vestium, qui determinatus est, ad significandam falsam religionem & cultum debitum Idolo, ex lege publica; quamvis vestis ipsa indifferens sit ad aliud, ut ad depellendum frigus, aut in signum nobilitatis, tamen induta à tali persona & in his circumstantiis denotat falsum cultum. sicut equites Christiani portant crucem, tum in signum nobilitatis, tum ad significandum cultum religiosum erga crucem & Christianitatem. sic imago Idoli aut Mahometis in veste depicta ex se indifferens est ad cultum, vel ad alium finem; tamen in his circumstantiis, & taliter gestata in pectore, vel in veste ex lege publica, omnino non est indifferens, sed determinata ex lege ad significandum falsum cultum. sic & thurificatio ex se indifferens est, ut fiat in cultum, vel etiam ad finem naturalem expellendi odorem noxium; sed tamen in his circumstantiis, ex lege publica, aut usu recepto coram Idolo, omnino determinate significat cultum:unde non est ullatenus ad legis observantiam exercenda; quamvis occulte referatur ad crucem, etiam timore mortis & amissione officiorum & omnium facultatum.

Ex dictis constat, quid dicendum ad fundamenta quibus nitebantur Missionarii. ad primum respondetur, quod, ut ait Augustinus libro contra mendacium cap 12,Apostoli nunquam simularuntIdololatriam sacrificando Idolis, quia hæc semper fuit à Deo reprobata, & nunquam deferebat cultum vero Deo, sed Dæmoniis; at cæremoniæ legis veteris fuerunt dicatæ vero Deo, & illius vero cultui,quamvis mortuo Christo jam mortiferæ. quare licuit illo tempore ex causa gravissima simulate & non ex animo, maxime Divo Petro, qui caput erat Ecclesiæ, illis uti attendendo non quod tunc erant, quia mortiferæ, sed quod fuerunt: non enim erant mortiferæ, quia non cultus, sed quia jam illius cultus finis cessavit, completa morte Christi, quam significabant; sed idololatria semper fuit cultus debitus Dæmoni tributus. hodie tamen non potest simulari aut dissimulari cæremonia Iudaismi, etiam pro vita tuenda, quia ratione circumstantiarum, personæ exercentis,& temporis,est signum determinate significans cultum Mosaicum ex animo fieri; & sic qui tale factum exerceret,judaizaret,& tanquam Iudæus justissime puniretur.

Sed objicies 1. quia hodie secundum morem & consuetudinem Ecclesiarum Indiæ orientalis, quæ sitæ sunt sub ditione Regis David, qui communiter dicitur *Preste Iuan*, observatur circumcisio, & ab Ecclesia etiam quando amplissimum illud Imperium recognoscebat Pontificem Romanum Ecclesiæ caput, illis erat permissa, non quia illa illi exercerent tanquam cæremoniam legalem Iudaismi, aut ex cultu Mahometano, aut quia observent præceptum datum Abrahæ de circumcisione: hoc enim illi non faciunt; sed ex illis motivis honestis, quæ acutissime infert Dominus Cajetanus 3 pag. quæst. 37. art. 1, dicens *quod circumcisio* non est mala ex genere suo, quia potest homo se circumcidere ob sanitatem, vel, ut ait Magister Lorca, *ob mortificationem carnis*, quod duriuscule dicitur; deinde se illa natio circumcidit, ut homines conformentur Christo circumciso, non quidem quatenus ex lege fuit circumcisus, quia sic hodie est illicita, cum esset circumcisio legalis, sicut fuit illa Christi cui conformatur; sed circumciduntur ut conformentur Christo corporaliter circumciso, & patienti in illis sensibilibus partibus dolores. qui actus non videtur malus, sed laudabilis, quatenus fit ex motivo honesto venerationis Christi patientis. quare sicut ad venerationem Sanctorum pertinet, quod eorum nominibus nominemur, ita in illa Christianitate Indorum circumcidi adChristi conformitatem veneratio est honesta,non superstitiosa. qui mos, ut ait Cajetanus,nunquam fuit ab universali Romana Ecclesia damnatus; & cum talis usus illis gentibus sit in usu, nulli illorum fit scandalum. & quidem Mosaicam circumcisionem aut Abrahamiticam, aut Mahumetanam ibi non exerceri, ex eo fit manifestum, quia ut veridicus & gravis Historicus Ioannes de Barrios decade 3. lib.4, cap. 2. dicit, quod non solum circumciduntur viri, sed etiam feminæ, à quibus abscindunt partem glandulosam, quæ *nympha* à Latinis nominatur: at Abraham, Moyses & Mahumet feminas circumcidi non jubent, & sic circuncisio hujus nationis legalis non est; sed vel ad summum politica, vel ad conformandum se Christo in tenera ætate patienti: quare illa non utuntur quatenus à Deo instituta in lege, sed ex motivis allatis. quibus consideratis concludit Cajetanus: *hæc sunt quæ de hac quæstione nova mihi occurrerunt, in qua libentius audirem Apostolicæ Sedis sententiam,quam propriam proferrem opinionem.*

Sed Cardinalis de Lugo opponitur Cardinali Caietano disputat. 14 de fide, num. 145 & 146 dicens, omnino esse hodie illicitam circumcisionem, nec illa uti posse præscindendo ab institutione legis Mosaicæ, sed semper utetur illa, quatenus est actio sacra & Religiosa à Deo instituta; & sic semper est illicita. atque ita quisquis eo signo utitur, suspectus est vehementer in fide, nec purgabit crimen dicens se mortificationis gratia,& ad Christi imitationem id fecisse. Circumcisio enim infantum non est illis utilis ad meritum, cujus octavo die sunt inepti. quare sicut non est laudabile ad Christi imitationem sine causa verberari, ita nec circumcidi: in adultis etiam est vulnus,quo per multos dies urgentur gravi dolore, redduntúrque inepti ad multas humanas actiones, ut constat in Sichimitis Genes. 34. quare in Abissinis nunquam approbavit Ecclesia, imo potius reprobavit, sicut & alias hæreses, quibus cum Scismaticis scatebant,quam postea,abjecta fide Catholica, repetierunt, ut notat Coninck disput. 15 de fidè n. 47, ex Godinio de Abissinorum rebus, à cap. 27, usque ad 32.

Ego tamen medius sum inter duo hæc extrema, & existimo 1. quod si quis extra gentem Abissinam se circumcidat, est valde suspectus de fide, & punibilis à Censoribus fidei, si juridice non lavet & purget suspicionem; nec erit sufficiens dicere id fecisse causa mortificationis. si tamen dicat id fecisse ex consilio Chirurgi ad sanandum ab infirmitate, sufficiens erit, nisi alias persona sit suspectæ nationis; si tamen sit Abissi-

Abiſſinus, ſi alias ſit Catholicus & inter Abiſſinos natus, à conſuetudine ſuæ nationis poterit excuſari. apud quam etiam quando antiquitus veri erant Catholici circumcidebantur ex motivis honeſtis, quæ poſuit Dominus Cajetanus. nec eſt eadem ratio in verberatione pueri, ac in circumciſione, quia iſtud paſſus eſt Chriſtus puer, non tamen illam: non enim pueri illi circumciduntur ut meritum habeant, ſed ad paſſivam cum Chriſto, patiente in illa tenera ætate, conformitatem; quod enim Abiſſini, dum fidem Catholicam ſuſceperunt, coacti ſunt relinquere circumciſionem, ideo fuit, quia ut ſchiſmatici, ſicut habebant alias hæreſes, erant ſuſpecti de hæreſi, quod lex vetus & nova poterant ſimul obſervari. de quo, ut notat Barrios ubi ſupra, ſuſpicionem habebant, cum etiam obſervarent ſabbatum; & ſic dum ſe circumcidebant, videbantur legaliter id facere, & illam exercere ut actionem Religioſam utilem ad ſalutem, quod eſt judaizare.

Exiſtimo II. nulli hodie licitum eſſe ſe circumcidere, ut vitet mortem aut alia damna temporalia, quamvis ipſe circumciſionem ordinet ad conformitatem paſſivam cum Chriſto patiente circumciſionem. ratio eſt, quia hodie eſt actio & cæremonia legis mortifera, quæ, ſi fiat à Sacerdote & aliis cæremoniis, nequit præſcindi in his circumſtantiis ab inſtitutione legis antiquæ. ſi tamen quis occulte ob mortificationem ſcindat præputium, ut amore Chriſti ſentiat illum dolorem, ſicut poteſt ſe catenis verberare uſque ad effuſionem ſanguinis, etſi non peccet contra Religionem, poteſt peccare contra charitatem, propter proximum gravis infirmitatis periculum.

Objicies II. quia multi Sancti ſimulaverunt ſe hæreticos cum hæreticis, vel ut ipſos lucrifacerent, vel ut omnino expellerent & convincerent, vel ob alium finem bonum. ſic enim refert ſanctus Gregorius Nyſſenus in vita ſancti Ephrem Syri, *quod ſe finxit hæreticum Apollinariſtam, ut libros Apollinaris valde pernicioſos expiſcaretur à quadam femina, quæ eos conſervabat occultos, à qua illos poſtulat rogans, ut Præceptoris (ſic Apollinarem appellat) ſibi ſcripta publicæ utilitatis cauſa exhibeat, ut nobis ſcilicet, quos tunc hæreticos vocabant, repugnare commodius poſſit. Quibus acceptis ita folia piſcis glutino copulavit, & folium folio connexuit, ut una pars ab alia ſejungi nequiret.* ſimiliter ſanctus Euſebius Martyr Epiſcopus Vercellen. ut refert ſanctus Ambroſius ſerm. 69. hæreticis Arrianis *ſe hæreticum eſſe mentitus eſt, ut de hæreſi filium liberaret.*

Reſpondet Raynaudus in Hoplotheca contra ictum calumniæ ſect. 2, c. 14. ſanctum Ephrem uſum fuiſſe reſtrictione mentali, & ſic non fuiſſe mentitum: & idem prorſus diceret de ſancto Euſebio Martyre. ſed reſtrictionem iſtam mentalem ſatis ſuperque ſupra rejeci, & ipſe Raynaudus in lib. ſplendor veritatis, rejicit in materia Religionis, ut eſt etiam indubitatum apud Auctores omnes Catholicos: eſt enim omnino certum, ut tradunt Doctores 2. 2. quæſt. 3, quod qui dicit ſe eſſe Calviniſtam, Lutheranum, aut Mahumetanum, negat veram fidem, utpote approbans eas ſectas, quæ veritati fidei ſunt oppoſitæ.

Reſpondetur II. quod bene dicit Auguſtinus lib. contra mendacium cap. 11, *contra omnes omnium opiniones, quibus videtur ad viri boni officium pertinere aliquando mentiri, omnino tenendum, in doctrina Religionis nullo modo eſſe mentiendum.* unde dicere quod quis poteſt ſe hæreticum fingere aut ſimulare, ut hæreticorum latebras agnoſcat, vel ut ipſos evertat, vel convertat, manifeſte incidit in opinionem, vel Priſcillianiſtarum, vel Catholicorum illorum, de quibus conſultat Creſcentius Auguſti. & contra quos ſanctus Doctor ſcribit lib. contra mendacium, legatur ſanctus Doctor cap. 3, ubi egregie hoc diſputat contra Frontonem, quem ſervum Dei appellat, dicebat tamen licitum ſe fingere hæreticum. unde cap. 11 concludit: *Quando nobis de Scripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non ſunt, aut, ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt; quia juſta eſſe non poſſunt; ſed quod ſcriptum eſt bene Deum feciſſe cum Hebreis obſtetricibus & cum Rachab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non malignitas mentientis.* unde in ſancto Ephremo laudatur zelus fidei, contra Apollinarem pernicioſiſſimum hæreticum, non quod ejus ſe diſcipulum eſt confeſſus, & hæreticum publicatum; quamvis à gravi culpa ipſum liberum extitiſſe judico, quia ex zelo fidei & bona intentione id perfecerit, ut factum monſtravit; tum quia id occulte fecit & non eſt ſecutum ſcandalum. ſimile quod poſſemus dicere de Euſebio Martyre ſanctiſſimo; quamvis Cardinalis Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in cenſura operum ſancti Ambroſii dicit, ſermonem illum non eſſe fœtum ſancti Doctoris, ſed adulterinum, & forſan eſt ſancti Maximi. ſed cujuſcunque ſit, Auctor eſt gravis & non contemnendæ auctoritatis. quare Baronius tom. 3. anno 355. dicit Euſebium non ſe finxiſſe Arrianum; ſed ſolum fidem dedit quod ſubſcriberet condemnationi Athanaſii. ſicut ſcripſit ſanctus Dionyſius, dummodo non approbaretur Arrii hæreſis, quod nec fecit Euſebius, attendens ad innocentiam Athanaſii, legatur Cardinalis de Lugo ubi ſupra num. 133.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur: & ad factum Iehu, non approbavit Deus ſimulationem Idololatriæ, ſed odium contra Regem Achab & Idololatras Baal, & effectum occiſionis Sacerdotum illius: quare Iehu nunquam fecit actionem, quæ omnibus attentis circumſtantiis eſſet Religioſa & delativa cultus Idoli, & ſic excuſari potuit: idem enim quod fecit Iehu, fecerunt multi ſancti Martyres, ſanctus Iulianus Martyr apud Surium die nono Ianuarii invitatus cum ſociis à Præſide, ut in templo ſacrificarent, reſpondit: *Quandoquidem hortaris ut omnibus convenientibus in unum diis veſtris immolemus, id quidem facere non piget: nam ideo ſemper diſtulimus, ut in hoc templo mirabili magnum ſacrificium cunctis cernentibus immolaremus*, &c. qui ita ſunt locuti, ut corruente templo gentilibus pleno, omnes occiderentur, ut factum ipſum monſtravit, quod fuit ſimile facto Iehu.

Ad factum Naaman Syri reſpondetur, quod recte omnes illud excuſant, quia illa genuflexio eorum idolo Remmon, non fuit in illis circumſtantiis actio Religioſa, ſed civilis; quamvis ipſe, putans eſſe illicitam, petivit ab Eliſæo ut deprecaretur Dominum, ut *ignoſceret ſervo ſuo pro hac re.* Eliſæus autem dicens *vade in pace*, idem eſt ac ſi diceret, vade, quia actio talis non eſt religioſa, ſed civilis debita Regi ſuper manum tuam innixo: non enim debuit Naaman erectus ſtare, quando Rex genuflectebatur, neque hoc erat civile obſequium Regi politice debitum. Neque aliquis Auctorum ibi adductorum dicit, quod actio Idololatrica, quæ attentis omnibus circumſtantiis ſit Religioſa & cultus delativa Idoli, poſſet ſimulari ſine injuria confeſſionis externæ fidei, ut legenti ipſos conſtabit. Maneat ergo omnino certum & indubitatum, praxim illam Miſſionariorum offenſivam

esse fidei & Religioni Christianæ. quare prorsus eliminandam, non solum quia prohibita Sedis Apostolicæ decreto, sed quia ex natura rei mala. quare non solum est mala, quia prohibita; sed prohibita, quia mala: & sic dum Neophyto illi credidere, in laqueos Diaboli inciderunt, seque imprudenter in doctrina Orthodoxa & ad fidei instructionem & Catechesim attinente, Novitio crediderunt inexperto, *à follibus & fornace recenter educto.*

RESOLVTIO LXX.

Resolvuntur dubia ex dictis circa declarationes sacræ congregationis de propaganda fide, de Catechesi Missionariorum.

Declarationes Eminentissimorum Cardinalium sacræ congregationis, de propaganda fide factæ, ex consultatione & consensu sanctissimi Domini Nostri Innocentii Decimi, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, die duodecimo Septembris, quarum exemplar authenticum ad verbum pono in fine hujus tractatus, sanctissimæ & prudentissimæ fuerent ad cohibendam audaciam & zelum indiscretum & superstitiosum aliquorum Missionariorum reprimendum, & ad renovandam pristinam & antiquam formam prædicandi Euangelium juxta Apostolicam doctrinam & Catechesim usitatam in Ecclesia Christi, ut ab omni mali specie averteremur: sic enim multi Patres de crimine Idololatriæ sunt calumniati, propter opus externum vi & violentia factum, ipsis renuentibus & contradicentibus. ut de Origine narrant Epiphanius hæresi 64. Leontius libro de sectis act. 10. Zonaras lib. 2 annal. de Marcellino etiam Papa, cui Idololatria est imposita, quem à calumnia liberant Baronius tom. 2 Annal. anno 303. pagina mihi 726 & 727. Bellarminus libro quarto de Pontifice cap. 8, qui videntur sequi Augustinum lib. unico de Baptismo contra Petilianum cap. 16. sed ego non video, qua ratione solida possit id negari, cum expresse id fateatur tota Ecclesiastica antiquitas Latinorum scriptorum, quam secutus est Nicolaus Primus epistola ad Michaelem Imperatorem. irrepsit factum Marcelli in tabulis antiquis Ecclesiasticis, (etsi in Martyrologio Baronii sit expurgatum) quare gravissime Severinus Binnius in notis ad Concilium Sinuessanum celebratum anno 303, sub eodem Marcellino litera C. sic fatur: *Non tamen eadem acta non modo non commentitia Donatistis adscribenda, sed potius in magna veneratione habenda esse existimamus, tum quod pro eisdem ipsa veneranda antiquitas, majestate sua ab invitis etiam reverentiam extorquens, acerrime militet, tum quod communi omnium consensu credita in antiquis Romæ aliarumque Ecclesiarum Martyrologiis ac Breviariis recepta hactenus sine ulla controversia fuerint, ut testatur Baronius ipse in appendice ad tomum decimum circa hunc ann.* 303. hæc Binnius. idem docet Surius tom. 1. Concil. in præmonit. ad Lectorem ad Concilium Sinuessanum. *qui zelo Pontificum Romanorum* (ait) *hæc ab æmulis Apostolicæ Sedis conficta putant, quasi indignum Apostolicæ Sedi fuerit, Pontificem tantum eo redigi, ut idolis litaret, hi parum meminisse videntur Petro suam negationem haud offecisse, & gaudium esse Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente; & hunc ipsum Marcellinum postea constanter mortem pro Christo oppetiisse, juxtaque proverbium, post fugam denuo strenue certasse.* hæc ibi. Binnium transcripsit & approbavit Coriolanus in Summa Conciliorum circa Sinuessanum, & factum Marcellini admittit diligens defensor Sedis Apostolicæ Sanderus de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7. num. 85. ex hoc enim Concilio & condemnatione, quam de seipso fecit Marcellinus, primatus Romani Pontificis valide confirmatur, cum omnes 300 Episcopi una voce conclamaverint *tu te ipsum judica, quia prima Sedes à nemine judicatur.* & cum alios Marcelli complices Synodus damnaverit, Marcellinum damnare non est ausa ex defectu jurisdictionis in ipsum. quo argumento infra manifeste ostendam non ex animo sacrificasse, sed simulate.

Addit Binnius, & ex ipso Coriolanus, quod non obest prædictæ historiæ de Marcellino thurificante (quam approbat Ecclesia Romana in Breviario. die 26 Aprilis) quod Augustino, ubi supra, non usquequaque fidem dederit. potuit enim fieri, ut hujus historiæ acta latuerint Augustinum, qui etiam Presbyter jam ordinandus Episcopus Nicænos canones toto orbe vulgatos (ut epist. 110, de seipso fatetur) non modo non viderat, sed etiam eosdem tanto Concilio constitutos esse plane ignoraverit: non enim ad Africanas Provincias hujusmodi acta pervenere, sicut & Eusebii Chronicon tempore Alypii, qui, ut testatur Augustinus, epistola trigesima quinta, à sancto Paulino Nolano illud ex Italia mitti præcati sunt, quare nemo prudens acta Marcellini ut spuria & commentitia rejiciet, quia vel Augustino, vel toti Africæ antiquiori fuerint incognita, sicut fuerunt toti Græciæ; nullus enim Græcus auctor antiquus de lapsu Marcellini facit mentionem. quare miror Raynaudum, qui ita magnificat tabulas Ecclesiasticas, ut introducat novum martyrium charitatis & misericordiæ, quando ita obscure loquuntur, ut vidimus; & modo dum Breviarium Romanum correctum & summa diligentia revisum ex commissione Vrbani Octavi, à Sacra Rituum Congregatione approbatum ab eodem Vrbano, sicut antea fuerat à Pio quinto, Clemente Octavo, & Paulo quinto, & ex decreto Concilii Tridentini ad pristinam veritatem historiarum restitutum, in quo ut sic authorisato continetur lapsus Marcellini Pontificis, & hunc rejicit Raynaudus; quod, an sine ingenti temeritate fieri possit, sapientes & prudentes dijudicent. Ego quidem de Raynaudo dico cum Nazianzeno epistola 43. ad Eusebium Episcopum Cæsariensem, perinde se habere *quasi quis ejusdem viri altera manu scabat caput, altera malam feriat.*

Igitur existimo Marcellinum non defecisse à fide Christi, quamvis thus cremaverit idolo. hoc mihi ex multis persuadeo. primum est, quia ipse in Concilio 300. Episcoporum in Suessana interrogatus de crimine, & ut seipsum judicaret, dixit: *Ego non Diis sacrificavi, sed tantum grana levatis manibus prunæ combussi.* quare sacrificatus non fuit, etsi fuerit thurificatus; quod non fecit ex animo & veneratione erga idolum: nam si hoc ex animo fecisset, quid ipsum retardaret ad sacrificandum idolo? quod qui veneratur ex animo in thure cremando cum jam apostataret à fide vera, etiam veneraretur sacrificii oblatione. ex qua confessione moti sunt Patres ad non ferendum judicium de Marcellino, de cujus fidei amissione interna non constabat: si enim constaret fidem amisisse, esset hæreticus; & sic amittebat Ecclesiæ primatum, & sic posset à Concilio judicari. quod si non fecerunt Patres, ideo est, quia Marcellinus non fuit vere & proprie idololatra, sed vel defecit in Confessione fidei, ut defecit Beatus Petrus, vel quia simulavit coram multitudine & curia Imperiali se offerre actione externa thus idolo. quare convenio cum Bellarmino, Baronio & aliis nullum Pontificem Petri successorem fidem amisisse. quod & probat San-

Sanderus in sua Monarchia Ecclesiæ: non solum enim Beato Petro, sed ejus successoribus dixit Christus: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Ex quo sumitur validum argumentum contra Missionarios illos Chinarum. si sanctus Marcellinus pro thurificatione facta coram idolo, quam poterat ipse facere æquivocando factum, & incensum illud cremare, ut bonum sentiret odorem, & ut Deus verus adoraretur, quamvis materialiter fieret coram idolo; quod videtur innuere sanctus Pontifex dum dicit: *Ego non Diis sacrificavi, sed tantum grana levatis manibus pruna combussi.* si, inquam, hanc actionem (quia his circumstantiis facta judicata est idololatrica, & tantum alteravit universam Ecclesiam) ita severe punit Marcellinus subscribens primus *Anathema maranatha in seipsum*, quia hic & nunc cum imperata esset ab Imperatore, fuit cultus delatus idolo, nec ab illa cultus in his circumstantiis non separatur: quomodo licebit Mandarinis similes actiones coram idolo facere, quamvis ex intentione dirigatur cultus ad solam crucem quam occultam deferunt? apage, tantum nefas.

Igitur discurrere oportet per omnes declarationes; & siquid declaratione indigeat extricare, & enodare, ut praxim quam in illis Ecclesia constituit, & ordinem catechizandi Missionarii observent. ut enim egregie dixit Petrus Cardinalis Damianus (Apostolicæ Sedis immobile fundamentum. sic eum appellat Alexander Secundus in epistola ad Galliarum Præsules lib. 5, epistola decima octava) ad Vbertum Presbyterum, qui de quibusdam cæremoniis in administratione aliquorum Sacramentorum observandis interrogat, & illi respondet: *Nos enim novum morem Ecclesiæ non inducimus, sed ea quæ sunt à Patribus instituta servamus. & quoniam ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem viris conversandi in Ecclesia accepimus ordinem, ita propemodum non mittamus disciplinæ modum à majoribus traditum, sicut illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum. unde primo ad Timoth. capite tertio dicit Apostolus, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis; non enim licet ultimis Ecclesiæ membris quod sibi potissimum videtur eligere, sed necesse est antiquitus ordinata, maxime prout Romana tenet Ecclesia, conservare. Hæresis enim electio dicitur, & illi merito notantur hæretici, qui præsumunt quod sibi melius videtur eligere; dedignantur autem in his quæ à sanctis sunt instituta Doctoribus permanere. ego autem, quia non modo veterum Sanctorum, sed & præsentium me esse discipulum profiteor, & Doctoris mihi cathedram non usurpo, non tibi novam super his quæ consulis regulam condo, non legis jura promulgo, sed quod vel ipse in Romana Ecclesia ipsis Apostolicæ Sedis æditiis me docentibus consuevi, vel in aliis Ecclesiis didici ac sæpius frequentavi, simpliciter innotesco.* hactenus Damianus Presbytero, & ego Missionariis.

§. I. *Responsum primum congregationis, de observatione præceptorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

QVinque sunt Ecclesiæ sanctæ Romanæ imposita fidelibus præcepta: primum de audienda Missa; secundum de Confessione annuali, tertium de sumenda Eucharistia in Paschate: quartum de jejunio servando: quintum de decimis & primitiis. De his quinque præceptis facta fuit prima consultatio à sacra congregatione; quæ expressit quatuor prima dumtaxat, de jejunio, de confessione, de communione & festis servandis; & sancta congregatio respondet: I. Chinenses teneri jure Ecclesiastico de jejunio, in Vigiliis sanctorum quatuor anni temporibus, & Quadragesimæ: totum enim hoc continet jus Ecclesiasticum de jejunio. II. teneri ad observantiam dieі festi. III. attenta regionum & personarum qualitate licitam esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationem quæ facta fuit à Paulo tertio Indis occidentalibus circa jejunia. similiter, si Sanctissimus annuat, possunt limitari dies festi juxta tenorem privilegii Pauli tertii Indis occidentalibus concessi. IV. hanc obligationem servandi & observandi dies festos debere Missionarios Chinensibus intimare, sed indulgentiam ipsos relevantem à benignitate Apostolica dimanare, quæ si non intervenisset ipsi obligatio manerent, sicut & alii fideles manent. V. Chinenses Christianos teneri ad confessionem semel in anno faciendam; & hanc præcisam obligationem teneri illis notificare Missionarios, sicut & quod teneantur in Paschate semel sacram communionem accipere, vel si tunc temporis grave periculum non immineat ante vel post duos menses Paschati proximos, vel saltem in decursu anni inchoandi à Paschate.

Responsum istud dedit sacra congregatio ad cohibendos in sua audacia Missionarios illos, & eos instruendos qui spatio quinquaginta annorum, in quo Christianitas inter Sinas creverat, novos ad fidem conversos fideles nullatenus instruxere de obligationibus gravissimis sub mortali juris positivi quinque præceptorum Ecclesiæ Romanæ, quibus adstringebantur: Catechistæ isti imprudenter judicantes magis officere quam proficere novis Christianis horum præceptorum notitiam; quam imprudentiam cohibet sacra de propaganda fide Congregatio, attendens ad primam fidei plantationem & insitionem factam ab Apostolis & viris Apostolicis à primordio nascentis Ecclesiæ, in quo & jejunium, & festorum observantiam, confessionem, & communionem prædicabant, docebant, & de eisdem recenter conversos instruebant, catechizabant, admonebant, hoc prudentissimum decretum edidit, ut catechumeni & alii novi Christiani suam juris positivi obligationem agnoscant.

Et quidem recenter conversis Apostolos & Apostolorum discipulos jejunium indixisse ita certum est, ut omnino temerarium sit id negare. Audi Cardinalem Baronium tom. 1. circa anno 57. pag. mihi 487 & 488, *Nemo quidem mea sententia de his quæ ab Apostolis agerentur, ac per eos subinde Ecclesiæ traderentur, Ignatio testis fidelior adhiberi posse videtur, qui hæc ipsa est proxime contemplatus. nec est quod quis nedum dicere, sed nec de tanto viro nec leviter suspicari ullatenus possit, alia ab ipso fuisse fidelibus quos instituit persuasa, quam quæ vidisset ab Apostolis usu probata atque fidelibus tradita.* Et infra: *instar omnium unus Ignatius. cujus Epistolæ nulla unquam fuerunt, vel leni saltem labefactatæ suspicione, ut nec eo certior aut dignior testis adduci possit, Apostoli eam esse institutionem jejunium. quadragesimæ (docuit epistola octava ad Philippenses, quod absque ulla controversia in confesso semper in Ecclesia fuit. sic expresse Hieronymus epistola quinquagesima quarta ad Marcellam Leo Papa sermone nono de quadragesima, Theophilus Alexand. epistola prima in fine, Tertullianus adversus Psychicos cap. 13. quod vero ex Imperio erat (id est præcepto) tum ex Scripturis, tum ex majorum traditione dimanans, in Ecclesia, inviolabiliter servari solitum, hoc ipsum necessario servandum; atque adeo ex Imperio per publicum Ecclesiæ edictum Diaconus præconis vice fungens publice pronunciabat, unde Basilius oratione secunda de jejunio: Jejunium per omne tempus utile est iis qui illud suscipiunt.* & paulo post: *sed multo magis hoc tempore quo per universum*

versum terrarum orbem undique denunciatur jejunii praeconium, nec ulla est insula, nec terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum, & summo gaudio excipiunt. hactenus Basilius, & hucusque Baronius.

Deinde diei festi observatio ita nota fuit & venerata à primitivis Christianis, illisque intimata ab Apostolis, ut non minus fuerit observatus in lege Christi dies Dominicus, quam à Iudaeis Sabbatum. quod expressit eleganter Augustinus sermone 251 de tempore, his verbis: *Dominicum ergo diem Apostoli & Apostolici viri ideo Religiosa solemnitate habendam esse sanxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit, quique ideo Dominica appellatur, ut in eo terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes tantum divinis cultibus serviamus.* & post multa de ejusdem diei insignibus addit: *Atque ideo sancti Doctores Ecclesiae decreverunt omnem gloriam Iudaismi & Sabbatismi in illam transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate. Observemus ergo diem Dominicum fratres, & sanctificemus illum sicut antiquis praeceptum est de Sabbato, dicente Legislatore: A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. videamus ne otium nostrum vanum sit, sed ad vesperam diei Sabbati usque ad vesperam Dominicae diei sequestrati à rurali opere, & ab omni negocio solo divino cultui vacemus.* & infra: *nullus se à sacrarum Missarum celebratione separet, neque quis domi permaneat caeteris ad Ecclesiam pergentibus.* haec Augustinus & plura alia de hujus diei cultu & veneratione, secutus Antiquiores & Apostolis proximiores, qui idem affirmarunt. Tertullianum contra Psychicos cap. 14. Origenem contra Celsum lib. 8. Basilium lib. de spiritu Sancto cap. 27. Epiphanium haeres. 75 contra Aerium qui primus fuit impugnator festorum dierum, quos vindicat sanctus Doctor ex Apostolica institutione tot seculis ante praescripta. idem praestat solvens haereticorum objectiones. Hieronymum in epistola ad Galatas cap. 14. Hilarius in procemio Psalterii idem statuit. & sexta Synodus capite octavo, actione tertia. Concilium Nicaenum can. 20. unde sanctus Ignatius Martyr, Apostolis coaetaneus, epistola sexta ad Magnes. *Post Sabbatum*, inquit, *omnis Christi amator Dominicum celebrat diem resurrectioni consecratum Dominicae, Reginam & Principem omnium dierum.* quare Dominicus dies, festum Paschae, & Pentecostes ab Apostolica traditione & institutione sunt festivi, & ab omnibus Christianis observantur alii autem dies sunt sacri ex Ecclesiae praecepto universali, vel ex peculiari alicujus Provinciae & regionis. eos tamen ad certum numerum reduxit Vrbanus octavus speciali motu proprio. & quidem adeo fuit à primitivis Christianis rigide observatus dies Dominicus, ut ne illum transgrederentur multi sint passi Martyres. Felix Saturninus, & alii, de quibus Martyrologium, die 25 Novembris ibi, Baronius littera G, & ad annum 303, à numero trigesimo nono usque ad quinquagesimum primum. Surius die undecimâ Februarii tom. 1.

Et ultimo, quam prudenter resolutum sit à sacra Congregatione, circa praeceptũ confessionis annuae, & communionis in Paschate (quod praefati Missionarii nullatenus suis Neophytis, nec ejus obligationem manifestabant) constat ex Concilio Tridentino, sessione 14. canon. 8, ubi sic definit: *Si quis dixerit confessionem peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam, & ad eam non teneri omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, anathema sit.* quod justissime definitum est; siquidem peccatorum mortalium confessio jure divino praecepta est à Christo Domino ut ex Patribus evidenter probant Cardinalis Baronius tom. 1. anna. 6. à pagina 415 usque ad 422. Pamelius ad caput nonum de patientia Tertulliani n. 58. Feuardentius ad Ireneum lib. 3. cap. 20. num. 6, unde concludit Baronius pag. 418, *Ex his omnibus satis certum exploratumque habetur, ab ipsis Apostolorum temporibus peccatorum confessionem coram sacerdotibus, sive privatae (de peccatis occultis;) sive publice (de publicis) nunquam esse intermissam, viguisseque hujusmodi disciplinam in Ecclesia Catholica majorum observatione usque receptam.* legique possunt Socrates lib. 1 Histor. cap. 19; & Sozomenus lib. 7. cap. 16. ex hac namque auriculari cõfessione, quam fideles faciebant coram Clericis poenitentiariis (in singulis namque Ecclesiis erat unus Presbyter, qui Sacramento Poenitentiae praeerat, ut ait Socrates) ad eorum pedes genibus provoluti, orta est calumnia illa à gentilibus in Christianos conflata, cum dicerent (ut tradit Minutius Felix in Octavio) ipsos adorare solitos virilia sacerdotum, quia, ut dixi, ad eorum genua procumbentes, suaque illis confitentes peccata, summisse veniam deprecarentur. ex qua secreta confessione, penes gentiles, qui Sacramentum non capiebant, in deteriorem partem accipientes, ejusmodi nefanda invaluit existimatio.

Caeterum contra hoc jus divinum de confessione peccatorum mortalium facienda, cum non determinetur tempus extra mortis articulum ab ipso Christo, ne homines medium tam utile ad consequendam gratiam & peccatorum remissionem nimis protraherent, sancta Mater Ecclesia variis temporibus varia decrevit tempora, sicut de communione dicemus. Anno 1100. Concilium Lateranense relatum in cap. *Omnis utriusque sexus. de poenitentiis & remiss.* determinavit hoc tempus ad annum, ita quod unusquisque fidelis teneatur quotannis de mortalibus integram facere confessionem, & semel in Paschate sumere Eucharistiam; quamvis istam fideles primitivi quotidie reciperent. sed postea circa annum 251 Fabianus Papa praecepit quod laici saltem ter in anno, in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini communicarent. cap. *& si non frequentius. de consecratione distinct. 2.*

De quo circa annuam confessionem sic Trid. ubi supra cap. 5, in fine contra quosdam qui inventum humanum sacram confessionem dicebant, institutam à Concilio Lateranensi: *Neque enim* (ait Tridentina Synodus) *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Vnde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maxime acceptabili tempore quadragesimae. quem morem haec sancta Synodus maxime probat & amplectitur, tanquam pium & merito retinendum.* haec ibi. simile quid statuerat de Eucharistia semel in anno sumenda, sessione 13. canon. 3.

Quod praeceptum Ecclesiae non est circa substantiam confessionis aut communionis, sed circa tempus in quo est facienda. unde praeceptum Ecclesiae est modificatio praecepti divini. quare Pontifex & generale Concilium licet possit licite, ex causa rationabili, dispensare in sua modificatione, orta ex lege humana cum aliqua persona vel Provincia (quod nunquam factum legi) ita ut non teneatur ad annuam confessionem & communionem in Paschate, vel in anno: ast nequit dispensare in praecepto divino confessionis, ita ut quis non teneatur aliquando con-

confiteri, nec in articulo mortis, si adsit confessoris copia. hujus enim præcepti dispensatio esset in destructionem utilitatis animarum; nec subest aliqua rationabilis causa aut motivum ut fiat, sicut subest in dispensatione votorum, in qua Pontifex nomine Dei remittit obligationem voti, quam homo ex voto erga Deum contraxit, ex causa quæ illi præsentatur. quare debito nomine Dei creditoris donato, non subsistit obligatio voti; & sic non est proprie dispensatio in jure divino & naturali, sed ablatio materiæ, quæ ratio non subsistit in præcepto divino de confessione peccatorum facienda.

Videant ergo Missionarii quantam habeant obligationem edocendi Neophytos suos, ut sciant id quod tenentur exequi circa præcepta Ecclesiæ: ut enim ait Hieronymus epistola 28 ad Lucin. *etiamsi auctoritas Scripturæ non esset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* & infra: *ego illud te breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas esse observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec illorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.* & Epiphanius hæresi 75, *Ecclesia necessario hoc perficit traditione* à Patribus accepta. quis autem poterit statutum matris dissolvere? præcipue cum Paulus Papa tertius in Bulla expedita pro Indis anno 1537. valde temperaverit statuta Matris Ecclesiæ Romanæ circa jejunia & festorum observantiam. unde quamvis illis intimarent ea jejunia & festorum observantiam, exomologesin & sacram synaxin quotanis saltem faciendam, non esset illis jugum Christi intolerabile, imo suave & onus leve: semper enim Ecclesia curavit, ut hi novelli palmites suavi rore & imbre benignitatis & dispensationis altas jacerent in fide radices, ut consolidati in doctrina Catholica magnos facerent fructus in conversione aliorum. sed ita hac benignitate usa pia Mater, ut jugum præceptorum suorum non omnino gens ista conversa à cervice sua excluderet, quantum ejus fragilitas & debilis natura patitur, præcepta observet, & quoad fieri possit omnia membra capiti conformentur, & sit conformitas in observantiis, sicut est unitas in fide & Religione.

Hanc conformitatem in observantiis præceptorum Ecclesiæ cum Ecclesia Romana intendit paulatim introducere in hanc & alias similes novas plantationes sacra de propaganda fide Congregatio, consentiens antiquitati, & novitatem in Catechismo rejiciens: suspecta enim maxime in rebus ad mores, cultum, Religionem, & fidem attinentibus est novitas antiquitati contraria, ut concinit omnis Patrum chorus. *in antiquis enim est sapientia, & in multo tempore prudentia.* sic vinum vetus melius est, quia magis defæcatum ac digestum; semina aliquot annorum valentiora ad segetes spicasque proscrendas, quam quæ sunt unius anni, quia in his multum humidi superest indigesti, teste Aristotele sect. 20. problemat. 17. quare apud Sozomenum libro quarto, capite decimo nono, concludit Constantinus Magnus: *Bonorum virorum est fide veterum vivere.* & ad hoc attendit sacra Congregatio in hoc & sequentibus responsis, ne zizaniis respersis inter bonum Euangelii semen ab inimicis, fructus speratus euanescat & triticum.

Ad horum zizaniorum disseminationem impediendam valde attendere debet Rex Catholicus ut fidei Defensor & antiquæ Religionis & cæremoniarum Protector, juxta dictum Iustiniani Imperatoris lege 1. C. de summa Trinitate. *Cunctos populos,* (inquit) *quos Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali Religione volumus versari, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis Religio adhuc ab ipso instituta declarat, quamque Pontificem Damasum* (hodie Innocentium Decimum) *sequi claret.* ad quod faciendum commonefacit Leo Papa Leonem Imperatorem, dicens: *debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene statuta sunt defendas, & veram pacem his quæ turbata sunt restituas.* hæc Leo ad Leonem epistola septuagesima tertia. Hæc enim Regia protectio, innixa Romano Pontifici, medium est ad conservandum Imperium, & Monarchiam tuendam ab inimicis, ut tradunt sanctus Gregorius Papa libro tertio, epistola septima, indictione duodecima, sanctus Isidorus lib. 3 sentent. cap. 53. Concilium Parisiense sub Ludovico, & Lothario lib. 2. cap. 2. Concilium Milevit. cap. 16. Hinc est, quod Iacobus Valdesius de dignitate Regum Hispan. cap. 22. num. 5. egregie dicit: *quod Hispaniæ Reges & Regna, omnesque ditiones insulaque, non solum canones & decreta sacri Concilii Tridentini & aliorum colunt & suscipiunt, sed tuentur omnino ad disciplinam doctrinamque eorum custodiendam, ut subditi in officio & observatione contineantur.*

Hinc est conspiciendum, quanta sit obligatio Regi nostro Catholico Potentissimo, ut decretum hoc sacræ Congregationis de propaganda fide, à suis subditis, & in suis Regnis observetur ad unguem: ut enim ait Constantinus Magnus in epistola ad Ablavium Præfectum Prætorii: *Sancimus namque, si ut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere latas, sine aliqua ætatis discretione, inviolatas semper incorruptasque servari, scilicet ut pro sanctis semper & venerabilibus habeatur quidquid Episcoporum decretis fuerit terminatum*; quæ verba transferuntur (ex lege prima. C. Theodos. de Episcopali Iudicio) in Concilio Valentino 3. cap. ult. unde subdolas supplicationes in contrarium Rex admittere non debet. quod egregie ad propositum advertit Concilium Antiochen. 1. can. 11. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel quilibet Clericus contra sententias & literas Episcoporum Provinciæ, & maxime Metropolitanorum, ad Imperatorem proficisci egressus fuerit, is abdicetur & ejiciatur non solum à communione, sed etiam à dignitate cujus est particeps, ut qui Religiosissimi Imperatoris auribus molestiam adferre audeat præter ritum Ecclesiæ.* hactenus Concil. qui enim adversus decretum sacræ Congregationis supplicationes & libellos Regi nostro offert, ut ejus executio suspendatur ob rationes politicas, adversus Patres purpuratos Ecclesiæ Cardines, & ipsum Summum Pastorem armantur. *Omnes enim,* (ait Telesphorus Papa epistola 1 ad omnes Episcopos) *qui adversus Patres armantur, infames esse censemus.* Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi. *sunt enim quidam* (ait Hieronymus libro quarto in Hierar. ad caput 23,) *qui epistolas vel libellos plenos mendaciorum & fraudulentiæ in orbem dirigunt, ut aures polluant audientium, & æstimationem simplicium lædant, ut impleatur in eis quod scriptum est, à Hierusalem egressa est pollutio in omnem terram: non enim eis sufficit iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere, sed quos semel oderunt, per universum orbem infamare conantur.* hæc ibi. quod utinam his temporibus non contingat, cum contra Episcopos sanctissimos, quia alienorum compescebant audaciam & insolentiam, libellos infamatorios cuderunt, publicarunt, dilatarunt, non solum contra personas, sed contra dignitatem Episcopalem effutientes mendacia. O bone Deus! cur permittis, *quod à Hierusalem egrediatur pollutio in omnem terram?*

Quare Monarcha noster Potentissimus valde attendat

tendat, ut Missionarii ad illam novam Christianitatem decretum hoc observent, ut neotericas cæremonias & novellam Catechesim deponant & ad Orthodoxam se transferant: sui enim muneris est illorum Catechumenorum miserere ne novis opinionibus circumacti & circumventi ruant in interitum, & parum aut nihil proficiant in Religione Catholica; & in magno ad vomitum revertendi existant periculo, quia in Catechesi minus solide instruuntur: ut enim ait Lactantius l. 3. c. 7, *in disponendo vitæ statu, formandisque moribus periculo majori peccatur. quare majorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat vivere: in hoc enim nullus locus dissidio, nullus errori locus est. omnes unum sentire oportet, ipsamque Philosophiam moralem uno quasi ore percipere, quia siquid fuerit erratum, vita omnis evertitur.* Videant ergo Missionarii, dum novam in moribus doctrinam Catechumenis propinant, quantum periculum eversionis totius vitæ subeant conversi. Sed ô miserandum seculum! *in quo* (ut ait sanctus Gregorius Papa lib. 5 Morali. cap. 18.) *communem sententiam habere refugiunt, ne cæteris æquales existimentur; & quædam nova semper requirunt, quæ dum alii negant apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. unde hic quoque subditur, & quasi furtive suscipit auris mea venas susurri ejus. Furtive susurri venas suscipiunt, qui socialis scientiæ pravi deserentes, ad hanc nequaquam per ostium ingrediuntur, Domino attestante, qui ait: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. venas itaque divini susurri furtive suscipit, qui ad percipiendam virtutis ejus notitiam, deserto publicæ prædicationis ostio, pravæ intelligentiæ rimas quærit.* hactenus ibi, satis ad propositum. quare ii qui aliter prædicant Euangelium, quam decretum est à sacra Congregatione, *fures sunt & latrones*, & ut tales puniendi à Principe Catholico nixo auxilio Summi Pontificis.

Non est hic locus tractandi ea à quibus Indulgentia & Privilegiis Pontificum relevantur Indi, de quibus, quantum ad matrimonia & dispensationes Iuris positivi, late tractant Acosta de procuranda Indorum salute l. 6, c. 21. Basilius Legio. libro septimo de Matrimonio cap. 48. & libro nono, cap. 4. Riccilulus de jure personarum extra Ecclesiam, lib. 1. cap. 15 de jejuniis & diebus festivis observandis tractat Ioannes Baptista in animadversionibus ad Confessarios & curatos Indorum p. 1. & 2. quantum ad Indulgentiarum lucrum & sacram Communionem percipiendam. Doctissimus Ioannes de Solorzato, tom primo de jure Indiarum lib. 1. cap. 17. num. 91. solum adverto Indis in ultimis vitæ constitutis debere viaticum dari. existimo enim hoc esse de jure divino; in quo dispensando in tali articulo nulla suppetit rationabilis causa. sic determinavit Concilium secundum Limense p. 2. cap. 58 & 59. cui conformatur Regalis Schedula edita 16 Aprilis 1604. extra hunc articulum quid dicant Acosta & Ioannes Baptista, ubi supra, & Sanctius select. 39 per totam. ubi totus ipse est in probando, quod infidelis statim ac est baptizatus debet refici sacra Eucharistia, idque probat ex Rituali Pauli Quinti in fine officii baptismi adultorum fol. 44, *Si hora congruens fuerit, celebretur Missa, cui neophyti intersint & sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt.* qui mos fuit in primitiva Ecclesia, ut constat ex Tertullian. libro quarto adversus Marcionem; Ambrosio lib. 3 de Sacramentis cap. 1. & de his qui sacris initiantur cap. 7 & 8. Hieronymo dialogo adversus Luciferianos; Augustino epistola 23, & aliis, quos refert Durantus de ritibus lib. 1. cap. 19. num. 44. & vere quidem nulla alia melior dispositio excogitari potest ad Eucharistiam suscipiendam, quam gratia baptismalis, cui succedit gratia Sacramenti pœnitentiæ; & sic non videtur prudenter à Pastoribus negari Indis sacra Communio, Sacramento pœnitentiæ præeunte rite & valide celebrato.

Verum enimvero Auctor iste (Ioannes Sanchez) nimis licentiose laxavit habenas accedendi ad sacram Synaxim & corpus Christi realiter sub speciebus existens suscipiendum. de hoc Sanchez videtur loqui Clemens Alexand. lib. 3 Pædagog. cap. 5, *ne tractes habenas fili regendi imperitus, nec currus ascendas aurigandi nescius.* Prudentiori judicio loquuntur Patres Ecclesiæ, dum de dispositione requisita ad communionem tractant: cum enim Religiose & devote ad sacram Synaxim sit accedendum, quod est impedimento attentioni requisitæ ad hanc Religiositatem & devotionem, obicem ponit saltem venialem ad sacram Communionem. & sic Patres usum Matrimonii antecedentem dicunt esse obstaculum hujus Sacramenti sumptioni, audi Hieronymum in sermone vigiliæ Paschatis: *Si panis propositionis ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo antea hæserunt amplexibus, violari atque contingi?* & in Apologia ad Pamachium pro libris contra Iovinianum: *illorum conscientiam* (inquit) *convenio, qui eodem die post coitum conveniunt.* & libro primo contra Iovinianum asserit: *ad munditiam corporis Christi omnem coitum esse immundum.* Concilium Eliberitanum relatum in capite Omnis homo, de Consecratione dist. 2. *Omnis homo ante sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus aut quatuor aut octo diebus; nec inter Catholicos connumerabitur, qui in istis videlicet temporibus Paschate, Pentecoste, & Natali Domini non communicaverit.* Augustinus serm. 244, qui est de castitate conjugali, ita loquitur: *qui bonus Christianus est, non solum ante dies plures (per totam quadragesimam) castitatem servat; sed & uxorem suam excepto desiderio filiorum non agnoscit, quia uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur.* & sermone 216, qui est de Christiano nomine: *ille* (inquit) *bonus Christianus est, qui, quoties sanctæ solemnitates veniunt, ut securius communicet, ante plures dies castitatem cum propria uxore custodit, ut syncera & secura conscientia ad altare Domini casto corpore & mundo corde præsumat accedere.* Divus Gregorius respons. 10 ad interrogationes Divi Augustini Apostoli Anglicani relatus in cap. Vir cum propria 33. qu. 4. *si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solum liberorum creandorum gratia utitur, de sumendo Corporis & Sanguinis Dominici mysterio suo est relinquendus judicio (quia à nobis non debet prohiberi) accipere.* unde Pater Thomas Sanchez lib. 9 de Matrimonio, disputatione decima tertia, num. 4. dicit: *convenientissimum est post copulam conjugalem sive petendo, sive reddendo exercitam, abstinere ea die à communione; idque consulendum est, nisi justa aliqua causa oppositum suadeat.* quæ doctrina ad minus intelligitur, quando ex cupidine voluptatis carnalis id fit, in quo conveniunt omnes antiqui scriptores & prudentiores moderni, Sanchez ubi supra triginta quinque adducit, inter quos sunt viri sancti & Magistri spirituales. Sanctus Thomas 3. p. qu. 80. artic. 7. ad 2. Albertus Magnus in 4. dist. 32. artic. 1. ubi sanctus Bonaventura dist. 12. art. 2. qu. 3. num. 90. Carthusian. dist. 32. quæst. unica in fine. Divus Antonius 3. p. tit. 23. cap. 6. §. 10. Gerson. 2. p. tractat. de præparatione ad Missam, considerat. octava. omnes Summistæ verbo *Eucharistia*, aut verbo *Communio*. Cajetan. Syvester, Tabie-

Tabiena, Angelus, Roffella, Armilla. Doctores tractantes de debito conjugali, Petrus & Dominicus de Soto, Bartholomæus & Petrus de Ledesma, Veracruz, Gabriel ad Canonem Missæ, lect. 10. Adrianus Lopez, Manuel Rodriguez, quare Liberius Papa edidit decretum: *ut fideles toto tempore Quadragesimæ abstinerent ab uxore, donec perveneretur ad diem sanctum Paschæ, in quo erat communicandum.* quem secutus est Nicolaus Primus ad consulta Bulgaro, cap. 50 & 63. *& contrarium facientes Deus puniebat*, ut ait Augustinus sermone 244 de temp. quod qui *ex tali conceptu generabantur filii, aut leprosi aut epileptici, aut forte dæmoniaci nascebantur.*

Vnde notat Basilius Legionen. lib. 10 de Matrimonio cap. 9. num. 5. quod antiquitus fuit præceptum Ecclesiasticum non accedendi ad uxorem eo die, quo erat suscipienda Eucharistia; quamvis hujus præcepti obligatio jam evanuerit, ut notat Azor lib. 3. cap. 3. ex qua doctrina sumitur validum argumentum: si quando non erat incontinentiæ periculum tempore Quadragesimæ & diebus Dominicis, & aliis majoribus solemnitatibus, quia illis erat communicandum, præcipiebatur non accedere ad suam, quia coitus delectationis causa sumptus obcæcat mentem, & aufert attentionem ad tantum Sacramentum devote, ut par est, suscipiendum; ergo cum coitus hoc fine factus hunc effectum habeat ex natura rei, si non adest justa causa, ab illo est abstinendum ante communionem, ut ad minus spacium unius diei naturalis intercedat. quod ut optime advertit Legionensis, hodie non provenit ex præcepto Ecclesiastico, quod jam evanuit, sed ex divino, dispositionem & attentionem requirente.

Sed dato & non concesso, quod quis accedens ad uxorem causa delectationis, non peccet venialiter; adhuc tamen abstinendum est eo die à communione. hæc fuit omnium Patrum antiquorum mens, & Magistrorum spiritualium documentum, dum agunt de pollutione habita in somnis, ut videre est apud Cassianum collat. 22, quam totam fere in hoc negocio ex Patrum sententia consumit. ex quo concludit sanctus Thomas, ubi supra, in corp. art. 7. loquens de pollutione nocturna absque culpa vel antecedente, vel subsequente, dicit: *congruentia impedit quantum ad duo: quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere; (unde & volentes tangere aliquid sacrum manus lavant) nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. aliud est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc autem impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Gregorius dicit, Augustino Anglorum Episcopo, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhibere ministerium pro eo, quod sacerdos aliùs deest, ipsa necessitas compellit.* hactenus Divus Thomas, qui in materia ista de Eucharistia pro mille aliis valet, & ejus auctoritas plus habet ponderis, quam omnia ea, quæ ex principiis generalibus male applicatis adducit Ioannes Sanchez selecta 23. ubi nimis audacter, ut in multis aliis, loquitur contra omnem antiquitatem & Magisterium spirituale antiquum; quod multi, qui se Magistros spirituales existimant, parvi pendunt, & ex devotione indiscreta erga Eucharistiam incedentes, uxoratis, etiamsi nocte antecedente voluntate delectationis se conjunxerint, liberam faciunt facultatem sumendi sacram Eucharistiam; quod quidem indecens est.

Hinc est quod cæremoniale Benedictinorum Congregat. Pius Feldens. determinat: *ut si nocturna pollutio plerisque accidat, nulla culpa sua præcedente, quia tamen hujusmodi passio quandam carnis prurig nem ac mentis hebetudinem post se relinquere consuevit, ea durante passio, decens est eum à celebratione seu communione abstinere, etiamsi ei profecto provenerit sine culpa.* hæc à prudentibus & Religiosis viris & spiritualibus Magistris, qui attendebant ad magnam reverentiam & sanctitatem, quam exigit Trident. sessio. 13. cap. 7. ad percipiendum hoc Sacramentum, ita ut, quanta maxima fieri potest, interioris cordis munditia ac puritate ac exteriori devotionis ac pietatis spiritu peragatur. videatur sessio. 22. in decreto de observand. & vitand. in celebratione Missæ. unde egregie ad propositum Abulensis qu. 7. ad cap. 15 Levitici, loquens de illis, qui in somno habebant pollutionem, & qui accedebant ad uxores, qui manebant immundi & tenebantur aqua lavari, dicit: *pollui cognoscendo uxorem, non faciebat malos tangentes; & ideo non vocabantur immundi, nec imponebatur eis aliqua purificatio, nisi respectu sanctuarii, quod tantæ venerationis & sanctitatis reputabatur, ut non solum mali non deberent intrare in illud, sed etiam habentes istas corporales immunditias parvas ad illud non debebant accedere.* hactenus Abulensis. qui quæst. 3 ad caput vigesimum tertium Deuteron. addit: *hic agitur de istis pollutionibus, non ut sunt peccata mortalia, vel venialia sive nulla, sed ut sunt quædam irregularitates excludentes à locis sanctis.* ergo multo magis ex decentia & congruentia in lege nova excludent à receptione Corporis Christi.

Neque nobis dubitandum est, quod sanctus Thomas cæterique Patres & Magistri spirituales non ignorarint, quantum gratiæ augmentum & remedium contra peccata ex communione fideles accipiant, dummodo contriti & sine mortali peccato accedant; tamen apud ipsos tantum ponderat summa cordis & corporis semotio à prurigine, & voluptate venerea, etiam sine culpa, ut qui illa fuerit infectus indecenter accedat ad eam Synaxim. adeo quod sanctus Doctor in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quærela 2 ad 2. dicat: *non est consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus & confessus, ad Eucharistiam accederet; sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. & præterea confessio purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem & hebetudinem, quæ contingit in mente ex depressione ipsius ad carnem.* hactenus ibi. dixerat enim sanctus Doctor in corp. art. *quod ad hoc, quod homo digne ad sacram Eucharistiam accedat, tria requiruntur: munditia conscientiæ, quæ non nisi per peccatum tollitur; secundo, erectio mentis ad Deum, & hæc per mentis hebetudinem, vel occupationem aut evagationem interdum sine peccato amittitur; tertio mundities corporalis, unde & celebrantes & tractaturi aliquod sacrum, propter reverentiam, manus lavant. unde primo & principaliter peccatum impedit; secundo indevotio & hebetudo mentis; tertio corporalis immunditia.* Quam doctrinam si advertisset Sanctius, non ita diffusus opinaret in suis selectis circa sumptionem Eucharistiæ. qua opinandi licentia in materia gravissima *Oresti parat & texit lanam.* multi enim consuetudine potius quam devotione ducti, edocti sicut vitula Ephraim quotidie ad sacram synaxim accedunt, ex qua vix fructum consequuntur, fruentes uxoriis amplexibus voluptatis & delectationis causa; *quorum conscientiam convenio,* ut ait Hieronymus.

Ex quibus omnibus constat prudenter Indorum Parochos & Catechistas illis, nisi in Paschate & pro viatico, non dare sacram communionem, quamvis sæpius confiteantur: deficit enim illis secunda conditio

ditio quam ponit sanctus Doctor, scilicet *erectio mentis in Deum*, scilicet *devotio*, propter summam mentis hebetudinem & tarditatem. quæ maxima in illis Barbaris est: ita ut aliquando fuerit in disputatione positum an essent rationales, & quamvis certum sit anima rationali esse præditos, tamen ita hebetes sunt in cultu, ut multo minorem devotionem habeant, majoremque mentis diversionem, quam quis ex nostris post uxoris amplexus ex carnali voluptate dimanantes. Vnde Rex Catholicus Philippus Tertius impetravit privilegium à Paulo Quinto, ut Indi Iubilæa & alias gratias & indulgentias solo, pœnitentiæ Sacramento rite peracto, lucrari & consequi possent, de quo privilegio fit mentio in quadam Regia schedula directa ad Marchionem de Montes Claros Peruanum Proregem, 22 Februarii 1613. & in Concilio secundo Limensi cap. 95. cujus privilegii ea fuit causa, quia multi Indorum capaces non sunt tanti Sacramenti recipiendi, nisi in casu necessitatis, tempore Paschatis & pro Viatico. Non est tamen ita generalis hæc regula, quin patiatur exceptiones; quando Parochi agnoscant in Indis capacitatem sufficientem.

§. 2. *Secundum Responsum congregationis.*

QVæsitum fuit secundo à Purpuratis Patribus, an propter zelotypiam quæ illius Regionis viros valde torquet; possint omitti in Baptismo mulierum cæremoniæ & ritus, eas ungere Oleo sancto, ponere sputum in auribus, sal in ore, & non administrare illis Sacramentum Extremæ unctionis. has enim cæremonias omittebant Missionarii; de quibus memoriale ad Regem Hispaniarum adductum per Patres Seraphici Ordinis Provinciæ sancti Gregorii Philippinarum, ut constat ex articulo tertio puncti secundi ejusdem memoralis, ubi expresse habetur, has cæremonias omisisse illos Missionarios toto tempore quo ipsi soli prædicabant Euangelium in illo Imperio, & ipsi ultro fatebantur, & constat ex libello Patris Roboredo num. 37.

Huic interrogationi responderunt Patres, Sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, & Extremam unctionem esse mulieribus conferendam; nec sufficere motivum inductum de zelotypia, quia Missionarii ita vita & honestis moribus se debent gerere, ut sint ab omni inhonestatis suspicione liberi; & ita curare debent, ut tam salubres ritus & cæremoniæ introducantur & observentur. quod responsum prudentissimum & in antiquitate fundatum est, cum in primitiva Ecclesia etiam quando sæviebat persecutio & tempus oportunum aderat sacrum Chrisma adhibebatur baptizatis, circa quos ante & post baptismum multi sacri ritus & cæremoniæ exercebantur, quæ ex Auctoribus antiquis & sanctis Patribus collecta sunt hæc: I. quod Baptizandus habeat susceptores Patrinos, fidei jussores, sponsores, offerentes; his nominibus vocantur à Patribus hi, qui infantes de sacro fonte suscipiunt, qui apud nostrates compatres dicuntur, ut dicitur in Concilio Moguntino, can. 47. legantur Augustinus, sermone 116 de temp. & epist. 23 ad Bonifacium, ubi susceptores appellat *fidei Doctores*, quia susceptum edocere tenentur mysteria fidei cap. in Catechismo, de Consecratione, dist. 4. ex Higino Papa. Tertullianus de Baptismo cap. 28. ubi, ut assolet, Pamelius; Nicolaus Papa ad consulta Bulgar. cap. 2. quod susceptionis officium etiam possunt fœminæ exercere, quod sine dubio tenendum est, ita expresse Augustinus sermone 163 de temp. Vrbanus Secundus, can. quod autem 30. qu. 4. can. non plures, eadem distinctio de Consecrat. Trident. Sessio. 24. cap. 2. imo in Concilio Nicæno can 22. prohibetur ne viri fœminas, nec fœminæ viros de sacro fonte suscipiant, sed quilibet suum sexum. quod in adultis satis congruum est, in infantibus non est in usu.

Secunda cæremonia & ritus ante baptismum est nominis datio, quæ in adultis ab ipsis baptizandis fiebat. ita Concilium Carth. 4. cap. 85. Clemens Romanus epistola tertia. Augustinus epistola 155. Parvulis vero nomen dabatur à Compatribus, qui nomina Apostolorum frequenter illis dabant, ut ait Nicephorus lib. 6 Hist. cap. 22. aliquando & Prophetarum nomina pro nominibus Idolorum à parentibus impositis. Eusebius lib. 8 Histor. cap. 21. Synodus Nicæna canon. 30. diligenter prohibetur, ne fideles filiis suis nomina gentilium imponant. Nomina autem ista in baptismo imposita literis & monumentis mandabantur, & in libro sicut hodie præcipit Trident. scribebantur, tanquam Dei militiæ Catalogo inscripti. Ita Concilium apud sanctum Merardum relatum cano. Legum 2. qu. 1. Cyrillus Hierosolym. Catechesi. 1. de baptismo. Romani enim filios suos liberos profitebantur nomine imposito, constat ex Halicarnasseo lib. 4. ex lege finali D. de probat. leg. 1. C. si minor.

Tertia cæremonia est exorcismus, qui verbo & insufflatione peragitur. qui ritus ex antiquissimæ & Catholicæ Ecclesiæ traditione habetur. Tertullianus libro secundo ad uxorem cap. 5. Chrysostomus homil. de Adam & Eva: *Non prius in universo modo fontem vitæ ingrediemur sive adulti, sive infantuli baptizandi, quam exorcismis ex sufflationibus Clericorum immundus abigatur.* quæ verba repetit, & approbat Cælestinus Papa, epistola ad omnes Galliæ Episcopos, cap. 2. in qua sententia perpetuus est Augustinus de Ecclesiast. dogmat. cap. 13. lib. 6 contra Iulianum cap 2. & de gratia Christi cap. 40. & lib. 2 de vitiis & concupiscent. cap. 17 & 18. ubi damnat Iulianum Pelagii sectatorem, eo quod Cyprianum & Ambrosium Monachos audebat dicere, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine adspergere, qua exorcizantur & sufflantur parvuli, ut in Regnum à potestate Diaboli & Angelorum ejus eruti transferantur, hoc ritu ex sufflationis Clericorum ante Augustinum & Chrysostomum usa est sancta Mater Ecclesia Romana, ut constat ex Dionys. cap. 4 de Ecclesiastica Hierarch. Synodus Constantinopol. sub Theod. Seniore; Severus Alexander libro de Ritibus Baptismi; & Nazianzenus Oratione quarta contra Iulianum Apostatam, qui insufflationes symbolicas baptismi in calumniam & risum Christianæ Religionis trahebat. quem imitantur Calvinistæ & Hugonici hæretici, qui impudenter morem insufflandi in os baptizandorum ab ipsis Apostolis in universo mundo una voce unaque mente conservatum, irrident; sed, ut ait Elias Cretensis, *dum nostra irridere tentant apud imperitos, apud eruditos & pios se ridiculos exhibent*; temere enim & arroganter & futiliter quidquid in mentem venit contra Catholicos loquuntur.

IV. Cæremonia & ritus erat antiquitus, quod sacerdos osculabatur baptizandum, dicens *pax tibi*, colligitur ex Cyprian. lib. 3. epist. 8. quod hodie juxta Pamelium 59. ad fidum fratrem n. 10. fuitque antiquitus mos ab Apostolis institutus quo Christiani se invicem osculabantur, & salutabantur osculo sancto. de qua Christiana salutatione Paulus ad Rom. 16.

Rom. 16. vſ. . . & ad Corinthios 13. vſ. 12. & 2 ad Theſſalo. 5. vſ. 8. & ſanctus Ignatius Martyr epiſtola ad Antioch. & ad Tarſenſ. Iuſtinus oratione ad Antonium Imperatorem; Cyrillus Catech. 5. Chryſoſtomus homil. 30 in 2. ad Corinth. Auguſtinus ſermone 83 de diverſis; qui mos ſeſe oſculandi, quia eo Diabolus ſe immiſcuit, jam exoleuit, & illius loco tabella quædam, in qua imago ſancta eſt inſculpta, in multis Eccleſiis deoſculatur, & oſculum baptizandorum jam in diſſuetudinem abiit.

V. Eſt ſalis benedictio, quod benedictum in os baptizandi datur, ut per ſal typicum conditus iniquitatis fœtore carere ſignificetur. Ita Beda in cap. 9 lib. 2 Eſdræ; Iſidorus lib. 2 de Eccleſiaſticis officiis; Alcuinus cap. 10, de Sabbato ſancto; Rabanus lib. 1 de inſtitutione Clericorum cap. 27. Petrus Damian. epiſtola 15, cap. 20. Carnotenſ. ſerm. de Sacramen. ad Neophyt. Deus dedit Papa epiſtola ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum; Smaragdus in epiſtola de Sabbato pentecoſtes; Berno Augienſis ſermone de aſſumptione Mariæ; Hugo Victorinus de Sacramentis cap. 8. Divus Thomas 3 p. q. 71. art. 2. Bonavent. in 4. diſtinct. 7. q. 3. Gnibertus Tornatius de officio Epiſcopali cap. 41. Waldenſis tom. 3 tit. 5 cap. 48. qui omnes hanc cæremoniam, ut valde laudabilem & ex traditione Eccleſiæ dimanantem approbant, defendunt & explicant: ſal enim in os immiſſum ſignificat receptionem doctrinæ fidei, & ut Baptizandus ſapore ſapientiæ præparetur, & fœtor fomitis reſtringatur, ne à vermibus vitiorum ultra putreſcat, & incorruptus ſervetur ad recipiendam plenam Chriſti gratiam, ut non deſipiant à fide Chriſti, nec retro aſpiciant ſicut uxor Loth, quæ converſa eſt in ſtatuam ſalis: hoc eſt, ne retrocedant, nec malum exemplum præbeant, nec in via cum uxore Loth remaneant, ſed ſe & alios condiant: ſal enim ſignificat prima fidei documenta, ſine quorum condimento inſulſus eſt omnis homo. ſalis etiam in ore appoſitio fit propter doctrinæ fidei confeſſionem. unde egregie Origenes homil. 7 in Ezechielem: *Grande opus eſt inſaliri, qui ſal gratia plenus eſt. Nam & in communi proverbio ſalſus dicitur gratioſus, & è contrario inſulſus qui non habet gratiam. oportet eum qui renaſcitur, utique in Deo renaſcentem, rationale & ſyncerum lac deſiderare; & priuſquam rationabile & ſine dolo lac deſideret, debet ſale ſaliri, & pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum ſale non eſt ſalitus, & pannis non eſt involutus.* hæc Origenes. quare ritus iſte ſanctiſſimus à Patribus eſt inſtitutus, ut ait Iſidorus noſter ubi ſupra.

VI. Eſt, manus ſacerdotis ſuper caput baptizandi impoſitio. quem ritum expreſſe docet ſanctus Dionyſius cap. 4 de Eccleſiaſtica Hierarchia, & ſignificat reconciliationem, ut, qui fuerat extra Eccleſiam, in gratiam Eccleſiæ redeat. per manus enim impoſſitionem ſignificabatur reconciliatio, & dabatur jus communicationis, ut conſtat ex Cypriano epiſt. 10 ad Presbyteros & Diaconos num. 7. idem docet Hieronymus lib. adverſus Luciferianos; legatur Baronius tom. 1. ad annum Chriſti 56, pag. mihi 46.

VII. Inſignis & antiquiſſima cæremonia à temporibus Apoſtolorum eſt, de qua Dionyſius ubi ſupra, & S. Baſilius libro de Spiritu Sancto cap. 27 eam enumerat inter traditiones & conſuetudines Eccleſiæ *non ſcriptas: quia ſigno crucis eos qui ſpem collocant in Chriſtum, ſignamus.* & infra: *conſecramus aquam baptiſmatis & oleum unctionis, præterea eum, qui baptiſmum accipit, idque à tacita ſecretaque traditione.* Auguſtinus lib. de Symb. ad Catechum. cap. 1. *nondum quidem per ſacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per crucis ſignum in utero ſanctæ Matris Eccleſiæ concepti iſtis.* & concione 3 ad Pſal. 30. *Non ſine cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.* de quo ſigno ante Baptiſmum Catechumeno infigendo plura alii ſancti Patres, Cyrillus Catecheſ. 4. & Hieronymus epiſtol. 37 ad Heliodorum; ſed excellentiſſime Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3, ſic fatur: *Ad omne progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina & cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenis; traditio tibi prætendetur autrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* quamvis enim hic non agat de ſigno crucis figendo in frontibus baptizandorum, (quod negant debere fieri Magdeburgenſes centuriatores) tamen cum omnem omnino actionem comprehendit Africanus, etiam includit dubio procul principaliorem. ſed includit lib. de reſurrectione carnis cap. 8, *caro* (ait) *abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* & ante Tertullian. idem expreſſit Iuſtinus Martyr Apolog. pro Chriſtianis ad Anton. Pium Imperatorem; quos ſecutus eſt Cyprianus epiſt. 56 ad Plebem Tiberitanum num. 31, quod adeo celebre fuit in primitiva Eccleſia, quod nullus fieret Chriſtianus (niſi crucis ſigno ex more dato) ut narrat Baronius tom. 2 anno Chriſti 293, pagina mihi 651. agens de Domna Virgine Gentili ad Chriſtum converſa. unde Auguſtinus tractat. 118 in Ioannem, ait: *niſi ſignum hoc crucis adhibeatur, ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ qua regenerantur, ſive oleo quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* id eſt, juxta ritum antiquiſſimum Eccleſiæ. quare ſubſanandi ſunt Lutherus & Calvinus, qui contrarium ſine aliquo fundamento docent ſuas ſequaces.

VIII. Etiam, eaque graviſſima & vetuſtiſſima in Eccleſia eſt cæremonia, qua Sacerdos tangit baptizandi aures & nares cum digito & ſputo, dicens ad aurem dextram, *ephata, quod eſt aperire*, ad nares, *in odorem ſuavitatis*, & ad aurem ſiniſtram. *tu fugare Diaboli.* cujus ritus vetuſtatem in Eccleſia late defendunt Ambroſius lib. 1 de ſacramentis, cap. 1. Auguſtinus tractat. 44 in Ioannem; Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de Sabbato ſancto; Rabanus lib. de inſtitutione Clericor. cap. 27. Amalarius lib. de Eccleſiaſticis officiis, cap. 8. Beda Homil. 19. in cap. 7 Marci, ex Synodo Conſtantinop. can. 7. Divus Gregorius Magnus lib. ſacrament. ad Catechiz. infantem; Hieronymus ſerm. in Domin. 13 poſt Pentecoſtem; Smaragdus in explicatione epiſtol. de Sabbato Pentecoſt. Radulphus Ardens Homil. 12. poſt Trinit. ſuo Carnot. ſerm. de Sacram. ad Neophyt. Hugo Victor lib. 1 de Sacramentis, cap. 18. Vincentius Valuacenſ. in ſpeculo Hiſtor. lib. 8, cap. 23. Divus Thomas 3 p. quæſt. 71. art. 2. Bonavent. in 4. diſt. 7. quæſt. 3. Gerſon in ſumma Theologica. qui omnes à tempore ſancti Gregorii expreſſam mentionem faciunt de ſaliva Sacerdotis, cujus multiplicem reddunt myſticam rationem. Narium & aurium ſputo linitio ſignificat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures; & approbationem, quantum ad nares; & confeſſionem, quantum ad os: vel ſignificatur gratia ad diſcernendum & obediendum, quia ſaliva à capite deſcendit, ſignificat ſuperam ſapientiam, cujus tactu & aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, & nares cordis, ut ſentiant

tiant fragrantiam unguentorum Christi. Ideo enim ab ore sputo tanguntur aures & nares, ut qui exspuens muti linguam tetigerat, & ex sputo lutum fecerat & oculos cæci nati aperuerat, nunc per ministerium Sacerdotum & auditum spiritualem iis qui baptizandi sunt tribuat, & recte loquendi, id est, veram fidem confitendi, facultatem præbeat, & nares, quibus bonum Christi odorem capiant, aperiat. Pudeat ergo Ioannem Calvinum in Ecclesiæ suæ reformatione dicere, absurdum & ridiculum parumque congruens esse, *quod sputo summa parvulorum labro irrigant. sputo Christus attigit os muti, cui sermonem restituere volebat. quam præpostera est æmulatio cum idem in parvulis tentant! Ludibrium hoc unde emerserit nescitur; nullum certe gravem Auctorem habet.* Sed in his mentitur hæreticus; cum tot graves Auctores & antiquitate & doctrina pro hoc sancto ritu & cæremonia adduxerimus; & quod pluris est Ecclesiæ consuetudo, cujus institutum nescitur, & sic ab Apostolis juxta Augustini sententiam originem ducit; quare quæ contra vetustum hunc morem Ecclesiæ dicit Calvinus, *Epiphyllides sunt & ampullæ meræ*, quibus Idiotas simplices fascinatur, *Bizeni libertus audacissimus panicos tumultu*, loquens quidquid sibi in buccam venit. cum isto improbo homine, tot Patrum testimonia spernente, non argumentis aut legibus, sed igne & ustione agendum.

IX. Eaque à traditione Apostolica dimanans, cæremonia (ut probant Clemens Romanus lib. 7 constit. cap. 41 & 42. Dionysius cap. 4. sæpius citato) est, qua baptizandus abrenuntiat satana & omnibus pompis & operibus ejus. Ita Tertullianus antiquitatis egregius testis libro de corona Militis, cap. 4, *Aquam* (inquit) *adituri ibidem, sed aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, Nos renunciare Diabolo & pompæ & angelis ejus*: & lib. de spectac. cap. 4. & de Idololatria cap. 8, *Tu, si Diaboli pompam ejerasti, quidquid ex ea tetigeris id scias esse Idolatriam.* Isidorus lib. 18 Etymolog. cap. 62. Auctor de duplici Martyr. apud Cyprianum; Origenes homil. 10 in Numeros; Nazianzenus oratione 32, habita in præsentia 150 Episcoporum; Ambrosius libro secundo de sacramentis cap. 2. Chrysostomus Homil. 21 ad populum Antioch. Hieronymus lib. 1. ad caput quintum Matthæi; Augustinus de symbolo ad Catech. lib. 2, cap. 1. Cyrillus tota Catech. 1. mystogogica; Basilius Magnus lib. de Spiritu Sancto cap. 27, *Renunciatio satanæ & angelis ejus quæ fit in baptismo, ex qua Scriptura habemus? nonne ex privata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos summovet, servarunt.* Legatur sanctus Ephrem oratio. de abrenuntiatione in sacro Baptismate facta; Procopius Gazeus in cap. 35 Geneseos, author gravis, & ad quintum seculum Paulo minus pertinens; & in numeri alii. quare turpiter erravit Casimirus Comes Palat. art. 10 de reformat. Eccles. dicens: *quæstio ad baptizandum, abrenuntias Diabolo? nihili æstimabitur & prorsus antiquabitur.* quomodo nihilo æstimabitur, cum per hanc renunciationem & Paradisus aperiatur & ejeratus inimicus? ut Patres omnes uno ore confitentur.

X. Cæremonia est unctio baptizandi, quæ duplex est, altera ante baptismum in pectore & scapulis, quæ fit oleo Catechum. altera post Baptismum quæ fit chrismate; & utraque antiquissima cæremonia ab Apostolis ex *arcana traditione* dimanans. de prima quæ fit oleo, expressam mentionem faciunt Dionysius capite quarto sæpius citato; Tertullianus lib. 1 adversus Marcionem: *Illum* (inquit) *nec aquam reprobasse Creatoris qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit.* Vnde sanctus Basilius cap. 27 citato dicit: *bene dicimus aquam Baptismatis & oleum unctionis, & ipsum baptizatum, ex quibusnam scriptis? nonne à tacita & mystica traditione? quid quæso ipsam unctionem quænam Scriptura docuit?* Sequuntur Origenes Homil. 7 in Ezechiel; Ambrosius lib. 1 de Sacramentis, cap. 2. Hieronymus in cap. 2 Lament. Hieremiæ; Augustinus tract. 44 in Ioannem; Rabanus l. 1. citat. c. 27. Sanctus Gregorius in sacramentar. Innocentius Tertius cap. unico. §. quia vero. de sacra unctione; Cyrillus Catech. mystag. 2. Chrysost. homil. 6 in epistolam ad Colossens. Beatus Severus Alexand. in ritibus Baptismi; Alcuinus hujus unctionis mysticam reddit rationem, dicens: *Pectus perungitur oleo, ut signo sanctæ crucis Diabolo claudantur ingressus, signantur & scapulæ, ut undique muniatur. Item pectoris & scapularum unctione signatur fidei firmitas & operum bonorum perseverantia.*

Secunda unctio facta chrismate post baptismum memoratur à sancto Dionysio ubi supra, & à Tertulliano lib. de Baptismo cap. 7. *exinde egressi de lavacro perungimur sacra unctione*; chrismatis scilicet, ut post explicat: *Christus* (inquit) *dicitur à chrismate quæ est unctio, & sic ab eodem dicimur Christiani.* de hac unctione chrismate facta expressam mentionem fecerunt Basilius cap. 27 citat. Nazianzenus in sanctum Baptismum orat. 1. Damascenus lib. 4 de fide, cap. 10. Augustinus lib. 4 de symb. cap. 1. Ambrosius lib. 2 de Sacramentis, c. 5. Optatus lib. 3. contra Parmen. Cyrillus Alexand. lib. 9. in Levit. Hierosolym. Catech. 3. mystag. Patianus lib. 1 de Baptismo: qui Patres non loquuntur de unctione chrismatis, quæ fit in sacramento Confirmationis, quæ fuit à Christo instituta ad alium finem, quam Ecclesia instituit Vnctionem chrismatis in capite. cujus rationem tradit Rabanus ubi supra cap. 28, dicens, sanctum Sylvestrum Papam constituisse, ut Presbyter baptizatum illiniret chrismate, ne si mors in exspectata accideret Baptizati, sine hac saltem cæremoniali actione vita fungeretur. illa vero quæ postea ab Episcopo fit unctio, non ab Ecclesia ut cæremonia, sed à Christo ut ipsa sacramenti essentia fuit constituta. alias cæremonias in baptismo constitutas ex Ecclesiæ traditione omitto, ut baptizatus veste alba induatur, qui usus antiquissimus est de quo Dionysius ubi supra. Ambrosius lib. de his qui initiantur. Augustinus sermone ad Compenentes. & ob hoc Dominica prima post Pascha dicitur *Dominica in Albis.* cujus cæremoniæ vestigium adhuc hodie servatur per hoc, quod vestis candida Baptizati capiti imponitur post baptismum & unctionem. Deinde mox de fonte levatis lumen datur cereus accensus, quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant. de qua cæremonia meminerunt sanctus Gregorius Nazianz. sermone de Baptismo; Turonensis lib. 5 Histor. Francorum, cap. 11. Calixtus lib. 3, cap. ult. Fortunatus lib. 1, cap. 26.

Quas cæremonias & ritus constitutos in sancta Ecclesia à suis primordiis in baptismo solemni omittere gravissimum est piaculum. quare Pontifex summus Paulus Tertius in Bulla quam pro Indis & in illorum favorem edidit, agens de sacris unctionibus, dicit: *chrisma ponatur in singulis in vertice capitis, & oleum catechumenorum ponatur super cor viri adulti; puerorum & puellarum: Adultis vero mulieribus ponatur in illa parte quam ratio pudicitiæ monstrabit.* hæc ibi. & idem eodem modo philosophandum est de unctionibus, quæ fiunt in sacramento Extremæ unctionis. quod nullatenus est omittendum in feminis etiam adultis: est

est enim Ecclesiæ Sacramentum, ad quod recipiendum, si commode fieri possit, adstringuntur fideles omnes.

§. 3. *Responsum* III, IV, *&* V. *Congregationis.*

HÆc tria responsa sunt circa materiam usurarum quæ in illo Regno sunt ex lege publica permissæ, sicut etiam jure Cæsareo permissæ sunt moderatæ usuræ, lege Eos qui. C. de usuris. & lege 1. & 2. eodem. ubi ita expresse permittuntur, quod Carolus Molinæus lib. de commerciis anno 6. dicat, licitas esse moderatas usuras, quales à Iustiniano præscribuntur in lege Eos qui. Verum usuram proprie, quæ est *lucrum immediate ex mutuo proveniens* (ut dicunt Augustinus in Psal. 36. Hieronymus super Ezechiel. cap. 18. Ambrosius in lib. Tobiæ, cap. 14. Concilium Agathen. cap. 8. ibi: *usura est, ubi amplius recipitur quam datur: verbi gratia si dederis solidos decem & amplius quæsieris, vel dederis; frumenti modium unum, & supra aliquid exegeris.* hæc ibi.) illicitam esse jure divino, naturali & positivo, & jure item canonico, ut videre est apud Divum Thomam 2. 2. quæst. 78. art. 1. & 2. & ibi Cajetanus. Covarruvias lib. 3 variarum, cap. 1. Navarrus tract. de usuris, & omnes Summistæ verbo *usura.* ex jure divino constat ex Psalm 14, *qui pecuniam non dedit ad usuram, habitabit in monte sancto ejus.* quia, ut omnes Sancti explicant, dare ad usuram, aliquid ultra sortem sperantes ex mutuo immediate proveniens, prohibitum est lege divina. quod Christus explicuit Luc. 16, num. 8, *Benefacite & mutuum date nihil inde sperantes.* quibus verbis non consilium solum, sed præceptum contineri, illis verbis, *nihil inde sperantes*, docuit Vrbanus Tertius cap. consuluit de usuris. unde etiam prohibitæ sunt jure canonico, quod reprobat jus Cæsareum illas permittens; sicut reprobat præscriptionem, cum mala fide canonica cap. finali de præscriptionibus, ut late ostendi tractatu, *de præscriptione cum mala fide civili, & bona canon.* Igitur usura propria prohibita est tam in decreto, quam in decretali & in sexto, & in Clementinis, sub titulo de *usuris.* & sic Clementina unica. §. finali de usuris, damnatur ut hæreticus qui dixerit *usuram non esse peccatum*; id est, non peccare qui ex mutuo immediate aliquid accipit ultra sortem. in quam hæresim prolapsi sunt Græci, quos impugnat Guido Carmelita & Castro de hæresibus, verbo *usura.* unde contra eos, qui de errore hujusmodi fuerint diffamati aut suspecti tanquam diffamatos, aut suspectos de hæresi Inquisitores procedere debent, ut ait Clemens quintus in Concilio Viennensi.

Hinc est, quod in Concilio Arelatensi confirmatum à Sylvestro Papa (in cujus die hæc scribo) c. 12 dicitur: *Ministri qui fœnerantur, placuit juxta formam divinitus datam eos à communione abstinere.* quod prius determinaverat Concilium Nicænum cap. 17. & Aquisgranense cap. 40. & sic Augustinus Epistola 54 ad Maced. *quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ leges & Iudices reddi jubent? An crudelior est qui subtrahit, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? hæc atque hujusmodi male possidentur, & vellem quod restituerentur. sed non est quo judice repetantur.* Hæc Augustin. pulchre sane ad intentum sacræ Congregationis. sed sanctus Ambrosius lib. de Tobia cap. 15 dicit, quod, *ubi est jus belli, est jus usuræ.* ubi glossa, *quia ab hostibus licitum est petere usuras: nam & omnia illorum licite possumus auferre.* 23. quæst. 7. cap. 1. & 2. *quibuscumque insidiis possumus nocere eis.* 23 q. 2 *cap. Dominus.* Bello enim juste indicto à Principe, ab inimicis ea, quæ Principi competunt, licet accipere per occultam recompensationem, quando aliter non possumus recuperare. Legatur sanctus Leo Papa epistol. 1, cap 3. sanctus Anselmus lib. 7. decret. cap. 140. Carnotensis p. 6. cap. 65 Bercar. lib. 2. c. 123.

Quod etiam jure naturali est prohibitum, cujus ratio est manifesta; quia contra jus naturæ est quod bis seu duplici pretio vendatur, & quod vendatur id, quod non est vendentis. usurarius autem & idem duplici pretio vendit, & vendit quod non est suum. quod duplici pretio vendat, est manifestum: nam accipit sortem integram, & pro usu aliquid ultra sortem, quod est usura, vendens usum rei non suæ: nam per mutuum transfertur dominium rei in mutuatarium, & consequenter usus ipsius rei, quæ in ordine ad commutationes non distinguitur ab usu rei. cujus rationem egregiam dat sanctus Thomas artic. 1 citato: *quia sunt quædam res, quarum usus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum eo utendo ad cibum. unde in talibus non debet seorsum computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res; & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. si quis ergo seorsim vellet vendere vinum, & seorsim vendere usum vini, venderet eandem rem bis, aut venderet id quod non est suum. unde manifeste per injustitiam peccaret.* & infra: *Pecunia secundum Philosoph. 5 Ethic. cap. 5. & 1 Polit. cap. 6 & 7. principaliter est inventa ad commutationes faciendas; & ita proprius & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur: & propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura; & sicut alia injuste acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per usuram accepit.* hactenus sanctus Doctor.

Ex quibus liquido constat, quam sancte & prudenter sacra congregatio de propaganda fide in tertio responso ordinat circa Chinenses, ratione mutui, immediate & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem; si vero aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, &c. & in quarto responso Chinenses in statu usurario manentes baptizari non posse. si vero judicis authoritate compellantur ad mutuandum, posse aliquid accipere etiam accepto pignore ultra sortem, tum ratione oneris, tum ratione curæ in custodiendo pignore, lucri quoque cessantis & damni emergentis; si vero vendito pignore, aliquid ultra id quod debetur supersit, Domino pignoris est restituendum. an vero sit justa lex politica quæ determinet in pœnam, quod si ad præstitutum tempus non est soluta pecunia mutuata, totus valor pignoris juste possidetur à mutuante, non est hic discutiendum: in quinto etiam responso sapienter dictum est, filios heredes usurarii teneri ad restitutionem usurarum paternarum dominis certis, si supersint, vel eorum heredibus; si vero non compareant, restituendum est juxta Regulas à Doctoribus traditas.

§. 4. *Responsum sextum Congregationis.*

SExto dubitatum est, an licitum sit contribuere distributiones impositas à gentilibus, ut expendantur in sacrificiis, Dæmoniorum conviviis in eorum templis præparatis, simulque in festivitatibus & aliis indifferentibus pro populi lætitia, quas contributiones ni facerent Christiani, in ipsos fierent tumultus. Respondet Congregatio, licite posse Christianos has

has contributiones facere, dummodo non intendant quod convertantur in actus idololatricos, & superstitiosos & cultui Religionis Christianæ contrarios, sed in indifferentes & politicos; præsertim si commode fieri potest, facta de hoc protestatione prius.

Verum enimvero contra hanc sacræ congregationis determinationem videntur militare plura Conciliorum, Summorum Pontificum & sanctorum Patrum decreta & testimonia. Primum est Concilii Eliberit. celebrati sub Marcello primo in Hispania anno 305. canon. 3, sic dicitur: *Flamines qui non immolaverunt, sed munus tantum dederunt, eo quod à funestis se abstinuerunt sacrificiis, placuit eis in fine præstari communionem, acta tamen legitima pænitentia*, per muneris autem dationem non intelligitur vexationis redemptio, quia hoc cum non sit illicitum, ut ait sanctus Petrus Alexandrinus, cujus verba refert Coriolanus in nota ad præfatum canonem, non est dignum tam gravi pœna. quare, ut idem Coriolanus recte ait, per muneris dationem intelligitur, quia licet isti Flamines Christiani facti non sacrificarent, tamen dona Idolis dabant; & ob hoc puniuntur à Patribus Concilii, contribuere autem ad sacrificia & festivitates Idolorum, illis est munus dare.

II. Concilium Romanum primum sub Zacharia Papa: *si quis Kalendas Ianuarias vel brumam ritu paganorum celebraverit, vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut mensas cum dapibus, vel epulis in domibus præparare, & per vicos & plateas cantiones & choros dicere præsumpserit, quod magna iniquitas coram Deo, anathema sit.* ergo ad illa contribuere Christianos magna est apud Deum iniquitas.

III. Sit elegans testimonium Zachariæ Papæ in epistola secunda ad Bonifacium Legatum Germaniæ, cui rescribens Zacharias de hac materia sic loquitur, volens à Germanis similes ritus auferre, qui affirmabant, *se vidisse annis singulis in Romana urbe, & juxta Ecclesiam sancti Petri, in die vel nocte quando Kalendæ Ianuarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas & acclamationes ritu gentilium & cantiones sacrilegas celebrare, & mensas die illa vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare, vel* (hoc autem est quod ad unguem fit inter Chinas) *quæ omnia eo quod à carnalibus & insipientibus videntur, nobis hic improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiunt* hæc Bonifacius, cui respondet Zacharias Papa: *De Kalendis Ianuarii vel cæteris auguriis, vel aliis observationibus quæ gentili more observari dixisti in urbe Romana, hoc nobis & omnibus Christianis detestabile & perniciosum esse judicamus; & quia per indignationem Diaboli iterum pullulabant à die qua nos jussit divina clementia Apostoli vicem gerere, illico omnia hæc amputavimus. pari etiam modo volumus tuam Sanctitatem populis tibi subditis prædicare, atque ad viam æternæ perducere vitæ. Nam & sanctæ memoriæ Prædecessoris nostri Domini Gregorii Papæ constitutione omnia hæc pie & fideliter amputata sunt.* hactenus Pontifex, quæ satis videntur adversari contributionibus præfatis.

Hinc est, quod Beatus Cyprianus lib. de Mortalitate num. 39 dicit: *occasionem non dandam esse gentibus ut nostros merito ac jure reprehendant* (loquitur contra eos qui in morte charorum atras vestes accipiebant) *nihil prodest verbis proferre virtutem, factis destruere veritatem.* unde Cardinalis Baronius tom. 2 ad annum 305, pagina mihi 763, agens de Patribus Eliberitani Concilii, sic fatur: *videre plane est eorum Episcopos vehementissime laborasse, ut ab Idololatria filis acrioribus intentatis minis, longius absterrerent. quamobrem & in publica lætitia lucernas, & in cœmeterio cereos more gentilium accendere vetuerunt.* hæc Baronius. unde in Concilio Eliberit. can. 59. prohibitum est Christianis, Capitolium ascendere sacrificii tantum videndi causa, ut ait idem Baronius ibidem. quanto ergo magis prohiberet contributiones quæ in sacrificiis, aliis superstitionibus ludisque gentilitiis consumuntur.

Sed plura valde notanda adduco ex Tertullian. lib. de Idololatria, quæ videntur opponi determinationi factæ. & primo ex cap. 4 usque ad 8. totus est in reprehensione illorum artificum Christianorum, qui vitam sustentabant operibus manuum suarum, Idola fabricando, quæ nullo modo colebant. contra quos cap. 6 sic graviter loquitur: *Potes lingua negare quod manu confiteris? verbo destruere, quod facto struis? unum Deum prædicare, qui tantos efficis? unum Deum prædicare, qui falsos facis? facio (ait quidam) sed non colo: quasi ob aliam causam colere non audeat, nisi ob quam & facere non debeat, scilicet ob Dei offensam utrobique. Imo tamen colis, quod facis ut coli possit. Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio; nec anima pecudis impensa, sed anima tua illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam accendis. Plus es illis quam sacerdos, cum per te habeant sacerdotem.* & infra: *tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum. ad leguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum. Pro scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus lacessant. O manus præscindendæ!* & infra loquens de ædificatoribus templorum, concludit: *Major est enim ejusmodi opera, quæ non effigiem confert, sed auctoritatem.* Ex quibus tale conficio argumentum. idola fabricare, templa eorum ædificare, non videtur magis concludere ad Idololatriam, quam contributio vectigalium & distributionum ex lege publica ad sacrificia peragenda, & festivitates gentilitio more peragendas: & tamen fabricare Idola ita acriter & fortiter reprehendit Africanus. quanto magis reprehendet has contributiones, quæ ex lege & decreto publico & petuntur & expenduntur in Idolorum sacrificiis & Idolorum gentilitiis superstitionibus. unde concludit cap. 8, *Cum igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ Idolum quidem & quæ Idolo competunt non attingat, sint autem & hominibus communia quæ Idolis; hæc quoque cavere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem Idolorum postuletur. quod si concesserimus, & non remediis tam usitatis caverimus, non puto nos à contagio Idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio vel in honore & usu Dæmonum reprehenduntur.*

Et cap. 11. clare videtur hujusmodi contributiones & vectigalia respicere dicens: *Certe cum pompæ, cum Sacerdotia, cum sacrificia Idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, discursibus negotiationibusve instruuntur, quid aliud quam procurator Idolorum monstraris? Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controversiam fieri. graviora delicta, quæque pro magnitudine periculi diligentiam ostendunt observationis, ut non ab his tantum abscedamus, sed & his per quæ fiunt. licet enim ab aliis fiat, non interest, si per me. in nullo necessarius esse debeo alii, cum facit quod mihi non licet.* & cap. 13, *omnem ad flatum ejus, vice pestis etiam devitemus, non in his tantum quæ præmisimus, sed in universa serie humanæ superstitionis, sive deis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipatæ, ut ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula, modo per festos dies.*

& cap.

& cap. 14, *Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, lusus, convivia constrepunt. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecostem! etiam si nossent, nobiscum non communicassent: timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne cum ethnici pronuntiamur, non veremur.* & cap. 15 satis ad rem loquitur: *scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum graviter, quod januam ejus subito annunciatis gaudiis publicis servi coronassent; & tamen ipse non coronaverat aut præceperat: nam antea processerat, & regressus reprehenderat factum. adeo apud Dominum in hujusmodi etiam disciplina familiæ nostræ æstimatur.* Quanto etiam magis, ne contribuamus ad gaudia publica gentilitia. Quare Tertullianus concludit, dicens: *hæc erit lux nostra* (cautio Idololatriæ) *quo magis expedita hoc plenius administranda, propria Christianorum, per quam ab Ethnicis agnoscimur & examinamur. hæc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem inculcanda, ut accedentes deliberent, observantes perseverent, non observantes renuntient sibi.*

Fateor hæc omnia non parvam ingerere difficultatem adversus ea, quæ determinat sacra Congregatio, quæ omnino vindicanda est & defendenda: processit enim maxima prudentia ab Spiritu Sancto directa, utpote à summo Pontifice consulto instructa. ut tamen id clarius innotescat, hæc sunt prælibanda, quæ etiam deservient pro multis dicendis in aliis responsis: scilicet quod sancta Mater Ecclesia divina providentia edocta multa invehi permittit, & invecta dissimulat, quæ veteres infideles superstitiose observant, prout ab eis fiunt, nolens uti omni rigore, ne difficilis fiat conversio aliorum & perseverantia eorum qui conversi sint. sed quamvis specie externa videantur opposita Religioni, cum in spiritu & consensu in Idololatriam non fiant, sed ad vitanda majora inconvenientia, actusque externi indifferentes sint; facilius capiuntur ad fidem rebus externe dumtaxat similibus aliis, quibus infideles utuntur. ita eleganter Clemens Alexand. lib. 5 Stromat. Comment. 2. apud Herbetum: *Quod autem nostra sint probabilia & digna quæ credantur, cognoscent Græci, si verbum magis examinetur per ea, quæ consequuntur: simili enim simile edocemur: Dicit enim Salomon Proverb. 16, num. 8, Responde stulto juxta stultitiam suam. quocirca iis quoque qui petunt eam, quæ est apud nos, sapientiam, ea sunt exhibenda quæ eis conveniunt & sunt familiaria, ut facillime per propria veniant, ut est consentaneum, ad fidem veritatis.* Consonat Basilius Epistola 64, dicens: *quandoquidem sane qui gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa verba ex actius disputandum, sed alicubi consuetudini ejus quem ad fidem inducit non nihil condonat aliquando, dummodo Principalibus ac necessariis reluctetur.* sequitur sanctus Gregorius Magnus lib. 11. epist. 15 ad Paschasium Neapolit. ait enim: *Qui gentilem ad credendum persuadere nititur, qui syncera intentione extraneos à Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne, quorum mentes reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi causas magis quam Dei probantur attendere.* circa quæ verba glossa ad caput Qui syncera. 45. dist. verbo blandimentis, dicit: *vel etiam muneribus, imo pecunia & præmiis.* glossa ad caput Debet. 23. quæst. 4. ex cap. Quod autem eadem. quæst. 6. unde sanctus Hieronymus ad caput 4 Threnorum: *Boni rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis & mansuetudinis levamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. unde Doctor gentium 1 ad Corinth. 9, factus sum* (inquit) *infirmus infirmis.* hæc Hieron. sic sancta Mater Ecclesia per sacram Congregationem de propagando fide consulto sanctissimo, Christianis Chinensibus permittit distributiones contribuere, quamvis de facto contingat quod expendantur in res oppositas cultui Christiano; quia hoc non intendunt Christiani, sed solum actus lætitiæ publicæ de se indifferentes. quod si expendantur in sacrificiis & superstitionibus, erit ex malitia expendentium: non enim teneor cum notabili damno proprio, aut alieno, vitare occasionem peccandi proximo: sic enim quamvis sciam Iudæum sacrificaturum agnum, possum in necessitate constitutus illum vendere, etiamsi jam sit paratus Iudæus ad sacrificium: ita Sylvius 2.2. quæst. 77. artic. 4. quæst. 1. Castro Palao tomo 1. tract. 6. punct. 8. Dualius tract. de fide, tract. 7. art. 9. Granado Controv. 4. tract. 18. disput. 12. Malderus in comm. artic. 9. quæst. 10. ubi omnes expositores D. Thomæ.

Vt tamen ea quæ in contrarium adducta sunt, præcipue ea, quæ dicit Tertullianus, quæ difficiliora videntur, dissolvantur; notanda est securissima Divi Thomæ doctrina, quæ habetur 2.2. q. 169. art. 2 ad 4. quod est argumentum, sed contra: *quod si qua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato per consequens artifices talia faciendo peccarent, ut præbentes directe aliis occasionem peccandi. puta si quis fabricaret Idola, vel aliqua ad cultum Idololatriæ pertinentia. si quæ vero ars sit cujus operibus homines possunt bene & male uti, sicut gladii, sagittæ, & alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum, & hæ solæ artes sunt dicendæ. unde Chrysostomus homil. 14 in Matthæum. eas solas artes oportet vocare, quæ necessariorum, & eorum quæ continent vitam nostram, sunt tributivæ & constructivæ. si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium Principis à civitate extirpandæ, secundum documenta Platonis.*

In quæ verba sic alter Thomas Cardinalis ibi 5. ad primum dubium dicit, *quod cum tam synagoga, quam Muscheta domus sit deputata ad superstitiosum cultum, licet unius Dei; quoniam uterque ritus, scilicet Iudaicus & Mahumetanus, superstitiosus est; est consequens ut cooperans ad ædificationem etiam reparatoriam, det operam rei cujus usus est omnino illicitus, atque mortale peccatum. & propterea ita peccant mortaliter tales artifices, sicut artifices Idolorum, & aliorum ad cultum Idololatriæ pertinentium. Nec obstat juris concessio, quoniam permissiva est; permittuntur autem non bona, sed mala.* hactenus ibi. quam sententiam verissimam existimo: & eam tuentur communiter Doctores. Coninck de Actibus supernaturalibus disput. 18. dub. 13. n. 213. hæc enim Idoli & synagogæ ædificatio in his circumstantiis, quatenus exigitur à falsæ sectæ cultoribus, dubio procul est implicitus cultus ex natura rei exhibitus Idolo & legi Mosaicæ; cum exigens hic & nunc colat per hanc fabricationis petitionem Idolum, & sic ipsa fabricatio est Idoli cultus. & hoc evidenter probant ea, quæ ex Tertulliano adduximus. unde in primitiva Ecclesia multi sculptores Christiani passi sunt, quia noluerunt statuas idolorum fabricare. quare, sicut supra diximus ex indubitata sententia, non licere hodie Christianis Catholicis in Anglia ingredi templa hæreticorum, & eorum concionibus adsistere, quia lex Regia id præcipit, ex motivo Religioso, qui in his circumstantiis ex natura rei est illicitus, quia superstitiosus; ita fabricare

care Idola ex petitione Idololatræ, qui petit ex intentione illi deferendi cultum, omnino ex natura rei est illicitum.

Bene video aliquos Authores, ut Balmassedanum 2. 2. disput. 76. sectio. 5. §. 181 & 182. Castro Palao tomo primo, tractatu sexto, disputatione sexta, puncto duodecimo, numero septimo; Adamum Iannerum tomo tertio, disput. 1. quæst. 9. dub. 5. num. 144. & alios sentire, si magna necessitas urgeat id esse licitum. tamen mihi omnino displicet hæc sententia: & Auctores citati parum consequenter loquuntur ad ea, quæ dicunt de Catholicis in Anglia. hos enim etiam excusaret urgens necessitas & vitæ periculum; quibus intervenientibus possent ingredi hæreticorum templa. quod dici nullatenus potest; ita nec affirmari, quod liceat Idola & Synagogas ædificare: quamvis enim speculative & Metaphysice loquendo fabricatio Idoli possit à malo fine præscindi, ut si quis Christianus inter Christianos fabricat figuram Idoli, aut depingat, vel ad visum, vel ad irrisionem, vel ut illius imago quatenus id ab Antiquis pingebatur ostendat; tamen inter Idololatras id facere omnino est illicitum, sicut & thurificare coram Idolo in templo, quia idolum sic fabricatum sub tali ratione & signis, ex institutione Reipublicæ est ordinatum ad falsum cultum; nec mens prudentis hominis in his circumstantiis judicare valet, quod quis ex arte Idolum efficiat, ut lucrum reportet vendendo illud adoraturo, quin ipse fabricator cultum deferat Idolo, ut optime & graviter ponderabat Tertullianus, qui actiones infectas Idololatria comprehendit cap. 17, dicens: *credamus itaque succedere alicui posse, ut in quoquo honore sit, in solo honoris culmine incedat, nec sacrificet, nec sacrificiis authoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo, aut de publico, aut edendis præsit, nihil solemne pronunciet aut edicat, non curet quidem.* quæ verba satis erudite ibi enucleat Pamelius num. 133.

Sed notanda doctrina Tertulliani cap. 16, qua mirifice confirmatur resolutio sanctæ congregationis, sic enim loquitur: *Circa officia vero privatarum & communium solemnitatum, ut togæ puræ*, (id est quæ non est picta, aut triumphalis, aut prætexta) *ut sponsalium, ut nuptialium nominalium*, (quibus nomen imponi consuevit) *nullum putem periculum observari de flatu idololatriæ, quæ intervenit: causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium; eas mundas esse opinor per semetipsas, quia nec vestitus virilis, nec annulus, aut conjunctio maritalis de alicujus idoli honore descendit, sed his accommodantur sacrificia, si nec in vocatu, nec in sacrificiis sit titulus officii & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet. Vtinam quidem nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est; sed quoniam totum malis circumdedit seculum Idololatria, licebit adesse in quibusdam quæ nos homini non Idolo officiosos faciunt.*

Ex qua gravissima doctrina gravitas & soliditas Resolutionis congregationis sacræ elucescit; siquidem Christiani Chinenses per se ex natura rei possunt contribuere ad eas publicas actiones, quæ de honore idoli non demanant, sed ex lætitia publica, quibus non præstatur officium. has enim mundas esse & ad regimen politicum pertinere opinor: hæ enim non Idolo, sed hominibus in politia viventibus officiose fiunt; munera autem dare, de quibus loquitur Eliberitanum, si quæ dantur Idolis, & hoc est illicitum, quia cultus Idololatricus. aliarum festivitatum celebrationes cultum superstitiosum continebant, & ideo juste à Patribus reprehenduntur: nulla enim necessitate cogi possunt homines ad id faciendum, ut pulcherrime concludit Tertullianus libro de Idololatria, & ego hanc resolutionem: *Nihil esse facilius potest, quam cautio Idololatriæ, si timor ejus in capite sit. quæcumque necessitas minor est periculo tanto comparata.*

§. 5. *Responsum septimum Congregationis.*

Septimum Responsum factum fuit interrogationi, an gubernatores civitatum possint in publico templo, coram Idolo dicto *Cachincboan*, sacrificia offerre, & ipsum adorare deferendo adorationem ad crucem, quam occultam vel in manu, vel inter flores altaris Idoli habent. Respondet sacra congregatio, nullatenus licere Christianis, hujusmodi actus publicos cultus & reverentiæ tribuere Idolo, prætextu vel intentione crucis, quam vel manu gestant, vel in altari inter flores abscondunt.

De soliditate hujus responsionis pluribus actum est in superioribus & in nostro secundo tomo morali, tractatu de delictis generantibus suspicionem in fide. quare de his nihil occurrit amplius dicendum: est enim hæc Diabolica inventio, manifesta Idololatria, saltem externa, opposita fidei confessioni; *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* quandoquidem illa fides cordis nihil prodest, quando exterior cultus in publico defertur Idolo: infandorum enim Idolorum cultura omnis mali causa est, initium & finis, ut ait Spiritus sanctus cap. 14 Sapientiæ. quare concludo hoc responsum verbis Gelasii Papæ ad Athanasium Imperatorem: *Numquid cum ab aliquibus infestata Religio est, quantacumque potuit novitate superari, & non magis hoc invicta permansit, quo existimata est posse succumbere. desinant ergo temporibus tuis* (ô sacra congregatio!) *quidam per occasionem turbationis Ecclesiæ præcipitanter ambire quæ non licent, &c.* apud Baronium anno 494, ex n. 6.

Responsum octavum Congregationis.

Quæsitum fuit octavo, an liceat illius Regni Christianis cuidam Magistro insigni in materia morali, à quo magnæ doctrinæ documenta omnes Chinenses acceperunt, & quem ut sanctum venerantur, & in omnibus illis & civitatibus est ei templum erectum, ad quem venerandum & sacrificium offerendum bis in anno publice, & bis in mense non publice gubernatores vadunt, illi offerentes candelas, flores, odoramenta, suem unum & capram, an licitum sit his gubernatoribus Christianis & aliis literatis, qui gradum accipiunt ex veneratione hujus Magistri, hæc sacrificia & cultus præstare. Respondet sacra Congregatio non licere, nec posse aliquo prætextu Christianis hæc permitti. Hoc permittebant tanquam licitum, & non excedens urbanitatem politicam Missionarii illi, de quibus sæpius mentionem fecimus, non cum parvo illius Christianitatis detrimento, ut constat ex memoriali Regi Catholico oblato punct. 5. art. 2. ubi id expresse habetur, & tanquam non congruens Ecclesiæ doctrinæ excluditur & impugnatur.

Et quidem hanc institutionem non fuisse humanam pure politicam, sed Diabolicam, qua Dæmon vult huic Philosopho gentili, deputato propter suam infidelitatem gehennæ, sicut multis aliis ex gentilibus, quod divinus cultus deferatur: quamvis enim Chinenses Philosophum istum dicant non esse Deum, tamen affirmant esse sanctissimum & virtuosissimum; & sic eum appellant, dicentes sectam ejus æqualem esse legi Dei; & sic dum erigunt illi altaria, construunt

struunt templa, faciunt sacrificia, gratias agunt pro beneficio doctrinæ edoctæ, dubio procul in eo recognoscunt aliquam excellentiam divinitatis; quod adeo est manifestum, ut nullus possit vertere in dubium, id enim ex pluribus constat: 1, ex Augustin. libro octavo de Civitate, cap. 27, *quoniam nec Martyribus templa sacerdotalia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus: honoramus enim memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, ut ea celebritate Deo vero de illorum victoriis gratias agamus.* quod non solum de sanctis hominibus dicit, sed de Angelis lib. de vera Religione cap. 55, *ipsos etiam optimos Angelos velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum. quare nec eis templa constituimus: nolunt enim se sic honorari à nobis.*

Hujus veritatis rationem à priori dedit idem Augustinus libro decimo de Civitate, cap. 4, *Sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli; quis vero sacrificare censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* & lib. contra adversarium Legis & Prophet. cap. 18, *Dæmon vero sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret. Nam obsequia cætera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare: rarissimi autem commemorantur qui sibi ut sacrificaretur, cum Regia potestate possent, ausi fuerint imperare. quicumque autem ausi sunt, per hoc se deos haberi voluerunt.* hæc Augustinus, in cujus verissima sententia hæc sunt connexa & inseparabilia: templum, altare, sacrificium, Deitas vera, vel ficta, cui erigitur templum & altare, & offertur sacrificium. cujus manifestam tradit rationem sanctus Thomas Augustino adhærens 2. 2. qu. 81. artic. 2, *quia oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum; significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima Deo seipsam offert, sicut principio suæ creationis & fini suæ beatitudinis. & sicut soli Deo debemus spirituale sacrificium offerre, ita & ei soli debemus offerre exteriora sacrificia. Hoc etiam videtur in omni Republica observari, quod summum Rectorem seu Principem aliquo signo singulari honorant, quod, si alteri deferretur, esset crimen læsæ Majestatis.*

Ex quibus evidenter constat, quod, quamvis Chinenses dicant Philosophum istum insignem non esse Deum, eo ipso, quod illi erigant altare & offerant sacrificium, implicant in terminis sibique contradicunt: nam sacrificium est debitum soli Deo, & qui sibi sacrificium offerri jubent, per hoc se deos haberi volunt, vel, quem tali cultu honorant, pro Deo habent, & in hoc manifestam committunt idololatriam: quæ consistit in hoc, cum divinam reverentiam soli vero Deo debitam indebite exhibent creaturæ. hinc enim gentiles unum agnoscentes Deum idololatræ extiterunt, quia cultum Dèo deferendum variis exhibebant creaturis, in quibus eo ipso divinitatis excellentiam agnoscebant. quod egregie probat Cyprianus tract. de Idolorum vanitate: *Reges olim fuerunt* (inquit, adde & tu insignes Philosophi) *qui ob regalem memoriam coli apud suos postea etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa. inde ad defunctorum vultus per imagines detinendos expressa simulacra, quibus & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant facta solatia.* Hinc est, quod, ut ait Augustinus lib. 8, cap. 26 de Civit. *quod omnis Religio paganorum circa homines mortuos impleta est.* & valde pulchre Tertullianus in Apolog. cap. 11, *gentium deos homines fuisse divinis honoribus indignos.* & concludit eleganter: *properavit opinor & cœlum semel clusit, & nunc utique melioribus apud inferos restitantibus erubescit.* quasi dicat, cum meliores illis apud inferos sunt qui non venerantur ut dii, Deus verus erubesceret, videns apud se improbos & in inferno meliores, essetque personarum acceptor. Vnde lib. de Idololatria c. 15 dicit: *Recogitemus omnem idololatriam culturam in homines esse, cum ipsos deos nationum homines retro fuisse apud suos constet; itaque nihil interest, superioris, an hujus seculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas, quæ opponuntur, sed propter officia ista damnata est.* & infra: *ergo (inquis) honor Dei est lucernæ pro foribus & laurus in postibus? non utique Dei honor Dei est, sed quod ejus qui pro Deo hujusmodi officiis honoratur, quantum in manifesto est, salva operatione quæ est in occulto ad dæmonia perveniens.* Quid pulchrius? quamvis isti Philosopho mortuo aliqua offerri possunt in honoris civilis memoriam; tamen semel, quod ei sacrificium offeratur, agnoscitur in illo excellentia divinitatis; & ita omnis actio, quæ fit in ejus honorem, quantum in manifesto est, *ad dæmonia pervenit*, & est idololatrica.

Et quidem, more aliorum Idololatrarum, Chinenses hos colere hunc Philosophum tanquam divinitatis excellentiam consecutum, clare constat ex his quæ de eo fingunt: noctu natum cantantibus spiritibus cœlorum multiplici sonora harmonia, quod sit sanctior universis totius mundi, qui aliquando extiterint, & quod offerunt sacrificia ut ejus auxilio beneficia potiora sumant. & horum sacrificiorum sacerdos est ipse civitatis Gubernator, dictus Mandarin, cui assistunt duo ex Principalioribus civitatis, quos in Diaconos invitat etiamsi Christiani sint. & omnes isti assistunt induti vestibus pretiosioribus. contra quos Christianos sic determinat Concilium Ancyranum, capite quarto, celebratum anno 316 sub Sylvestro Papa, juxta versionem Dionysii exigui. quod Concilium approbatum fuit in Synodo Nicæna, ut constat ex Florent. art. 4. *De his, qui vi sacrificarunt & prope Idola pransi sunt, quicumque abducti quidem & lætiori habitu accesserunt, & veste sumptuosiori usi sunt, & parati prandii non ægre id ferentes participes fuerunt, visum est anno audire*, (id est, inter Catechumenos esse;) *tribus autem annis substerni ac simplices esse* (id est, agere pœnitentiam;) *soli autem orationi* (id est, communibus precibus) *communicare, & tunc ad id, quod est perfectum* (id est, Eucharistiam & reconciliationem Sacramentorum) *accedere.* Fuit autem gentilitius mos, quod dum accedebant ad sacrificium, candidis & magnificis vestibus ornabantur, ut notat Baronius tomo tertio ad annum Christi 314, agens de hoc Concilio. quare Christiani Chinenses neque ut sacerdotes, neque ut diaconi possunt ad hujusmodi sacrificia perficienda accedere.

Quod si Mandarinum lex Regni, & alios Mandarinus cogit ad sic sacrificandum, audi quid dicat sanctus Augustinus sermone sexto de verbis Domini: *qui resistit* (ait) *Potestati, Dei ordinationi resistit. sed quid si illud jubeat, quod non debes facere? Hic sane contemne potestatem, timendo potestatem si imperator jubet, esto mihi in obsequium recte; sed non in Idoleo: in Idoleo prohibet major potestas, da veniam; tu carcerem, ille gehennam minatur.* quod autem dicant Christiani isti seducti à malis operariis, novimus quod Philosophus ille non sit Deus. Sed cur illi tribuunt divinos honores? *utinam illi sic norint* (ait Augustinus) *nam quod illi ut numen habeant, & pro numen accipiant illam statuam, ara testatur. quid illic facit ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat non est Deus. Iam dixi, utinam sic ipsi norint, quomodo novimus omnes nos! sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, ara illa testatur.* pulchre quidem, & satis ad rem.

 justissi-

justissima ergo fuit responsio sacræ Congregationis ad interrogationem octavam.

§. 6. *Responsum nonum, decimum, & undecimum Congregationis.*

TRia hæc responsa consequenter ad ea, quæ in superioribus determinavit sacra Congregatio sunt data. Nam nono fuit inquisitum, an mos Chinensium, quem introduxit Philosophus ille apud eos magnus, *Kum-Fuco*, sit observandus, quod proavis, avis, parentibus erigantur templa, sacrificia ex variis rebus, carne, vino, floribus, odoramentis fiant, quæ sacrificia eo diriguntur ab illis gentibus, ut gratias agant, honorem & reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, quæ fiunt etiam in templis & domibus, sed privatim & minus solemniter. Huic interrogationi respondet sacra Congregatio, nullatenus licere Christianis Chinensibus ficte & exterius assistere hujusmodi sacrificiis progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium, & multo minus licebit circa præfata ministerium aliquod exercere.

Doctrinam hujus quæsiti reprobatam à sacra Congregatione docebant Christianos Chinenses Missionarii præfati, ut ex toto puncto quarto (Memorialis Regi Philippo oblati,) quod hujus & sequentium, decimum & undecimum responsorũ materiam tractat, constat: quare articulo tertio dicunt non esse peccatum mortale ministrare, aut assistere hujusmodi sacrificiis factis progenitoribus suis, assumere & secum exportare de Idolothytis: & Patres qui hoc memoriale ad Regem Catholicum miserunt, simul cum informatione juridice facta probant ex præfata informatione & literis missivis illorum Missionariorum.

Sed vicit veritas Orthodoxa, & vetustas Ecclesiæ vicit novitates has valde perniciosas, & contra omnem praxim prædicandi Euangelium à suis primordiis. bene hos malos operarios redarguit Tertullianus libro de Idololatria cap. 13. hoc loco tractare oportet de festis diebus, & aliis extraordinariis solemnitatibus, *quas interdum lascivia, interdum timiditate nostra subscribimus, adversus fidei disciplinam communicantes nationibus in Idolicis rebus, an cum ipsis nationibus communicare in his rebus servus Dei debeat, sive habitu sive victu? ad hæc, nihil communionis est lumini & tenebris, vitæ & morti.* dixerat autem capitis initio: *sed omnem ad flatum ejus* (idololatriæ) *vice pestis etiam de longinquo vitemus, non in his tantum, qua præmisimus, sed in universa serie humanæ superstitionis, sive diis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipatæ, ut ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula & hoc genus, modo per festos dies, &c.* hæc ibi. quo nihil illustrius ad rem.

Quod autem Chinenses Christiani non possent hujusmodi sacrificiis adsistere, neque ad hujusmodi templa adire solemnitatis ergo, docet graviter Tertullianus libro citato, capite decimo septimo: *Plane ad sacerdotum & sacrificium vocatus non ibo; sed neque consilio neque sumptu aliave opera in ejusmodi fungar. si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps Idololatriæ; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii. cæterum quid faciunt servi & liberi fideles, item officiales sacrificantibus Dominis, vel Patronis, vel præsidibus suis adhærentes? sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjuverit, Minister habebitur Idololatriæ, &c.* videant ergo Missionarii quantum eorum doctrina disciplinæ Christianæ sit opposita, docentium quod assistere sacrificiis, sacrificare in templis dedicatis progenitoribus inferno addictis, adsportare de carnibus sacrificatis, de vinis libatis, & aliis oblationibus in personis progenitorum Dæmonibus factis, sit licitum & absque peccato.

Contra quos insurgunt sancti Patres, Augustinus lib. 22 de Civitate cap. 10, *incipiunt Deos suos nostris mortuis hominibus comparare, & dicunt etiam se habere deos ex hominibus mortuis.* & infra: *talibus diis suis & templa ædificaverunt, & statuerunt aras, sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt.* Hæc omnia faciunt Chinenses mortuis suis progenitoribus: non tanquam memorias illorum, sicut Catholici faciunt Martyrum: non enim ibi *erigimus altaria*, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo; non enim Martyres invocantur: Deo enim non Martyribus sacrificatur. Si enim alicui Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo, ait Augustinus lib. 1 contra Maximum argumento 11. Hinc Theodoretus serm. 8 de Provid. ait: *Quid igitur viri Græci,* (Chinenses) *qui defunctos tot numero homines appellatis Deos, adversum nos indignationem accipitis? cum nullos quidem nostrorum hominum referamus in Deos, quamquam debitos honores Martyribus persolvamus, ut Dei testibus servisque amantissimis. Atqui nos* (ô Chinenses) *ô Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines Deique amicissimos honoramus.* hæc Theodoretus; videant ergo Missionarii si licitum sit progenitoribus idololatris Dei veri cultus, libamina & hostias proferre, & alios honores & servitutem deferre: jure quidem à veritate Christi & ab Ecclesia Dei anathematizantur qui talia faciunt, & qui talia facere consulunt & dicunt licite fieri.

Ad hujusmodi cæremoniam gentilitiam prohibendam, accendendi cereos ad sepulchra defunctorum suorum ritu superstitioso, & non dumtaxat politico (de quo infra) alludit sine dubio Concilium Eliberitanum canone 37, dicens: *prohibendum etiam ne lucernas publice accendant.* & can. 34. placuit *cereos per diem in cœmeterio non incendi.* de cujus canonis intelligentia plura dixi digref. 1. modo tamen illo utor juxta valde probabilem & securam intelligentiam doctissimi Loaysæ ibi. Baronii tom. 1. anno 34, num. 312, qui asserunt Patres Eliberitanos solum prohibere in cœmeterio more gentilitio cereos in honorem defunctorum accendere. gentiles enim ad sepulchra defunctorum gentilitio ritu & superstitioso accendebant, ut ait Suetonius in Tiberio, quem ritum & gentilitium errorem irrepsisse, viderant Patres, in sanctorum defunctorum invocationem prohibent justissimi factum accensionem. & sacra Congregatio de propaganda fide justiore titulo prohibet Chinenses erga suos defunctos in templis ipsis dicatis sacrificia, candelarum accensionem, &c.

Hinc etiam est, quod Concilium Laodicense (celebratum sub Sylvestro Papa, Loadiceæ civitate Phrygiæ, non Syriæ, ut falso quidam volunt) can. 35 dixit: *non oportet Christianos derelicta Ecclesia Dei abire & ad Angelos*, (multo minus ad Idololatras defunctos) *vel ut alii angulos, Idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. quicumque autem inventus fuerit occulte* (quanto magis publice in templo) *huic Idololatriæ vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum Iesum Christum Filium Dei, accessit ad idola.* circa quem canonem multa notare possem, sed ad propositum nostrum solum; quod, quomodocumque canon intelligatur, maxime urget contra Missio-

Missionarios præfatos: si enim sequamur sententiam Bellarm. lib. 1 de Sanctorum Beatitudine cap. 20. hoc Concilium damnasse hæreticos, qui Angelici vocabantur, de quibus Epiphanius hæresi 60. & Augustinus hæresi 39. & dicebant Angelos esse adorandos Latria. quam expositionem etiam sequitur Theodoretus in epistola ad Colossenses. ex qua sumitur argumentum efficax à majori; quia si sancti Angeli non debent adorari Latria, nec illis templum erigi & sacrificia offerri, multo minus hominibus idololatris æterno igni mancipatis. neque ad hoc concurrere debent Christiani, quia relicto Christo ad Idola accedunt. si vero sequamur sententiam Cardinalis Baronii tom. 1 anno 60. manifestissime rejicitur quod docebant Missionarii illi. sic enim fatur Baronius: *Synodus Laodicena, nequaquam rectum Angelorum cultum damnavit, sed eum, qui ex gentibus contra divinitatis numen ejecit. sicut etiam superiori canone 34 illos damnat, qui relicto cultu Sanctorum Martyrum falsos adirent hæreticorum Martyres, sic dicens: non oportet omnino Christianum derelictis martyribus Christi, adire falsos Martyres & hæreticorum, quos ipsos constat hæreticos extitisse. hi enim alieni à Deo sunt; quicumque autem adire voluerit, anathema sit; ita etiam sequenti canone 35 gentilium Idolorum jactantes errores damnat, dicens: non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, &c. quo sicut superiori 34, quæ essent hæreticorum damnat. ita hoc 35, quæ gentilium Idololatrarum essent omnino proscribit.* & paucis interjectis: *ut de expresse patet, quod sicut superiori canone recipiens Synodus cultum veri Martyris, a pseudo-Martyrum cultu fideles cohibuit, ita & sequenti 35, falsorum Angelorum, eorum nimirum, quos venerarentur idololatræ, venerationem prohibuit, alludens fortasse ad genii cultum, cujus gratia gentiles (ut ex Censurino de die natali, & Macrobio in Saturnalibus constat) diem natalitium celebrantes affines & amicos convocarent: & hoc fit quod ait Canon ad Angelos Idololatriæ abominandæ congregationes facere.* hactenus Baronius. quo nihil illustrius ad enucleandam congregationis responsionem. si ergo Concilium Sacrosanctum damnat eum qui Martyres hæreticorum colit, & qui genium natalis sui veneratur, quanto magis anathematizaret qui dixerit Idololatris erigenda esse templa, & offerenda sacrificia à Christianis; alias etiam hodie licitum esse in Anglia ad templa hæreticorum adire, quod nullus Catholicus dicit. Vnde in Concilio Nannatensi circa tempora Formosi Papæ, canone vigesimo, dicitur: *omnibus interdicatur ut nullus votum faciat, aut candelam aut aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo, &c.* unde Christus Matthæi 10. vers. 5. præcipit: *in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis,* id est, ut ait Hilarius canone decimo in Matth. *ut opere & vita gentilis ignorantiæ abstinerent, & quod civitates Samaritanorum vetiti sunt introire, ut Ecclesias hæreticorum non adeant, admonentur.* hæc ibi. & multo magis idololatrarum.

Deinde quanta cum sapientia sacra Congregatio processerit in tam salubri prohibitione, ex aliis multis sanctorum Patrum sententiis & doctrinis constat: 1. est locus insignis Deuteron. cap. 12. n. 3. in quo hæc omnia quæ sacra Congregatio prohibet Christianis Chinensibus, prohibet Deus Hebræis, non quia legalia sint, sed ex præcepto naturæ, quo tenemur unum solum Deum adorare. sic enim dicit: *hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debitis in terra; subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes Deos suos super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum; dissipate aras eorum, confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis suis.* ad quæ verba Lyra, & Hugo Cardinalis dicunt: *quod Deus mandat quod fana & idola quæ coluntur dissipentur, destruantur, evertantur, ne ex illis occasio idololatriæ daretur, & ut memoria illius totaliter deleretur.* ne nomina illorum in tabellis, ut Chinenses faciunt, scripta conserventur in sepulchris & templis, quæ inter lucos & montes spissis arboribus consitos constructa, ad quæ Christiani commixti cum gentilibus vadunt ad offerenda sacrificia, faciendas profundas inclinationes, cremandum thus & alia odoramenta: neque quantum ad hoc est aliqua differentia in exterioribus cæremoniis inter Idololatras & Christianos. quare sicut illi cultu gentilitio id faciunt, ita & isti: sepulchra enim Chinensium & templa dicata sunt non solum defunctis, sed eorum geniis tutelaribus, qui, ut existimant illi, conservant & defendunt corpus defuncti; & sic in illis templis & sepulchris ædificant specialem locum destinatum illi genio, quem dicunt illic inhabitare.

Quapropter, ut ego existimo, antiquissima Concilia ita rigide prohibent Christianos illius temporis, ne arbores, lucos, lapides, fontes, & similia venerarentur exterius, sicut alii infideles faciebant: illis enim primitivis temporibus, cum Christiani simul cum Idololatris viverent, nondum omnia saltem cultu externo ad Idololatriam attinentia penitus & radicitus abdicabant, sed dilabebantur ad multa gentilitia, rapti ex malorum consortio. & has *Paganias*, ut ait Concilium Suessionense sub Childerico Rege Francorum, volunt Patres exterminari à fidelibus. unde Burcardus libro primo decret. cap. 94, interrogatio 52, *si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides faciat, aut ibi candelam aut quodlibet munus deferat, vel ut ibi quoddam numen sit quod bonum aut malum possit inferre, &c.* Concilium quintum Carthaginense canone 15. Toletanum 12. Brachar. 3. & innumera alia enixe curaverunt hos frutices idololatriæ à Christianis radicitus evellere. qua ergo fronte & audaciæ Missionarii isti novantes omnia, & vetera decreta contemnentes, has *Paganias* in nova Christianitate Chinensi permittunt?

Et quamvis Christiani Chinenses non possint, ut Deus præcipit, evertere fana, succidere lucos, & destruere altaria Idololatrica, tamen Missionarii tenentur eos monere & instruere, ne ad illa vadant, ne contagio idololatriæ infecti naufragentur à fide & pereant. Argumento ex capite placuit de consecratione dist. 2. ex Concilio Africano cap. 50, ubi mandant Patres, quod *Ecclesiæ & altaria in memorias Martyrum erecta, ubi nulla est Martyrum reliquia, evertantur. si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt nulla ibi superstitione devincti teneantur.* hæc ibi. & ad hoc obligantur Missionarii.

II. Est, canon non oportet. de consecratione, dist. 2 ibi: *non liceat Christianis prædia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis;* ubi glossa prævidens hunc, qui apud Chinenses mos est, sic fatur in casus formatione: *Reprehendit pravam consuetudinem Clericorum & Laicorum 2 solebant enim singulis annis certa die offerre eleemosynas super tumulos suorum mortuorum. & hæc consuetudo facta fuit à gentilibus, qui singulis annis mense Februario, die certo, epulas offerebant super tumulos suorum mortuorum, quorum animas credebant circa tumulos conversari & inde refici, sed Dæmones eas de nocte consumebant. & propter hanc consuetudinem extirpandam Ecclesia instituit, ut eo die, quo talia fiebant celebretur festum Dei in Cathedratione Petri.* hactenus glossa. quæ omnia credunt Chinenses existimantes animas suorum defunctorum sustentari ex vapore

exeunte

exeunte ex cibo calido, ut constat ex litera missiva Patris Benedicti de Matos num. 4. unde in Concilio Ancyrano cap. 7, determinatur: *de his, qui in festis Paganorum in remotis eorum locis conviviis interfuerunt, & suas nihilominus epulas portaverunt & ibidem comederunt, placuit ut post spatium biennii ad pœnitentiam suscipiantur.* quæ actio magis excusari potest ex politico commercio, quam illa, quam Chinenses circa suos defunctos faciunt.

Quarum una est quæ nullatenus à cultu externo gentilitio & Idololatrico excusari potest, videlicet quod caput Capræ elevatur ad orandum propositum à sacerdote, ut nos proponimus sacram hostiam, in qua est verum corpus Christi. sic refert libellus oblatus Regi Catholico ex rescripto Patris Roboredo num. 18, & 19. & quidem cæremonia ista adorandi caput capræ in templis antiquissima est cæremonia gentilitia & superstitiosa. Ita refert sanctus Gregorius Papa libro septimo epistola 5 ad Brunechild. Gallicanam Reginam, & lib. 3 Dialog. c. 27 & 28, dicit: *quadringentos Christianos à Longobardis fuisse occisos, quia caput capræ noluerunt immolare.* de quibus fit mentio in Martyrologio die 2 Martii. unde sanctus Gregorius conqueritur Brunechildi, quod multi Christianorum ad Ecclesias occurrant, &, quod dici nefas est, à culturis Dæmonum non discedant, adorantes Dæmonem, caput capræ illi immolantes, ut notat Baronius tom. 7, ad annum 579 pagina mihi 572. Homerus etiam antiquissimus de sacrificiis ex capitibus caprarum passim mentionem facit, & Plutarchus in Romulo dicit, Romanos solitos apud paludem capras sacrificare. de quo mentionem facit Ovidius Fastorum 2,

Est locus, antiqui capræ dixere paludem
Forte tuis illic Romule jura dabas.
Sol fugit, & removent subeuntia nubila cœlum,
Et gravis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.
Fit fuga. —

Forsan de hac palude, seu lacu, loquitur sanctus Gregorius Turonensis libro de gloria Confess. c. 2. *ad quem conveniebat multitudo rusticorum cum plaustris, cibumque deferentes, libamina illi exhibentes, & per triduum epulantes, quarta die cum descendere deberent, anticipabat eos tempestas cum tonitruo & coruscatione valida, & in tantum imber ingens cum lapidum violentia descendebat, ut vix se quisquam eorum putaret evadere; & sic fiebat per singulos annos, & involvebatur insipiens populus in errore.* hactenus Turon. quibus consonant quæ de lacu capræ ex Ovidio retulimus, illa ergo Chinensium capitis capræ veneratio non politica, sed superstitiosa & Idololatrica est cæremonia. quare omnino est prohibenda. sunt & aliæ quæ in templo defunctis dicato fiunt, tanquam *Paganiæ* ex Idololatricis gentibus dimanantes, neque ex aliquo bono fine & intentione possunt excusari, quia, ut ait Augustinus libro contra mendacium cap. 7, *animus à facto non excusatur, quando dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamen non fieret, nisi animus faciendum esse decerneret, sed ea quæ constat esse peccata nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* quæ in sequentibus probat sanctus Doctor multis exemplis.

Verum enimvero Missionarii dicti, ut suam affectatam & supinissimam ignorantiam obumbrent, & defendant superstitiones quas facere Christianos consentiunt, dicunt quod omnia ista sacrificia, templorum erectiones, pompæ, suffumigationes, cerei accensi, convivia & festivitates erga progenitores suos defunctos, sunt politicæ cæremoniæ & urbanitates debitæ progenitoribus, ex quarto Decalogi præcepto. quam doctrinam tradit quidam Neophytus in libro typis suis mandato, cujus titulus est *Taci*, & ipsi Missionarii in suis domibus divendunt: unde prima harum rerum institutio politica fuit dumtaxat, non Religiosa.

Cæterum solutio ista subsistere nequit, tum quia institutio templorum & sacrificii faciendi defunctis, non potest esse dumtaxat politica, sed necessario est Religiosa & ad cultum pertinens. quod manifestum est Exod. 22. vers. 10, *qui immolat Diis, præter Domino soli, occidetur.* immolatio autem non est solum politica actio, sed religiosa, ut eleganter glossa Lyræ ibi: *immolatione hic prohibita sub pœna mortis, intelligitur prohibita oblatio, libatio & thurificatio, & alia quæ fiebant in templo ipsi Deo directa.* consonat Augustinus lib. 10 de Civitate, cap. 4, *Sacrificium certe,* (ait) *nullus hominum qui audeat dicere deberi nisi Domino soli, multa de cultu divino, quæ honoribus deferentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera. quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Hæc Augustin. quare evidens est, quod si hæc institutio ordinat quod progenitoribus defunctis templa erigantur, & sacrificia offerantur, non est solum politica, sed Religiosa; & ex vi illius aliquam divinitatis excellentiam agnoscunt: tum etiam ad illos defunctos mediis illis sacrificiis fundunt preces, petentes beneficia & pro acceptis gratias agunt, quæ omnia divinitatem redolent. deinde dato, quod hæc institutio in sui primitiva origine nata fuerit politica, quia extendebatur solum ad honores politicos, tamen successu temporis effecta est superstitiosa, extensione facta ad templa & sacrificia. quod egregie advertit Cyprianus lib. de Idolorum vanitate num. 1, *Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cœperunt. inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus detinendos expressa simulachra, in quibus & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerunt assumpta solatia.* hæc Cyprianus, qui graphice depinxit id, quod inter Chinenses fiebat, & quod excludit sacra Congregatio.

Id autem, quod dicunt præfati Missionarii, quod Christiani Chinenses id faciunt exterius dumtaxat, habentes intentionem non dandi cultum latriæ, nisi Deo, absurda & hæretica solutio est. alias licitum esset in tormentis sacrificare Idolis & ore Christum negare. quam hæresim in Priscillianistis impugnat Augustinus libro contra mendacium, & quosdam Christianos, qui, ut caperent hæreticos, id licere existimabant. unde idem Augustinus libro sexto de Civitate cap. 10, reprehendit Senecam, qui in libro contra superstitiones, dicebat exterius non interius colenda esse Idola; sed dicit sanctus Doctor: *iste colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat; quia videlicet magnum aliquid eum Philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo. sed propter leges civium, legesque hominum non quidem egebat fingentem scenicum in theatro, sed imitabatur in templo, eo damnabilius quod illa, quæ mendaciter agebat ideo ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* hæc Augustinus. quo nihil illustrius ad redarguendos Missionarios hos, quem errorem secuti sunt quidam hæretici (ait sanctus Thomas 2. 2. q. 93. art. 1.) ut latius monstravi tract. de delictis generantibus suspicionem in fide.

Et quidem non possum non mirari viros Catholicos, & uberibus sanctæ Matris Ecclesiæ Orthodoxa late nutritos, interpretationem eorum quæ ad cultum

tum

tum & Religionem Christianam pertinent adsumere ex Neophyto, quem suis superstitionibus aluit Idololatria, & *quo semel imbuta est recens, servabit odorem, testa diu*, semperque exsufflabit *Paganias* coopertas pallio fucatæ veritatis. interpretatio namque in re ita gravi, sicut est cultus & Religio, non ex Neophytis, sed ex praxi Ecclesiæ & communi Patrum sensu petenda est. quod egregie dixit sanctus Clemens Romanus Papa epistola 5 ad suos discipulos: *relatum est nobis* (ait) *quod quidam in vestris partibus commorantes adversantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundum traditionem Patrum, sed juxta sensum suum docere videntur. Multas enim quidam, ut audivimus, vestrarum partium ingeniosi homines ex his, quæ legunt verisimilitudines capiunt. & ideo diligenter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur, vel doceatur: sunt enim multa verba in Scripturis divinis quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpsit, quod fieri non oportet. non enim sensum quem extrinsecus adulteratis, & extraneum debetis quærere, aut quoquomodo ipsum Scripturarum authoritate confirmare, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.* concludo igitur hanc responsionem verbis Irenei lib. 3 contra hæres. cap. 3. sic contra novitatem horum Missionariorum loquentis, & mentionem facientis epistolarum sancti Clementis Papæ: *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt nec cognoverunt, quale ab istis deliratur.* Quæ verba egregie explicat ibi Feuardentius ex num. 1.

Decimo responso Congregationis resolutum est hujusmodi actiones excusari non posse, sive per appositionem crucis, sive per absentiam gentilium, sive per intentionem, hujusmodi actus superstitiosos ad cultum vere Dei dirigentem.

Vndecima etiam resolutum est, omnino non licere tabulas quasdam superstitiosas in proprio altari suis majoribus dicato habere, & multo minus sacrificia & deprecationes eis offerre, licet occulta & ficta intentione. circa hæc duo responsa nihil occurrit specialiter addendum præter ea, quæ in superioribus dixi. & concludo verbis Cypriani epistola vigesima quinta: *Deus unus, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petram Domini voce fundata. aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium, non potest. quisquis alibi collegerit, spargit.*

§. 8. *Responsum duodecimum Congregationis.*

QVæsitum fuit circa obsequia civilia erga defunctos, an coram illis possint etiam Ministri Euangelici humi se prosternere coram tabella, vel imagine defuncti posita in altari, cum ornatu odorum, florum & candelarum; coram qua & genu flectunt, & capita usque ad terram demittunt, apportantes odoramenta quæ comburantur, & candelas quæ consumantur coram defuncti imagine. Respondet Congregatio quod posito, quod mensa parata sit quædam Tabella, non autem verum altare, si cætera continentur intra limites obsequii civilis & politici, esse toleranda. O prudentissima Politico-Christiana responsio! in utraque ejus parte non est absoluta & præcisa, sed conditionalis; *si mensa parata non sit verum altare, si quæ continentur in quæstione sint intra limites obsequii civilis & Politici.*

Et quidem defunctis obsequia politica & civilia posse impendi, sicut impenduntur vivis vel ratio ipsa naturalis dictat. Omitto plura superstitione plena; de politicis & civilibus solum loquor, de quibus aliqua prægustanda ex antiquitate, quæ deservient valde ut discernant Missionarii, quæ sint cæremoniæ pure politicæ & civiles, quæ mixtæ cum superstitionibus paganicis: igitur homine jam vita functo, amici, uxor, vel filii oculos claudebant, ut ait Plinius lib. 11, cap. 37, *morientibus operire oculos, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est.* consonat Varro ajens: *lex nimis impia, ne filii Parentibus sigillent oculos.* qui mos etiam perseverat in Christianis. Dionysius Alexand. epistola quæ est apud Eusebium lib. 7, cap. 17. Epiphanius orat. de Christi sepult. *nunquid digitis tuis oculos Iesu, ut mortuorum de more solent, claudis?* de quibus plura Tiraquellus ad lib. 3 genial. cap. 7. & non solum oculos, sed os etiam occludebant, ut ait Alexandrinus ubi supra. Hanc actionem & alias sequentes sequebatur planctus & ejulatus, ululatus vix tolerandus. radebant genas in doloris & mœstitiæ signum, quamvis rasuram istam lex duodecim tabularum prohibuit feminis. Vnde Plato dixit: *flere mortuum jubere aut vetare, absurdum; plangere vero, & voces ac lamenta extra ædes emittere vetandum.* & hunc plangendi civilem honorem erga mortuos, ita apud antiquos æstimabant homines, quod, ut pompa funebris solemnior ejulatibus fieret, Nisos & Phrygas adhibebant, ob Barbaram & asperam vocem luctui idoneam. Mulieres etiam ejulatrices ex arte & officio conducebant. qui mos etiam hodie apud aliquas Europæ civitates perseverat.

Ad hoc sequebatur, quod ad mortuum si oculis clausum vultu averso qui oculos & os clauserat, facem accensam subjiciebant in illius civilem reverentiam. fax ista erat confecta, vel ex cera & gossipio, vel ex tæda pice delinita, aut ex arundinibus spina alba, vel simili materia oleosa, ut per aliquod tempus duraret. Hujus civilis honoris per lampadem, facem, accensam, motivum mihi videtur fuisse ad denotandum necessitudinem vitæ & mortis, ut ait Lucretius lib. 2. vel ad declarandam sobolis successionem, ut Plato lib. 6 de Republica; vel ad denotandum quod hereditas à defuncto suscipitur, quod Græci dicunt, Μελαλάμπαι διωσθαι, vel quia per lampadem & facem istam denotatur nostri generis immortalitas, quæ in heredibus succedentibus gignitur. sed cur facie aut vultu averso fax ista mortuo subjiciebatur? existimo, quod hic non sit superstitio, sed ne facies Hippocratica, deformis & fœda à charis luce facis clarius videretur: nefas enim existimabant antiqui à viventibus decedentium oculos spectari, ut ait Alexand. Neap. lib. 3 dierum, c. 7. ubi Tiraquellus, vel ne dolor augeretur, vel est significatio. Fax enim nuptialis non dabatur vultu averso, sed converso, quia futuram ex matrimonio sobolem denotabat; at circa mortuum vultu averso, quia jam soboles ex illo non sperabatur.

Deinde corpus lavabant defunctum, qui mos antiquissimus tum apud gentiles, tum apud Christianos. apud istos constat Act. cap. 9. vers. 37, *factum est autem in illis diebus, ut infirmata* (Tabitha) *moreretur, quam cum lavissent posuerunt eam in cœnaculo.* de quo more apud Christianos meminit Tertullianus in Apologet. cap. 4. & sequuntur sanctus Gregorius Magnus homil. 39 in Euangel. & lib. 3 Dialog. c. 17. Sidonius Apollin. l. 3. ep. 3. Epiphanius; apud gentiles etiam usitatus fuit, apud Trojanos Virgilius lib. 6,

Corpusque lavant frigentis & ungunt.

Quod

Quod desumpsit ex Homero Iliad. 18. idem de Ægyptiis tradunt Herodotus lib.2. & Diodorus libro 2. de Romanis Ennius, & qui hoc officium faciebant, libitinarios appellabant.

Tarquini corpus bona femina lavit & unxit.

Quare simul cum lotione aromatibus & pretiosis unguentis corpora defunctorum, maxime nobilium, deliniebant mirrha & aloë, & aliis incorruptionem causantibus. nec in hoc nimis detinendum, cum sit res notissima, & Christi Domini corpus ita etiam sit curatum: qui enim hujusmodi unctiones & lotiones faciebant, antiqui vocitabant pollictorum unctores; de quibus meminerunt Fulgentius ad Calcidium de prisco sermone; Apulejus in Hermagora; Vlpianus ad legem Quicumque. §. idem ait. D. de instit. actio.& ibi Gothofredus; Suetonius in Domitiano; Tertullianus in Apolog.cap.13. ubi Pamelius & adversus gnost. cap.7. & multi alii in nobilium funere aromata unguentis pretiosis, ut dixi, conjungebant. si vero fuisset Rex, aut Imperator, congerebant aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succos odoriferos. quæ omnia concremabantur in pyra accensa, simul cum corpore & busto defuncti.

Post hæc corpus sic cum aromatibus curatum, exhalans bonum de se odorem, varia veste juxta diversarum nationum usus vestiebant. communius erat indumentum album. ita apud Plutarchum in problematibus Rom. q. 26. Prudentius in Hymno ad exequias defunctorum.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Et Christi corpus juxta Hebraicam cæremoniam candido linteamine est obvolutum. alii divites maxime auratis vestibus obvolvebant. Origines lib.1 in Iob, Eusebius lib.7 Histor. cap. 16. qui usus erat tempore Hieronymi in vita sancti Pauli, quem acriter impugnat. in Principum & Pontificum exequiis hic usus hodie viget. nec est reprehensibilis: hæ enim vestes ad splendorem & pompam civilem non parum educunt, ut probat Marcellus lib.1 sacrarum cæremoniarum, sect. 15. alii purpureas vestes ponebant, de quo more Ovidius sic canit:

Fit gemitus; tum membra thoro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt; pars ingenti subjere feretro,
Triste ministerium, & subjectam, more Parentum,
Aversi tenuere facem. ——

Annibal Carthaginensis Marci Marcelli corpus Punico Sagulo & corona donatum rogo dedit.

Aliquando si militum Dux fuit, aut Imperator, armis indutus ferebatur; Plutarchus dicit de Otthone: *ornato corpore in altis est elatus Otho.*

His factis circa cadaveris ornamentum & medicamenta, in feretro positum vel loco elato reponebant ipsum, vel in cœnaculo, ut de Tabitha dicitur Act.9. qui mos adhuc est in Hispania, vel ut apud Francos ad januam Domus, qui apud Græcos & Romanos fuit, ut constat ex Suetonio in Augusto cap.1. Homero Iliad.7. Virgilio Æneid. lib.11. & convocatis amicis ad rogum, vel ad sepulchrum efferebant accensis luminibus & facibus. ita Cornelius Tacitus lib.3 Annal. in August. Suetonius in Caligul. cap. 13. Virgilius lib. 11 Æneidos, agens de Pallantis funere, quem dicit esse morem vetustum:

& de more vetusto
Funereas rapuere faces. lucet via longo
Ordine flammarum ——

Plinius etiam lib.16, cap.37, ait: *scirporum candelas funeribus servire.* fuit etiam mos politicus super mortuis & eorum sepulchris violas, rosas, lilia, floresque purpureos spargere, ut ait Hieronymus ad Pammachium de morte uxoris; & denique, ad conservandas mortuorum memorias, in sepulchro ponebant eorum statuas, aut arborem juxta plantabant, qui mos placuit Platoni. conservabant ob civilem cultum mortuorum imagines, ut videre est in Severo Imperatore, qui imagines Orphei, Apollonii, & aliorum in suo Palatio conservabat. omitto plures alios civiles ritus apud gentiles observatos, & ad intelligentiam Responsi sacræ Congregationis hæc sufficiant.

Quare non est idem, cultum aliquem politicum exhiberi defunctis, & esse superstitiosum: poterat enim fieri sine superstitione, sed conformis ad rectam Politiam, ex ratione naturali dimanans & illi conformis. Quod expressit Augustinus lib. 1 de Civit. cap.3, dicens: *nec ideo tamen contemnenda & abjicienda corpora defunctorum: si enim paterna vestis, & annulus, & si quid hujusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta præstamus. Hæc enim ei non ad ornamentum, vel adjutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.* hactenus ibi. dixerat enim prius cap.12, *Proinde omnia ista* (id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompæ exequiarum) *magis sunt vivorum solatia, quam mortuorum subsidia.* ecce Augustinus duplicem dat rationem honoris civilis exhibiti defunctis. Prima fundatur in ipsa hominis rationali natura, ut sicut honoratur annulus, quia Patris fuit, multo magis honoretur corpus, quia Patri fuit conjunctius & familiarius, & ad ipsam Patris naturam attinens. Secunda fundatur in convenientia vivorum, quos propter affectum erga defunctum ejus privatio molestat; & sic in solatium tristitiæ, ipsi ac si viveret honorant civilibus obsequiis. Primam rationem confirmant ea, quæ supra diximus de Annibale sepeliente Marcum Marcellum à se victum. de quo Valerius Maximus lib. 5 cap.1, concludit: *ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata Barbarorum ingenia penetrat.* & Lactantius lib.6 cap. 12, hoc appellat *ultimum & maximum pietatis officium, & qui non facit, extra naturæ leges penitus egreditur*, ut ait Eusebius lib.6.c.19. quod egregie confirmat Ambrosius, lib.1 de Tobia, cap. 1. dicens: *nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui tibi jam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. feræ hanc humanitatem defunctis corporibus præstare produntur, homines negabunt?* Imo & ipsa terra, quos vivos sustentavit, mortuos prosequitur honore, ut egregie Plinius ubi supra: *terram* (inquit) *tam maxime nos operire ut matrem, quando sumus abdicati à reliqua natura, ut non solum vivos sustentet alimoniam suppeditans, verum etiam defunctos prosequatur honore.* Hinc orta est illa apud antiquos cæremonia, quæ apud pios Catholicos etiam hodie perseverat, quod mortuis dum sepeliuntur terræ pulverem injiciunt dicentes olim, *sit tibi terra levis.* sic Iulianus Imperator epistola 23 ad Hermog. Apollonius in Argon. lib.4. Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Terraque secura sit super ossa levis.

Martialis lib.2. Epigram.30.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.

Vnde olim passim in sepulchris hæc septem literæ erant insculptæ *H.S.E.S.T.T.L.* quarum legitima hæc explicatio: *hic situs est. sit tibi terra levis.* unde Xenophon lib. ult. pædag. sic in Testamento Cyrum loquentem introducit: *meum Cadaver, cum mortuus fuero, ne in auro argentove, aliove loco ullo condite, sed mox*

terræ

terræ reddite, ut Matri videlicet optimæ. quid enim beatius esse potest, quam misceri terræ, quæ universarum bona producit ac nutrit? adeo fuit insitum à natura hominibus cura sepulchri & sepulturæ, & honorum civilium erga suos defunctos, ut vix sit natio barbara quæ ad id non fuerit attentissima. quamvis hujus diversus fuerit apud diversas nationes usus, quos fere omnes comprehendit Silius Italicus lib. 13. Belli Punici 21.

Namque ista per omnes
Discrimen servat populos, variatque jacentum
Exequias, tumuli & cinerum sententia discors.

Et in sequentibus varios diversorum populorum ritus, & cultus civiles erga defunctos adnumerat satis eleganter.

Ex quibus omnibus constat, sapientissime & prudentissime sacram Congregationem suam edidisse declarationem, qua permittit Christianos Chinenses ea, quæ continentur in quæstione, si intra limites obsequii civilis & politici contineantur. pro quo notandum, quod eadem actio exterior, quatenus imperatur à diverso actu interno, potest esse obsequium civile & politicum. verbi gratia genuflexio, si deferatur Regibus aut Principibus (ut late ostendit Lælius Bisciola tom. 1 Horarum, lib 7, cap. 14.) potest esse dulia, si deferatur sancto alicui canonizato; hyperdulia, si deferatur Beatæ Virgini; & latria, si deferatur Deo & Christo Domino. Vnde eadem actio, quæ fit à gentilibus cultu superstitioso, fieri potest à Christianis cultu politico & civili; & sic permittitur. Sed omnino prohibetur si fiat fine superstitioso aut gentilitio. legatur Cardinalis de Lugo de fide disp. 14, sect. 5, §. 5, num. 160, num. 161; ubi de sepultura hæreticorum & Catholicorum, cujus officium faciunt ministri hæretici.

§. 9. *Responsum decimum tertium Congregationis.*

QVæsitum fuit, an Ministri Euangelii teneantur docere catechumenos ante baptismum, aperte & in singulari omnia sacrificia, omnes superstitiones esse illicitas, quamvis desistant à susceptione baptismi, & sequatur mors, exilium & persecutio fidelium & Ministrorum? responsum fuit, Ministros Euangelicos, non obstantibus prædictis inconvenientibus, teneri docere, omnia sacrificia præter quam soli Deo esse illicita, & relinquenda ut Christianæ fidei repugnantia; in singulari vero loquendo, attendenda est catechumeni ingenii promptitudo, aut tarditas, & advertendæ aliæ circumstantiæ, consuetudinibus & periculis quæ timentur consideratis.

Hoc responsum lumine naturæ notum est, cum fides Christiana unum Deum colat, cui soli offert sacrificium & nulli alteri: quia *omnes dii gentium sunt Dæmonia*, quibus offerre sacrificium lex naturæ prohibet. pulchre Augustinus lib. 8 de Civit. cap. 23, hoc expressit ponderans Hermetis (qui Trismegistus est dictus) sententiam his verbis: *Deinde multis verbis Hermes hunc locum exequitur, in quo videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana Religio quanto est veracior atque sanctior, tanto vehementius & liberius cuncta fallacia figmenta subvertit, ut gratia verissimi Salvatoris liberet hominem ab his diis quos facit homo, & ei Deo subdat à quo factus est homo. Sed cum Hermes ista prædicit, velut amicus eisdem ludificationibus dæmonum loquitur, nec Christianum nomen evidenter exprimit.* & infra: *multa quippe talia dicit de uno vero Deo fabricatore mundi, qualia veritas habet, & nescio quomodo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, ut diis, quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, & hoc futuro tempore plangat auferri; quasi quidquam sit infelicius homine cui sua figmenta dominantur, cum sit facilius fieri, deos colendo quos fecit, ne ipse sit homo, quam ut per ejus cultum dii esse possint quos fecit homo. Citius enim fit ut homo in honore positus pecoribus non intelligens comparetur, quam ut operi Dei, ad ejus imaginem facto, id est, ipsi homini opus hominis præferatur. qua propter merito homo deficit ab illo qui eum fecit, cum sibi præficit ipse quod fecit. Hæc vana, deceptoria, perniciosa, sacrilega Hermes Ægyptius, quia tempus quo auferrentur sciebat, dolebat. Sed tam imprudenter volebat, quam imprudenter sciebat; non enim hoc ei revelaverat Spiritus Sanctus, sed Prophetis sanctis, qui id prævidentes cum exultatione dicebant si facit homo deos, & ecce ipsi non sunt dii. & alio in loco erit in die illo dicit Dominus, exterminabo nomina simulacrorum à terra, & non erit eorum memoria, &c.* ex quibus clare constat quod Christo revelato, fonte omnium gratiarum & donorum, cuicumque hæc revelatio fiat, debet innotescere quod ab ipso eliminanda sit Idololatria: concepta enim fide Christi, confringi debent omnia Idola, & illorum omnis cultus everti, ut Christianæ disciplinæ adversus. Hinc Augustinus epist. 49, quæst. 3, *Scriptum est*, (inquit) *Cain ex fructibus terræ, Abel autem ex primitiis ovium obtulisse Deo. Hinc intelligendum quod sit res antiquissima sacrificium, quod non nisi vero Deo offerri oportere, veraces & sacræ literæ monent.* sed de his satis: est enim hoc principium indubitatum in fide.

§. 10. *Responsum decimum quartum Congregationis.*

QVæstio decima quarta fuit proposita, an vox Sinica *Xing*, quæ *Sanctus, Sancta, Sanctum* significat, & Christiani illam loquuntur dum explicant sanctum Trinitatis mysterium, Christum, Beatam Virginem & alios Sanctos, possint illa uti dum loquuntur de Magistro illo *Kem fucu* Rege, & ejus decretis? Responsum fuit, non posse aliquid determinari, nisi præhabita cognitione idiomatis & veræ significationis: tamen si in vigore illius habet latitudinem, posse Ministros illa uti: sin vero significat solum veram sanctitatem, nullatenus posse.

Prudens sane resolutio, cum de notione nominum nihil determinare dici possit, nisi cognito linguæ & sermonis idiotismo. ut enim ait Aristoteles lib. 1 de interpretatione cap. 1, nullum nomen natura constat, sed cum quadam nota ad aliquid significandum est impositum. *nominum impositio juxta usitatam acceptionem maximas inter homines parit discordias*, ut ait Procopius lib. de bello Gothico.

§. 11. *Responsum decimum quintum Congregationis.*

DEcimo quinto fuit propositum, an liceat in Ecclesiis Christianorum illius Imperii, tabellam candelarum, rosarum & odoramentorum ornamentis condecoratam, & positam supra mensam aut altare, & in illa scripta hæc verba, *vivat Rex Chinarum multa annorum millia*, ante quam mos est Idololatrarum bis vel ter in anno sacrificare, & facere genuflexiones in honorem & reverentiam Regis? Respondet sacra Congregatio, quod seclusis sacrificiis & altari vere & proprie dicto, cætera quæ redolent honorem civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti possint.

Quid hic sacra Congregatio per altare vere & proprie intelligat, explicandum est: hic non distingui-

mus inter aram & altare, sed pro eodem usurpatur, quia apud antiquos tam in ara, quam in altari sacrificium fiebat: veteres enim in ædificiis à terra elevatis sacra faciebant diis superis, in terra diis terrestribus, in effosso diis inferis. altare superis dumtaxat consecratum erat, ara tam superis quam inferis erecta erat. apud antiquos tamen Christianos ara & mensa idem significabat. quæ significatio est apud sanctum Clementem in vita sancti Petri & apud Græcos τράπεζα est ara, quod etiam apud Latinos invaluit. Festus dicit: *Curiales mensas in quibus immolabatur Iunoni.* cæterum tam mensa, prout idem est quod ara, quam ara, prout idem est quod altare, proprie illa est in qua fit proprie sacrificium juxta usurpationem sacrificii in illa gente apud quam fit. quare ara & altare non solum est in quo pecora mactantur, sed etiam in qua fiunt libamina, oblationes, suffitus odoramentorum, ut bene explicat Ioannes Fungerus in Etymolog. Trilingui verbo *altare*, & verbo *ara*.

§. 12. *Responsum decimum sextum Congregationis.*

DEcimo sexto inquisitum, an licitum sit Christianis & sacrificium incruentum offerre pro defunctis, qui ex hac vita in sua decesserunt infidelitate. Respondet sacra Congregatio omnino non licere: est enim res omnino certa secundum fidem id nullatenus esse licitum, si non fiat ex speciali revelatione, qua Deus revelet velle uti sua potentia absoluta, ut liberare hominem damnatum à pœna inferni media aliqua oratione alicujus viri sancti.

§. 13. *Responsum ultimum Congregationis.*

PRopositum est, si tenentur Missionarii prædicare Christum crucifixum & ostendere ejus imaginem, quia gentiles scandalizantur ex tali prædicatione? Respondet sacra congregatio, quod nullâ prudentiâ aut prætextu differenda est doctrina passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam esse. similiter determinavit Congregatio conveniens esse, ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi crucifixi, & ideo curandum (quoad oportune fieri potest) ut exponantur.

De hoc responso plura sunt dicta in superioribus. quare hic solum placuit adferre verba Eminentissimi Cardinalis Baronii tom. 1. ann. 60. pagina mihi 567. *Hos igitur à Paulo sugillatos esse, cum eos nominat inimicos crucis Christi, nullus jure poterit dubitare.* & infra: *hoc est igitur quod tam instanter Paulus Philippenses admonuit illis verbis ad extremum positis: videte concisionem, hoc est, eos qui se concidunt & dividunt Iesum à Christo, quos inferius nominat inimicos crucis Christi, dum à Christo crucem auferrent, id est, etiam quod in eadem epistola superius dixerat, tam clarum & patens de Christi cruce proferens testimonium in hæc verba: exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Hinc etiam videas, quia non tantum Philippis in Macedonia, sed & in Asia, itemque in Græcia, & ubique fere gentium, Christiani orbis, eadem hæresis à prædictis nebulonibus vulgabatur, eundem Paulum in omnibus suis epistolis, ad diversas Ecclesias scriptis, de cruce Christi sæpe sæpius repetere ac ingerere testimonium, contestarique se non nisi Christum & hunc crucifixum prædicare, nec aliud se scire profiteri, nisi Christum & hunc crucifixum; nec aliud conari, nisi ut crucis prædicatio effulgeret; & ne quavis occasione crucis Christi gloria minueretur aut aliquando tolleretur. Hinc etiam illa de morte Christi & passione & sanguine crebrior facta mentio, adversus eos pugnans etiam idem. Ignatius scribens ad Trallianos, postquam de eisdem hæreticis & aliis crucem Christi negantibus est locutus, hæc addit: si surculi non fuissent Patris, Diaboli scilicet, non fuissent hostes crucis Christi, sed eorum qui occiderunt Dominum gloriæ. Nunc vero cum crucem negent & illos passionis pudeat, tegunt Iudæorum scelus.* hactenus Ignatius, & Baronius. quod ergo hæretici reipsa faciebant negantes Christum crucifixum, hoc Missionarii illi in ordine ad prædicationem, dum illos pudet Christum passum & crucifixum prædicare.

RESOLVTIO VLTIMA.

Vtrum sint veri Martyres, qui contra hanc doctrinam prædicantes, pro fide Christi passi sunt inter Sinenses.

SI loquamur de his, si qui modo prædicarent contra has sacræ Congregationis determinationes, etiamsi fidem Christi suo modo disseminarent & pro hoc fuerint passi: certissimum hoc, quod non sint veri Martyres, cum decedant ex communicati, ut constat ex sententiali decreto Congregationis à summo Pontifice confirmato: & sic sunt Euangelicæ prædicationis fures & latrones. Si tamen sit sermo de illis, qui doctrinas rejectas & reprobatas in his decisionibus tenebant antequam publicarentur & ad eorum notitiam pervenirent: res est odiosa, id determinare; aliorum sit judicium. puto tamen quod id faciebant ex ignorantia, quæ vel erat affectata, vel supina, quia in nullius Catholici mentem prudenter poterat venire, ea quæ faciebant, convenire novæ Christianitati: contra hos enim videtur loqui August. lib contra mendacium cap. 2. *Ipse enim soli, vel certe maxime ipsi reperiuntur, ad occultandam suam quam putant veritatem dogmatizare mendacium; atque hoc tam magnum malum ideo justum existimare, quia dicunt in corde retinendum esse quod verum est, ore autem ad alienos proferre falsum* (adde tu & opere) *& hoc esse scriptum qui loquitur veritatem in corde suo, tanquam hoc satis sit ad justitiam, etiamsi loquatur quisque in ore mendacium, quando non proximus sed alienus hoc audit, ut videlicet cum eis qui nobis in societate veritatis proximi non sunt, nec, ut ita dicam, commembres nostri sunt, loqui liceat oporteatque mendacium. Quæ sententia sanctos Martyres exhonorat. imo vero aufert sancta omnino martyria.* & cap. 12. *Nam si propter ea quæ dixit* (Paulus.) *factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ideo putandus est mendaciter suscepisse legis veteris Sacramenta, debuit & gentium Idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, quia dixit etiam, iis qui sine lege erant, tanquam sine lege se factum ut eos lucrifaceret, quod utique non fecit. non enim alicubi sacrificavit Idolis, aut adoravit illa figmenta, ac non potius libere, tanquam Martyr Christi, detestanda & vitanda monstravit.* hactenus Augustinus. sed, ut dixi, hoc determinare superioris Iudicii & tribunalis esto. Finitum est hoc opus Dominica infra octavam Epiphaniæ anno 1652, ætatis meæ 65; omnia tamen quæ in hoc tomo dixi, subjicio correctioni S. R. E. ex animoque declaro, si quod sit sanæ doctrinæ, bonis moribus & rectæ Christiano-politiæ dixerim dissentiens, ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc retracto, & pro non dicto habeo & confiteor.

THOMAS HVRTADO, C. R. M.

QVÆSITA MISSIONARIORVM CHINÆ, SEV SINARVM,

Sacræ Congregationi de propaganda fide exhibita, cum responsis ad ea.

Romæ ex Typographia sacræ Congregationis de propaganda fide, M DC XLV. *Superiorum permissu.*

Infra scriptæ propositiones à sacra Congregatione de propaganda fide ad sanctum Officium transmissæ fuerunt, à Patribus qualificatoribus ejusdem sancti Officii qualificatæ ut infra.

P*Rimo*, Vtrum Christiani Chinenses sint obligati ad observantiam juris positivi, quantum ad jejunia, confiteri semel in anno, & communicare, festa servare eo modo, quo obligantur Indi in Nova Hispania & in insulis Philippinarum, juxta dispositionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus & Meridionalibus.

Censuerunt, Ius propositivum Ecclesiasticum de jejuniis absolute obligare Chinenses Christianos, & à Missionariis hoc esse illis enuntiandum; attenta vero Regionum & personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quæ fuit alias à felicis recordationis Paulo III. Indis concessa. qua obtenta satagant Missionarii Sanctæ Matris Ecclesiæ pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in universum indixit, magna ex parte benigne remittit & indulget. Censuerunt etiam, præfatos Chinenses obligari ad Sacramentalem Confessionem semel in anno: & Missionarios hujusmodi obligationem debere eis notificare. Idem prorsus censuerunt, quoad sacram Communionem semel in anno sumendam, quod vero ad executionem tempore statuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat: curandum tamen, ut intra duos vel tres menses ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit: sin minus, alio quovis tempore intra decursum unius anni à Paschate inchoandi omnino communicent. Demum censuerunt, Chinenses ad fidem conversos teneri omnino festa servare: Missionarios etiam teneri hoc eos notificare; locum tamen esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum, juxta formam privilegii à Paulo III. Indis concessi.

Secundo, Vtrum in prædicto Regno Ministri Euangelici pro nunc saltem in Sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus oleum sanctum Catechumenorum, sputum in auribus, & sal in ore? insuper & non administrare eisdem mulieribus Sacramentum Extremæ unctionis? & ratio dubitandi est, quia Chinenses magno zelo ducuntur erga uxores, filias, & alias mulieres, scandalum sument ex hujusmodi actionibus.

Censuerunt, Et Sacramentalia baptismi mulierum esse adhibenda, & Extremam unctionem esse mulieribus conferendam, nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut Missionarii quantum in se est ab his abstineant. Curandum ergo; ut tam salubres ritus & cæremoniæ introducantur, & observentur, ac Missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

Tertio, in præfato Regno lege stabilitum est, ut mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur, utrum Chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta quantitatem Regni lege taxatam accipere? & causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatam fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram judice repetere, vel propter alia hujusmodi.

Censuerunt, Ratione mutui immediate & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id, quod accipitur.

Quarto, In converso Chinarum Regno domos publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus Vsurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam sumpto lucro ad usuram dare solent, ea tantum conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant, & si tantis elapsi annis pignorum dominus, pro eisdem recuperandis pignoribus soluta principali pecunia, cum lucro non redierit, actionem & dominium, quod habebat in suis pignoribus, illico amittat. istæ autem domus Reipublicæ necessariæ sunt, & quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, à non desistendo à prædictis usuris judicis auctoritate compelluntur. Quæritur utrum si hujusmodi Vsurarii converti velint ad fidem, possint baptizari, manendo in suo statu usurario, propter causam supra dictam? vel quidnam in tali casu agendum sit?

Censuerunt, Chinenses in statu usurario manentes baptizari non posse. si vero judicis auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore, ultra sortem principalem, tum ratione oneris quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, & damni emergentis: tempore autem præstituto, si ex venditione pignorum aliquid superfit sorti principali & lucro ex causis prædictis juste acquisito, domino pignorum esse restituendum.

Quinto, Vtrum prædictorum usurariorum filii, si quando in hæreditatibus eorum succedunt, jam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto vel in parte juxta male acceptorum excessum? & si hujusmodi usurariorum filii heredes jam Christiani à Repu-

blica, vel à judice compellantur ad publicas usurarum domus Patrum aperiendas & sustentandas, quid in hoc casu ministri Euangelici pro sanandis istorum conscientiis facere debent?

Censuerunt, filios heredes usurariorum teneri à Patribus ex usuris illicite acquisita restituere certis quidem Dominis, si certi sunt; sin minus, juxta Regulas à Doctoribus traditas; actualem vero restitutionem à doctis, piis & prudentibus viris esse dirigendam. quoad secundam partem hujus dubitationis, jam responsum est in proxime superiori resolutione.

Sexto, in Populis & civitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones quæ à populis vicinis exigantur, ut in Pascha novi anni in sacrificiis & Dæmoniorum suorum Idololatriis, & invitationibus ac conviviis in eorundem templis præparatis; simulque in festivitatibus, aliisque indifferentibus pro populi lætitiæ demonstrationibus expendantur. Quæritur utrum Christianis ac ministris eorum (à quibus etiam tanquam à populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro hujusmodi rebus contribuere? Nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter Gentiles fiet.

Censuerunt, posse Christianos Chinenses pecunias contribuere, dummodo per hujusmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos & superstitiosos convertere, supposita causa quæ narratur in dubio; præsertim præmissa, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita tributa præstant in ordine tantum ad populi lætitiam & ad actus indifferentes, vel saltem cultui Religionis Christianæ non repugnantes.

Septimo, in omnibus illius Regni civitatibus & villis templa cuidam Idolo, *Chacimchoan* dicto, erecta ac dicata reperiuntur, quod fingunt Chinenses esse Protectorem, Regentem & Custodem civitatis: stabilitaque Regni lege ordinatur, ut omnes Gubernatores civitatum & villarum, (quos Mandarinos vocant) quando Regiminis possessionem assumunt, & anni decursu bis in mense sub pœna privationis ab officio templa adeant præfata, ibique ante dicti Idoli altare prostrati, genibus flexis capiteque ad terram usque inclinato idolum illud adorent ac venerentur; eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant: & cum sui Regiminis possessionem accipiunt, ante prædictum Idolum jurant de recte administrando, & si contra fuerint, se submittunt supplicio ab Idolo infligendo: simulque ab illo petunt modum bene gubernandi, & alia hujusmodi. quæritur, utrum istius gentis fragilitates tolerari possint pro nunc, quando tales gubernatores Christiani deferant quandam crucem quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, & facere (intentione non ad Idolum, sed ad crucem directa) omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud, exterius tantum & ficte, omnem cultum interius & in corde ad crucem dirigendo; quia si hujusmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum prius apostatabunt à fide, quam relinquant officium regiminis.

Censuerunt, nullatenus licere Christianis hujusmodi actus publicos cultus & reverentiæ tribuere Idolo, prætextu vel intentione crucis, quam vel manu gestant, vel in altari inter flores abscondunt.

Octavo, In prædicto Regno habent Chinenses quemdam Magistrum in Philosophia morali literatum, qui olim discessit à vita, vocatum *Keum-Fucu*, qui ob doctrinam, regulas & documenta adeo in toto Regno acceptus est, ut tam Reges, quam omnes alii cujuscumque conditionis & gradus sint, sibi proponant imitandum & sequendum, saltem quoad speculativum, & tanquam sanctum venerantur & laudant, in omnique civitate & villa præfato Magistro templa sunt erecta; Gubernatores vero bis in anno tenentur in ejus templo solemne sacrificium offerre, Sacerdotis ipsimet gerentes officium, & sine solemnitate in anni decursu bis in mense: concurruntque cum illo aliqui ex literatis pro administratione eorum, quæ in tali sacrificio offerunt. quæ quidem sunt sus unus integer mortuus, capra una integra, candelæ, vinum, flores, odores, &c. Item, omnes literati, quando accipiunt gradum, debent ingredi templum istius Magistri, & facere genuflexiones, & offerre ante ejus altare ex candelis & odoribus. Totus iste cultus, sacrificium & reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipsius relictis doctrinæ documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis optimi ingenii fælicitatem, sapientiæ & intellectus. Quæritur, utrum Gubernatores, qui Christiani sunt vel fuerint, vel literati vocati & coacti possint ingredi præfatum templum facere tale sacrificium, vel assistere hujusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de Idolothytis, & oblationibus illis, maxime, quia putant illi infideles, quod quicumque manducarit ex talibus Idolothytis, habebit progressum magnum in suis literis & gradibus; etsi portantes crucem in manibus possint licite hoc facere eo modo, quo dubitatione superiori dictum est? quia, si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, ministri Euangelii in exilium mittentur, & conversio animarum impedietur & extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquo prætextu contento in dubio Christianis permitti.

Nono, Inviolabilis observantiæ mos est apud Chinenses, tanquam doctrina à supradicto Magistro *Keum-Fucum* tradita, quod in omnibus Chinæ populis templa constructa habeant, avis & progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno cæremoniarum apparatu, & in altari multis candelis, floribus & odoribus adornato, imaginem sive effigiem parentis vel avi defuncti collocant, in quo sacrificio invenitur & qui facit sacerdotis officium, & ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum, &c. hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem & reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, & ob illa quæ ab eis accipere sperant. unde ante altare prostrati multas deprecationes faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, prosperitatem magnam, & ut ab omnibus adversitatibus liberentur. quod quidem sacrificium in domibus suis & in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. quæritur utrum Christiani ficte & exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere hujusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, sive in templo, sive in domo, vel sepulchro publicè, vel privatim? vel quonam modo hoc poterit permitti Christianis illis, ne, si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel, ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus Christianorum.

Censuerunt, Christianis Chinensibus nullatenus licere ficte vel exterius assistere sacrificiis in honorem proge-

progenitorum, neque eorum deprecationibus aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos, multo minus licere circa præfata ministerium aliquod exercere.

Decimo, Chinenses Christiani asseverant, quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt progenitoribus suis defunctis illam exhibere reverentiam, & illa offerre, ac si eisdem viventibus exhiberentur, & in memoriam tantum ac reverentiam progenituræ & generationis; & si illi vivi extitissent eadem illis præsentarent, ut illis oblatis vescerentur, vel sustentarentur, & ea offerunt absque alia intentione vel rogativarum spe, cum sciant illos mortuos esse, illorumque animas in inferno sepultas: Quæritur, utrum si hæc inter Christianos tantummodo fierent absque alio gentilium consortio in templis, domibus, vel sepulchris, ponendo & colendo aliquam crucem in altari præfatorum defunctorum, dirigendo ad illam suam intentionem, ita tamen quod pro defunctorum imagine nihil tribuunt nisi honorem & reverentiam filialem, quam (si vivi extitissent) illis comestibilibus & odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciant? unde hoc est quod quæritur utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tolerari possit.

Censuerunt, Consequenter ad ea quæ superius dicta fuerunt præmissa, non posse salvari, sive per appositionem crucis, sive propter absentiam gentilium, sive per intentionem, actus de se illicitos & superstitiosos ad cultum veri Dei dirigentem.

Undecimo, Ad memoriam Progenitorum suorum conservandam utuntur Chinenses quibusdam tabellis, in quibus nomina suorum defunctorum scripta sunt, quas vocant esse animarum sedes, existimantes animas defunctorum venisse & assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia & oblationes; & præfatæ tabellæ sunt collocatæ in propriis altaribus, cum rosis, candelis, lampadibus & odoramentis, & coram ipsis tabellis genuflexiones, orationes & deprecationes faciunt, expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus & laboribus. quæritur, an Christianis licitum sit, omnibus gentilitiis superstitionibus & erroribus postpositis, uti pro nunc præfatis Tabellis, illasque inter Domini sanctorumque imagines, & in eodem altari collocatas habere, vel in alio separato cum ornatu supradicto, ad hoc ut gentilibus satisfaciant? vel possint facere supradictas deprecationes & sacrificia cum intentione supradicta?

Censuerunt, Omnino non licere habere illas tabellas in vero & proprio altari majoribus dicato, multo minus deprecationes & sacrificia eis offerre, licet occulta & ficta intentione.

Duodecimo, Quando in illo Regno aliquem mori contingat, sive Christianus sit, sive gentilis, pro inviolabili more habetur in domo defuncti quoddam altare præparare, in eodemque imaginem defuncti seu tabellam supradictam collocare cum ornatu odorum, florum & candelarum, retroque cadaver feretro inclusum ponere. Omnes autem, qui ad condolendum domus illas ingrediuntur, coram præparato altari & defuncti imagine ter vel quater genuflectunt humi se prostrantes capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes & odoramenta, ut in præparato illo altari coram defuncti imagine consumantur & comburantur. quæritur utrum licitum sit Christianis & præcipue ministris sancti Euangelii, attento mutuo benevolentiæ signo & amoris, supradicta facere, maxime quando defuncti sunt ex nobilioribus populi.

Censuerunt, Posito quod mensa parata sit quædam tabula, non autem verum & proprium altare, si cætera contineantur intra limites obsequii civilis & politici, esse toleranda.

Terdecimo, Quæritur utrum Catechumenis paratis jam ad baptismum suscipiendum debeamus Ministris declarare ita aperte, & in singulari docere esse illicita sacrificia & omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet desistere à susceptione baptismatis, persecutiones, mors vel exilium Ministrorum Euangelicorum.

Censuerunt, Ministros Euangelicos teneri docere sacrificia omnia, præterquam soli Deo, esse illicita, cultum dæmonum & Idolorum esse relinquendum, & quæcumque hujusmodi cultum concernunt esse falsa & Christianæ fidei repugnantia: ad singularia vero descendendum, prout in Catechumenis ingenii promptitudo aut ruditas exiget, aliisque circumstantiis consuetudinibus ac periculis perspectis.

Quatuordecimo, Chinarum sermone hæc vox *Xing* idem est quod *Sanctus, sancta, sanctum*, & in libris doctrinæ Christianæ à quibusdam sancti Euangelii Ministris prælo mandatis reperitur ista vox *Xing* ad nominandam sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, Beatam Mariam, & cæteros Sanctos: Quæritur, utrum quando in præfatis libris sese offert occasio ut nominetur Magister Chinarum, *Kcum-Fucu* vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel cæteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur cum sint infideles & Idololatræ, possimusne, & sit licitum nobis Christi ministris, nominare supradictos hoc nomine *Xing*.

Censuerunt, non posse aliquid firmari circa vocem hanc, ejusve usum, nisi præhabita cognitione idiomatis, ejusque veræ & propriæ significationis. Cæterum, si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem, posse ministros ea uti; si vero restringatur ad significandam veram, & perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Quindecimo, in multis templis Idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata, & collocata super unam mensam vel altare, & omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita & ornata, qua in tabula scriptæ sunt literæ vel characteres sequentes: ***Honam ty vàn fú y vàn vàn fú y***; hoc est, ***vivat Rex Chinarum ad multa annorum millia.*** & ante prædictam tabulam mos est inter illos Idololatras sacrificare bis vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem & reverentiam illius. Quæritur si ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesiis collocare hujusmodi altare cum tabula & circumstantiis prædictis, & hoc ante altare, ubi sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam.

Censuerunt, exclusis sacrificiis & altari vere & proprie dicto, cætera quæ redolent tantummodo cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Sextodecimo, Quæritur, si in illo Regno licebit Christianis orare, & sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt?

Censuerunt, Si vere in infidelitate decedunt, omnino non licere.

Decimoseptimo, Si tenemur Prædicatores Euangelii prædicare in illo Regno Christum crucifixum, & ostendere ejus sanctissimam imaginem, maxime in Ecclesiis nostris? causa hujus dubitationis est quod gentiles scandalizantur ex tali prædicatione & ostensione, & judicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt, Nulla prudentia aut prætextu differendam

rendam esse Doctrinam passionis Christi post baptismum; sed omnino præmittendam: ad actualem vero prædicationem Christi crucifixi licet non teneantur Ministri Euangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei ac Divina Mysteria prudenter & oportune, & ad illa pro Catechumenorum captu explicanda; non tamen à sermonibus passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione, quod gentiles inde scandalum sumant aut stultitiam putent. Censuerunt etiam conveniens esse ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi crucifixi, & ideò curandum ut quod oportune fieri potest exponantur.

Decretum sacra Congregationis de propaganda fide die XII *Septembris* M DC XLV.

REferenre Eminentissimo Domino Cardinali Ginetto supraescripta quæsita, una cum responsis & resolutionibus Congregationis Theologorum ad eorundem quæsitorum examen specialiter institutæ, sacra Congregatio Eminentissimorum D. D. Congregatio de propaganda fide, præfata responsa & resolutiones approbavit, & eadem Congregatione supplicante Sanctissimus Dominus noster ad conservandam uniformitatem in prædicatione, ejusque praxi omnibus & singulis Missionariis cujuscumque Ordinis, Religionis & instituti, etiam *Societatis Iesu*, in Regnis Sinarum aut Chinæ pro tempore existentibus, vel extituris, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctitati suæ & sanctæ Sedi Apostolicæ specialiter reservata, districte præcipiendo mandavit; Quatenus præfata responsa & resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab aliis ad quos pertinebit observari & practicari faciant, donec Sanctitas sua vel sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit. A. Cardinalis Caponius. Loco ✠ sigilli. Franciscus Angellus, Secretarius.

EGo infra scriptus Notarius Apostolicus fidem facio, atque in verbo veritatis attestor, præsens impressum assumptum cum suo Originali omnino concordare, nihilque deesse aut superfluum esse, in cujus rei fidem ac testimonium hanc manu propria scripsi & subscripsi, ac solitum meum signum Notariatus posui in hac civitate Cadacensi, anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, indictione qoarta decima, die vero nona Mensis Iulii, Pontificatus in Christo Patris & Domini, Domini Innocentii Papæ decimi, anno ejus secundo, vocatus atque rogatus in testimonium veritatis. Fr. Victorius Riccius de Sancto Raymundo nuncupatus Ordinis Prædicatorum Notarius Apostolicus.



BREVE

B R E V E

Que nuestro muy santo Padre

I N O C E N C I O X.

Despacho en contraditorio juizio, con intervencion del Embaxador de su Magestad, sobre las dudas, i diferencias que tuvieron los Padres de la Compañia el año de 647. con el Ilustrissimo señor Don Iuan de Palafox i Mendoza, Obispo de la Puebla de los Angeles, del Consejo de su Magestad, i del Real de las Indias, en materias Sacramentales, i jurisdicionales: Traducido por Don Francisco Gracian Berveguete, Secretario de la Interpretacion de lenguas, que por mandado de su Magestad traduce sus escrituras, i de sus Tribunales, i Consejos: que se mandò passar por el Supremo de las Indias, como parece por sus decretos de vista, i revista en la Secretaria de Nueva-España, de diez de Otubre, i cinco de Dizimbre, i cedula Real que se despachò en doze deste mes de 648. para que se executasse, sin embargo de las contradiciones que se hizieron por las partes contrarias.

INNOCENTIVS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.



CVm sicuti accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerabilem Fratrem Ioannem Episcopum Angelopolitanum, sive populi Sanctorum Angelorum in Indis Occidentalibus ex una, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Iesu partibus ex altera, de & super munere prædicationis verbi Dei, tam in propriis eorumdem Clericorum Regularium petita solum Episcopi benedictione, quam in alienis Ecclesiis petita & obtenta ab eodem Episcopo Diœcesano licentia exercendo, nec non super confessionibus laicorum audiendis prævio examine, sive approbatione ejusdem Episcopi Diœcesani, quæ dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societati Apostolica authoritate concessorum, sibi proprio jure licere prætendebant, & desuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujusmodi, ad electionem conservatorum privilegiorum hujusmodi: Nobisque tam dicti Ioannis Episcopi quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro sopiendis differentiis hujusmodi, quædam dubia decisionem differentiarum prædictarum, nec non jurisdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipsorum Clericorum Regularium exemptionem à jurisdictione Ordinarii concernentia fuerint proposita, ad quæ ambæ partes responderi, & quid de super observandum sit, auctoritate Nostra Apostolica statui, & stabiliri desiderabant. Nos, qui omnium Fidelium, & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus, differentias prædictas, eorumque negotium particulari Congregationi aliquorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinandum commisimus, qui auditis sæpius Procuratoribus prædicti Ioannis Episcopi, necnon Procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio mature discusso, omnibus dubiis, & petitionibus hinc inde propositis responderunt, prout sequitur, videlicet: Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino nostro deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis Iesu, sæpius auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad Vrbem ablegatis, necnon ipsius Societatis Procuratore generali, negotioque mature discusso, censuit præfatos Religiosos nequaquam posse in civitate, ac Diœcesi Angelopolitana personarum secularium confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus licentia, nec in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, & contravenientes ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coërceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis, in vim constitutionis sanctæ memoriæ Gregorii Decimi quinti, quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia.* ac proinde memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerunt, potuisse Episcopum, seu ejus generalem Vicarium præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut à confessionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis, quasi à manifestis injuriis & violentiis eligere conservatores, eosque, ut præfertur, electos in Episcopum, ejusque Vicarium generalem indebite, ac nulliter excommunicationem fulminasse; cæterum, sancta Congregatio serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor erga Societatem Iesu, quæ laudabili suo instituto in Ecclesiam Dei tam fructuose laboravit, ac sine intermissione laborat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adjutricem agnoscens benigne foveat, ac pristinæ suæ benevolentiæ restituat, quemadmodum sacra

Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certo pollicetur, cum ejes zelum, pietatem, ac Pastoralem solicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die decimasexta Aprilis anno M DC XLVIII. Et præmissorum occasione, pro parte prædicti Ioannis Episcopi, nec non Religiosorum Societatis Iesu, in eadem Congregatione proposita fuerunt diversa dubia, de mandato Sanctissimi resolvenda, quæ quidem sacra Congregatio sæpius auditis, ut in præmissis ab eodem Episcopo ad Vrbem missis, nec non Procuratore generali ipsius Societatis, negotioque mature perpenso ad singula, dubia ab utraque parte proposita respondit ordine quo sequitur. Primo, An in casu quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus observari, & executioni demandari, Regulares quicumque, & Societatis Iesu sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? Congregatio Respondit: Si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis Iesu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini observent, & exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi, minimè licere ipsis Regularibus ob eam causam conservatores eligere. Secundò, An quando Ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus Regulares prædictos, in casibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint conservatores judices assignare? Respondit: Vt ad proximum non posse. Tertiò, An Regularibus, etiam Societatis Iesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in executione decretorum juris communis, Concilii Tridentini, & constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? Respondit: Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione. Quartò, An in casu, quo Regulares quicumque, etiam Societatis Iesu, exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casu, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares prædicti possint, & debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potiùs possint hoc casu eligere judices conservatores? Respondit: Si verba privilegiorum sint obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum. Quintò, Vtrum constitutio fœlicis recordationis Gregorii Decimiquinti circa conservatores Regularium, publicata anno 1621. cum declarationibus E E. sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretum desuper editis æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Iesu, ac reliquos Regulares, ita ut, omnia alia prædictæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ constitutionis, & sic in posterum debeant ab iis eligi conservatores juxta formam & tenorem prædictæ constitutionis? Respondit: Hujusmodi constitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis, æquè afficere Religiosos Societatis Iesu, atque aliorum Ordinum, & conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius constitutionis. Sextò, An Regulares prædicti, gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores possint conveniri coram Ordinario, si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Respondit: Regulares in causis prædictis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum constitutionis sanctæ memoriæ Gregorii Decimiquinti conservatores non elegerint, ipsiusque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint, ad dimiserint. Septimò, An dicti Regulares, conservatores, sive ad jure, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio judice competente, de judicio sisti, & judicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? Respondit: Non teneri. Octavò, An quando Episcopi jura, vel decimas Cathedraliū adversus Regulares prædictos, dote sua spoliantes Ecclesias, coram judice competente tuentur, librosque, memorialia, & allegationes producunt jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit: Si Episcopi, pro tuendis juribus Cathedralium Ecclesiarum coram judice competente hujusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter & modestè referant, non licere Regularibus ob eam causam ad conservatores recurrere. Nonò, Vtrum Regularis quicumque, etiam Societatis Iesu, possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ secularibus, absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena Diœcesi approbatus sit? Respondit: Regulares etiam Societatis Iesu in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani. Decimò, An Episcopus contra dictos Regulares, audientes in sua Diœcesi confessiones secularium absque sua approbatione, vel concionatores absque licentia Episcopi intra, & extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos à talibus ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis juris remediis coercendo? Respondit: Eisdem Regularibus, qui confessiones personarum secularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel etiam in Ecclesiis sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim constitutionis fœlicis recordationis Gregorii Decimiquinti, quæ incipit *Inscrutabili Dei providentia.* tanquam Sedis Apostolicæ delegatum administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere, & punire. Vndecimo, An quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit præcipere, ut donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, à tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis, in aliena Diœcesi, vel longissimè existens, vel ipsi Regulares confessarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœcesis, in qua prædicta exercent? Respondit: Posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes. Duodecimo, An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Diœcesi maledictis cum scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri,

puniri, & qua animadversione? Et quid, si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam Diœcesim, hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi, spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis? Respondit: Si Regularis intra claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri superiorem Regularem, infra tempus ab Episcopo præfigendum, severe illum punire, ac de punitione Episcopum certum facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini *Cap. 14. Sess. 25. de Regular.* Quod si delinquens ad aliam Diœcesim migraverit, servand umesse quod præcipitur in constitutione sanctæ memoriæ Clementis Octavi, incipiente *Suscepti muneris ratio.* Decimo tertiò, An conservatores nominati, & electi à Regularibus prædictis ante exercitium suæ jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit: Vtique teneri. Decimo quartò, An privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares præfati, debeant Episcopis notificari, sivè insinuari? Respondit: Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint. Decimo quintò, An prædia rustica, metallorum fodinæ, sachari opificinæ à Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ domus seculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit: Non gaudere. Decimo sextò, Vtrum Regulares præfati apothecas quarumcunque mercium, macella, & similia, præsertim propè Collegia, sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit: Non posse Episcopum hæc prohibere Regularibus exemptis, sed si in præmissis ita notorie delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse quod dictum est supra in responsione ad duodecimum. Decimo septimò, Vtrum Regulares, etiam Patres Iesuitæ, in suis prædiis, opificiis, aliisque suis domibus secularibus sitis intra limites Parrochialium ad se non spectantium, possint administrare Sacramenta Baptismatis, solemnis Matrimonii, Extremæ unctionis, & Eucharistiæ in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive id genus hominibus secularibus, absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit: Non posse. Decimo octavò, Vtrum Patres Societatis in Civitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare Vasa sacra, Altaria, & similia, in quibus unctio requiritur? Respondit: Itidem non posse. Pro parte verò Religiosorum Societatis Iesu proposita fuerunt infra scripta dubia. Primò, An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respondit: Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum secularium, etiam inconsulta sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, cum decretum ab ea editum sub die vigesimo Novembris M DC XV: ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad Regiones illas tam longè ab Vrbe dissitas. Verùm ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernitie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo sacra Congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas. Secundò, An Episcopus Regularem pro confessionibus semel approbatum, sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Respondit: Regulares aliàs liberè ab Episcopo, prævio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum secularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse, sine nova causa, eaquè ad confessiones ipsas pertinente. Tertiò, An Bulla Pii V. 3. 4. *in ordine, tom. 2. Bullar.* concessa instante & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mutigantur? Respondit: Agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis ubi est defectus Parochorum. Quartò, An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei: & hoc, an vigore Concilii Tridentini: vel per quem Canonem? Respondit: Posse procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim constitutionis Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili Dei providentia.* Quintò, An licentia audiendi confessiones, & prædicandi ab Episcopo per litteras missivas, an solum per litteras patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit: Posse concedi etiam per litteras missivas, vel ore tenus, si ita Episcopo videbitur. Sextò, An talis licentia ore tenus sine scriptis concedi possit? Respondit: Vt ad proximum. Septimò, An facultas eligendi conservatores, concessa Societati à Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt judices Synodales? Respondit: Vbi non sunt judices Synodales, privilegium Gregorii XIII. non suffragari, quoad hoc, ut Societas non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma constitutionis Gregorii XV. hac de re editæ. Octavò, An conservatores Societatis Vicarios generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint, virtute dictæ Bullæ Gregorii XIII. incipientis *Æquum reputamus.* Datum ultima Februarii 1573? Respondit: Posse à manifestis injuriis, & violentiis eos compescere, etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ die 16 Aprilis anno 1648. Quapropter ut præmissa firmiùs subsistant, & inviolabiliter observentur, Nobis pro parte Ioannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa, auctoritate Apostolica, confirmare de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur dicti Ioannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eundem Ioannem Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta responsa, seu responsiones, auctoritate præfata, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, & inviolabiliter observari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis: Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,

tores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etiam de Latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentati: Non obstantibus Apostolicis, ac in Vniversalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non Ecclesiæ Angelopolitanæ, ac Societatis præfatæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiæ, & Societati sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam Consistorialiter, & alias quomodo libet in contrarium præmissorum, quomodo libet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14 Maji M DC XLIII. Pontificatus Nostri anno quarto, M. A. Maraldus. Locus annuli Piscatoris.

Concuerda con su original, con el qual fue corregido por mi Don Francisco Gracian Berveguete, Secretario de la Interpretacion de lenguas, que por mandado de su Magestad traduzgo sus escrituras, y de sus Consejos, y Tribunales. Madrid a tres de Agosto de mil y seiscientos y quarenta y ocho años. Don Francisco Gracian Berveguete.

FINIS.







